HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS PHILOSOPHI AC MEDICI CELEBERRIMI

OPERVM


TOMVS QVINTVS;

QVO CONTINENTVR

ASTRONOMICA, ASTROLOGICA, ONIROCRITICA.

CONTENTORVM HVIVS TOMI SERIEM Index Titulorum exhibet.

EDITIO, VT CÆTERIS ELEGANTIOR ITA ET ACCVRATIOR.



LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN, & MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX
Librorum, Tractatuum, & Capitum Tomi Quinti.

I.

De temporum & motuum erraticarum restitutione.

II.

III.

IV.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

V.

De septem erraticis stellis.

Et Quidem

VI.

De iudiciis Geniturarum.

VII.

VII.

De exemplo centum genitu-rarum.

VIII.

Duodecim Geniturarum Liber.

XII.

XII.

Synesiorum Somniorum omnis generis insomnia explicantes Libri IV.

LIBER I.

De generali tractatione & differentia eorum penes visa.

LIBER II.

De Somniis provt Propriis Differentiis Distinguuntur.

LIBER III.

De Somniis.

LIBER IV.

De Exemplis.

XIII.

HIERO



HIERONYMI CARDANI, MEDICI,

De temporum & Motuum Erraticarum restitutione.

CAPVT I.

De motu Solis communi, & anno.



A NNVM primi inuenerunt Thebæi Ægypti populi alia ratione, quàm ante diluuium ab Hebræis prius fuisset obseruatus: nam Lunaris annus ille fuerat. Verum apud Græcos, Thales Milesius, è septem sapientibus vnus, ipsum promulgauit. Eudoxus & Hipparchus rationem Ægyptiorum secuti, primi propinquum reuolutionis Solis tempus statuêre: quos inter Latinos, C. Iulius Cæsar ante alios adiuuante Sosigene Astrologo imitatus est, annum constituens dierum 365. & horarum 6. vnde cum in quatuor annis 24. horæ colligerentur, singulis annis quatuor vnus excreuit dies, quem post 24. Februarij collocauerunt, eúmque annum qui diem illum susciperet, Bisextilem appellauêre. Vnde factum est, vt cum anni tres primi, horis in quartum annum deductis, dies tantum 365. possiderent, solus quartus 366. habuerit dies.

Fuit autem anni triplex modus: nam alij annum reuersionem Solis ad eandem fixam stellam nuncupauêre, veluti Thebith Benchorat filius Choræ. Alij reuersionem Solis ad eundem æquinoctij, aut tropici punctum existimant, veluti Ptolemæus. Recentiores autem annum appellant, & verius, Solis restitutionem ad eundem punctum eclipticæ fixæ, tam in longitudine, quàm in latitudine, per arcum orbis magni, à polis eclipticæ fixæ ductum in centrum Solis, atque in eundum punctum in quo prius Sol fuerat terminatum: nullam ex hoc statuentes differentiam, quod Sol sub mobili ecliptica delatus à fixa, modò in borealem, modò in australem partem declinet: atque hoc modo Alphonsus & Monte regius anni initium statuêre.

Mouetur enim Sol tribus motibus. Vno quidem ex orbe toto ab Oriente in Occidentem, in horis 24. super mundi polis. Alio autem ab Occidente in Orientem, super eclipticæ mobilibus polis, vt Alphonso in 49000. annorum, quod longissimum tempus est: aut in 4056. annis, 330. diebus 46. min. 50. sec. quod breuissimum, vt Thebith: aliis autem in 1300. vt Ciceroni: aliis in 36000. annorum, vt Platoni, circuitum perfici placuit: quo motu cum ex orbe etiam toto fiat, non solum absis ad diuersa loca progreditur, aut retrocedit, verum ecliptica mobilis alios atque alios angulos cum æquinoctij orbe facit: nec verum est, solos absidem deferētes, vt plurimi existimant, sic moueri. Vltimo vero, ex ecentrico orbe aut sphærula ita ab occidente, sub mota ecliptica defertur ad orientem, vt in diebus 365. horis 6. minus quadam portiuncula temporis reuertatur. Non solum autem totus Solis orbis sub eclipticæ motu ab Occidente reuertitur in Orientem, sed & vniuersa cœlorum machina, non minus tardissime simul ad Orientem retrocedit, quàm velocissime feratur ad Occasum. Vnde cum hunc motum in orbium Planetarum & Lunæ omnes neglexerint, siue ob paruitatem, siue ob incuriam, causam dedit, vt in temporis magnitudine non dissimulandus error ac vix inexplicabilis consurgeret. Nam cum Sol cæterique Planetæ, eandem ad mobilem eclipticam perpetuò seruent habitudinem, manifestum est eos necessariò illius motu moueri: atque non tantum absidum delatores, quinimò cum totus orbis Planetarius simul moueatur, orbes absidum delatores potius

potius imaginarios esse, quàm re vera sic posse appellari.

CAPVT II.

De motu Solis, Thebith & Ptolemai.

VIdetur autem Thebith opinio veritati repugnare, nam spica virginis, quæ Ptolemæi tempore declinabat ab æquinoctiali meridiem versus, partibus nullis, minutis 31. nunc recessit ad eandem regionem partibus octo, minutis 25. quare in 1404. annis declinationem auxit partibus 7. mi. 54. Dimetiens autem circuli parui, secundum Thebith, partium est octo, minutiarum 37. secūdarum minutiarum 26. Igitur cum 1404. anni sint parum plus tertia parte de 4056. oportuit tantum circiter 130. partibus caput arietis deferri in circulo paruo: quare non potest hæc differentia implere partes 8. fermè circuli magni. Lunæ etiam locus declarat stellas ab æquinoctiali plus quinque partibus recessisse, vt ex tabula declinationum apparet. Quare constat, tum ex planisphærio, tum ex aliorum Planetarum motu, stellas moueri per maiorem differentiam, quàm sint partes quinque.

Ptolemæus autem existimat motum Solis in anno fieri, in diebus 365. hor. 5. min. 55. secun. 12. ita quòd in annis 300. dies vna intercalanda sit à bisextili, locoque dierum 75. qui in 300. annis superadduntur, 74. tantum super augendos existimat: minutiæ enim quatuor, & secun. 48. in 300. multiplicatæ, diem vnum producunt. Verum hæc mensura anni, obseruationibus (vt infrà dicetur) non conuenit, & velociorem statuit motum fixis stellis quàm deceat, & anni initium non ex capite arietis, quod ex tertia ratione fuit, sed ex æquinoctio sumpsit, & motum in auge negat: quamobrem his quatuor causis ab anni vera quantitate recedit.

Albategnius autem annum statuit dierum 365. horarum 5. min. 45. secun. 36. ita vt in annis 100. cum bisexti fiant 25. erunt tantum 24. admittendi, detracta vna die: centies enim min. 14. sec. 24. diem vnum conficiunt. Sed hæc ratio cūm stellarum motum in 100. annis statuat, nec regressum octaui orbis intellexerit, à vera mensura aberrat: nam cum 360. diebus, quæ 6. secun. notantur, min. 3. sec. 2. ter. 28. quar. 54. respondeant ex parui circuli motu, atque ea causa æquationis secun. 28. ter. 30. Eodem autem tempore motus in nona, sit secun. 26. ter. 4. constat retrocedere sphæram octauam in anno sec. 2. ter. 26. nedum vt antecedat: cumque hoc 875. annis perseuerare possit, quibus dimidia ferè vna pars peragratur, conuenit vt eo tempore stare quasi videatur. Vnde hæc positio à Thebith multum differt, in qua non solum stationem, sed & manifestam & amplam retrogradationem apparere necessarium esset.

Thebith autem annum statuerat dierum 365. horarum 6. minutiarum 9. secundarum 12. quem Campanus sequutus videtur. Sed cum reuersionem Solis ad stellam, non ad arietis initium supponat, & motum stellarum male accipiat, fidem nullam apud posteros promeruit.

Azrael autem tabularum Alphonsi auctor, Purbachius, Monteregius, & ephemeridum conditores, annum statuunt reuersionemque Solis diebus 365. horis 5. minutiis 49. sec. 15. tert. 58. quar. 51. quin. 12. verumtamen in tabula reuolutionum annorum, loco tert. 58. quar. 51. quin. 12. suppositi sunt tert. 43. quar. 42. vnde erroris nonnihil admissum videtur, cum tempus à tempore differat ter. 15. quar. 9. quam suspicionem inferius diluemus. Hac anni igitur cōstitutione, in 136. annis supersunt horæ 24. mi. 19. se. 46. ter. 36. qua. 24. vnde in 136. annis, vno prætermisso bisexto, atque in 9928. loco 73. bisextorum dimittendorum altero superaddito, vt fiant 74. bisexti non numerandi, erit cursus Solis in hoc tempore emendatus: nam quæ relinquitur differentia min. 3. secun. 42. ter. 17. quar. 12. tantum implet, quæ vt diem perficiant omnem memoriam excedunt, vtpote 3871920. annorum.

Vt igitur faciliorem aditum ad sequentia habeamus, scire operæ precium est, hos qui sic motus distinxerunt, in octauo orbe triplicem motum statuisse. Vnum quidem ab oriente in Occidentem in 24. horis super mundi polis. Alium vero ab Occidente in Orientem in annis 49000. super polis eclipticæ immobilibus quo fit, vt vna pars perficiatur in annis 136. $\frac{1}{9}$. Vltimum autem, quem quidam Trepidationis appellant, licet hoc nomen motui Thebith potius tribuatur, in 7000. annorum perficit, circumuoluens se ad periferiam circuli, cuius dimetiens ex orbe magno partes 18. continet. Qua ex causa, & Solis maximas ab æquinoctij orbe differentias variari necesse est, & magnam in velocitate & tarditate motus stellarum differentiam apparere. Hos duos complices motus tanquam vnum imitantur planetæ omnes, totis orbibus, non secus ac diurnum, prout superius explicauimus.

His suppositis, ne forte temere confusionem in motu Solis Azraeli quisquam accidisse existimet, ratio reddenda est, cur reuolutionum annorum tabella cum Solis medio motu non concordat. Nam errorem haudquaquam censebimus Impressorum, siquidem in tabula reuolutionis ascendentium annorum scriptum offendi gra. 87. minut. 18. secun. 55. ter. 55. Cum igitur hoc diuiseris per 15. (nam tot partes singulis horis ex æquatore exoriuntur) prodibunt horæ 5. min. 49. secun. 15. ter. 43. Ea igitur causa est, vt differentia illa intercesserit, quòd cum motus in anno octaui orbis à motu noni, tempore Alphonsi differet minutiis secundis 13. ter. 6. quar. 17. quin. 8. sex. 34. in futurum autem adhuc longe minus: visum est, cum non posset ad certam quantitatem motum absidis & eclipticæ statuere, mediam quandam viam comminisci, ac velociorem quàm pro motu Solis reuersionem anni, tardiorē tamen quam aliquando sit futura describere, vt sic non omnino ab euentu discordare videretur: in mensibus autem, cum modicam vnius tantum

tum anni differentiam diuidant, non existimauit opportunum fore à Solis cursu discedere.

CAPVT III.

De obseruationibus Ptolemæi, temporibus Adriani & Antonini.

INuenimus autem duas diligentiores à Ptolemæo obseruationes factas, ingressus Solis in primum æquinoctij punctum autumnalem: quarum prima 8. cap. lib. 3. sic describitur. Exquisitissimam fecimus anno decimoseptimo Adriani, septimo die mensis Athus obseruationem, horis duabus æqualibus post meridiem, ingressus Solis in punctum autumnalis æquinoctij: à Nabuchodonosoris coronatione annis 879. diebus 66. horis 2. ab Alexandri autem morte annis 455. diebus 66. horis 2. ab Octauij vero principatu annis 161. diebus horisque iisdem. Secunda autem obseruatio, in capite secundo libri ipsius, sic describitur: Tertio Antonini anno, nona die mensis Athir, hora vna post Solis ortum, vidimus solem in primo autumnalis æquinoctij puncto, fuitque hic annus ab Alexandri morte 463.

Primum igitur, quales annos illos intelligat, sic demonstrabimus. Nam cum differentia motus Solis à Nabuchodonosore ad primam obseruationem sit partium 211. minutiarum 25. quam in 879. annis, diebus 66. horis 2. conflatam posuit: motus autem in anno describitur à Ptolemæo partium 359. minut. 45. secun. 24. ter. 45. quar. 21. quin. 8. sex. 35. vt annus dies complectitur 365. Ducto autem hoc motu in 879. additáque superatione dierum 66. hor. 2. conflantur vltra reuolutiones 878. partes 211. minut. 25. relinquitur igitur annos illos fore absque dubio omnes Ægyptios, dierum 365. præcise, & sine bisexto, cum eandem motus differentiam Ptolomæus ipse posuerit: idem etiam ex tabulis motuum cœlestium ipsius aperte demonstrari posset. Cum igitur hi 879. anni constent ex 424. qui sunt inter Nabuchodonosoris regnum & Alexandri mortem: itemque ex 294. qui inter Octauium & Alexandrum fuerunt: atque ex 161. qui fuerunt ab Augusto ad 17. Adriani annum. Constabit igitur annos hos omnes inter medios fuisse Ægyptios.

Cum vero radix temporis regni Nabuchodonosoris à Ptolemæo posita, superiores tres Planetas, eodem fermè loco constituat, quo & Alphonsus, sequitur eodem anno ab ambobus fore constitutam. Cum autem Solis locus non plus differat partibus tribus in vno alteroque, constat differentiam temporum dies tres excedere non posse: at cum feria in vtroque sit eadem, satis manifestum est, radicem corbnationis Nabuchodonosoris ab Alphonso descriptam, eandem esse penitus quæ à Ptolemæo prius fuerat constituta.

Nec obiter illud à me videbitur prætereundum, quoniam cum Alphonsus ferias ad vulgarem vsum constituisset (porrò dies currentes non à meridie computantur: radices autem à meridie, tanquam diei initio, sunt constitutæ) Ea causa coactus canonem constituit, vt dies quærenda in introitu tabularum non admitteretur: nam cum Ægyptios annos 879. dies 66. in Romanos annos quibus nos vtimur verterimus, fient anni 878. dies 212. Anni autem à Christo ad Nabuchodonosorem sunt 746. dies 310. ex quibus sequitur Nabuchodonosorem coronatum fuisse die vigesimaquarta Februarij, anni 747. ante Christum currentis, quæ dies vulgariter Martis erat in meridie, siue prima mensis Thoth inchoantis: sic enim in feriis intelligimus. In astrorum autem supputandis motibus exactos dies accipimus, detractis etiam annis 746. diebus 310. ex annis 878. diebus 212. relinquuntur anni 131. dies 267. Igitur cum annus ille foret bisextilis, si quidem fuit centesimus trigesimus secundus currens à Christo, sequitur inita per menses computatione, vt hic introitus in vigesimumquartum diem Septembris statueretur. Ex quo non latet error manifestus Stœphlerini, qui bisextum non animaduertens, in vigesimamquintam Septembris diem considerationem hanc retulit.

Ex hoc constat, cum centesimus trigesimus secundus à Christo annus fuerit Adriani decimusseptimus, Adrianum non anno salutis 119. regnare cœpisse, vt existimat Ioannes Lucidus, sed anno 116. iuxta anni initium: nam sic tempore obseruationis decimusseptimus imperij annus agebatur.

Porrò secundam obseruationem posuit, tertio Antonini anno, quadringentesimo sexagesimotertio autem ab Alexandri morte. Vnde cum prior eodem tempore 455. annos acceperit, sequitur vt hæc à præcedente annis præcise Solaribus octo, non Ægyptiis distet, eademque die apud Latinos, videlicet vigesima quarta Septembris: erat autem nona mensis Athus, quia ex Ægyptiis annis cum fluxissent octo, necesse erat vt mensis initium per duos dies ante sumeret, quibus bisextiles anni duo intercepi, Ægyptiis superabundabant. Quamobrem hanc obseruationem anno centesimo quadragesimo salutis currente factam fuisse liquet: cumque foret tertius hic annus Antonini, erit vt necessario Antoninus, vel in fine anni 137. aut in initio 138. salutis regnare cœperit. Constat enim ex obseruatuatione 3. cap. libri quinti, non potuisse plus 38. diebus post initium anni 138. salutis, initium sumpsisse imperium Antonini: nam septima Februarij 138. anni, erat iam secundus Antonini annus.

Quare errauit Albategnius, ac Ioan. Lucidus cum eo, qui obseruationem hanc 142. anno salutis factam existimarunt: ac etiam Antoninum regnare cœpisse in anno 140. cum fuerit initium imperij in fine anni 137. aut in initio anni 138. obseruatioque anno 140. currente.

Ex his manifestum est, Alexandrum mortuum fuisse anno ante Christum currente

324.die 11. mensis Nouembris. Octauianum autem regnare cœpisse annis ante Christum 30.agente, die 30. mensis Augusti. Quare Chronographi non parum errant, cum Alexandrum annis 323. mortuum fuisse tradant: mortuus est enim anno 324. Initium autem imperij Octauij ad annos 42. ante Christum transferunt: nam licet duodecim annis in triumuiratu fuerit, non tamen sumendum tunc fuit imperij initium, sed & sic in vno anno errant, cum non trigesimo, sed vigesimonono statuant initium principatus atque cum 12.fuerint anni, quibus cum aliis regnauit, Monarchiam in 16. annum imperij impudentissime transferunt. Ptolemæus autem, cum Ægyptius esset, non Romanorum decretum, sed Alexandriæ captiuitatem obseruauit: quæ cum 12. anno facta fuerit, Romanum imperium in decimumquartum annum, non in decimumsextum transfert.

CAPVT IV.

De vera anni longitudine.

HIs visis, non erit difficile ex prima & secunda obseruatione veritatem motus Solis indagari: hoc vnum supponentes, obseruationes illas, quantum ad horas non fuisse exactas, verum tantum inueniendi cursus Solis gratia, in longiore tempore quæsitas: non enim ex opinione nostra fieri potuit, multo autem minus Ptolemæi, vt intra 8. annorum spacium secunda obseruatio primam horis septem præcessisset. Hoc igitur sublato errore, capiamus Solis ingressum priorem, quem omni diligentia considerasse affirmauit, in autumnale æquinoctium, die 24. Septembris. Vnde cum tunc in 5.gra.geminorum absis Solis esset, atque ea causa vernale æquinoctium diebus 187. autumnale præcederet, necesse erat vt vernale æquinoctium 21. Martij, horis 2. post meridiem fuisset. Anno autem 1536. æquinoctium vernale Tubingæ gymnasio Germaniæ, 10. Martij in meridiana hora exacte fuit: nam quòd ponitur min. 6. secun.8. ante, incomprehensibile est. Igitur in annis 1404. antecessit æquinoctium vernale diebus 11.hor.o. mi.32. Nam cum Alexandria sit orientalior Tubinga ho. 1. mi. 28. distat enim partibus 22. sequitur vt æquinoctium vernale Alexandriæ in anno 1536. sit die 10. Martij, ho.1. mi.28. à meridie: quare dies 11.ho.o. mi.32. inter hoc & illud æquinoctium intercesserunt. Cum igitur diuiserimus horas dierum 11. quæ sunt 264. minutias 32. in part. 1404. exibit anticipatio detrahenda ex horis sex, annis singulis min.11. secun.18.ter.17.quar.26.quin.9.sex.50. Verum quia volui exponere min. 2. secun. 52. differentiæ, fiet pars detrahenda mi. 11. secun.18.ter.12.quar.21. quin.16.sex.50. Quare erit anni longitudo dies 365. horæ 5. mi. 48.secun.41.ter.47.quar.38.quin.43.sex.10. quare ascendunt vltra circuitus perfectos in æquinoctiali partes 87.mi.10.sec.26. ter.54. quar.40.quin.48.

CAPVT V.

De tabulis reuolutionum, & ascendentium annorum, & earum vsu.

FVit igitur differentia anni Alphonsi à vero.min.o.sec.34.ter.11.quar.11.quin.29. Quæ licet videatur insensibilis, in reuolutionibus tamen errorem maximum, cum quatuor transit annos, parere potest: nam & ascendentium differentia singulis annis est pars o. min.8. secun. 32. ter.48. quar.7. In his omnibus cum noster annus sit anno Alphonsi minor, necessarium est in quatuor annis differeniam 34. minutiarum ex æquinoctiali iniercedere, cum quibus pars integra ex Zodiaco in nostra regione oritur, iuxta arietis initium ac finem piscium. Cum igitur has differentias iunxerimus, consurgent tabulæ duæ: quarum altera est reuolutionum annorum, altera ascendentium annorum.

Tabula

Tabula reuolutionum annorum.

		D.	ho.	mi.	sec.
1	P. B.	A o	5	48	41
2		A o	11	37	23
3		M o	6	33	54
1		A o	5	48	41
2	P. B.	M o	12	22	36
3		M o	6	33	54
1		M o	18	11	18
2		M o	12	22	36
3	P. B.	M o	6	33	54
1	B.	A o	5	48	41
2		A o	11	37	23
3		A o	17	26	6
4		M o	0	45	12
8		M o	1	30	25
12		M o	2	15	38
16		M o	3	0	51
20		M o	3	46	4
40		M o	7	32	8
60		M o	11	18	12
80		M o	15	4	16
100		M o	18	50	20
200		M 1	13	40	40
300		M 2	8	31	1
400		M 3	3	21	20
500		M 3	22	11	41
1000		M 7	20	23	25
2000		M 15	16	46	51
3000		M 23	13	10	17
4000		M 31	9	33	43
5000		M 39	5	57	9
10000		M 78	11	54	19

Tabula ascendentium annorum.

	Par.	mi.	secun.
1	87	10	26
2	174	20	53
3	261	31	20
4	348	4	47
5	75	52	14
6	163	2	41
7	250	13	8
8	337	23	35
9	64	34	2
10	151	44	29
20	303	28	58
30	95	13	27
40	246	57	56
50	38	42	25
60	190	26	54
70	342	11	23
80	133	55	52
90	285	40	21
100	77	24	51
200	154	49	42
300	232	14	33
400	309	39	24
500	27	4	15
1000	54	8	31
2000	108	17	2
3000	162	25	34
4000	216	34	5
5000	270	42	36
10000	181	25	13

Modus autem operandi is est in tertia exempli causa suppositarum geniturarũ. Cum mortuus sit anno 1481. accipio annos 83. cum quibus inuenio primo ex 80. horas 15. mi.4.sec.16. minuenda, & quia vltra annos 80. supersunt 3. & annus genituræ est 1398. qui est secundus post bisextum, in tabula parua, vbi P. B. est in directo 2. quæro annos tres, qui sunt vltra assumptos 80. è directo, quorum inuenio minuendas ho.6.mi. 33.secun. 54. quas addo ad horas præcedentes, quia ambæ minuendæ: fient igitur ho. 21. mi.38. sec. 10. auferenda vnde tempus reuolutionis erit die 24. Iulij 1481.ho.2.mi. 22. post ortum Solis. Et similiter in tabula ascendentium annorum, inuenio partes 133. mi.55.sec.52.in directo annorum 80. at in directo annorum 3.par.261.mi.31.secun.20. iungo, fiunt par.35.min.27, secun.12.addenda ascensioni ascendentis.

Exemplum in quarta figura. Volo reuolutionem anni 1524. & est 79. annorum, inuenio in directo annorum 60. hor.11.mi. 18.secun.12.minuenda, & in directo annorum 16.ho.3.mi.o.sec.51. minuenda. Et quia annus genituræ 1445. est primus post bisextum, quæro in tabula, vbi P. B. est in directo 1.& ibi quæro annos tres, qui deficiunt ad complementum annorum 79. & inuenio minuendas ho.6.m.33.sec.54. iungo omnia, & fiunt ho.20.m.52.se.57. minuenda à tempore ortus: vnde cadet tempus in decimamquintam Iulij, ho.5.mi.33. ante meridiem. Et similiter in tabula ascendentium annorum, inuenio è directo annorum 9. partes 64.mi.34.sec.2.quas iungo simul (nam partes huius tabulæ semper adduntur) fiunt part.46. mi.45. secun. 25. Arcus autem ex æquatore ascendenti correspondens erat in nostra regione partes 79. mi. 12. cui si addantur partes 46.mi.45.fient partes 125.minut.57. quibus initium 20.partis leonis correspondet.

Et similiter in quinta genitura. Volo reuolutionem anni 1537. in quo vita functus est, in directo annorum 4. accipio ho.7. mi. 3.sec.8.minuenda, & quia 1495. annus genituræ, est tertius post bisextum, in tabula vbi P. B. in directo 3. ponitur: quæro deficientes annos à 42. qui sunt 2.è quorum directo minuendas inuenio horas 12. mi. 22. secun.36. quæ additæ præcedentibus, aggregant hor. 29. mi. 54. sec. 44. minuendas ex proposito genituræ tempore. Et similiter in reliqua tabula, è directo annorum 40. inuenio partes 246. mi.57. sec. 56. & è directo annorum 2.partes 174.mi.20.secun.53. quæ iuncta, faciunt partes 61.mi.18.sec.49. qui-

bus si addantur ascendentis partes, fient hæ 140.mi.30. è quorum directo prima virginis pars ex ecliptica coascendit: in qua corporaliter tunc Saturni corpus, vt posterius emendabitur, residebat. Vnde eo anno directione cooperante, mortuus est violentissima emoptoi.

His visis, non abs re erit, videre an Christi conceptio in æquinoctio fuerit. Nam cum Christus conceptus fuerit annis 132. ante Ptolemæi primam æquinoctij obseruationem, fiet vt introitus Solis eo anno in punctum vernalis æquinoctij fuerit die 22. Martij, hor. sec.2. mi. 520. post meridiem: nam ex tabula præcedenti veniunt ex annis 132. retrosumptis, addendi dies 1. ho. 0. m.52.se.2. Nam sicut tabula ex addito tempore detrahere docet, ita ex adempto addere: nam hic mos est communis omnibus tabulis, vt ex contraria assumptione, contrariam indicent operationem.

Fuit igitur æquinoctium iuxta vesperam vigesimæ secundæ diei Martij: verum conceptus est Christus die 24. completa, ita vt tunc Sol in initio tertiæ partis arietis foret. Vnde proximus dies ad exactam rationem in scriptura deducitur, veluti cum de Iona propheta loquitur, quòd in ventre Cœti tribus diebus mansurus foret, Christus tamen in monumento particeps tertiæ tantum diei mansit. Verum & alia ratio longe clarior est, nam antiqui æquinoctium non in vigesimasecunda die, sed vigesimaquinta Martij celebrabant: quoniam antiquorum æquinoctium ex Hipparchi ratione sumptum fuerat qui cum anterior esset Christo annis 156. æquinoctium vernum, vt etiam ex tabula patet, vigesimaquinta Martij constituit. Vnde Plinius lib.18.capite à vigesimoquinto ad trigesimumquartum, & Paulus Medicus libro 1.cap.100.ex Diocle, die vigesimaquinta Martij vernum æquinoctium, & vigesimaquinta Decembris brumam, quam solstitium nostri hyemale vocant, statuêre. Hanc enim Hipparchi sententiam & Archimedes secuti sunt, cum ratio Cæsaris exacta putaretur, nec diligentiore emendatione vti possent. Vnde cum Christus æquinoctij verni die conceptus sit, & bruma natus, maiorem fidem prophetiæ tribuit: non obscure enim de æquinoctio, quod plurimos latere potuisset, Propheta locutus est, sed de æquinoctij die, qui omnibus, vt nunc festum natalis, notus erat.

CAPVT VI.

Cur Ptolemæus non existimauit absidem Solis moueri.

CAusæ suppositionum ecentricitatis deferentium Planetarum tres sunt. Vna quidem, quoniam planeta modò altior videtur, modò humilior: hoc autem non tantum ex ipsa corporis magnitudine, verum ex eclipsibus in luminaribus deprehenditur. Altera, quoniam in superiore parte tardius mouetur planeta, in inferiore velocius. Tertia, quoniam in his, qui in epiciclo constituuntur, maximam æquationem augeri necesse est, cum epiciclus maximè terræ propinquior fit: minui autem eo magis, quo etiam magis elongatur ab ipsa. Hæc igitur cum ita sint, necesse est paruam motus absidis differentiam duabus causis primis latere: nam quæ ad eclipses solares colligitur variatio, nullo modo ob titubationem eclipsis & magnitudinem luminis deprehendi potest. In lunaribus autem vmbræ magnitudo, in gradib.5.ab abside, aut parum, aut nihil variatur. Vnde ex hac causa in Sole motus absidis minime probari potest, at nec ex motu, siquidem certitudo loci Solis ex instrumentis non potest admodum esse præcisa. Motus autem absidis Solis per partes tantum quinque nullam potest parere differentiam sensibilem aspectui nostro: nec in Sole epiciclus vltra ecentricum poni debet, vnde nulla maximæ æquationis differentia accidere potest. Manifestum est igitur, cum Ptolemæus obseruationes Solis annorum 500. tantum habuerit, non potuisse ipsum demonstrare absidem Solis moueri: at non decuit virum tam egregium in Mathematicis ea supponere, quæ nec demonstrari poterant, nec aliqua sensus euidentia confirmari. In reliquis autem Planetis, tum quia maior præcisio motus eorum haberi poterat, per suppositionem ad Solem, cuius & stellæ distantia quidem exactissime nota erat, & si radix (ita enim vocant suppositum ab initio locum quendam) minus exquisita haberetur: tum quia elongationis diuersitas, quæ ad minimam quamcunque ab abside differentiam fit, latere non potest. His igitur causis, motum absidis in reliquis planetis Ptolemæus non tantum inuenit, verum & demonstrauit: in Sole autem neque inuenire, nedum demonstrare potuit. Alphonsus vero suppositas ab initio Ptolemæi radices absidum videns, quales hic.

Secundum Ptolemæum.			*Secundum Alphonsum.*			*Differentia.*		
Absis Saturni, Scorpij.	14	10	Scorpij.	17	54	3	44	ma.
Absis Iouis, Virginis.	2	9	Leonis.	28	7	4	2	mi.
Absis Martis, Cancri.	16	40	Cancri.	19	43	3	3	ma.
Absis Solis, Geminorum	5	30	Gemini.	5	56	0	26	ma.
Absis Veneris, Tauri.	16	10	Gemini.	5	56	19	46	ma.
Absis Mercurij, Libræ.	1	10	Libræ.	5	10	4	0	ma.

describuntur, in tempore Nabuchodonosoris, suas exactius computatas volens ad idem referre principium, ex supposita Ptolemæi ratione & euidentibus naturalibus axiomatibus, eundem motum, quem & fixis stellis statuerat, absidibus tribuit. Inuenit autem

centro

centro epicicli Veneris iuxta extremam sagittarij partem existente, maiorem accidere quam Ptolemæus posuisset, elongationem maximam partium quidem 47. mi. 32. vnde alio loco Veneris absidem etiam transferre coactus est, iuxta quod punctum, ex supposito Solis motu, licet non præcisè, cum Solis absidem esse cognosceret. Propterea, quod neque præcisionem exactam assequi omnino poterat, nec à verisimili ratione alienum videbatur Veneris, quæ multum cum Sole conuenit motu medio, cum differentem locum sensibiliter in abside non haberet, eundem statuere, iuxta quandam coniecturam probabilem, absidis Solis locum iuxta postremam geminorum partem transtulit vt eadem cum illa Veneris esset, nec minus Ptolemæi supposito coadiuuante, qui cum Nabuchodonosoris tempore Solis absidem ad 5. geminorum partem collocauerit, fueritque Nabuchonosor Alphonso prior annis 1998. diebusque 96. quo in tempore octauæ motu ad locum absidis Veneris, Solis absis transfertur. Vtroque igitur modo, tum ratione, tum experimento, & Solis absidem mobilem posuit, & eandem ad absidem Veneris traduxit: & in 1119. annis, dieb. 249. quibus posterior prima obseruatione Ptolemæi Alphonsi radix fuit, motum absidis fermè 23. partium coactus est ponere, nec tamen cuiquam repugnans rationi, cum Ptolemæi suppositum, per quod immobilis Solis absis derelinquebatur, experientia fuisset reprobatum.

CAPVT VII.

De causa erroris Ptolemæi in motu Lunæ.

INitium igitur faciamus à Solis motu, qui secundum suppositas iam demonstrationes velocior ab Alphonso supponitur diebus singulis ter. 2. qua. 24. qui. 6. sec. 42. quàm à Ptolemæo: vnde cum ad posteriora tempora Alphonsus etiam radices firmare voluisset, singulis 4. annis mi. 1. secundaque 45. vt in posteriore tempore addere, ita in præterito adimere cogebatur: tantus enim erat his annis Solis progressus, vltra perfectos circulos: verum à Ptolemæo transgressus hic secun. 47. tantum ponitur. Superabat igitur Alphonsi motus eum, qui à Ptolemæo positus fuerat in annis quatuor, minutiis secundis 58. at vero in annis 878. quibus Nabuchodonosor Ptolemæum antecessit, quadruplicati anni sunt 219. cum dimidio, qui ducti in secun. 58. producunt min. 212. secun. 21. Partes igitur. 3. mi. sec. 21. quibus ablatis ex Prolomæi radice, in qua Sol ponebatur in mi. 45. primæ partis piscium, terminabatur Alphonsi radix solaris in parte. 27. mi. 13. aquarij. Verum posuit in parte. 27. mi. 48. aquarij, quod ex errore factum est, ut. 35. minutiis discrepet: aut forsitan, qui librum transcripsit, mendam hanc adiecit. Non enim rarò aut bibliopolarum uitio, aut non intelligentium temeritate, multa adijciuntur adimunturue, quæ præter autoris sententiam fuere: quemadmodum in Alphonso accidit. Cum enim stellarum loca uerificata instrumentis ædidisset, annis post Christum. 1251. diebus. 152. quo tempore Alphonsi Era, (sic enim initium cuiuscunque regni appellauit) constituebatur, quidam perperam motum octauæ sphæræ adiecit, partium. 17. mi. 13. sec. 33. quasi ille motus loco fixarum Ptolemæi foret adiiciendus, cum tamen Ptolemæus Christo iam sit posterior annis. 142. Quare non tantus fixis stellis motus debebatur, sed minor partibus 2. mi. 1. sec. 32. Vnde impossibile fuisset, aut radicem Ptolemei suppositam ab Alphonso, aut stellas ad descripta loca peruenisse. Cum igitur Alphonsus temporum suorum loca describere vellet, non ex assumpta radice Ptolemæi, quoniam verificare impossibile fuit, sed ex instrumentis loca stellarum accepit, præcedẽtibus autẽ temporibus (etsi ex data suppositione stellas fixas aliis locis consistere necessarium foret, quàm à Ptolemæo positæ fuissent) nihil minus Alphonso id curæ non debuit esse, quandoquidem non hominem clarum arguere propositum erat, verum veritatem inquirere: quòd si quis eum reprehendere conetur, quod non secundum temporis differentiam, inter suas Ptolemæique obseruationes motum octauæ statuerit, Alphonsus diceret non exactam fuisse fixarum stellarum obseruationem: quoniam neque motu, qui nondum exquisitè inuentus fuerat, nec instrumentis, quæ minus exacta erant, apud Ptolemæum (vt Hebber Hispanus testatur) locus illarum tunc deprehendi poterat, verum longa obseruatione didicisse motum fixarum duplici illa ratione contineri, quæ prius in tabulis fuerat descripta, quod etiam ex nostris obseruationibus demonstratur. Siquidem constat iis nunc locis stellas videri, ad quæ ex tabularum supputatione peruenissent. Quod vix fieri potuit, nisi radix illa verificationis supponeretur, tabulæque ipsæ veritatem continerent. Nam si duabus partibus fuissent posteriores, non potuisset fieri, vt in. 1400. annis, quibus nos Ptolemæo sumus posteriores, stellæ per. 21. partes processissent.

Simili fermè causa, in codicibus variis Ptolemæi perperam regnorum differentiæ adiectæ sunt. Nam inter Philippum & Alexandrum anni. 12. menses. 6. dies. 9. numerantur: cum ex Alphonso sint anni. 11. menses. 10. dies. 27. ad rationem Aegyptiorum. Sic & à Nabuchodonosor ad Alexandri mortem, anni. 436. numerantur ex opinione Alphonsi: cum tamen manifestum sit eos tantum à Ptolemæo positos 424. ita vt annum eundem, quem Ptolemæus morti Alexandri ascripserat, decepti rudes correctores in melius emendare existimantes, Philippi neci attribuêre, Alphonsum aliam opinionem tenentem sequuti. Ioannes autem Lucidus existimat Alphonsum fuisse Albategni opinionem secutum, qui Alexandri mortem 12. annis posteriorem fecit quàm Ptolemæus: sed nec ipse videtur quæsito satisfacere, cum 324. annum ante Christum, quo

Alexander mortuus fuit, secundum Ptolemæum nonum annum regni Alexandri faciat, ita vt tribus etiam annis mortem Alexandri dilatet, totidem etiam annis vniuersam temporum seriem posteriorem faciat.

Nunc igitur tandem ad constitutam rationem accedamus, in qua supponendnm est, quòd quarto magnæ compositionis capitulo septimo à Ptolomæo scribitur, tres lunares eclipses in annos septemdecim Adriani obseruatas, posteriores fuisse primo anno Mardocempadi regis Babyloniorum, annis Ægyptiis 854. At superius demonstratum erat, Nabuchodonosorem antecessisse decimum septimum Adriani annum 879. Ægyptiis annis. Vnde colligitur initium regni Mardocempadi fuisse anno 26. à regno Nabuchodonosoris: totidem autem annis cum Mardocempadus posterior sit Dario rege Persarum, manifestum erit eodem anno Nabuchodonosorem in Babylonia, & Darium in Perside regnare cœpisse, nisi vnus atque idem Nabuchodonosor & Darius fuisse credatur. Sit igitur æqualis motus Lunæ Ptolemæi, ex hac temporum differentia cognitus, in die par. 13. mi. 10. sec. 34. tert. 58. quar. 33. quin. 30. At Alphonsus diligentius inquirens, inuenit motum in die par. 13. minut. 10. secun. 35. ter. 1. quar. 15. quin. 11. Ex quibus in Ægyptij anni quantitate, qui 365. diebus constat, motus à Ptolemæo quidem supponebatur par. 129. mi. 22. secun. 46. ter. 13. quar. 50. qnin. 32. ab Alphonso autem inuentus par. 129. mi. 23. sec. 2. ter. 37. quar. 22. quin. 22. Fuit autem inter Alphonsum & Nabuchodonosorem spacium Ægyptiorum annorum 1999. dierumque 230. vnde & motus à Ptolomæo colligeretur vltra exactas circulationes (sic enim semper intelligitur) par. 300. mi. 12. secun. 20. fermè: ab Alphonso autem p. 309. mi. 18. secun. 38. fermè. Quamobrem motus differentia partes habuit 9. minu. 6. secun. 18. quibus Alphonsi motus velocior ponitur quàm existimauit Ptolemæus. Verum hac supputatione facta Alphonsi tempore, supposita radice Ptolemæi in tempore Nabuchodonosoris, in par. 11. min. 22. tauri, perueniebat Luna ad 20. partes, minutaque 40. piscium: additis enim partibus 309. minutis 18. ad radicem Ptolemæi, cadit locus Lunæ æqualis siue medius, ad locum iam dictum. Inuentus autem ab Alphonso tunc in partibus 6. minutis 5. piscium, tantum occasionem dedit, vt motum Lunæ eam differentiam implere non posse cognosceret: quippe qui tantum nouem partium (vt dictum est) fuit, & sex minutorum. Hæc autem differentia fuerat partium 14. mi. 35. propterea coactus videtur fuisse, per easdem partes 14. mi. 35. radicem Ptolemæi retrahere, quo fit, vt cum detraxeris partes 14. mi. 35. ex partibus 11. mi. 22. tauri, quo in loco Lunæ motus æqualis existimabatur, remansit locus ipsius in partibus 26. mi. 47. præcise ipsius arietis. Quamobrem & eo loco, Nabuchodonosoris tempore, Lunæ radix ab Alphonso est constituta: nam locum ipsum ex instrumento Alphonsus collegit, motum ex tempore, quod inter deliquia Ptolemæi & Alphonsi fluxerat, tanquam emendatiora accepit. Quæ cum à prædecessoribus Ptolemæus habere non potuerit ea diligentia, non mirum est si Lunæ motum tardiorem quàm debebat, in anno 16. secun. & 24. fermè tertiis descripserit: quæ particula, etsi parua sit, in 2000. tamen annis, quibus quasi Alphonsus radice Nabuchodonosoris posterior fuit, partes (vt dictum est) nouem implet. Porrò non tantus error ex Ptolemæi tabula accessisset: nam ad partes 11. mi. 34. piscium, tantum locus Lunæ procedit, quamobrem Alphonsi loco partibus tantum 5. minutiis 29. posterior est. Motum igitur velociorem partibus 9. minu. 6. Alphonsus videns, locum autem anteriorem quàm secundum Ptolemæum, inueniens par. 5. mi. 29. fermè, cum posterior ob motus velocitatem debuisset esse eo, qui à tabulis Ptolemæi supputabatur, coactus est, iunctis vtrisque differentiis, & motum velociorem partibus 9. mi. 6. tantum, & locorum differentiam part. 14. mi. 35. his quæ à Ptolemæo posita erant posteriorem constituere. Cur verò differemtia illa par. 5. minu. 29. vltra motum acciderit, inferius exponam, nam quandam erroris Alphonsi falsam imaginem præferre posset.

CAPVT VIII.

De causa erroris motus Saturni, & Martis.

ERit autem denuò repetenda ratio inuentionis motuum cœlestium, ac verificationis eorum. Principium enim omnium simplicissimum esse conuenit. Motus vero Solis simplicissimus est, vnde ab ipso reliquarum omnium stellarum cursus habebitur. Emendari autem Solis motus à seipso per instrumenta & debet & potest: aliorum autem ad Solem tanta est conuenientia, vt neque ab eo temere digredi, nec sine illo cognosci possunt.

Triplex autem Planetarum ad Solem obseruatio habebitur. Prima, quoniam vbi ecliptica sit, vbi æquinoctij orbem secet, quantum ab eo maxime recedat, vbi arietis ac signorum principium exoriatur, à Sole tantum captari potest: porrò hæc omnia videntur ad omnium stellarum longitudines, latitudines, ortus, circuitusque habendos necessaria. Relinquitur igitur, vniuersorum astrorum lationes ac situs ex Solis ratione exactissima constare.

Altera autem planetarum superiorum ad Solis motus necessitas ex hoc probatur: nam quantum planeta ab abside media sui parui orbis distiterit, tantum æqualis motus centri eiusdem parui orbis linea, ab æqualis motus Solis linea distat. Vnde fit, vt in medio planetæ cum Sole coitu, ipse planeta in media abside parui circuli sit: quapropter etiam, vt velocissime tunc feratur necesse est. Cum autem in Solis opposito, media parui orbis linea fuerit, tunc & in eiusdem parui orbis imo planetæ corpus situabitur: quare & tunc maxime

xime retrocedet, ac contra signorum ordinem mouebitur. Cum autem longitudines mediæ (sic enim appellant puncta, retrocessum & progressum planetæ in paruo orbe distinguentia) à media abside fermè 120. partibus distent vtrinque 60. autem ab imo, conuenit vt cum planeta à Sole per trinos radios distiterit, etiam in suo orbe paruo (epiciclum à græco nomine vocant) iuxta longitudines medias sit. Vnde cum genituram quampiam inspexerimus, non erit in superioribus planetis extemplo difficile sola loci Solis cõsideratione habita diiudicare, an Planeta directus sit, an retrocedens, auctus numero, motu vel lumine, vel diminutus, nam cum à planeta Sol recedit, ad trigonum directus est, à trigono autem fermè transiens per oppositionem retrocedit: rursus vsque ad Solis coitum directus est, cum autem maior est motus verus medio, Hoc verò plerunque est à coniunctione Solis, cum Planeta ad oppositionem fertur, tunc auctus motu planeta dicitur, quanquam retrocedens: ab oppositione autem ad coniunctionem, diminutus, quanquam directus. Aucti autem numero dicuntur, quoties argumenti æquatio æquali motu addenda fuerit. Hoc vero contingit centro parui circuli, ab opposita abside eccentrici ad absidem progredienti. Porrò ab abside ad oppositum si processerit, diminutus numero planeta est, quoniam æquatio minuitur. Cum autem Sol à superioribus distiterit partibus minus 180. tunc lumine aucti dicuntur, recedit enim Sol ab eis: si autem plus 180. partibus distat, quoniam accedit, diminuti lumine vocantur. Eccentricus igitur numerum, paruus orbis lumen, vterque autem motus augmentum aut diminutionem ostendit.

Tertia autem ratio sic constat, quæ in nono magnæ compositionis cap. 3. descripta est: quot reuolutiones facit planeta in eccentrico atque epiciclo, tot per se Sol facit in eccentrico. Exemplum igitur assumamus, Saturnus in annis 59. die vno, horisque 18. ex Ptolemæi ratione 57. reuolutiones in paruo circulo, at in proprio orbe duas perficit, tantumque plus quantum Sol ipse in 59. annis perambulat, in die vna horisque 18. superadditis: quamobrem 59. reuolutiones perficiet, portiunculamque vterque pro die horisque superadditis, vnde cum æqualiter moueantur, tantam ex vtroque motu portionem à planeta eodem tempore pertransiri necesse est, quantum ab ipso Sole. Sic & in Ioue, cum in annis 71. diebus autem 4. ho. 21. min. 36. minus, 71. reuolutiones minus ea parte perficiantur, necesse erit 65. in paruo circulo, 6. autem in eccentrico perfici, detracta tamen parte quæ diebus 4. horisque 21. min. 36. correspondet. Similiter & in Marte, in annis 79. diebus 3. horis 5. minut. 12. in quibus epiciclus 37. reuolutiones perficit, eccentricus 42. vicibus reuoluitur, parte ea superaddita, quam Sol in diebus 3. horis 5. minutis 12. pertransibit: est autem partium 3. minu. 10. erit motus Solis quasi ex vtraque reuolutione Planetæ compositus. Supponuntur autem Saturni & Martis radices motuum, quales hic describuntur, tum eccentrici, tum epicicli: priores quidem medij, posteriores inæqualitatis appellatæ.

	Secundum Ptolemeum.			*Secundum Alphonsum.*			*Differentia.*		
Saturni me.mo.	26	46	Cap.	26	38	Cap.	0	8	mi.
Inæqualitatis.	34	2		31	10		2	52	mi.
Martis me. mo.	3	32	Ari.	3	2	Ari.	0	30	mi.
Inæqualitatis.	327	13		327	45		0	32	ma.

Saturni medius motus in anno Aegyptio à Ptolemæo ponitur par. 12. min. 13. secun. 23. ter. 56. quar. 30. quin. 30. ab Alphonso autem par. 12. mi. 13. secun. 34. ter. 42. quar. 30. quin. 28. Differentia igitur parte o. min. o. secun. 10. ter. 45. quar. 59. quin. 58. Martis æqualis motus in anno à Ptolemæo ponitur partium 191. minu. 16. secun. 54. ter. 27. quar. 38. quin. 35. sed & ab Alphonso sic par. 191. min. 17. secun. 5. ter. 13. quar. 50. quin. o. differentia igitur erit in anno par. o. mi. o. sec. 10. ter. 46. quar. 11. quin. 25. Velocior igitur in vtroque Alphonsus, ac pariter ferè: nam vtraque superatio vix in anno secund. 10. ter. 46. implet. Per differentiam igitur motus Solis, aucta est velocitas tam in Saturno quàm in Marte ab Alphonso, secun. 10. ter. 46. annis singulis: quamobrem ter. 646. Cum igitur diuiserimus tertias 216000. vnius partis per 646. exibunt 334. & ferè tertia pars: qui numerus annorum est, quibus Saturnus aut Mars velocius procedit parte vna, secundum Alphonsi suppositionem, quàm existimauerit Ptolemæus, cuius causam in Solis motu aliquis non perperam forsitan assignabit. Verum ad hoc ostendendum, primo supponemus duas vltimas Planetarum superiorum ad Solem habitudines, re ipsa vnam tantum esse, atque motum Solis, qui ab æquali planeta inæqualique componitur, diuersitatem in motu æquali necessariò parere: necnon diuersitas in retrogradatione Martis Heber Hispani erit explicanda. Similiter & obseruatio coniunctionis Martis & Saturni, in anno 1538. quamuis ob tempus nubilosum exacte haberi non potuerit: fiebat enim ante caudam leonis, quæ stella cum Veneriæ Saturninæque sit virtutis, multas noctes parit nebulosas & tempora turbida.

Primum igitur accipiamus, quod ex secunda suppositione patet, Planetam tantum ab abside media epicicli moueri, quantum medij motus Solis linea, à linea medij motus Planetæ elongatur. Necessarium igitur erit, vt cum Planeta ad absidem parui circuli reuertetur, quòd medij motus Solis linea totum peregerit circulum, atque vltra id, quantum Planeta suo proprio motu in ecentrico pertransiuit. Si igitur in 57. reuolutionibus, exempli

exempli causa, Saturni planeta ipse ad eundem reuertatur punctum, erit vt Sol 57. reuolutiones peregerit, atque id vltrà, quantum planeta in ecentrico perambulauit: & fuit portio hæc à Ptolemæo constituta, circulatio nes duæ, pars una, minu. 45. Igitur constat Solem 59. reuolutiones peregisse, partemque unam, min. 45. Constat igitur secundam & tertiam Solis cum Planeta concordiam reuera unam tantum esse.

Ex hac patet duas consurgere proportiones. Alteram motuum æqualium ad Solis motum, nam quanto Sol uelocius mouebitur, eo magis erit necessarium motum æqualem augeri: nam epicicli motus per hoc non alteratur, nisi quòd uelocior in reuolutione sit, Alia erit, inter æqualem inæqualemque motum, qui ex utroque termino uariabitur. Supposuit autem Ptolemæus inæqualitatis motum in anno Saturni quidem par. 347. min. 32. secun. 0. ter. 48. quar. 50. quin. 38. Martis autem part. 168. minu. 28. secun. 30. ter. 17. quar. 42. quin. 32. Reuolutionem vero Saturni in anno 1. diebus 13. ho. 2. min. 14. Reuolutionem autem Martis, in annis 2. diebus 49. horis 22. minu. 31. Alphonsus autem motum in anno inæqualitatis Saturni, par. 347. mi. 32. secun. 4. ter. 29. quar. 31. Mar- vero, par. 168. minu. 28. secun. 34. ter. 8. quar. 11. Reuolutionem autem in paruo circulo Saturni quidem in anno 1. diebus. 13. horis 2. minutis 12. Martis autem reuolutionem in annis 2. diebus 49. horis 22. minutis 23. Ioannes etiam Blanchinus inæqualitatem Saturni compleri existimat in anno uno, diebus. 13. horis 2. minutis 12. Martis autem in annis 2. diebus 49. horis 22. minutis 23. Ex quibus manifestum est, posse, quo ad medios inæqualitatis motus, procedere differentiam in tempore reuolutionis: nam si in omnibus 59 Solis reuolutionibus, cum aliqua parte superaddita Saturnus 57. perficit reuolutiones Igitur aucta illa temporis parte, tardior motus epicicli fiet, diminutâ uelocior. Verum si ita sit, non erit impossibile ex unius aut duorum dierum differentia tantam aggregari quantitatem per plures reuolutiones, partes quibus Saturnus anterior est supert.

Est igitur Saturni differentia, sec. 10. ter. 45, quar. 59. quin. 58. Martis, secun. 10. ter. 46. quar. 11. quin. 25. quibus in anno uelocius reuoluitur planeta apud Alphonsum, quàm decreuerit Ptolemæus. Porrò Alphonsi annus breuior est anno Ptolemæi. mi. 5. secun. 56. ter. 2. quar. 12. fermè unius horæ: in quo tempore, licet ex motu medio Saturnus tantum perficiat ter. 29. quar. 59. quin. 46. sex. 45. nhil minus, quòd Sol in eo tempore perambulauerat secun. 14. ter. 43. quar. 28. quin. 46. sex. 50. reuersionem Saturni in epiciclo uelociorem statuebat. Mars autem eodem tempore pertransierat secun. 7. ter. 49. quar. 18. quin. 10. sex. 6. quare nec ipse sec. 10. ter. 46. attigit. Conuenit igitur, vt tum ex obseruationibus, tum ex Solis motu uelocior statuatur motus Saturni & Martis apud Alphonsum, quàm à Ptolemæo fuerit constitutus: nam vltra Solis differentiam, singulis annis Alphonsus celerioem motum Saturni constituit sec. 10. ter. 16. quar. 0. quin. 11. Martis vero sec. 2. ter. 56. quar. 53. quin. 15. Ob hoc igitur minor in motu Martis, quàm Saturni inuentus est.

Est & in Marte erroris alia causa, cum epicicli centro in abside existente, retrogradationis dies numerentur 80. in mediis longitudinibus 73. in ima ecentrici parte 64. $\frac{1}{2}$. vt duoedcimo magnæ compositionis cap. 8. scripsit Ptolemæus. At Heber lib. 8. capite penultimo inuenit demonstrationem, super quam Ptolemæus fundatur supponere epicicli centrum tanquam immobile: nam duplato arcu inter longitudinem propiorem visibilem, & punctum qui ab eo vocatur noctis extremitas, tempus retrogradationis venatur, at euoluto ecentrico puncta illa variari necesse est. Necessario igitur minor portio arcus retrogradationis in Marte euadet, atque id 9 dierum in vtraque parte spacio minuit. Vnde sicut Saturnus anterior, & in paucioribus gradibus inuenitur, quàm ponatur in tabulis: ita Mars posterior, atque in pluribus nulla facta in medio motu variatione apparebit.

Hæc quanquam ita sint, ex directionibus tum in genitura nostra pro morbis proque patris morte, tum in congressibus cum Sole pro temporum mutationibus, tum etiam in genituris pro aspectuum & stellarum significatis apparea Saturnum parum vel nihil saltem quandoque distare à loco, qui in Ephemeride ei ascribitur.

CAPVT. IX.

De emendatione motus Lunæ.

EST autem emendatio motus Lunæ facilior, quàm vt existimari possit: nam cum motui, qui ab Alphonso positus est, tantum addiderimus, quãtum est id in quo Solis motus noster, Alphonsi motu velocior est, constituemus Lunæ motum emendatum in die ac anno, non enim singulis reuolutionibus, sed ex tempore adiicietur. Porrò pars addenda, quoniam superatio Solaris motus superius descripta est, neminem latere debet. Hoc autem licet nunc sit insensibile, in annis pluribus ad stellas habita ratione aperte dignoscetur. Cum autem stellas dicimus. 1022. tantum quæ in orbe continentur intelligimus quoniam de earum motu iam sermo plenior ab Alphonso habetur. Nec enim ignorandum est, plurimas alias cœlo vix visibiles contineri, quæ vltra prædictas 1022, infinitam fermè multitudinem complent, siue hæ octauo orbe contineantur, siue (vt quidam Aegyptij iactant (nono infixæ sint: difficile enim est in nostra regione coniectari. Plures tamen certum est, & ex his euidentiores inter minimas tamen adnumeratas, etiam in ipso octauo orbe sitas esse: inter quas una media triũ currus superius descripti, propinquissime adiacet. Non enim animaduersum est, à cæteris plane apparentibus, situm permutare verum altiores aliquæ aliquæ minores cæteris sunt, siquidem & inter magnas vnam alia altiorẽ esse constat, cum tamen in eodem

orbe

orbe sint: vnde & quæ altiores sunt, frequentius titubant, veluti minor canis, vt in libro de Supplem. plenius disseruimus.

CAPVT X.

De emendatione motus Saturni & Martis.

VTinam nobis ex superis aliquis reuelaret exactam motuum cœlestium vicissitudinem: at postquam id fieri minime contingit, tentabimus per proximiores accedere coniecturas. Quòd si ex antiquis ptolemæus scopum attingere visus fuerit, frustrà ab eo digrediemur. Nam cum in anni initio 1539. quòd obseruatio nostra antecessit.ter.29.secun.4. pri. 35. à radice Alphonsi computentur: quibus anni respondent Ægyptij 286.diesque 285. Ex quo fit, vt secundum Alphonsi institutum, Saturnus peragrauerit circulum nouies, atque insuper signa 4.partes 26.min.16.secun.14.ter.16.quar. 8.Mars vero vltra exactos circuitus, signa 2. partes 16.min.48.secun. 29.ter.38. At in eodem tempore Ptolemæus Saturni motum statuat, signa 4. par. 25 minut. 24. secun. 46. ter. 35. quar. 55. Martis autem 2. signa. 15. partes 57. minuti. 1. secun. 1. tert. 47. quar. Erit vt pro Saturno nobis sufficiat motum Ptolemæi accepisse, quoniam signa 4.partes 26.mi.16.sec. 14.ter. 16.quar. 8.excedunt signa 4.partes 25.min.24.sec.46.ter.35. quar. 55. in par. 0. minutiis 51. secun. 27. tert. 40. quar. 13.

Porrò in Marte, quoniam differentia Alphonsi à Ptolemæo videtur, par.0.mi.51. secun.28.atque eadem secundum signorum successionem. Idcirco cum eadem superatio sit in apparitionibus fermè, non proderunt Ptolemæi tabulæ, sed abbreuiandus erit retrocessus: utpote statuemus dies 9.antè.ex prioribus progressionis, totidem etiam auferemus ex posterioribus. Vnde ex hac computatione fiet secundum successionem signorum, auctus à Ptolemæi loco quidem par.1. mi.40.ab Alphonso autem par. 0. min. 50. fermè, ficut consentaneum est apparitionibus. Porrò cum processerit, minor est distantia visibilis loci ab eo, qui in tabulis computatur: minima vero in antecessione retrocessus, cum ad Solis oppositum se accingit. Quamobrem certius existimandum est, non ex æquali motu, sed ex inæqualitatis differentiam ipsam oriri.

CAPVT XI.

De modo dirigendi Paridis Cæresarij conuenientiore.

OBseruauimus & in pluribus, ob dirigendi variam formam, pleraque secus in temporibus, quàm forent prædicta obtigisse: nec tamen ex hoc sperandum est, futurorum omnium scientiam definiri. Pleraque enim sunt, quæ & si artem minime lædant, artifices tamen egregie fallunt. E quibus, vsque ad tempora nostra, fuit stellarum fixarum inscitia: sed & multa sunt generalia, quæ percipere non possumus, bella, inundationes, pestes, incendia, penuriæ, legum mutationes, principum casus naturaue. Illud vero maximum est, quòd ea quæ nos tanquam minima negligimus, maximas habent causas, exortusque: contrà, quæ maxima à nobis videntur, nec vestigium cœleste nanciscuntur. Ob hæc igitur animi & corporis ornamenta, exigua quidem apud homines, egregia autem & maxima à conditore facta sunt, & potentissimis causis subiacent. Honores autem, diuitiæ, ac quodcunque labile est, & vna hora abduci potest, hominibus quidem non paruam pariunt admirationem: verum causas vix vllas habent cœlestes nisi maxima hæc sint & incomparabilia. Quamobrem si de euentibus fortunæ quis iudicauerit ex genitura tantum, non secus ex interrogatione pronunciabit: si vero de genitura, animi & corporis qualitates, nec non eorum passiones pronunciauerit, aut ex reuolutionibus fortunam & gloriam, hic rectus erit iudex, modò tamen existimet in his, quæ generalia sunt, nullum firmum iudicium posse proferre. Vtinam aut mortales non ampliora exigerent, quàm præstari queat, aut Astrologi non maiora pro viribus pollicerentur. Sed importuna flagitatio vtrumque fallit, illum credendo, hunc audendo. Sed quid putat miser homuncio, quatuor millium aureorum, quos infinitis laboribus dolisque congessit, aut gloriæ miseræ, quæ vtrique pœna magis quàm gloria est, illi conscientia sceleratæ vitæ, alteri ob inuidiam, cœlum repletum esse prodigiis, cœlestes principatus non aliud cogitare, quàm quòd huic aut illi per nefariam vitam disperdendæ diuitiæ tanquam in cloacam effundantur? Solus animus cœlestis, atque huic corpus affinitate eximia iunctum est: tertia accedit, gloria bene actæ vitæ. Hæc tria à cœlo fouentur aut ministrantur: sordes & labes è terrenis emergunt. Quot fuère Athenis prædiuites, ob neminem tamen præter Socratem pauperem, iniusta morte publicè mulctatum pestis inuasit? Innumera essent exempla, quibus probari posset, animi dignitatem præcipuam Deo, maximam Angelis, solam dæmonibus supernisque potestatibus fuisse perspectam.

Cum igitur significatorem aliquem eligere vis, eum accipito, qui loci illius significantis partes anteriores corpore, vel radio occupet. Quòd si duo sint, potiorem elige, alium ne recusa: si nullus, non erit hic in illa conditione potens, sed magna ex parte etiam in necessario negotio vacabit. Porrò si infirmus significator extiterit, tristis erit illius conditio: quòd si ad alienum signum radij anteriores ceciderint, non prohibebit. Nam illud obseruare oportebit, super quem locum aut radium primo significator ceciderit motu diurno: nam & aliqui Lunam, quod post genituram ingressa fuerit, signum obseruant, hoc tamen minimè conuenit, siquidem diuersa ratio est.

In diuidendis autemdomibus, meliorem æddit omnibus ailis obseruatoinem, eclipticam per æqualia secans, deductis ex eius polo circulis: par enim erat diuisionem circuli rectam fore, & per polos eosdem esse. Nec domorum diuisio particularis esse poterat: nam quemcunque ex tribus aliis modis amplexus fueris, non habebis in seruitutem vniuersis, & qu in gelida & qui feruida habitant regione. Quapropter cum cogeremur aliquem punctum in summa fortitudine existentem supponere, hic autem supra verticem necessario erat, visum est, vt punctus ille seorsum, quasi cœli cor poneretur, atque à diuerso contrarius sub terra: alia enim est ratio fortitudinis, alia significati.

Post hæc autem directiones constituit, promissorum quidem ad significatores in ascendente medietate: in corde quidem cœli, & imo, per rectum circulum: in ortu, per ascensiones regionis: medias autem in interpositis locis. In descendente vero parte vtriusque considerauit directionem, quemadmodum & Ptolemæus: verum quòd plus obseruauit, inductio fuerat posterioris loci qui propinquior cordi cœli esset ad antecedentem, in successione signorum secundum loci præcedentis descensiones, loci oppositi ascensionibus coæquales. In his autem & stellas considerauit, & planetarum radios dextros ac sinistros. Vnde contingit, quod & à nobis iamdiu fuit inuentum, radios Planetarum dirigi, atque directo loco occurrere, maxime autem in occidentali parte.

In abscisionibus autem statuendis, non paruam directioni fidem tribuit: nobis autem visum est, sæpe etiam solam sufficere anni restitutionem, quando non sponte, sed quasi violenter homo moritur. Sæpe numero enim directionis annus incolumis est, reuersionis perniciosus, & è contra, verum si ambo inciderint, non euadet. Summam autem pluribus ingeniis adhibuit diligentiam, ad firmandum geniture tempus: frustrà enim quæritur, Quando quod futurum an sit nescitur.

In particularibus autem Firmico indulget, ob bonorum authorum inopiam: verum tantum ille abest à veritate, quantum ab errore Ptolemæus.

In dignoscendis particularibus anni temporibus, multi multa varie ac dubie commenti sunt: verum & hic nixus est eandem formam seruare, vt ad exquisitam diem per directiones perueniret, attamen nobis videtur illud ambiguum atque perplexum. Quapropter si ab ingressu Solis in punctum significatoris dies computauerimus, aut etiam significatoris alicuius, quotcunque fuerint ab eo ad primos radios eiusdem, aut condominantis in angulo genituræ partes, tot illos esse necesse est. Occultat autem promissa loci sub terra positio, & genituræ tempore, & ingressus, & hora coniunctionis aut oppositionis, quæ ingressum proxime præcedit: quòd si non in angulis fuerint differetur, quòd si significatores in angulis fuerint, Sol autem ceciderit cum anareta, aut significatore loco, non perficietur promissum, aut tarde, succedentibus reuersionibus aut nouiluniis, quibus in angulis anareta locus in aspectu sit luminarium: nam & Luna, cum fortis fuerit, in particularibus temporibus vices Solis obibit.

Infirmæ etiam geniiuræ per angulares reuersiones fortioribus æquiparantur, cum in illarum annuo reditu luminaria & significatores ab angulis remouentur.

CAPVT XII.

De præcognitione qualitatum aëris.

Planetis septem accidunt: Locus, motus, absis, comparatio ad Solem, latitudo, fixæ, & situs.

De loco, & latitudine.

Saturnus in ariete, significat aëris corruptionem, si sit borealis: si australis, frigoris magnitudinem. In tauro borealis præter stellas, siccitatem & tranquillitatem aëris: australis, corruptionem aëris. In geminis borealis, terræ motus facit & ventos: australis, corrumpit aërem, & calefacit ad tempus. In cancro borealis, auget aquas & pluuias: idem etiam australis, sed cum calore aëris. In leone calorem cum siccitate vrente, si borealis fuerit: si australis, dabit tempestates. In virgine borealis, aërem cum ventis salubrem pollicetur: australis exiccabit fontes. In libra siccitatem aëris & fontium si borealis, salubremque statum: australis, ventos suaues, & aëris bonam ostendit qualitatem. In scorpione pluuias multas, si borealis: australis, aquas, & aëris occultam quandam malitiam. In sagittario borealis niues facit & frigus: australis proximior est temperamento. In capricorno salubris est cum frigoris multitudine, si borealis extiterit: australis, multitudinem frigoris & aëris tenebrositatem. In aquario producit hyemem borealis, australis exiccat flumina. In piscibus seu borealis seu australis, multitudinem ventorum declarat, deterius etiam si australis.

Iupiter in ariete borealis, aërem serenat: australis, ventos. In tauro siccitatem firmam præter stellas, seu borealis seu australis: In geminis si borealis, ventos ciet salubres: australis, tonitrua & fulgura. In cancro borealis, auget aquas, tonitrua cum fulminibus australis tranquilliorem statum reddit. In leone borealis, tonitrua cum fulminibus: australis, siccitatem aëris. In virgine, pluuias multas aut ventos, si borealis: sed australis, pulchritudinem aëris. In libra, ventos multos & pluuias lenes borealis: australis pluuias copiosiores, & æstum. In scorpione borealis pluuias, & australis ventos & pluuias, non tamen multas. In sagittario paucitatem pluuiarum, & hyemem temperatam, vsque ad eius finem, in australi & boreali latitudine. In capricorno exiccat

exiccat aërem & repentinas facit mutationes, si borealis extiterit: australis, tranquiliorem reddit statum, minuitque hyemem. In aquario borealis obtenebrat aërem: australis, facit tonitrua, & aquas. In piscibus borealis, aërem humidum reddit: australis etiam aquas præstat, Atque vt Saturnus duobus annis cum dimidio diiudicat: sic Iupiter anno, & Mars duobus mensibus, & Sol, Venus, ac Mercurius vno mense, & Luna duobus diebus & quarta.

Mars igitur in ariete borealis, calorem auget ac siccitatem: australis dat tonitrua & fulgura. In tauro borealis, ventos & tempestates atroces: australis vero minus asperas. In geminis borealis dat multitudinem pluuiarum: australis, aquarum paucitatem. In cancro borealis, aquas multas è cœlo: australis, ventos & pluuias aliquas. In leone borealis & australis auget calorem & siccitatem, & facit fulgura & grandines. In virgine corrumpit aërem, & quæ nutriuntur ex terra, facitque ventos cum siccitate, seu borealis seu australis. In libra borealis obtenebrat aërem, australis obscurat & fulmina facit. In scorpione borealis è cœlo dat aquas, australis fulgura & siccitatem. In scorpione borealis è cœlo dat aquas, australis fulgura & siccitatem. In sagittario borealis minuit hyemem augetque calorem: australis perturbat ad vices ipsum. In capricorno borealis facit niues, & australis obtenebrat aërem. In aquario borealis, frigora & niues: australis, aërem turbulentum. In piscibus borealis bonitatem aëris significat: australis, pluuias paucas & lenes.

Sol in ariete, cancro, libra, & capricorno, manifeste tempora mutat: in tauro, leone, scorpione, & aquario retinet ea: in geminis, virgine, sagittario, & piscibus ambigua reddit.

Luna in cancro, scorpione & piscibus, & aquario imbres facit: in ariete, leone, & capricorno, siccitatem: in tauro & sagittario siccitatem cum repentinis mutationibus: in geminis & libra, ventos: in virgine, sæuas tempestates.

Venus in ariete borealis, siccitatem: australis, lenes pluuias. In tauro, calefacit & pluuias reddit, borealis: australis infrigidat, & pluuias auget. In geminis, ventorum & aëris salubritatem generat borealis, sed australis ventos vberiores præstat. In cancro scorpioneque auget aquas fontium & pluuias, australis vel borealis. In leone virgineque aërem temperat borealis, sed australis dat tonitrua & fulgura. In libra suauem reddit aërem, mitigatque malitiam Solis in eo signo existentis. In sagittario & capricorno, aërem humectat, minuitque niues, nisi Saturno copuletur corpore vel aspectu, tunc enim in niuibus fomentum subministrat. In aquario inducit ventos & pluuias. In piscibus, aërem serenat.

Mercurius in omni signo orientalis humectat, occidentalis exsiccat. Proprie in piscibus ventos & in geminis ciet, & in virgine ac libra aërem corrumpit.

De fixarum & planetarum congressu.

OMnis Planeta, planetæ vel fixæ congrediens simili in qualitatibus, aërem sub ea qualitate confirmat, dissimili autem mutat. Similes sunt, Sol, Iupiter, Mars, item Iupiter & Saturnus, item Luna & Venus, item Saturnus & Mercurius, item Sol & Mercurius, item Sol & Venus: dissimiles autem, Saturno Sol & Luna, Ioui Mercurius & Mars, Marti Venus & Luna, Soli Luna, Veneri Mercurius, Mercurio Luna. Cum igitur dissimiles sunt in actiuis, fiunt passiuis pluuiæ, & temporum varietates in calore & frigore: cum in passiuis, venti & aëris turbationes ac turbulentiæ: cum in vtroque tempestates. Exemplum, cum Luna corporaliter applicatur stellis de natura Mercurij, mouebit lenes ventos: & si de natura Martis, tonitrua.

De motu Planetarum.

PLanetæ veloces motu, calorem augent: stantes autem, si calidi, calorem faciunt grauem, frigidi frigus, humidi augent pluuias, sicci exiccant. Retrogradi omnes infrigidant, aut minus calefaciunt, præter Iouem, cum auctus fuerit lumine in opposito Solis existens.

De absidibus.

ABsidum mutationes ex Planetarum terminis ea faciunt quæ Planetæ. Velut absis Satutni in Saturni termino, siccitatem & frigiditatem auget, pestes, paucitatem frugum & animalium. Quanquam hoc magis ad absidem Solis pertineat: nam cum absis Solis fuerit in virgine, propter incommoda multa incipiet inhabitari pars australis, & borealis fiet inhabitabilis. Cum igitur mutatio est ex signo, maior sequetur aëris permutatio. Cum igitur Saturnus significet frigiditatem siccitatemque & tempora, Iupiter calorem humiditatemque, ventos ac aërem, & plantas omnes, Mars calorem cum siccitate, ignemque ac lapides. Sol calorem & temperamentum in humore, ac animalia omnia. Venus humidum & temperatum calorem, & vim germinandi in omnibus quæ viuunt, Mercurius siccitatem lenem, coagulationemque ac varietatem temporum. Luna aquas & humorem omnem, temperatumque calorem: manifestum est, quod etiam absides in vnoquoque loco significent. Verum planeta, cum in abside est, maiores effectus tardius operatur, in eius opposito celeriores minoresque, mediis in longitudinibus mediocres.

De comparatione Planetarum ad Solem.

PLaneta cum discedit ab occultatione vsque ad oppositum Solis, auctus est lumine: ab oppositione ad occultationem, diminutus lumine: cum verus motus medium superat, auctus est motu cum minor est diminutus, cum retro agitur, retrogradus: cum

cum sub Sole, combustus. Medij igitur motus planetarum, in die sunt hi, secundum Ptolemæum. Saturnus par.o. min.2. Iupiter par.o. min.5. Mars par.o. mi.31. Sol par.o. mi.59. sec.8. quod idem in Venere & Mercurio. Luna par.13.mi.10. Venus igitur & Mercurius cum sunt diminuti motu, & vadunt versus Solem, aut superiores, versus oppositum Solis, descendunt in paruo suo orbe, cum autem inferiores, recedunt à Sole, vel superiores, ab opposito ascendunt. Ex hoc itaque consurgunt quatuor modi. Auctus igitur lumine ac motu calefacit, & salubrem reddit aërem ac serenum: diminutus lumine & motu, inconstantem reddit aërem, infrigidat & humectat: diminutus lumine & auctus motu, exiccat multum & infrigidat parum: auctus lumine & diminutus motu, multum humectat, parúmque calefacit.

De situ.

PLaneta plures habet situs. Primo, quia vel est supra terram, vel infra, in angulo, in succedente vel cadente, in loco forti ab anni reuolutione mediocri vel debili, in loco forti à coniunctione cum altero planeta vel debili. Cum igitur fuerit supra terram, fortius operabitur, infra lenius in omni casu. Item super terram, auget calorem plusquam frigus: sub terra non est tantum discrimen. In angulo auget effectus, & qualitatem eius celeriter ostendit. Minus in succedenti, parum vel nihil in cadenti, ab omni reuolutione. Cum Sol æquinoctium facit, in locis quadratis & oppositis, fortior est. Si cadat in locum alterius planetæ, effectum eius imitabitur. Idem in vnoquoque mense, cum Luna Soli iungitur: nam tunc vide planetas, qui cum fixis aut aliis coëunt, maximè in angulis existentes. Cum ad eas fixas Luna peruenerit, proculdubio fixæ ac planetæ opus imitabitur: sic & reliquorum, sed obscurius. Concursus igitur in vnoquoque mensæ Lunæ cum Planetis est duplex, vnus ad corpus eius, alter ad stellam, quæ illi erat proxima hora nouilunij. Cúmque planeta aliquando in anno iungitur alteri planetæ, considera congressum radiorum vtriusque: nam si ceciderint in eodem loco, vel quadrato, vel opposito, à loco congressus accidet permutatio in qualitate aëris, secus non.

De eadem ratione in genituris.

HÆc eadem fermè in genituris consideranda, & reuolutionibus annorum. Nam cum hostiles planetæ per locum oppositum, aut quadratum significatoribus discurrerint, offendent rem quæ per significatores gubernatur: vt per septimum locum corpus, per Solis oppositum dignitatem, per Iouis oppositum substantiam, per Lunæ oppositum famam & actiones naturales. Et si fuerint amici ac beneuoli, erit contrarium: etsi directio bona sit, & discurrant inimici per locum oppositum significatori, non habebit donec præterierint, terminum totum illum, & interim erit in magno impedimento. Sic mihi Saturnus in leone obstabat, quoniam opponebatur angulo decimæ: quia tamen dominatur in aquario, non deturbauit me, etsi fuisset Iupiter in capricorno, & medium cœli cancer, obtinuissem: quia cum Iupiter cancro dominetur, est etiam planeta bonus. Et eodem modo in reuolutione anni considera, quo in loco sint Planetæ, & in hora coniunctionis genituram præcedentis, etsi ascendat locus fortunatus, ille habebit bonum in ea ciuitate & patria: etsi sit fortunatus locus respectu alterius loci, ille melius habebit in eo loco, quàm in patria.

Et ideo hic esset necessaria cognitio initij vrbium: generaliter tamen intelligatur de annua Solis conuersione, quæ fit eo initium arietis ingrediente. Et non est possibile, vt effectus aliquis in hoc mundo fiat, vel in temporum mutationibus, vel in vitæ hominum cursu, vel fortuna, quin Sol aut Luna eadem hora, & horæ momento non sint in loco aliquo principali, significante effectum illum, vel connexo significatori eiusdem rei per radium ad vnguem oppositum, vel quadratum, nisi stella ei valde proxima impediat: nam tunc luminare, cum illam attigerit, illicò perficit. Impossibile est etiam, planeta cum fixa corporaliter coëunte, si Luna ibi aspiciat, non illicò aëris qualitatem permutari. verum si in angulo fuerit, manifesta erit hæc permutatio: si in cadenti obscura. Ex his apertum est, sapientem multum vtilitatis consequi posse ex hac scientia, velut ex Medicina, circa sanitatis conseruationem, & ex Nautica, circa nauis salutem, cum Astrologia sit vndequaque scientia naturalis.

LIBER



LIBER

De prouidentia ex anni constitutione.

INTER Reliqua munera quæ Deus Opt. Maximusque mortalibus concessit, quæ quamplura sunt, ac præstantissima, illud prorsus diuinum atque incomparabile est, quo ea quæ futura suut humanæ prouideutiæ subiecit: seu in actionibus nostris per prudentiam, seu in naturæ casibus per tot artes, inter quas primum ferme locum medicina sibi vendicat. Etenim ex anni constitutionibus qui futuri sint mormorbi, quanti, quando, vbi, quam perniciosi, & quibus in ætatibus, temperaturis, viuendi consuetudine, sexúque, præscire licet. Quorum auctor atque inuentor, mortalium decus Hippocrates, nisi multis iam annis illius scripta latuissent, tam claram ac perspicuam doctrinam nobis reliquerat, vt nihil desideraremus. Iam primùm nunc annus trigesimus octauus absolutus est, ex quo opera ac diligentia Aldi Manutij ciuis Romani factum est, vt Italis Europæísque omnibus Hippocrates restitueretur. Vt nil mirum sit, si tam breui tempore res quæ iam in desuetudinem abierat, restitui non potuerit. Accedit, quòd quæ Hippocrates scripsit cum in Thessalia vltimò, antea in Coo esset, non ita ad vnguem quadrare nostris regionibus potuerunt. Verùm neque tantum discrimen est locorum, vt possit impedire diuinationem, siquidem non tam Hippocratis dicta (quæ fateor esse propria magis) quàm illius rationes, quæ toti orbi sunt communes, expendere oportet. Quæruntur igitur hæc: Primùm, quales natura morbi fuerint, qui humanum genus anno præterito vexarunt, & vnde processerint: quíque etiam nunc magis vigeant, & quinam futuri sint eiusmodi, à generalibus causis procreati. tum verò etiam in omnibus his temporibus duo alia communia: scilicet quæ loca magis minúsve obnoxia, & quæ varietates morborum, & generis, & magnitudinis ratione: tum verò & illud tertium, in singulis temporibus an contagium ullum accedat. Quibus pro coronide adiicitur, quanto tempore timendum sit ab huiusmodi generalibus constitutionibus.

1 Morbi præteriti cuius speciei fuerint.
2 Morbi præteriti quibus in locis maximè, & quæ causa propria.
3 Morbi præteriti an contagiosi.
4 Morbi præsentes quales, & cuius speciei.
5 Morbi præsentes quibus in locis causas proprias habent.
6 Morbi præsentet an contagiosi.
7 Morbi futuri cuius speciei.
8 Morbi futuri quibus in locis quales vigebunt, & causa.
9 Morbi futuri an contagiosi.
10 Morborum generalis constitutio hæc quousque perseuerabit: & qualis scilicet, an mutabitur.

Digeramus ergo singula, & fieut decem Capita. Vt verò causam reddamus omnium, auctoritate & ratione, tum experimento vtendum est. Auctoritatem ex Hippocrate sumemus. Ergo cùm posteriores non solùm his quæ Hippocrates tradidit, nihil addiderint: verùm neque illa quæ tradidit, plenè sint assecuti: dico Galenum, Aetium, Paulum, Rasim, & Abenseni, seu Auicennam: liquet, ex Hippocrate omnia desumenda in hoc casu esse. At hæc quidem Hippocrates tractat in libris Epidemiorum, & tertia Aphorismorum, & libro de Aëre aquis & locis. Videndum est igitur, cùm ex libro de Aëre aquis & locis, ac tertia sectione Aphorismorum satis constet, eos esse legitimos, de libris Epidemiorum, & in quibus maximè hæc tractatur materia, & qui sint legitimi: & rursus constat, tertium, inde primum, & præcipuè huic proposito perutiles esse, & etiam legitimos: in cæteris septimum & quintum maximè spurios affirmat Galenus primo in sextum Epidemiorum: *Com. pri.* quartum autem similem primo & tertio, loquendi forma, sed contemplatione valde inferiorem. Quam sententiam confirmat tertio de Difficultate spirandi, *Cap. pri.* & secundo de Diebus creticis. quanquam de quinto addubitare videatur, in eandem tamen descendit sententiam. *Cap. 4. in fine.* Quid plura? ex primo sumemus tres constitutiones, ex tertio non habemus nisi vnam: ex secundo duas, prima & tertia sectione: ex sexto vnam, in septima sectione: ex quarto duæ, sed valde imperfectæ: vt sint omnes quæ ex Epidemiis (nam quintus & septimus non habent constitutiones) nouem. *Pag. 1. & 4. Pag. 7. in fine.* Ex libro de aëre aquis ac locis, habentur sex, è quibus sunt quatuor illæ numeratæ in Aphorismis, & duæ aliæ additæ. Quamobrem cum plures sint, & diligentius explicatæ, quàm in Aphorismis, sufficiet illis vti. Appello autem constitutionem quotidianam, numerum dierum propè sexaginta complectentem, quasi vnam è septem partibus anni: vt à Galeno ex Hippocratis sententia in lib. de

Septimanis, vt primo in primum Epidemiorum explicauit, consimilem & æqualem, vel in primis qualitatibus tantùm: vel in sereno & imbre, vel in natura ventorum: quorum omnium Hippocrates proponit exempla tertia Aphorismorum. Qualitatum quidem in eo, quando æstas fit veri similis: serenitatis & imbrium in illo, ex anni autem constitutionibus quod in totum dixerim, ventorum vero aliquanto post in eo: Quotidianæ autem constitutiones Aquiloniæ quidem. Addemus insuper considerationem à situ locorum ex eodem libro: & est quadruplex, vt etiam quæ est à ventis, & fient omnia ex quibus coniecturam accipere possumus, decem & nouem, excepto ortu & occasu siderum: qui cum sit communis, non sunt rationes horum illis tribuendæ, sed quatenus solùm augent aut minuunt. Hæc volui ascripsisse, ne sæpius repetendo, longiorem facerem tractationem: aut omittendo, fidem dictis non facerem.

Pag. 2. Com. primo post Proœmium.

Constat igitur, annum hunc præteritum habuisse æstatem calidam, & siccam vehementer, adeo vt à Calendis fermè Maij ad medium Septembris, vix ter aut quater, nec copiosè imbres ceciderint. Quod etiam ex astrorum constitutione facilè intelligere possumus, quoniam Mars occiduus & borealis iuxta eclipticam, ab eo tempore ferme vsque ad finem Septembris, Soli assiduus comes fuit: & eum antecessit, sub eius radiis. itaque quod ad primas qualitates attinet, haud dubium est, ex astris hoc pendere. Vnde Hippocrates: Cum enim temporum mutationes, & astrorum ortus ac occasus obseruauerit, quemadmodum singula horum eueniant, prænoscet vtique & de anno qualis hic sit futurus: hoc nanque modo si quis rimatus fuerit ac præcognouerit temporum occasiones, maximè de singulis sciet, vt plurimumque sanitatem assequutur, & recta via procedet non minima artis suæ gloria. Quod si cui hæc diuiniora videantur, is si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad rem medicam, ipsam astronomiam: sed omnino plurimam, cum vnà cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur. Quod vero dicat Fracastoreus, cum multæ erraticæ ex eadem parte coierint, fieri morbos vagantes, & contagiosos: siquidem intelligit medio primarum qualitatum, rectè dicit, & cum Hippocrate & philosophis: sed si intelligit quod influant, hoc est solum dogma Astrologorum, quos pro nunc mittamus: quandoquidem sufficiunt nobis præcepta Hippocratis ad veritatem eruendam. Cum ergo ex dicta conspiratione Solis & Martis in Cancro, Leone & Virgine, signis æstiuis, fuerit æstas immoderate calida & sicca, inde per discessum Solis à Marte, facto Marte Orientali in Libra casu suo, & aliis rationibus fuerit factus Autumnus immoderate humidus: & venti æstiui fuerint Austrini, sicci partim, & partim Vulturni: autumnales autem Cori & Thrasciæ, liquet grauem factam esse mutationem in corporibus nostris. Et quia morbi ab aëre trifariam fiunt, primùm sensim ex constitutione aëris, vt tertia Aphorismorum (Æstate febres

Lib. de Aëre & aquis & locis. pag. 2.

continuæ, & ardentes) cum enim calor est 21
immodicus, vt primo de Natura humana, generat bilem plurimam: quæ cum non possit regi à natura, putrescit eius pars aquosa, & accenditur, & humor inflammatur, & fit febris iuxta naturam temporis. Secundus modus est ex congenitis humoribus in priori tempore, velut in Aphorismo illo, Autumno morbi acutissimi: dicit Galenus, quia autumnus succedit æstati, in quo multi humores sunt superassati, ideo fiunt morbi acutissimi. Tertius modus è ratione, sicuti dicebat Hippocrates in eadem particula, cum inquit: De temporibus, si quidem hyems sicca & Aquilonia fuerit. Hæc causa multo potentior est aliis, quia corpus percellitur, & post secunda, inde prima. Sed dubitatur, an quando tempora contraria sibi succedunt, pariant morbos tunc? Et dicit Galenus in tertia Aphorismorum, quod non: imò potius intemperies corrigitur. Velut si hyems fuerit aquilonia, & frigida & sicca, & ver australe, calidum & humidum, dicit Galenus quòd erit ver illud temperatum & ratio est est ex verbis Hippocratis in libro de Aëre & aquis, huiusmodi: Si verò hyems quidem sicca sit, & Borealis, ver autem pluuiosum & australe, necesse est æstatem febriculosam fieri, & lippitudines inducere. Quum enim æstas derepentè accedat, terra humida facta à vernis imbribus: & ab austro, necesse est æstum duplicatum esse, & à terra irrigua ac calida, & à sole vrente: quum ventres in hominibus nondum constricti sint, neque cerebrum resiccatum. Non enim fieri potest, cum ver tale existat, vt corpus & caro non humore fluida fiant, adeò vt febres acutissimæ in omnes irruant: maximè autem in pituitosos. At dysenterias par est fieri & mulieribus & viris humidioribus. Solum id restat dubitatione dignum, cur, si æstas superueniens madida ex vere terra sufficit hæc gignere: quorsum adiicit in singulis coniugationibus vnum tempus, vt hic hyemem? qualiscunque enim fuerit, omnino idem sequi esset necesse. Hæc non disputandi causa, sed vt intelligamus perfectè rationem temporum. Præsupponit ergo Hippocrates primùm statum, & non (vt Galenus) simpliciter interpretatur, non animaduertens sequentia verba quæ sunt hæc: Si verò hyems australis & pluuiosa & clemens fuerit, ver autem siccum boreale & tempestuosum, pituitosis & mulieribus dysenterias fieri verisimile est propter naturam humidam. Vnde ergo humidum hoc in vere boreali ac sicco? Dices, ex illo verbo Tempestuosum. At non est ex textu, sed quispiam addidit loco contrarij εὔδιος, quod est tranquilla seu clemens: καὶ 22
χειμέριον, id est tempestuosum, cum in tertia Aphorismorum non adsit, nec Græcè, nec Latinè. Fuchsius autem solita temeritate etiã in textu Græco sustulit εὔδιος, quod tamen adest, sed nõ χειμέριον. Dico ergo: Vnde humidum illud, nisi ex copia cõgestæ in hyeme pituitæ? cũ neque in vere quod supponitur siccũ & boreale (sic enim legi debet (nequein æstate cũ sit calida & sicca, sumi potuerit. Ergo Hippocrates duo tempora, nõ vnum (vt Galenus putat)

Text. 34.

Aph. 9. 3. partic.

Ab 11. ad 14. Aphorismorum.

Com. 11.

Pag. 7 in fine.

putat) ad prædicendum, de tertio præsupponit. Quandoque ergo vnum tempus præsupponit, vt de illius morbis prædicat, velut secundo Epidemiorum: *In princip.* » Carbunculi in Cranone æstiui, pluebat in ardoribus aqua larga. » Contingebat hoc per totum, & maximè ab » austro:& oriebatur sub cute sanies. Quandoque ex duobus temporibus venatur tertium: semper autem primùm assumit æstatem aut hyemem, & sequens autumnum pro æstate, & ver pro hyeme, & pronunciat de futuro, *Sec.3.* vt in Aphorismis,& libro de Aëre & aquis, & secundo Epidemiorum. Quandoque assumit quatuor tempora, vt pronunciet de toto anno: velut in primo & tertio Epidemiorum. *Constit.1.2. & 3 in constitut.pestilenti.* Sed in tertio non solum quatuor tempora assumit, verum quinque. Vt mirum sit, quod in aliis locis duorum tantum meminerit. Videndum est igitur, quando velit tempora esse salubria, quando morbosa:& quando morbosa, quot tempora assumere necesse sit:& post, qui morbi ex quibus temporibus fiant: demum applicabimus hæc proposito. *In proœmio.* Et repetam, quod dixit Galenus tertio in tertiû Epidemiorum, statum esse temporum alium naturalem, alium præter naturam, qui sit causa morborum:& illum tribus (vt dixi) modis, ratione humorum præparatorum aliis temporibus, ratione propriæ intemperiei, & ratione ipsius mutationis. Cum vero considerauit duos annos, vt anni pestilentis prædictionem conficeret, legere oportet tertium Epidemiorum sub hoc sensu. Cum totus annus fuisset pluuius, & austrinus: id est calidiusculus atque humidior, austrinis ventis *3.in 3. Epidemiorum com.prim.* flantibus sed ita vt omnino tranquillus,& sine ventis sentiretur. Vt totum illud proponatur loco tituli, hoc modo, quod ab aliquo interprete factum puto.

Annus austrinus Pluuius, à ventis in totum silens.

» Cum paulo superioribus anni temporibus » squalores præcessissent, sub Arcturum flante austro, multum pluit. Autumnus nubilosus, vmbrosus, largè pluit. Hyems, austrina erat, humida, & lenis: multo post solis reuersionem circiter æquinoctium aspera erat extrema hyems: & iam sub æquinoctium Boreas spirauit & ninxit, non ita diu. Ver rursus austrinum sine ventis, pluit multum, & continenter ad canem vsque. Æstas serena erat, & calida, magni erant æstus. Etesiæ paruæ dispersim spirarunt. Sub Arcturum rursus spirante Borea, multum pluit. Cum esset totus annus austrinus, humidus & lenis, per hyemem salubriter quidem egerunt, præter tabidos, de quibus modo scribemus. Ante ver, vnà cum frigoribus consecutis, sacri ignes multi. Et post peruenit ad illa verba: Vere longè plurimos exercebant sacri ignes, tenebanturque æstate, & sub autumnum: æstate carbunculi multi, & putredines. Cumque posterius tempora comparasset inuicem, demum concludit hoc modo: *Text.30. Text.50. Text.56. Text.71.* Omnibus quos supra descripsimus, ver erat infestissimum, plurimosque sustulit: æstas » commodissima, paucissimique periere: autumno rursus, & sub Virgilias multi interierunt τεταρταῖοι. »

Vocant autem annum ex toto silentem, licet sub Æquinoctio Boreæ, & Etesiæ flauerint per æstatem, quoniam cum essent venti ordinarij, & necessarij tamen, in primo addidit: Non ita diu. in secundo: paruæ dis- » persim. Liquet autem quod ab hyemis fine prædictionem inchoat,& extendit ad autumnum. Vt ad totum annum desit solum prima pars hyemis. Nec miraberis qui legis hæc: nam totus labor consistit in castigando textum, vt exemplar habeamus purgatum à mendis. hoc autem quantis laboribus, quisque intelligit qui expertus est, ex illa profunda caligine vetustatis eruere veritatem, & lucidam interpretationem. Sed iam ad rem veniamus. Quatuor sunt genera constitutionum anni, tum partium eius: primum est extremæ salubritatis, de quo dicebat Hippocrates libro de Aëre & aquis & locis: Si signa *Pag.20.* fiant in astris orientibus & occidentibus se- » cundum rationem: & in autumno decidant » pluuiæ,& hyems sit moderata, nec valde cle- » mens, nec modum excedens in frigiditate » vere verò & æstate tempestiue: intelligitur » pro ratione consuetudinis illius regionis, Romæ suo more, & Bononiæ suo, & Mediolani proprio. Quod si excedant ad humidum, illud deterrimum est inter simplices intemperies, inter compositas calida & humida. Deterior enim est humida quàm calida: quia humida per se, & humida & calida, & humida & frigida, facit morbos. Et hoc est *3.Apho.11.* quod dixit Hippocrates: Ex anni autem con- » stitutionibus siccitates imbribus sunt salu- » briores, & minus mortiferæ. Calor autem per se non facit graues morbos: nec etiam multum cum siccitate. Cum vero in omnibus quæ eduntur & bibuntur, calida & humida sint optima, solus aër (quod natura vere, dum purus est frigidus sit,& siccus) cum fuerit calidus & humidus, pessimus est: aut enim huiusmodi vaporibus plenus est, aut substantia eius (quod vix accidere potest) corrupta est. Humida ergo, & calida aëris temperies, pessima est inde humida & frigida: aut humida simpliciter, post calida: vel calida & sicca: inde optima est frigida, & sicca moderata. Nam cum aër sit ad temperandum calorem naturalem qui est humidus, & turbidus ob excrementa, optimus est qui est frigidus & siccus moderatè, & purus valde. Dixi moderatè, quia nimis immoderata intemperies mala est, & excessus exiguus in qualibet qualitate non potest parere morbos Propterea dixit Galenus, cum constitutio parum variat à naturali statu, non fiunt morbi: & maximè si ad siccum vel frigidum. Considerare etiam decet, quod dicebat Hip- *Pag.pri.* pocrates libro de Aëre aquis & locis, in cognoscendis futuris ac natura præsentium, statum anni: scire oportet situm,& rationem victus. Status anni duplex, naturalis & præternaturalis: situs constat ex positione ad ventos aquarum natura, & loco elato vel humili, terra arenosa, monte, fluuiis, littore maris, boream prope aut austrum. Scire etiam expedit, qui morbi ab vnaquaque qualitate domi

dominante fiant hos docuit Hippocrates ter- (Tex.3. & 4.) tia Aphorismorum. Demum cur, cum aliquæ constitutiones pessimæ fuerint, velut secundo in primum Epidemiorum, cum dixisset quòd hyems Aquilonia, imbres multi, largi, magni, post brumale solstitium Aquilo multum spirabat, ningebat, pluebatque plurimùm, & continenter, & reliqua nihil tamen dicit accidisse insigne circa morbos, (Text.5.) quinimo subiicit: Cum totus annus fuisset frigidus, & humidus, & aquilonius, per hyemem commode fere se habebant. Cum ergo tempus fuerit pessimè dispositum, (Pag.8.) id est vehementer pluuiosum & calidum, tunc statim & in ipso tempore accident morbi quod dixit & iu secundo Epidemiorum: Carbunculi in Cranone. Tertium genus constitutionis est, cum fuerint duo tempora similia, & dat duo exempla Hippocrates libro de Aëre aquis & locis, dicens in primo: Si æstas pluuiosa sit, & Austro multum perfletur, similisque sequatur autumnus, necesse est hyemem turbidam esse, & his qui pituita abundant, & his qui quadragesimum annum excesserint, febres ardentes fieri verisimile est: qui verò bile abundauerint, lateris & pulmonis inflammationes. Secundum exemplum est huiusmodi: Si neque sub cane, neque sub arcturo pluuiæ sint, autumnus autem Borealis, & siccus, confert pituitosis, reliquis autem infestissimum est hoc tempus. Quartum genus est, de quo est nunc dubitatio, cum tempora à natura sua euariant. Solum restat vt doceam, quare cum immoderata sunt tempora, nonnunquam homines tamen per tempus sani degunt, & hoc maximè per hyemem. (Com.5.) Duæ sunt causæ (quarum vnius apertè, alterius obscurè meminit Galenus secundo in tertium Epidemiorum) aperta est, quòd cum tempora variant, sed tamen vergunt ad naturalem temperiem, vt hyems iusto frigidior & humidior, æstas calidior & siccior, autumnus imbriferus, tunc corpora quædam contraria scilicet temperie affecta, melius se habent: reliqua paulo deterius, vt in eo casu sub obscura quæ vergunt in hyemem, & ad frigidam, quia frigiditas aëris iuuat ad salutem: tum primùm, quia roborat calorem naturalem (prima Aphorismorum: Ventres hyeme & vere natura calidissimi) tum quia humores congelat, & congelando sistit fluxiones: tum quia prohibet putredines, quòd rarò afferunt morbos in ea autem constitutione ambo hæc iungebantur: ideò quamuis esset immoderata, non apparuerunt interim morbi violenti, neque multi. Ex quo sequitur, quod licet ob causas tales non ægrotauerint, neque statim, neque per hyemem, seruatis tamen humoribus pluribus & prauis per hæc tempora, succedente vere & æstate, & reliqua parte anni morbi plures ac violenti aduenerunt. Ex hoc etiam patet, quod Hippocrates refert causam totam morborum in annum præcedentem, & non indiguit explicatione qualitatis temporum, in quo morbi ipsi acciderunt: quoniam sufficit natura temporis consueta paratis humoribus ad progignendos morbos: quod declarauit in libro de Aëre aquis ac locis, loco iam adducto, cuius est initium: Si vero hyems quidem sicca sit. Etsi quis obiiciat, Nonne posset succedere aliquid, quod augeret aut minueret hoc? Respondeo, quod si successisset, & fuisset magnum valde, tunc commemorasset illud Hippocrates: Velut æstas frigida. Sed si non est tantum quod possit euertere naturam propriam temporis, tunc non est in consideratione, cum iam adsint efficiens temporis, naturalis temperies, & materia humoris, scilicet congeniti prioribus temporibus. Itaque liquet, quàm difficilis esset hæc ratio: & quod personati isti medici fœdant artes, dum pronunciant de rebus difficillimis, tam leuiter eas tractantes. Ideo nunquam rectè prounnciant de rebus. Vt vero de singulis locis dicamus, fieri non potest primùm, quia oporoporteret singulas vrbes adisse, & situm earum spectasse: deinde, quod cum causæ generales ex astris sint eisdem, & situs locorum diuersus: igitur necessariò effectus erit diuersus. Et vt inquit ille,

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit,
Vno eodémque igni. ——

Propter hoc satis erit, si dicam de Roma: (Strabo Geograph. lib. 5) excusatum tamen me habebunt, quod Romam non viderim, sed si vera est imago antiquæ & nouæ vrbis: Auentinum montem habet ab occidente & meridie, Cœlium à meridie, & Almum fluuium, aquamque Crabram, Palatinum montem in medio fermè, sed partis magis cultæ à meridie: Tyberis totus ad occidentem positus (etsi pars sit vrbis, non enim me latet, quæ Transtiberina dicitur) à septentrione fertur ad meridiem, vnde 20. fermè M. P. in mare ingreditur. Esquilinus & Quirinalis ad orientem ambo positi: (Lib.4.c.7.) Tarpeius autem & Capitolinus, partes Saturnij montis (vt auctor est Philander Castillioneus, Romanus ciuis) ad septentrionem & occidentem partis magis frequentatæ: magnitudinis autem respectu, ad medium positi sunt. Viminalis prope aggerem Tarquinij Superbi. Liquet ergo, intercursantibus tot collibus, ventos, ne latè prodeat, impediri: ipsosque ob id acutius ferire, velut solent & gladij. Tum verò circiter horam æstus, scilicet diei, nonam, vt laterales morbi facillime excitentur, & pulmoniæ. Ipsum quoque solum metallicum est, vnde exhalant vapores praui, & aquæ puteorum corrumpuntur, argumento improbitatis terræ: & ipsæ (prætereo quod inutiles) exhalant perpetuos vapores, cerebro, cordi, pulmonibus ac pectori inimicos. Ipsa Tyberis aqua praua admodum, licet secus aliis videatur. Diligenterque animaduersum ab erudito medico, memoriæque mandatum: cum plures excipiat fluuios, quorum aluei & ripæ terra colorata constant, metallicam illis facultatem inesse. Quamobrem tametsi limus & puluis mora petat fundum, etiamsi decem annis maneat, nunquam spoliari potest metallica facultate: quæ etsi perexigua sit, cum omnia metalla imperfecta noceant pectori (ob sulphuream vim) & ventriculo iecori ac renibus, illa quod hydrargyrij sapiat

piat vim, hi quod terræ: necesse est amnis illius aquam esse insalubrem est etiam à septentrione posita, vt dixi, in qua parte cruda necessario est. Vnde ex hoc liquet, non solùm Tyberis, sed cuiusuis fluminis magni aquam, præterquam Nili, esse malam: quòd magna flumina omnia, vt Padus & Ister, multos recipiunt fluuios. Dixi, Nilo excepto. is enim purus è montib. suis fluens, vix vnum aut alterum excipit fluuium, excoctus candentis sideris radiis fertur in mare. Itaque Roma ad occidentem & septentrionem sita est, vt Felsina ad septentrionem.nanque Apeninnum à meridie habet, qui cum excurrat in latera, ab oriente etiam & occidente hyberno tecta dicitur. Quamobrem cum duobus modis vrbes ad regiones comparentur, sitque hæc vtroque modo ad Boream sita, scilicet contecta à tribus partibus aliis, & prona ex meridie, ac pendula quasi in Boream: necesse est, hyemalem illam habere situm, & aerem crassum. Licet egregij medici quidam aliter persuaserint. Indicio etiam est, quòd solum bituminosum est: hoc enim à nobis declaratum in libris de Subtilitate. Qua propter & aquæ puteorum prauæ sunt, & exhalatio corrumpit aerē, vt de Roma dictum est. Aqua verò Rheni nec ipsa salutaris, cruda, & quæ calculos in renibus, & vrinæ impedimenta gignat.

Plin. lib. 3. cap. 6. & cap. 16. cap. 36.

Itaque vt ad rem redeam, de Roma solùm dicturus sum, cuius exemplo singularium vrbium statum intelligere licet. Illud tamen admonens, cuius Galenus meminit in primo Epidemiorum: cum natura loci constitutioni fuerit similis, adiuuat ad morbos procreandos. Velut Cranon Austrina ex constitutione deterius affecta est, quòd in valle esset, & Austrinis ventis exposita: ita Roma à calida & humida constitutione plurimùm lædetur. Calida enim & humida, in calido & humido loco, dicit Galenus, maximas putredines, statimque concipiunt. contrà Thasus Boreæ, & in edito exposita. Ita Bononia frigida & humida est: est enim Boreæ, sed in valle exposita. Cum ergo fluxiones fuerint ex cerebro in thoracis partes, id fuit conceptis longo calore ac siccitate humoribus tenuibus in capite, siquidem (vt dicebat Hippocrates) caput suprà situm est cauum ac rotundum, humidum ex reliquo corpore contrahens, & corpus simul vapores omnis generis sursum in illud mittit, quos caput rursus infrà demittit: non enim immorari ac manere potest in quod influit, non habens vbi sedem firmet, nisi sane caput ægrotet: tunc enim non remittit, sed isthic retinet. Postquam verò attractionem remiserit, fluxio vergit in glandulas, & nullam molestiam affert: donec pauca & moderata fluxio fuerit, & ipsæ glandulæ validæ extiterint. si enim multa & acris extiterit, mamseritque acris & glutinosa, inflammatur & intumescit, acque sic collum distenditur, & ad aurem progreditur. Et quarto de morbis: Caput vt cucurbitula corpori incumbit, & quod ingestum est, cum ipso corpore, ex ventriculo ad se trahit: intelligens vapores. Cum ergo materia illa hoc anno immoderato ex calore & siccitate ascenderet, vt in mundo hic inferiore ad superiores partes, vnde qui libet prudens vir largos & continuos imbres expectabat: vt etiam post quoscunque cometas omnes enim cometæ immoderatas siccitates primùm, post autem largos imbres decernunt: vnde qui dicunt, cometas parere siccitates, vera dicunt: & qui pluuias & imbres, etiam vera dicunt: ordine enim certo & siccitates primùm longas, & ob id necessariò largos etiam imbres: & ob id rursus necessariò morbos communes, de quibus suo loco dicam, non solùm prænunciant, sed etiam faciunt: & inde mortem potentiorum & regum: propter id (quod dicam aliquando, neque enim hic est locus) expectare oportebat in hominibus hanc collectionem, scilicet serosorum humorum, & tenuiorum in capite, & biliosorum exustorumque in toto corpore. Ergo facta collectione, dicit Hippocrates, vel retinentur, vel dimittuntur: si retinentur, vel putrescunt, vel non putrescunt: si non putrescunt, dicebat sexta Aphorismorum, fiunt melancholiæ, aut apoplexiæ, aut cæcitates, aut conuulsiones, aut furores. Hi morbi ergo verè expectandi sunt, & maximè comitiales in pueris, & furores in adultis, & apparuerunt iam aliquot. Verùm magis hi qui fiunt ob putredinem, lethargi & phrenitides. licet enim per humidum autumnum, vt dicam, facti fuerint morbi ex fluxione illis tamen quibus non fuerunt fluxiones. incumbit periculum ne materia retenta fiant morbi de quibus dicemus. In vniuersum ergo hac æstate non erunt expectandi multi morbi, quia licet concurrerent è tribus causis quæ pariunt morbos præsentes, in constitutione scilicet tranquillitas à ventis magnis, per quos aer non solùm à vaporibus purgatur, sed etiam temperatur à qualitate maximè frigida, & adesset immoderara & perseuerans intemperies calida & sicca: deerat tamen tertia conditio, scilicet quòd esset intemperies calida & humida, cum fuerit sicca. Ergo hac æstate, præter febres ardentes aliquas & tertianas (morbos tempori consuetos) & sporades, non fuerunt morbi comunes. At in autumno fuerunt pluuiæ multæ, vnde necessarium erat vt fierent fluxiones, non morbi in capite, quia non potest contineri diu multa materia. Sed animaduerte, quia illæ fluxiones debuerunt esse hyeme, non autumno: quia, vt dixi, duo tempora saltem requiruntur ad præparationem: sed quoniam tam immoderata fuit vtriusque temporis intemperies, & æstatis calida & sicca & diuturna, & autumni humida, non potuit tanta materia, & tam tenuis, diu contineri, quin confertim flueret sub fine autumni, & magis in ciuitatibus humidioribus nec calidis (vt Mantuæ, postmodum Felsinæ: sunt enim vrbes valde humidæ, & humidioris victus) quare necesse fuit fluxiones fieri.

Sec. prim. com. prim. in fine.

Libro de Glādulis, pag. 2.

Pag. 3.

Pag. 5. Pag. 3.

In autumno igitur necesse fuit fluxiones fieri, at fluxiones è capite (dicebat Hippocrates libro de Locis in homine, & clarius in libro de Glandulis) sunt septem: tres dicit conspicuæ, ad nares, aures, oculos: quatuor

tuor occultæ, ad pectus, ventriculum, venas, & spinam. Videamus ergo, ad quas partes debuerit esse defluxio. Et clarum est, quòd cum materia est mediocris in multitudine, & temperata, tunc regitur à natura, & mittitur per loca minus periculosa: scilicet nares: pòst aures, inde ad oculos. In his ergo quibus caput erat robustum, facta est fluxio ad hæc loca & mihi fluxit ad aurem dextram adeò copiosa, vt timuerim de surditate: quia sum iam senex & his diebus per Padum veneram, atque ob id natura non potuit mittere per nares, quod erat optimum auxilium: quanquam non leuis pars per eas etiam fluxerit, & aliquid etiam ad ventriculum. Neque fieri potest vt quisquam, cui probè fluxerit materia per nares, perierit. At verò qui materiam multam congesserunt, aut prauam, aut imbecilles fuere, his necessariò serosum illud fluxit aut ad ventriculum, aut ad pectus, aut venas, aut ad spinam. At fluxio ad ventriculũ mitior est inter interiores, sicut ad nares inter manifestas. Quæ igitur multa est, & mala, fluxit aut ad pectus, aut ad venas: quæ ad venas, facit morbos laterales, & pulmonias, & præfocationes, quæ citò interimunt: dicebat Galenus cum Hippocrate tertia Aphorismorum. Et hoc, dicit, accidit maximè senibus: vnde plures senes quasi repentè interierunt. Et in hoc medici plerique aberrauere, eas fluxiones existimantes esse ex earum genere quæ possent per tussim expurgari & laborabant cum bechicis medicamentis, frustra vexantes naturam, & non parùm nocentes. Et ex simili morbo cum periisset nobilis Cæsar Brippius Mediolani, quòd serò aduocatus essem, dissecuimus illum: & inuenta est sanies multa in vinculo quo iecur annectitur costis: & non erat pus bonum, sed liquidum: & superuixerat plus quadraginta dieb. cum hoc morbo. Et similiter dissecuimus Petrum Casatum, puerum quatuordecim annorum, qui obierat extra vrbem, & ideo non potui illum inuisere dum esset æger: & quoniam erat diues valde supra quadraginta millia coronatorum, suspicabantur de veneno: & inueni in pulmone saniem tenuem à latere dextro, quæ eius partem exederat: & pronunciaui, quòd non perierat ex veneno, sed ex fluxione, sicut primus. Et aderat huic spectaculo Gabriel Cuneus, chirurgus egregius, & qui dissecuit. Dicam autem quod etiam accidit Comiti (hæc est Longobardica potestas) Aluisio Gonzaghæ: ad quem cum vocatus essem quarta die, prædixi, non superuicturum vltra septimã. Itaque mortuus est sexta die vesperi. Et nos (eramus enim quatuor medici) dissecuimus illum, inuenimúsque non esse abscessum: sed omnia vasa pulmonis ex triplici genere magis tamen asperæ arteriæ rami erant, plenisanie simili lacti, adeò vt nullus adesset prorsus sanguis & huic dissectioni, tum etiam primæ, adfuit Melchior medicus eruditus. Quid plura? Fluxio illa non erat vt duæ priores, sed pulmonia mendosa. Quo genere morbi mortuus est, qui vice legati fungebatur olim, Daniel Rizius Venetus, vir egregius, apud Insubrum præsidem: sed illum non dissecui.

Differt hic morbus à pulmonia, quòd abscessus non est. Hac etiam æstate ad finem dissecui puellam tredecim annorum nobilissimam, quæ cum esset prædiues, ad sexaginta millia coronatorum, & vnica matri suæ suspicantes de veneno, ob magnitudinem patrimonij, cum non potuissem adesse ægrotanti, aduocatis à me in re tanti momenti octo aliis medicis, cognoui illam ex defluxione repentina obiisse, non ex veneno, atque ita omnes medici in vnum consenserunt. Erat enim puellæ morbus iamdiu in capite, & suppressa purgatione per vlcera, nec aduentantibus mensibus, correpta febri, cum alioqui non videretur grauiter ægrotare, imò contenti fuissent duob. familiaribus medicis, repentè tanquam siderata interiit quo casu perculsi, suspicabantur de veneno. Omnes autem huiusmodi fluxiones necessariò adducunt febrem æstuosam, non tamen ardentem, nec valde siticulosam: quoniam materia, vt dixi, putret propecor, & implet vacuum pectoris, & est humida, & cruditatibus permista: demittit autem cerebrum in pectus, propterea quòd guttur non est contectum, & est eregionè, libro de Locis in homine. Sunt autem morbi cerebri violentissimi atque acutissimi, nec non lethales, ac difficilis sanationis, vt dicebat in libro de Sacro morbo. Et illius fluxiones ad pulmones & pectus procliues. Vnde in libro de Carnibus: Similiter etiam vbi cerebrum ipsum de seipso plurimùm liquefecerit, in palatum, & fauces, & pulmonem, ac reliquum ventrem. Cognoscunt autem hoc homines, & ex capite destillare dicunt. destillat autem & in reliquum corpus. Mors autem contingit in senibus ob imbecillitatem, & quibus pectus angustum fuit, & immoderatis in ratione victus, plerique tamen euasere. Sed cur magis Romæ & Mantuæ plures perierint? Mantuæ, materiæ copia occidit: est enim inter paludes, Eridano etiam proxima Romæ verò, & multitudo ob Tyberim & alias aquas, & auras pernecantes, & soli & aquarum quæ in puteis sunt corruptionem. Atque hæc de autumni, & initij hyemis statu, seu constitutione communi morbosa. Quo ad causas primas, liquidum est, fuisse aëris intemperiem vtriusque temporis contrariam, ex siderum maiorum situ: proximas autem fluxiones omnibus è capite, sed diuersas, per venas intimas perniciosissimas, & citò pernecantes: per communes venas, vnde abscessus pectoris, pulmonis, & partium circumiacentium: per palatum, ex quibus peripneumoniæ mendosæ, & catarrhi, destillationésve cum tussi: ad dentes præterea, aures, atque huiusmodi: ad partes externas, vnde multi vexati sunt dolore pectoris & dorsi. Et ita fuerunt quinque generum: sed prima tria solum cum vitæ periculo, reliqua duo omnino sine periculo: & quòd senes, mulieres, pituitosi magis fuerunt in vitæ periculo, quàm viri robusti, exercitati, biliosi: & quòd adueniente hyeme valida cessauit. Et cur etiam loca humidiora prius occupauit: loca autem vbi aër est deterior, magis vexauit, atque ibi plures peremit. Quodque paucos viros insignes:

Pag. 5.
Pag. vlt.
Pag. 6.

insignes: nam cũ causa morbi sit, vt dixi, cum cerebrum, qui cerebrum habent validum, non sunt obnoxij talib. morbis qui à cerebro originem ducunt: at viri insignes armis, literis, prudentia & negociatione, validũ omnes habent cerebrum, ideo in talibus constitutionibus pauci pereunt, sed vilis plebs. At si iecur & ventriculus, euadunt viles, pereunt inclyti viri: vt in febribus maculosis. Si verò cor, omnes sunt in discrimine: vt in peste quanquam in hoc diuites sint ex accidenti securiores. scilicet ob commoda.

Reliquum est vt dicam, an morbi isti contagiosi sint? Ignoscetis, si paulo longior hac in parte fuero, quam nemo alius explicauit, aut etiam intellexit: tum maximè, quod ex horum intellectu multa & præclara deducuntur, quæ ad curationem tum generalem, tum singulorum pertinent. Et quoniam non soleo quicquam bis repetere, ea solum commemorabo quæ in libro de Venenis, quem diebus istis conscripsi, vt in hunc libellum referrem prætermisi: reliqua in libro illo, si quis volet diligentius rem hanc scire, inueniet. Causa, quòd sit contagium, omnibus medicis incognitum est: quòd cum duplex illud sit, præsentes medici vnum tantum genus, quod consuetudine contrahitur, norunt: quod ex aëre, non sciunt. Antiqui contrà, quod ex aëre contrahebatur, cognoscebant: quod ex consuetudine, ignorabant. At vt quis verè sciat quid sit vtrunque oportet vt vnum ad alterum comparare norit: at hoc per se inuenire non possunt: ab antiquis, qui alterum genus ignorabant, discere non potuerunt: properea ignorant. Et vt id non sine causa dixisse videar, Hieronymus Fracastoreus (vir nostra ætate insignis, & præter medicinam, etiam in Mathematicis rebus subtiliter exercitatus, & huic negocio totus intentus, vt qui tres libros in hac materia luculenter scripserit, inscriptos de Morbis contagiosis) ne vmbram tamen contagij assequi potuit: cum tamen ex ingenio proprio multa inuenerit, atque in libros illos retulerit, & vera, & non aspernanda. Doleo tamen, quòd multi quæ hic scribuntur, cum non viderint librum de Venenis, cogentur potius his credere, quàm vt demonstratione (quod mei esset muneris) persuadeantur. Sed quando liber ille iam à me sit absolutus, & cum Aphorismorum Commentariis proximè proditurus in lucem, hæc tanquam alibi demonstrata subiiciam. Ergo cum omnes morbi communes à re aliqua conmuni proficiscantur: quatuor autem mobis tantum sint communia, Cœlum, aer, aqua, & terra: cœlum autem non nisi per aerem agat, etiam teste Ptolemæo: terra autem communis dici non posit, quoniam immobilis sit: constat, contagium commune non nisi ab aere vel aqua contrahi posse quod etiam testatur Hippocrates secundo de Humana natura. Ergo de aëre dicatur, quandoquidem multa breuitatis causa oimttere cogor. Si igitur ille causa sit morbi, cum maxima in copia hauriatur à nobis die noctuque, & per asperam arteriam à corde & pulmone, & per nares & palatum à cerebro, hauddubium esse potest, si insignem prauam aliquam qualitatem

Prim. quadripartit. c.2. in pr. seu tex. cap. 10. Tex. com. 4.

haberet, confestim nos interituros. Propterea dicebat Curtius, sed pauci illum intelligebant: Malle se habere prauum aerem, quàm prauas aquas: quia aeris prauitas vbique adeò exigua est, vt facilè emendetur, aquarum non ita. Cum ergo prauitas non possit esse nisi admodum exigua, neque etiam magnas corruptioues efficere potest. neque enim magnitudine qualitatis interficere potest, sed diuturnitate temporis totos corrumpere humores, atque ita occidere. Si ergo hoc non nisi longo tempore, quanto minus in breui? Porrò aquæ, & per se ebibitæ, graues noxas inferre possunt, & quòd, vt dictum est, exhalatione aerem corrumpant. Idque videre licet in hyeme, cum tanquam fumus ascendant, & perpetuò, & multus ab vnoquoque puteo: neque credendum est, quòd æstate ob frigiditatem non exhalet vapor ex aqua, cum calidior sit aqua æstate quàm hyeme, etsi non videtur Causa est aer calidior, qui illam dissipat: sicut etiam respirationem videmus hyeme, non æstate, eandem ob causam. Sed intemperies hæc aëris cum fuerit manifesta, & ex primis qualitatibus, non est contagiosa: cum verò aliquam qualitatem corruptionis habet, necessariò est contagiosa: vt declaratum est in libro de Venenis. Si ergo aer est per se contagiosus, & qui respiratur ab ægro habet contagium, & morbi, & commune: sequitur vt cuiusuis morbi communis, qui non ex primis sit qualitatibus, natura contagiosa sit si quis cum ægro versetur diutius atque id primum. Secundum, cum declaratum sit, morbos qui sunt circa pectus, ob respirationem maximè & celerrimè esse contagiosos, vt morbos laterales, & pulmonias: horum omnium quicunque occidunt sine phlegmone, sunt magis contagiosi, quia per solam qualitatem parentem contagij interimunt. Ergo peripneumoniæ non veræ, in hoc casu pessimæ erunt: & febres quædam præfocantes, & aliæ hecticis similes. Cum verò vt dictum est, qualitas hæc praua, necessariò sit exigua: sequitur, vt contagium quod ex consuetudine contrahitur, exiguum sit, nec efficere potest quicquam effatu dignum: quia fermè tota vis est in ambiente. Quòd etsi multi inuisendo ægros & proximos & notos pereant, id contingit potius ex timore quàm ex contagio & ob hanc causam medici paucissimi ex pestilentia communi moriuntur: ex ea verò quæ fit per consuetudinem, omnes fermè, si inuiserint. Et ideò antiquo tempore etiam Hippoctates & Galenus inuisebant in pestilentia ægros, sine discrimine. Animaduertendum est circa duo: Primùm, quia dixi, quòd aër non potest esse valde prauus vnquam, sed exiguam necessariò habet qualitatem, quòd regula hæc vera est de aëre libero & quieto nam aër specuum, qui repentè occidit, & sepulti frumenti, & sepulchrorum, & aer pestilens qui fertur per ventum validum etiam in pestilentia communi, id est ab astris, potest occidere in tribus vel quatuor horis: quia motus impressionem qualitatis & ita etiam aer valde frigidus post aerem valde calidum, potest afferre breui mortem. Secundum, quòd contagium ex consuetudine,

si pendeat ex pestilentia bubonia, id est, quæ non pendet ex aëris dispositione: illud poterit interficere breui. quia est res propagata sicut venenum: & occidit per se ratione vaporum: & est cum perfecta putredine, & est aliud genus, valde diuersum à primo, quod incognitum fuit Hippocrati & Galeno. Quibus visis, considerandum est, an ex peste communi quæ fit ab aëre, possit fieri pestis contagiosa, vt isti credunt communiter? Et dico quòd non: sed contingit per accidens, ex multitudine corporum insepultorum, vt eleuentur vapores, qui efficiant pestem buboniam. Et ita post magnas clades præliorum, & non solum hominum, sed locustarum, si putrescant: fieri potest pestilentia bubonia. Quare concludo, quòd generalis pestilentia aëris non potest generaliter facere pestem buboniam, sed potest ex effectibus producere causam pestis buboniæ: id est, quæ ex conuersatione contrahitur. Et hoc fecit Deus Gloriosus: quia si pestis communis posset per se transire in buboniam, cum quæ ab aëre fit aliquando sit communis toti orbi, (vt de illa quæ fuit tempore Antonini & Galieni, & ea quæ fuit anno 1339. & perseuerauit quindecim annis) posset & secunda esse communis toti orbi orbi: & ita interiret totum humanum genus, quia non possent se tueri ab vno & altero simul. Et cum hoc accidit in vna prouincia, destruitur fermè tota. Imò, quod maius est, plerunque vna prohibet aliam, quia absumit corpora parata ad contagium: & ita reliqua cum robusta sint, non facile peste corripiuntur. Ex hoc patet, quod qui ægrotant in principio cuiusuis sæuæ pestilentiæ alterutrius generis, omnes ferme moriuntur, & circa finem seruantur multi. Omitto quod constitutio in communi sit facta imbecillior in fine, in contagiosa ex consuetudine hoc non accideret: sed contingit in vtraque, quòd primo afficiuntur corpora imbecillia, & cacochyma: & ideo euadere non possunt: in fine valde remota tum robore tum puritate à contagio, ideo euadunt. Præterea corruptiones illæ aëris in bubonia, cum panem dicunt mucescere, non contingunt nisi ex vaporibus, qui sunt proprij illi regioni, vtpote ex clade, vel sepulchro recluso, vel exhalatione terræ, vel si mortui non sepeliantur bene nam non possunt pertinere ad constitutionem aëris: ideò apparent ignes, & aër puluerulentus. Et breuiter, contagium buboniæ est in vaporibus & proprius vni regioni, & communis in aëre ipso, & est generalis. Etsi coniungantur, vt dixi, valde mala res est. Ex quo liquet, quòd datur tertium quoddam genus pestis, quod est quasi medium inter buboniam & communem: quia communis est in aëre, bubonia solum in hominibus ac vestibus: media est, cum adeò sæuierit bubonia vel communis, vt ex cadaueribus aër corruptis vaporibus repleatur. Sed vnam transire in aliam, est absurdum. Et quia dixi, quod aër in communi pestilentia leuem necessariò adipiscitur corruptionem: dixi quòd generaliter verum est, neque enim me latet, aliquando contingere in multis annorum periodis, vt qui sunt in medietate citra æquinoctij circulum versus Boream, pereant fermè ad vnum ex communi pestilentia, corrupto aëre valde: sed alij in contraria parte seruantur, quia non est eadem comparatio causarum. Cum ergo quæritur, an morbi sint contagiosi: dico, habet quadruplicem sensum hoc quæsitum. Primùm, an fuerint morbi communes: ergo cum non fuerint nisi ex aëre, igitur fuerunt contagiosi sub hoc sensu. Secundus sensus est, vtrum fuerint contagiosi, id est, consuetudine propagati: & respondeo quòd sic, quia fuerunt morbi communes ex latente, & non manifesta qualitate: ergo cum corruptione aëris, ergo contagiosi: sed, vt dixi, leui modo: adeò vt hoc contagium non debuerit esse in consideratione. Tertius est, an fuerint contagiosi, vt sunt bubonij: & dico quòd non, sed si mortui sunt aliqui hoc modo, contigit ex timore. Dico tamen, quòd versari cum ægris cuiuscumque modi parum est vtile, præcipuè cum laborant partes pectoris, vel cum consuetudine lecti. Quartus est, an præter vim aëris alicubi essent contracti vapores ex putredine: & respondeo quòd non, vt declaratum est in libro de Venenis: neque enim fuit aliqua putredo, prout putredo est perfecta, sed corruptio tantum. Fuerunt tamen vapores ex prauitate aëris, quia cum corrumpitur aër, necessariò corrumpuntur vapores, non tamen contrario modo.

Hæc satis de præteritis: de præsentibus pauci ob causas dictas ægrotant, & qui ægrotant, maximè lateralibus morbis corripiuntur, & lethalibus: quoniam, vt dixi, diu exassata destillatione fiunt.

Vt verò de futuris dicam, cum ex multis adductis ex Hippocrate ostenderimus, hyemis decursum non reddere nos tutos à morbis veris, neque æstatis, neque aliorum temporum: omitto modò quòd posset succedere ἐν φυτηλίᾳ aliqua magna intemperies aëris, quæ morbos generaret in vere: dico vbi omnia rectè succedant, adhuc expectandos esse aliquos morbos communes pro ratione locorum. Et ratio est, quia segregata materia tenui ex defluxionibus & etiam per victus tenuis rationem, nihilominus fex illa relicta est in corporibus ex immoderata & longa caliditate & siccitate, quæ primùm augebit morbos Romæ familiares, qui duo erant Galeni tempore, defluxio pituitæ à capite, secundo de Temperamentis, & hemitritæi. *Cap. 6. ante med. cap. 8. com. 25.*
„ Vnde secundo de Differentiis febrium: Quo-
„ tidie ferè nos huiusmodi febrem videmus,
„ potissimùm Romæ, sicut enim aliis in locis
„ alia, sic in illa ciuitate hoc mali abundat. Et
„ primo in primum de Morbis vulgaribus:
„ Quæ ex sola bile generatur, ei tertianæ no-
„ men est: quæ verò partem assumpsit crudum
„ humorem, exquisita efficitur semitertiana:
„ Romæ illa incolis frequentissima, vt quæ
„ sit illius vrbis familiarissima. Causa fuit olim: *Com. 10.*
vt colligitur quarto in sextum de Morbis vulgaribus, quòd non aqua Tyberis, quæ prorsus mala est, vt dixi (neque enim tot Imperatores latère id potuisset, quod defecata esset bona) sed fistularum, vt Tiburtina aliisque vterentur, quæ quamuis limpidæ & claræ, sine odore vllo iucundæ sint:

attamen

attamen non vt fontium concoctæ, sed valde crudæ erant, & quibus vix legumina coquerentur. Ex horum igitur genere morborum sunt omnes febres compositæ, & laterales morbi, qui cum similibus, velut læuitatibus intestinorum, in senibus plus iusto, vere, pro ratione temporis, quod saluberrimum esse solet, erunt Ratione constitntionis, attoniti morbi aliquot, & resolutiones, & furores, aut melancholiæ: nihil tamen magnum aut populare, sed magis febres, propter rationem dictam, laterales morbi perniciosi, quòd hyems clemens (talis enim dicitur hæc) atque austrina, non ab austris flantibus sed suspirantibus: vt tandem discant medici, præsentes temporum status, cum adsunt: nam plerique sola nomina norunt. Si ergo ἐν φυταλιᾷ, quæ intra quinque vel sex dies inchoare solet, vt tardissimè intra duodecim, frigora sæua euenerint, tunc erunt sacri ignes maligni, & febres ardentes, & phrenitides, lethargi, lippitudines, carbunculi, alui turbatæ, ciborum fastidia: atque in huiusmodi vrinæ turbatæ, multæ, malæ, & maculosæ febres: quoniam iamdiu factæ sunt endemiæ his regionibus & laterales morbi endemij tempori & regioni. nam & tertio Epidemiorum per hyemem bene se habuerunt: & fuerat, vt hæc, humida, mollis, & austrina, & post arcturum aquæ multæ: & æstas fuit serena, calida, cum æstibus magnis. Hoc est ergo primum periculum, si admodum frigida fiat φυταλιᾳ: & similiter si ver, sed non tantum, quia frigus non adeò magnum esse potest, neque diuturnum, vt in φυταλιᾳ. Secundum, vbi ver esset humidum valde, æstate carbunculi & febres pestiferæ exorirentur, vt declaratum est in libro de Venenis: & hoc circiter decimam Iulij: per caniculæ dies, atque eo magis si feruida esset, & vulturni leues flarent nam turbulenta esset, neque sicca, neque pluuiosa, sed nubilosa. Tertium est, vbi ver esset aquiloniam, valde frigidum & siccum, tunc essent morbi attoniti plures & frequentes, mortes repentinæ: maximè Florentiæ & Romæ, etiam non paucæ: Florentiæ quidem, propter aërem siccum, & temperaturas melancholicas: Romæ, ob humidum ex aquis aërem, qui est impurus. Nec hæc sibi contradicunt aër enim humidus secundum substantiam esse debet, & siccus:id est, purus ratione vaporum vnde Romæ & Florentiæ malus aër: Romæ ad morbos magis paratus, Florentiæ ad vitæ breuitatem. Generaliter dico, cum desit etiam signum Georgij, hoc anno non est timendum à peste quæ ex aëre ortum ducit, vsque ad ver.

Et vt exquisitius res hæc possit haberi, sciendum quòd Hippocrates plerumque in
3. Aph. 11. mutationibus temporum non assumit nisi
» vnum tempus anni medium, vt diiudicet de
» sequenti velut in Aphorismo illo: De tem-
» poribus, siquidem hyems sicca & aquilonia
» fuerit, ver verò pluuiosum & australe, necesse est æstate, &c. non assumit ver. Galenus verò non animaduertit, quòd non assumit nisi veris, non hyemis constitutionem: sed sufficit humidum præter naturam, cum calore æstatis naturi, ad pronunciandum de statu æstatis. Vt ergo hoc maximè & apertissimè declararet, assumpsit hyemen non solùm naturalem, sed etiam contrariam: adeò vt liceat inferre si hyems fuerit secundum naturam: ver autem Austrinum & humidum, erunt etiam hæc maiora, & efficaciora. Quod si hyems fuisset etiam australis & pluuiosa, tunc non solùm fierent morbi acutissimi, &
febres malæ, sed etiam pestilentes. Hoc au- 14
tem declarat in ille Aphorismo: Si verò aqui- »
lonius & siccus, ibi ex immoderata frigiditate & siccitate, quamuis hyems non soleat parere morbos graues acutos, tamen dicit febres acutas fieri & atras biles. coniunxit autem immoderatam qualitatem congruentem duorum temporum, sed saluberrimam, vtpote siccam & frigidam, & tempus saluberrimum, saltem quod ad acutos pertinet morbos, scilicet hyemem, & tamen pronunciat de morbis grauibus. Propterea in libro Aere & aquis, iungit duo, scilicet constitutionem temporum duorum similium, &
morbosam, sed non in tempore morboso, & Pag. 8.
tamen hæc habet: Si autem æstas pluuiosa »
sit, & austro multum perfletur, similisque »
sequatur autumnus, necesse est hyemem mor- »
bidam esse: & his qui pituita abundant, & »
qui quadragesimum annum excesserunt, fe- »
bres ardentes fieri verisimile est: qui verò »
bile abundant, costarum inflammationes, & »
pulmonis. Vnde constat, quòd si hæc inci- »
derent in æstatem, tunc adessent omnia quæ
necessaria sunt ad morbos perniciosissimos, & sect. 3 constitutioni pestilenti.
plurimos sed hoc declarauit in tertio Epidemiorum. Vbi ergo temporis constitntio fuerit morbosa, & inciderit in tempus cuius qualitas alia non fuerit morbosa, tunc iubet Hipocrates expectari tempus succedens velut ver austrinum & pluuiosum habet qualitatem humidam morbosam: sed quia non habet calorem sed temperamentum in actiactiuis qualitatibus, morbi differentur, donec venerit æstatis initium, vt calor humido iungatur, & efficiat morbos. Sed si in tempus
incidat, quod habeat qualitatem ad morbos Sec. prim.
faciendos idoneam, tunc erunt morbi in eo- »
dem tompore. Vnde dicebat in secumdo »
Epidemiorum: Carbunculi in Cranone æsti- »
ui, pluebat in ardoribus aqua larga: contin- »
gebat hoc per totum, & maximè ab austro. Quia tamen non erat nisi vnum tempus vitiatum, non fuerunt morbi pestilentes: & similiter si duo tempora succedentia, vnum qualitatem vnam, aliud aliam: vt si ver humidum, æstas calorem subministrent, fient morbi: sed neque pestilentes. Sed si tria tempora coeant simpliciter, vt hyems, & ver humidum, & æstas naturalis, fient morbi maligni. Sed si tertium tempus alia qualitate propria qua morbum facit exuperet, fient morbi pestilentes. Et similiter si duo tempora congeminentur, fient etiam pestilentes vt si ver sit austrinum, pluuiosum, & valde calidum, & similiter æstas, fient morbi pestilentes. Scire autem decet, quòd Hippocratis mens est, quòd talia eueniant necessariò, & non sint coniecturalia & dubia, vt isti putant. Et ob id passim addit, Necesse est

hæc

hæc & illa euenire. Et rao id ostendit:quoniam aëris coustitutio,cuinos die noctúque aërem perpetuò hauriami, & ex corde, & cerebro vt nostrum corps immutetur. Et præsertim ad quatuor gena morborum febres, ob cor: abscessus pectore & pulmone, quia eò trahituaer: & gutturis, synanchem vocant: & cebri, & ophthalmias, quia cerebrum haut aërem, & oculi facillimè patiuntur ob copm sanguinis, & spirituum qui ad illos defemtur.ophthalmiæ

Probl.8.

enim febribus ptoportion respondent, vt etiam Aristoteles prima Poblematum: sic abscessus pectoris cerebri bscessibus: & in his maximè consistunt pestentiæ. Sequitur ergo,constitutio pestilens it: ergo & pestilentia sequitur nam humaum consilium generaliter ob tot errores & necessitatem non potest resistere coultitionibus aeris. ideoque pronunciat Hippocates, ad iiciens hoc verbnm, Necesse estAt si constitutio non minetur pestem, nonossumus tamen securè dicere, non erit peis: sed dicimus, non generalis in tota proincia ex aëre, sed, vel si succedat, erit no generalis: vt si ex cadaueribus in prælio, vel aperto aliquo ingenti specu prauocorrumpatur aër in ea regione: aut erit cita aëris corruptionem,propter famem, qua non solet adeò esse generalis, quanquam & ad omnes perueniat, vt dictum est in libro de Venenis, seu potius in primo libro, sunt enim tres) aut propter

Probl.7.

contagium, quod etiam ponitur ab Aristotele, & fuit illi cognitum: vt prima Problematnm ex quo mirum est, cur quasi latuerit Galenum, qui post illum fuit. Sed ibidem hæc declarata sunt. Ex hoc patet, cur Hippocrates modò vnum tantum tempus assumit, in pronunciando de morbis, vt secundo Epidemiorum: modò duo, vt in libro de Aëre & aquis, & tertia Aphorismornm,cum præcedens fuerit contrarium primo assumpto: modò tria, vt in eisdem locis, cum præcedens fuerit simile, vt hyems veri: modò quinque cum vuult pronunciare de ingenti peste. Et quòd necesse est assumere plura tempora in duobus casibus, vel cum volumus pronunciare de magna multitudine morborum, ac prauitate: vel cum tempora parum recedunt à naturali statu, & ad qualitates minus morbificas, vt frigus & siccitatem. Propterea dixit in quinto Epidemiorum: In illa media constitutione (non enim numeraui illam inter constitutiones, quòd imperfecta & mutilata esset (siccitates multæ post Fauonium factæ sunt, vsque ad æqniocțium autumnale: sub Canem æstus validi, calidi venti, febres sudorificæ, tubercula iuxta aurem multis oborta sunt, Fauonius siccus ventus post æstatem. Verisimile est auctorem loqui de æstate anteriore conuerso modo, ne interponetet hyemem totam, & ver, & medietatem primam æstatis: Neque scribit quando fuerint febres sudorificæ, & tubercula. Verùm credendum est, in ipso æquinoctio, & post subsecutos imbres: ideò ex corruptione aeris immodicè sicci, & prius etiam calidi, exurentis humores, quasi diluto veneno in multo humido ex imbribus genito, factas fuisse febres sudorificas, & tubercula. Sed iam declaremus vnum pro exemplo ex difficilioribus, quod est Georgij scilicet: Cur ver præter naturam loci vehementer frigidum, faciat pestem sequenti æstate quod etiam est Hippocratis tertio Epidemiorum, cum inquit. Quum autem esset annus austrinus, humidus & mollis per hyemem quidem sani degebant, exceptis tabidis. Ante ver autem, simul cum orientibus frigoribus, sacri ignes multi quibusdam cum occasione, quibusdam non: atque hi maligni multos peremerunt: multis fauces doluerunt, voces vitiatæ, febres ardentes, phrenitici, ora vlcere feruido affecta: in pudendis tubercula, lippitudines, carbunculi, alui turbatæ, ciborum fastidia. Inde non multo pòst subiicit: Cœperunt igitur febres ardentes ante ver: itemque phrenitis post facta frigora: & plurimi tunc ægrotarunt. Nec refert quod in primo dixerit, Ver autem frigidum aquilonium, aquosum, nubilum. Nam non fuit nec siccum, nec cum magnis frigoribus. Nec quod pòst: Circa æquinoctium hyemes maximæ ver aquilonium, siccitates, pluuiæ paucæ frigidæ: circa solstitium æstiuum aquæ paucæ, magna frigora vsque ad Canem. Nam hyemes, id est tempora humida fuerunt, & quod subsecutum maximè frigidum, vt neque antè propter humidum, neque pòst propter frigus, morbos generare potuerit. Sed audi illum in quarto: Circa solstitium hybernum aquilonares venti erant, morbo regio corripiebantur, abundè colorati, & partim horridi, partim non, linguæ combustæ tertia die. Vt clarum fit, frigus ipsum vehementer cum ventis aquilonaribus etiam hyeme obesse, quanto magis vere? Nam coacto humore intus copioso, & vltra metam, aduruntur: quoniam calor non potest exhalare, ideo putrescunt vehementer, & morbos generant pestilentes. Si enim ver secundum naturam, & cum hoc quod exhalare facit humores, generat furores & atras biles, morbos comitiales, & attonitos. quales generabit morbos, cum ipsos humeres exhalare prorsus prohibuerit, & præter naturam fuerit? Certè longè plures, & lethalissimis lethaliores. Ex aëris autem præsenti qualitate, Aristoteles docet turbulentum, qualis est iuxta lacunas & stagna hyeme, si perseueret æstatis tempore, vel etiam antumni initio, dum adhuc calet aer, pestem breui futuram prædicere. At ex ortibus & occasibus siderum (vt iubet Hippocrates in libro de Aere & aquis ac locis) vt dixi, obseruatum est, quoties Pleiadum matutino sub occasu, qui fit autumno, Sol, Venus Mercurius simul fuerint in Scorpione, cum Saturno aut Marte, vel Saturnus aut Mars inter Pleiades tunc fuerint: aut regio illa talis fuerit, vt alter eorum sit in Leone, & meridie, dum Sol oritur, ex Marte quidem per pestilentes & acutissimos morbos plurimos ipso eodem tempore interire: ex Saturno autem, acutos non simpliciter, sed & diuturnos, eodem modo. Oportet autem saltem per octo dies permanere. Ex huiusmodi igitur rationibus facile est, vt liquet, præscire

Pag.12.

Const.pestilenti.

Const.1.

Const.3.

Pag.2.

3.Apho.11.

Pri.prob.21

Pag.2.

præscire cuncta quæ in annis euentura sunt, præsertim medico, vel philosopho, circa morbos, præcipuè quatuor illos iam dictos, cum pestilentes futuri sunt, aut non, considerare atque præscire, prædicereque. Sed iam ad institutum redeamus.

Quartum periculum est ex annonæ caritate, in qua tot pauperes moriuntur. Nec est quod quis putet, vt quidam simplices aut improbi credunt, aut credere simulant, quòd debeant perire fame, id est defectu ciborum prorsus: hoc enim vix vnquam accidit, sed moriuntur fame, quod coguntur edere cibos malos natura, & etiam corruptos. Vnde Galenus in libro de Cibis boni & mali succi, longa serie docet, quòd cum primo omnia cerealia defecissent, post etiam legumina, rustici coacti sunt edere radices & germina agrestium plantarum, & herbas etiam incognitas, vnde vere & æstate facta est pestilentia illa generalis, sed non contagiosa, nec primi nec secundi modi: quæ tamen tandem transiit in pestem contagiosam, non buboniam, ex qua passim moriebantur, tam qui bono quàm qui malo essent vsi regimine. Quod licet Galenus ibi non aperte dicat, cognoscitur tamen ex historia Eusebii Cæsariensis, & ex dictis ipsius Galeni, qui plures nobiles, & seipsum fatetur correptum esse, vt dixit in libro de Libris propriis: vt solum id in dubium reuocare liceat, cur post famem pestis succedere soleat, & afficere etiam non tantum illos qui malè vixere, sed qui bene. Et dicam quid sentiam. nam & Eusebius refert, Christianos, qui tunc in villis habitabant tempore pestis Maxentij, quæ fuit posterior pestilentia, cuius meminit Galenus (nam ob religionem, ab vrbibus prohibebantur) multo minus vexatos, quanquam fame premerentur ob paupertatem, quàm qui in vrbibus. Causa erat, quoniam (omitto modò, vt ille rectè dicit, quòd Deus suis faueat) qui in villis degunt, magis subiiciuntur pestilentiæ communi non contagiosæ: qui in vrbibus, buboniæ. nam qui in villis sunt, primum vberiorem habent copiam germinum, & herbarum ac radicum, & recentium & incorruptarum, & liberiorem aërem: ideo morbos plures contrahunt. & quia robusti sunt, si materia protrudatur ad cutim, fiunt carbunculi, & pustulæ, & euadunt, vt Galenus ibidem dicebat: neque est aliquid ex terranatum quod possit gignere buboniam pestem, præter fungos, & hoc etiam raro. & ideo raro ad illam deueniunt. at qui in vrbibus, primùm herbas & germina semiputrida comedunt, & præter id carnes corruptas, salitas, recentes, & animalium non esui aptorum: præterea sanguinem, pisces, caseum, corrupta, at ex his bubonia & deterrima pestis generatur. Et hoc latuit Galenum, quia non nouit pestem buboniam. ideo propagatur tempore famis, in vrbibus maximè, vbi aër non est corruptus, contagium consuetudinis, & corruptionis aëris ex vaporibus: in ruribus autem, pestis ex cibis. Ex quo patet, quòd sunt quatuor genera pestis: Commune, quod fit ex corruptione aëris, vel aquarum, quod (vt dixi) est contagiosum, id est ab aëre: & etiam à consuetudine, sed leuiter, & est impressio ab astris, & non potest gigni (vt putant stulti) neque ob inopiam rei frumentariæ, neque alia causa, sed est à Deo, & cœlo. Secundum est ex cadauerum multitudine, exhalatione terræ, & locustis: & hoc fit ex vaporibus, & est contagiosum ab aëre, non à consuetudine, sed persæpe generat pestem buboniam. differt à primo, quia est in vaporibus, non in aëre, vel aqua. Tertium est ex consuetudine, & contactu, & est bubonia pestis: & est cum vltima putredine, & potest generare secundum genus, & inficere aërem vaporibus lethalibus, & est pessima celeritate mortis, & multitudine morientium: & quia pauciores seruantur. Quartum est, quod fit ex fame: & si comedant cibaria agrestia, non permutatur, nisi quandoque in secundum genus. si autem comedant res corruptas, & maximè ex animalibus, permutatur in buboniam. Et recitat Auenzoar, quòd aliquando fuit tanta fames in Africa, vt homines eruerent ossa è sepulchris (horribile auditu) & comederent medullas, & statim mortui concidebant. Et de his non est dubium quin facta fuerit pestis bubonia, ex tanta putredine. Et sicut primum genus non potest fieri ab aliis vnquam, sed potest esse causa omnium aliorum, vt dictum est: ita bubonia pestis necessariò fit ab vna aliarum semper, & per accidens. Et hoc declaratur, quia cum non fiat à cœlo, nec aëre, nec sit perpetua: igitur oportet vt oriatur casu ex aliis, vel etiam per putredinem linteorum sepulchrorum, vel exhalationis alicuius corruptæ. Et nullum genus etiam, præter primum, potest esse generale toti orbi, sed vni prouinciæ tantum. Dico ergo, quòd ob diuturnam famem quæ perseuerat, periculum est ne succedat vnum ex tribus generibus pestis: & forsan possent coniungi duo, vel tria. Et tandem vt dicam quod sentio, vbi perseuerauerit fames, necesse erit vt hoc contingat.

Propterea sciendum, quòd humores gignuntur praui in corpore, ex cibis prauis: qui si sint ex plantis, non eò corruptionis deueniunt, vt faciant pestem buboniam, quia non perfectè putrescunt. quod apparet experimento: si caulis & caro putrescant, odor caulis parum sentitur, nec est horribilis: at carnis est fœdissimus. Corruptio ergo humorum ex plantis genitorum, diu seruari potest, & ad extremam putredinem non peruenit: ouorum, piscium, carnis, & eorum quæ lacte constant, ad summum peruenit putredinis, & statim vt etiam concoctio optima est. Deus enim rectè cuncta dispensauit, optima pessimis opponens. Aqua non bona, non mala. Vinum optimum, pessimum: olera non bona, mala parum: caro optima, pessima.

Cap. pri. in prim.

3 Theisir. Tract. 3. c. de feb. Pestilenti.

ſima. Ergo concepti iam humores cum aduruntur, morbos lethales efficiunt: attamen peſtem buboniam non gignunt. Non enim, quod medici falſo putant, exuſtio ad veram peſtem, quæ eſt putredo & contagium primi modi, deducit, ſed ad contagium ſecundi. Voco primum & ſecundum modum, vt in libro de Venenis, quoniam quæ ardent, ſiccantur, ſicca minus perfectè putreſcere poſſunt. Seruantur autem humores diu in venis, & ſi in conſtitutione praua poſſunt fermè per duos annos, aut ſaltem plus quàm per annum ſeruari: quanto diutius, ſi tempora non declinent multum à ſuo naturali ſtatu? Et ideò ad propoſitum veniendo, fieri poteſt vt humores ex mala conſtitutione geniti ſeruetur ad multos annos, & tandem perimant. Et dedi exemplum de alimento ex cucumeribus, in libro de Venenis. Si ergo non fuerit fames cauſa peſtilentiæ, non video aliam cauſam, loquendo de peſtilentia alia à primo genere. Et hæc de generali diſpoſitione, & quo ad Romam. nam fieri poteſt ex his quæ adducta ſunt, vt in aliquibus vrbibus atque oppidis contingant euentus quidam admirabiles: quod non ſolùm veriſimile eſt, ſed neceſſarium, propter tot cauſas: famem, conſtitutionem præteritam, rationem victus in pluribus locis malam, & tot fortuita quæ contingere poſſunt. Solet enim dici: Qui ſæpe iacit, aliquando collimat. Velle autem hæc ſpecialiter quærere, nec eſt in petitione: & laborioſum eſſet mihi inter tot occupationes. Et etiam Hyppocrates ſecundo Prædictionum, iubebat nos abſtinere, quantum poſſemus, à prædictione futurorum. Superſunt autem ſolùm duo dubia. *Pag. 2.*

Primùm, quia forſan dicet aliquis, Cur non cenſendi ſunt morbi peſtilentes qui præfuere, cum tam multos interemerint? & ſi peſtilentes, etiam contagioſi. Reſpondeo, quòd morbi epidemij non dicuntur peſtilentes, cum multi moriuntur: ſed cum maior pars ægrorum: gratia exempli ſit, vt in vna vrbe ægrotent decem mille viri, & moriantur tria millia ex his: in alia autem ægrotent mille tantum; & moriantur ſeptingenti: prima vrbs dicitur laboraſſe epidemio morbo ſolum, licet plures perierint, & ſecunda peſtilenti: eſt enim peſtilentis morbi, quòd in multis viguerit, & plures perierint quàm ſeruari potuerint. Ideo ſi triginta ſolum in vna vrbe ex eodem morbo pereant, etiamſi nulli alij ægrotauerint, non dicitur peſtilens morbus: quia vt ſit peſtilens, neceſſarium eſt vt ſit epidemius & vt ſit epidemius, vt ſit in magna parte habitantium: & non ſit conſuetus, aliter dicetur Endemius, non Epidemius. Ideò dico, quòd fuit morbus epidemius. non peſtilens.

Secundum dubium eſt, Quænam febres fuerint, quæ hos morbos concomitatæ ſunt? Quidam dixere, continentes, & ſynochas. at conſtat tales eſſe ardentes, non lentas, vt pleræque fuere. Deinde quia perire multi ex ſuffocatione, non ex vi febris. Materia etiam erat maiori ex parte pituitoſa. Et peripneumoniæ in hoc differunt ab eryſipelate pulmonis, quòd maxima ex parte fiunt ex pituita: vt in vndecimo Contradicentium docuimus. Propterea ad pauca reſpicientes, de facili pronunciant. Non negauerim, aliquas fuiſſe febres, continentes ſporades: nam etiam in ſingulis conſtitutionibus communibus eueniunt morbi Endemij, id eſt, loco vel tempori proprij, & ſporades: ſed morbi Epidemij habuerunt febres infra mediocritatem. Et pulſus non eleuabantur ad ſymmetriam, quod eſt proprium continentium. At & hic medici refugiunt ad ſuas febres occultas, & ſepultas: verè vtrumque, occultas illis, & quæ ad ſepulturam deducebant. Dico ergo breuiter, quòd huiuſmodi febres erant ex his quæ conſequuntur collectionem, vt declaratum eſt à nobis in Arte medendi parua, quam nos confecimus. Et non ſunt hecticæ, nec putridæ, nec ephemeræ: Etſi dicant (quod ſcio ſtatim dicturos) ex primo de Febrium differentiis, non poſſunt eſſe plura ſubiecta, vt ex Hyppocrate ſexto Epidemiorum, quàm continentia, contenta, & impetum facientia, ſeu membra, humores & ſpiritus. Dico, quòd ibi Galenus diuidit febres per ſe. Si tamen velis eſſe febrem vnius ex his generibus, vt Galenus tertio de Præſagio ex pulſib. reducit peſtilentem ad hæc genera eadem, vt etiam velit quandoque eſſe hecticam, admitto: ſed eàdem lege, vt accidentia non habeat eadem, eritque in humoribus. Sed ſicut in peſtilenti, & pulſus & vrinæ contra naturam putridarum, ſunt fermè ſanis ſimiles, & citò perimunt, contra naturam hecticarum: ita etiam febres hæ conſequentes, collectiones ſunt proculdubiò in humoribus collectis: vt etiam in morbo laterali, non autem vniuerſis: & habent peculiaria ſigna, & curam. At cum obſtinatè quidam imperiti medici proſequi velint tanquam Synocharum, ægros fermè perdunt, nec animaduertentes aliam fuiſſe mentem Hippocratis, Galeni, & Principis, in hoc vno conſentientium. Ex hoc patet, quàm facile eſſet, ſi rectè intelligerentur hæc, occurrere generaliter peſtilentibus morbis, vt referunt Hippocratem & Acronem medicos feciſſe: quorum alter totam Græciam, alter Athenas duntaxat, à ſæuiente in aliis locis lue liberarunt: tum verò etiã ſpecialiter ſingulis, non ſolùm ob cauſæ inuentionem, quam docuimus, ſed multo magis quòd omnium vnus ſit modus proprius vnicuique morbo contagioſo, quemadmodũ & ille vnus eſt: alius autem à generali ratione medendi conſimilium (vt in libro de Venenis docuimus) quem quiſquis inuenerit, & intellexerit, omnes fermè ſeruabit. Ex contagio autem primi modi etiam multos

Contrad. 7. *Cap. pri. ſec. 8.* *Cap. 4.* *Prima 4. tract. 1. cap. 1.*

multos, imò plurimos, qui non nouerit, plus medendo quandoque nocebit quam iuuabit: seruabitque ægrè non multos: nisi ex eo genere morbi sint quod non sit lethale, quanquam grauis: velut Hippocrates reci- *Sec.prim. Pag.pri.* tat de illis ægris primo Epidemiorum, qui vehementer conflictati euadebant. Neque hoc ignorat vulgus, qui plus his empiricis tribuit, quam medicis. Nos autem de his, quòd nondum ingruant, nec interrogati simus, dicere supersedemus, satis enim est *Cap.20. c.18. & 19.* eam curam me explicasse in tertio de Venenis. Itaque & horum, & illorum scilicet qui ex aëris vitio morborum fiunt, per singula genera curam enarrauimus. Nam nisi præcipiti nimium morte perimat, vt ea fuit pestis quæ ab anno M. CCCXXXIX. quindecim perpetuis annis totum peruagauit orbem: prudentis medici munus erit, obuiam ire tum in singulis, tum in vniuersis. At in huiusmodi securior est custodia, quàm cura. Quanquam, vt dixi, & cura, per ea quæ propriè opponuntur, admirabilis sit. Nos itaque per genera, vt diximus, singillatim eam tractauimus. Liquet enim ex coniugationibus temporum, simplices pestilentes cum his quæ fiunt ex duorum comparatione, & annuas, ad numerum mille septuaginta octo peruenire. Quod facilè sic colligimus: In aëre octo possunt esse simplices intemperies harum singulæ & per se, & cum borealibus ventis, vel austris iungi possunt, vt sint sexdecim. E quibus sex sunt humidæ, quæ possunt esse imbriferæ atque serenæ: itaque sex illis duplicatis, fient duodecim: additis autem decem reliquis, fient viginti duæ, quæ veri congruere possunt. Vnaquæque harum singulis æstatis iungi potest. Ductis igitur viginti duobus in se, fient constitutiones veris, comparati ad æstatem, CCCCLXXXIIII. totidemque autumni ad hyemem collati, eruntque in vniuersum DCCCCLXVIII. Quibus si singulorum temporum simplices, octuaginta octo (sunt enim quatuor tempora) & totius anni viginti duæ addantur, fient omnes coniugationes temporumque constitutiones mille septuaginta octo, præter eas quæ imperfectæ appellantur: velut in *Sec.3.in pr.* sexto Epidemiorum: Tusses (inquit) cœperunt ex frequenti australium & aquilonarium, & nimbosorum transmutatione. Est & vna inconstantis temporis, de qua Hippocrates tertia Aphorismorum: In temporibus quando eadem die modò calor modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. Omnes igitur MLXXIX. Quæ ad tria genera reducuntur. Leues vnius tem- *3.Aph.11.* poris, velut in Aphorismo illo: De temporibus, siquidem hyems sicca & aquilonia *Aph.12.* fuerit. Duorum temporum, velut in se- *Aph.13.* quenti. Trium temporum, vt cum ex duobus in tertio secundum naturam prædictio fit, vt in illo: Si verò aquilonius & siccus. huiusmodi numerum non augent dicuntur enim duorum temporum constitutiones, quia tertium tempus secundum naturam est. Etenim quæ duorum temporum sunt, aliæ habent tempus secundum, iuxta naturam suam & dicuntur mediæ inter eas quæ sunt vnius temporis, & duorum. ad numerari tamen debent constitutionibus vnius temporis: vt quæ in Cranone, Epidemiorum secundo. Similiter & quæ in duobus, aliæ quidem in *Sec pri.* secundo tempore morbos decernunt, quæ non tam validæ vt quæ in tertio secundum naturam: vocantur tamen duorum temporum, quia solùm duo tempora à naturali statu euariant. Ita erunt quinque genera constitutionum apud Hippocratem: Mitissimum, cum in vno tempore fit permutatio & morbi: Mite, cum in vno tempore fit mutatio, in sequente autem secundum naturam, morbi: Mediocre, cum in duobus temporibus mutatio fit à naturali statu, sed in secundo eorum fiunt morbi: Vehemens, cum mutatio fit in duobus temporibus, morbi in tertio, quod secundum naturam sequitur: & Violentissimum, cum mutatio à naturali statu fit in toto anno, & est tota similis & vniusmodi aut etiam si plus duret, morbi autem insequenti anno apparent, postquam constitutio præter naturam cessauit. Vnde etiam illud animaduertendum, quòd tempora præter naturam quandoque præsentes faciunt morbos, cum calida & humida fuerit constitutio, aut venti mutantur in contrarium frequenter: aut si valida est multum: secus antem fiunt morbi in temporibus secundum naturam, qui illis succedunt. Inconstantem ex ventis australibus & borealibus consecutæ sunt anginæ, sexto Epidemiorum: è quibus mortui sunt qui febricitabant, cæteri seruati sunt. Oportet autem solùm tamen eas obseruare, quæ eui- *Sec 7.* dentes habent qualitates, & conspicuas constitutiones validas & firmas, ac diuturnas: ne pulcherrimum inuentum Astrologorum more fœdetur. Quas cum quis diligenter obseruauerit, & ad causas suas retulerit, non solum securè & tutò, sed magna cum admiratione de singulis temporibus prædicere poterit. Etenim si quis diligenter animaduertat, cuiusque harum prædictionem exemplo commonstrauimus: modò ne desit ingenium, solersque cura: Sed & viliore inuento etiam in singulis edoctus, per ea quæ diximus in libris de Venenis, occurret. In vniuersum enim septem sunt naturæ pestilentium morborum, ex aëris constitutione. nam cum tria sint membra vitæ, principalia, cor, cerebrum, iecur: hocque solum non respiret: duo reliqua ab aëris constitutione inficiuntur. aut igitur materia in cerebro collecta facit abscessum, fitque phrenitis: aut spargitur, oriturque atrabilis: aut emittitur ad oculos, guttur, venas, soporarias, fitque lippitudo, angina, attonitus: aut circa cor colligitur, fitque lateralis morbus ac peripneumonia: aut spargitur, oriturque acuta febris: aut expellitur dum prope iecur est, fitque difficultas intestinorum ex caua, & vrinæ ex gibba: aut in ambitu, gignunturque carbunculi, & sacri ignes. Manifestum est autem, quòd ex his quæ dicta sunt, finis hyemis, & veris initium, laterales morbos & pulmonias habere debet: æstatis autem initium, si ver humi

humidum & australe perseuerauerit, febres acutas, intestinorum difficultates, lippitudines pestilentes secundi modi, iuxta naturam aëris constantem: omnis enim immoderata qualitas partium anni pestilentes morbos parere nata est, præsertim calida, & humida, & aquosa, & frigida, & sicca.

Hæc sunt, vir illustrissime, quæ mandante amplissimo viro Gubernatore huius almæ Vrbis, inter multas occupationes sex dierum spacio absoluimus: vt Summo ac Beatissimo Pont. & tibi satisfaceremus, & communi vtilitati pro viribus consuleremus. Nonis Martij, 1563.





APHORISMORVM ASTRONOMICORVM

SEGMENTA SEPTEM.

SEGMENTVM I.



Ita breuis, ars longa, experimentum non nostri arbitrij, iudicium difficile, oportet autem non solum seipsum exercere in iudiciis, sed etiam aliorum, qui secundum rationem locuti sunt, scripta perlegere, ac causas naturales eorum, quæ experimento apparent, inuenire, loca etiam vera syderum habere, tum veros progressus locorum, ac veritatis amatorem præcipuum esse.

2 Scientia casuum tribus modis perficitur: quod futuri sint, quòd occidant tandem, & quòd tunc occidant. maximum est igitur scire, quid horum trium significetur.

3 Cum artes, quæ propriis subiectis inhærent, nihil certi polliceri de futuris possint, Astrologus nunquam absolute quicquam de futuris pronunciare debet.

4 Validas syderum constitutiones, natura tamen mediocres, in pauperibus ad infortunia, in potentibus ad egregia facta retrahes. Si tamen bonæ, cum hoc etiam valde fuerint, aut malæ, fœlicitatem aut detrimenta significabunt.

5 His quæ non secundum rationem sunt, non est fidendum, neque vt diuturna sint, sperandum.

6 Quibuscunque magnæ eueniunt repente fœlicitates, his & detrimenta repente magna eueniunt.

7 Syderum locos ante diligenter oportet habere exploratos, quàm ad iudicandum venias, tum vero ex coniectura, velut eum Lunæ scimus locum, addito argumento latitudinis, capitis draconis, & reliquorum planetarum, per Solem.

8 Arithmetica nonnisi aliqua ex parte sciri potest. Ob id igitur motus astrorum nunquam perfecte sciri poterunt, nec iudicia quæ ex his. oportet igitur singulis temporum curriculis, ex nouis obseruationibus motus syderum emendare.

9 Melius est longe, pauca recte & firmiter scire, quàm multa erroribus mixta.

10 Bonum est scire, quantum quisque Planeta antecedat singulis annis, & rursus, circuitus eorum, necnon fixarum, & capitis Draconis.

	Circuitus stellarum & syderum.					*Progressus in anno.*			
	An.	Dies	hor.	mi.	sec.	Par.	mi.	sec.	ter.
Fixæ	49000.	0	0	0	0	0	0	32	14
Satur.	29	157	22	43	0	12	13	53	5
Iupiter	11	311	23	0	3	30	21	35	18
Mars	1	321	22	40	18	191	24	31	14
Sol	0	365	5	48	41	360	0	0	0
Venus	0	365	5	48	41	360	0	0	0
Merc.	0	365	5	48	41	360	0	0	0
Luna	0	27	7	43	7	132	34	12	7
Caput	18	224	8	0	0	19	20	29	33

11 Sunt & præter septem planetas cognitæ stellæ in octauo orbe, in prima magnitudine 15. in secunda 45. in terria 208. in quarta 474. in quinta 217. in sexta 49. obscuræ 9. nubilosæ 5. omnes igitur 1022.

12 Partes octaui orbis inanes, partim ex natura signorum, partim ex natura circumiacentium syderum constant.

13 Principia artis sunt tria, ratio, sensus, experimentum. Principia vero operationum sunt quatuor, Planetæ, partes cœli, fixæ & situs.

14 In coniunctione & quadrato, dirige locum planetæ & corpus, sed in oppositione, trino, & sextili, semper directio loci fit, computata latitudine radij.

15 Scies æqualitatem dierum, & inæqualitatem, quæ prouenit, vel quia Sol mouetur celerius in absidis opposito, quàm in abside, vel quia arcus ab initio Capricorni ad finem Geminorum, celerius ascendunt arcubus reliquæ medietatis.

16 Cum volueris ex loco syderis habito per instrumentum, horam distantiæ ab aliquo principio, dando cuilibet parti minuta quatuor horæ, operare cum conuerso.

17 Manifestum est igitur, quod differentia tota, quæ contingere potest, erit horæ vnius, minutiarum quinque & secundorũ viginti octo, quanquam paulo maiorem, sed

absque differentia sensibili eam inuenerit Ptolemæus.

18 Scire etiam conuenit reuolutionem singulorum Planetarum in paruo circulo, in quanto tempore fiat.

19 Melius est modicum scire de rebus altissimis, quàm multum de humillimis.

20 Astrologia altissima scientiarum est, tum quia de cœlestibus, tum quia de futuris, quorum scientia non solum diuina est, sed etiam vtilissima.

21 Quædam tamen sciuntur perfectè, vt circulorum ascensiones, quædam propinquo modo, vt Solis reuolutio, quædam sciri possunt etsi non sciantur, vt reuolutio superiorum: quædam sub scientia sunt, sed nunquam sciri poterunt, vt ingressus Solis in æquinoctij punctum: quædam nec scientur nec sciri possunt, vt mixtiones syderum ac vires.

22 Est autem quoddam supercœleste, quod hominem ad diuinandum iuuat.

23 Nullus Planeta in æternum redibit ad primum locum, nec etiam in longissimis temporum spaciis, ad locum pristinum secundum sensum, alius à Sole.

24 Stulti negligunt & contemnunt Astrologiam, qui contradicit ambitiosus est, qui maledicit fatuus, diuinum enim est arcanum, ob id qui naturalibus relictis causis, illi tantum inhæret, leuis est, oportet igitur adiuuari.

Tabula æquationis dierum.

Partes			3	6	9	12	15	18	21	24	27	30
Aries	Gr.	minue	1	1	1	1	0	0	0	0	0	adde 0
	Mi.		55	40	24	9	55	40	26	12	1	11
Taur.	Gr.		0	0	0	0	0	1	1	1	1	1
	Mi.		23	32	41	49	55	0	3	6	5	4
Gemi.	Gr.		1	1	0	0	0	0	0	0	0	0
	Mi.		2	0	55	49	42	35	27	19	10	0
Canc.	Gr.	minue	0	0	0	0	0	0	0	1	1	1
	Mi.		11	20	29	37	45	53	58	3	5	7
Leo.	Gr.		1	1	1	1	1	0	0	0	0	0
	Mi.		10	10	8	5	1	53	46	37	28	16
Virgo	Gr.		0	adde 0	0	0	0	1	1	1	1	2
	Mi.		3	9	22	37	52	7	22	38	54	10
Libra	Gr.		2	2	2	3	3	3	3	3	3	4
	Mi.		25	40	54	7	19	30	40	46	55	1
Scor.	Gr.		4	4	4	4	4	3	3	3	3	3
	Mi.		5	8	7	5	3	58	51	42	31	19
Sagit.	Gr.		3	2	2	2	1	1	1	0	0	0
	Mi.		4	48	31	13	52	31	9	47	24	0
Cap.	Gr.	minue	0	0	1	1	1	2	2	2	3	3
	Mi.		25	46	7	29	49	9	28	45	0	15
Aqu.	Gr.		3	3	3	3	3	4	4	4	4	3
	Mi.		26	38	46	54	58	1	2	3	0	56
Pisces	Gr.		3	3	3	3	3	3	2	2	2	2
	Mi.		51	45	36	27	16	5	52	38	24	10

Reuolutiones Planetarum in paruo circulo.

Planeta	An.	di.	ho.	mi.
Saturnus	1.	12.	20.	24.
Iupiter	1.	33.	15.	24.
Mars.	2.	49.	10.	47.
Venus	1.	218.	16.	26.
Mercurius	0.	115.	21.	5.
Luna.	0.	27.	13.	8.

25 Difficile est iudicare, per ea quæ scripta sunt: longe difficilius, artem ipsam tradere: difficillimum autem, artem ipsam inuenire.

26 Puer tunc nasci dicitur, cum aërem primum, per os inspirat, extra matris vterum.

27 Cum duplicaueris distantiam loci æqualis Lunæ à loco Solis: fit argumentum Lunæ medium cumque numeraueris partes distantiæ Solis à superiore Planeta per motum æqualem, habebis distantiam ipsius Planetæ ab abside.

28 Et modus erigendi figuram, pro directione talis erit, vt non solum planetæ, sed & fixæ, cum suis dimensionibus imponantur, fixæ signiferi 246. & 27. extra.

29 Et conuenit, vt habeas instrumentum Planisphærio simile, magnum valde, diuisum in 3600. cum quo facies directiones sine labore

labore, tam directas quàm conuersas Et eodem modo pro genituris, pones in tabnla magna omnes fixas signiferi, & reliquas magnas extra loco suo ad vnguem, & in limbo exteriore partes & minuta latitudinis, pro imprimendo.

30 Est etiam vero simile, vt quilibet Planeta dirigatur per lineam, per quam defertur, vt Sol per eclipticam, & reliqui omnes per circululum suæ latitudinis, & sic sciemus fixas, quibus occurrunt secundum corpus, nam directio loci semper est per partes eclipticæ.

31 Cum igitur ita sit, conuenit vt etiam radij, omnes eodem modo in illo circulo sumantur, quare oppositi Soli, cum modo Blanchini conueniunt, Oportet igitur scire maximas Planetarum latitudines, & loca in quibus circulus latitudinis eo tempore eclipticam secat, inde quærere radiationes & directiones per tabulas primi mobilis, vel cum instrumento.

Latitudines maximæ Planetarum.

Saturnus	Iupiter	Mars	Venus	Mercur.	Lunæ.	
Par. mi.	Par.mi.	Par.mi.	Par.mi.	Par.mi.	Par.mi.	
3. 5.	2. 8.	7. 7.	7. 22.	4. 13.	5. .	Au.
3. 2	2. 4.	4. 21.	7. 23.	4. 5.	5. 0.	Bo.

32 Oportet autem non simpliciter sumere maximam latitudinem, sed illam quæ tunc maxima est, cum planeta in eo circulo fertur.

33 Manifestum est igitur, Astrologiam constare ex scientia motuum exquisita, & naturali philsophia, quorum neutrum cum plerique habeant, vtrumque ante hæc nemo, nil mirum est, infamiam arti prædecessores nostros addidisse.

34 Est igitur Astrologia, vt pulcherrima, sic laboriosissima, & difficillima.

35 Ex rotunda autem figura, habemus quo loco directio pertingat, naturam partium existentium in domibus, totius similitudinem cœli, reuolutionum concursus.

36 Licet & inter duos circulos, lineis deductis minuta deprehendere in instrumento.

Absides Planetarum 1540.

Saturnus	Iupiter	Mars	Sol & Venus	Mercurius.
S. gr. mi.	S. gr. mi.	S. gr. mi.	S. gr. mi.	S. gr. mi.
♐.13.39.	♍.23.53.	♌.15.28.	♋. 1.41.	♎.0.55.

Aux Lunæ singulo mense reuoluitur.

37 Permutationes absidum, regna, & regiones, & religiones mutant, & Planetæ vel ascendens in his, vel oppositis, vim à natura eius contrahunt, cuius est absis, puram in abside, deprauatam in opposito, conuenit igitur hos scire.

38 Impressiones à genitura, quæ in loco remanent, vsque ad tempus, in quo perfici debent, sunt partim in loco, & partim in materia quæ variatur, & morborum circuitus declarant eas.

39 Et planetas superiores constat reuerti ad eundem situm cum Sole, Saturnum in annis 59. Iouem in 71. Martem in 79. quos maio res planetarum vocant annos.

40 Luna cum nodo esse dicitur, quoties intra terminos eclipsium constiterit.

41 Luminare temporis Sol est in die, & crepusculo matutino, Luna in nocte supra terram, & in suo matutino exortu. Duo igitur quibusdam temporis luminaria, quibusdam nullum.

42 Additiones 360. partium supra anni dies, vsque ad 69. partes, semper in sequentem annum iudicium directionis transferre possunt, in 70. partibus necessario transferunt, & quandoque etiam ad secundum annum cum in finem reuolutionis directio inciderit.

43 Bonum est ac necessarium etiam, scire initia & fines figurarum cœli, cum quibus partibus, cœli cor possideant, orianturque, & occidant.

44 Planetæ in quibusdam partibus suorum signorum, magis exaltantur, vt necesse sit hoc scire in horum antem oppositis deterius se habent.

45 Non solum scire decet, singuli partibus quot anni vel dies correspondoant: sed etiam annis vel diebus, quot partes,

Anni Dies	Par.	Mi.	sec.	ter.	Exaltationes.		
1	0	59	8	20	♄	♎	21.
2	1	58	16	40	♃	♋	15.
4	3	56	33	20	♂	♑	28.
8	7	53	6	40	☉	♈	19.
16	15	46	13	20	♀	♓	27.
32	31	32	26	40	☿	♍	15.
64	63	4	53	20	☽	♉	3.
128	126	9	46	40			
256	252	19	33	20			

46 Figuræ æquicruriæ, dicuntur, quæ ad eosdem ab æquinoctij circulo pararallelos terminantur, nam in æqui cruriis essent omnes planetæ, qui æqualem & eandem haberent latitudinem, si è polo signiferi arcus æquales ducerentut. Qui vero à puncto sectionis circuli meridiei & orizontis ducti æquales sunt, non tamén æquicruriam figuram possunt constituere, cum stellæ illæ secundum nullum motum in vno & eodem circulo ferantur, quæ igitur latitudine carent, æquicruriam constituunt figuram, cum in antisciis æqualiter à tropicis distantibus fuerint & aliæ eadem ratione.

47 Oportet & mensem appellare, lunarem reditum Lunæ ad eundem locum, numerando

do dies per reditus Lunæ ad circulum horizontis, diebus 26. horis 9. minutiis 30. secundis 51. igitur constabit, vnde alia ratio iudicatoriarum dierum, quàm ea, quæ dicta est in primo contradicentium.

48 Gloriabuntur multi ea quæ scripta sunt intelligere: quos ex prædictionibus agnosces. Quicunque autem totum non intelligit, nec vel partem minimam intelligere se sciat.

49 Res veræ exseipsis sunt expetendæ, scientia enim bonum quoddam est. delectamur autem bonorum expectatione, futura mala vitamus, lenimus, aut leuius ferimus.

50 Multitudo geniturarum necessaria fuit experimento, illam peperit facilitas supputandi, vnde ars, ex experientiis enim multis illa constat.

51 Vitæ hominum perfectis ex se constant circuitibus, corrumpuntur autem nec perficiuntur, obuiantibus syderibus & casuum varietate, partes igitur fiunt eorundem.

52 Cum Luna in morbis, ad planetas morbo contrarios, maxime autem fortunas accesserit, morbus in melius mutatur.

53 Sol euidentissimus, inde Luna, inde stellæ maiores & clariores, effectus habent manifestiores. vbi igitur ordo, & ratio etiam ordinis erit.

54 Maiora cum sint astra quàm Luna, moueanturque & radiis inferiora illustrent, necesse est etiam, vt maiores quandoque effectus in hæc inferiora producant.

55 Quæcunque vero lentius operantur, diutius protrahunt effectus suos, neque enim delitescere vis syderis potest nec aboleri, indicat autem hoc nebula circa asinos.

46 Cum vero singularia ex generalibus constet, generalia autem ab astris gubernantur, vt aquæ æstus à Luna, necesse est etiam, ex illorum mixtione, vnumquoque singulare agi.

57 Ostendunt & astrorum effectus quædam propria, vt Herculeus lapis, cum ad Boream semper dirigatur, & Vergiliarum herbarum ortus & mors.

58 Dei igitur altissimi cœlum est instrumentum, quo inferiora agit, impellit, regitque.

59 Ostendunt & artis veritatem, Tiberij, Claudij, Neronis, Domitiani, Adriani, Gordianique Cæsarum experimenta, præter ea quæ Picinino, & nostris temporibus acciderunt.

60 Liceat & illius firmitatem: ex supremo in vnaquaque genitura fructu colligere. Vnde multi etiam parum exercitati imminentem sibiipsis mortem prædixerunt, vt Ioannes Bergomensis.

61 Luna cum eclipsim patitur, proprio lucet lumine rubente, vnde duplex ei virtus inest.

62 Sydera pleraque, quæ in signifero sunt, quandoque ab inferioribus planetis obscurantur, quod si contingat, proximis temporibus, vt in luminarium eclipsibus considerandum est.

63 Magnis viris, infirmæ geniture, ad eruditionem conducunt: vnde etiam plerunque breuis vitæ, vt Pico Ioanni. Pauperibus vero clare, vt Erasmo.

Ioanni Pico Mirandulæ Ludus Bellanius Senensis, qui contra eum scripsit, annum 34. illi vltimum ac fatalem prædixit ex reuolutione, nec deceptus est.

64 Considerare oportet coniunctiones, magnas, medias & minores, tum luminarium, atque etiam mutationes Planetarum tardigradorum in signis, congressusque ad fixas, pro temporum mutationibus.

95 Saturni & Iouis coniunctio minor fit, singulis annis 19. diebus 315. horis 19. Vnde processus fit per partes 242. mi 56. sec 9. hoc est autem per signa signiferi 8. par 2. mi 59. sec. 9. & sic in eadem trigona signorum natura, vt ex Ariete in Sagittarium, partibus ferme tribus procedens. Inde cognoscimus, ex ignea in terream, inde in aeream, post in aqueam transire signorum naturam, decem completis reuolutionibus, sub eadem signorum natura ac qualitate. Manent igitur in eodem signorum trigono, annis 198. diebus 236. communibus. Mediæ autem coniunctionis radix, fuit post Nabucdonosor, annis 6. diebus 67. cum Saturni & Iouis media coniunctio, in par 12. min 23. Arietis celebrata est. Quare magna coniunctio fuit, annis 53. diebus 148. ante Nebucdonosoris coronationem, in par. 3. min. 21. Arietis. Annis igitur ante Christum 800. diebus 98. sumpsit initium magna coniunctio, quæ singulis 794. annis 214 diebus renouatur.

66 Ex his igitur facile est videre, minorum coniunctionum loca & tempora, per continuam additionem annorum 19. dierum 315. & par. 242. min 59. sec. 9. & quæ tempora, quibus coniunctionibus subiiciantur.

67 Maxima coniunctio dicitur, cum permutando se ex aqueo signo, Arietem ingreditur, vnde prima non talis est, alia enim in Leone præcesserat.

68 Manifestum est igitur, quòd Mahumeti lex, sub Scorpione initium habuit, secundum authoris genituram in Piscibus. Sic fermè & Lutherani.

69 Tabulæ Ptolemæi, pro supputandis motibus Planetarum antiquis præstantiores sunt, Ephemerides pro præsentibus. Tabulæ Zacuti, Tabulæque Helisabet, breuitate sua difficiles, nec exquisitæ. Alphonsi mediæ inter Ephemerides & Ptolemæi. Tabulæ Ioannis de Lineriis & Hipparchi, difficulatate, alteræ quod non exactæ essent, exoleuerunt. Perpetuarum ephemeridum Tabulæ, crassa mineruа conditæ sunt. Ioannis Blanchini tabulæ, falso innituntur supposito, cum Solis maximam longitudinem in partibus 11. min. 32. Geminorum Christi, in radice quæ Ptolemæi tempora præcedit annis plusquam 140. posuerit, atque alia multa quibus demonstrationes Ptolemæi haud consentiunt. Copernici autem nondum perspecta est recte sententia: vix enim, quæ vellet, dicere visus est.

Tabulæ

Tabula magnarum & mediarum coniunctionum ſecundum medios motus.

	Anni	Dies	Sig.	par.	mi.
Ante Chriſtum.	800	98	♈	3	21
	621	177	♉	0	14
	422	306	♒	0	5
	204	120	♋	2	56
	5	249	♈	2	47
Poſt	192	352	♑	2	39
	391	223	♎	2	30
	590	94	♋	2	22
	788	330	♈	2	13
	987	201	♑	2	5
	1186	72	♎	1	56
	1384	308	♋	1	48
	1583	179	♈	1	39
	1782	50	♑	1	31
	1980	286	♎	1	22
	2179	157	♋	1	14
	2378	28	♈	1	6
	2576	264	♑	0	57
	2775	135	♎	0	48
	2974	6	♋	0	40
Chriſtum	3172	242	♈	0	32
	3371	113	♑	0	24
	3569	349	♎	0	16
	3768	220	♋	0	8
	3967	91	♈	0	0

Secundum Ptolemæum.

70 Si à Nabuchodonoſor ad Chriſtũ anni 746. communes, diéſque 310. computentur, iuxta Alphonſi placita, error in omnibus accidet planetis, ſecundum Ptolemæi tabulas: vt in Saturno vnius anni motum tranſcendat.

71 Quatuor ſunt ex quibus contingit errare, falſa ratio, falſa computatio, falſa obſeruatio, falſa temporum numeratio. His duobus vltimis, Ptolemæus errauit, aut altero eorum. veriſimilius igitur, prædeceſſorum ſuorum obſeruationes fuiſſe falſas, nam in ipſo non fuit error nec in ratione, nec in obſeruatione, nec in computatione, niſi forſan in temporum numeratione. à Ptolemæi igitur temporibus, obſeruationes conſiderare decet, vnde Alphonſi tabulæ certiores.

72 Primus menſis eſt vtero gerentium, Lunæ, ſecundus Mercurij, ſeptimo & nono non viuunt, qui autem ſeptimus ac nonus, octauus ac ſextus à philoſopho & Hippocrate appellantur.

73 Romanorum origo fuit in trigono igneo, Alexandri imperium in aëreo, Perſarum potentia in terreo, Mahumeti in aqueo

74 Principium eorum quæ à caſu contingunt, in anima nati eſt, quæ illum impellit, vt cauſam illam ſubeat, anima autem à cœlo ſecundum Lunæ motum impellitur, non in his quæ à natura ſunt.

75 Quæ impedire poſſunt valida exiſtentia, cum debilia fuerint, procraſtinant, aut minuunt effectus.

76 Eorum quæ in genitura decernuntur neceſſaria, in genere producuntur per ſignificatores, vt mors. quæ vero neceſſaria non ſunt, mutantur, & viciſſim ſæpius redeunt, vt filij, diuitiæ, amici.

77 Conſidera duos ſtatus vitæ, ſeu tres, per Saturni reuolutiones & ſtatus crementi, per reuolutionem Iouis, in ſecunda enim incipiunt aphrodiſia, & operationum, per reuolutionem Martis, & annorum diſpoſitiones per Solem, & menſium per Lunam, & dierum per circuitus Solis in firmamento, & horarum & partium per aſcendens.

78 Deterius eſt credere ſe ſcire, quæ neſciat, quàm ignorare quæ debeat ſcire.


79 Delectatio eſt in his quæ iuxta Venerem ſunt. Gemmarum, cum in loco Solis, aut Iouis. veſtium, cum in loco proprio. Sed & Iupiter in aſcendente, facit hominem delectari gemmis, & Saturnus in trino domini aſcendentis, lapidibus ſculptis.

80 In ægrotantibus, primam dabis ægro, ſeptimam morbo, luminaria viribus laborantis, infortunas autem viribus morbi. Sed & octaua domus aliquid ſignificat.

81 Sicut reuolutio anni, eſt ex deterioribus, iuxta directionem apud genituram, Sic morbi initium ex deterioribus illius reuolutionis, iuxta directionem lunarem, à nobis demonſtratam in libro de Iudiciis, ſic & mors in comparatione ad conſtitutionem initij morbi.


82 Vide quibus delectatur homo, & habebis Planetam prædominantem qualitatibus animi. ſic etiam de corpore.

83 Oportet diuidere aſcendentem in vno die cœli quantitatem, quæ eſt partium 360. mi. 59. ſec. 8. per motum Lunæ in vno die, qui eſt par. 13. mi. 10. ſec. 35. & exibit verus menſis, quo diuiſo per eundem motum, exibit portio vni parti correſpondens. Eſt igitur lunaris menſis dierum 27. ho. 9. mi. 30. ſec. 48. portio partis, dies 2. hor. 1 mi. 54. ſec. 3.




Tunc vt viſum eſt, Aſcendens, quod ſolum vitam ſignificauit, ad Martis & Lunæ quadratum in Leone peruenit, & Saturnus aſcendens infortunio affecit, & Iupiter dominus aſcendentis genituræ, peruenit ad cacodæmonem, iunctus Marti infortunato, & dominus aſcendentis cum nodo & combuſtus.

Aſcendens



Aſcendens fuit ex loco infortunij in genitura, & dominus eius in quadrato Mercurij, exiſtentis in Cacodæmone genituræ, & domini octaui loci, & Sol iam locum infortunij ſuperauerat, adiens Cacodæmonem, & Luna in oppoſito Saturni & Veneris, & ipſa in loco caudæ, & ipſi cum capite genituræ. Expuit igitur nocte ante 22. Octobris & ſequente, id eſt, ſeptima & octaua ab initio morbi, & poſt quaſi conualuit. Inde 14. Nouembris nocte antecedente, & fuit 31. ab initio morbi, expuit plusquam ante vnquam fecerit, & rurſus die 15. & nocte ſequente. Poſt quieuit paululum, & rurſus die 5. Decembris hora 5. noctis ſequentis, & in nocte ſequente hora noctis 7. rurſus die 26. & 27. ſequentibus noctibus malum ſputum excreauit. Manifeſtum eſt igitur, quod in 52. & 53. & 74 & 75. ſanguis effluxit. Mortuus eſt autem 77. die ab initio morbi Qare non ſeruata eſt ratio dierum iudicatoriorum. Hora autem mortis, Luna ingreſſa eſt radios Solis, & cauda fuit in aſcendente, & infortunæ in cœli medio, & in virgine, & Luna cadebat, & erat in trino Martis, & Iupiter in ſexta in Cacodæmone. Propterea vides quod melior eſt ratio quam docuimus, de directione menſium ſecundum Lunam ac dierum.



84 Reuolutiones Lunæ non complent in anno circulum totum, ſed neque partes ſigniferi, in vita hominis circuunt totum orbem.

Par.	di.	ho.	mi.	ſec.
1	2	1	54	3
2	4	3	48	6
4	8	7	36	12
8	16	15	12	24
16	33	6	24	48
32	66	12	49	36
64	133	1	39	12
128	266	3	18	24

Di.	Par.	mi.	ſec.
1	0	28	51
2	0	57	43
4	1	55	26
8	3	50	52
16	7	41	44
32	15	23	29
64	30	46	58
128	61	33	57
256	123	7	54

An	Par.	mi.	ſec.
1	303	2	30
2	246	7	0
3	189	10	30
4	132	42	51
8	265	25	42
16	170	51	24
32	341	42	48
64	323	25	36

85 Eſſe poteſt, vt proceſſus fiat etiam à loco genituræ, per ſingulos annos in Lunæ reuolutionibus.

86 Expulſiones & decrementa in morbis, non ſolum ex ſyderum ſed etiam continentis communi fit conſtitutione, ac fortuitis euentibus.

87 Luna cum in principio ægritudinis perſeuerantis fuerit vel ſub radiis, aut cum cauda, vel Saturno, aut Marte, ingens periculum ſignificat. Quod ſi ſenex fuerit, etiam Ioui iuncta, aut Mercurio, vel Veneri. Quod ſi in horum oppoſitis, vel quadratis, idem, ſed leuius continget.

88 Quod ſi cum hoc in locis his à genitura etiam inuenta fuerit, proculdubio morietur.

89 Non ægrotat homo, propter Lunam alicui horum occurrentem in ea hora, niſi cum directio ad hoc peruenerit.

90 Cum igitur duo ex his conuenerint, & alterum validum fuerit, ægrotabit homo. Si autem ambo valida ſint, grauiter. Si tertium adeſt morietur. In ſenio autem vt diximus, duo tantum poſſunt occidere.

91 Mars & Iupiter & Venus ſanguinem, Mars & Sol bilem, pituitam Luna & Venus, Melancholiam Saturnus & Mercurius, Atram bilem Mars & Mercurius cum Sole.

92 Si Luna iuncta Ioui aut Veneri, ægrotet homo, hoc ſi fiat, quia in loco à genitura malo fuerit, ſeruabitur æger, ſi autem in bono à genitura loco, fortuna illa eſt mortis ſignificatrix.

93 Saturnus longos morbos facit. Venus mediocres, Mercurius varios, Luna reuertentes, vt vertigines, comitiales, podagras. Iupiter breues, tum Sol, breuiſſimos Mars: cumque

cumque loca principalia & abscindentia valida vtraque, vel debilia fuerint, morbus longus erit, breuis cum altero valido existente, reliquus fuerit debilis.

94 Quæcunque autem de morbis, eadem de salute & morte dicta erunt. moriuntur enim vel cum directio ad finem peruenerit, vel cum Luna ad locum genituræ deteriorem, vel cum infortunis inimicis applicuerit. Quo fit, vt congressus salutem non minus quam mortem decernant.

95 Optima operatio est sphæræ, post planisphærij, vltima tabularum in infinita enim multitudine solida sphæra magnum affert auxilium.

96 Est etiam vnicuique aliquod proprium, in comparatione ad genituræ partem, quod considerare oportet.

97 Quibuscunque sub initiis morborum, cœli constitutio longe lenior est morbo, his à natiuitate morbus sæuitatem contraxit, principalibus locis in praua cadentibus.

98 Considerare etiam solemus, coniunctiones luminarium, præcedentes morbi initia, & ex his etiam de venturis morbis iudicamus.

99 Deterior conditio incipientis morbi est, cùm morbo sæuo existente, Luna & dominus ascendentis non cum malis existentes, ad malos deferuntur.

100 Sicut amator diuitiarum, diuitias inuenit, & penè solus, sic veritatem veritatis amator.

101 Maius est discrimen inter Ptolemæi præcepta, & omnium reliquorum qui eum secuti sunt, quàm inter Smaragdum & lutum. Verisimile autem est illum Chaldeorum & Babyloniorum scripta miranda multorum seculorum, nec non Aegyptiorum habuisse.


102 Genituræ Principum, maxime veræ, nec subiacent generalibus constitutionibus, nec priuatorum decretis, Procerum veræ, subiacent autem cœlo. Pauperum & seruorum non adeò veræ: subiacent enim cœlo, id est legibus, genituris principum, & generalibus constitutionibus. Bene igitur dixerunt aliqui, principum successus astris non subiacere: puri enim sunt.

SEGMENTVM II.

Aphorismorum Astronomicorum.

QVicunque infortunati sunt ex luminaribus in angulis, necesse est illos biothanatos interire.

2 Considerandæ sunt xlv. planetarum, & Lunæ nodorum, radiationes atque coniunctiones. quicumque enim plures ex his habuerint, validiores habent genituras.



Francisci Tagaini nostri, hic caudam habet cum Ioue, ideo maxima sollicitudine pauca acquisiuit.

3 Quicunque Saturnum in Iouis opposito habent, nunquam quiescunt.

4 Quicunque caudam cum Ioue habent nunquam ditantur.

5 Quibuscunque dominus ascendentis cum infortuna est ac combustus, tum luminaria ambo infortunata in sexta, mortui nascuntur, & matres ipsorum pereunt.

6 Quibuscumque Saturnus & Mars in eadem sunt parte signiferi, necesse est in eorum vita magna infortunia accidere.

7 Cuicunque Saturnus & Mars in Tauro, in quarta fuerint in eadem parte constituti, cum ascendens ad radios eorum peruenerit, vel casus ab alto, vel ruina continget.

8 Domorum contrariarum vires, eo magis diffident, quo domus ipsæ validiores fuerint.

9 Cum cor cœli, idem fuerit angulo decimæ, tantum distat pars remotissima nonæ à decimæ angulo, quantum pars propinquissima vndecimæ, vnde nonam robustiorem vndecima, nostri prædecessores admirantur.

10 Luna cum stellis paruis, paruos facit oculos, propriè autem cum dorso Piscis, & in Martis, Saturni, Solisúe quadrato.

11 Fixarum robur est à magnitudine, à splendore, à natura, à proprietate, à propinquitate eclipticæ, à loco in mundo, à multitudine, à prima apparitione orientali, à loci puritate, à similitudine corporis vel radij Planetæ secum existentis, à circulo positionis.

12 Sol omnibus Planetis præstat, immobilitate, magnitudine, lucis primigenia natura.

13 Quando omnes planetæ sub Sole fuerint, genitura illa vnum tantum habebit planetam, viribus omnium aliorum præditum.

14 Solis virtus omnibus alijs planetis validior est, quia nunquam ab illis tota deleri potest.

15 Reuolutiones temporum, quinque modis fiunt, vel reditu Solis ad eundem punctum, qui præstantissimus est, vel reditu centri planetæ ad eundem eclipticæ locum, in quo genere, in hominum natiuitatibus Luna, post Saturnus ac Iupiter præcellunt, vel reditu centri parui circuli ad eundem locum, vel reditu Planetæ ad suum locum in paruo circulo,

circu'o, vel reditu Planetæ ad locum cum quo ab initio conuenerat, sicut est alterius planetæ locus.

16 Eclipsium Solis effectus, potentes sunt, vnde si in florentem messem incidant, sterilitatem afferunt.

17 Considerare oportet tempore eclipsis, vires planetæ dominantis, nam non eclipsis, sed illius significatio apparebit.

18 Eclipsium lunarium, quædam tunc, aut etiam antequam eueniant, imbres afferunt, quædam siccitatem multam, aliæ ventos, aliæ terræmotus, aliæ sterilitatem, quædam incendium.

19 Cum tempore eclipsis, vitæ locus significator in occisoris aut infortunæ non amicæ radiis fuerit, natus periculum vitæ extra ordinem incurret.

20 Signa fixa eruditionem præstant: excipitur Scorpius, Mediocria animi mores & conuersationem: Virgo excipitur. Mobilia diuitias, excipitur apricornus.

21 ibus igitur erraticæ in Virgine, Scorpio & Capricorno omnes, multa mala adesse necesse est.

22 Cum in peregrinis locis, Sol & Iupiter in opposita vel quadrata fuerint radiatione, Saturnusque in secunda: fuerint autem Sol & Iupiter in angulo: semel in honore erit, & diuitas magnas acquisitas conseruabit.

23 Dixit Albumasar, Cometes supra Venerem visus est: non igitur in regione est elementari, contra philosophum, cui igitur in corde cœli, vel alio angulo, vel cum luminari, vel cum significatore aliquo ei magnum aliquid nato de illius natura continget.

24 Promissor ostendit qualitatem, Mars malos, Iupiter bonos filios dabit, filiæ autem meliores sunt, quia Venus & Luna, sunt earum significatirces.


25 Cum ascendens in muto fuerit signo, & Mercurius non in humano cum stella in qua Saturni vis appareat, natus non recte omnino loquetur.

26 Signa bicorporea, non sunt necessaria in geminorum natiuitatibus, sed vt superesse tantum possint, cum autem per tempus victuri aliquod sunt, raro accidit, vt non adsint.

27 Omnis planeta orientalis, calidior est & humidior. Sed caue ne præternaturalis te decipiat.

28 Saturnus præest plebi, senibus, infirmis, ob hoc cum vitæ inimicus sit, facile tales omnes pereunt ac gregatim.

29 Maxima quæcunque rara sunt, raræ igitur genituræ, præclara, aut miserrima significantes. Cum autem vnicuique ferme reuolutio aliqua rara contingat, cuilibet ferme in cursu longo vitæ rarum aliquid contingit. Hoc autem aut non diuturnum est ob id, & si quod sequitur, plerumque comitetur ad mortem.




30 Luna sub Sole existens, cogitabundos & melancholicos facit, aduritur enim cerebrum.

31 Est & alter reuolutionis modus secundum naturam, cum locus qui ad ascendens peruenit hora reuolutionis anni, pro ascendente ponitur.

32 Mali sunt animi, quibus Mars est in Mercurij quadrata radiatione.

33 Si Luna in Tauro in secunda, à Iouis quadrato separetur vel opposito, ad Solis trinum iens, is non obscuras acquiret diuitias.

34 Si luminaria, & dominus ascendentis, & loci coniunctionis vel oppositionis,



sic cadant ab angulis, vt nec ascendens, nec locum coniunctionis vel oppositionis aspiciant, nascetur monstruosus.

35 Quod si locis his ac planetis se sic habentibus, infortunæ fuerint in angulis, monstrum erit ab humana natura alienum, & morietur protinus.

36 His vero sic se habentibus rursus, Venere ac Mercurio disponentibus, Iouéque locum ascendentis respiciente, Androginus nascitur, Somniorumque interpres, magus, aruspex, præcantator.

37 Cum disponens loca luminarium fuerit in loco infortunarum, & luminare temporis in eadem parte cum infortuna, in aliquo angulorum, vel fuerint in figura æquicruria in eodem angulo, fueritque latitudo eadem, qui nascitur, cibum non degustabit.

38 Sed

38 Sed nec si ambobus luminaribus in angulo existentibus, vtraque infortuna ex diametro exacta eis opponatur.

39 Rursus Marte post Solem, vel ante Lunam, Saturno vero post Lunam, & ante Solem, ambobus in angulo sic luminaribus existentibus impeditis, ascendentibusque ad anguli apicem, modica inter luminaria & infortunas existente distantia, infans non nutrietur.

40 Si vero radij fortunarum, anteriores luminaribus, posteriores infortunarum, omnibus ad anguli apicem ascendentibus, tamdiu viuet donec per Solis aut Lunæ circuitus, aut primi mobilis, infortuna ad locum peruenerit luminaris.

41 Quod si luminaribus sic ad apicem anguli ascendentibus, radij fortunarum posteriores extiterint, natus viuet, aut viuere potest.

42 Cum vero locis luminarium infortunæ dominantur, & super ea eleuantur, nec aspiciunt ipsa, viuet quidem sed non longa vita.

43 Nec implebit annum, cum luminare temporis fuerit in angulo septimæ, idest in apice, sic enim intelligo, cum de ascensu illorum non loquor, & infortuna eleuata super ipsum peregrina, nec fortuna aspexerit locum, nec alius fuerit vitæ significator.

44 Robur rei significatæ, est per vim significatoris, debilitatem abscindentis: remotionem impedientis, infortunæ quæ loco non dominatur: & fortunas quæ inter abscindens & significatorem positæ sunt.

45 Si daretur significator annorum alius à significatore vitæ, nemo biothanatus esset.

46 Saturnus habet melleum & nigrum, Iupiter album & rubrum commixta, Mars citrinum & rubicundum, Sol & Luna parentibus similem, Venus roseum & candidum, Mercurius cinereum & fuscum.

47 Figuræ cœlestes, etiam extra signiferum coascendentes, cum planetæ & fixæ iuxta locum in dando formam debiles extiterint, pattem quam magis possunt, sibi assimilabunt.

48 Cum videris post xl. annos frequentes & validos morbos, scias quod significator vitæ concussus est, applicante ei infortunæ corpore vel radio.

49 Signa fixa robur vitæ præstant maxime Taurus & Leo, maximéque occidunt præcipue Scorpius deinde Aquarius.

50 Cum abscisor fuerit in ecliptica, fueritque in angulo infortuna, mors erit violenta.

51 Cum in apice 7. loci infortuna fuerit, natus magnis afficietur calamitatibus.

52 Cum infortuna fuerit iuncta Soli in eadem parte, vel Lunæ infortunatæ, nato, etiam si rex fuerit, magna inconuenientia contingent.

53 Cum in initio Sagittarij, hoc tempore, vel in fine, Mercurius in eadem parte cum Sole fuerit, ascendens autem Gemini vel Virgo, natus comburetur. Quòd si auxilietur fortuna, vitæ periculum euadere poterit, quòd si Mars locum aspiciat, nulla salutis spes est.

54 Cum extraxeris figuram ex figura, pones ascendens iuxta rationem eleuationis poli super circulum positionis significatoris, hoc autem maxime in filiis

55 Comptos & pulchros Aries facit, Scorpius mendaces.

56 Mercurius cum in summo fuerit parui circuli, facit promptos & diuinatores.

57 Mars in cancro facit eos qui volentibus sanguinem detrahunt, in Capricorno qui nolentibus.

58 Cum domini trigoni luminaris potentes extiterint, natus bene nutrietur, & validus erit. Si autem debiles & contrarij, non distinguent vnquam bonum à malo.

59 Cum Saturnus dominus ascendentis ad Venerem perueherit directione, diliget pulchra. At si Venus domina extiterit, turpibus commiscebitur nec diliget.

60 Mercurius in Piscibus & Sagittario, & termini eius, indicant vafrum, verbosum, deceptorem.

61 Secunda domus multum potest, quia ad ascendens peruenit quod in ea est in annis melioribus.

62 Pauper non erit, cui Iupiter dominus est locorum erraticarum, Cui vero Saturnus, vel diues non fiet, vel relictis non vtetur.

63 Cum Iupiter & Venus Soli, nec iuncti, in eadem domo fuerint, in Scorpione, Virgine, Tauro, vel Capricorno, item in Geminis, natus potius vitam ducet amœnam, quam quod sit fœlix.

64 Iupiter in Arietis septem primis partibus, magna bona præstat mundo & natis.

65 Iupiter dominus ascendentis solitarius, facit vt diligat natus disciplinas.

66 Mercurius in Saturni dignitatibus, vel illi congrediens facit prudentes, odiosos, vitiosos.

67 Eudæmonis locus est, cum Iupiter & Venus miscentur, vel alteri eorum fixa fortunata, vel radius Solis propicius, vel Sol ipse corpore valde propinquus, vel Lunæ corpus radiive fœlices, vel caput draconis, vel cum Luna capiti draconis miscetur, aut est in trino Solis, vel in initio Arietis Sole in initio Cancri existente, vel cum fœlici fixa, vel cum Soli fixa è regiis benigna, aut alia extra signiferum, vel cum Iupiter aut Venus in ascendente, vel regia fœlix, aut in cœli corde Sol, aut fixa aliqua, vel Iupiter Venusve, aut etiam in septimi loci cuspide, cum tamen fixæ claræ & fortunatæ fuerint. Nec contemnendus congressum Iouis cum Saturno in Libra, Sagittario & Aquario, vel Veneris cum Marte in Piscibus aut terminis Veneris, signis vero communibus.

68 Cacodæmonis autem locus à Saturno & Marte & Mercurio & luminaribus & stellis maleficis, per radios aut corpore in vnum coeuntibus.

69 Cumque locus Eudæmonis impeditur, erit locus quadratus ab eo Eudæmon, si in eo alter aut ipse planeta fœlix dominetur, fueritque locus purus.

70 Cumque fuerint plures Eudæmones, erit fœlix in pluribus rebus.

71 Cumque primus illorum impeditur, fœlix erit in mediocribus, ſi etiam ſecundus in humillimis.

72 Cumque Eudæmon potens eſt, & cadit in domum cadentem, habebit magnam potentiam in qua opprimetur, ſi autem debilis & in angulo beatus erit in minimis.

73 Cumque Eudæmoni radij infortunarum propinqui ſunt, cum magna contentione adipiſcetur fœlicitatis ſuæ cauſam, quòd ſi Eudæmonis planeta retrogradus extiterit, tarde & lente proficiet, & cum difficultate impetrabit.

74 Cumque cacodæmon permiſcetur Eudæmoni, non habebit malum natus ſine bono.

75 Oculus Tauri validior eſt, ſed non in benefaciendo, poſt quem eſt cor Leonis, ſed magis reſpicit animi qualitates quam fortunam, poſt quod eſt ſpica Virginis, quæ ad eruditionem & gratiam facit. Poſt lancis meridionalis luminoſior, & Scorpij cor, in animi qualitatibus male, pro corpore deteriores, pro fortuna autem ancipites.

76 Vltimi & leuiſſimi cacodæmonis locus in aliis cauſis etiam vtilis eſt. Veruntamen loci quos aſpicit per quadratum, aut oppoſitum, aut in loco debili exiſtentes, omnes mali.

77 Cum Luna fuerit in Scorpione, in quadrato Saturni, in Leone vel in oppoſito in Tauro exiſtentis per partem; natus vxore filiiſque carebit. Quòd ſi Saturnus in aquario fuerit, abhorrebit etiam fœminas.

78 Cum cauda fuerit cum Saturno in quadrato Lunæ cadentis: natus erit tabificus, ſi fuerit in ſuccedenti. Si verò in angulo, lacerabitur corpus eius. Quòd ſi in quadrato domini aſcendentis, erit morboſus toto tempore vitæ ſuæ, tum magis, ſi in ſexto vel ex ſexto loco.

79 Cum Iupiter in oppoſito Veneris in tertio loco fuerit reſpiciens Lunam trigono, vel ſextili radio, natus lucrabitur ex itineribus.

1506. die 12. Martij, ho. 2 ante meridiem.

Cor cœli, 28 ♒.

Octauianus Scotus.

Hic primo debuit eſſe amicus noſter, quia Venus illi eſt mihi in loco Lunæ, & venerem aſpicit Luna, & ſignificat fœlicitatem ex ſacerdotij redditibus.

Et quia Saturnus & Mars reſpiciunt Lunam quadrata radiatione cum cauda exiſtentes, declarant tabem quandam, qua perpetuo detinetur, ingentiaque pericula, quæ hucuſque vitauit beneficio trini radij Veneris.

Dominus aſcendentis in nona cadens, & Luna cadens, quis dubitat quin perpetua decernant itinera? Significatur etiam periculum veneni, & à belluis. Cacodæmonis locus à ſexta parte ad quintamdecimam Aquarij; poſt Leonis, inde Tauri, vitæ dator Sol.

80 Cum Mars & Saturnus coierint in Ariete, natus carebit ſomno, ſi in Tauro, claudetur vox eius, & erit rauca.

81 Planeta ad planetam male vel bene diſponitur, aut ad diuerſos planetas, aut ad las, aut ſuiipſius ratione.

82 Terrea ſigna æternas ſeruant iras: non tamen facilè ab his corripiuntur: celerrime aërea iraſcuntur, ſed euaneſcit ira breui: ignea non tam diu, vt terrea, iram ſeruant, ſed ad vltionem properant: aquea nec ſubeunt nec ſeruant.

83 Tarus, Gemini, Cancer, ſuper vocem dominantur.

84 Signa ſignificant ſecundum propriam naturam in omnibus: Taurus enim ſuprema facit pleniora validioraque, ſicut & Leo, ſed ſigna ſignificantia membrum, ſignificant detrimenta, omne autem ſignum totum ſignificat corpus.

85 Taurus & Leo vocem faciunt canoram & aſperam. Gemini Virgo Libra Sagittarij pars anterior, & Aquarius, concinnam. Aries & poſtrema Sagittarij, & Capricornus, mediocrem & aſperam. Cancer Scorpius Piſces aphona ſiue muta ſunt.

86 Cum trinus planetæ locus, ſeu radius quadratus ad cor cœli peruenerit, ſignificat quòd decretum illius planetæ confirmabitur & vim eam recipiet, quia effectum producere poterit.

87 Cui Venus peſſime poſita eſt, is voluptatem in vita nunquam ſentiet.

88 In parte orientali, orientales à Sole, veloces motu, In ſignis orientalibus, inferiores Sole, in angulis, veloces habent ſucceſſus, tamen maxime ſi lumine pleni fuerint.

89 Planetæ orientales candorem ſignificant: occidentales obſcuritatem.

90 Meridionales leuitatem, in nodis ambiguitatem & ancipites.

91 Simile eſt, à quarta, per primam ad decimam, orientalibus Planetis, ſexta & quinta etiam combuſtis, dum ſub Sole ingrediuntur, tertia & ſecunda dum egrediuntur.

91 Cui aſcendit Aries, ei ſponte occaſiones triſtitiæ euenient: cui Taurus ob nimios labores ſibi parabit ægritudinem: cui Cancer, ille ſibi anxie amicos quæret.

93 Cui Venus cum fixa fuerit egregia, ei lepos erit in ſermone, aut ſi ea Mercurio vel aſcendenti copuletur, vel etiam eius domino.



In hac genitura, tria maxime spectanda sunt. Concionator inter primos sui temporis, nam Mercurius in eadem parte cum Sole, in quadrato Lunæ, & Venus cum oculo sinistro Tauri.

Fuit & hemoptoicus, ita vt integras ex pectore denas libras sanguinis reiectaret, facit hoc Luna in quadrato Saturni, cum luminosiore lancis, & in quadrato Solis & Mercurij hoc solum mirum est, cur euaserit.

Fuit & religiosus, nam Saturnus & Iupiter, luminaribus præualent, &c.

94 Nisi posueris in qualibet re plures significatores, plures res eodem modo necessario euenient, quòd nisi plura dirigantur, & commmutatio eorum obseruetur, plura eodem tempore simul euenient.

95 Eandem stellam, aut in diuerso situ, vel alio loco, aut cum aliis, idem significare, aut consimile, penitus est impossibile. Similia igitur ex contrariis magnis fiunt tamen magis auxilio materiæ.

96 Non est transgressus repentinus in cœli partibus, imò & si secus videatur, nec in ipsis significatis.

97 Reuolutiones annorum, in sequentes producunt effectus, vel quia ex pluribus vna fit, alteraque est ad succedentem præparatio, vel quia à genitura decernitur, quod ex reuolutione perficitur, vel ob euentus magnitudinem, vt in morte, vel causarum, vt cum Sol Ioui ad vnguem opponitur.

98 Dominus nonæ domus cum fortuna fuerit, & male dispositus, in comparatione ad dominum ascendentis, recte, sed parum credet.

99 Cum dominus duodecimæ domus, infortuna fuerit, & domino primæ superior, natus alienis cum iactura inseruiet.

100 Quando Saturnus fuerit cum dextro Orionis humero, natus erit insignis pertinaciæ & perseuerans, vnde nomen illustre consequetur.

101 Quoniam natura signorum non est plene cognita, natus existimatur esse illius qualitatis, quam decernunt radij ante cedentes ascendens.

102 Proportio constitutionis cœlestis ad corpora humana similis est secundum existimationem rationi infiniti ad finitum.

103 Saturnus cum oculo Tauri generaliter facit magna de trimenta, & vitia animi flagitiosa decernit.

104 Saturnus in quadrato Solis mortem decernent, per strangulationem rei duræ efficit, vt cum fune, ruina, lapidibúsve obruuntur, & hoc in fixis signis.

105 Sed si in ferarum figuris fuerit, à furit opprimetur, aut cane rabido, & hoc cum mortem decreuerit violentam.

106 Si Saturnus in Cancro vel Capricorno, in quadrato vel opposito Solis aut Martis, vel cum eis fuerit, in locis humilibus, ruina opprimentur, si in nona, decima, vel vndecima, præcipitio.

107 Si Saturnus in Cancro, Scorpione, vel Virgine, vel Piscibus, in horum quadrato oppositoúe, vel illis iunctus fuerit, submergetur. Quod si in constellatione nauis fuerit (est autem nunc cum Cancro, Leone, & Virgine) submergetur tempestate. est & Orion tempestatum significator, vnde Cancer maxime, inter signa nunc procellosum.

108 Si Saturnus cum his in signis venenosorum ac tortuosis fuerit, hoc enim natura constat cum Venere, venenum proculdubio bibet.

109 Mars author mortis, in humanis, in quadrato Solis vel Luna, interfici illum debere ostendit, causam autem ex loco condisce, nam si cum Veneris potestate, mulierum causa, si in secunda, substantiæ. Si autem Mercurius dominetur, à latronibus intercipietur, aut mandato principis.

110 Signa quæ detruncationnm significant membrorum, sunt abscisa & imperfecta, vt caput Gorgonis, vel cathenæ caput.

111 Quòd si Mars sic fuerit dispositus in Tauro, vel Scorpione, cruciatu peribit, aut comburetur.

112 At sic dispositus, cum Andromeda vel Cassiopea, vel capite Gorgonis, in nono, decimo, vndecimoúe loco fuerit, aut in cœli imo, suspendetur.

113 Si vero in ascendente vel occidente, in igneis, comburetur.

114 Si vero in sublimibus locis, in quadrupedibus, cadendo conteretur.

115 Cum autem Iupiter accesserit, non recte dispositus ad interfectorem, iudicio peribit.

116 Detrimentum in Marte, & à luminaribus in morte violenta In Satutno à Sole vel Marte.

117 Gemini & Sagitarius, & Pisces, multiplex genus mortis significabunt, quod & Saturnus & Mars cum simul dominantur.

118 Et oportet vt in hoc verseris experimento longo, propter regionum & morum varietatem, non enim secus continget, quàm ei qui herbas vult cognoscere, potest enim per longum experimentum inter simillima exiguam perspicere differentiam.

119 Cum vero cum signis violentæ mortis, etiam quartæ, infortunæ præfuerint, corpus mortui insepultum iacebit, maxime, si luminaria illis congrediantur planetis quæ mortem decernunt violentam.

120 Submersionis igitur notis assistentibus, cadauer à piscibus deuorabitur. Patibuli autem ab auibus, dilacerationis à quadrupedibus & hæc maxime si in signis auium, aut quadrupedem, aut piscium fuerint.

121 Testimonia diuersa, comparabis, magnitudine, robore, moltitudine, & temporis ratione.

122 Locum imi cæli, si Sol possideat, erit gloria perpetua, eoque magis, si cum regia ibi fuerit, si Luna erit etiam memoria diuturna, sed varia. Si Regia videlicet Bebenia, erit diuturna, sed apud paucos. Si Saturnus aut Iupiter, erit inter multos, non tamen adeo diuturna. Si locus coniunctionis ibi fuerit Solis & Lunæ, erit celebris, cito tamen interibit. Si infortunæ præfuerint, ob flagitia.

123 Considerare etiam oportet, cum quo conueniat dominus octaui loci, ad eum enim deferetur hæreditas.

124 Cui in hora mortis Sol in cœli medio fuerit, gloria illustris post mortem diu perseuerabit.

125 In quo homo excellit, in eo etiam planeta optime dispositus, est significator.

126 Plus potest mediocris eruditio cum optimo iudicio, quàm mediocre iudicium cum optima eruditione, veruntamen & iudicium eruditione perficitur.

127 Electio non proficit, nisi cum conuenerit geniturae, & tempori, in quo elegit.

128 Maleficæ ad malos vsus quandoque proficiunt.

129 In rebus quas latere desideras, Lunam sub radiis Solis positam expecta.

130 Cum luminaria in eodem minuto coeunt, aut ex opposito quadratoúe se respiciunt, maximum euentum in ea genitura expectabis.

131 Ascendens inimicorum regni, est ex opposito significatoris ex septimo loco, ac duodecimo, & generaliter ex descendente medietate.

132 Pestilentiam regionis vnius, ex sola stellarum dispositione agnoscere, est impossibile.

133 In constitutionibus generalibus etiam Cometas & reliqua incidentia obseruare oportet.

134 Cum fuerit dispositor loci mortis cadens ab angulo, maxime autem in nono loco & in magna distantia ab ecliptica, & peregrinus, natus extra patriam morietur.

135 Sicut cor cœli est angulorum in pluribus validissimus, sic nonus locus inter cadentes.

136 Mars in Leone, per se solus, occisores facit, & iracundiam prauam.

137 Saturnus cum fuerit cum capite, & respexerit ascendens, aut fuerit eius dominus, malum animum, sed fidelem tamen nunciat, cum cauda autem perfidum etiam.

138 Cum dominus ascendentis fuerit cum oculo Tauri, natus erit occisor, & hoc si talis dominus fuerit planeta masculinus. maxime infortuna vel Sol.

139 Cum Saturnus cum capite existens, aliquid significauerit, in reditu illud perficiet.


140 Mercurius maxime hebetatur in humidis signis, Sed in Scorpione maleficum facit.

141 Cum Iupiter fuerit in sexto loco retrogradus, & dominus secundi loci infortuna peregrina, nec fixa adiuuerit, natus erit pauper.


142 Cum Venus fuerit in Virgine, & Iupiter in opposito, natus si habuerit vxorem, illa erit pudica, & boni regiminis, & satis pulchra.

143 Cum Luna fuerit in Cancro in cœli corde, nati fortuna inconstans erat.

144 Cum oculus Tauri fuerit cum infortuna ascendentis domina, & in Alfridaria conuenienti ceciderit in ascendente, natus eo anno occidet hominem.



Hic Saturnus est dominus ascendentis, cum capite & oculo Tauri, & significauit, quod hominem occideret & non vnum, tamen magis, quia respicit ascendens, & Solem, & est eleuatus, & Mars est in Leone. Cum igitur ascendens peruenit iuxta sextilem Martis, in annis. 24. In Alfridaria Solis, occidet illum.



Saturnus reuersus est ad caput, & respexit ascendens, & oculus Tauri fuit in eius apice quasi,

quasi, & forsan genitura fuit posterior tribus partibus, & Mercurius cum cauda fuit in Iouis & Saturni opposito, respiciens quadrato ascendens, & Luna in eius trino cadens, & in octaua, & in opposito Veneris, & in sextili Iouis; qui fuit in trino Veneris; ideò eo anno occidit consobrinum, vulneratúsque est ab aliis consobrinis, fuit in carceribus, liberatúsque est, propter Iouis sextilem, & Venerem receptam à Luna.

145 In exquisitis iudiciis semper domus apex requiratur, in imperfectis operibus domus tota.

146 Fuge illius societatem, cuius dominus ascendentis est infortuna cum nodo, aut mala fixa, nec tua genitura cum illius genitura concors est, nam etiam nolens te offendet.

147 Luna Ioui iuncta vim noxij medicamenti hebetat: concocta autem materia iuuat.

148 Luna in fixo signo minus agit medicamentum, in ruminante etiam nauseam excitat.

149 Signa ruminantia sunt, Aries, Taurus, Capricornus.

150 Melius est in purgationibus, vt tam Luna quã dominus ascendentis descendant, & sint sub terra, in vomitoriis, vt ascendant.

151 Tam purgationes, quàm vomitoria, & venarum sectiones, & incisæ cucurbitulæ & inediæ fieri debent, Luna in humidis signis existente, horum præcipuum Piscium est, post id Cancri.

152 Caue ne Luna existente in Ariete caput tangas, tum præcipue si infortuna ibi radios dirigat. Sed si ab initio ibi fuerit infortuna, violenti casûs effectum similem producet.

153 Caue etiam, ne vestes conficias, dum Luna est in Scorpione, magis si luminibus plena, & eam aspiciat Mars, celeriter enim lacerabuntur.

154 Acria ne seras, aut colligas, aut reponas, nisi Luna infra terram existente.

155 Vites si putaueris, Luna plena lucente, in Tauro, Leone, Scorpione vel Sagitario, nec sorices nec volucres vuas infestabunt.

156 Caue rursus ne decrescente Luna, aut latente, arbores inseras.

157 Si quis diu obseruet, vt decrescente Luna tondeat capillos, caluus fiet. melius etiam oues, crescente ea, tondentur.

158 Frumenta, & cæduam syluam ad opus, decrescente Luna metes, aut secabis, si diligentius ad opera egregia, vltima quarta, melius autem longe, si interlunij die, optimum omnium & ad æternitatem faciens, si is in nouissimum brumæ incidat, Saturnusque respiciat, & sub terra sit Luna, cariem enim non solum non sentiunt, sed durissima redduntur.

159 Syluam autem, ad ignis materiam, ac lucos, & quæcunque celeriter crescere denuo cupis, nulla resecti habita cura, Luna supra terram, in prima quarta, Veneri aut Ioui iuncta cædes.

160 Effectus maxime latent, cum significator peregrinus & cadens, vel sub terra, vel Solis radiis iunctus fuerit.

161 Cum Lunam duobus simul planetis aptare nequis, fixæ naturam amborum habenti copulabis.

162 Luna in Tauro, Virgine, vel Capricorno, in aspectu Saturni vtili, sere, aut planta, aut etiam deiicito, suffoditoque vineas resecturus. in Cancro frugum genus omne terræ manda, in Libra, vel Aquario, hortos cole, & consita, ac arbusta.

163 Cum celeriter perficere cupis, Lunam & significatorem in mobilibus signis constitues: cum diu manare opus desideras, in fixis, ob hoc difficile est vtrumque assequi.

164 Melius efficitur, quòd natura duce astra habet propitia, quàm quod humana industria.

165 Cum Luna fuerit cum Venere, melius ac tutius bilis pellitur, cum Ioue melancholia.

166 Dominus interlunij, multum potest in qualitate aeris, & qui respicit eos, tum maxime, si in cardinibus fuerint.

167 Temporum igitur quatuor initia, ex quatuor interluniis aliqua ex parte condisces.

168 Recte inquit Ptolemæus, quòd transitus Solis iuxta stellam illius, ab eo tempore vim mouet. Sed & loci aliquid significantis, effectum præparare ab ea statim die incipit.

169 Cum in alicuius ciuitatis initio, Mars in corde cœli fuerit, necesse est eam vrbem esse sediciosam. Quod si Saturnus, multa praue operabuntur ciues illi, eruntque laboriosi.

170 Mercurius in Leone, facundos facit, in Ariete autem sermo ne gratos.

171 Mercurius in Libra, vel Aquario, ingenium celebre, vt nullibi aliàs præstat, acit & faliquid in Capricorno.

172 Melior electio in homine, est loci habitationis, nam si ascendens vrbis fuerit locus ascendentis, bene valebit, Si cor cœli, exaltabitur, si Solis, dignitates proculdubio recipiet, si Iouis, lucrabitur. si Lunæ, fœlicitatem consequetur omnibus modis,

173 Saturnus inuidum, Iupiter opibus intentum, Mars furibundum, Sol ambitiosum, Venus delitiosum, Mercurius versutum, Lnna vagabundum facit

174 Solares, paucum, mundum, simplicem cibum volunt, Ioue nati, multum, mundum, simpliceem. Venus lautum, mundum, paucum. Mercurius, paucum, simplicem, & indifferentem. Luna multum, immundum, indifferentem. Saturnus paucum, immundum, indifferentem. Mars multum, immundum, lautum.

175 Similiter & in potu. Sol paucum, non vinosum, non affatim. Iupiter paucum, affatim, ac vinosum. Venus multum, non affatim, non vinosum. Mars affatim, multum,

vinosum. Saturnus multum, non confertim, sed vinosum. Mercurius paucum non affatim, vinosum. Luna multum, affatim, non vinosum.

176 In humanis fortunæ signis, humanum & comem faciunt: infortunæ autem dolosam vrbanitatem, sicut in feris fortunæ agrestem integritatem.

177 Cum ascendens serui, fuerit sextum signum ab ascendente domini, bene conuenient.

178 Cum ascendens subiecti, fuerit culmen genituræ principis: & loca luminarium commutata, & dominus ascendentis subditi, eleuatus supra dominum ascendentis principis, in genitura subditi, & dominus ascendentis principis, sit inferior aliquo planeta dominante in sexta vel vndecima, aut in genitura subditi, tunc princeps ille, subditi sui parebit arbitrio.

179 Plurimum potentiæ apud regem est, cum dominus cœli medij, aut loci Solis subditi, potens fuerit in figura regni ac regis.

180 Magni nascuntur, sub sigis magnis, longarum ascensionum, in initijs signorum, sub Planetis existentibus in altitudine eccentrici, & parui circuli, & mundi.

181 Obesi autem, iuxta longitudines medias, cum magna latitudine, in signis latis, ac multarum stellarum.

181 Qui Martem habet in ascendente, multis exponetur periculis, & in facie cicatricem tandem habebit.

183 Oculus Tauri in apice ascendentis, siccarios facit, ac biothanatos, in occasus autem linea, vtriusque effectus significatio augetur.

184 Cum nauis mare ingreditur, & Bebenia vel Regia de natura Martis in linea ascendentis fuerit, aut Mars ipse, nauis naufragium patietur, quòd si cum hoc luminaria ceciderint, aut testimonium dederint Martis, aut Saturnus in sublimi loco fuerit, nauis illa submergetur.

185 Similiter, si Mars in cœli medio fuerit, hæc eadem ferme euenient. Manifestum est autem, quòd exorientia sydera plus mouent tempestates, inde quæ in corde cœli sunt, vltimo quæ occidunt.

186 Maleuolæ, cum in synodo luminarium illa respexerint, aut Luna ad eas peruenit, minus violenter tempestates mouent, quàm si exoriantur, attamen longe diuturni res.

187 Coniunctionis locum, reuolutionem præcedentis, quo in loco ab ascendenti fuerit reuolutionis considera, nam magna euenient iuxta domus naturam.

188 Si cum profectio ascendentis ad locum coniunctionis attingit, effectus sequeretur, eodem tempore semper cuncta euenirent.

189 In omni planetarum coniunctione, eum planetam dominatorem constitue, qui sublimior fuerit in eccentrico, & paruo circulo, & qui in loco plures habuerit dignitates, & qui plures stellas suæ naturæ similes habuerit.

190 Generalia ex singularibus, & ex generalibus singularia, sed alio modo.

191 In coniunctione superiorum ille altior est in paruo circulo à media coniunctione Solis ad mediam oppositionem, qui celerior est: tardius enim mouetur in paruo circulo, à media vero oppositione Solis, ad mediam coniunctionem, altior est qui tardior.

192 Considerare etiam oportet, motus ab abside, ab imo enim seu eius opposito, augetur motus, auctúsque lumine etiam dicitur. optima igitur constitutio, cum ibi circulus paruus id est in ea quarta parte fuerit. Planeta vero in initio suæ apparitionis.

193 Matutinus ortus superiorum est, cum planetam Sol motu suo transgreditur, ac sic mane incipit ante Solis ortum apparere. Vespertinus autem occasus, cum illi Sol appropinquans, in vespertino crepusculo super terram existentem occultat.

194 Matutinus ortus in inferioribus est, cum planeta retro cedens à Solis coniunctione, in imo parui circuli abscedit tantum à Sole donec ante lucem exotiatur, occasus autem matutinus, cum sic apparens directus factus ad summum tendens parui circuli latere incipit. Ortus autem vespertinus, cum exacta in summo parui circuli coniunctione, planeta velocius mouetur Sole, donec orientalior existens in principio noctis incipit apparere. Occasus autem vespertinus, cum descendēs donec retrogradari incipiat, Soli tantum appropinquat, vt illo occidente quamuis orientalior existens, minime tamen videatur in crepusculo vespertino.

195 Cum ab oppositione, quæ est post transitum Solis super capillos Ceti, Luna Saturno iungitur plena luminibus fueritque Saturnus cum stella de natura sua, aut Veneris, aut etiam in cardine, vel eadem latitudine, vel in Scorpine, vredo & carbunculus, uinum eo anno auferet.

196 Oportet autem scire distinguere inter id quod per se est, & id quod est per accidens.

197 Domini trigoni signi ascendentis, pro nutritione, & luminaris pro vita. Sed & validius domino exaltationis, & domus, & trigoni, diuisa tempora tribues.

198 Cum Sol fuerit cnm Gorgonis capite, fortuna non aspiciente ipsum, Dominus autem ascendentis, vel Luna, vel dominus loci luminaris, in opposito, quadrato aut coniunctione Martis: nato caput amputabitur. Quod si Sol in sublimi fuerit, lacerabitur corpus adhuc viuentis. Si autem Mars ipse, aut dominus quiaffligitur, in Geminis, vel Piscibus, corpus eius aut lacerabitur in partes, aut saltem manus illi amputabitur, antequam moriatur.

199 Cum Sol in Leone, aut Sagitario, dominus ascendentis, aut Lunæ iungitur, Marte aspiciente, aut stella de natura illius ibi existente, natus cremabitur. Quod si Saturnus loco Martis affuerit, fumo suffocabitur.

200 Traiectiones aeris, siccitates, & aquarum paucitatem, & vtriusque turbulentiam indicant. Quòd si ab angulo ad angulum

ferantur,

ferantur, ventum ex ea regioue protendunt.

201 Directiones, significant temporum generalium partes. Alfridariæ generalia tempora. Sed reuolutiones, tempora propria vniuscuiúsque rei.

202 Rerum quæ fiunt, aliæ ex principiis pendent, aliæ ab exterioribus, directio autem rebus principalibus magis dominatur, reuolutio autem his quæ ab exterioribus.

203 Cometes, magnos aliquando nascituros homines indicat, ille autem sub eo nascitur, non qui eius tempore, sed qui in regione, quæ illi subiacet, angulo ac signo. Solque in loco illius, aut Luna, reliquum luminare in cardine? & ascendens similiter, ac dominus ascendentis, in cardinibus, cometes cum exoritur, aut occidit, aut cœli summum occupat, neque enim vllus hæc omnia cometes facere potest. Tum coniunctionem, aut saltem oppositionem, natiuitatem illius præcedentem in loco cometis factum fuisse oportet.

204 Cometes in oriente, maxime exortum significat viri magni legumlatoris, & in cœli medio, regis præponentis, in occasu autem raro, & in succedentibus.

205 Qui autem cum filio cometis participant in genitura, ministri illius fiunt.

206 Cometes mutantes leges, si in nono, vel vndecimo loco apparuerint, seditionem in lege, non legem ostendunt, nec erit in illa vnum caput.

207 In religione quæ sacerdotes à coniugio prohibet, & à filiorum generatione: significatores vxorum, declarant concubinas: & filiorum, filios illegitimos, vel adoptiuos.

208 Conuersiones variæ ingenio debentur, vt Mercurio, magnitudini luminis temporem qualitates, & fata ac germinationes, vnde Soli ac Lunæ, præpotentes affectus, parui circuli magnitudini, vt Marti ac Veneri, corporum consistentiæ, orbium magnitudini.

SEGMENTVM III.

Aphorismorum Astronomicorum.

1 QVibuscunque dominus ascendentis est infortunatus cum cauda, & fuerit infortuna in angulo, violenta vt illis mors accidat necesse est.

2 Cum dominus vitæ fuerit in parte descendeute, diriges eum etiam contrario modo.

3 Cum fuerint multa infortunia secundum idem, mortem significantia, non oportet vt expectes directionem abscindentem.

4 Vitæ significator robustus, in morbis naturalibus plurimum iuuat, in casibus autem parum, aut nihil.

5 Cum cauda infortunio dominum ascentis affecerit, & in reuolutione Luna ceciderit cum illa, & ipsam aspexerit dominus loci mortis, & fuerit ille in loco infortunæ à natiuitate illo anno morietur.

6 Cum Luna fuerit combusta, ob iracundiam multa mala patietur.

7 Cum dominus mortis, secundum naturam peruenerit ad oppositum loci significantis vitam, & fuerit vnus in genitura & reuolutione, magnum affert periculum.

8 Cum infortunæ dominantur in genitura, & Luna applicauerit fixæ potenti de natura Martis in reuolutione: natus inclinabitur ad homicidia, & futurum est, vt & ipse periclitetur.


9 Cum Sol miscetur Mercurio, facit crudeles; cor enim eorum est siccum.

10 Cum Mercurius commiscetur Marti, tum hoc est potentissimum ad omne genus violentæ mortis.

11 Cum Luna & Iupiter valde infortunati fuerint, etiam si reliqua ad libitum aptentur, erit natus tamen infœlicissimus.

12 Cum Mars fuerit in corde cœli, in Ariete, & radio quadrato Iouem in Capricorno, dominum ascendentis aspexerit, vulnerabitur natus, eodem modo, si in Scorpione Mars ibi, ascendat autem Aquarius, pulset autem Saturnum in Leone.


13 Cum Mars iuxta imum cœli fuerit, cum nodo proprio, vel Lunæ, quo ad austrum tendit, & ascendens aspexerit quadrato, natus claudicabit.



Hic anno 21. expleto, occisus est die decimaoctaua Iuly, hora decimaoctaua. Verificantur in hoc Aphorismi duodecim hic positi, vt in aliis etiam genituris. Propterea apposui Reuolutionem sequentem mortis, & hora ipsa mortis, loca principalia, habuit vulnus in gula & crure, moritur subito.

14 Quando Mars ex Scorpione quadrata radiatione planetam pulsauerit, vel ex opposito, habebit ille detrimentum turpe in corpore, quod perseuerabit vsque ad mortem. Idem si Saturnus ex Aquario.

19 Quando Venus fuerit cum Saturno, & aspexerint dominum ascendentis, pueros amabit natus, vel vbi non admittitur seniculas mulieres, & ancillas fordidas.




Loca principalia hora mortis.

Ascen.	✱	☽	♄	♃	♂	♀	☿	☊
23 ♏.	4 ♌.	1 ♉.	18 ♑.	14 ♎.	13 ♍.	6 ♍.	23 ♋.	28 ♏.


16 In ascendente omnes corporis partes sunt, qui vero damnat planeta, est inspiciendus, & in qua domo sit, & quam vim habeat ad signum ascendens.

17 Saturnus gaudet in Aquario, & Iupiter in Sagitario, & Mars in Scorpione, & Mercurius in Virgine, & luminaria in suis locis, & Venus ambigua est.

18 Mercurius in Leone, Mars in Libra, Saturnus in Capricorno pedes habent.



Super his duabus genituris fundantur exempla claudorum. hic propter radios Martis quadratos cum nodo, & domina ascendentis cum cauda in eodem quadrato infortunata à Saturno & cadens, erit autem contentiosus & catus, & reliqua.



De hoc non est dubitatio, cum Sol & Mars cum cauda Lunam afficerent ex piscibus in imo cœli.

19 Iupiter in trino Lunæ dat filios, & diuitias, magis tamen in humanis.

20 Quando Luna & Mercurius in Tauro iuncti fuerint, erit studiosus & etiam eruditus.


21 Cum occurrunt genituræ falsæ, aut absurdæ, & non conuenientes significatis, monstrosæ appellantur: Et vt corpora monstrosa in dissectionibus sunt fugienda, artem enim euertunt.

22 Cui Sol in trino, vel quadrato amico Martis fuerit, Mars autem in quadrato Lunæ, dominæ ascendentis non amico fuerit, ille à principe, & populo odio habebitur.

23 Odium significantia in nobilibus, contemptum in vilibus ferunt.

24 Quibuscunque Aries, Taurus, Cancer vel Leo ascendit, his corpus animæ obedit, & robustior vita, robusta autem, si vitæ significator, est dominus ascendentis.

25 Qui respicit locum mortis, mortis significator & ipse est, ille autem locum vitæ necessario respicit, ob id decepti sunt antiqui, cum tamen idem naturalibus accidat.



Hic sine arte, sine magistratu, sine opibus vllis, octingentorum coronatorum redditus, ab vxore fundos accepit, habet autem Venerem Ioui iunctam in septimo loco in quadrato Lunæ recepta, in cuius trino est Mars, dominus loci septimi.

26 Locus

26 Locus significatoris, materiam præstat, significator autem formam, promissor efficientem: respicientes planetæ, auxilia, & impedimenta rei futuræ.

27 Signa significatoris modum mortis, aut promissoris, vel vtriusque, ostendunt.

28 Cum Venus & Iupiter, in angulo septimæ fuerint, & Luna ex superiore loco eos aspexerit, existens in dignitate, fueritque caput cum illis, vel cum Mercurio, natus ex vxoribus maximas habebit diuitias.

29 Sol & Luna, vires ad xv. partes circumquaque extendunt, Venus ad viij. Mercurius ad vij. Saturnus ad ix. Iupiter ad x. & Mars ad viij.& Lunæ nodi, ad xij.

30 Quando Luna applicatur Marti, facit irascibilem, & si in aqueo signo. si in terreo, iracundum, si Saturno tristem.

31 Cum planeta applicat alteri, in domo vel exaltatione existenti, dat ei vim suam, & eo magis, si fuerit peregrinus. Quod si dominus loci alteri applicet, vim dabit sine vtilitate, & labores eius irriti erunt,

32 Cum inter duos planetas medius intercesserit, priorum nulla fit virtutis mixtio, nisi per medium ex altero in alterum deferatur.

33 Cum planeta combustus, non proximus extiterit, quod virium ei est, illi tribuit.

34 Cum planeta exit signum, antequam applicet alteri, mutabuntur significata illius, & qui in duobus signis sunt res multas in vnum permiscebunt, si iuncti fuerint.

35 Planeta qui primo radios Solis exit, & nulli applicat, purissimus effectus ostendit.

36 Cum vero in signo planeta est solus, vbi nec radij aliorum sunt, inconcinnitatem declarat.


37 Cum planeta retrogradatione sua alteri applicat, post ablatum metum vel spem; effectus ad finem perducit.

38 Sol assimilatur ascendenti, & cordi cœli, Planetæ reliqui fixis stellis.

39 Dirige planetas,& fixas,& radios etiam planetarum, ad secundam domum, pro diuitiis.

40 Natiuitas non significat super alios à filiis, nisi in comparatione ad natum.

41 Cum Planeta alteri proximus, incipit retrogradari, nec coniungitur postmodo illi, nisi alio in signo, vel post alterius planetæ coniunctionem, frustrabuntur significata per illam coniunctionem, postquam perfecta existimabuntur.



Hæc figura deseruit 44.45.46. & 47. *Aphorismis, laborabit hic fœdissima Venere semper, & erit aliquando insanus.*

24 Qui in signis breuium ascensionum loca habent principalia, obedient aliis, vi vel sponte.

43 Cum Sol reuertitur super locum promissoris, aut abscisoris, distans ab illo quibusdam partibus, tantundem adimit virium ex loco significatoris, aut addit, quanta portio est pars vna totius distantiæ, hocque idem facit in mensibus Luna.

44 Cui Sol cum capite in angulo fuerit, maxime in prima, vel corde cœli, pater eius ingenti fœlicitate fruetur, oportet autem non plus parte vna distare.

45 Cui Mercurius in linea fuerit ascendentis, motu velocissimus, in humano signo, hic bonæ memoriæ bonique erit ingenij ac acuti: sed mutabilis in consiliis.


46 Cui luminare temporis, cum constellationibus fuerit, ambo oculi erunt aliquo modo vitiati.

47 Cui Luna à Venere separatur, in masculino signo, fueritque in constellatione aliqua, vel cum Regia, vel Bebenia, is luxui & libidini nimium vacabit, nec ab ullo genere libidinis abstinebit, magnam fortunæ tamen fœlicitatem consequetur, sed ob uenerea periculis subiicietur.


48 Luna plena luminibus cum Marte, præbet opnionem stultitiæ, & vacua cum Saturno, facit stultos vere.

49 Venus cum in corde Solis fuerit, ingentes largitur dignitates.


50 Si Planeta cum corde Leonis Lunam aspexerit, idem efficiet.




Apposui quatuor has Cardinalium genituras à Bonauentura Castellioneo acceptas vt quiuis intelligat, decreta nostra esse firmissima.



In prima igitur propositarum Luna fuit in sextili Mercurij existentis cum corde Leonis, & Sol in sextili Iouis quasi. Sed Luna cum cauda & Mars in quadrato Saturni, breuem uitam & magna decernunt inconuenientia. In secunda est Sol cum corde Leonis, & triplicatur eudæmon in trino Iouis, ideo fuit vir maximus causa dignitatis, est Sol cum duabus fixis nobilibus, & trinus Iouis, & Veneris. Anno 1537. die 20. Septembris, amisit pileum, res rari exempli, vide reuolutionem & directionem. Patitur morbum diuturnum, & perpetuum, quia dominus ascendentis est in sexta.



Quia Iupiter in trino Iouis in tertia figura, fuit vir doctrina & prudentia singulari. Luna in ascendente, & Sol cum corpore Veneris, Cardinalem afficiunt.



51 Mars in Cancro subitam efficit iram, sed minime tenacem.

52 Cum fortunarum aliqua cum regia fuerit, & respexerit Solem, vel sub radiis eius fuerit, vel etiam fuerit in parte Lunæ, vel ex parte aspiciens amico aspectu, natus non vulgarem adipiscetur dignitatem.


53 Amicus aspectus est trinus & sextilis, vel etiam si ex quadrato, vel opposito recipiat.

54 Cum Sol fuerit in Libra, vel Aquario cum bonis, & malis, vel solitarius cum fixa, perueneritque directio mala cum reuolutione, natus decidet à perpetua dignitate prodigiosè. Si vero inciderit vnum eorum tantum, decidet à dignitate quæ non est perpetua, sed ad arbitrium.

55 Luna sub Solis radiis, generaliter infœlicem exitum decernit.

56 Luna in septimo loco magis facit comitiales quàm alibi, post autem in ascendente, sed ibi potius fatuos, si male fuerit posita.


57 Si mors hominum, omnibus ex genitura decerneretur, impossibile esset clades magnas aut pestilentias aduenire.



Hic est qui præcedentes quatuor genituras ex suo libro desumptas nobis tradidit.

58 Cum in extremis signorum accidunt Planetis impedimenta, in extremis corporis timendi sunt morbi, vt chiragra & podagra, tum etiam vitia, vt claudicationes.

Iam



Iam vides, quod in prima harum duarum, Luna est cum Spica & arcturo, de natura Iouis & Veneris parumque Mercurij. Significat igitur hominem amœnum, omni genere literarum & musicæ refertum, & quia oculus Tauri est in ascendente, significat vehementiam & audaciam, & quia Luna est in trino Iouis cum capite, significat magnam vitæ fœlicitatem. Sed quia est non per gradus, erit multiplex hæc, sed in nullo genere perfecta. Saturnus etiam in occidente, omnia aut impedit aut retardat. In secunda vero, quia Mercurius est in opposito Lunæ, & Mars in trino Mercurij, & in sextili Lunæ, & omnes respiciunt ascendens in quo cauda, & omnia partem eandem, sequitur vt fuerit callidissimus mortalium, caruit tamen literis.

59 Deteriora impedimenta accidunt, cum infortunæ fuerint in ascendente, & fortunæ in occidente, quàm cum contrario modo.

60 Si Mars in nocturna genitura, aut Saturnus in diurna, Mercurium cum Luna impediant, fient comitiales, sufficit etiam vt Lunam solam nec illa nec Mercurio ascendens aspiciente, nec altero alterum.

61 Insani vero, cum Luna sub Sole à Saturno opprimitur. Dæmoniaci, cum ea in opposito Solis à Marte vexatur.

62 Iupiter & Mercurius cum dominantur locis impedimentorum, cemitialem augent. Sol & Mars, dæmoniacos. Saturnus, & Luna insanos.

63 Tres Planetæ curationes significant, Iupiter per pecuniam & bonum consilium, Mercurius per medicinam, Venus per magiam, auxilium diuinum, & somnia & casum.

64 Cumque luminaria, & Mars, ac Venus, in masculinus signis fuerint, & maxime Ariete, Libra, Aquario, ac Geminis, mulieres efficientur tribades, & masculi in masculos proni erunt, non tamem pati desiderabunt.


65 Quòd si hæc omnia in fœmininis, & maxime in Tauro, Scorpione, & Capricorno, fœminæ secundum naturam se habebunt, viri autem pati desiderabunt.

66 In genituris geminorum, ascendentis dominus, & si in bicorporeo fuerit, & loci coniunctionis dominus etiam, si ascendens in fine signi fuerit, quod bicorporeum signum sequatur, sufficiet. Atque alterum sub succedente signo expecta, si vero etiam Luna in bicorpore fuerit, ambo viuere possunt.

67 Luna cum à radiis Martis amicis recesserit, facit natum exerceri ac corpore agiem ac robustum.

68 Quandoque accidit vt qualitates animæ in filiis, consimiles ad vnguem in genitura eis, quæ sunt patris videantur.

69 Mercurius cum nodis, subtilitatem præstat magnam ingenij, fœliciorem tamen cum capite quàm cum cauda.



Hic fuit gemellus, & qui posterius natus est, infans perijt.

70 Quando dominus ascendentis fuerit in bicorporeo peregrinus, natus erit anceps in negotiis suis.

71 Iouis & Veneris trigona radiatio, si natus vixerit, magnam aliquando dabit animi voluptatem.

72 Cum infortunæ, luminaria ex inferiori parte pulsauerint, pericula significant & læsiones, cum ex superiori, detrimenta.

73 Cum in septimo loco, infortuna cum regia, Lunam pulsauerint radiis, natus magnas patietur insidias & damna.

74 Sol cum Saturno, nonæ domui præxistens, vera & mala somnia dabit. Sol & Iupiter, aut Venus, vera ac bona. Saturnus & Venus, mixta veraque Saturnus & Luna, aut Saturnus ac Mars, vel Saturnus ac Mercurius, falsa ac mala. Mars & Mercurius etiam falsa ac mala. Luna & Mercurius, aliquando vana, aliquando vera. Venus sola debilis, aut Iupiter, iucunda, attamem falsa.

75 Spuriorum genituræ habent ascendens cum Luna alligatum non cum significatore patris, & plerunque habent indicia magnorum malorum, & dominus quartæ parum concors est cùm domino secundæ, & Luna; aut Venus, cum Marte, vel Mercurio conueniunt.

76 Adoptiui filii sunt, quorum domino genituræ, Saturnus cum Iouis virtute accedit, est quoque Saturnus quartæ dominus. Quòd si cum hoc fuerint spurij signa, erit adulteri filius, pro proprio habitus.

77 Primus

77 Primus sextæ significator morbos, secundus seruos, tertius significat animalia.

78 Cum Luna cum Marte conuenerit, erit natus audax, præceps, iracundus & inconsultus ac agilis. Si autem cum Saturno, lentus, iners, timidus, iniuriæ patiens, dolosus: Cum Ioue, moderatus, prudens, ac boni hab tus: cum Sole, ambitiosus & clari nominis necessario: cum Venere, placidus, mansuetus, iocosus, eneruatus: cum Mercurio, docilis, & acutus, animique subdoli.

79 Cum dominus secundæ fuerit fortuna, vt si Pisces ascendant, & dominus sextæ, erit nato lucrum vel ex ægris, vel ex seruis, vel ex bestiis, idem si alter alteri iungatur.

80 Cum commutantur planetæ duorum, in reuolutione beneuoli, fiet amicitia quæ finietur, & domini locorum, causam significabunt, & si fuerint fortunæ, lucrum & voluptatem.

81 Cum duo planetæ eiusdem naturæ simul conueniunt, vel etiam exquisitis radiationibus colligantur, quod per ambo significatur, clare apparet, vt iucunditas ex Ioue & Venere.


82 Maximi omnium sanguinis effusores sunt, cum Mars Solis radiis roboratur, post hi in quibus Mars est in Solis dignitatibus potens.

83 Solis commutatio, facit amicitiam, propter honestum, decorum & gloriam. Iouis ob vtilitatem, Veneris ob voluptatem Lunæ ob naturæ conuenientiam,


84 Mars, & Sol, ac Luna, itinera significant, nonaque ac tertia domus, si eorum significatores cum luminaribus, maxime temporis conuenerint.

85 Planeta quilibet virtutem suam ad actum perducit per luminaria, non quòd luminaria talia significent.

86 Partes orbis, ex natura Planetarum, & signorum, & cœli partium, & latitudinibus habentur.



Hic rusticus, virtute sua factus est dux exercitus, reliquit autem Franascum Sfortiam primum, qui fuit dux Mediolani. Obrutus est aquis 55. ætatis anno, vt in sequente figura.



Causa mortis fuit, quia Luna applicuit loco Martis per directionem, & cecidit in loco eius trino à genitura, & fuit in quadrato Saturni existentis cum arcturo in boote, stella potenti & nimbosa, & genitura genus hoc mortis declarabat, Ascendens applicuit per directionem loco Mercurij in Cancro, erat etiam Luna cum sydere regio Herculis, de natura Martis, fuit autem dies mortis, atrocis prelij, in transitu fluuij, tertia Ianuarij, 1424. quare dum collabentem puerum adiuuare nititur, ipse lapsus ex equo, submersus est, ac suffocatus.

87 Sol orientem, Luna occidentem, Venus austrum, Mars Septentrionem, Mercurius multiformem mutationem ostendunt.

88 Cum in signis aqueis significatores fuerint itinerum, infortunæque super eas eleuatæ, aut fortunæ inimicæ, tempestatibus obtuentur in itinere.

89 Cum Iupiter in decimo loco fuerit in trino Martis ac potens, & Sol cum capite draconis, & Luna cum corde Leonis, etiam filius rustici exaltabitur.

90 Cum planeta aliquis, per partem in cuspide septimæ domus, in domo sua fuerit, erit mors proculdubio ex natura planetæ illius atque loci.

91 Taurus à proprietate significat præcipitium: humana signa latrones. Mobilia signa insidias, & varia impedimenta: quadrupedia canum aut equorum vel ferarum detrimenta in itineribus.

92 A decima ad primam meridies, à prima ad quartam oriens, à septima ad quartam septentrio, à septima ad decimam occidens.

93 Causam itinerum domini significatorum ostendent.

94 Saturnus potentior est ad mortem, Mars ad genus violentæ mortis.

95 Cum Iupiter potenti stellæ copulatur, aut Sol beneficæ, & Luna fuerit in opposito, vel quadrato, magna fortuna, cum malo exitu plerumque decernitur.

96 Si processus esset per signa singulis annis, decimus nonus ac septimus semper ingens periculum afferrent.

97 Locum occidentem ex natura propria conuenit obseruare, & planetæ aspicientis, & euntis ad eum motu æquinoctij vel proprio.

98 Loci

98 Loci propria natura est, ex stellis ibi existentibus, vel in eodem circulo ascendentibus, vel ex se ipsa, vel dominantis planetæ.

99 Venus facit homines verecundos.

100 Venus facit obstructiones, cholicam, & choleram, morbum per accidens.

101 Mercurius facit comitiales, & melancholicos, vi morbi, Luna autem vt ægritudines.

102 Mors violenta decernitur cum infortunarum vtraque loco mortis dominatur, vel si altera aspiciat altera dominetur, vel vtraque aspiciente, vel cum ambæ super dominum mortis eleuantur, vel cum altera earum duobus primis vitæ significatoribus præest, vel cum dominus mortis impeditus fuerit, maxime sub radiis Solis, & infortuna ex toto, loco mortis dominetur, vel si fortuna omnem in loco mortis sibi vindicet potestatem, vt in primis partibus Scorpij.

103 Infortunæ in angulis mortes publicas decernunt, eædem celeriter, ob hoc raro publica mors in senio.

104 Sol publicam mortem vt decernit ferro vel igne, sic Luna suspendium.

105 Cum infortunæ præfuerint & validæ, mors violenta erit ab initio ad finem. Si mediocres, initium erit violentum, morietur tamen ex morbo. Si autem debiles, mors quidem acerba erit, sed minime violenta.

106 Quicquid significat coniunctio duorum planetarum, idem decernit coniunctio planetæ aut radius cum fixa eiusdem naturæ.

107 Multi relinquunt Astrologiam, vt vanam, alij vt incertam nobis. Qui autem hæc quæ hic tradita sunt non intelligent, vt difficillima destituent.

108 Difficillimum omnium, est scire locum interfectoris, nam ex hoc habetur & tempus mortis, & locus, & genus, non enim facile est diiudicare, an interficiatur. Sed & ex eo scimus, quæcunque in vita aguntur.

109 Cum igitur debilis, & vnicus fuerit significator, & planeta contrariæ naturæ in loco valido fuerit, ille vel eius radij, sine fortunæ auxilio, proculdubio occidet.

110 Si mortis significator in angulo fuerit, si orientalis, si cursu velox, si in dignitatibus suis, si iuxta nodos suos, si in summo parui circuli, mediocrem vitæ significatorem solus abscindet.

111 Si mortis genus violentum significatur, promptius & frequentius abscindit.

112 Si geminata fuerit vis occisoris planetæ, per alium, vel alterius radios, vel sydus aliquod, vitæ autem significator validus extiterit, occidet omnino, cum occisor fuerit per se potens.

113 Maxima igitur ambiguitas est, cum radij fœlices luminarium, aut fortunarum, super locum interficientem ceciderint, frequenter enim seruantur præter spem, alij autem, de quibus sperabamus, vt etiam in morbis medici, intereunt.

114 Cum Luna Soli opposita nebulosis stellis iuncta est, vitio luminum capietur.

115 Capietur & vitio eodem, cum Luna in septimo loco existens, ab ambabus infortunis, ex superiore loco pulsata fuerit, quòd si valida sit radiatio, cæcabitur.

116 Cum inter significatorem & promissorem, fuerint corpora infortunarum, non abscindentia, vel regiæ malæ, in occursu radij primi consentiente reuolutione, absque eo quod ad consimilem perueniat partem, natus morietur.

117 Cometæ immobiles, seditiones, mobiles autem bella indicant ab externis. In cardinibus, regum mortes, in nono loco, religionis iacturam, in octauo vel duodecimo loco, pestilentiam, aut iacturam segetum, in vndecimo, nobilium mortes

118 Frustra querimus beatos, sanctos, ac vere Deo gratos, ex syderibus siquidem maius est, Deo gratum esse, quàm cœli promissa possint polliceri.

119 Rex ille firmiter regnum administrabit, cuius genitura cum regni initio consentit.

120 Quatuor cardines geniture, sic quatuor elementis assimilantur, vt cui Taurus ascendit, plus terra, post aër dominetur, cui Leo, plus ignis post terra, ac sic de aliis.

121 Quæque genitura cuique in aliquibus dissidet, ac conuenit, oportet igitur cum hominibus conuenire, in his solum, in quibus geniture conueniunt, in cæteris ab illorum communicatione abstinere.

122 Reconditæ rationes rerum docent nos, vt illis credamus, qui autem inter multa falsa, pauca miscet vera, non est in recitando dicta eius illi quicquam tribuendum.

123 Cum dominus duodecimi loci, dominum primi oppresserit, vir ille & si egregius fuerit, inimicorum tamen potentium odio, à multis impedietur. Sed hoc magis, cum constans planeta fuerit & infortuna, nec in ascendente vim vllam habeat.

124 Luna cum in debili loco existens, vitæ significator extiterit, Iouis iuncta corpori, in finibus Iouis, ad illum transfert vitæ significatum, significator debilis, in qualibet enim ætate non perfecta, corpus ponderosi Lunæ iunctum, discrimen non leue affert.

125 Compositio ex Ioue, Venere, Luna, & Mercurio, suauitatem eloquij maximam affert, vnde si Iupiter in Virgine, & Luna in Piscibus fuerit, poëtæ fiunt.

126 Habet & Leo præcipuum quiddam in eloquentia, cor enim est, in quo animi sedes.

127 Pertinacissimi sunt, quorum ascendenri Saturnus præest, & ipse cum Regia, vel Bebenia.

128 Crudelissimi, quibus Mars eodem modo cum stella de natura Martis aut Saturni.

129 Sine exemplo artem condere temerarium, cum vno vel duobus leue, cum pluribus autem negociosum.

130 Per ordinem artem tradere, iucundius legentibus. At per sermones diuisos magis proprium inuentoribus, sic enim vnaquæque

quæque ars intuenta & tradita eſt.

131 Singularibus non poſſumus quicquam determinare, compoſita ſunt innum er abila. Ob id decet enarrare ſingularia omnia, pauca etiam generalia, vt ex his infinitum illud, iudicio comprehendi poſſit.

132 Cum fuerint planetæ in eadem latitudine, in oppoſitis partibus, erit diminutio oppoſitionis ſecundum aggregatum vtriuſque latitudinis, idem de quadratis, ſed non eodem modo.

193 Recte ne videtur in hoc dixiſſe Ludouicus Rigius, cum Mercurius & Venus retropedant in Scorpione cum Sole, & Mars eſt in Geminis vel Virgine, violenti morbi contingunt.

134 Non perueniet ad finem bonum, vixque fieri poteſt vt perſeueret in magno gradu, cui nulla ex progenitorum figura geniturę propriæ auxiliatur.

135 Si Sol, & Iupiter, & Mars, vel Saturnus, in trigono igneo fuerint, vel in locis ſublimibus, vel cum fixis nobilibus, vel ſe aſpicientes, erit natus magni nominis, ratione potentiæ, & ſi Sol cum Ioue & Mercurio in Aereis, eodem modo erit, ratione induſtriæ.

136 In augium tranſmutatione, & regiarum, & magnarum coniunctionum, magni homines naſcuntur, quamuis geniturę hoc adeò expreſſe non oſtendant.

137 Dirige Saturnum, vt ſcias ſtatum parentis, & conſtantiam, & agrorum, & ædium conſtitutionem: & Iouem, vt intelligas amicos, potentiam, & diuitias, & iudicium. Et Martem, vt cognoſcas audaciam, promptitudinem, contentiones, & pericula, ac flagitia. Et Solem, vt cognoſcas patris ſtatum, exiſtimationem, vitam, & honores. Venerem autem, vt ſciamus matrem: ſorores, filias, & coniugium, ac gaudia. Mercurium, vt ſtudium, induſtriam, ingenium tractationes. Lunam, vt Sorores, matrem, filias, vxores, ſtatum corporis, animique, itinera, famam rationem. Aſcendens, vt corporis propriæ, & animi qualitates agnoſcas. Cor cœli, vt ſtatum & dignitates. Secundam autem, vt lucrum, decimam vt artem, & cum his commiſceas, quod non proprium eſt, & rurſus conſideres, quid non proprie ſignificent.

138 Conſiſtentia Lunæ in primo menſe generationis, & Mercurij in ſecundo: atque aliorum, qualitatem corporis & animi magis decernit, quàm genitura. Quia vero difficile fuit hoc ſcire, genituram in qua vmbra horum omnium apparet inſpicimus.

139 Quintum ſignum ab aſcendente filios ſignificat, quia eiuſdem naturæ eſt cum ſigno aſcendentis, & ſi fuerint duo ſigna in aſcendente, erunt & nati diuerſorum morum inter ſe valde, & nona ſignificat eadem cauſa, filios filiorum.

140 Decima domus artem ſignificat, & ſecunda diuitias quæ arte parantur, eſt enim in ſigno eiuſdem naturæ, & ſexta labores, beſtias, & ſeruos ad artem & diuitias comparandas neceſſar a.

141 Si cometes apparuerit in quarto, vel quinto, vel octauo menſe, vel decimo prægnantis, natus erit iracundus & ſeditioſus.

142 Conſiſtentia infantis in vtero, nihil recipit præter ſignificata corporis & animi.

143 Luna cum cauda exiſtens, matrem adulteram plerumque ſignificat, ac puerum etiam adulterinum & malorum morum. Sæpius etiam infortunatum.

144 Cum videris, quod decreta patris non eueniunt ei, qui nutrit filium tanquam ſuum, tunc certus eſſe debes, quod adulterinus ille eſt.

145 Antiqui huius artis ſcriptores, adeò oſcitanter ac ludibrio artem hanc tractauerunt, vt in eorum libris exempla inuenias, quæ ſyderum lex non admittit. Vnde non ſolum illos fugere decet, ſed qui eorum libris inniti ſe fingunt, artem ignorant, & plerique eorum ſycophantæ ſunt.

146 Qui artem aliquam deſtruit, longe deterior eſt imperito, nec vacat mens illius malicia, deſidia, & ignorantia.


147 Sol non poteſt recipi à Venere, nec à Mercurio, nec illos recipere.

148 Optima eſt genitura, in qua Iupiter Solem recipit: poſt vbi Lunam: poſt Saturnum, & Martem, poſt Mercurium & Venerem, oportet autem ex eadem parte eſſe.

149 Cuique Iupiter eſt in aſpectu Solis, is ſuperbus erit, & ſine cauſa, ſi non recipiat.

150 Si Reges præponerent ex filiis, regno optimam & dignam habentem regno genituram, ac illius initio concordem, nunquam ſucceſſio regni tolleretur. Quòd ſi cum hoc etiam vni indiuiſum relinquatur, illéque ad artes rege dignas inſtruatur, non ad aulicos luxus ac ceremonias, illa ſucceſſio tandem orbis imperio potiretur.

151 Quatuor quartæ terræ, quatuor ſimiles ſunt elementis, & ſicut nullum quod ex his conſtet, perpetuum eſſe poteſt. Sic totus orbis in vnum imperium diu conſentire nequit.



Mars & Saturnus in angulis, & Venus in domo Mercurij in quadrato Martis, flagitioſiſſimum oſtendunt, vt Venerea, iam tantus ætate patiatur. Sol & Luna cadentes ſacerdotium. Luna afflicta infamem. Mars cum capite in ſextili Iouis


Iouis, insignia per nephas, eundemque toto orbe cognitum reddunt. Suauiloquentiam præstat Mercurius omnium planetarum radios recipiens, Solis & Iouis ac Martis & Saturni ac capitis, tum Veneris, facitque vt omnibus sui temporis mortalibus antecellat, eadem insignem memoriam decernunt.

152 Terrea occidentem occupant, austrum autem ignea, orientem aerea, boream aquea.

153 Terrea & aquea bello, Aerea & ignea contemplationi, ob id atroces bello gentes, literis semper inimicæ fuerunt.

154 Boreales intelligas, qui sub vtrisque polis, australes qui in torrida habitant regione.

155 Astrologi, vt diuinatores, pessimi homines sunt, deceptores ac malorum morum: philosophi naturales veritatis studiosi ac probi, ob hæc Astrologus tantum verax est ac probus, quantum in sua diuinatione adhæret principiis philosophiæ naturalis.



Saturnus & Mars in angulis & cum nodo, & Mercurius in ascendente cum cauda callidissimum, & multis incommodis subiectum periculisque decernunt, iidem casurum aliquando ex dignitate, tum magis, quia Sol affligitur, magnam in opibus fortunam Iouis & Veneris ac Lunæ concursus, fuitque magnus sycophanta, attamen bonus medicus.

156 Aries, Leo, & Sagittarius, similitudine, non proprietate naturæ, sunt orientalia.

157 Scientia hæc, scientia mea non est, ob hæc ne coneris, quæ diuina sunt, in astra redigere: multis enim videtur, ad opinionem de se facere, vt impij habeantur.

158 Qui de seipso multum pollicetur, multorum errorum est author. Qui diffidit huic scientiæ, non est idoneus.

159 Qui inconnexa scribunt simul, volunt videri abstrusum aliquid docere velle, cum ridiculi sint, & inanes.

160 Oportet authorem veritatis multo magis insistere in falsis destruendis opinionibus, ab aliis traditis, quàm in enarratione veritatis.

161 Sunt & figuræ cœlestes, aliæ ab his, quas nos situ stellarum fingimus, vires habentes, quæ tamen, cum ad stellarum & erraticarum vim comparantur, aut raros, quanquam graues, aut leues, & si frequentes effectus producunt.

162 Ambitiosi planetæ sunt Sol, & Iupiter, & Mars, vbi igitur in angulis & fixis signis fuerint, ambitiosos reddunt, maxime si locis Lunæ & ascendentis dominetur.

163 Luna in ascendente, diuinandi cupidum & futurorum scientiæ facit, maximè autem in communibus ac mobilibus signis.

164 Causa, cur rari euentus prædici soleant ab abstrologis, est, quoniam imperfecta est ars, ex his quæ scripta sunt, ad hanc diem, qui vero excellentes in ea fuere, infantium quidem euentus videre iam senes existentes desperauerunt. Sed iuuenum non adeo certam genituram, tot laboribus indignam iudicarunt.

165 Incommensuratæ sunt genituræ, vel quia planetæ omnes in vno sunt signo, aut quia se respiciunt, vel quia omnes cum fixis potentibus, aut in angulo.

166 Cum fuerint planetæ sparsi, nec in vno trigono, homines erunt magis accommodati generaliter: cum in eodem trigono, plus valebunt in vna re.

167 Genituræ in quibus ascendens, aut Luna, aut dominus ascendentis, vel Sol, aut plura ex illis, sunt in loco coniunctionis proximæ Saturni & Martis & in signis igneis ad fortitudinem homines inclinant. Quod si Sol & Iupiter eos adiuuerint, erunt duces militum strenui. Hoc idem præstat Capricornus.

168 Sol & Mars in secunda peregrini, aut cauda, effundere substantiam hominem significant.

169 Ille non erit omnino infœlix, cui loca principalia fuerint omnia in dignitatibus Iouis.

170 Luna in octauo loco, acerbum morbum in capite, & plerunque exitialem significat, in genitura autem, præcocem mortem.

171 Mora nati in vtero, raro excedit motum Solis, vsque ad consimile signum.

172 Saturni regressus par. 7. mi. 18. Iouis par. 9. mi. 55. Martis par. 11. min. 12. Veneris par. 14: mi. 4. Mercurij par. 15. mi. 13. Tempus autem in Saturno regressus, dies 136. in Ioue 118. in Marte 64. hor. 12. in Venere 40. hor. 16. in Mercurio 23.

SEGMENTVM IV.

Aphorismorum Astronomicorum.

I. GEnituræ mulierum, in vita similes sunt virorum genituris, in fortuna ex toto dissimiles, in moribus autem medio modo se habent.

2 Cum plurimi planetæ in eodem signo, non in eadem parte fuerint, temperaturam ad vnum genus, & actiones, inclinabunt, succedentia sibi in annis plurima, sed nil egregium promittunt.

3 Cancri signum, nostro tempore validum


dum existit, ob sydera in eo existentia, ob magnam cõiunctionem, quæ in aqueo signo est, & ob planetarum dominantium robur.



Hæc debuisset mori morte violenta, nec tamen mortua est, & magnam fœlicitatem habere.

4 Mulier, quæ Martem cum Luna habet, nullo modo casta & pudica esse potest.

5 Stellæ, quæ in hydra, & quæ in cauda Scorpij, & Serpentarij caput, quæ de natura Saturni & Veneris vt Leonis cauda, & Saturni cum Venere congressus, & quæ sunt de natura Lunæ & Saturni, quarum non est exemplum, & congressus Saturni & Lunæ & Veneris & Mercurij, & iterum Saturni & Martis congressus, & stellæ, naturæ eorum eorum, & etiam Mercurij, & Saturni, & eorum congressus, & quædam puræ Martis, & quædam ex natura Solis & Martis, & iterum luminariium oppositio, & nodus vterque nullo minus, maxime cauda, venenum significant.



Hic est infimæ sortis, habet Solem & Mercurium & caput iunctos in decima. Item Saturnum Iouem & Martem in eadem parte: vnde illi continget vt honore periclitetur, & magni aliquid habeat. Significatur igitur podagram & talia.


6 Superiores planetæ cum primum è radiis Solis exeunt, animam nobilem, alacrem splendidamque efficiunt: cùm radios Solis illico sunt subituri, agrestes, timidas, auaras: cum in statione prima, ancipites, potentes, dolosas: cum in secunda, ancipites, deiectas, debiles: cum in imo circuli parui retrogradantes ante oppositionem, pertinaces, validas, sperantes: post oppositionem pertinaces, debiles desperantes.

7 Inferiores plænetæ, cum primum è radiis Solis orientales exeunt, languidas & solicitas animas faciunt: at cum primum post occasum apparere cœperint, incrementa omnium demonstrant, cum vero retrogradari volunt, tristes & ancipites: cum ab illa exire festinant, debiles quidem, & omnino in aliorum potestate: dum vero retrogradantur, ad Solis coniunctionem vsque, timidos, nec sui iuris: cum vero iam Solem retrogradando præterierint, pœnitentes, ac dissimulatores. Luna in Solis opposito, perpetuas declarat contentiones, claráque facta. At sub radiis, magna detrimenta, calamitates, insidias inferentem aliis, ac sibi quæ parentur. In prima apparitione, sperantes, ac mutabiles.

8 Debilis est status Veneris & Mercurij, cum occidentales matutini extiterint, vel orientales vespertini, at apparentium contra potens, mediocris autem, cum in die occidentales vespertini, aut in nocte orientales matutini, possunt enim sed non perficiunt: At inter mediocrem validumque proximior mediocri est, cum nocte quidem occidentales vespertini iam sub terram descenderint, valido propinquior status, cum ante lucem orientales nondum tamen super finito rem visus ascenderint.

9 In perfectis geniturís, Luna redit ad signum ascendentis conceptionis, vel eius oppositum, vel ad Planetam, cum quo in conceptione fuerat, aut eius aspectu, vel ad signum proprium. Ascendens autem, est locus Lunæ conceptionis, vel eius oppositum, aut locus domini coniunctionis conceptionem præcedentis.

10 Si loci Lunæ & ascendentis genituræ & conceptionis commutarentur, non possent in vna die nisi certis paucis momentis homines nasci, essetque plurium idem fatum.



Manifestum est, quod hic primo natus est die 176. à conceptione. Nec vicissim correspondent natiuitatis & conceptionis locus Lunæ & ascendentus.


11 Nullus

11 Nullus naſcendi certus terminus datur, plerique tum à 166. ad 178. diem naſcuntur cum perfecti fuerint.

12 Sunt & genituræ ſolares, cum Sol ad locum aſcendentis, aut domini eius, aut ad locum domini coniunctionis, vel proprij loci, reuertitur.

13 Saturnus debilis redditur, in locis luminarium & Martis.

14 Planeta ſylueſter prædominans, facit deſiderare ſolitudinem, præcipue Saturnus.



Manſit igitur menſibus nouem ſolaribus & diebus ſex, & Luna rediit ad idem ſignum in quo erat, & ad quadratum Martis, & ſic apparet quod per perfectos circuitus & vocantur menſes Martis, alij Solis, alij Iouis &c.

15 Si loci Lunæ & aſcendentis commutarentur in genitura & conceptione, impoſſibile eſſet, vt gemelli ſimul generarentur.

16 Si conſimilis angulus loco domini coniunctionis in genitura ſecundum partium numerorum, neceſſario inueniretur: & neceſſario eſſet multorum ſingulis diebus vna genitura.

17 Saturnus bene diſpoſitus, facit dominandi cupidos, auaros, fallaces ſecretorum cognitores & legis, crudeles. Si autem male ſit diſpoſitus, inuidos, timidos, lugubres inuerecundos, proditores, odio bonos etiam gratuito proſequentes.

18 Malè diſpoſitus planeta dicitur, in contrario ſuarum dignitatum, ingrediens radios Solis, retrogradus, pulſatus radiis infortunarum, occidentalis proximus Soli per 30. partes, cadens ab angulo, malæ fixæ potenti copulatus, impeditus, ſtans, tardigradus, ſilueſter, diurnus infra terram de die, vel de nocte ſupra terram, nocturnus contrario modo, orientalis veſpertinus, occidentalis matutinus, & lumine diminutus.


19 Communicare dicuntur planetæ, cum ambo communiter loco vni dominantur: vel cum qui dominatur, reſpicit alium, aut ei per partes paucas iungitur, aut quod, qui gubernat, reddit virtutem alteri, vel ad illum à leuiore planeta lumen defertur. Quòd ſi coniunctus planeta, aſpicienſue, in loco nullam habet dignitatem, homo erit diſſimilis ſibi, & incompoſitus. Quod quidem etiam videtur, quamuis non ſint in planetis ſimul dominantibus, contrariæ naturæ, vt Saturno & Venere, Marte & Luna, vel Ioue & Sole & Luna. communicant etiam, cum in loco dominatoris alius planeta dominatur. Solitarius igitur, & in ſuis dignitatibus eſſe debet, qui ſolus præeſt.

20 Aſſimilari planeta dicitur, quotiens in illius dignitatibus & aſpectu fuerit.

21 Cum planetæ duo ſimul dominantur, erit iudicium ex amborum ſignificato mixtum. Cum autem dominus ipſe ſalteri aſſimilatur, præcipuam quandam vim obtinebit.

22 Quando Mercurius fuerit Lunæ proximus, natus erit vndequaque ſibi ſimilis.

23 Saturnus ſi Ioui aſſimiletur, fueritque bene diſpoſitus, erit natus prudens valde, magnanimus, quietus, philoſophus, & regni miniſter. Male autem, ſine ſenſu, pertinax, vanis deditus artibus, ſolitarius, & tedioſus, difficilis, infortunatus.



Dies 270 ad vnguem, Locus ſolis eſt locus hic aſcendens, & locus aſcendens ac Iouis locus Lunæ hic, de hora tamen non ſumus admodum certi. illud adnotare conuenit colligantiam maxime conſtare in commutatione ſignorum Iouis & Lunæ, & talis eſt natura fœtus qualis planeta cum quo Luna commutatur, inde commutatio Veneris & Saturni. Mars etiam peruenit ad oppoſitum loci ſui.

24 Saturnus ſi Marti aſſimiletur, bene diſpoſitus, erit pertinax, crudelis, proditor, temerarius, loquax, iracundus, adulator, Deos, homines, principeſque odio proſequitur, ſicarius nullis flectetur precibus, nullis rationibus, luſor, oſtentator, in rebus omnibus immoderatus, laborioſus, miſer, nocens, facinoroſus, inceſtus. Si male, erunt hæc validiora, imbelliſque cum hoc, fur, latro impius, omninoque infœlix.

25 Eadem ferme erunt, ſi Mars Saturno aſſimiletur, niſi quòd proprietates Martis magis retinebit, erit enim audacior magis, iracundus, & præceps, minus vero proditor, ac diſſimulator, & auarus ac inuidus.

26 Saturnus ſi Veneri bene diſpoſitus aſſimiletur, erit oſor mulierum, ſpernetque formoſa, inuidus, & deceptor, ac maledicus, legi ſuæ non credet, Deũ tamen timebit, occulti conſilij,

consilij, pacificus, verecundus, diuinator, zelotypus, tediosus, in mundicie mediocris. Male, ebrius, pollutus omni venereo flagitio, pati non solum agere cupiet, etiam ad belluarum concubitum inclinabitur, deteriora his cogitans, maledicus, inuidentissimus, maleficus, immundus, ociosus & deses, miser ac infortunatus.

27 Si Soli Saturnus assimiletur, erit religiosus, taciturnus, fidelis, melancholicus, mente superbus, crudelis, & hoc si bene fuerit dispositus. At si male, erit Dei contemptor, auarissimus, ac superbissimus, dissimulator magnus, & inæqualis.

28 Si Lunæ Saturnus similis bene fortunatus extiterit, vilibus implicat illum exercitiis, sordida amat & vilia, auarus, pertinax, vetulas diliget, & erit specie benignus: sed deceptor. At si male, miser, periurus, pertinacissimus, timidissimus, vagabundus, infortunatus, nullius omnino existimationis, etiam si Princeps extiterit, in vtraque autem dispositione, rei rusticæ amatores facit.

29 Oculus Tauri, vt recte inquit Ioannes Schonerus, facit natum inquietum, turbulentum, seditione populari gaudentem, interdum bonum socium, si in ascendente, vel cum Luna fuerit.

30 At quod ei opponitur (Scorpij sydus) crudelem, rapacem, præter hæc, violentum, bene tamen fortunatum, si cum Luna fuerit, nam quæ in ascendente, mores solum significat.

31 Oculus autem Tauri, si cum Sole fuerit, cordis pulsum dabit, maxime in sexta, dignitates, sed violentas, vixque euadet, quin veneno aut cordis vulnere pereat, nisi cum eo fortuna fuerit.

32 Hoc & Schonerus recte dixit, quoniam Venus in Scorpione & Libra, Venereis intentum facit, in Leone autem amatorem: in Tauro musicum, ebrium, gulosum: in Piscibus saltatorem, choreis se delectantem, & euntem per loca amœna libenter: in Geminis, dat delectationem ex annulis, & pingendi ac fingendi desiderium affert, tum pulsandi musica instrumenta. Sic & in Ariete, delectabitur videre pulchras picturas, audire musicam, & odoribus gaudebit, ac etiam opipare conditis. Sed in Cancro, nauigationibus, aquis rebus popularibus, cantu proprio: in Virgine, omni genere voluptatis, nam desiderium est in iecore, facitque gulosos: in Sagittario, & Capricorno. saltibus, & equis delectabitur, in Aquario autem, cursu. Hæc autem in pueris clariora videntur, qui institutione aut pudore minus tenentur.


33 Saturnus cum Mercurio similis, ac bene dispositus extiterit, facit bonum, ac ad omnia mirabile ingenium, occulta sciet, erit inuidus, versutus, maledicus, sophista. Si male, erit deceptor, fur, nigromanticus, mendax, laboriosus, infœlix, inuidentissimus, consanguineis odiosus, noctes ducet inquietas.

34 Iupiter facit verecundos, lætos, magnanimos, liberales, iustos, pios, alti consilij, mansuetos, benefactores, fœlices. Male dispositus, prodigos, dæmonibus seruientes, superbos, adulatores, contumaces, inuerecundos, vitiis delectabitur, & vilis erit animi, patiensque iniuriarum.

35 Iupiter, si Marti similis extiterit, erit fortissimus, & in re bellica prudentissimus, vindex, calidus crudelis, magnanimus, valde iracundus, honoris cupidus, callidus, fœlix, seipsum ad maiora prouehens, & hæc si fortunatus planeta extiterit, at si contra erit impudens, vilipendens alios, superbus, inobediens prædo, pœnitens, leuis, infidelis, sæuissimus, absque sensu, & sine consilio, suos disperdet, temerarius Dei contemptor.

36 Generaliter autem cum planeta male dispositus fuerit, extremum virtutis quod vitium est pro virtute significabit, vitia vero ipsa augebit in immensum, proximaque illi etiam adiiciet.

37 Iupiter cum Soli assimilatur, liberales, cum tenacitate.



Hunc regem fœlicissimum fuisse ostedit caput cum Venere, & Mercurio, in Iouis opposito, & mores decernuntur à Ioue & Mercurio & Venere & Sole bene positis, ideo fuit in prœliis victor, in pace fidelis, erga subditos iustus, in tractando cautus, in administratione prudens, magnanimus &c.

tamen facit, splendidos, fortes, iustos, pios, fideles, sapientes, magnificos, magnanimos, fœlicissimos, denique diuinos, ornatos etiam vestibus, nitidos, mundos, verecundos.

38 Iupiter si Veneri similis extiterit, erit natus pius admodum, amans, gratus, iustus, humanus, splendidus, munificus, nitidus, mundus, ornatus, liberalissimus, ioci & cibi appetens, probus, fidelis affinium obseruator, amicos diliget, venereis secundum legem addictus, filiorum & vxoris amans, sani sensus, doctrinam & scientias magis colet, quàm habebit, candidi animi, propter Deum etiam mala sponte subibit, misericors.

39 Iupiter si Mercurio assimiletur, erit omnium scientiarum peritus, boni ingenij, boni consilij, bonorum morum, beneficus, amabit collegia, amicos, & consanguineos fouebit, diuitias, & honores habebit, & negocia principum administrabit, erit tamen

diuersorum

diuersorum morum, catus, & fraudulentus.

40 Cuicunque Luna & Mars in Cancro sub radiis fuerint Solis, is & si rex fuerit fagedæna perpetua tenebitur.

41 Iupiter si Lunæ assimiletur, erit bonus, mitis, laboriosus, diues, non vindex.

42 Mars cum solus dominus extiterit morum, ac bene dispositus, erit fortis, iracundus, crudelis, contemptor aliorum, reget bene milites, male ciues, deos spernet, arma diliget, destruet aliena, propriaque, immodicus, confidens de se, fortunatus.

43 Mars Soli similis, crudeles, fortes ad summum facit, fidos, suis principibus, veloces in operationibus, claros & iracundos, fœlices.

44 Si Lunæ Mars similetur, facit contumaces, & maxime laboriosos, vilibus incumbent, & vitam valde diuersam ducent, itineraque amabunt.

45 Si Veneri Mars similis extiterit, erit alacer, bonus socius, libidinosus, iocosus, saltator, cum fœminis & pueris ex æquo concumbit, sed mulieres tamen plus diligit, fœlix valde, deses, nec amat artes, vt laboret in eis, Zelotypus, facilis ad iram, haud tamen tenax eius, plura tamen vastabit,

46 Mars si Mercurio assimiletur, erit festinus in negociis, bonus artifex, potens, laboriosus, versutus, dissimulator, proditor æqualium, instabilis, contumax, variæ fortunæ, promptus admodum ad negocia, crudelis, inquisitor, inimicis valde malus, sociis satis bonus, inquietus, lusor, & violentus, nequam autem erit, & rapax, vitia tamen animi dissimulabit.

47 Sol ipse facit claros, iustos, fortes, magnanimos, auaros, castos, prudentes ac pios, fideles quoque, ac verorum somniorum, amicitiæ custodes, filios non amant, minusque vxores, honorum & dignitatum appetentissimos, crudeles etiam, & iram seruantes, nitidos, & mundos.

48 Veneri assimilatus, non solum pios, sed mites ac misericordes, vincit enim Veneris misericordia, Solis crudelitatem, quæ leuis est, verissimorum somniorum, nitidissimos, ornatissimos, ac maxime mundos, candidi animi, mediocriter hilares, moderatos, verecundos, pudicos iustissimos, amicitiæ obseruantissimos, non adeo prudentes, parum liberales.

49 Mercurius, si mores significet, erit ad omnes artes ac scientias & pronus & aptus, antiqua & secreta in lucem reuocabit, magnus arithmeticus, mercaturam sponte amplectetur, etiamsi princeps extiterit, amabit picturam, sculpturam, & plasticam artem, acuti ingenij, bonæ rationis experietur multa, aliqua etiam inueniet.

50 Homo ad ea inclinatur, quæ per planetam, in cuius reliqui dignitatibus planetæ extiterint, significantur, atque in his plurimi terminos obseruant. Si quidem Saturnus dominetur, turpibus factis, ac sermonibus, & cogitationibus incumbet. Si Iupiter, lucris, honoribus, & rebus dignis. Si Mars, contentionibus, & vexationi. Si Sol, rebus publicis, ac magnificis, cultuique Dei. Si Venus, luxibus, & comendo & ornando se. Si Mercurius, disciplinis ac studiis. Si Luna, popularibus rebus, & itineribus, ac rebus alienis tractandis, hoc enim huic planetæ proprium.

51 Luna si præsit maioribus, facit contumaces, varios, obtusi ingenij, vagabundos, viles, timidos, nulliusque seruitij. Male posita, proculdubio stultos facit.

52 Luna Soli assimilata, quod rarissime euenit, facit homines spiritu inflatos, nulli tamen negocio aptos, fideles, nulli seruientes, publicis delectantur, ineptos, contumaces, variæ vitæ ac morum, quoddam diuinum præferunt, ac superstitionibus deditos amant, maxime magiam, de seipsis multa pollicentur, ingratos.

53 Venus cum Mercurio assimilatur, magnam in artibus exercendis gratiam affert, & in voluptatibus excogitandis callidos facit, Musicæ & Astrologiæ appetentissimos, varios etiam, & ad negocia tractanda maxime aptos, tum etiam leuiter fallaces.

54 Cum Venus assimilatur Lunæ, voluptatem totam ponit in peregrinatione, in rerum publicarum administratione, homo parui ingenij, mollis, & effœminatus.

55 Cum Mercurius Soli assimilatur, facit acutos, iudices bonos, rectos, sapientes, in regum negotiis expertos, diligunt vaticinia, compti, & modesti, ac sobrij, fideles, ambitiosi, casti, ac tales qui pro moribus ab omnibus laudentur, quanquam nemo ex his comis sit.

56 At cum Mercurius Lunæ assimilatur, agunt negocia, etiam dormientes, celeres, mutabiles, versuti, ingrati, vaniloqui, mendaces, varij, mediocris fortunæ, & hoc, si bene Mercurius fuerit dispositus.

57 Cum Luna & Mercurius sub radiis fuerint Solis, in Leone vel Ariete, aut Sagittario, Sol erit morum dispositor solus, aut cum Marte, vel cum Ioue.


58 Scire necesse est mensuram virium vniuscuiusque, sicut ex quatuor elementis tot genita constant.

59 Natura Solis est quasi media inter naturam Saturni & Iouis.


60 Pessima ei accident, cui Sol cum fixa mala mala, & valida, sine fortunæ auxilio extiterit.

60 Omnis immoderata syderum constitutio, in senibus ac debilibus, mortem affert, in aliis autem violentos casus, & exitia crudelia.

62 Luna, cum Mercurio assimilatur, mala est, cum iungitur, bona, Saturnus cum Veneri assimilatur, bonus, cum illi iungitur malus.



Hic debilis, ex reiectatione sanguinis ex pulmone, ac quasi tabificus, cum consuluisset Constantium Bononiensem de Symis, an adepturus esset à Cæsare regnum loco fratris, dixi ego illo ostendente figuram, moriturum eo anno, nam Luna inter pleiadas erat in sexta, in quadrato Martis & Iouis in fixa Saturni domo peregrinantium, & sic repente in itinere suffocatus est.



Causa ex genitura reiectationis sanguinis, est Mars in quadrato Solis & Mercurius cum Saturno infortunato.

63 Luna, cum male disposita fuerit, magna autem genitura polliceatur bona, multa quidem egregia inchoabit, sed non perficiet, nisi paucissima ex illis.

64 Luna in Solis opposito, morbus, si initium accipiat, ex humorum est abundantia, si deficiat, ex virtutis imbecillitate.


65 Non malè omnino videtur Copernicus existimasse, Lunam solam circa elementa versari, vt centrum, nam verè operationes eius sunt à cæteris planetis diuersæ multum.

77 Infortunæ orientales, dant morbos: occidentales, defectus.

67 Luna autem cum Sole, & nebulosa, in angulo, oculum sinistrum amittet.


68 Venus cum Saturno, in septimo loco sociata, cum stella Saturni, aut Marte, super ambos eleuato, Sterilitas in viris, Aborsus vel sterilitas in mulieribus.

69 Quod si cum his Luna Marti applicet, in Cancro Virgine, vel Capricorno, erit vt ex genitalibus aliquid deficiat, vel peruersum sit.



Saturni quadrati radij ad ascendens peruenerunt, sed non ad vnguem, & quod magis potuit, quadrati radij Martis qui cum Luna & Venere & Leonis corde, ad Solem, dixi enim quod omne immoderatum oceidit, & Mars fuit in reuolutione, cum capite, & Luna cum oculo Tauri, & Venus rediit ad locum infortunij, cum corde Leonis in genitura, & Saturnus fuit in opposito Iouis, & oportuit vt mors esset causa mulieris admodum pulchra.

70 Si Saturnus cum Mercurio & Sole occidentales ab ipso in angulo fuerint, Marte non aspiciente: nec Ioue, impedietur lingua.



71 Cum vero in curuis signis, cum nodis aliquibus, maxime Lunæ, luminaria extiterint, in aspectu infortunarum, & in angulo, natus erit gibbus, aut contortus.

72 Cumque Mars & Luna cum capite fuerint, aut cauda, in duodecima, & Sol & Iupiter in quarta, natus etiam erit gibbus.

73 Vitiliginem dant Aries, impetiginem Cancer, albam impetiginem Libra, Ephelides Capricornus, cum Luna in eis damnata fuerit, generaliter autem exanthemata ac defedationes.

74 Sagittarius & Gemini faciunt morbos, qui cum casu eueniunt, resolutionem,

comitia

comitialem, attonitum, vteri suffocationem.

75 Excedentes, iuuant omnia, quæ ex aqua, vt Cancer & Pisces, & quadrupeda, vt Leo, Capricornus, pessima tamen, Cancer ac Capricornus.

76 Quando significator vnius rei, vnus est, atque combustus, res illa ex toto destruetur. Quòd si duo, & primus combustus, secundus retrogradus, debilissima euadet.

77 Astrologus ad ea quæ apparent, multum conferre potest, ad ea autem quæ futura sunt nihil, non enim eadem est scientia futuri, & partis magis manifestè. Eadem autem est causa effectus, & scientiæ, qua ad effectum illum producimur.

78 Saturnus cum in Martis domibus comburitur, Marsque illum aspexerit, figuras conicas ex vaporibus ascendentibus sæpe generat, quæ sunt signa futuri terræ motus.

79 Nullius planetæ cum altero, præterquam cum Luna, exacta coniunctio, vt per ipsam signum ascendens sciri queat, haberi potest.

80 Boreales planetæ, in declinatione, & latitudine, validiores semper australibus, cum reliqua paria fuerint.

81 Infortunis, vt veneno vtaris, validos enim habent effectus, sed, vt illo, tamen parce.

82 Dixit Ludouicus Rigius, Luna iuncta Marti, in aëreis signis, percussionem ab homine, maxime in Geminis significat. Sed in igneis, in opposito Martis, venenosos, & plerunque exitiales.

83 Cum in aliquo morbo, luminaria sunt ambo cum infortunis, vel eorum opposito, initio ipsius, vix euadet æger ab eo.

84 Longe difficilior est hic liber, quàm magna Ptolemæi compositio, vel magna ars, aut Archimedis Sphæroidica, vel Aristotelis Physica, Platonisve ænigmata.

85 Repetitio necessaria est in hac scientia, vel ob difficultatem, vel ob necessitatem, vel ob vtilitatem ingentem, aut ob contradictionem.

86 Sicut proprium est cordis Leonis facere fortem & comem, ita cordis Scorpij, rapacem, & præcipitem, ac Caniculæ ambitiosum, ac magnanimum.

87 Per applicationem Lunæ ad fortunas, aut Solis radios, illis non existentibus morbo inimicis, non infœlicibus, nec in infortunarum potestate, salus in morbo acquiritur, per applicationem autem ad infortunas dominantes, naturæ morbi similes, aut radios malos Solis, simili modo mors fit.

88 Morbi frigidi & sicci, atque hi sponte longi, à Saturno: breues vero, calidi, & sicci, à Sole, vel Marte, incrementum accipiunt. Hi vero soli natura sua mortales, frigidi & sicci, quoniam non aliud mors est: calidi autem & sicci, præfocantes, casu autem, aut permutatione cæteri perimunt.

89 Coniunctio luminarium in Ariete, facit alienationes, & mortes, Si Venus ac Mercurius ibi retrogradi fuerint, hoc idem ferme in Scorpione & capricorno, ac etiam in humanis signis.

90 Cum coniunctio ipsa luminarium ceciderit in sexto, septimo, vel octauo loco ab ascendente initij morbi, infortuna aspiciente, æger in mortis periculo versabitur.

91 Mars in ascendente, hora initij morbi, morbum facit velocem, vehementem, & partes superiores affligentem perturbantemque mentem. Quòd si cum hoc dispositores luminarium, & ascendentis fuerint impediti, succedet mors, idem si ambo luminaria ab angulis cadant, nec à fortunis eleuentur.

92 Quod si sic dispositis omnibus, duobus locis ex his fortunæ potentes dominentur, morbus acutus in diuturnum vertetur, seruabiturque tandem, præter spem.

93 Traiectiones igneæ, post pluuias multas, morbos incendentes generabunt.

94 Signa circa Solem, in Lna, vel stellis, aut circa eas, tum in cœlo valde à naturali cursu alienam, si locum vbi apparent, & figuram cœli cum hoc, ea hora ab initio in finem obseruabis intelligere poteris quid significent.

95 Monstra vero, & portenta, clades, & mortes hominum, sed non eodem modo, neque statim significant, oportet autem & exortus eorum obseruare. Sed illorum casus, & vis, non est præsentis contemplationis.

96 Quicunque Planeta fuerit in directo corporis Lunæ in longitudine ac latitudine, in corde Lunæ esse dicetur, magnosque effectus producet in genituris, hoc idem fixæ, at longe vehementius, cum Sole hoc, Lunæ loco, si fixa, vel planeta, in corde eius fuerit, continget.

97 Qui autem natus fuerit, hora eclipsis, maxime, si potentis viri filius fuerit, multitudinis hominum, causa erit mortis.

98 Mars facit in ascendente mendaces, inconsideratos, violentosque, ac vinolentos. Saturnus autem mendaces, dolosos, sordidos, & auaros.

99 Mars, cum dominus ascendentis fuerit in corde cœli, natus habebit potentiam, quia male vtetur.

100 Hermes recte dixit, planetas tribus modis amicitia iungi, vel natura, vel radio, vel communibus dominiis. Aspectus autem duplex est amicitiæ, alius quidem secundum naturam, alius quia alter ab altero recipitur.

101 Iupiter potest emendare fortunam & mores, Venus fortunam tantum, vnde hoc facilius.

102 Venus multum opponitur disciplinis & eruditioni, nec vincitur, nisi à Saturno, ideo eruditi, vt plurimum sunt, malorum morum, circa venerea.

103 Rumores qui excitantur, Luna existente in initio Scorpij, vel Capricorni, sunt falsi.

104 Coniunctio vt plurimum validior est oppositione, illa quadrato, ipsum trigona radiatione.

105 Trinus omnis radius, bonum affert, sicut omne quadratum, quod est inter dissimilia signa, malum.

106 Trinus Saturni & Iouis, non in aqueis signis, longæuum facit, virumque stabilem ac prudentem.

107 Magnorum principum, Sol est significator. Iupiter autem magistratuum. Mars operariorum. Saturnus rusticorum. Mercurius artificum, qui industria, non labore artes perficiunt. Luna mulierum, & Venus puellarum.

108 Æquales, ac mediocres in affectibus sunt, quibus, ascendunt initia Arietis, vel Libræ, aut fines Piscium, & Virginis: immoderati autem, quibus initia Cancri, aut Capricorni, vel fines Geminorum & Sagitarij.

109 Luna in Scorpione, vel Piscibus, meridionali ascendente existente, ne incipias fabricare.

110 Cum in ascendente mulieris, est signum Martis & in eo Venus: aut signum Veneris, & in eo Mars, aut Mars dominus ascendentis in cœli corde, adultera erit mulier illa.

111 Cum in exitu principis ad bellum, ascendens & dominus, tum luminaria recte se habent ad regni radicem, proculdubio non succumbet ille: & si ad regis genituram, sospes erit: & si ad initium regni illius regis, pauca recipiet detrimenta, donec ad prelium peruenerit, & si per se ascendenti luminaria & dominus configurantur, fortiter ac prudenter se geret.

112 Ascendens significat corpus potius, & dominus illius animum magis.

113 Non solum Luna, sed & dominus loci eius plurimum possunt, natus autem versabitur in his, de quorum natura locus est Lunæ.

114 Domini trigoni loci coniunctionis validi, ac se aspicientes, seruant natos illo mense, si fortunæ fuerint, debiles & inualidi, magna ex parte perdunt.

115 Iidem autem in genituris loci, ascendentis & Lunæ, nutritionem eodem modo, aut ante nutritionem mortem indicabunt.

116 Robur eclipsis summum est, cum luminaria iunguntur vel opponuntur.

117 Planetæ orientales, non solum celeriter sed & faciliter dant dona sua, & hoc si à Sole fuerint, in mundo autem, celeriter, sed non adeo faciliter: hoc etiam contingit, cum occidentales à Luna fuerint, tunc enim Luna exoritur ante illos.

118 Si Saturnus, aut Mercurius in sexto, vel duodecimo loco impediantur, vel etiam in octauo, natus carcere intrudetur. Quod si fixæ male cum his, vel cum impedientibus planetis fuerint, vel Sol cum eis, absque fortunarum auxilio, natus morte mulctabitur.

119 Stellæ Regiæ, aut Bebeniæ bonæ, cum luminaribus, aut eudæmones triplicati, cum in cadentibus locis fuerint, non impedita, fortunam significant insperatam omnino: sed in succedentibus, cum mediocri spe. In angulis autem per successus.

120 Stellæ de natura Mercurij & Veneris, in ascendente, vel cum Luna vel in corde cœli, vel cum domino ascendentis, vel in radiis Solis, aut Lunæ, vel cum Sole, vel cum Ioue, Venere, vel Mercurio, significant gratiam, formam, & scientiam, hoc autem erit in directionibus, aut reuolutionibus tantum, cum à locis principalibus remotæ fuerint, iunctæque radiis planetarum tantum: in corde tamen cœli largiuntur dignitates, vt etiam cum Sole. At cum infortunis, augent illarum decreta, quæ eis conueniunt, reliqua minuunt.

121 Quæ autem de natura Iouis & Mercurij, ad disciplinam meliores, & ad bonam fortunam, ad vitæ autem tranquillitatem, & pulchritudinem ineptiores.

122 Quæ autem de natura Martis & Mercurij, ad opificia manuum, ad bellum, & ad venationes promptos efficiunt, cæterum haud fortunatos, nisi in his, fallaces quoque, crudeles, & malorum morum, ac rapaces.

123 Quæ autem Iouis & Veneris, formosos aut honestos & probos, diuites suo loco, aliis autem, mulierum amatores. Et hæ Martis naturam, si quid aliud maxime frangunt.

124 Quæ vero Martis ac Veneris, repentinas ac magnas fœlicitates præbent, maximamque incontinentiam, pueros formosos, sed turpes viros, eædem etiam violentos casus, & gaudia decernunt infortunia, si à Ioue, vel Venere non inuentur, hi tamen semper malorum morum erunt, oculum Tauri quanquam quidam soli Marti tribuant, eiuscemodi proculdubio esse constat.

125 Quæ vero Saturni ac Veneris, inuidos efficiunt, & fallaces, aut in diuitiis mediocriter fortunatos, auaros in honestis, in turpibus autem causis prodigos. Vel si de corpore decernant, nigros oculos, mundos, & comptos, sed tamen fœdos, & male olentes. Circa Venerem ac mulieres ea probat, quæ alij generaliter refugere solent, & in his nigras, aut nigros diliget.

126 Quæ vero Iouis & Saturni, lentos, & patientes, aut diuites, vel etiam nimium pertinaces, in omnibus grauitatem, & senum naturam referunt.

127 Quæ autem Saturni ac Mercurij, turpes nimis aut dolosos admodum, tamen infœlicissimos, ac à mulierum ac filiorum amore alienos.

128 Quæ autem Saturni & Martis, tantundem malorum decernunt, quantum Veneriæ ac Ioniæ bonorum, oppositis vndique rationibus.

129 Quæ autem Solis ac Martis, crudeles efficiunt, aut turpes, vel infœlices, plerunque audaces, vt cum Luna ascendente, vel eius domino, & si interfectori planetæ associentur, vel Soli, aut Marti, vix euadet, quin igne, etiam si fulgure opus sit moriatur, pauperes etiam, & ad literas ineptos, suis locis efficiunt.

130 Martis autem & Lunæ, populares, seditiosos, turpes, vagos, inconstantes, laboriosos, pauperes, infames, oculorum vitiis captos, morteque repentina exitum sortientes, equilones ac bibones immoderatos.

131 Iouis

131 Iouis & Martis, fortes, fœlices, promptos, fortunam magnam & infortunia, vt nihil in illis sit mediocre, præter formam, & mores, qui mixti sunt.

132 Veneris & Lunæ, formosos, aut segnes & luxui immenso deditos, vel bene fortunatos, aut mulierum amatores, ac pios.

133 Confidentia hominum est, cum domini ascendentis, & Planetæ plures, in suis fuerint dignitatibus, & cum luminaria, & dominus ascendentis cum fortunis, & cum Luna fuerit lumine ac motu aucta, cumque dominus ascendentis natura talis est, & orientalis à Sole, & in superiore eccentrici parte, ex oppositis autem maxima diffidentia.

134 Pessimi mores fiunt ab infortunis, maxime iunctis inter se, vel cum Mercurio, in septimo loco, post in octauo, inde in nono, nam Deum tunc non verebuntur, atque hoc magis, si vim habeant in ascendente.

135 Melior est infortuna in ascendente fœlix, & fortuna in secundo loco, quàm fortuna in ascendente fœlix, & infortuna in secundo loco, primi tamen differentia maior est.

136 Saturnus in quarto loco, in fixo signo, maxime in Tauro vel Aquario, firmam significat fortunam, & tamen plerunque malum finem. Quoniam malitia eius frangitur, sed non tollitur, Mars inobedientes subditos, & seditiosos facit.

137 Leues sunt, quibus ascendit Taurus & Aquarius: leuiores quibus Pisces, at leuissimi quibus Aries, & inconstantes: inconstantes & quibus Cancer, sed non leues, creduli tamen, quibus verò planeta leuis in ascendente, cursu velocissimus, prompti, fallaces, & inconstantes.

138 Quando dominus ascendentis fuerit in via combusta, natus confusus erit in negotiis.

139 Cum infortunæ, in decimo loco, ascendenti non amicæ, atque ibi peregrinæ fuerint, natus erit suspitione plenus, atque eo magis, si in corde cœli.

140 Ptolemæus radices artis posuit, nos autem obscura eius dicta declarauimus, suppleuimusque deficientia, & ambigua determinamus.

141 Causa autem quòd mille nugas inuenerint Ptolemæo posteriores, fixas autem reliquerint, fuit, quòd plurimi ex his, ex Grammatica translati, artem penitus ignorauerunt, vt Firmicus, Albomasar, Albubater, Bonatus, atque Pontanus. Alij secuti Alphonsi tabulas, cùm loca stellarum parte 1. & mi. 9. aucta essent supra veritatem, eos qui fixas infœlices cum luminaribus habebant fortunatos cernentes, alios qui non habere videbantur, rursus infœlices, crediderunt vanam esse illarum significationem. Alij ex tanta multitudine, quas præcipue deligerent non habentes, aut nullam vim inesse voluerunt, vel adeo confusam, vt sub arte non comprehenderetur. Alij proprietates præcipuarum nondum perspectas à prædecessoribus crediderunt. Alij ob rationem diuersarum opinionum in motu earum, loca incerta ipsarum existimarunt.

142 Stellæ fuerunt, ad variationem temporum, in paucis interuallis, alioqui Sol ab initio Arietis ad finem Leonis, perpetuo calore terram quassans, sine imbribus, aut intermissione, sterilitatem & nimios æstus pareret. Ob hoc etiam diuisa est signorum series in duodecim, alternata illorum natura, ne tam diu perseuerans Sol in quadrante vno, nimis vrgeat terram, sed hanc diuisionem Iupiter per singulorum annorum motum facit, par autem erat, hanc fieri à fortuna, Soli amica.

143 Sol autem mutationes facit, propter motum in eccetrico, dum velocius aut tardius mouetur, aut in sublimiori vel humiliori parte illius, vel ex motu ab æquinoctij circulo, qui propter eclipticæ inclinationem inæqualis est, vel propter velocitatem motus in circulo æquinoctio, quasi parallelo, quæ semper inæqualis, ad sequentes & antecedentes redditur dies, quantoque magis ab æquinoctio velociter recedit per eclipticam, maius spacium acquirens distantiæ, tanto minus tarde mouetur quam præcedentibus diebus, contrario autem modo in solstitiis, vbi parallelorum distantia breuissima sed differentia maxima, occursu etiam stellarum fixarum, variatur illius vis. At cæteræ erraticæ, præter hæc habent vim diuersam, quam inferioribus his influant, vel ex motu in paruo circulo, vel in latitudinem, vel in comparatione partium, quæ vberius vim ipsius Solis susceperunt.

144 Stationes in Solis distantia in Saturno quidem saltem 108. partes attingere debent, in Ioue 122. in Marte 127. in Venere 27. in Mercurio 16.

245 Planetæ omnes supra terram, in vita, factis, omnibus mortalibus cognitum efficiunt.

146 Cum in coniunctionibus aut oppositionibus Solis & Lunæ, Luna velociter mouetur, in ima parte est sui parui circuli. Cùm autem diuidua quasi existens, tarde, ipsa est in supremo parui circuli, atque alia eadem ratione.

147 In negociis bellicis, Mercurius sit in summo parui circuli, facit enim impigros.

148 Quando planetæ omnes aucti motu fuerint, ille valde fœlix erit, facile enim cuncta perficiet.

149 Quæcunque in ascendente, ad animi vires; cum Luna ad sensus & rationem, cum Mercurio ad intellectum. Cor enim ascendens significat, vnde ira & audacia.

150 Radij planetarum, plus ad fortunam, impedientes corpora, animo vitiant aut instruunt.

151 Cum inter significatorem, & promissorem, nec regiæ stellæ, nec planetarum corpora aut radij fuerint, proculdubio tunc partes, annuos euentus significabunt.

152 Quando fixæ magnæ cum planetis fuerint, vt plurimum obscurabunt fixarum paruarum decreta.

153 Luna iuncta Saturno, plena luminibus,

bus, facit prudentes, tenaces, memores iniuriarum: affligit autem cerebrum, & ventriculum & membrum signo, in quo est correspondens.

154 Luna in Solis quadrato non recepta, facit humiles corde, & parcos, sed tamen, qui in quibusdam rebus sint immoderati, ambitiosos, splendidos, & honoris cupidos.

155 Animæ per Cancrum descendunt, per Capricornum ascendunt. Luna enim & Cancer, maxime vitales sunt.

156 Quarta Luna nati, vt in adagio est, plerunque sunt infœlices, nam luminaria simul in angulis esse non possunt, nec sese respicere inuicem, nec esse in signis eiusdem naturæ.

SEGMENTVM V.

Aphorismorum Astronomicorum.

1. QVibuscunque Luna, ascendentis domina, sub terra fuerit cum cauda Leonis, & Virginis capite, & Sol in sexta, & Saturnus vel Mars in sua dignitate, in angulo septimæ, perpetua debilitas inerit.

2 Natiuitates fratrum, plerunque habent ascendens vnum, quia locus filiorum in parentibus vnus sæpe existit.

3 Quicunque habent Venerem in Ariete, in eadem parte, in qua Saturnus vel Mars geminos possident, hi omni erga pueros & sacras virgines laborant incestu.

4 Dominus secundæ, in secunda, diuitias significat ex reditibus, in tertia, à consanguineis, vel itineribus, omnis igitur Planeta in domo sua, aliquid facile bonum aut malum ostendit.

5 Omne impedimentum mali bonum, boni malum.

6 Redditus lucis ad meliorem bonus est.

7 Æqualia sunt, seu simul tres significatores impediantur, seu vnus à tribus.

8 Mercurius in Piscibus, facit impedimentum in lingua, & in sermone absurdum, dicuntque aliud, quàm mente conceperint, sic & ascendens.


9 Cum Saturnus est in septima, vel Mars in cœli corde, fiunt detrimenta maiora.

10 Quicunque natus fuerit æquinoctij meridie, vel hoc solo magnus euadet.

11 Absurde copulationes sunt, Saturni Martis & Solis. Itemque Saturni Veneris & Lunæ.

12 Mulieres, quibus ascendens, & Luna, & Mars, & Venus, & Mercurius, sunt in bicorporeis, pessimorum sunt morum.

13 Iupiter cum in corde cœli fuerit, iuxta apicem, in Capricorno, multam dabit bonam fortunam ex violenta iusticia, quæ infœlicem habebit exitum.



Hic mutus est, agit octauum annum, & stupidus, ac quasi omnino sine sensu, credo tamen quod sit paulo tempestiuior vt Sol cadat ad vnguem in linea sexta domus & Mars septima quod & affirmant sui. Morietur ante pubertatem, nam Saturnus inimicus ascendenti & Mars damnant ascendens, & non est alius vitæ significator, verum quia Venus respicit Lunam & ascendens, melius quoquomodo videbitur se habere. Sed Venus in septima parum potest.

14 Semper autem Iupiter valde potens in genitura, bonum aliquod ingens pollicetur.

15 Cometes valde clarus ac conspicuus, tum etiam mobilis ac diuturnus, mutationem alicuius imperij decernit.

16 Saturnus, regna acquirit per laborem, fraudem, & infamiam. Mars per rapinas, fortitudinem, & sæuitiam. Iupiter autem per iustitiam, & probitatis opinionem.

17 Famosi viri sunt, in quorum genituris Luna multorum recipit lumen planetarum, aut si fixæ potenti regiæ iuncta fuerit.

18 Diuitias regias, non solus dabit Iupiter, nisi alterius luminarium testimonium accesserit.

19 Canis maior de natura Solis aliquid habet.

20 Cum Sol & Iupiter nonæ præfuerint, ac in locis Mercurij, Lunæ, & ascendentis, dignitatem habent, altero alterum respiciente, oracula vir ille proferet.

21 Cum inter bonum & malum modica est differentia, recte inquit Rigius, tempera à iudicio.

22 Si Iupiter, aut Venus, in secundo fuerint loco, diuitias dabunt: si autem in quinto aspiciente, superstites filios, nisi à Sole vel Saturno impediantur.

23 Impedimentum duplex est, aliud prohibens, aliud iam datum auferens, primo genere in vxoribus, secundo in diuitiis, vtroque in filiis vtimur.

24 Iupiter & Sol in secunda, splendidum efficiunt.

25 Saturnus autem & Mars, aut Saturnus cum Mercurio, in septimo, sordidè auaros.

26 Facilius ac certius de genitura, quàm de tempore iudicamus, quoniam scimus horam natiuitatis, non congregationis vaporum.

27 Non argumentis, aut ambagibus in iudicando vti debemus, aut adulationibus, Sed his quæ experimento cognita sunt, cum inconcussa ratione.

28 Cum fuerit ascendens reuolutionis, ascendens genituræ, aliquid promissum in genitura eueniet. Sed longe magis, si Luna fuerit etiam in loco genituræ, aut dominus ascendentis, in loco aspiciente ex parte locum radicis.

29 Dixit Rigius, cum in initio anni renertentis, dominus genituræ retrogradus, ex inferioribus incipit esse sub radiis Solis, aut si ex superioribus aliquis ab infortuna opprimatur, vitæ periculũ illo anno expecta.

30 Cum dominus genituræ retrogradus est in natiuitate, & vtroque modo cadens, natus erit deiecti animi, imbecillis, ac nihil perficiens.

31 Quod si ipse non talis sit, sed tali existenti applicuerit, erit hoc in quibusdam negociis tantum.

32 Quam stulte quidam faciunt, qui volunt solum hærere Ptolemæo, cum ipse ex artis infinita magnitudine, minimam partem nobis tradiderit. Sic enim si Galenus fecisset, Hippocratis scriptis contentus existens, medicina careremus.

33 Sol in Leone erigit hominem, nec sinit mendicare.

34 Cum Iupiter in reuolutione aspicit Lunam, aut Venerem, in ætate perfecta, aut in angulo existit, in radicis loco, hominem inclinat ad coniugium.

35 Cum Leo ascendit, facit hominem non sine spe, & rationis participem non vulgaris, nam Sol in suo circulo omninò æqualiter mouetur, caret enim paruo circulo, nec in latitudinem aliquam etiam inclinatur.

36 Sed si Cancer ascendat, & Luna in mobilibus, vel communibus signis fuerit, maxime ab angulo remota, erit credulus & inconstans.

37 Venus in domibus vel exaltatione Martis, semper aliquod turpis libidinis pollicetur.

38 Contemptores deorum, quibus infortunæ in ascendente, vel angulis, domini loci noni, tamen magis, si in ipso loco nono retrogradæ & male affectæ. Sed Mars facit, palam deum conuiciis incessentem, Saturnus hæreticum.

39 Coniunctio planetarum in prima, dat sapientiam, in corde cœli regnum, in septimo loco, famosum obitum, in quarto gloriam, aut cadaueris absque corruptione permanentiam.

40 Filiorum genituræ, vsque ad natiuitatem sequentis, permutant fortunam patris, & alumni. Sed regis noui constitutio, ciuium, donec vixerit: huius autẽ magis, illius minus.

41 In electione principum, & pontificum, quærere significatores vitæ ac potentiæ vt in genituris, & computa vitam secundum annos partium in comparatione ad robur significatorum, & etiam ætatem iam exactam illius.

42 In his autem, & medij radij debilitant, aut roborant inter significatorem & abscisorem.

43 Et iudicabis de moribus, permutantur enim ex toto quasi, ab eo genere, quo erant in genitura.

44 Effectus principis, ex sua electione, & ex eo ad quod peruenit figura regni.

45 Eclipses luminarium super ciuitates, prouincias, & regna, magis quam super priuatæ conditionis homines, aut etiam super reges, respiciunt enim multitudinem.

46 In ludo ac bello multum confert, si facies tua ad partem cœli amicam respiciat, quòd si vterque, diuturna erit contentio. Si nemo, vterque in pugna breuiter cadet, in ludo parua erit differentia, vel tertio succumbetur, si alter tantum, breui ille concursorem suum superabit.

47 Iudicia stellarum vel generalia, vel ex maxime euidentibus, & in rebus magnis proferes.

48 In coniunctione superiorum in aqueis signis, bella magna exoriuntur propter Scorpium, quæ tamen in pacem non internitionem plerunque rediguntur, propter Cancrum & Pisces.

49 In oppositione duorum superiorum, fiunt strages, vincetque superior ex illis.

50 In coniunctione Saturni & Iouis, cum capite simul, aut domino loci Venere, vel cum capite existente, vel ipsis aspiciente, legislatores fiunt. Fiunt etiam cum in nona coniunctio acciderit, sed hoc scire est impossibile. Si autem Saturnus in ea superior erit, mendacem & improbum dices: si Iupiter, contrarium.

51 Qui ea profert, quæ nunquam experientia liceat comprobare, falsus est & ambitiosus.

52 Finis rerum habetur, vel per periodum significatoris, vel casum qui prouenit ex concursu planetarum, ex quo accidit aliquid, quod alteri finem imponit, vel ex concursu domini imi cœli luminari tempora diuidente & gubernante, idest Sole.

53 Cum quis artem nescit, transit ad ambigua, difficilia, vel mirabilia.

54 Bethen recte videtur comparasse planetas, qui ab infortunis quadrata radiatione pulsantur, eis qui iam in extremam incidunt calamitatem.

55 Sed non recte existimauit, neque qui author est centiloquij nobilioris animam interrogantis præsensionem futurornm habere, hoc enim vt generaliter dictum, omnino falsum, inartificiosum autem penitus, si ad aliquos referatur.

56 Initium Arietis per se bonum est & alacre: turbulentum autem ac malum Libræ initium.

57 Luna in Aquario & Piscibus, gratum minimè facit natum principibus.

58 Cum domini trigoni ascendentis ceciderint, fuerit tamen in ascendente fortuna, aut fixa de natura fortunæ, aut domini trigoni ex primis, natus poterit nutriri.

59 Proportio Martis ad Lunam plenam, minor est proportione Saturni ad Lunam vacuam.

60 Saturnus in fixis, penuriam annonæ facit, & hominum mortem vt inquit Rasis.

61 Saturni detrimentum maius est in aquis, Martis autem in terra.

62 Cum fuerit Luna à Planeta impedita, & cogeris electionem ea die facere, pone ascendens signum ex domo vel exaltatione impedientis.

63 Operationes planetarum nunquam cessant, donec contrario, à planeta, aut fixa stella, aut signi parte contrariæ qualitatis impediantur, vel in Solis radios incidant.

64 Cancer, significat aquas pluuias, propriæ, & currentes. Scorpius lacunas & stagna, maria autem Pisces.

65 Signa mobilia itineribus valde commoda, & celeritatem & reuersionem indicant, fixa autem pessima.

66 Cum in genitura alicuius Sol geminatur, vt aliquando contingit ex ratione aspectus, ille seditionem mouebit aduersus principem, aut illustris erit, & cum in eadem hora hoc acciderit.

67 Cumque tres Soles eodem modo, & in ambitu medij circulus completus ac permanens admodum Iridis, eo anno, in ciuitate libera, nascetur ex ciuibus rex, quòd si cum hoc stella apparuerit in die lucida, erit eadem hora.

68 Res omnis quæ celeriter fit ac destruitur, & redit, est de natura Martis.

69 Quæ autem destructa celeriter, nunquam redit, est de natura ambarum infortunarum.

70 Cum Sol fuerit in parte exaltationis in Ariete, & Luna in parte exaltationis in Tauro, Solque in ascendente, vel nona: Aut Sol in Leonis initio, & Luna in Cancri, fueritque Sol in secunda vel decima, indicat naturam moliri virum potentem, ac regiæ planè authoritatis.

71 Cum dominus cordis cœli, retrogradando separatur à Domino ascendentis, princeps versabitur natum, quod si dominus ascendentis retrocedendo relinquat dominum cordis cœli, natus principem odio habebit. Hoc idem in aliis domibus significat.

72 Cum Luna, & dominus ascendentis, ad absidem eccentrici ascendunt, nec cadunt casu aliquo: & fortunæ se inuicem aspexerint, natus erit inclyti nominis.

73 Cui ferrariæ quinta Leonis ascendit pars, hic sine alio, nomen adipiscetur,

74 Cum moritur natus ante horas XXIV. erit ac si natus non esset, cum sponte sua moritur, & similiter si non acceperit cibum, etiam si diutius viuat. Qui verò non acceperit, sed inditum transmittit, si superuixerit, significatum habet, dummodo triduum superauerit, nutritur enim.

75 Primogenitus, maius habet significatum super parentes, completum autem, donec alter nascatur filius, completum autem dico, eius comparatione solum, quod significare potest.

76 Natiuitates regum, habeant signum igneum in ascendente. Quod cum hoc cor cœli etiam in igneo sit optimum erit.

77 Tropica signa, quæ sunt, Cancer & Capricornus, homines animo & moribus, & corpore inæquales faciunt: æquinoctia, Aries & Libra, moderatos.

78 Cum Sol fuerit in suo trigono, in corde cœli, in aspectu Lunæ, natus erit potens.

79 Cumque domini loci Solis, Lunæ, & ascendentis, fuerint à Sole orientales, ac potentes, natus seipsum euehet ad magnum statum, modo Luna non obstiterit.

70 Dixit Rasis, cum quis postulauerit aliquid, Luna eunte ad Iouem, cum capite existentem iuxta cœli cor, obtinebit à Deo & ab hominibus.

81 Cum Saturnus cordis cœli dominus fuerit, natus difficulter impetrabit à principibus.

82 Cum fuerit fortuna retrograda vel debilis, in locis Saturni vel Martis, contrariam habens qualitatem significatori, destruet ipsum vt infortuna.

83 Quando dominus secundi loci, aut loci Iouis, ad dominum ascendentis pergit, & maximè, si ille dominus ascendentis Iupiter sit, toto tempore vitæ suæ in diuitiis acquirendis fœlix erit adeò natus, vt de eo homines admirentur.

84 Cum dominus cordis cœli retrocedendo applicat domino ascendentis, natus erit multum principi necessarius.

85 Non incipias iter, domino ascendentis, vel loci Lunæ, in sexta, vel octaua, vel duodecima existente, timetur enim carcer, vel morbus, aut mortis suspitio.

86 Signa significant corpora: & planetæ quæ mouent ea: & illorum comparatio ad suum orbem, & luminaria, maxime Solem, exitum ipsarum rerum.

87 Rumores sparsi, Luna cum Ioue existente, & in signo masculino, veri sunt plerunque, hoc tamen non est necessarium, quia opus humanum, est non naturæ.

88 A prima die hora vsque ad sextam, sanguis prædominatur, inde etiam somni dulces, à sexta ad duodecimam bilis, atra autem bilis inchoante nocte vsque ad medium eius, sex reliquæ horæ pituitæ dedicantur.

89 In omni coniunctione considera locum, & quis eorum sit superior.

90 Cum dominus ascendentis aspexerit Solem benigno aspectu, vel fuerit orientalis proximus Soli, vel iunctus domino cordis cœli, natus à regibus diligetur, causam autem habebis ex natura domini ascendentis ipsius, ac illius loco.

91 Cum duæ infortunæ iunguntur (inquit Rasis) inspice cum quo Luna concordat in latitudine, nam si cum Saturno, erit fames ac lues, si cum Marte, strages, cædes, & regnorum permutatio.

92 Et similiter cum Iupiter & Venus iunguntur, Luna si Ioui concordet in latitudine, erit iustitia & quies: si Veneri, gaudia & voluptas.

93 Cum in eadem parte fuerint, Sol, Iupiter, & Venus, natus erit propheta.

94 Cum

94 Cum in eadem parte fuerint, Sol, Mars Venus, in Veneris dignitatibus, qui nascetur, fiet rex potentissimus, eumque audient omnes sponte, sed malis quassabitur morbis.

95 Cum Sol & Saturnus, in corde cœli, in eodem fuerint puncto, natus erit maximæ authoritatis.

96 Cum Iupiter & Luna, in eadem parte fuerint, ad absidem ascendentes, erit natus in diuitiis fœlicissimus.

97 Optimum ex his quæ accidunt est, vt luminaria in finibus fortunarum existentia, ex angulis mutuo se aspiciant, post hoc est aspectus Iouis.

98 Climatum differentia facit, vt celerius aut tardius, euentus proueniant, & vt planetæ in angulis sint, cadentibus vel succedentibus.

99 Meridianorum autem diuersitas, vt radiationes sint, ac planetæ, propiores angulis, aut succedentibus illis, vel etiam cadentibus, vtque diuersum sit dominium planetarum in figura: quod etiam in diuersitate climatum accidere potest.

100 Liceat nobis, præuidere futura, ob scientiam eorum, & ob auxilia naturalia, aduersus imminentia pericula, non ob electiones ipsas, quæ plus incommodi, ac frequentius, quàm vtilitatis adducere solent.

101 Saturnus in igneis, cum Sol debilis fuerit, facit hecticas. Iupiter autem sanguineas, absque putredine. quod si Mars affuerit, putridas. Mars in illis, ardentes omnis generis. Venus ephimeras. Quod si Mars commisceatur, putridas ex pituita. Mercurius mixtas. Quòd si Luna ipsa in eis similis sit, facit pituitosas, ex crasso humore putrescente. At si Saturnus sic existens, cum Marte misceatur, fiunt melancholicæ febres. Si Mars sub Sole sit, in sexto, vel duodecimo loco, in igneis, aut sic existens, in alia domo vitæ significatorem, aut ascendentis dominum, in reuolutione pulsauerit, aut ad illius radios sic existentis, eo tempore per directionem dominus ascendentis aut vitæ significator peruenerit, febres æstuosas, & incendentes ac pernitiosas, similesque venenosis efficit. Quòd si his existentibus, humana signa pro igneis supponantur, eadem erunt, sed vt mitiora videbuntur, sic magis occulta ac veneni qualitatem præferentia. At si cum his Saturnus, aut cauda, caputue, aut Venus combusta misceatur, vel stella ex generibus venenum decernentium, aut constitutio fuerit pestifera, vel planetæ hi in Scorpione, vel Leone adurantur, erunt febres hæ omnino pestilentes, ac pernitiosæ.

102 Proprium prauarum febrium est, vt fiant Sole in Leone damnato.

103 Sole valido existente, non fiunt febres ex putrescente materia, nisi casu.

104 Vt resistimus tertianæ futuræ, per victum humidum ac frigidum, ac minime putredini obnoxium, & purgationem bilis ac sanguinis, si febris ex æstu Solis ventura præuideatur, sic quartanæ per Saturni frigus ac siccitatem decretæ ac præuisæ per auxilia futuræ quartanæ opportuna.

105 Signa autem aquea, febres putridas minantur, & mali mortis: sed & putredines & corruptiones, cum Mars in eis dominatur, præsertim combustus. Terrea autem, à putridis febribus maxime sunt remota.

106 Quando cœli medium, idest cor, fuerit in potestate infortunarum sic vt illi dominentur, natus mediocrem sed perpetuam habebit exaltationem. Si autem fortunæ exaltabitur multum, sed etiam ne cadat in maximis erit aliquando discriminibus.

107 Quando Sol fuerit ab octaua ad sextam, & tres superiores à prima ad secundam, natus cum maximis impedimentis semper ascendet, eritque in perpetuo fortunæ augmento. Quod si Sol in octaua, & tres superiores in octaua, vel septima, natus ab initio magnis fœlicitatibus gaudens, semper temporis successu declinabit donec miser euadet, sic & in aliis.

108 Cogimur persæpe aphoristicam breuitatem excedere, vel obscuritatem, vel ob egregiam aliquam vtilitatem: non enim tot habiturus est hic liber expositores, quot aphorismi Hippocratis.

109 Cum plures filij eandem consequuntur fortunam, si in pueritia, fit ex genitura parentum per se: Si autem in iuuentute vel senio, parentum genitura adeò potens fuit, vt filiorum genituras inter se, ac dispositori filiorum, assimilauerit.

110 Mars in mobilibus signis faciles facit ad iram, nullibi tamen magis quàm in Cancro, nec minus quàm in Capricorno. Sed & in Cancro linguam plerunque reddit ineptiorem.

111 Saturnus in duodecimo loco, podagram minatur. In sexto autem morbum vt dixi perpetuum, aut sempiternos carceres.

112 Dixit Albubather, & rectè inquam, cum omnes planetæ in sexto loco fuerint, octauo, vel duodecimo, natus non nutrietur.

113 Maximum detrimentum vt non nutriatur à Luna est, quoniam ipsa cerebrum significat, pueri autem conuulsione capiuntur.

114 Anni reuolutio, alia quidem in temporibus, & est Solis ad eundem punctum ab æquinoctio reditus, alia autem in mundo, & est reditus ad eandem fixam, alia autem in genituris, & est reditus ad priorem locum, addita tanta parte eclipticæ, quantum peragrare potest in vna die naturali.

115 Annus ac dies similis est. dicimus autem diem, cum Sol reuertitur ad locum peragratum: idem etiam in anno statuendum, est enim reditus ac transitus partium, quas in vna die naturali peragit.

116 Luna cum coniungitur, aut Soli opponitur, in abside est sui eccentrici, cum igitur in quadrato Solis est, optime posita est.

117 Saturnus ac reliqui superiores, in abside eccentrici gaudent: & in primis apparitionibus orientalibus, Venus & Mercurius in opposito absidis, sed hi non æqualiter se habent. Luna in opposito absidis eccentrici, & in opposito absidis parui circuli, ele-

mentorum enim est domina, opponitur autem absidi eccentrici cum iuxta Solis quadratum fuerit.

118 Contrariorum latitudines magnæ sunt, ipsa tamen contigua sunt, ob hæc circa illorum terminos etiam periti falluntur.


119 Cum fuerit Iupiter, aut Venus in medio duarum infortunarum, illis propinquus, dicentur tres infortunæ, hoc autem maximè in Virgine, vel Scorpione, aut Capricorno.

120 Idem autem continget, si Venus cum Marte & Mercurio, aut Iupiter fuerit, Marte super ipsos eleuato, idemque de Saturno dicendum erit.

121 Cumque Mars cum Sole, & ibi Iupiter, altior autem Mars, aut Iupiter cadens, erit hoc deterius, minus autem in Saturno.

122 Et generaliter, si fuerit infortuna fortunæ cadenti copulata, aut infortuna eleuata, fient duæ infortunæ, nihil ferme iuuantes & multum nocentes.

123 Quod si fortuna eleuetur, infortuna iuuabit quidem, sed & nocebit, quoniam detrimenta magna facilius est inferre, quàm fœlicitates, impediuntque detrimenta fœlicitates, fœlicitates autem detrimenta impedire non solent.



Hæc est reuolutio vna nostræ genituræ, secundum modum processus Solis, & est anni præsentis, & significat quo ad naturales causas robur vitæ, sed est in reliquis mediocris. Sumpsimus exēplum in nostra, quoniam nullius alterius præterquam filiorum, tempus exquisitum habemus.

124 Filiorum & parentum dilectio, sicut & fratrum ex genitura filiorum, ex genitura parentum, & ex comparatione vtrorumque fit, manifestum est autem quinque modos fieri, sed tres maxime considerari debent, nam si dominus filiorum ad dominum genituræ in patris natiuitate accesserit, filij parentibus obedient, ob hæc autem aliqui obedient alij non: alios diliget alios autem non: cum his autem erit concordia, & quies, cum aliis autem non.

125 Faba ipsa, plena Luna seri debet, sed lens post diuiduam Lunam vltimam, quo tempore & amuleta doloris capitis auelli solent, vt plantaginis radices.

126 Quicunque oriuntur à 16. Libræ ad 19. Sagittarij partem, nostris in regionibus, ad carceres & vincula proni sunt, est enim Andromeda in occasu.

127 Infœlicem autem fortunam sortiuntur, quibus à 23. ad 27. Tauri ortus est, nam Delphin cor cœli occupat.

128 Sic & ingeniosi ac subdoli, quibus ascendens est à 12. ad 20. partem Piscium, triangulus enim cum illis partibus exoritur.

129 Absis Solis, ab Ariete ad Cancrum, inhabitabilem reddit Austrinam partem, Borealem autem habitare facit, à Cancro ad Libram, bene habitabitur Borealis, & Australi dominabitur, à Libra ad Capricornum, Austrina habitabitur, sed Boreali parti minime imperabit, à Capricorno ad Arietem, imperabunt Australes Borealibus quasi desolatis.

130 Sol habet aurum, sed Luna argentum, æs habet Iupiter, ferrum Mars cum calibe, plumbum autem Saturnus, stannum Venus, cuprum Mercurius.

131 Metallica autem, vt argentum viuum, ac sulfur, & calchantum, ac reliqua huius generis, partibus cœli, non autem planetis subsunt.

132 Lapides autem ac gemmæ, tum herbarum ac arborum species, proculdubio subsunt fixis, in quibusdam tamen virtus planetarum magis apparet.

133 Sol habet micantes Carbunculum & Adamantem. Iupiter Saphirum & Smaragdum, Granatum & Corneolum. Saturnus Onicem, Iaspidem, & genus quod ex eo perspicuum est, vocatum Heliotropium, habet & Topasium. Luna habet Lunarem, & Cæruleum lapidem, & Corallum & Calcedonium. Venus Turchesiam, Margaritam, Berillum. Mars Garatronium, Magnetem, & Iacintum ac Ametisrium ex perspicuis. Mercurus Achatem, Chrysolithum, raros ac varios plerosque lapides habet. Qui vero affines sunt his, ad genus suum reducuntur, vt Prassius ad Smaragdum, Balassus ad Carbunculum.

134 Similiter & in arboribus, Laurum habet Sol & Cinamomum. Myrtum Venus, & Vitem & Oleam. Saturnus autem Taxum & Cupressum Sorba Mespila. Iupiter Citria, & omnia eius generis, tum Ficus. Mars, Robur & Iuniperum ac Piper. Luna Poma, Cerasa, Pruna. Mercurius Punica, & Vnedonem, ac Vuam crispam.

135 Plenilunia Lunæ putrefaciunt fruges, & triticum, & occidua Luna seruat cædua ligna.

136 Sol habet lupinum & vtramque solarem. Luna vero lunarem lentiscum, caltham & coluteam. Saturnns toxica. Iupiter fœniculum & anisum. Venus amaracum, ozimum, rosam, violas, vacinia. Mars, rutam, absinthium. Mercurius caulem, blitum, daucum, melissophyllon, virgiliæ, virgilias.

137 Luna custodit oues & omnia animalia amphibia, vt cancros, testudines, & ranas. Saturnus autem salamandras, remoras, torpedines, cochleas, & asinos. Sol hominem, leonem, aquilam, delphines. Venus,

cunicu

cuniculos, ceruos, damas, columbas. Iupiter, elephantos, equos, sues. Mars, tauros, canes, tigres & pantheras. Mercurius simias, & cercopithecos, ac feles.

138 Saturnus habet nigrum, Iupiter rubeum, Mars flammeum ac croceum. Sol splendidum ac lucidum, purum. Venus, viride ac cæruleum. Mercurius ferrugineum & cinereum, Luna autem candidum.

139 Aries habet Germaniam, Galliam, Britaniam, Basterniam, Syriam, Palestinam, Poloniam minorem, Burgundiam superiorem, Sueuiam, Slesiam superiorem, partem Vuestriæ.

Taurus, Parthiam, Mediam, Persidem, Arcipelagi insulas Cyprum, Asiæ minoris partem maritimam, Poloniam maiorem, Russiam albam, Campaniam, Rhetiam, Heluetiam, Franconiam, Hiberniam, Lotharingiam, Irlandiam, Suetiæ partem.

Gemini, Hyrcaniam, Armeniam, Martianam, Cyrenaicam, Marmaricam inferiorem, Ægyptum, Angliam, Sardiniam, Brabantiam, Vuitembergensem regionem, Flandriam, Longobardiam.

Cancer vero Numidiam, Africam, Bithiniam, Phrygiam, Colchidem, Carthaginem, Francorum regnum, & Scotiæ, & Granatæ, Prussiam, Holandiam, Selandiam, Burgundiæ comitatum.

Leo, Phœniciam, Chaldeam, Orchiniam, Galliam togatam, & Italiam, Siciliam, Apuliam, Bohemiæ regnum, Turciæ partem, Æmiliam, & Sabinam.

Virgo, Assyriam, Mesopotamiam, Babiloniam, Græciam, Achaiam, Cretam, Cilitiam, Croaticam, Ducatum Atheniensem, Carinthiam, Slesiam inferiorem, Athesanam prouinciam, Rheni vicina, Rhodum.

Libra, Bactrianam, Caspiam, Seres, Thebaidam, Oasim, Æthiopiam, Trogloditicam, Austriam, Alsatiam, Tusciam, Sundgauiam, Liuoniam, Sabaudiam, Delphinatum.

Scorpio autem Cappadociam, Comagenam, Maragonitidam, Iudæam, Idumæam, Mauritaniam, Getuliam, Nordbegiam, Suetiam occidentalem, Cathaloniam, Bauariam superiorem.

Sagittarius, Arabiam fœlicem, Tyrrheniam, Celticam, Hispaniam, Portugaliam, Vngariam, Dalmaciam, Morauiam, Sclauoniam, Mysnam.

Capricornus, Indiam, Arrianam, Gedrosiam, Macedoniam. Illyridem, Thraciam, Albaniam, Bossinam, Bulgariam, Lituaniam, Saxoniam, Massouiam, Thuringiam, Hessiam, Marchiam, Styriæ orchades insulas.

Aquarius Oxianam, Sogdianam, Arabiam petreiam, Azaniam, Æthiopiam, Sarmatiam, Tartariam magnam, Daniam, Russiam, rubeam, Amaxobiam, Sueciæ partem meridionalem, Valachiam, Pedemontanam regionem, Vuestphaliam, Mosellanos, Bauariæ partem, Montem ferratum, Alcheyram.

Pisces, Phasaniam, Nasamones, Garamantes, Lydos ac Cilices, Pamphiliam, Calabros, Vuormatiam, & Nordmaniam. Sic enim scripsit Ioannes Schonerus vir in hac scientia exercitatissimus, vt etiam de ciuitatibus horum autem reddere rationem omnino difficillimum est.

140 Aries autem ex ciuitatibus creditur habere Neapolim, Capuam, Florentiam, Ferrariam, Vincentiam, Veronam, Bergamum, Imolam, Patauium, Brunsuicum, Vtricam, Lindauiam, Cracouiam, Marsiliam, Epidaurum,

Taurus, Palermum, Bononiam, Senas, Mantuam, Tarentum, Parmam, Panormum, Thuregium, Lucernam, Herbipolim, Carolostadium, Metim, Brixiam, Caput Histriæ, Posnam, Gnesnam, Nouogardiam, Nanceium, Burgim, Lypsiam.

Gemini, Cesanam, Viterbum, Taurinum, Rhegium, Vercellas, Louanium, Moguntiam, Babenbergam, Brugim, Villacum, Chitzingum, Hasfordiam, Londinum, Cordubam.

Cancer vero Constantinopolim, Thunetum, Venetias, Mediolanum, Genuam, Lucam, Pisas, Lubecum, Treuerim, Magdeburgum, Gorlitium, Bernam, Eboracum, Sanctum Andream.

Leo habet Damascum, Rhomam, Rauennam, Syriacusas, Perusium, Cremonam, Pragam. Vlmam, Confluentiam, Linceam, Cremisium.

Virgo Hierosolymam, Alexandriam, Corinthum, Papiam, Nouariam, Aretium, Cumanam, Brundusium, Vuratisuiam, Erdfordiam, Basileam, Heidelbergam, Segniam, Lutetiam Parisiorum, Lugdunum, & Tolosam.

Libra Caietam, Laudem, Suessam, Placentiam, Argētoratum, Viennam, Austriæ, Francfordiam iuxta Mœnum, Spyram, Halam Sueuorum, Haylprunam, Vuimpinam, Landtshutam, Frisingam, Mospachiū, Veldchirchium, Arelatum, Lysbonam.

Scorpius Foroiulium, Trapezuntinum, Algeram, Aquileiam, Paduam, Vrbinum, Pistorium, Camerinum, Brixiam, Taruisium, Messanam, Gedanum, Monacum, Aychistadium, Viennam, Allobrogum, Valentiam.

Sagittarius vero habet Volaterram, Mutinam, Coloniam Agrippinam, Nurimbergam, Stutgardiam, Rotenburgum iuxta Tuberim, Indeburgum, Budam, Caschouiam, Narbonam, Auinionem, Toletum.

Capriconus, Brandeburgum, Anchonam, Tauentiam, Derthonam, Augustam Vindelicorum, Constantiam, Iuliacum, Cleuoniam, Bergam, Gandauum, Machliniam, Vilnam, Oxonium.

Aquarius, Pisaurum, Tridentum, Hamburgum, Bremam, Saltzeburgum, Ingolostadium.

Pisces autem Parentium, Ratisbonam, Rothomagum, Compostelam, Hyspalim, Roanam, Sybiliam.

141 Sol ignem & aërem, & quæ in eo sunt animalia, custodit. Luna autem aquam ac terram, & horum animantium vitam, propterea talpæ & vermes cum Solem vident moriuntur, Belluæ, cum terram, aut aquam ingrediuntur.

142 Pestilentiæ igitur accidunt, afflicta vi Solis, per aërem, & Lunæ per aquas.

143 Si Luna fuerit inter Martem & Solem, vel cum eis, natus erit breuis vitæ.

144 Si Luna ceciderit in septimo loco à dignitate, & descendat tam in eccentrico quam paruo circulo, erit nimio humore infirmus.

145 Cum Luna fuerit in eadem parte cum Sole, & ambo in quadrato vel opposito Saturni, natus non nutrietur.

146 Cumque ambæ infortunæ fuerint in ascendente, & luminaria cadentia ambo ab angulis, natus non nutrietur.

147 Infortunæ non faciunt monstrosos, nisi cum partibus cœli malis coniunctæ fuerint, & fuerint ipsæ potentes, manifestum est igitur, cur nati monstrosi, breuis vitæ sint.

148 Luna cum in Ariete in opposito fuerit Martis per partem, vix nutrietur.

149 Luna cum inter ambas infortunas fuerit cadens vel in signo masculino, vix aut nunquam nutrietur.

150 Quicunque Lunam peregrinam iuxta radios quadratos, vel oppositos, infortunæ habet minus quam 17. minutis distantem, magna in nutritione inforrunia subibit.

151 Saturnus vitam, & Mars nutritionem, ac Luna magis fouet, diuturnam vitam magis Sol & Iupiter.

152 Optimum etiam est pro vita, vt Luna sit in Tauro, Cancro, vel Piscibus, in ascendente, libera.

153 Si Luna separetur ab infortuna, natus habebit morbos in nutritione, & post etiam multa mala patietur.

154 Qui exponuntur, sunt, quibus Luna est in Solis opposito, vel quadrato ad vnguem infortunati, vel si in opposito aut quadrato Saturni, vel Martis patrem significantis, & similiter accidit aliquando, si iidem punctum ascendens eodem modo aspiciant, pauci igitur ex his viuunt, & pauci à matre exponuntur.

155 Quod si Lunam sic existentem Iupiter foueat, & ipsa cum regia nobili vel Bebenia, natus ex ea expositione ad statum sublimem perueniet.

156 Solis vis est, calefacere & producere, Lunæ autem humectare & aquas mouere, Saturni, infrigidare, & Martis, exurere, & Veneris, aerem mitem facere, ac rorem dare, & Iouis, pulchram serenitatem ac salubritatem inducere, & Mercurij, flatus mouere, ac aëris qualitatem sæpe mutare. Cum igitur hæc absque radiis vel accessibus videris, iudica eum planetam dominari, & locum in quo tunc est, esse ex illius præcipuis dignitatibus, vel quod fixæ suæ naturæ copulatur.

157 Vitæ validæ sunt, quibuscunque Aries, vel Leo ascendit, & Sol est in nono, decimo, vndecimo, vel septimo loco, aut Taurus vel Cancer, Luna vero in his.

158 Quando Sol cadens, aut Luna, aspicitur ab infortuna, in angulo potenti, vt nutritionem non indicet, ipso luminari motu proprio ad ipsam infortunam perueniente, natus vt plurimum ea hora morietur.

159 Cuicunque cor cœli est septimus locus suæ ciuitatis, natus ille oppugnabitur in ea, & si fuerit oppositum loci Saturni, vel Martis, vituperabitur, & si ascendens sit locus iste pro cœli corde, non euadet quin in ea male moriatur.

160 In directionibus, maior securitas est in radiis, post in fixis, vltima in finibus vis est.

161 Plurimis eorum, quibus mors accidit violenta, Mars aut Venus, ascendenti, vel Lunæ loco dominantur, aut aspiciunt, his quidem propter contentionem, illis ob amorem.

162 Cum Venus & Luna & Saturnus præualent, cadente Marte, natus erit timidus.

163 Quando Mars in nocturna genitura, fuerit in quadrato Lunæ crescentis, ac plenæ, natus ob impatientiam & iram sibi negocium sæpe facesset.

164 Mars in octauo loco, in igneo vel humano signo, facit insanam vindictæ cupiditatem.

165 Cuicunque Venus non bene posita in Martis infortunati radiis est, ei causa amoris ingentia inconuenientia contingant necesse est.

166 Aquea signa faciunt proditores, atque in his Scorpius excellit.

167 Quando Luna domina ascendentis, fuerit in Scorpione, natus prodet dominum suum, & si fuerit in figura vrbis, rebelles erunt ciues principibus suis.

168 Mars plerunque male Mercurio sociatur, facit enim improbos & inuerecundos, circa tamen artes industrios, vnde tales plerunque malorum motum.

169 Mars in nona infortunatus, plerunque facit mendaces, contemptoresque diuorum.

170 Sicut superiores orientales descendunt in paruo circulo, occidentales, ascendunt, sic in inferioribus contrarium ad vnguem accidit, motus enim eorum in paruo circulo cum motu in eccentrico motum Solis superat.

171 Sol omnibus planetis tribuit vires, Luna autem recipit, ob id decreta Lunæ non omnia, nec ex maiore parte, sua sunt, sed quia aliorum planetarum.

172 Cuicunque Mercurius bene dispositus fuerit, Luna autem male, bene is intelliget, & male deliberabit. Vnde hi etiam aliis optime consulunt, rem suam male gerunt.

163 Mars & Mercurius domini sunt mendacij, Sol & Iupiter veritatis.

174 Pudoris Sol & fortunæ, impudentiæ infortunæ cum Luna.

175 Venus vbi nimis potens in genitura fuerit, & in locis infortunarum, multa ex fœdis amoribus expecta inconuenientia.

176 Venus pudorem facit quendam, qui tamen venereis gratiam potius addat, quàm à concubitu retrahat, itaque Veneris pudor est leuis.

177 Mortes vulgares fiunt, vel elementis affectis, & sunt consimiles, vel natura temporis, cum multis ac diuersis moriuntur morbis, vel casu, cum plurium anaretæ in idem tempus coincidunt, hoc autem minus.

178 Genituræ filiorum ex parentum genituris primo prodeunt, post ex patriæ, & regionis, ac fato vniuersi.

179 Cum

179 Cum natus ascendens habet in opposito Lunæ vrbis suæ, in ea vrbe infortunatus erit.

180 Cum vera via nondum nota est in arte, ille recte agit, qui antiquorum dicta fideliter recitat.

181 Quando Luna in occidente, & Iupiter in oriente, in Martis aspectu, natus fato & Astrologiæ credet, legibus contemptis.

182 Si quis Luna inter infortunas existente superuixerit, Deo non credet.


183 Si Luna, & Mercurius, & dominus ascendentis fuerint in bicorporeis, natus hæresis aut alienæ legis particeps fiet.

184 Si Saturnus, ex loco debili, Mercurium, amica ac exacta radiatione aspexerit, præsertim ex nono vel tertio loco, natus sciet secreta multa in disciplinis. Quòd si ex valido, erunt res magnæ æstimationis.

185 Quadrata radiatio Iouis & Mercurij, facit iudices sacerdotum in aptis, vt Albubather inquit.

186 Nullus Planeta deterius afficitur in retrocessu, quàm Mars.

187 Simplices significationes ego singulas docui, cum autem contrariæ fuerint, eas metiaris, comparabisque, ac iudicabis: ficta enim multa non euenient.




Cum igitur hoc morbo perpetuo detineretur, & ardore vrinæ intollerabili, dixi succedente hac reuolutione, eum in Octobre sequente moriturum difficultate spirandi, tradidique omnia hæc illi in scriptis petenti, & adhuc extant apud suos, custodiens igitur se valde, euadere non potuit diem quartum Octobris, Mortuus est ex difficultate spirandi in quinque diebus, prout prædixeram.

SEGMENTVM VI.

Aphorismorum Astronomicorum.

I. CVm in reuolutione illius cui vnicus vitæ significator iam debilitatus est, boni planetæ combusti, fuerint in alio loco quæ in ascendente, & infortunæ Solem aspexerint, supra terram existentes, ac ascendens, & Lunam, vel Luna sub terra fuerit: absque mala directione vlla, proculdubio eo anno ille morietur.




Huius primi Aphorismi fiducia, pronunciamus eum, qui sine mala directione securus sibi videbatur, omnino eo anno moriturum, erat autem medicus, cuius genitura præcedens debilitatum habuit ascendens in anno 33. vitæ suæ, cum Saturni quadratum ad ipsum peruenit, incidit enim in lapidem vesicæ.

2 Cum Saturnus & Mars se aspexerint, fuerintque luminaria in sexta, octaua, vel duodecima, natus ex morbo incurabili vitam miseram ducet, & tristis viuet.

3 Infortunæ cum dominantur malos faciunt, cum fuerint potentes, faciunt infortunia.

4 Si genitura debilis fuerit in vita, tribus Planetis simul in reuolutione iunctis, periculum imminet, morbi, maxime si in sexta.

4 Cum Luna fuerit in cœli medio in Capricorno, & Saturnus, aut Mars, in imo, natus erit infamis, quòd si Mars fuerit in Tauro, & Luna in Scorpione eodem modo, erit hoc deterius ac firmius, & erunt toto tempore vitæ suæ multa inconuenientia.



Hic fuit omni genere infamiæ respersus, adulter, in pueritia cinædus, pedico iuuenis, aliis etiam vitiis notus, & ob id infœlicissimus. Apposui autem, vt intelligas nec artis nobilitatem, nec trinum Iouis & Solis, mutuo se recipientium profuisse, euasit tamen pericula, & si vixisset tandem ad honores & diuitias aditus patuisset.

6 Ne laudes ingenium illius, qui habet Mercurium in Tauro vel Virgine occidentalem, multo minus in Capricorno, quamuis egregium videatur, nisi Ioui, vel Veneri, vel Lunæ, vel fixæ ex horum natura societur.

7 Luna cum in Ariete fuerit, bonum ingenium, sed mutabile præstat.

8 Claudicationes, oculorum obliquitates, & crurium, ac reliquæ calamitates, à Luna damnata efficiuntur, quod conuulsionem moueat.

9 Veri motus, actiones perficiunt, medij autem sunt, vt illorum exempla.

10 Cum Sol superiorum aliquem respexerit, eandem considera habitudinem illius aspectus in dimidio reuolutionis, & quarta parte, vt aliorum sit 15. aliorum 18. aliorum 20. vel 40. vel reliquorum.

11 Vehementes etiam sunt reditus ad eadem loca, in tempore reuolutionis, cum Sol planetam aliquem aspexerit.

12 Cum Saturnus, Venus, & Mercurius miscentur, facient virum pollutum omni libidinis genere. Sed si in dignitatibus Solis, erit splendidus præter hoc. Si autem Saturni & Mercurij, eruditus admodum. Si autem Veneris, erit magis circa fœminas, quàm pueros, & erit comis & venustus, in omnibus tamen his venereorum impotentia, quandoque laborabit.

13 Sed si Mars & Venus & Mercurius misceantur, tunc flagitia eius erunt immensa, vim stupris adhibebit, & spintria erit, mastrubator, crudelis, deceptor, & sine ratione, potens in Venere: fœminas tamen magis diliget pueris.

14 Curua signa sunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpius, & Capricornus, conuersiua Cancer & Capricornus, æquinoctialia Aries Libraque, bicorporea eadem & communia Gemini, Virgo Sagittarius, Pisces. Fixa, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, reliqua autem sunt mobilia. Humana, Gemini, Virgo, Libra, Aquarius, & prima pars Sagittarij. Aquea, Cancer, & Pisces, reptilia, vt Scorpius & serpens vterque fera, vt Leo & Pegasus mansueta, vt Canis vterque, & Aries semifera, vt Taurus & Capricornus, & Lepus, inanimata, vt thuribulum.


15 Domus quæ violentos casus efficiunt, sunt septima, decima, vndecima, duodecima, post prima, & quarta, & octaua, & sexta.

16 Cum luminaria & fortunæ in angulis fuerint, optimum erit: bonum est etiamsi sine eis. Malum vero si sine luminaribus infortunæ: pessimum si cum eis.

17 Luna bene fert Venerem: Sol etiam Iouem.

18 Quæcunque vehementia sunt circa animam, etiam pro parte in filios transeunt, quæ autem leuia sunt, talia autem plurima corrigit educatio, validissima vero etiam irritat, mediocria tamen lenit.

19 Quando Iupiter cum Marte, aut Saturnus cum Venere, aut Sol cum Luna, aut infortuna aliqua, aut regia mala cum aliquo luminarium in eadem parte peregrini fuerint, ingens aliquod malum nato expecta.



Latitudines. ♃ Sept. 1.15. ♀ Sept. 1.49. ♄ Sept. 1.52. ♂ Sept. 0.40. ☿ Sept. 2.46.

20 Cum res ipsæ consequentes sint, male diiudicat astronomus, tanquam de omnino separatis.

21 Egregij mores, & facilitas in tractatione, per se hominem euehunt.

22 Ad regnum adipiscendum ex tribus duo semper sunt necessaria, coniunctio familiæ cum successione, bonum aliquod ingens in genitura, & eius conuenientia cum regno.

23 Facile igitur est intelligere, cur facilius & frequentius amittatur successione quàm propriis viribus partum.

24 Magis propria significatio domini trigoni est super annos infantiæ, domus autem super corpus exaltationis super fortunam & potentiam, termini super animi mores.

25 Cum in ætate perfecta reuolutio habuerit Venerem in sextili Mercurij, qui illi in genitura in eodem loco iunctus esset, natus imaginationibus venereis mirum in modum vexabitur, quòd si coniungatur vbi prius erat in sextili, eo anno dilecto scorto potietur.


26 Orientales planetæ matutinalésue, masculini magis, ac directi, in operibus suis occidentales, secreti, molles, & effœminati.

27 Saturnus in venereis auget fœditatem, horrorem, turpitudinem, inuerecundiam & infamiam. Iupiter pulchritudinem, decorem, munditiem, & voluptatem, absque infamia. Mercurius detegit, vitiaque multiplicia efficit, ac sæpe ad actus ipsos reuocat.

28 In exercitio seu arte nati, planetam qui primo radios Solis orientalis existens egreditur considerabimus, quod si cum hoc alius in cœli medio sit, & Lunam aspiciat, illum assumemus socium. Quod si nullus egrediatur Solis radios orientalis existens, cum assumemus qui est in cœli medio. Quòd si nullus iuxta cœli corsit, dominum cœli medij considerabimus, locaque in quibus Mars est, & Venus ac Mercurius, tales autem cùm multi sint


sint ferme semper, & semper ferme hi diuersas exercebunt artes.

Hæ duæ genituræ ad 22. Aphorismum spectant.



Latitudines. ♃ Sept. 1. 8. ♀ Mer. 1. 29. ♄ Sept. 2. 32. ♂ Mer. 0. 3. ☿ Sept. 1. 24.

Hæc est vera Neronis genitura, nam in Tranquillo legi debet 18. Calendas Iulias, nam dicit nono mense ante Tiberij excessum, quoniam palam est mortuum fuisse 17. Calend. Aprilis. Nec nix niui similior, vt hæc genitura gestis moribus ac fortunæ Neronis.



Latitudines. ♃ Mer. 1. 56. ♀ Sept. 0. 40. ♄ Mer. 2. 57. ♂ Mer. 0. 9. ☿ Sept. 1. 26.

Placuit hanc Ascletarionis prædictione conspicuam subiungere. Porro quomodo eam venati simus, dicamus. Inquit Suetonius. Occisus est 14. calendas Octobris, id est 18. Septembris, hora scilicet 5, diei, Anno imperij 15. ætatis 45. Imperium iniit, vt in Tito habetur, 13. Septembris natus est 9. calendas Nouembris, id est 24. Octobris, imperij igitur annus 15. perfectus fuit natiuitatis autem non. Ptolemæus 7. magnæ compositionis cap. 3. inquit Anno 840. Nabuchodonosor, mense Tybi, qui annus fuit 12. Domitiani, Solem fuisse in Sagittarij quinta parte, Lunam in Tauri par. 3. mi. 15. horis 5. mi. 20. ante noctis medium Alexandriæ, diebus autem æqualibus, hor. 5. mi. 45. Colligitur & lib. 3. cap. 8. vbi Adriani legatur.

29 Oportet autem artem illam, ad quam inclinatur, intelligere: eam vero exercebit quam reuolutionum series ostendet, quod si concordent, natus delectabitur in arte quam exercebit, si autem validiores fuerint reuolutiones, inuitus exercebit artem. Si autem planeta ab initio genituræ præualeat, cupiet artem exercere, sed impedimenta prohibebunt.

30 Si Mars artem significet, cum ferro ars exercebitur si Sol cum illo communicet, erit etiam cum igne. Quod & si Venus ad delicias spectabit, vt coquinaria, & farcinatrix & ientaculorum conditrix, Sed & aurifabros facit.

31 Venus autem facit pictores, pigmentarios, & qui vestes miris ornant modis. Cum Ioue physicos, cum Marte chirurgicos medicos, cum Mercurio sculptores, & musicos, cum Saturno deceptores & magos, ac fuci artifices.

32 Cum Venus fuerit artis domina, iuncta Lunæ in libra iuxta apicem sextæ domus, & Luna ad Saturni sextilem, aut trinum applicuerit, erit natus textor vilium pannorum varij coloris, & lauans illos.

33 Mercurius facit Mercatores, Arithmeticos, vates & disciplinis intentos. Sol si cum eo commiscebitur, aurea opera, pulchra, faciet, cum Sole Marte, facit chymistas, eo magis si Saturnus adiungatur, facit & adulterinæ monetæ opifices cum Ioue, facit iurisconsultos & trapezitas. Si Saturnus, erit procurator alienæ rei, vel etiam miseram in templis supplicando ducet vitam.

34 Cum Saturnus validè artem disposuerit, vix euadet filius, ne succedat in arte illa vt agricolarum, nautarum onera gestantium vespilonum, & greges custodientium.

35 Mars & Venus non rectè dispositi, lenoniam significant, recte dispositi, armorum lusus, & pictarum vestium fabricatores phrygij & ciniflones ab his fiunt.

36 Impressoria ars, fit Marte & Mercurio dominantibus, recte dispositis, sicut & armorum factrix, & ædificiorum, cum autem male, aleas & ludum, & adulterinas tabellas.

37 Saturni Martis & Mercurij constitutio, facit Monetæ etiam adulterinæ fabricatores, latrones, fures, sicarios, venenorum opifices, falsarum alearum auctores, deceptores, & sycophantas.

38 Luna autem generaliter, diuinatores facit, præcipue in Tauro Cancro, & Capricorno, cum ad Mercurij radios aut corpus accesserit. Si in Virgine vel Scorpione, erit Astrologus, & fascinator, ac veneficus. Si in Sagittario, vel Piscibus, dæmonum & mortuorum societatem habere partim sperabit, partim simulabit. Si in Ariete, Leone, vel Libra, sponte quasi diuinabit, erit & præcantator. Si cum Marte misceatur, erit lanius. Quòd si cum cum hoc Mercurij Saturni ac Iouis testimonium associetur, dissecabit humana corpora, & introspiciet scientiæ causa. Si Iupiter non adsit, erit spiculator, aut magus veneficus. Si Mercurio & Saturno miscetur, facit circulatores.

39 Luna cum Saturno, eos facit, qui riuos ducunt, & piscatores & fossores.

40 Signa etiam artes ex se decernunt per

genera

genera, humana, circa homines: aquea, circa aquas, herbas, & sata: quadrupeda, lanios, pastores, ædificatores, coriarios, lanarios, lapidum artifices, metallicorum fossores.

41 Honorati artifices erunt, cum artis significatores validi & orientales extiterint.

42 Vtilis autem ars ac sine impedimento, cum fortunæ fœlices prædominantur, si autem infœlices fortunæ sine impedimento erit quidem ars, sed parum vtilis.

43 Cumque hoc scire exquisite omnino sit impossibile, per genera res erit diducenda, nam præter immensam artium multitudinem, regionis, loci, familiæ, patris religionis, opumque causa, & à diuersis significatoribus eadem ars, & ab iisdem diuersa decernitur.

44 Diuitiarum auctio, per Saturnum fit sensim, repente per Martem, modica ex vtroque.

45 Saturni cum Ioue constitutio, propria est ad hæreditates consequendas, inde Saturni ac Veneris, vltimo autem Saturni ac Lunæ.

46 Iouis ac Veneris constitutio, ex sacerdotio diuitias præstat, eademque in fixis, quæ de natura horum planetarum sunt.

47 Constitutio diuitiarum, melior est succedentium ratione, vitæ autem aspicientium.

48 Iupiter in secunda, vel Luna in prima, aut in prima. Iupiter in sua dignitate, vel Luna simili modo in secunda, diuitias præstant.

49 Luminaria dant manifestas & splendidas diuitias, orientales planetæ celerius & manifestius: serius & occultius occidentales.

50 Si luminare temporis in anguli apice fuerit cum regia, & superiores planetæ orientales ab eo fuerint, inferiores occidentales, natus, etiam si seruus fuerit, ad regiam dignitatem ascendet. Optimus autem est cœli cor, inde septimus locus, post ascendens, hoc autem magis, si in Ariete, Leone, & Sagittario fuerint, proxime si in aereis signis.

51 Oportet autem in his tempora conuenire, ne prius vitæ significator impediatur.

52 Status hominis ex præcedentibus conflatur, & subsequentibus. sunt autem subsequentia, diuitiæ, mores, robur, amici, ac cætera eiuscemodi. Præcedentia, familia, affines ac parentes, lex quæ transferri non sinit, coniunctiones magnæ, regnum.

53 Cum in angulo sine regia fuerit luminare à planetis circumdatum vt oportet, erit regni administrator, si in apice fuerit.

54 Cum autem in anguli apice, sine planetarum constitutione, luminare temporis fuerit, erit natus aut inter primos apud regem, absque administratione, aut cum administratione proximus primis.

55 Quartus rei status est, cum luminare temporis, non in apice fuerit anguli, planetæ tamen illud vt oportet circumdederint, aut si in apice anguli, luminare non temporis, sine planetarum, aut etiam cum planetarum testimonio fuerit.

56 Quòd si nec luminaria in angulis nec ipsa à planetis circumdentur, erit status eius similis parentibus.

57 At si ab angulis cadant luminaria, & planetæ, erit miser & deiectus. et forsan in villis & oppidis versabitur.

58 Quòd si præter hæc in cadentibus existentibus luminaribus aut in fœminibus signis, aut in his in quibus tristantur signis absque fortunarum aspectu, erit natus in extremo infœlicitatis, ac miseriæ positus.

59 Liberant autem ab infortunio, aspectus fortunarum, & amicus infortunarum, verum ad tempus plerunque, & itinera, & exilium, & mora in aliena patria, aut in villa & oppidis, exhauriunt enim mala stellarum decreta.

60 Et dispositor loci luminaris ostendit causam potentiæ & honoris.

61 Si Soli fuerit in parte orientali à prima ad decimam, Luna autem in occidentali, in viri genitura, iuuenis seni vxori copulabitur.

62 Est autem Luna orientalis, vel à prima ad decimam, vel à coniunctione ad oppositionem, locus autem à septima ad quartam orientali similis est.

63 Luna si Saturno complicatur, erit vxor laboriosa & tristis, aut feralis, vilis, turpis, & malæ voluntatis. Si Ioui, modesta, & prudens, aut nimium lasciua. Si Marti, audax, procax, indomita, vel adultera, ac pessima. Si Veneri, formosa, & iocosa, aut impudens, & adultera, mitis tamen. Si Mercurio, prudens, & recte domum gubernans, aut mendax & deceptrix. Si Soli, modesta, casta, continens, talis autem constitutio, vt diximus vix vnquã euenit. Si tamen Sol male sit affectus, erit ambitiosa, & superba, ac intractabilis.

64 Commutatio Solis & Lunæ, in natiuitate viri ac mulieris, vt significatorum, parit amicitiam, posterior autem concordiam.

65 Commutari dicuntur planetæ, vel cum alter in alterius genitura, locum commutati mutuo occupauerit, vel si aspectu beneuolo id fiat, vel si Luna, in viri genitura, sit in loco Solis mulieris, in coniugiorum commutatione, vel cum duo planetæ locum eundem possident, vel cum significatores proprij, in propria genitura, in loco proprio alterius, proprij significatoris, in aliena genitura fuerint, vel cum planetæ easdem recipiunt vicissitudines, aut cum Sol in mulieris genitura, oppositum locum Lunæ in viri genitura, aut quadratum, secundum eadem partem possidet.

66 Causæ separationis viri & vxoris, sunt diuersæ, secundum leges, & in his ingreditur luminarium discordia, cum malis aspectibus infortunarum, præcipue mutuis.

67 Causæ non ducendi vxorem, & cœlibatus, in viris, est Lunæ combustio, cum Saturno, item magnum Lunæ à Saturno impedimentum, ac rursus, concordia genituræ, cum sacerdotum & heremitarum principiis cœlestibus. Sic & in fœmina, si planeta sit cum Sole combustus, aut Sol à Saturno

vehementer

opprimatur, aut genitura cum principiis monasticorum conuenerit. Atque hæc in his qui suo iure vtuntur.

68 Concubinæ autem, & pellices, & secreta matrimonia, & pueri nubiles, à Saturno, Marte, ac Venere decernuntur, absque luminarium testimonio.

69 Si diuortij significatoribus Venus præfuerit erit ob adulteria, & veneficia. Si Mercurius, erit publicum. Si Mars, valde infame, violentum, & periculosum.

70 Si Saturnus, aut Mars, cum Venere conueniant, aut inter se, in signis communibus illis, vt Libra, & Capricornus, natus consanguineam pro vxore habebit. Quòd sit in ascendente fuerint significatores, erit nouerca vel soror.

71 Si Sol, ac Saturnus & Venus, in communibus illorum signis fuerint, in septimo loco, natus commiscebitur nurui, aut filiæ fratris, vel sororis.

72 Cum Venus Marte potentior extiterit, natus sectabitur nobiles.

73 Planetæ orientales, ad pueros magis inclinant, cum in masculinis signis fuerint.

74 Iuppiter, Sol, & Mercurius, sunt castitatis & pudoris authores. Venus & Mars, impudentiæ & libidinis. Luna & Saturnus, vario modo se habent.

75 Quando Mars fuerit cum Hercule, & Luna cum arcturo, fueritque Mars in septimo, nono, decimo, vel vndecimo loco, vel in ascendente, natus occidetur ab hominibus. Idem de Saturno dicemus

76 Quod si in his locis Mars fuerit cum arcturo, & Luna cum Hercule, natus suffocabitur, & hoc quamdiu Hercules fuerit in Cancro, cum autem fuerit in Leone, à feris, vel præcipitio id fiet. Similia de Saturno.

77 Cum conditiones geniturarum multæ non admittant vitam, quæcunque tales in reuolutione accidunt, vitam eo anno adimunt.

78 Cum infortuna, in primo, vel septimo, vel quarto loco, vel vndecimo, vel nono, vel duodecimo, fuerit cum oculo Tauri, & Luna cum corde Scorpij, natus iaculo vel ruina morietur.

70 Cum autem in prædictis locis, commutata vice, Saturnus cum corde Scorpij, Luna cum oculo fuerit Tauri, natus suspendetur, aut ictu teli occidet, idem de Marte dicendum erit.

80 Quæcunque Luna significat, circa corporis detrimenta, idem & dominus ascendentis. Quamobrem in his, qui Taurum vel Cancrum habent ascendens, fit duplicatum infortunium.

81 Quæ autem eueniunt, sic collatis syderibus, eadem fient, si Luna cum infortuna in eadem parte, in eisdem locis cum eadem stella, aut earum altera iuncta fuerit.

92 Quibuscunque infortuna cum capite Gorgonis, Luna autem cum splendida Aquarij, huic mors violenta mandato principis eueniet, colloque læso vel abrupto morietur.

83 Quod si infortuna sic posita, Luna fuerit cum hydræ lucida, in aquis vel veneno aliquo peribit, oportet autem in his omnibus infortunam loco sublimi esse.

84 Quod si infortuna cum hydræ lucida, Luna autem cum splendida Aquarij, mergetur aquis.

85 At si infortuna cum splendida Aquarij, Luna cum capite Gorgonis, strangulabitur.

86 Quod si infortuna sic posita, Luna cum splendida hydræ fuerit, venenum hauriet.

87 At si infortuna cum hydræ lucida, Luna autem cum Gorgonis capite, & Sol cum splendida Aquarij, etiam si rex fuerit, solenni die capite plectetur, & si non extiterit rex, corpus eius etiam lacerabitur.

88 Si Sol & Mars, cum vulture cadente, in sublimi fuerint, Luna autem cum canicula ardente, natus morietur morsu canis rabidi.

89 Quod si contrario modo disponantur planetæ, venenum hauriet, aut mandato magistratus necabitur.

90 Loca sublimia sunt, primus, decimus, vndecimus, septimus, nonus ac duodecimus, his adnectuntur quandoque quartus & octauus.

91 Cum infortuna fuerit cum vmbilico pegasi, Luna cum cane ardente, natus morietur ex iaculo ignito vel morsus à feris.


92 Cum infortuna fuerit cum vmbilico pegasi, Luna autem cum splendida liræ, natus biothanatus erit, multis tamen modis hoc contingere poterit.

93 Cum infortuna fuerit cum dorso pegasi, Luna autem cum cingulo orionis, natus in aquis obruetur.

94 Cum vero contrario modo planetæ disponuntur, occidetur hominum manibus.

95 Cum Luna fuerit inter pleiadas, & infortuna cum corde Leonis, nato oculi effodientur, vel eorum alter.

96 Cumque Mars inter pleiadas fuerit, Luna cum corde Leonis, natus à multitudine cciodetur.



97 Et si Luna fuerit cum altera canicularum, vel cum cuspide Sagittarij, & ibi aut in opposito, vel quadrato, Sol cum infortuna, maxime Marte, natus igne cremabitur.

98 Cum Luna fuerit infortunata in sexta

cum

cum constellatione, natus morbo obcæcabitur.

99 At verò hoc magis erit, si à congressu planetæ cum cauda existentis separetur, fueritque Luna in via lactea, & infortuna in ascendente, tunc enim ambobus capietur luminibus.


100 Infortunia violenta, magis affligunt vnum oculum, morbi autem ambos.

101 Cumque Luna fuerit cum orionis cingulo, sub radiis, Solis, natus obcæcabitur vno saltem oculo.


102 Cum fuerit luminare vnum valde infortunatum, ex vnius oculi morbo, propter illorum affinitatem, natus ambos amittet.

103 Cumque Sol fuerit cum antecedente Capricorni, quæ est ex regiis, quoniam est ferme sine latitudine, natus obcæcabitur oculo dextro.

104 Quodque non significat vnum signum validum, ostendunt planeta debilia.



Harum geniturarum domini soror ac frater, ambo in infantia, sexto puer, octauo puella, cæd ex morbo facti sunt, causam habes in nonagesimo octauo Aphorismo & septem sequentibus.



Hunc diuitem fieri, ostendit Iupiter in Libra, in secunda domo, & quod pessimus sit, etiam Sol cum Saturno, & cauda, & Venere, dignitatem decernit. Luna inter pleiadas, in sextili Solis, existentis, cum stellis de natura Iouis, & iuxta crus pegasi, & ipsa Luna in cœli corde. Quòd non sit perpetua, facit Mars in Lunæ opposito, vt in sexta Apho, in figura Medici, qui Lunam habuit in cœli corde in Martis opposito sed tamen contrario modo huic. Mars autem in trino Solis in aqueo, dabat huic potestatem super prouinciam, vita prolixa, quia Luna robusta est triplici modo. Mors violenta tamen necessario, & erit ex re cadente, seu cum casu, & cum potu postmodum veneni, & significat vitium in dentibus, & causum eorum, & lapillum, & fœdum aspectu, & antequam moriatur, generabitur lapis in illius vesica. Mors eius, cum Luna ad 21. partem Cancri directione peruenerit, habebit, morbum exedentem, & serpentem per corpus, nam Saturnus in Piscibus comburitur initium fortunæ anno 32 vxoris causa.

105 Multas done geniturasdone fœlices, infortunium magnum euertit, & tunc non significantur per egregium astrorum consensum, nisi super mores & corporis dispositionem.

106 Et detrimenta valida radiorum Solis, à fortunarum aspectu non emendantur.

107 Cum Mars Veneri commiscetur, fiunt clamores & violentiæ in Venereis, cum autem Saturnus, fœda omnia, cum dolo ac insidiis.

108 Et non est dubitandum, quod vsque ad adultam ætatem, sufficit consensus geniturarum filiorum, ad eorum ingentia detrimenta significata per genituras parentum.

109 Luna, cum minus perambulat partibus 13. minutis 10. tarda est motu, & in summo consistit parui circuli, & dimetiente minor, tunc igitur lentè effectus suos producit, & siccior est.

110 Obserua locos, vbi quilibet Planeta incipit retrogradari, à retrogradiendi tempore, & stationem secundam in directis: & ibi planetæ per directionem permutabuntur, & eodem modo loca in quibus iunguntur Soli, vel opponuntur, & absidem ac oppositum eius.

111 Sol alligat planetas omnes corpore suo; præcipue superiores. Saturnus & ipse hoc corpore suo facit, præsertim inferiores, maxime Mercurium, omnes igitur stupidi.

112 Quando Venus fuerit domina ascendentis, cum corde Leonis, & Luna cum capite, & in sextili Martis, nec fuerit impediens in genitura mulieris, mulier illa erit pulchra, & ob pulchritudinem nubet viro potenti, & ex paruo statu in magnas diuitias ascendet.

113 Quando Venus cum Saturno fuerit, & Mars & Mercurius in loco Lunæ, natus erit stultus philosophum se putans.

114 Quando Luna fuerit sub radiis Solis cum Mercurio, aut Mercurius sub Solis radiis, Luna diminuta lumine, natus erit stultus, sed non omnino.

115 Sol in Cancro existens, Luna lumine diminuta sub terra, erit sicut asinus.

116 Quando Saturnus cum Mercurio in ascendente fuerint, & Iupiter eis oppositus, erit autem retrogradus, & in septimo loco, natus erit duri sensus.

117 Mars & Mercurius, ac Venus, fortunata Luna, vel in Solis domicilio iuncti, faciunt histriones.

118 Mars

118 Mars & Mercurius cum Luna iuncti, maléque dispositi, fures aut latrones faciunt. Quod si Saturnus aspexerit eos, vel in septimo loco fuerit, ob scelera dabunt pœnas. Sola etiam radiatio mala, Saturni & Martis ex angulo, hoc facere potest.

119 Valde eruditi sunt, quibus planetæ Saturnus, Venus, Iupiter, ac Luna, Mercurium exquisite respiciunt, vno ex his, non Saturno tamen, nec Luna, in ascendente existente, atque in horoscopo, & nullo alio planeta in angulo, nec ex his ipsis existente, omnis enim planeta robustus in angulo, impedit sapientiam.

120 Venus, cum locum cum Marte commutauerit, adulterum facit, atque eo magis, si illum aspexerit, aut si cum regia de illius natura fuerit.

121 Tribades ac pedicones fiunt, à sexto ac septimo loco, oportet autem Venerem ac Mercurium commisceri, sufficiet post hos quælibet infortuna.

122 Cum grauium scelerum indicia apparent, vide an infortunæ validæ extiterint: nam si fuerint, premantque Solem, vel Lunam, vel dominum ascendentis, vel si dominus ascendentis combustus sit, aut hostis Soli, natus proculdubio pœnas dabit.

123 Castitas fit, vel ex sola regia naturæ Iouis & Veneris in ascendente existente.

124 Luna, si Venerem, tum maximè domina ascendentis, vel fortunarum altera, in ascendente existente, aspiciat, natum comptum ac pulchrum faci .

125 Quieti sunt, quibus Luna in Tauro cum Ioue iuncta, vel etiam in Leone, vel Aquario, iidem mansueti ac bonorum morũ.

126 Mars prodigos facit, Iupiter liberales, Venus incontinentes pecuniarum in voluptatibus, Luna tenaces, Sol continentes, Mercurius parcos, Saturnus auaros.

127 Planetæ super terram existentes, in manifestis corporis locis, sub terra autem in occultis significant morbos.

128 Morbi maxime ex genere fiunt domini sextæ domus, aut planetæ in ea existentis, non solum in natiuitate, sed etiam in reuolutione.

129 A Ioue vsque ad Mercurium febres significantur, omnes enim caliditate participant, Lunæ autem caliditas humido obruitur, & Saturnus ab aliis adiuuatur.

130 Singula velle per capita distinguere, infinitum est, cum vero mensuram etiam adhibere non possis fallax.

131 Quàm grauis erit iactura membri, cum Luna in obliquo signo sub radiis Solis existens, à Marte in opposito existente, pulsatur.

132 Apti ad regnum sunt, quibus Sol est in prima domo, ascendens autem ex quatuor superioribus, post autem, quibus Sol in dignitate sua, iuxta cœli cor, proximi quibus Sol iuxta cœli cor, ad 25. partes, & Luna in signo fixo, post hos, quibus Luna sub Sole est, in secundo, vndecimo, vel nono loco. Post hos autem, quibus Sol eleuatus ac potens cum Ioue, vel in eius aspectu, post quibus ascendens Leo, & Sol, in quinto, vel quarto loco, vel suprà terram eleuatus, hoc autem melius.

133 Luna in sublimi valde loco, raro apta principibus est.

134 Malum est successuro in regno, vt ascendens sit cum inferioribus, sine superiore, vt Sol cadat ab angulo, & maxime in Libra, vel Aquario, vel fœmineo signo, vt sit iunctus, vel in aspectu malo infortunæ, vt Luna sit valde potens in figura, ipsa enim regnis multum aduersatur, vt ipsa sit debilis in locis mundi, vt sit infortunata à planeta, vel fixa mala potenti, vt infortunæ in angulis præualeant: vt illæ aduersis radiis se oppugnent, aut coniunctæ sint, vt Mercurius à Saturno infortunetur, aut sit cadens, vel retrogradus sub radiis, vt Saturnus aut Venus sint in figura potentissimi.

135 Cum in regis genitura, infortunæ potentes in mundo, & circulis, ac dignitatibus fuerint, luminaribus mediocriter se habentibus, regnum ad hæredes transibit: quod illi amittent.

136 Cum in filij regis genitura, vel eius ministri, plures planetæ in eadem parte fuerint, tum maxime Iupiter, Venus, Mars, & Mercurius, in signo humano, absente Sole & Saturno, natus infans loquetur, & excidium regni significabit, coniuncta enim est eius genitura, cum regni constitutione, quæ porteta, prodigia & miracula producere solet.

137 Successuris in regno, facilior transitus, si Sol in Leone fuerit, adepturis autem, si in Ariete vel Sagittario.

138 Quando Sol in corde cœli peregrinus fuerit in quadrato Lunæ existentis in septima, natus erit maximus inter suos, & repente morietur.

139 Examina in genituris omnem Lunæ conditionem, secundum tres modos quibus exaltatur, vsque ad amussim: opus est enim illis.

140 Pro rege consule, Solem, & Mercurium, & Martem.

141 Domum duodecimam, & quartam, & dominos earum, & planetas in eis existentes, pro carceribus considera, & Saturnus est proprius eorum significator.

142 Cum infortunæ in angulis, fortunæ in succedentibus: aut Luna combusta, & dominus loci eius fœlix, aut locus coniunctionis ab infortunis oppressus, & cadens, seu oppositionis, & dominus eius fortuna potens, vel Iupiter cadens, & dominus loci eius fœlix ac potens, natus ex infima fortuna & iuuenta miser ad bonum statum perueniet, idem in contrariis.

143 Cui Luna est in loco Iouis, si Iupiter non omnino sit infœlix, bonum est.

144 Quando Luna Saturno iuncta, in angulo fuerit, etiam si rex fuerit, ad inopiam redigetur, dixit Albubather.

145 Statum dignitatis Sol retinet, ac vitæ robur, is si cadat, dominus loci succedenti tempore dignitatem quidem adaugere potest, vitam roborare non potest.

146 Qui Marte in secundo loco habet, caueat à mercatura.

147 Fortunæ domini, natura sunt Sol, Luna,

Luna, Iupiter, & coniunctionis locus. Venus autem in quibuſdam tantum.

148 Qui genituram habuerit pro diuitiis & honoribus infortunatam, & Lunam cum præclara fixarum, fiet inſperato potens, inde iterum redibit miſer, magnitudinem euentus, ex ſtatu Lunæ deprehendes.

149 Quando Venus in vndecima, Mercurius in duodecima, Sol in prima, Iupiter in ſecunda, Saturnus in ſexta, Luna in nona fuerint, nato euenient tot tantaque, vt prodigioſa vita eius videatur.

150 Numerum fratrum, ſume ex domino aſcendenti, trigoni primo vſque ad aſcendens, ſi ſupra terram fuerit: vel ab aſcendente ad ipſum, & communi da duos.

151 Communia ſigna in tertio loco, & vbi eſt dominus tertij loci, ſignificat fratres, ex vno tantum parente, ſed hæc leuia quæ dixit Albubather, non omnino falſa.

152 Tardum progreſſum ex vtero, Luna in aſpectu infortunarum ſignificat, & in ſigno obliquo, & planeta retrogradus aut ſtans lenti motus in aſcendente.

153 Iupiter retrogradus diuitias non largitur, niſi in fine vitæ, quod ſi cum hoc fuerit impeditus cum domino eius nunquam, idem ſi combuſtus cum ſuo domino.

154 Iupiter ſi comburatur in Leone, vir ille nunquam erit pauper neque diues.

155 Quando Sol fuerit cum Saturno, radiis Martis pulſatus, in diurna genitura, pater eo anno morietur. Si vero Luna, in nocturna, mater ex partu morietur.

156 Cum fixa aliqua Mercurio proportionata ex illius natura, aut benefica ei coniuncta fuerit, natus erit ingenio & eruditione illuſtris.

157 Improba conſtitutio, ac Neroniana Antonianaque, Luna & Venere ac Marte coniunctis.

158 Non ſolum ſapientis eſt, ex genitura euentum, ſed ex euentu diuinare genituram.

159 Genituræ domini, quatuor habent vitæ ſignificatores, aut ad ſummum quinque ſi locus coniunctionis adnumeretur, totidem habent filij vt par eſt, geniture enim eorum cum vitæ ſignificato, parentum autem vno minus.

160 Numerus filiorum, à domino primo triplicitatis Iouis ad aſcendens, vt Albubather inquit, communibus autem ſignis duo. Sed melius habetur per reuolutiones ac directiones, his exceptis, qui non ſuperuiuunt.

161 Quando dominus quinti loci, & Iupiter ſub radiis Solis fuerint, natus filios habebit abſconditos ac latentes.

162 Quando Mars in oriente fuerit, & Luna in occidente, filij nati erunt miſeri.

163 Quando Sol fuerit in eadem parte cum Saturno, vel cum eo, & Mercurio in corde cœli, Lunam aſpiciens, natus morietur ſine filiis, quotquot etiam naſcentur, interibunt.

164 Quando Iouem Mas ex quadrato, vel oppoſito pulſauerit, filij nati maxima ex parte violenta morte peribunt, tum certe, ſi cum hoc dominum quinti aut decimi loci.

165 Locus filiorum decimus, ſi nec Sol, nec infortuna in eo, aut dominetur, poſt autem vndecimus, inde quintus, tum Iouis, Lunæ, ac Venetis locus cum dominatores extiterint, vnus igitur duo vel plures aut nullus.

166 Domini trigoni Iouis infortunati, ex paupertate orbitatem præſtant.

167 Iupiter eleuatus ac infortunatus mediocriter, filios perimit, opes ſeruat: deſcendens & humilis, ſed non infortunatus, ſeruat filios, & opes non largitur. Sic & in aliis.

168 Cum Luna ad vnguem diuidua extiterit, natus erit quieti animi.

169 Quando Luna per radios, à Marte ad Saturnum fertur, in nocturna genitura, cauſa mulierū infinita accidēt inconuenientia.

170 Cum dominum ſeptimi loci Mars & Mercurius altiores exiſtentes pulſauerint, natus vxorem vel inimicum occidet, vel etiam veneno, & hoc, ſi eorum alter in aſcenſione poteſtatem habuerit.

171 Saturnus cum violentam mortem non ſignificat, in ſeptimo vel octauo loco exiſtens, vel dominator, mortem, ex animi triſtitia nunciat.

172 Infortunæ peregrinæ in ſeptimo loco, aſcendenti dominantes, vxorum aut inimicorum mortes denunciant.

173 Saturnus, Mars, & caput in quarta ſubitam mortem nunciant.


174 Subita mors, vel ob vehementiam, vel ob proprietatem, vt cum Luna in octauo, vel ſeptimo loco fuerit.

175 Cauſa cur planetam in octaua pro morte conſiderauerunt, fuit conuerſa directio.

SEGMENTVM VII.

Aphoriſmorum Aſtronomicorum.

I. QVibuſcunque planeta nullus eſt ſupra terram, nec in prima, hora ortus ſui, non ſolum longam habere vitam, ſed egregiū aliquid perficere eſt impoſſibile.



Hæc ſignificabat egregium animum, & in rebus bellicis clarum, ob Solem in Saturni quadrato, ſecundum parte eandē, & in propriis exaltationibus, oſtendebat & præclara facta, ob Mercuriū, Iouem,

Iouem, Martem simul iunctos in Piscibus, sed hæc præueniente morte, in irritum ceciderunt, quia omnes planetæ sub terra sunt.

2 Cui Luna in sexta fuerit, in infortunæ aspectu morbum patietur incurabilem, atque eo magis, si domina fuerit ascendentis.



Manifestum est, quod hic habuit Lunam oppressam, radiis Saturni, & Martis, in sexta, sine fortuna, & ita debuit esse æger perpetuo tempore, nec esse diuturnæ vitæ, quorum vtrumque ei contigit.

3 In morbis tot numera dies, quoties Luna ad eundem punctum in circulo positionis redierit, sic enim & in Sole numerantur.

4 Ratio dierum iudicatoriorum ad octuagesimum integra peruenit, sed & ad centuagesimum & centuagesimum vigesimum, quia cœptus pro integro numeratur.

5 Quotiens igitur Luna, à puncto ad punctum transiens, orbem peragrauit supremum, rediitque ad eundem circulum positionis, toties Solem idem efficere, hoc autem in tempore breuiori necessarium est.

6 Quando Saturnus in Libra fuerit, & Iupiter in Cancro, tunc magnæ in mundo mutationes contingent.

7 Cum Luna in hieme, in signo aqueo, iungitur planetæ retrogrado, pluuia erit vel nix, maxime autem Saturno.

8 Multitudinem vxorum, vbi vnam tantum ducere licet, non ex planetarum concursu, aut signis communibus venaberis: sed si cum hoc, radij Lunæ, aut corpus eius, ad planetas, in ætatibus robustis applicuerint, ac mortis vxorum signa adsint.

9 Robur vxoris intelliges, ex statu, ad quem Luna per directionem eo tempore peruenit, sic & in filiis, ac succedentibus fratribus.

10 Parentum autem, ac præcedentium fratrum, à statu significatorum in loco anteriore, per annos totidem, quot illi genituræ tempus antecedunt.

11 Cum in mulieris genitura, Mars sub Solis radiis fuerit, mœchabitur cum vilibus & seruis, si vero illius loco Venus, cum nobilibus.

12 Infortunæ locis filiorum infestæ, si parum fuerint debiles, habebit filios natus, si magis, nati morientur, si maxime, erit sterilis.

13 Cum vero dominus genituræ, infortuna fuerit, nec aspexerit dominos loci filiorum, aut non infortuna existens, aspexerit inimico aspectu, natus filiis erit infensus.

14 Cum loci significatores à luminaribus remouentur, erunt filij illius illegitimi.

15 Cum dominus ascendentis fuerit in tertia, fortuna existens, natus inseruiet benefaciens consanguineis suis.

16 Cum secundus dominus tertiæ domus fuerit infortuna in ascendente, familiares & serui nati obedient illi, sed malè afficient eum.

17 Impossibile est aliquem vndequaque beatum esse.

18 Cum tertius tertiæ domus dominus fœlix fuerit, natus ex breuibus itineribus voluptatem ac vtilitatem capiet.

19 Saturno & Marte in Sagittario iunctis, & cum cauda existentibus, Luna per oppositum gradiens, si Sol fuerit vltra Libram, nec illi sub radiis, cum ad Cancrum peruenerit ninget.

20 Cum Saturnus & Iupiter, ad radiorum vel corporum coniunctionem peruenerit, fiunt consistentiæ temporum.

21 Saturnus & Mars, & Mars ac Sol, & Mars ac Mercurius, grandines generant, at æstate magis Saturnus, autumno Sol & Mercurius.

22 Quæ æstate & autumno grandines pariunt, eadem hieme niues, ac vere.

23 Saturnus ac Luna in siccis temporibus generant pruinam & vredinem.

24 Saturnus ad luminaria, & Iupiter ad Mercurium, & Mars ad Venerem portas aperiunt, magnasque temporum mutationes efficere solent.

25 Cum ab altero aperientium ad reliquum planeta leuior defertur, idem ferme contingit, quod eueniret altero alteri applicante.

26 Cum in temporum mutationibus leuis planeta ab altero ad alterum fertur aperientium portas, tum etiam in aliis, natura vincit eius ad quem defertur.

27 Cum planeta dominus qualitatis temporis mensis proprij, in signo diuersæ naturæ ac contrariæ fuerit, procrastinabitur aëris constitutio, & similiter si luminarium coniunctio, à loco in quo Sol opus suum incipit, multum distiterit, & si eo tempore, non fit apertio conueniens illi constitutioni.

28 Mars cum Ioue si iungatur, in igneis signis, vbi sydera sint tempestuosa, etiam hieme media, grandines efficere possunt, aliter autem niues.

29 Oportet etiam cœlum cognoscere regionis, & quo tempore anni sit tempestuosum, nec non consistentiam, aut mutationem ob ventos, tum etiam cui signo regio magis conueniat.

30 Sol habet vltra ac citra æquinoctium differentias, cæteri præter hoc etiam eclipticam.


31 Qualitates aëris, dignoscuntur ex

situ planetarum in eccentrico, in paruo circulo, in partibus eclipticæ, & æquinoctij, in propria natura, in coniunctione cum aliis, vel per radios, aut ad fixas, in delatione luminis, in locis mundi, in hora radiationis suæ, vel in conuictione luminarium, aut in comparatione ad loca coniunctionum potentium, Atque in comparatione ad locum Solis, qui potentissimus est, tum etiam directiones coniunctionum magnarum, & tempora ac qualitates eclipsium, & incidentia, vt terræmotus, fulgura, & cometas, & constitutiones planetarum cum fixis, in circulis ascensionum: & loca duorum superiorum, & frequentationes, repetitiones, ac multiplices simul habitus, præter hæc considerare oportet. Atque ex his singularia cognoscere licet.

32 Neque tamen in omnibus, nam excessus magni per se significant, quæcunque autem leuissima, vt in pluribus, sensum effugiunt.

33 Et qui plus præstat, quàm quod sensu percipi queat, necessario ingratus Deo est, necesse est autem, qui hæc scribat, ad perfectionem attingens, eum alia etiam scribere, quam quæ solo sensu percipi queant.

34 Cum eclipses in terreis aut cometæ fiunt, sterilitates portendunt ob siccitatem: cum in aqueis, ob imbrium abundantiam & sterilitates & pestes. In aëreis ventos, ac seditiones, & pestilentiam etiam, sed non semper tamen, in igneis autem bella.



Hæc est illa syderum constitutio, in qua Stoflerinus vituperio exposuit astrologos. Existimans enim diluuium portendi eo tempore, quo maxima fuit serenitas, magnam calamitatem mortalibus pronunciauit, adeò, vt ad montes plurimi confugerint, ego vero Francisco duci nostro, annum agēs vigesimum, tunc nihil timendum de hoc prædixi, cæterum pestem, quæ rarissima fuit, nostræ vrbi pronunciauit eo anno. Sed & luem anno 1528. qua vniuersus orbis conflictatus est. Nec igitur incommode de his agemus hic, vbi maximus certe vir, verum philosophia naturalis expers, hallucinatus est. Primum igitur dicendum, cur nostræ vrbi pestem pronunciauerit, fuit Luna, in opposito Solis, cum Saturno, ac Mercurio infortunato existentis in trigono ascendentis nostræ ciuitatis, atque ascendens, ciuitatis ascendentis, & quæ infortunio tanto afficiebatur. Luna, vtriusque ascendentis domina, & in Virgine. Quare pestis adeò seu causa in ciuitate nostra patet.

Eadem vero ratione, quotiens Luna infortunio magno afficitur, luem portendit, hoc autem ne maius quidem contingit excogitare, accessit, quod locus Solis est, vbi Saturnus Iupiter ac Mars coierunt, triplicato infortunio, nam & hoc nos demonstrauimus, hic mihi Lunæ locus fuit, vnde gloria, sed vnde vita, alias rationem docuimus, nam si contrario modo fuisset, tunc mors & vituperatio, itaque ex superiorum coniunctione, Sole ac Luna, infortunatis, generalis lues.

Cur vero serenitas? Luna in sicco signo, & planetæ cum dorso Pegasi, ac crure illustrioribus stellis, de natura Martis. Mars quoque ac Iupiter, Saturno potentiores sunt, ipso non super illos sensibiliter eleuato, locus quoque fortunarum.

35 Cum sub hyemis fine, aut initio Saturnus Lunæ dominatur: & figuræ cœli, insolita frigora accidunt nubilo tempore, & in his niues expecta.

36 Cum mutatio temporis ab ingressu Lunæ in signum aliquod inceperit, nec radij occurrant impedientes, illa temporis constitio 52. horis perdurabit.

37 Omnium quæ ad artem aliquam augendam maxime faciunt, præstantissima sunt diligentia, ac iudicium.

38 Ars tunc perfecta dicitur, cum id quod quærimus hominibus necessarium, haberi potest, Atque his inuentis ac raditis, antiquorum scriptis acquiescere par est, non autem, cum minima pars docetur.

39 Dominus figuræ in affectibus luminarium, est dominus ascendentis & medij cœli, hora exactæ radiationis, aut coniunctionis, in regione, in mundo autem, dominus loci ipsorum luminarium.

40 Saturno ex signo in signum transeunte, per plures dies, fiunt in cœlo signa splendida.

41 Sol coniuncta Ioui, præcipue in aëreis signis, aërem temperat. Saturno, frigefacit, maxime in Sagittario, & Capricorno, Sed Marti, æstum & tenebrosum aërem, in vere præcipue, & insuper morbos.

42 Rasis dixit Venerem cum in prima Cancri parte fuerit pluuias facere.

43 Cum Saturnus Soli iungitur, frigus augetur, estque hoc argumentum astrologicæ veritatis.

44 Mutationes aëris declarant genituratum veritatem, & geniturarum exquisita temporum ratio, exactam temporum rationem in aëris mutationibus.

45 Frigus augetur à Luna, cum plena est iungiturque Saturno, aut per aspectum ei copulatur. Sic enim illa vicem Solis gerit.


46 Cum vero Luna vacua, Saturno copulatur, aut ipsum aspicit, siccitas augetur.

47 Saturnus longe frigidior est, quàm sit siccus.

48 Cum ad vitam conseruandam animantium ac stirpium, calore primo indigeremus, solus Saturnus frigidus inter erraticas creatus est. At verò eo non potente tot calidis planetis resistere, ne per successum


temporis

temporis mundus adureretur, eclipses Deus molitus est, quæ certis necessario temporum interuallis recurrentes, mundum totum refrigerarent, ob id nec in minori temporis meta hæ geminari queunt, nec vltra certum temporis modum differri. Quamobrem omnes eclipses infrigidant.



In hac coniunctione, fuit Saturnus tribuens Lumen Veneri, & ipsa in Aquario, & Iupiter in opposito luminarium; & ideo cum dominus figuræ esset Sol, & Mars significauit salubrem annum, sed humidum, locus enim Lunæ, cum stellis de natura Iouis & Veneris: tunc tamen nulla erat in signis stella, quæ imbres vere ac æstate significaret.

49 Plures planetæ sicci creari potuerunt, non solum, quia plures humidi etiam sint: Sed quoniam siccitas ipsa, frigore tardius inducitur: & temperatus humor, etiam naturalis necessarius est, calor autem vt maior, sic etiam validius viuens reddit.



Durauit ecclipsis, hor. 3. mi. 40. puncta 16. mi. 30. Initium hora 10. mi. 22. medium hora 12. mi. 12. finis hora 14. mi. 2. Dixit itaque Georgius Moneta medicus, post multos imbres, serenitas cœpit die 16. Octobris, hoc autem fuit propter coniunctionem Martis & Iouis, quæ fuit die 13. secundum ephemerides: sed 13. secundum obseruationes Monteregij, nam Mars retro est. Fuit autem hoc per ventos, quamuis non scripserit propter locum coniunctionis, pluuia autem propter venturam eclipsim.

50 Frigus per accidens humorem auget.

51 Eclipses Solis, multum refrigerant, ideo generales orbi esse non debuerunt, Lunæ parum refrigerant & per se semper exsiccant.


52 Cum multiplicantur eclipses magnæ, vt ab anno 1539. ad annum 1545. necessario sterilitas succedit sequentibus annis, refrigeratur enim terra & exsiccatur.

53 Quod si cum hoc imbres copiosi, aut inundationes successerint, quæ aucto frigore nimium euenire persæpe solent, tunc fame dira succedit.

54 Saturnus, & Venus, adiuuant Lunam, ad inundationes, Iupiter autem, & Mars, Solem, ad vehementes siccitates. Sed Mercurius vtrumque auget.

55 Aliorum narrasse obseruationes, maiorem habet fidem, in ostendendo non voluntariam esse rationem eorum quæ scribuntur.

56 Robur maximum Solis facit grandines, minimum pruinas & niues: mediocre pluuias, iuuant autem extrema vtraque venti validi, hoc autem in libro de supernis est declaratum.



Dicit, prima die Nouembris ventus cœpit, & quasi triduo perseuerauit, hoc autem, quia Venus aspexit Martem ex Sagittario, & ipsa domina ascendentis cum illo, ipse vero cum Ioue, & in quadratura præcedente, Luna fuit in trino Saturni & Iouis, & illi in trigona radiatione inuicem, omnes in aëreis, cum igitur reuersa est ad quadratum Saturni, fecit illud.

57 Mansiones Lunæ ne inspicias, est enim Lunæ vis, à loco suo, à loco in signifero, à lumine, planetis ac fixis.

58 Cum eclipsis Lunæ fuerit in igneo signo, & Mercurius iuxta Solem, erunt venti, hoc idem in oppositione.


59 Eclipsis tres habet vires, potentem ratione coniunctionis vel oppositionis: generalem, quoniam lente infrigidat, atque ideo in multos extenditur dies: & propriam, quæ à loci dominatore habetur.

60 Robustissimæ constitutiones, si primæ sint, in primis restitutionibus operantur. Si autem debiles, in primis validis.

61 Sicut Gemini est ventorum auctor, sic Sagittarius niuium.

62 Oportet autem loci Lunæ dominatorem obseruare, qui si fuerit Saturnus, duplicatas habebit vires cum Luna ad ipsum denuo applicatur.

63 Proportio Veneris ad ignea signa, est vt Iouis & Mercurij ad aërea.



A decima autem die Nouembris ad tredecimam fuerunt nebulæ, & vndecima fuit serena. Luna inter pleiadas hoc facit. Sed Iupiter & Mars alti resistebant, in aliis igitur regionibus pluere potuit, quanquam non multum, ob Iouis & Saturni trigonum, in 13. die pluit, quadrato intercedente, sed leuiter. Nebulæ autem ab ingressu in Sagitarium.

64 Planetæ non immutantur à fixis, iuxta temporum rationem, sed roborantur, Sol à Luna excepta.

65 Ex tribus portarum apertionibus, ventos maxime facit ea, quæ Iouis & Mercurij, aquas Martis & Veneris, Grandines aut niues ac frigus ea quæ Saturni & luminarium.

66 Calamitates non fiunt nisi prædominantibus infortunis, vnde in Piscibus, vel Cancro inundationes fieri nequeunt.

67 Saturnus facit inundationes, terræmotus, & niues, ac pruinas, & frigora immensa.

68 Mars, æstus, & incendia, & fulgura, ac grandines & bella.

69 Mercurius autem ventos exitiales.

70 Communia autem Saturno & Marti, lues & sterilitates, ac seditiones.


71 Oportet & exortus & occasus Heliacos clariorum syderum obseruare, vix enim fiet, ne sub ortu caniculæ, siccitas, & morbi non vigeant, & sub arcturi occasu imbres.

72 Nisi fixarum ortus & occasus aliquid facerent, imbres non vno magis tempore, quàm alio fierent, incertus est enim planetarum concursus.


73 Habent & cœli partes, proprietates, nam Pisces, Aries, ad Tauri dimidium, ventos mouent, reliquum Tauri, & quicquid est Geminorum, aëris suauitatem, & imbres repentinos, sed Cancer & Leo, faciunt calorem magnum, & grandines. Virgo autem remittit calores, & imbres præstat. Libra & Scorpius inæqualitatem aëris dant. Sagittarius, niues & imbres, Capricornus autem, frigus, Aquarius vero aquas adauget, cum initio Piscium.

74 Nix maxime fit ab humido subtili, ideo à calidis planetis, & signis iuuatur, ac multiplicatur.

75 Lunaris eclipsis, per tot menses, Solaris per tot annos, quotus horarum fuerit numerus extenditur.



Manifestum est, quod coniunctio hæc serena est, ac ventis plena dominante Mercurio ob angulos & Saturno eleuato, fuerunt igitur venti die 23. cum Luna applicuit quadrato Iouis dominatori loci. Hæc pluit vt dixit nisi 28. die propter quadratum Solis Saturno iam oppositioni Solis proximo vt declaraui, & fuit leuissima.



Inde ab initio ferme Decembris ad diem decimamsextam ferme fuit serenitas magna, nam Sol fuit in sextili Iouis, & ipse cum Mercurio, & Luna cum dextro orionis humero & reliqua naturæ Martis & Mercurij. Die autem sedecima iam Luna existente in vltima quadra & accedente ad oppositum Saturni ex Scorpione, fuit nix ac pruina. Inde pluuia, quia Saturnus non potuit frigus continere cum esset in geminis iuxta bellatricem naturæ Martis ac Mercurij.

76 His igitur statim mutatio fit, quibus in orientis est linea, maximus autem vigor, quibus in cœli corde.

77 Mutationes temporum, & flatus, ex ventis plerunque tum regionibus propriis, eos igitur scire conuenit.

78 Austri ex cœli medio, & ex latitudine, & declinatione australi, orientales cum fuerint

fuerint in angulo orientis, vel à Sole primum orientales euadant. Sic & occidentales, Boreales a latitudine & declinatione, & imo cœli, Medij cum debiliores planetæ fuerint.

79 Faciunt & ad hoc signa, tum magis, cum Sol in eis fuerit, nam Pisces occidentales ventos, Aries Boreales, Taurus orientales, Gemini australes plerumque excitant.

80 Quibuscunque, eclipsis tempore medio, dominus loci in ascendentis Linea fuerit, his statim vigor effectus accedet, quibus autem in corde cœli ille fuerit, in declinatione eclipsis, his diuturnus, sed non magnus effectus.


81 Eclipses in quarta domo, iuxta cœli imum, validiores, quàm in octauo, vel duodecimo loco, & in prima domo, validiores, quàm in nona, vel vndecima.

82 Quæcunque ex vna tantum pendent causa, subtili indigent inuestigatione, quæ autem ex pluribus, iudicio magno, ob hæc exempla quæ adduximus, non exactæ computationis esse necessarium est.

83 Planetarum superiorum quisque, tum maxime Mars, paulò plus à Sole distat in oppositione illius, quàm in coniunctione, ideo æquale ferme lumen recipiunt.

84 Luna autem, si supponatur, quod Ptolemæus asserit, rationem habere ex dimetiente quàm 10. ad 187. ad Solis dimetientem, altitudinis autem rationem, vt ad 19. ferme, ad dimidium autem dimetientis terræ, altitudo Lunæ vt 59. ad 1. erit vt in coniunctionibus plusquam partes 181. ex 360. illuminentur, in oppositionibus autem ex 360. minus partibus 181.

85 Cum autem Luna maius suscipit lumen magis quidem exsiccat, cum autem minus humectat.



In hac ipsa die inquit pluuia fuit & ventus, pluuia quidem iam perseuerans à 16. die, sed ventus Saturno dominatore loci in Geminis existente & Ioue in sextili Mercurij stantis, & cum luminaribus fuerit vultur cadens natura Veneris & Mercurij, ideo cessauit pluuia 20. die, nam Iupiter & Mercurius boreales erant, ideo venti adducunt siccitatem, & sic successit serenitas.


86 Incrementa maris Oceani & Adriatici ac æstus, fiunt maxima, cum Luna Soli opponitur, minima autem in diuiduis, mediocria in nouiluniis, temporibus mediis decrescunt ad diuiduas.

87 Mars maria exagitat, Saturnus pluuias auget, & stantes aquas, Luna autem maria & flumina.

88 Cum Luna, latitudinem habens borealem, in Cancro, ab oppositione ad Venerem noctu fertur, tum maxime in initio signi, ac nocte in cœli corde, aut ascendente, æstus obruet circumiacentia.


89 Sed si cum his Mars opponatur Lunæ ac Veneri, aspiciátque Saturnus, terra quæ submergetur, pro mari habebitur.

90 Æstus fuit, duabus horis ab ascensu Lunæ, ad anguli summitatem, & postera plenilunij, nouiluniiue.



Cum Luna est ingressa Cancrum pluit die prima & secunda Ianuarij, Sed quia Sol fuit potens in signo & in quadrato Iouis domini loci Lunæ & alti existentis, ideo fuit serenitas maxima vsque ad sequentem coniunctionem. Et ad hoc adiuuabat oppositio Martis ac Saturni ex locis minime tempestuosis.

91 A diuiduis, seu opposito absidis ad absidem, incrementa maiora aquarum, ab abside ad oppositum, seu à plenilunio & nouilunio ad diuiduas, minòra aquarum incrementa fiunt in dies. Solstitio æstiuo etiam minimi æstus, tum vero nec magni bruma. Maiores autem ab æquinoctio verno, Sed maximi autumnali, & præsertim cum ad nos prope venerit.



Cum Saturnus esset loci dominus & eleuatus

ac in trino luminarium, & cum Saturno pes orionis de natura Saturni & Iouis, & cum luminaribus stella de natura Martis, & Mercurij & tempus serenum iam, ideo indicauit firmam serenitatem quæ ad trigesimam diem mensis vsque perdurauit.

92 Si igitur iuxta æquinoctia, Luna in Cancro, æstum excitauit plenilunij aut nouilunij, Saturnus vero sit in opposito, vel quadrato, intumescet æquor, & vicina inundabit, tum vero magis, si cum arcturo Saturnus, aut Luna cum Orione fuerit.

93 In singulis autem diebus, cum sex horis fluat, totidemque refluat, parte ea addita diei, quam Luna peragrat, vt ferme ad sex horas, quarta horæ adiiciatur, cum Luna Saturno applicuerit, aut Veneri, æstus augetur, refluxus autem, cum Marti aut Ioui: ipsa vero ab ortu æstum facit ad cœli cor, consistitque paululum, & concitatæ aquæ etiam augentur, feruntur autem ad maria, cum ad initium ferme sextæ domus venerit perfecto itinere.

94 Proximi septem dies à bruma totidemque ante eam raro ventis infestantur, halcioniique vocantur: Delphini vespertino occasu dies hyemant. Et cum occidit cor Leonis, Fauonij insurgunt, cumque arcturus vesperi exoritur, hirundines apparent, iamque ver est, Libræ autem occasus imbres matutinus, & succularum, vespertinus, tempestates magnas afferre solet. Capella autem exoriens matutino, imbres affert. Canicula exoriens, simili modo maria ac terras & animantium omne ferme genus concutit. Aquila occidens matutino, Etesias ventos suscitat.

95 Aquilæ exortus si in interlunium incidat, omnes præcoces, tum vernos fructus lædi necesse est.


96 Procyonis occasum, qui quadriduo ferme extenditur, aut si florentem messem occupauerit, plenilunium, fruges omnes lædi necesse est.

97 Sed & canis ortus in interlunio, & caniculæ in plenilunio, aut cum aquila exoriente vesperi plenilunium: oleas ac vites florentes tum maxime fructibus priuat, ac etiam in posterum minus fœcundas reddit.

98 Validæ constitutiones, dum florent sata, si in Lunæ oppositionem incidant, aut coniunctionem, plerumque annonæ inducunt penuriam.


99 Sed & generaliter cum plenilunia æstate, aut hyeme, nouilunia in florem, aut primum exitum germinum, satorumve inciderint; aut cum ortu occasuve potentissimorum syderum, magna calamitas in prouentibus est expectanda.

100 Plenilunia æstate frigida, hyeme autem temperatiora ni Saturni vis refragetur: Nouilunia autem æstate calida hyeme frigidissima, noctes agere solent.



Trigesima die parum ninxit; nam Luna in Cancro, & Delphini occasus, qui hyemem ac ventos commouet, & tunc Martis cum Ioue sextilis, ac Luna in Iouis quadrato & diuidua Luna non omnino repugnauit, ideo cum Mars in Sagittario, modicæ niues, per ventos delatæ ceciderunt, mox serenitas ab vltimo Ianuarij ad sextam Februarij vbi nix modica, nam Iupiter in oppositione fuit in aspectu luminarium. Sed Sol fuit cum lucida Aquarij, & Iupiter in trino Mercurij ea die.

101 Etesiæ in Ponto ab aquilone, in Affrica & Hispania ab oriente, aliis à meridie perflant, mane quidem à tertia diei hora incipientes, vesperæ autem desinunt, Bruma lenes ac paucis diebus spirare solent.




Decima & vndecima die parum pluit propter diuiduam. Inde serenitas inquit vsque ad decimamnonam, Saturnus enim & Mars luminaria aspiciebant, verum quia fuit Venus in ascendente, & quasi in Martis quadraro apertio portarum facta est. Sed die 26. inquit grando & tonitrua apparuerunt, tunc enim Luna ad Martis oppositum ex Cancro cum orionis cingulo, & Saturnus in sextili Veneris, & Luna diuidua processerat. In qua Luna Saturno iuncta fuit, & Mars Solem aspexit, & Venus retrograda cum cauda ad Saturnum ferebatur radiis. Saturnus autem ac Iupiter ab angulis ceciderunt, & Luna fuit in ascendente, & cum capella quam diximus facere tempestates.

Quadrata igitur radiatio Iouis, Ioue dominante, & retrogrado ventos excitauit validos, vnde

vnde reliquis auxiliis grando tunc facta est. Ideo dixit ventus vsque ad quartam diem Martij perseuerauit, à 26. autem die Februarij, mox subsecuta est serenitas.

Et ex hoc patet, coniunctionem annuam parum aut nihil supra totum annum significare.

102 Orientales, nobis & austrini afferunt imbres: Venti autem boreales & fauonij serenitatem. Sed alia aliis.



103 Vergiliarum exortus Subsolanum excitat ventum, Fauonius Solem existentem in 25. Aquarij parte, suo initio sequitur: duratque diebus circiter nouem. At caniculæ exortum, octo diebus antecedunt prodromi aquilones, succedunt autem illi post dies duos, Etesiæ quadraginta diebus, quibus, caniculæ vis etiam ferme perdurat. Ante occasum arcturi, venti austrini, Corus autem in autumni æquinoctio. Vergiliarum autem occasus excitat aquilonem hyemalem.

104 Corus & aquilo, omnium frigidissimi, tamen boreas, Humidissimi autem aphricus & auster. Sicci vulturnus & corus, præterquam cum desinunt. Grandines infert corus ac septentrio, Niues autem septentrio & aquilo, tepidi Fauonius & vulturnus. Sed calidissimus omnium auster, dictum autem satis etiam de his in secundo contradicentium medicorum.

105 Noctu auster vehementior, interdiu aquilo, mari quoque auster, terræ aquilo.


106 Succedunt plerunque, vel minimis syderum causis ex opposito venti, dictum est autem hoc in libro de supernis.

107 Calidissimis ac frigidissimis temporibus venti rari, ac leues, sic & meridie & nocte media. Sopiuntur & imbribus vt Plinius existimat, cuius Aristotoles causam reddit, exoriens Sol vel occidens excitat.

108 Ianuarij 17. Italiæ, aquila exoritur matutino, vt Syrigatus autor est. Februarij primo, cor Leonis occidit matutino, Martij 14. vespertinus arcturi ortus, 19. Aprilis Libra occidit matutino. 28. autem Virgiliæ matutino exoriuntur. 6. autem Maij, Suculæ occidunt vespertino. 7 autem, aquila vesperi exoritur. 10 autem canis minor, seu procyon occidit vesperi. Iunij 11. capella matutino oritur. die 22 Iulij ortus est caniculæ. 4 autem Augusti aquila matutino occidit. 17 Septembris, arcturus matutino oritur, qui iuxta 27. Augusti occidere heliace cœperat. Procyon autem 17. Iulij incipit matutino oriri. 7 Nouembris virgiliæ occidunt matutino. Bruma 13. Decembris, Delphini occasus vespertinus primo Februarij, hæc ita sint nobis.

109 Arbores cum florent, maxime afficiuntur cœli iniuriis, similes enim sunt parientibus mulieribus: cum autem fructus ædunt, lactantibus ac nutrientibus.

110 Eclipses cum in florentem arborem inciderint, eius fructus eo anno inferunt penuriam.



In coniunctione autem fuit serenitas permanens, nam loci dominus est Mars, & etiam anguli vnius, alterius autem Sol, & Sol & Mars in siccis, & coniunctione infra terram existente, ambo superiores, & Soli, supra terram, in aereis signis, & luminaria cũ vmbilico pegasi, natura Martis Mercurij nec obstitit nisi sextilis Martis cum Venere.

Cum igitur Mars & Venus essent infra terram, perseuerauit serenitas vsque ad diuiduam Lunam primam, atque etiam post, cum Mars & Iupiter ac Mercurius dominarentur, eratque Iupiter quasi in opposito Mercurij. Sed quia Venus in angulo, in aqueo signo retrocedens, loci domina fuit, ipsa die diuidua, turbatum est tempus, tum 28 etiam propter Mercurij retrocedentis cum Luna trinum.


Pluit autem, quod mirum est trigesima prima die in oppositione Iouis ac Solis. Sed Luna plena luminibus ad arcturum, qui Ioui proximus erat, ferebatur.

111 Annonæ, & fructuum penuria, non ex anni principio vt quidam fabulantur, sed ex aeris temperantia, in humido ac sicco, vel inæqualitate, tum etiam ex pleniluniis nouiluniisve, ac ortu sydérum & eclipsibus, tum maxime dum singula florent, est explorandа.

112 Quicunque autem non potest in singulos dies de pruina, niue, grandine, imbre vento, distincte prædicere, huic ne credas, abundantiam, aut penuriam frugum, aut vini prædicenti.

113 Niues etenim suo tempore mediocres,

cres, frugum indicat abundantiam, occidunt enim vermiculos, & terram calefaciunt.



114 Cum Luna iuerit ex absidis opposito ad absidem, nodis propinqua, & iuxta Solis viam, ad Solem appropinquans vel eius oppositum, cum nimboso sydere, vel in aspectu Saturni, ab opposito absidis discedens, imbres diuturnos commouet.

115 Omnes magnæ constitutiones in hyeme, ad niues procliues sunt, & in vere ad ventos, & in æstate ad grandines.

116 Constitutiones syderum, quæ ventos in superiobus commouent, non vocamus ventosas, quia pluuia plerunque vel nix subsequitur. Si autem descendat ventus non commouet pluuias nec niues, & tunc eum magis sentimus, vocamusque ventum.

117 Cum validæ constitutiones fuerint ac contrariorum planetarum, venti contrarij excitantur, vnde nubium congregatio, inde nix aut grando.

118 Ex superioribus, nullus præter Iouem pluuia: ex inferioribus, nullus præter Mercurium, siccitates facere potest.

119 Cum fuerint calidi & humidi planetæ, cum stellis calidis & humidis ac in signis similibus, turbulentum, æstuosum, ac insalubrem aerem efficient.

120 Facillima res est geniturarum, sed haud certissima, post temporum constitutionis, post frugum & vini abundantiæ, aut penuriæ, vltimo autem luis. Bellorum autem, scientia nulla propemodum est.


121 Nulla eclipsis omnino, toti orbi penuriam, aut pestem pronunciare petest. Pestis autem ex his, quatuor annis durare nunquam potest.

122 Detrimenta rerum, fiunt maxime, locis que subsunt ascendenti, & qui in aspectu sunt constitutionum, & his qui eidem sub sunt trigono.


123 Incommensurata quæcunque constitutio annonæ penuriam, & in animantibus perniciem parit.

124 Quando absides infortunarum fuerint in aqueis, maxime in Cancro & Scorpione, fient inundationes: cum in igneis sterilitates, & conflagrationes: cum in terreis, terræmotus maximi: cum in aereis, lues. oportet autem & stellas, locis consimiles esse, hæc autem in sua media coniunctione.

125 In coniunctionibus, serenitatem, in oppositionibus luminarium & aliorum planetarum magis pluuias expectare oportet.



Sub hac oppositione, pluuia die secundo cessauit, sed totum tempus fuit turbulentum, propter Arcturi & etiam Spicæ propinquitatem & hoc manifestum est secundum nostra principia, nam fuerunt quatuor humida in eadem parte ferme, locus, ex Libra, Luna, Iupiter retrocedens, & sydera fixa, & omnia in Solis opposito. Placuit & æstiuam subiicere coniunctionem, ex illius obseruatione, qua tota serena mansit, ad



diuiduam, cum tamen pridie pluisset, nam luminaria sub terra erant, & loci dominus Iupiter, eleuatus super ea, & cum arcturo ac spica in Libra, & in quadrato Mercurij, & vterque borealis, vnde ventos serenos significauit, nec magnum calorem, hoc tamen ille non adiecit, & quamuis his diebus capella exoriatur: Martis tamen quadrata radiatio cum luminaribus exorietur, exquisitam serenitatem continuit.


126 Serenitates à Sole, ac tribus superioribus: imbres, à tribus inferioribus, ob hæc serenitates, cum magnis caloribus, ac frigoribus imbres omnes tepidi.

127 Planetæ, veloci motu suo, siccitates inducunt, stantes autem ventos, retropedantes aquas.


128 Luna, humidis in signis existens, magis ad vitam conducit, in siccis autem, ad actiones ciuiles.

129 In

129 In religione, vbi sacerdotes carent vxoribus, necessario sacerdotum initium habet Saturnum potentem, & Venerem debilem.



Hæc genitura fuit admirabilis, fuit autem Patauus spurius, & hoc declarauit Luna cum Marte, & in aspectu alterius infortunæ. Erat autem ex familia Mazochorum, cuius frater mihi cognitus, optimus fuit vir. Et quia Luna cadebat, & fuit in aspectu Saturni, & Sol infra terram, fuit religiosus, tum maxime, quia Venus cadebat in Virgine, & quia Iupiter fuit in imo cœli, & in Libra, & Venus cum capite in secunda, significauit diuitias, & sic congregauit ad mille aureos, & quia Luna fuit domina ascendentis, & cadens, & cum Marte, & in eius signo, & in aspectu Saturni, & similiter Mars, & Luna, in quadrato Mercurij, significauit omne genus sceleris, & rapinas, quibus congregauit diuitias, & hypocrisim maximam, propter Saturnum eleuatum. Et ita defraudata religione, & multis ciuibus, & admissis multis alijs flagitiis, congregauit eas, & multo plures pecunias, quarum partem in alia illicita effudit. Et quia Mercurius fuit cum corde Leonis, & aspiciens Lunam, & illa in trino Saturni, & cum Marte, domino loci, & Sol in Leone potens, in angulo, & Iupiter in angulo, declarauit dignitatem, quasi perpetuam, in religione, quæ illi deberetur, partim ob suauiloquentiam propter cor Leonis cum Mercurio, partim ob facinora tetra, ob Martem cum Luna. Et quia ascendens fuit ascendens nostræ ciuitatis, & signum Lunæ signum Lunæ nostræ ciuitatis. Ideo significauit hoc, in nostra ciuitate, nam domini ascendentis Iupiter & Luna ambo erant peregrini, & Iupiter in tertio loco. Et quia Saturnus, Mars, Luna, ascendens fuerunt in aqueo signo, significauit quod ab omnibus cognosceretur, & à multis foueretur, & sic magnam ciuitatis partem ad amicitiam traxit, ac etiam Principes, propter Mercurium cum corde Leonis, & quia Mars, & Luna, & Saturnus, trino aspectu aspexerunt ascendens, & Sol fuit in eo, & in Leone, significauit incolumitatem longam, & vitam naturalem, diuturnam, & quia Venus fuit cum capite, in Virgine, in secunda, significauit spem non paruam, vt principatum religionis assequeretur, & certe, non multum abfuit ab eo adipiscendo, sed vetuit Veneris casus, & distantia à capite: nam quod ad Saturnum pertinebat, non solum non nocebat, in hoc, sed egregie iuuabat, quia erat in nona, & in Piscibus, in quibus vtraque fortuna dominatur. Et quia Saturnus erat ibi retrogradus, & in signo communi, significauit nullam fidem, ac nullam religionem, quod verum esse cognitum est, cum tamen à plebe, vt sanctus coleretur, & quia erat malorum morum valde, & Luna domina ascendentis, cadens in signo Martis, & illi iuncta corpore ipso, illo dominante, & Saturno super ambos eleuato, significauit, quod proculdubio mors violenta futura esset, tum maxime, quia Mars & Saturnus, ascendens, in quo cadunt, aspiciebant, & quia Mars prædominabatur significabat per ferrum, habetur enim in Aphorismis, dominus loci causam significat, & etiam constitutiones validæ, natura mediocres, malos exitus, in pauperibus natis pronunciant, & quia Saturnus erat eleuatus super ascendens, & Lunam & Martem, significauit quod esset melancholicus. Et quia Mars fuit cum Luna corpore ipso, & dominus septimi loci, significauit hoc expresse, quod semetipsum occideret, & ita res mira accidit, quod in arce Cremonæ accusationibus impulsus, & melancholia vrgente, semetipsum in collo iugulauit, vixit tamen ad alteram vsque diem. Scriptum est enim, cum dominus mortis, corpore iunctus fuerit, significatori vitæ, aut domino ascendentis, natus seipsum interficiet. Hoc autem fuit, quia aspexit ascendens, & fuit cum Luna domina ascendentis, Mars interfector, iunctus corpore ipso. Manifestum est autem, quod hic magis seipsum occidit, quam socius Hali, qui se præcipitauit. Tempus autem fuit in accessu sextilis loci Martis ac Lunæ ad Solem. Mortuus est igitur anno 1545. die 20. Iunij, mortuus est, cum Luna in Scorpione esset, vbi ab initio fuit infortunata.



Considerandum est igitur denuo in tempore, fuit itaque in reuolutione, Mercurius dominus ascendentis, & in quadrato Saturni, in loco magni infortunij radicis existentis, & Luna fuit in sexto loco damnata, & cum direxeris locum Saturni interfectoris in hac reuolutione, & genitura ad ascendens perueniet in diebus 536. sed ad corpus Iouis in 328. diebus ad vnguem, & ipse interfecit se in 327 die. Et manifestum est, quod in hac reuolutione, ambæ infortunæ fuerunt in secunda statione, & Mars in angulo, & Luna cum corde Scorpij, & Venus cum cauda, & Mercurius iuxta locum proprium. Et si quis dicat, quod Venus est in trino Iouis & Saturni, respondeo

respondeo quòd Venus fuit infortunata ab initio genituræ, & ideo non potuit iuuare in hoc, est etiam inimica loco, in quo est Iupiter, & Saturno infortunati, & Iupiter infortunatus fit occisor, & iam dixi, quomodo Virgo est signum per se infortunatum, & nullus planeta supra terram est, nec in angulo aliquo, nisi Mars ipse. Hanc vero tantam causam, adiuuit constellatio existens regia, in 25 parte Scorpij, trium stellarum in signifero existentium, tertiæ magnitudinis, de natura Martis, ac parum Saturni, vnde etiam in reuolutione, Saturnus interfector fuit cum illis: & dominus octaui loci, cum Ioue domino septimi loci. Manifestum est igitur, hanc genituram esse magnum exemplar veritatis astronomicæ, quæ à nobis per aphorismos & reliqua ostensa est, ipsa vero genitura apud innumeros extabat, cum ille nulli non eam ostentaret, deceptus à quodam sycophanta, qui ei mira pollicebatur, cum vero apud me non esset, absoluto penitus opere, transmisit eam ad me, ex Bononia, Constantius Bononiensis.

130 Mercurius, cum fixis fœlicibus, de natura Iouis, Martis vel Solis, dat vulgarem eloquentiam, tum magis, si magnæ fuerint, cum syderibus Saturni, ingenium profundum, & hebetem persuadendi vim.

131 Mercurius, maiorem habet vim ad artes infra terram, ad eloquentiam supra.

132 Facundia in scribendo vel in orando aliena lingua, constat ex præceptis, ac natura, ideo nemo potest esse perfectus.

133 Lunæ dispositio, in sacerdotio significando apud Christianos, & Saturni, maior est, vt hic impediat, illa impediatur.

134 In voluntariis actionibus, coguntur homines ab astris, ob affectum cum ignorantia.

135 Planetæ maximam habent in nocendo vim per tantum temporis, quantum durat retrogradatio futura.

136 Et vis in orbe suo, ac in signifero, per spacium sui retrocessus, alia sui luminis.

137 Cumque in hora reuolutionis, planetæ superiores, vel etiam alij, in loco significatoris coniunguntur, expecta aliquid magnum, ex genere promissorum per illum.

138 Astrologia igitur, vt ad genituram comparatur, ex parte est necessaria, ex parte autem similis contingenti.

139 Ea prædixisse quæ futura sunt, & scripsisse quæ postmodum incognitis prolatis genituris verificantur, quo ad artis magnitudinem, & illius scientiam, paria sunt. Quo autem ad vulgi opinionem, prior experientia longe antecellit.

140 Difficillima pars inuentionis artis, est initium.

141 Inferiores duplici modo possunt esse ante Solem, accedentes supra longitudinem mediam, & recedentes infra, post autem accedentes infra & recedentes supra, sic motu aucti cognoscuntur.

142 Cum in locis significatorum, coniunctiones validæ acciderint, parum faciunt: multum autem in locis promissorum.

143 Significatores loci esse possunt, promissores necessario erraticæ, sydera, partes.

144 Cum in locis promissorum in reuolutione, contigerint, constellationes hora reuolutionis, eodem anno perficientur, cum alia hora, in aduentu loci promissoris, ad locum significatoris.

145 Cum erratica, aliquid detrimenti per radios trinos, aut sextiles hostilis significauerit, perficiet illud proculdubio in oppositis, vel quadratis.

146 Debiles consistentiæ à validis constitutionibus sub illarum apparitionibus eiiciuntur, mediocres paulo ante, validæ in ipsa constitutione. Mediocres autem consistentiæ, à mediocribus, similiter à validis paulo ante, validæ à validis, paulo post, & aliæ eadem ratione.

147 Stationes planetarum, maxime Martis, pessimæ, atque in his deteriores secundæ.

148 Quibus Luna Saturno copulatur in reuolutionem, & ipse quadrata ratione aspicit dominum ascendentis, eo anno, morbus animi, corpori nocebit.

149 Cum directio non potuerit lunaris pertingere ad planetam, fiet illud in quadrato, vel opposito.

150 Cum fortuna peregrina, iungitur infortunæ peregrinæ, super eam eleuatæ, fit infortuna, & malum à domino loci est.

151 Cum Mercurius fuerit in Martis constellationibus, natus erit mali intellectus.

152 Additiones, quæ fiunt per processum Solis, in annua reuolutione, transferunt ferme significata, per tot dies post reuolutionem, quot sunt anni, qui transiuerunt.

153 Si Luna fuerit in duodecimo loco, melius est, vt sit in Capricorno, & sub Solis radiis.

154 Genituræ quas impossibile est esse bonas, sunt, cum vtraque infortuna in eadem parte alteri iungitur luminarium, vel cum luminaribus, infortunæ singulæ, singulis iunguntur, vel cum Luna sub radiis Solis est, cum Saturno aut Marte, vel vbi omnes planetæ in tertia, sexta, octaua, ac duodecima sunt, vel cum infortunæ in angulis sunt connexæ, luminaria autem & fortunæ cadunt, vel cum luminaria cadunt ab angulis, & omnes planetæ sunt retrogradi, vel cum luminaria ambo, ambæque fortunæ infortunantur, vel cum solus Mars supra terram extiterit, non connexis aliis planetis inuicem, nec in angulo existentibus.

155 Cum planetæ fuerint iuxta longitudines medias, nihil ex hoc significabunt, nisi mediocritatem, quæ in pluribus optima est.

156 Omnis planeta quanto magis est terræ propinquus, eo impressiones celerius recipit.

157 Quando Mars fuerit in parte ipsa cordis cœli, vim non habens in ascendente, si vixerit natus, omnino interficietur.

158 Antiscia, quæ ex ascensionibus æqualibus sunt, animos vniunt hominum, sed quæ æqualiter à tropicis distant, planetarum vires iungunt.

159 Eius qui in aliena habitat regione, reuolutionem facies, secundum vtrumque meridianum, veruntamen potétior est primæ.

160 In ciuilibus actionibus, semper confer genituram ac reuolutionem, ad loci in quo habitas initium.

161 Cum post 40. annos, Luna cum Saturno in genitura conueniente, vel cum planeta, in illius dignitatibus existente, ipsa in reuolutione fuerit cum Saturno, corpore, & cum eadem latitudine, vel plena luminibus in opposito, atque opposita latitudine, à sexta ad octauam, natus proculdubio attonito morbo concidet, & ex eo morietur.


162 Cum Luna in Ariete coierit, liquida conseruat, maxime in frigidis regionibus: cum in Leone, farinam, maxime in calidis regionibus.

163 Cum Mars & Mercurius iuncti fuerint, Lunamque aut ascendentis dominum, in sexto, aut septimo loco existentem pulsauerint, immodicam declarant siccitatem.

164 Non solum capita anguium, id est nodi, sed etiam ventres, id est maximæ latitudines, vires habent, hi quidem circa corpora, illa vero circa animam.

165 Clarorum virorum genituræ, quorum significatores in genituris patrum infœlices fuerunt, in diuitiis ac honoribus vitam laboriosam vsque ad senectutem nunciant, inde per successiua incrementa, ad magnos status illi peruenient. Vnde ex his patet, nullas magis esse dissimiles vitas, quàm eorum, qui eodem momento nascuntur.

166 Genituræ validæ, regna mutant. Debiles autem ab illis immutantur, & fortunam illorum sequuntur. Validas autem dico, etiam quæ malis potentibus subiiciuntur.



♄ 0.44. ascendens meridionalis, in ventre anguis.
♃ 0.42. descendens septentrionalis.
♂ In nodo, meridionali anguis.
♀ In nodo, Borealis tamen 0.43.
☿ 2.9. Borealis in ventre anguis.
☽ cum cauda Leonis.

Rari admodum casus genituram raram esse decuit. Multos ego, imo pene innumeros laborantes fluxu vrinæ vidi, quos medici, dum Diabeten fingunt, ferme omnes occiderunt, alioqui incolumes futuros. Ego vero, cum fluxum vrinæ præsupponerem, omnes qui ad me venerunt, seruaui, inter quos, me ipsum, pipere, passis vuis, vino eitoniorum, ac somno. Intelligebam enim raram esse auem, Diabeten, vt quæ tantum bis Galeno in vita occurrerit, solumque paulo frequentiorem in calidis regionibus Lybia & Ægypto. Tandem hoc anno puer natus 14. annos mihi occurrit, quem confestim, vt vidi, Diabeten pati agnoui, & si alias, nunquam talem morbum viderim. Inextinguibili laborat siti, & ad ccl. vncias aquæ, singula nocte, cum tamen nox breuis sit ebibit, ac tantundem mingit. Quodque magis mirum, iam triennio perpetuo laborat hoc morbo, nihil proficientibus medicis, ossa quoque suo loco prominent. Hunc ego curandum suscepit, leui spe, præsertim, cum immensis distinear negociis. Desiderium tamen habendæ genituræ ad hoc me impulit. Causæ apparentes fuere potus vini sinceri, tum mixti copiosi, esuque piscium salitorum non ablutorum, vnde sensim inualuit morbus, non repente adeo grauis inualuit. Causæ ex genitura. Luna cum cauda Leonis, & nodo in Virgine, & in septima, & forte sextam attigit, & in sextili Saturni in Cancro infœlicis, vnde etiam quasi lepram & tussim patitur. Et Luna est potestatem habens in ascendente, & in sextili Martis, & Mercurij, & Mars cum suo nodo meridionali, & Mercurius cum ventre anguis. Et quod mirum est, puer non extenuatur.

167 Significatores loci mortis, cum fixis splendidis existentes, mortem præcognosci facient. Martis & Solis, quia violentæ, & cum mandato reliquorum errantium prodigiis.

168 Ciuitatum excidia præsagia habent, nam interitus significatores cum insignibus fixis necessario erunt.

169 Cum dominus ascendentis aut Luna in opposito aut quadrato fuerint infortunarum, in reuolutione, natus detrimenta magna patietur. Si autem cum illis fuerint, peraget mala, & detrimenta inferet. Quod si cum hoc locis inimicis, infortunæ dominentur, patrabit & patietur.

170 Reges subiicientur secundum corpus & elementa, his, quibus priuati. Sed in cæteris, quæ ad fortunam pertinent, oportet adesse regni ipsius testimonia. Et quod est inferius, supra superius, vim per se non habet, nisi tantum per consecutionem.

171 Luna cum in coniunctione Solis media fuerit, centrum habet parui circuli, non solum cum centro Solis, sed & parui circuli Veneris & Mercurij, vnde mirabiles sequuntur effectus. Manifestum est autem, & centrum parui circuli, proprias vires habere.

172 Ante 40. annum, paucis significator vitæ concutitur, repugnante lege naturæ, quibus autem vnicus existens concutitur, impossibile est, eos ad sexagesimū annū peruenire.

173 Quicunque his præceptis recte vtetur, sciat, futuras res maxima ex parte prædicere posse, & quæ nos fecimus, ac maiora longe faciet, si tamen cœlum, esse diuinum instrumentum recte intellexerit.

Cum Georgius Ioachimus Rheticus, syderalium motum peritissimus, Mediolani moram per hos dies trahens, audisset à me sæpius, posse hac arte, nuper à me inuenta & tradita, oblata genitura,

nitura, de figura corporis, de moribus, de magnis euentibus, incognito illo, cuius esset genesis, multa ac præclara prædici, periculúmque iam bis, succedente euentu, fecisset, tandem die 21. Martij, 1546. ad me venit, cum hac genitura, suppresso nomine, ac homine, cum neque ipse tum nomen sciret, rogauitque, vt aliquid de ea dicerem, ma-

1505. die 4. Octobris, ho. 3. mi. o. à meridie. Romæ.

Cor cœli, 6 ♐.

Franciscus Marsilius Ro.

gnum in ea euentum accidisse dicens. Tertiam autem partem Aquarij in ascendente statuerat, non 17. cum non ex dato tempore, sed iuxta sua placita, tempus contraxisset. Tunc ego inspiciens dixi, vir hic Saturninus est, ac melancholicus. tum ille, vnde hoc? tum ego, quia ascendenti præest Saturnus, & illius oppositam partem tenens, ipsum respicit, estque Saturnus in Leone, qui tristitiam auget. Inde subiungo, Habet autem blanda verba & leuia, videtúrque mitis & placidus. Tum ille, cur hoc? Quia (respondi ego) Aquarius humanum est signum, Saturnúsque tales facit, qui verbis sint blandi, & caput, (quod maximum est) in ascendente, mites moribus, & verbis facit. Inde dum inspicerem, subiicit ille, ad vnguem certe, vt nihil melius, hominem expressisti, sed hoc minus mirum, cum id soleas facere, & facilius sit, vt tu fateris, sed si libet, reliqua persequere. Tum ego, indubie hic mala morte morietur. At ille, vnde hoc? respondi. Saturnum habet damnatum, cum cauda, in septimo loco, iuxta nostra igitur principia male peribit. At ille, sed quo demum mortis genere? hic ego inquam, suspendeo, Vnde hoc? ille. Quoniam Saturnus, cum cauda, in septimo loco, suspendium, cum infortunatus fuerit, ostendit. tum subiicio, sed postquã suspensus fuerit, cremabitur. Hic ille valde admirans, vnde hoc? Quia Saturnus est in Leone infortunatus & Sol infortunatus, cum ex supremo pulsat: cadit enim in Libra, & Iupiter est inimicus ascendenti, cadens in Virgine: & Mars etiam est in Leone & cauda, significat comminutionem corporis, quæ in suspendio non accidit, ideo proculdubio mandato Iudicum, qui à Ioue significantur, corpus eius igne dissipabitur. Tum ille, dic causam, cur sic sit moriturus? Inspiciens, vidi Mercurium eleuatum in Scorpione, in quadrato Martis: propterea indicaui, quod laboraret cum igne, & quod esset falsarius, quia Mars anguli decimæ dominus fuit, & quia Mercurius erat in sextili Iouis & Veneris, cadentium in Virgine, ostendit, quòd omnis delectatio, & lucrum, erat ex falsitate, & etiam, quia Sol recipiebatur à Saturno, & recipiebat illum, ideo dixi, quod hoc erat causa moneta falsa, vt dici solet. Interroganti causas explicui illas. tum ille, quo tempore hæc erunt? respondi ego, iuxta annos 38 cur ille inquit hoc? quia (ego respondi) omnes planetæ hoc significantes, erant in occidentali parte, ideo significabant, post consistentiam hominis, id est post 35. annum, & quia constitutio erat valida, & planetæ in angulo, ostendebat, quod hoc futurum esset celeriter & maxime, quia erant planetæ orientales à Sole, ideo statim post 35. id est, iuxta 38. & etiam quia tunc ferme (sed non poteram supputare) oppositum Iouis significatoris mortis, perueniebat ad Lunam.

Tunc ille admiratus artis potentiam, cœpit narrare omnia hæc, cum nihil ego scirem, & quod esset cuiusdam, qui propter adulterinam pecuniam ad ignis supplicium esset condemnatus, quod supplicium fit, vt suspendantur ac simul comburantur, & hoc erat futurum, intra quatuor aut sex dies, & iam agebat XLI. annum, & hoc directioni concordabat.

Quæsiui ergo reuolutionẽ ann, Georgio petente, quam inueni, vt vides ascendens erat locus Mercurij infortunati, vbi cadebant ad vnguem radij quadrati Martis prædominantis, & in Leone peregrini, & Luna proxima Marti, per duas partes, & vterque in quadrato Iouis infortunati in Capricorno, & significatoris mortis in genitu-

1545. die 4. Octobris, ho. 4. mi. 32. ante meridiem.

Cor cœli, 9 ♌.


Reuolutio 41. Anni.

ra, & ideo significauit hæc reuolutio mortem ex igne proculdubio, & suspendio publicam, etiamsi nulla affuisset directio, genitura tamen hoc, vt declaraui tam aperte ostendente, adiuuabat omnia hæc, Mercurius in ascendente infortunatus, & Sol cadens, & Luna in masculino signo, in finibus Saturni. Et hoc experimentum artis, proculdubio comparari potest cum antiquis, ob hoc adiui Iudicem, & quæsiui, an quisquam esset, quem damnassent igne, & respondit, quòd sic, deditque nomen mihi, genus, & patriam, vt vides.


Et scias, quòd hic necessario fuit, in multis aliis periculis, ac discriminibus, & quod multa nouit in alchymica arte: quia Mercurius recipit vtramque fortunam, & ideo multa nouit secreta, & postmodum narrauit mihi Iudex, quod imprimebat pecuniam, absque eo quòd illam cuderet, & etiam adeò similem veræ, vt vix ab experitissimo dignosceretur.

Quidam, postquam mortuus fuit reuixit, omnibus iam paratis, quæ ad funus attinebant, cum iam diu iacuisset mortuus, & hoc Hali Abenragel recitat, & est secundum nostra principia, subieci ergo figuram.


Alterius




Alterius sequentis figuræ natiuitas, fuit infantis filij regis cuiusdam in Aphrica, qui superuixit 24. horis, postquam natus fuit, & post locutus, prædixit excidium regni paterni, & repente mortuus est vt refert Haly, sed loca trium planetarum desiderantur.




Alterius figuræ infans vt Haly refert, anno secundo vt mortuus iacuit, nam Mars ex sextili Lunam pulsabat, euasit tamen, quia loco Lunæ Iupiter succedebat, Sed & distantia ab ascendente partium duarum. Mortuus est 28 anno, nam ascendens ad Martis in fortunati quadratum peruenit.



Hoc anno, die 22. Martij, dum Saturnus esset in 25. parte Sagittarij, & Luna in nona parte eiusdem, hora 21. cecidit ille, cuius genituram posuimus, quinta parte Libræ ascendente, Sole & Marte in Leone, mirabili modo, ab alto, retro, & præter omnem spem, seruatus est: erant autem hora reuolutionis, planetæ vt vides, seruatus est genitura haud consentiente, cecidit autem reuolutionis ipsius violentia. Causa casus, Luna in opposito Solis, & Martis, Venus autem adiuuat



De hoc Nicolaus frater Franciscanus, qui iam quatuor ab hinc annis obiit, ita scripsit. Anno M. D. L. mense Ianuarij, patietur morbum frigidum & humidum, circa pudenda, femora, & ilia, & erit periculosus. Morietur autem circa annum M. D. L. X. V. febre, cum ventriculi imbecillitate, & erit in diuitiis fœlix. Dico de vita, posuit ascendens vitæ significatorem, & oppositum




Martis ad illud direxit. De hoc autem euentum expectare oportet, nam paucis partibus aberrauit. Circa diuitias recte dixit. Causa est Iupiter, dominus secundæ, in trino Lunæ, in opposito Veneris existentis. Quia tamen Iupiter & Luna cadunt, & Saturnus infœlix, secundam, & Lunam, quadrata respicit radiatione, ideo etiam non erunt illustres, & erunt aduentitiæ. Dixit etiam, non significat filios, nisi vnam filiam, ac vix superstitem, quod & verum est, & causam habet, nam Saturnus est in quinto loco, infœlix, & Iupiter cadens, & Luna in radiatione Saturni mala, & Venus cadens, & ipsa, quæ filiam significare potest. Sed dixit, erit Sacerdos, & non attulit causam hoc enim tantū ex relatione sciebat. Sed causa est quia vtrūque luminare cadit, & est in aspectu Saturni, tum maxime, quia Sol erat in nono loco, qui religionē significat. Sed quod dixit de dolore, fuit verum ad vnguē, nisi quod deceptus est in tempore. Anno enim 1545. quinto scilicet antequā ipse dixisset, euenit dolor à materia frigida & humida,


cum flatu, incipiens ab illo sinistro, extendens se ad pudenda, inde ad femur, vsque ad genu, cumque iam annus ferme sit, nullis tamen tollitur auxiliis, vt nihil ad vnguem verius dici potuerit, causam autem non expressit. Extat apud me exemplar, igitur direxit Lunæ corpus, & quadratam Saturni radiationem, ad ascendens, & perueniebat ad ipsum in annis 54. Sed hoc, quia ipse correxit, & traduxit tempus datum sibi, secundum moram nati, quæ vt dixi, sæpius fabulosa est, ascendit autem 26. pars, non 24. Scorpij, & ideo Luna infortunata, peruenit ad ascendens peracto cum primum anno 49. atque ideo, cum Luna esset infœlix, & à radiis Saturni quadratis cadentis & retrogradi obsessa, significauit morbum, meo iudicio, incurabilem. Cur autem in his locis? dicerent quidam, quia Luna in Capricorno se habet, vt Mars in Libra, occupat igitur pudenda. Sed tu dic, Saturnus est in quinta, & damnat genitalia, & circumuicinas regiones, ob hoc enim filios denegat, & vitia facit in pudendis. Lunam igitur ex eo loco affligens, ilia & genitalia, & femora affligit, tum magis, quod Luna est in Saturni domo. Et sic habes quanta sit artis veritas.

Huic puellæ, dum hæc scriberem, accidit, vt miro modo præcipitaretur, vnde vel volens quispiam, cadere non posset, vidimus locum, astra sola hoc potuerunt.

Causa est, radius Solis existentis in cœli corde, ad Lunam, quæ defertur ad Martis radios combusti, & ipsa est ascendentis domina, & hoc fuit 7. anno expleto, cum ascendens peruenit ad trinum Solis infortunati, & Mercurius sublimis, Saturno ea hora opponebatur.



Et hora reuolutionis, fuit Saturnus dominus ascendentis, in quadrato Mercurij, & Luna ibat ad ipsum Saturnum, cum capite existentem, & Luna erat in quadrato Solis, & Mercurius iuxta locum Martis, & Luna fuit in sublimi, & Mars hora genituræ & reuolutionis, fuit sub ecliptica, in capite hora natiuitatis, in cauda hora reuolutionis. Hora autem casus, fuerunt planetæ hoc modo, die 22. Aprilis, 1546. hora tertia post meridiem.



Sol	11	34	♉.	
Luna	29	2	♑.	
Saturnus	23	47	♐.	retro.
Iupiter	5	46	♒.	
Mars	14	43	♒.	
Venus	4	36	♉.	
Mercurius	4	21	♉.	
Caput	19	27	♐.	
Ascendens	2		♎.	

Qui damnauit, fuit Iupiter infortunatus, dominator loci Martis, & Solis, in genitura. & loci Lunæ & Saturni, in reuolutione, cadens, & in exaltatione Martis, & in duodecima domo. Et Venus domina ascendentis, iungitur Mercurio, ea hora, qui fuit infortunatus à Saturno, hora geniture, domino septimi loci, & ipsa Venus erat in quadrato Iouis, vt dixi, significatoris causæ mortis, & Iupiter fuit, tam in reuolutione, quàm in genitura, in duodecimo loco, & fuit cum cingulo orionis, & ascendens fuit locus Saturni ad vnguem, & oppositum Mercurij, in genitura. Et quia dominus loci infortunium facientis in genitura, & dominus ascendentis, fuit vnus, quasi nixu, sponte, non tamen volens, se præcipitauit. Hora autem mortis, fuerunt planetæ, vt vides, & fuit dies 27. Aprilis, hora 21. eiusdem anni, idest post quinque dies.


Sol	Luna	Saturnus	Iupiter	
16.22.♉	11.15.♈	23.32.♐	6.6.♒	
Mars	Venus	Merc.	Caput	Ascendens.
18.6.♒	10.43.♉	13.50.♉	29.12.♐	12.♎.

Hora mortis fuit cum Luna peruenit ad Martis sextilem, & fuit locus Veneris à Saturno in genitura infortunatæ. Et tunc ascendens peruenit directione secundum Lunam à nobis demonstrata ad locum Saturni. Et cum quis recte considerat videbit principia nostra esse verissima.


Hanc figuram obtulit mihi Georgius Ioachimus, & ego dixi, quod combureretur, & ipse dixit, est fœmina, & fuit in carceribus vt combureretur, euasit tamen, & hoc fuit beneficio Veneris, non tamen euadet, rogauit causam? dixi, Fascinatrix ac Præstigiatrix est, respondit ille, multa vera prædicit, miro modo. Causa est, vtraque infortuna in Leone, in trino ascendentis, & ideo est deceptrix maxima, cum Luna sit in Scorpione, & ideo erit pessimorum morum, & meretrix, & multa patietur infortunia, ob locum Lunæ. Sed quia Venus respicit infortunas, ideo

videtur

videtur vera dicere, sed sunt omnia commenta, vt clarum est ex genitura, & habitat Mediolani, sed alio loco est oriunda, & est hilaris, & mala morte peribit, non tamen necessario publica, nisi Sol in reuolutione testimonium præbuerit. Est autem vt (dicunt) valde famosa ob vaticinium, sed necessario est præstigiatrix ac malefica. Et Iouis sextilis fecit, vt euaderet, cum esset domi-



nus ascendentis, quia tamen cadit, tandem malè peribit. Mortis violentæ tempus rogauit, sed clarum erat, labore opus esse, cum tamen mihi tempus haud suppeteret. Erit tamen, cum Luna fuerit in Aquario in reuolutione. Et quia infortunæ non sunt in angulo, erit tarde.



Hæc vero genitura est sacerdotis, qui nunc agit LXX. annum, satis prospera valetudine, & vides quod est sacerdos, quia vtrumque luminare est infortunatum. Et causa longæ vitæ est, quia dominus loci Solis & ascendentis, est cum fortuna, in illius loco, & Sol est saluus, & in signo masculino, & in nona domo, quæ valida est iuxta nostra principia. Iouis autem ac Saturni trigona radiatio, in igneo signo, dat authoritatem ac firmitatem magnam, & longam etiam vitam, quia Saturnus habet potestatem in loco Solis, & Iupiter respicit ascendens, & habet potestatem in loco suo, & manifestum est de moribus & reliquis. Et scias quòd morietur in prima mala reuolutione, quia ascendens est in quadrato Saturni, secundum directionem, in decimaseptima parte Scorpij.

Sol		velox motu.	
Luna 5. D. 3. 46.	Motus 13. 28.	velox.	
Saturnus M. A.	Motus 0. 6.	velox.	
Iupiter 5. D.	Motus 0. 11.	velox.	
Mars 5. A.	Motus 0. 40.	velox.	
Venus 5. D.	Motus 1. 14.	velox.	
Mercurius M. A.	Motus 1. 53.	velociss.	

Luna cum corde Scorpij.

Venus est cum tribus stellis paruis de natura Martis & Mercurij.



Hæc est illustrissima genitura hominis, qui ex humili fortuna, bellicis factis, ad potentiam magnam euectus est. Nam primo oppida multa ac villas subegit, post terrorem principibus incussit, vix conspiratione potentissimorum principum ad deditionem compulsus est, non solum decoram & honestam, sed suis seruatis, etiam oppida & pecunias accepit. Post in carceribus fuit à Cæsaris ministris detentus, non breui temporis spacio: inde dux exercitus, aduersus Turcarum regem: post cum Cæsare aduersus Gallorum regem: inde ex hoc bellicorum tormentorum Cæsaris præfectus. In fine 48. anni affinitatem arctam, cum Placentiæ Duce contraxit. Hæc igitur ita sunt.

Causæ vero indicant hoc, omnes enim planetæ supra terram sunt, nam Mars, ob Borealem latitudinem, est in finitoris linea ad vnguem, hic igitur status declarat, eum futurum omnibus notum, vt est, ac in maximis rebus versaturum.

Rursus, quia Mars est in linea finitoris ascendentis, erit magnus, ac in professione sua inuictus, est autem sua professio à Marte bellica, facit autem impigrum Mars sic positus, in Solis & Mercurij sextili, & Iouis trino, audacem, violentum, callidum, crudelem, iracundum, & qui in arte bellica, parem arte, & audacia, minime habeat. Atque in his negotiis erit valde fortis & prudens.

Et quia Luna est cum corde Scorpij, significat audentem incredibilia, violentum, terribilem, in suis viribus confidentem, aliaque quæ de his scripta sunt, atque inter cætera, magnam potentiam semper.

Et quia omnes planetæ sunt aucti motu, significat veloces successus, ac perpetuam quandam fœlicitatem in rebus peragendis, & quodcunque ferme desiderabit habebit.

Sed tamen, quia Mars cadit in Tauro, & Saturnus in Ariete est in duodecimo loco, significat quod capi deberet, & esse in carceribus, & ex hoc potest verificari exquisitum genituræ tem-

 pus.

pus. Significat etiam aliquot aduersa prælia.

Et quia dominorum loci Iouis, alter est potens, alter infœlix, & Iupiter cadit, & est cum cauda, significat, quòd acquisitorū bello maxima pars peribit, & non erit ita diues, vt existimabitur. Sed diuitiæ manentes, erunt maxima ex parte à principibus, propter sextilem Solis, & tales erunt valde magnæ.

Et quia Venus est in cœli medio, significat in quadrato Martis, multa & magna circa actus Venereos, Et fœlicitatem etiam, quia Venus recipit Martem.

Cumque Luna sit in octaua, & in vltima quadratura vt vocant, tardum significat coniugium, & cum Principe propter Solis quadratum recipientis.

Et quia Luna est in quadrato Solis & Mercurij à Sole recepta, significat quod quandiu vixerit, erit potens apud reges, & in honore.

Et quia Sol est in aspectu Iouis recipientis, & vterque respicit ascendens, & Sol Lunam, & Sol vitæ significator, ac distributor etiam cum Luna & ascendente. Declaratum est autem, quod tales antequam moriantur in morbum consuetum cadunt, vt Podagra, comitialis, lapillus, difficultas spirandi, & talia, audio tamen ex his minus malum ei contigisse, siquidem podagram. Atque hæc omnia & plura alia, clare ex nostris præceptis patent. Longum autem esset omnia declarare, atque eò magis etiam si de futuris quicquam vellem adiicere. Sed talia conuenit, si modo Principes sint grati, illis tantum prædicere.



OPERIS PERORATIO.

PROPOSITVM nostri negocij in hoc libro fuit vt artem iam ad infamiam, vicio professorum redactam, ab iniuria vindicaremus, ostenderemusque, esse stellarum in nos decreta manifesta: & vt quæ ab aliis obiiciuntur dilueremus: tradidimus etiam ea quæ vera erant sub compendio, vt nihil tamen desiderari posset, quod vero corruptum erat, aut inane, emendauimus aut abiecimus: emendauimus cœlestes cursus, abiecimus partes, facies, nouenarias, dodecatemoria, horas planetarias, atque cætera id genus nugamenta, effecimusque eam partem naturalis philosophiæ, nam & in ipsa proprietates occultæ rerum cernuntur. Quod vero sciri potuit, absque errore explicauimus: atque quod maius est, in artem redegimus sempiternam. Vt vero eorum quæ dicta sunt, experimentum sub compendio addamus, operæ precium nunc fore existimo.

Nemo est primo, qui Solis ac Lunæ decreta non confiteatur. Sed & Venus ipsa cum vmbram mittat, immutat hæc inferiora, eadem igitur ratione & reliqua sydera, videmus etiam ortum Arcturi pluuias excitare, occasusque syderum tempora immutare, quod Galenus & Plinius & quicunque rem rusticam tradiderunt, aperte & fatentur & docent. Nautæ vi Asinos nubecula obductos vident, præsagiunt certo euentu tempestatem, cum tamen clariores stellæ (etenim Asini pusilli sunt) id efficere minime valeant. Congressus etiam Martis & Veneris, aquas excitat in aquosis signis, vel certe statum mutat aëris. Mercurij & Iouis, ventos plerumque excitat. Quæ igitur insania est, etiamsi artem nescias, illam artem esse negare? At dicunt, hæc inferiora certe mutant sydera, & statum aëris mouent, vt causæ naturales, & Sol Lunaque: at in singularia nihil efficiunt, sed solum (vt ille dicebat) Limus vt hic durescit: & hæc vt cera liquescit, vno eodemque igni. Afficiuntur diuerso modo à constitutionibus syderum, vt etiam à ventis & imbribus, alij enim ex ventis morbum lateralem contrahunt: alij attonito morbo percussi, illico moriuntur: alij grauedine afficiuntur sola: alij melius se habent, prout diuersa fuerit corporum constitutio, tum magis, quod nasci hac vel illa hora, fortuitum est: cum plerisque motus, aut casus, aut purgatio, celerioris ortus causæ sit, quare necesse esset, vt decreta cœli, & fortunæ etiam, nostro subiicerentur arbitrio. At quicunque nascuntur, proculdubio, vt tenera & mollia, & tunc primum edita, non aliter syderum vim excipiunt, quàm cera, cum ab igne sublata, vel plumbum, cum primo in subiectam formam effunditur cogiturque: indicio autem tot sunt genituræ, non à me confictæ, sed præter vnam meam, ab aliis sumptæ, licet etiam experimentum sumere, nam qui luminaria habuerint in constellationibus, non euadunt, quin oculos habeant quasi albos, & ab aliorum forma dissimiles, ac vt plurimum

rimum prægrandes. Voco autem constellationes, Suculas, Virgilias, & quæ sunt iuxta Herculem in Cancro, & quæ iuxta Virginis Spicam, & in fronte Scorpij, & sunt in Scorpionis partibus vltimis, sicut & quæ in capulo Sagittarij, in eius fine, & quæ in corpore Scorpij, in Sagittarij initio, & quæ extra formam Scorpionis, in medio Sagittarij, & quæ in cornibus, ac quæ in rictu Capricorni, ambæ iuxta Capricorni finem, & quæ iuxta sextam Aquarij partem, in corpore Capricorni: & quæ in medio Aquarij, ex Capricorni cauda, & quæ in fusione aquæ Aquarij, in Piscium nunc octaua parte, & cingulus Orionis, & Canicularum singulæ. Ostendunt & huius scientiæ claritatem, Ascletarionis in Domitiano, de hora & mortis genere apud Suetonium, tum de semetipso, prædictiones. Et in Tiberio Thrasulli, in Calligula & Nerone Sullæ illius filij, in Gordianos ignoti. Attamen vi, vel consilio, vt etiam Solis calorem, sic præsentem vitare, aliamque subire astrorum genesim posse quis dubitat? cum causæ sint naturales, simus enim & miseri, & diuites, & ægri, sanamurque vi ac consilio, non tamen licet ad certam horam, aliqua industria, infantem in lucem educere, incerti etiam sumus, quid illi conducat, etiamsi possemus facere vt infans certa hora à nobis constituta nasceretur. At vero quòd postquam editus est, Alfridariis nostro ordine subiiciatur, iam palam est, nam septenis annis immutatur manifeste, primo dentes, secundo semen producere incipit. tertio crementum corporis in solidis finit: cæterorum, vt magis ab ortu recedunt, ita occultior mutatio, at cum nullus planeta, per septenos moueatur annos, vel menses, aut septem partes peragret in die, manifestum est, hoc deberi circuitui numeri planetarum: vt singuli, cum sint septem, annum vnum custodiant: atque gubernent. Nisi quis velit, quot dies Luna perficit, à puncto ad punctum, qui ab ea quarta circuli parte distat, totidem annos Solem absumere. Sed qui sic diceret, præter cætera absurda, Solem Lunæ ancillari facit ac inseruire, quod haud ratione dignum est. Cæterum cur vnicuique parti ferme, atque solum in ecliptica dirigendo, id est deducendo, progrediendoue vnum annum ascribamus: & si nos etiam latitudinem in directionibus considerauerimus, nunc accipe, & cur per ascensiones regionis computentur. Igitur, cum Sol sub ecliptica perpetuo octaui orbis moueatur, atque hunc in vno anno perficiat motum, dum in singulis est partibus, semel singulis etiam diebus circumuoluitur, quasi parallelo æquinoctij circulo, intelligatur igitur æquinoctium aliquod quiescens, seu orbis aliquis talis sit, qualem Theologi ponunt, dum Sol peragrat partem illam, vna die, pars illa circumuoluta, æqualiter distans æquinoctij circulo, seu sub parallelo suo, Solis virtute totius circuli æquinoctij, seu paralleli, vim vniuersam recipit: quo fit, vt cum Sol æquinoctium totum circumambiat, ac eclipticam, proprio motu in vno anno, pars illa æquinoctij, (cum æquinoctium 365. parallelorum, atque ideo etiam totidem eclipticæ reuolutionum vim susceperit) quæ vni respondet eclipticæ reuolutioni, annum vnum repræsentet, at cum partibus æquinoctij, quæ æquales sunt, diuersæ in regione, & pro cæli situ eclipticæ respondeant partes, hinc fit, vt habitis partibus eclipticæ, ad sciendum tempora, oporteat inuenire partes ex æquinoctio sibi correspondentes, siquidem solum æquinoctium, æqualiter per tempora omnibus oritur. Manifestum est igitur, quòd in directionibus, latitudo non est computanda; cum directio sit deductio eius, quod est in potentia, per significatorem & promissorem, ad actum, per Solis vim. Quia solus Sol, habet lucem propriam, & actum operationis in se continentem, nam Luna ipsa lumen illustre, quo operatur in hæc inferiora, à Sole mutuatur.

Ergo, quod ratione & experimento assequi licuit, docuimus: quicunque vero inania commenta moliti sunt, aut quæ præuideri non poterant, vel ostentantes se, aut placere cupientes Principibus, prædicere conati sunt, artem infamem, ac totam contemptam reddiderunt, nam quæ fato & complexu illo causarum continentur, explicare astris est impossibile. Quod si quis dicat, cum ea quæ eueniunt, ex hac infinita causarum serie pendeant, quomodo ex astris prædicere illa quisquam poterit? vt enim occidatur Aeschylus, Aquila testitudineque indigemus: & quod subdio ille iaceat, an Mars aut Saturnus omnia hæc mouebit & coget? Verum facile est huic respondere rationi, nam & nauta tempestatem prædicit, & mortem medicus, nec tamen nauta partes aquarum ac ventorum vniuersas, ac motus earum agnoscit, nec medicus humani corporis omnes fluctus, qui fato aguntur, sed vnicuique artifici sufficit, vt generales causas recte nouerit, quomodo autem singulares illis pareant, solus Deus scit.

Hactenus

Hactenus philosophis, & philosophiæ studiosis, responsum esto, nec etiam Theologis, quos eos placatiores habeamus, nonnihil respondendum arbitror. Solent enim hanc artem, vt superstitiosam, magis ex consuetudine quorundam authoritate introducta quàm certo iudicio, reiicere & damnare. Afferunt autem, præter rationes philosophicas, iamdudum satis confutatas, etiam sacrarum literarum testimonium, nempe illud Ieremiæ 10. A signis cœli nolite metuere, putantes tam paucis verbis, probari posse, quòd astra, nullam neque in efficiendo, neque in significando vim obtineant, ideoque vt propheta inquit, metui non debeant. Et certe si propheta hoc sensisset, eius authoritati cedendum esset. Nunc vero longe aliud mea quidem sententia propheta agit, quàm vt significatores astrorum euertat. Non enim dicit, astra, seu constellationes cœli, signa non esse, sed clarè vocat ea signa, quod certè non faceret, nisi signa esse indubitato sciret, & vt pro signis haberentur, humano generi expediret. Quanquam etiam si id non faceret, tamen authoritas Moysis, vt vetustioris & maioris prophetæ, nobis abundè sufficeret, qui ea Genesis 1. dicit in firmamento à summo Deo esse collocata, vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Nam ex hisce verbis clare intelligitur, quod præter distinctionem dierum, annorum, & temporum, etiam aliarum rerum signa sint. Quod autem dicit, ea metuenda non esse, eodem planè modo est intelligendum, quo verba Christi intelligimus, cum dicit. Nolite metuere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. His enim verbis Christus nequaquam dicit, nullos esse, qui occidere possint & velint. Sed hoc potius sentit ac dicit. Quanquam multi sint, qui vos occidere non solum velint ac possint, verumetiam frequenter ac crudeliter occidant: Vos tamen eos nullo modo metuere, sed persecutiones eorum forti animo excipere, & mortem quoque per patientiam vincere debetis, cum illorum crudelitas vos ab æterna fœlicitate, nisi vestra culpa, impedire non possit. Ita etiam Ieremias, cum dicit: A signis cœli nolite metuere. Nequaquam dicit, Astra cœli, signa non esse, aut nihil certi significare, sed hoc potius sentit ac dicit. Quanquam astra cœli, multorum euentuum vera ac certa signa sint, multaque significent, quæ nos nostra industria vitare non possumus, nos tamen ea neutiquam metuere, multominus pro diis colere. Sed eorum significata, si bona sint, æquabili animi moderatione: Sin mala, summa fortitudine expectare & excipere debemus, præsertim cum nos à vera pietate, ac æterna fœlicitate abstrahere, nisi nostra culpa non possint. Hanc sententiam si retinuerimus, Astrologia non modo superstitiosa non erit, verum etiam pietati non vulgariter inseruiet, cum nos in prosperis ad animi moderationem, in aduersis, ad fortitudinem informet, maximè, si vera pietas accedat, quæ credat, Deum horribiles astrorum minas pro sua potentia facile auertere posse, & pro sua bonitate, ad nostras preces, non raro auertere solere.

CLAVDII



CLAVDII PTOLEMÆI PELVSIENSIS LIBRI QVATVOR,

De Astrorum Iudiciis cum expositione Hieronymi Cardani.

PROOEMIVM EXPOSITORIS.

LIBROS hos antiquorum more de iudiciis inscripsit Ptolemæus Pelusiensis Ægyptius, vnde Alexandrinus etiam dictus est, quòd Pelusium ab Alexandria parum distet. Constat hunc illum esse qui Magnam compositionem motus syderum scripsit, tum quia id in proœmio huius operis testatur, tum quia nullus alius tam subtilem tractationem perficere potuisset, tum ex styli similitudine, vbique enim Philosophum præfert. Et qui hæc scripsit, tractauit etiam Geographica, & Musica, & Arithmetica, nec dubium est de his, scripsit & de speculis: Sed an centum illas propositiones forsan dubitatione dignum est: dicemus autem aliquid de hoc loco suo. Dignus igitur est cui ob excellentiam & iudicium graue credatur. Tractat autem de futurorum cognitione, vt sit fructus scientiæ magnitudinis motuum & affectionum astrorum. Ex quo possunt futura bona augeri, & ad illa tutius nobis licet accedere, mala autem vitare, minuere, declinare, infringere, & ad omnem occasionem paratos esse. Nec est vllus qui in hac arte scripserit proprior veritati & rationi. Est autem ars hæc Philosophiæ pars prognostica & præcognoscere docens, vnde non verè scientia, sed vt ad medicinam se habet liber prædictionum Hippocratis aut Galeni, ita hic ad totam Philosophiam. Vnaquæque enim ars quæ de naturalibus, tractat ea ratione, qua causas præsentium rerum explicat, docet & futurorum, nam futura à præsentibus non specie nec genere differunt, sed tempore, quòd illis, vt accidens adiungitur. Nec potest hic liber planè intelligi nisi Magna compositione perlecta, ea autem indiget Geometria, & Arithmetica, vt hic sit quartus in ordine doctrinæ inter Mathematicos, & penè vltimus inter naturales, nam etiam parua naturalia perlegisse oportet, qui hos libros intelligere voluerit. Diuiditur autem in quatuor libros: In primo, ponit generalia præcepta artis, & tanquam principia: In secundo, tractat de propriis iudiciis rerum, quæ partibus vniuersi & ipsi vniuerso contingunt, veluti de calamitatibus regionum: In tertio, de propriis prædictionibus singularium hominum ex genitura sumptis, pertinentibus ad animam, vel corpus. In quarto, de his quæ futura docent in exterioribus, & annexis vnicuique homini, veluti de filiis, opibus & itineribus. Hæc enim non insita sunt homini, sed cessare possunt animo, & corpore minimè affecto. Iuuat & hic liber ad cognoscendum præsentia & præterita eadem ratione qua futura, quæ cognitio non adeò vtilis est interrogantibus, vt futurorum scientia, sed ipsi artifici magis gloriosa existit. Nec est officium expositoris, vt Galen. inquit, vel reddere rationem dictorum ab authore, vel si qua non placeant reprehendere, sed verba illius ac sententias dilucidè explicare; nos tamen non propriam faciemus expositionem, sed

conabimur declarare causas dictorum à Ptolemæo, & quæ ab ipso obscurè dicta sunt, clariora reddere, quæ breuiter ac circumcisè, perficere, quæ dubiè, determinare. Mirum est autem, quod à tam paucis, tam celebris vtilisque liber sit expositus, vt vix præter Haly Heben Rodoam Arabem alium scirem, qui prodierit in lucem tanto Authore dignus: Is verò si veram mentem Ptolemæi verborum translatione explicatam habuisset, forsan nos hoc labore liberasset. Nuper vero prodierunt in lucem scholia quædam Porphyrij satis breuia, & vtilia in eundem: alia quoque anonymi, seu vt quidam existimant Procli, seu commentaria optima sanè, sed breuia. Quare cum ex omnibus his horum librorum intellectui satisfactum non putarem, coactus sum, vtilitatis publicæ causa, tũ Ptolemæi gloriæ ad hunc nouum laborem descendere. Via autem huius doctrinæ ex resolutione compositiua facta est, vt plerique alij libri artium. Procedit autem Ptolemæus diuidendo, & deducendo ex similibus causarum & compositione plurium, causæ verò ab effectibus cognoscuntur, ob id coniecturalis est hæc ars non exquisita scientia. Procedit etiam à causis ad effectus, hic autem processus in naturalibus non adeò firmus est, vt Mathematicis, in quibus causæ eædem sunt principiis, & non per effectus, sed per se notæ sunt. Artes autem quæ futura, hoc modo, cognoscere docent, sunt Agricultura, Nautica, Medicina, Physiognomia, & illius partes, Somniorum interpretatio, & Magia naturalis, ac Astrologia. Harum nobilissima astrologia est, quia de omnibus est, aliæ autem sunt certi generis. Est etiam per causas semper atque eas nobilissimas, reliquarum nulla semper, sed etiam per signa docet futura prædicere. Non est autem vt quidem existimant scientia Astrologiæ, Fati scientia, sed Fati pars constitutio astrorum est. Porrò quanto Fati scientia certior atque nobilior, tanto etiam obscurior. Principalis autem ac nobilissima Fati pars astrorum est constitutio: nobilissima igitur Astrologia est omnium artium quæ diuinare docent. At diuinatione nihil melius atque diuinius, præstantissima igitur astrorum hæc contemplatio est. Inscripsit autem librum hunc Syro amico suo more antiquorum laudabili, cui etiam ignotus interpres referri inscripta esse reliqua Ptolemæi opera, quod tamen non vidi, sed vtcumque sit existimat hunc fuisse medicum qui has artes calleret eisque delectaretur. Talibus enim iure meritò inscribuntur. Hunc nos expositури sæpius, vbi Author rem clarè explicat paraphraste vices imitabimur, tum ne opus in immensum augeatur, relinquatúrque locus difficilioribus explicandis, tum vt repetitionem fugiamus. Ab illius igitur procemio auspicemur, diuidentes singula capita, prout commodius videbitur.



LIBER PRIMVS.

Procœmium Authoris.

CAPVT I.

TEXTVS I.

DVo sunt Syre, quibus peruenitur ad Astronomicas prædictiones, præcipua quidem & maxima: vnũ quod primum & loco est, & potestate, quo Solis & Lunæ, & Stellarum motuum configurationes cum erga se, tum terram deprehendimus: Alterum quo de illarum configurationum naturali proprietate consideramus subiectarum rerum mutationes.

COMMENTARIVS.

AVTHORES procœmia faciunt, vt quod non ex arte est, ad artem tamen est necessarium explicetur: id facit Ptolemæus hic, nam quid tractaturus sit exponit primo, deinde ne de re inani verba facere videatur, proponit dubitationem in primo capite procœmij, nam tria procœmium hoc capita continet, in secundo capite cuius initium erit, in decimo textu declarat, Astrologiam esse artem, posseque præsciri futura, in tertio autem cuius initium est, quo igitur modo, declarat esse vtilem. Nam vt apud Gellium Phauorinus qui parum ante Ptolemæum floruit famosus Philosophus, more ambitiosorum artẽ Astrologiæ infamem reddiderat

diderat, duobus maximè argumentis quod futura sciri non possent, nec si possent cognitio illa vtilitatē aliquam mortalibus esset allatura. His igitur Ptolemæus diligenter occurrit duobus illis postremis procemij capitibus. In hoc autem ostendit finem artis: nam vt à Galeno habetur in libro de Constitutione artis medicæ, ars vnaquæque à finis notitia per resolutionem constituitur. Quomodo igitur Ptolemæus artem hanc constituet in hoc libro, nisi primum finem artis declarauerit? Hic autem est scientia futurorum: Huic igitur fini, duo docet esse præcipua & maxima. Præcipua quidem, quia & alia sunt necessaria, vtpote scientia rerum naturalium, dialectica, cognitio multarum rerum, ingenium acre, memoria, exercitatio, eruditio in illa lingua. Nullum tamen horum est præcipuum & proprium scientiæ futurorum per astra habendæ, maxima verò quoniam partes hæ duæ totam complent artem, & singulæ plurima continent capita & non mediocris sunt magnitudinis. Sunt etiam singulæ harum partium difficillimæ & ob id maximè. Primùm igitur est cognitio Solis & Lunæ, & Stellarum, scilicet quinque erraticarum, tum aliarum fixarum circa passiones motuum, vt veloc[i]s, tardi, retrogradi, stantis, tum figuras erga se vt trigona, quadrata, & quod sint in initio Arietis vel in fine Tauri, aut in latitudine australi, vel in abside eccentrici, vel epicycli. omnia enim hæc ad partes alias cœli referuntur, vel terræ ratione, vt in deliquiis ortu & occasu stellarum. Solem & Lunam dixi separatim, quia nomine stellarum non intelliguntur, & quoniam maximè hæc sydera in cœlo conspicua sunt, vt etiam luminarium nomen sola mereantur: Et etiam quia ab horum motu reliquorum cognitio motuum ac locorum pendet. Nam Solis causa Lunæ motum venatur Ptolemæus, inde per Lunam reliqua sydera. Neque enim illa à Solis cognitione pendere poterant cum Sole viso nulla stella sit conspicua. Talem igitur scientiam motuum astrorum dicit esse priorem loco, quia non possumus habere proprietates & significata syderum, nisi vbi eæ sint, ac motus magnitudines, cæterósque affectus cognouerimus prius. Potestate autem, quia scientia illa demonstratiua est & certa, hæc autem quæ ad iudicia pertinet naturalis est, & præter id etiam coniecturalis. Hæc igitur coniecturalis ex naturalibus proprietatibus tanquā causis docet cognoscere mutationes, quæ in his inferioribus contingunt. Hæc enim inferiora, inquit Aristoteles, superioribus corporibus coniuncta fuere, vt ab illis gubernarentur.

TEXTVS II.

Atque horum prius & suum habet & per se dignum tractatu studium, etiamsi adiunctione alterius ad finem prædictionum non perueniatur, deque illo peculiariter etiam quàm potuimus certis argumentis rationem vestigatam alio libro explicuimus.

Declarat primum membrum eorum quæ præposuit, scilicet motuum astrorum scientiam duplicem finem habere, alterum quidem proprium & est contemplatio, reliquum verò vt ordinatur in cognitione futurorum, pro quo sciendum est, quod vt habetur secundo primæ philosophiæ, duplex quidem scientia, altera quidem quæ in solam veritatis cognitionem tendit: theoricaque verbo Græco dicitur, reliqua quæ in opus, atque hæc practica dici solet. Prima quidem quæ de astrorum motibus tractat verè Theorica seu contemplatiua est, reliqua verè quam in hoc libro tractat quasi in opus primæ cōparatione tendere videtur, cùm tamen & ipsa cōtemplatiua sit. Primam igitur proprium finem habere demonstrat etiamsi posteriori non coniungatur, proprium enim priorum est à posterioribus posse seiungi, posteriorum autem non posse à prioribus separari. Dicit igitur primam partem tractasse in alio libro, id est, Magnæ compositionis qui in tredecim libros diuisus est, vbi exactissimam omnium astrorum, quæ visui subiiciuntur doctrinam tradidit.

TEXTVS III.

De altero autem, minusque adeò ex sese perfecto, in præsentia verba facere decreuimus, conuenienti quidem philosophiæ modo.

Dicit se tractaturum in præsenti libro de contemplatione astrorum, prout pertinet ad futurorum cognitionem, quæ minus perfecta est, quia minus perfectè scitur modo conuenienti philosophiæ, id est, per causas & per qualitates primas, & per corpora & modum demonstratiuum. Per causas quidem, quia cognitio per signa posteriora sumpta in causis videtur absurda. Velut si quis ex natiuitate fratris velit de alio fratre decernere simpliciter, vt faciunt Arabes, quanquam hunc modum neque exquisitè Ptolemæus obseruauerit, nam & ex genituris filiorum fortunam parentum venari conatur, verùm si rectè interpretemur & nostram sequi voluerimus sententiam, nihil absurdum continget in hoc, neque sententiam Ptolemæi generalibus philosophiæ præceptis repugnare cogemus, scilicet vt filij genitura parentum fortunam ab ipsius filij ortu non antea mutet, constituat atque decernat. Corpora autem, velut Philosophus considerat, vt nugas illas Arabum partium dodecathemorias infinitasque alias exploderet. Demonstratione autem procedit velut Philosophus, non vt Arabes, qui aliorum authoritatibus simpliciter vtuntur, atque etiam ob scurrorum virorum, tum verò experimentis singularibus atque præter rationem. Similiter & vt reiiceret eos qui absque concursu causarum, aut leuibus debilibusque argumentis effectus maximos tribuunt

tribuunt, velut Firmicus in sua illa admirabili mathesi. Per qualitates etiam, quia vt habetur à Galeno in libris de Simplicibus medicamentis ex calido & frigido, sicco atque humido, quæ nomine primarum qualitatum intelliguntur, procedunt asperitas, exustio, incisio, taliaque multa quæ secundarum qualitatum nomine appellantur. Rursus ex his procedunt qualitates aliæ, quas tertias vocant, velut generandi semen, vt lac, rursus ex his, similitudine substantiæ conflata, fiunt aliæ qualitates opere quidem sensui manifestæ, sed operis ratione occultiores, quas catharticas vocant, seu purgantes: ab his demum etiam aliæ obscuriores intellectu, quas vocant proprietates, ita Astrologus, inquit Ptolemæus, eodem modo procedit. Sit cuipiam gratia exempli Luna in tertio loco in Cancro, Saturnus verò in sexto in Libra, tunc Saturnus immoderatam frigiditatem humidamque intemperiem in cerebro Lunæ ratione operabitur, pectus quoque angustum atque debile easdem ob qualitates efficiet, ab his igitur qualitatibus immoderata pituita generabitur, quæ ob debilem naturalem calorem à Saturni siccitate factam in pulmones descendet, ab his secundo loco genitis tertia procedet dispositio, scilicet spirandi difficultas, à qua rursus extenuatio ipsius corporis & tabes, propter exsiccationem in corde factam, propter prohibitam respirationem cum frigiditate iunctam. Namque tam pulmo, quàm pituita frigida supponuntur. Ecce vides quonam pacto ex Saturni & Cancri immoderata frigiditate tum humida qualitate immoderata etiam Cancri & Luna, tum etiam robore Saturni in Libra, & loco qui morbos decernit, atque id etiam qualitatum primarum ratione, vt suo loco ostendetur, in tabis cognitionem futuræ deuenimus, seu præsentis seu præteritæ, atque hic modus naturali contemplationi quemadmodum Ptolemæus dicit persimilis est.

TEXTVS. IV.

Atque ita ne ab vllo, cui veritas curæ sit, harum rerum comparatio fiat cum prima & immutabili scientia, vbi intellexerit materiæ & illius habitudinis imbecillitatem, & difficultatem coniecturæ capiendæ.

Declarat non esse comparationem inter hæc duo genera, quoniam inter propinqua solum est comparatio, sed scientia iudiciorum astrorum quadruplici ordine inferior est, quoad certam notitiam atque securam scientiam, quæ traditur in libro de motibus ipsorum, quem Arabes Almagestum vocant. Duos tamen Ptolemæus tantum ordines declarat, scilicet modi cognoscendi & mutationis materiæ. Namque Mathematica nobilior est scientia naturali quoniam certior hocque Philosophus fatetur. Secundus ordo est, quia in philosophia naturali etiam scientia de cœlo certior est scientia istorum inferiorum, quia cœlum est perpetuum & sempiternum, sed ista inferiora sunt corruptioni obnoxia. Tertia, scientia de astris est ex suppositis ex quisitis, habitis per instrumenta & obseruationes, sed scientia de iudicijs, cum non habeat signa exquisita, nec cognita ad vnguem, ideò minus certa redditur. Accedit quarta differentia, quia scientia de astris est simpliciter de illis, sed scientia iudiciorum est comparatiua, & ideò coniecturalis, quare in certitudine non est hæc illi comparanda. Non solùm autem liber de motibus astrorum duos illos habet fines à Ptolemæo descriptos, scilicet veritatis scientiæ causa & futura dignoscendi, sed etiam multos alios vsus, primùm quidem in legum obseruatione. Iudæi enim Pascha celebrant à nouilunio, quod primum æquinoctium sequitur: Christiani & ipsi Paschatis rationem ita obseruant, vt coniunctio luminarium in diem passionis, qui tertius est ante Pascha incidere non possit. Gentes etiam omnes dies in hebdomadas iuxta septem planetarum numerum distribuerunt: similiter & ratio horarum à Solis motus diuisione sumpta est. Medici quoque ne sub Æquinoctiis aut Solsticiis medicamenta propinent, præceptum ab Hippocrate habuerunt. Iidem criticos dies iuxta Lunæ motus rationem statuere. Agricolæ in secandis arboribus Lunam obseruant, & diligentiores etiam dum serunt semina, aut arbores inserunt. Nautæ ex aspectu syderum, motus ventorum & qualitates temporum diiudicant. Respublicæ multæ certas habent constitutiones à syderum ratione sumptas, velut Lacedæmonij, qui iuxta Lunæ obseruationem egredi in expeditionem non audebant. Hæc omnia cum scientia astrorum contemplatiua etiam præter veritatis cognitionem præbeat, iure meritò dubitari potest quænam harum sit nobilior? Et certè videtur scientia motus astrorum præferenda duabus rationibus, tum quia certior, tum quia sine illa hæc haberi non potest: potest etiam subiici tertia causa, quòd tot aliis seruiat commodis, de quibus nuper dictum est. Sed si citra affectum rem diiudicare velimus, erit hæc disciplina iudiciorum omni scientia motus astrorum longè vtilior. Quod enim hæc sine illa haberi non possit argumentum potius est nobilitatis huius quam illius. Nam videmus in artibus vltimam, præcedentibus semper esse nobiliorem. Etenim quis dubitet artem fabricandi naues nobiliorem non esse arte secandi ligna? & nauticam ipsam non esse nobiliorem ea fabrili parte quæ naues fabricare docet? & rursus militarem nautica, atque ita in aliis? Sed nec quod certa sit nobilitatis, aut vtilitatis argumentum est firmum, cum pleraque nobiliora, teste Aristotele, magis sint nobis ignota. Vtilitatis etiam scopus à fine sumitur, non à cognitionis qualitate aut modo. Itaque constat scientiam iudiciorum ea parte Astronomiæ, quæ de motibus tractat esse vtiliorem longè atque nobiliorem.

TEXTVS

TEXTVS V.

Néve quis à contemplatione eorum, quæ percipi possint resiliat, cùm videat tam in multa in vniuersum planè ab hoc circumfuso cœlo affluentes nobis causas declarare.

Cùm docuisset hanc scientiam esse dubiam si ad scientiam motus astrorum comparetur, ostendit partem eam quam assequi, licet non esse contemnendam, vt verò hoc doceat, declarat eam partem esse, testimonio hoc quod multa declarant cœlum ipsum in hoc vniuersum, id est, mundum inferiorem agere, quasi dicat eadem est ratio totius atque partis, sed de parte constat, vtpote de Sole tanquam principalissimo, de Luna etiam in æstu aquarum, igitur & de aliis.

TEXTVS VI.

Solet autem fieri, vt quidquid pauci assequi possunt, id in multorum reprehensionem incurrat.

Sententia huius loci est, quod omnis disciplina difficilis adeò vt pauci eam assequi possunt, causa est vt multi illam reprehendant, quoniam cum pauci veritatem assequantur, plerique ob difficultatem decipiantur, scientia illa inanis existimatur. Contingit enim in pluribus hominibus quod in vno homine, nam si vnum hominem videris qui quampiam artem profiteatur, in pluribus verò aberret quam diuinare possit, quis illius scientiam non inanem esse dicat: Nam in multis prædictionibus quæ sine arte fiunt & omnino fortuito aliquando diuinare licet, imò contingit, & necessarium est. Ergo si in pluribus hominibus pauci diuinare soleant, multi errent cum quisque artem tenere se dicat, artem illam inanem vulgus existimabit.

TEXTVS VII.

Harum verò duarum scientiarum, quam loco & potestate priorem diximus, si qui calumniari velint, merito cæci prorsus habeantur.

Clara est sententia huius loci quoniam Mathematicæ demonstrationes reprehendi non possunt, neque enim in his, teste Aristotele, decipi hominem contingit, aut aberrare propterea qui eam scientiam reprehendere ausus fuerit, vitio aliquo animi, velut odio disciplinæ aut liuore profitentium, aut petulantia obcæcatus est. Verùm dicet quispiam non ne ab Auerroë eccentrici & epicycli reprehenduntur: qui tamen ad genus demonstratiuum proculdubio pertinet? hos autem Ptolemæus in sua Magna compositione supponit. Sed non est ita, namque Ptolemæus neutrum horum esse supponit, sed dicit si ita esset, ratio motuum astrorum, & experimenta seruari possent. Conclusiones igitur quæ demonstrantur in scientia à Ptolemæo sunt admodum certæ, quamuis media sint ficta, neque hoc inconuenit, nam cum Archimedes sphæræ magnitudinem, tum illius superficiei per conos demonstrat, quæ intus clauduntur, quique sphæræ spatium complent, fictis vtitur medijs: non enim sphæra conis constat, neque si coni inscriberentur illam complere possent, nisi prorsus essent infiniti, infinitum autem esse non potest.

TEXTVS VIII.

Sed altera præbet sanè non leuem occasionem insectatoribus. Nam alij difficultate cognitionis adducti scientiam esse negant, alij quia non facilè quæ impendere sciant, possint euitari, inutilem etiam finem cognitionis criminantur.

Nunc declarat partem scientiæ quæ ad iudicia spectat, propter difficultatem occasionem præbere maledicendi de arte duobus modis, altero quidem quod vera non sit, reliquo quod & si vera sit, inutilis tamen censeri debeat. Ex quo patet difficiliorem esse hanc scientiam, scientia motus astrorum. Tum verò relicta expositione duarum illarum obiectionum, transit ad contradicendum, verùm nos decet prius exponere rationem Phauorini superius tactam, qua non veritatem artis oppugnabat, nam de hac quidam quibus forsitan temporis abundantia erat non vnum sed multos, atque etiam prægrandes scripsere libros, adeò quibusdam iudicium peruersum est atque corruptum, vt propter ambitionem aut stultitiam velint tantum temporis multumque laboris in oppugnanda veritate consumere, sed eam qua inutilem docet esse artem etiam si vera sit. Eratque ratio sanè persuasiua, dicebat enim: Si quæ futura sunt mala, auerti nequeunt, & nos diuturno metu torquent atque discruciant. Sin bona, omnino etiam non præscientibus ventura erunt, atque maiore cum voluptate. Nam eam dulcedinem quam repentina felicitas affert, cognitio antequam veniat, & expectatio aufert. Itaque si futura necessariò ventura sunt, præscita aut minorem voluptatem afferunt aut maiorem tristitiam. Cui rationi Ptolemæus respondet vno verbo, quod futura possunt immutari. At Phauorinus dicet, quod talia futura non erunt, si mutari queant. Verùm Ptolemæus respondebit, quod futura non sunt per se futura, sed in comparatione, velut si præsciam calorem magnum & sitim occisuram, oues meas in ædito monte pascentes excauato specu & fonte non morientur. Ergo Astrologia non est de rebus futuris, sed comparationem causarum ad suos effectus solum, his autem contingit vt futuri sint.

TEXTVS IX.

Proinde antequam ad explicationem ſingillatim accedamus, placuit exponere rationem vtriuſque, quatenus & poſſit hoc modo, & vtile ſit prænoſci futura. Poſſe autem priore loco diſputabimus.

Docebit hic Ptolemæus prius explodendos illos duos errores, quibus ars inutilis eſſe videretur ſeu nulla eſſet, ſeu etiam quod eſſet nihil prodeſſet. Cùm enim hæc, vt declaratum eſt, cognitio ad artem non ad ſcientiam referatur ſub lato fine, quo ars conſiſtit, ars nulla eſſet. Sed dices ex primo Phyſicorum non pertinere ad artificem diſputare contra negantes ſua principia. Verùm non ad artificem, ſed ad primum Philoſophum naturalem ſcientiis: at verò in artibus, vt Galenus facit, experimento pugnandum. Itaque primum dicit, diſputabimus contra eos, qui negant aliquam eſſe cognitionem, deinde contra illos qui dato quod ſit, affirmant eſſe inutilem. Ex quo patet aliquos eſſe mentis habitus, qui ex nullo quinque generum, in quæ habitus diuiduntur erunt, velut gratia exempli, qui figuras Geomantiæ norunt fabricare, & qui cicere collimabat merito ab Alexandro Magno contemptus, inquit enim Galenus, artificialium præceptorum commune eſt, vt ſint vtilia.

CAPVT II.

TEXTVS X.

PRincipio euidentiſſimũ eſt, & non indiget verboſa probatione, pertranſire, & diffundi vim quandam ab ætherea & ſempiterna natura, in vniuerſa terræ circumpoſita & ſemper mutationi obnoxia, quæque ſub Luna ſunt prima elementa, ignis & aëris, quæ quidem ipſa includantur & agitentur æthereis motibus, includant autem, & coagitent inferiora omnia, terram & aquam, & quidquid in illis naſcitur animantum aut germinum. Nam & Sol ipſe vnà cum cœlo circumdante omnia terreſtria perpetuò quaſi ordinat, non modò per mutationes ſtatorum in anno temporum, quibus animantibus vita, germinibus fructus, quibúſque ſuis tribuitur, & laticum fluctus & corporis affectiones procurantur, verum & quotidiano circuitu, cum calefaciens & humectans, tum arefaciens & refrigerans conſtanti ordine, & modo pro figurationibus conuenientibus ac pun cto verticali noſtro. Luna verò vt proxima terris, manifeſtè in terrena influit, cum illa enim conſentiunt & commutantur pleraque omnia & animata & inanimata. Ipſi fluuij nunc augeſcunt, nunc decreſcunt, ſecundùm Lunarem ſplendorem. Ipsáque maria impetu diuerſo, pro eo ac illa oritur aut occidit, feruntur. Denique germina ac animantes, aut omnino, aut aliqua ex parte vnà cum Luna incrementa & detrimenra ſentiunt. Iam ſtellarum decurſus plurimum ſignificant in aëre, vel æſtus, vel ventorum, vel hyemis, quibus conuenienter & terrena afficiuntur. Ipſarum inter ſe configurationes, cúmque congreſſæ effectiones ſuas commiſcent, plurimarum & variarum mutationum cauſæ ſunt. Nam quamuis Solis vires in ordine generalis conſtitutionis antecellant, ipſæ tamen in reliquis, aut adiiciunt aliquid illi, aut demunt. De Luna quidem res eſt & manifeſtior, & crebrior per interlunia & plenilunia, atque item medio tempore, de reliquis autem & incertior & interuallis rarior: vt dum illæ apparent aut occuluntur, aut aliqua in declinatione ſunt. Quæ ſi quis conſiderauerit, facilè intelliget non modò conſtitutiones rerum affici ab illarum motibus neceſſe eſſe, ſed etiam ſeminum & initia, & perfectiones fingi & informari, pro habitudine cœli conſequens iudicabit. Quapropter qui inter agricolas & paſtores præ cæteris ſunt diligentes, de flatibus eorum temporum quo ſementem fecerunt, aut pecus ad coïtum admiſere, coniecturam facere ſolent de euentu. Et vt breuiter dicam, quidquid in vniuerſum accidit, hoc non contemplatione naturæ, ſed ſola obſeruatione de euidentibus Solis & Lunæ configurationibus, & reliquarum ſtellarum ſignificationibus præuideri à pleriſque cernere eſt.

Diuiditur hoc caput in quatuor partes principales. In prima docet eſſe influxus & regimen aſtrorum in hæc inferiora. In ſecunda docet hunc influxum & hoc regimen ſciri poſſe, ibi: Atque horum nonnulla. In tertia declarat cauſas quare errores multi contingant in hac diſciplina, ibi: Quod autem non. In quarta recolligit & docet quæ neceſſaria ſunt, ne quis aberret, ibi: Ex his igitur. Liquet autem quod neque plures partes erant neceſſariæ, neque panciores, nam cum decretum eſſet declarare, quod ars hæc ſciri

ſciri poſſet, & non poſſet hoc declarari niſi prius demonſtraret rem, quæ ſciri debet, eſſe: Hæc autem eſt influxus ſeu regimen ſtellarum, neceſſarium fuit docere primo hoc regimen hunc influxum eſſe. Deinde in ſecunda parte docere, quod hic influxus & hoc regimen ſciri poteſt. Et quia obiiciebatur quod multi aberrant in hac arte prædicendo, tertio loco reſpondendum erat huic obiectioni docendo quibus cauſis fiat, vt Aſtrologi aberrent in iudiciis. Quarto cum inſtruendus eſſet Aſtrologus ne aberret: id verò non promptè fieri poterat, nec facilè aut perfectè, niſi cognitis cauſis propter quas homo aberrat. Nemo enim morbum ex arte ſanat, niſi prius eum cognouerit: ideò pars hæc illam proximè ſequitur, atque hæc de vniuerſali diuiſione. Cæterùm de ſingulari cuiuſque partis ratione mentioné facere propter prolixitatem haud expedit: tum maximè quia Auerroës dicebat, exquiſitum hunc diuidendi morem in explicandis Authoribus, quem quidam claritatis cauſa nomine quidem Latini, ſed oratione potius barbari obſeruant, ſignum eſſe debilitatis virtutis eius, qua homo intelligit atque cognoſcit.

Pro declaratione igitur textus, ſciendum eſt quod Author intendit probare duo, primum quod hæc inferiora ab aſtris gubernantur, ſecundum quod diſpoſitio aſtrorum, quæ ex principio aliquid generat aut facit, ſufficit ad conſeruandum atque gubernandum illud quod genitum eſt aut factum, vſque quo ad finem peruenerit. Hoc autem erat neceſſarium ipſi Ptolemæo demonſtrare, quia cum propoſitum eſſet docere hanc artem ſciri poſſe, oportebat dicere etiam aſtra horum inferiorum ſic eſſe cauſam, vt cauſa illa ſciri poſſet. cauſa autem illa ſciri non poterat, niſi ad principij rationem deduceretur, quo cognito effectum ipſum intelligeremus. Veluti quiſpiam naſcitur victurus quinquaginta annis, ſi aſtra ſolum ita agerent, velut ignis coquendo lateres, qui non niſi tamdiu coquit quàm diu præſens eſt, amoto enim igne lateris coctio ceſſat, neceſſe eſſet Aſtrologo, vt totum hoc ſpatium annorum quinquaginta per ſingula momenta conſideraret, vt ſcire poſſet quid illi vnoquoque tempore boni aut mali venturum eſſet. Vt igitur hoc facere non cogatur, neceſſarium fuit aliquod principium ſtatuere, ex quo ſi non omnia ventura, ſaltem eorum maxima pars penderet, vt eo cognito illa cognoſcerentur. Atque illud idem in medicina manifeſtū eſt, nam huius artis exemplo Ptolemæus etiam maximè vtitur, nam medicus ſuppoſita temperie, quam ab initio geniture eſt conſequutus aliquis, de illius ſtatu toto tempore vitæ ſuæ conſtituit, vnde ſanum ſemper & ægrum aut neutrum, vel etiam vt multum appellatur. Vt igitur res ipſa melius intelligatur, ſcire oportet quod eiſdem modis aliquid eſſe demonſtratur, & de illo ars conſtituitur. Conſtituitur autem ars artifexque inſtruit, vt Gal. docet 9. Artis curatiuæ duobus modis, ratione & experimento: ita ergo Ptolemæus docet aſtra in hæc inferiora agere experimento atque ratione. Experimento quidem, dum ſingula proſequitur aſtra declarando actiones eorum. Ratione autem hac: Sol agit in iſta inferiora; ſimiliter & Luna, hoc aſſumptum experimento declarat, non quidem vt in aliis quod doceat, ſed ab omnibus conceſſo, reliqua verò aſtra eiuſdem ſunt naturæ atque ſubſtantiæ cum Sole & Luna, igitur & reliqua aſtra in hæc inferiora agunt atque illa gubernant. Aſſumptam hanc propoſitionem ſecundam, facilè eſt declarare, cum Ariſtoteles doceat in primo cœli quinque eſſe corpora tantum ſimplicia, è quibus vnum eſt cœlum, vt omnes cœli pro vno corpore habeantur. Atque hæc forſitan eſt cauſa, cur apud Latinos cœlum heteroclytum ſit. Nam cum vnum tantum eſſet neutro genere in ſingulari ſolum dicitur. Cùm verò quibuſdam placeret plurali numero proferre maſculino numerum illum ſignificarunt. Vnde non quemadmodum templum, & templa dicimus, ſic cœlum & cœla in plurali numero. Sed cœlum atque cœli. Igitur vt ad rem reuertar, ſciendum eſt quod & Ariſtoteles 2. de Generatione & Corruptione vtramque parté, quam Ptolemæus hic declarat dilucidè comprobauit, dicens: Ex planetarum acceſſu atque receſſu in circulo obliquo fieri generationes atque corruptiones in iſtis inferioribus. Vnicuique etiam genito certum tempus circuitu deberi ab aſtris conceſſum quo vita peragatur, diuerſúmque illud eſſe demonſtrat in quarto de generatione animalium pro cuiuſque ſyderis natura, atque propriæ reuolutionis menſura temporis. Itaque conſtat ab initio cuiuſque geniti conſtitui quoddam principium, quo cognito, totius vita illius peragratio decernatur atque cognoſcatur. Verùm quia hæc pars tam promptè à Ptolemæo ratione demonſtrari non poterat, locum à communi conſenſu hominum in ea demonſtranda ſumpſit. Qui locus in artibus certè atque ſcientiis valde infirmus eſt atque debilis: Verum quia aduerſus abſurda dicentes nititur, licet eiſdem armis repugnare, quibus oppugnatur. Atque hæc de generali expoſitione dicta ſint, nunc textum ipſum quaſi per paraphraſim declaremus.

Primum igitur manifeſtum eſſe ſupponit terram & aquam à circumfuſa vndique cœleſti ſempiterna natura vim quandam recipere per ignis & aëris (ſequitur enim opinionem antiquorum in hoc Ariſtotelique attributam) medium: qua cuncta quæ in terra & aqua ſeu ardores ſint, ſeu animalia gubernantur ac agitantur: quod vero iſtud ſit euidens, declarat, quia manifeſtum eſt Solem non ſolum cum cœlo hæc efficere per motum illum, quo in ſignifero delatus quatuor tempora conſtituit, in quibus manifeſtè omnia mutantur. Nam veræ plantæ quidem germinant, animalia verò coëunt pleraque, vt aues aſinique æſtate verò fructificant plantæ, pulli animalium adoleſcunt, aquæ ſilent: autumno cuncta ſeneſcunt & areſcunt: hyeme contrahuntur & ſilent, contrà aquæ turgent & intumeſcunt, ſed etiam motu diurno eadem fermè operatur. Nam vt Galenus in 6. Epidemiorum dicebat, partes diei naturalis partibus ipſius anni correſpondent.

Matutina quidem veri, in qua homo lætius exurgit sanguisque mouetur, lætáque omnia sunt, post meridiem verò calor ingens bilisque feruet, prima verò noctis parte melancholia dominatur, homo arescit & contristatur, post mediam verò noctem pituita & somnus dulcis & iucunda quies mortalibus segnisque torpor accedit. Nam quod homines prima noctis parte profundius dormiant, non id contingit ob temporis naturam, sed ob cibos adsumptos. Illud idem in floribus contemplari licet, qui quidem matutino aperiuntur optiméque olent à meridie exarescunt odorque euanescit, sub primam noctem quasi senescentes omninoque absque odore contrahuntur, à media nocte constringuntur & humectatur roremque excipiunt loco imbrium hyemis. Illud idem in Luna manifestum esse docet, quæ cum sit propinquissima terris, manifestè quidem animata omnia vt plantas ac belluas, ac pisces, & inanimata etiam vt maria & flumina agit ac mutat: Quædam quidem manifestius vt Oceanum magis quam mare Mediterraneum: & sinus quosdam vt Adriaticum, in quo Venetiæ, magis quàm reliquam partem maris, & mare magis quàm flumina, & fluminum quædam magis, vt Nilum quam reliqua. Tum verò Cancri magis quàm Pisces reliqui: piscesque ipsi magis quàm belluæ, & inter belluas mures & feles, imò manifestè afficiuntur. Recitat commentator (nam hoc nomine intelligo eum cuius nomen non ascriptum est. In Ægypto fuisse Taurum sacrum, cuius genitalia pro luminis Lunæ ratione augerentur ac minuerentur. Minus autem aues quàm pisces quod ficciores omnibus sint animalibus, ideóque etiam minus quàm belluæ, tamen & ipsæ quoquomodo à Luna afficiuntur. Similiter & plantæ atque inter ipsas maximè lunaria appellata, ob id quod Lunæ motibus afficiatur variisque formis eius varias & ipsa induat figuras. Commentator affirmat suo tempore fuisse lapides, qui rationem incrementi Lunæ ac diminutionis sequerentur. Intellexi lapidem fuisse, qui in manus Pontificis Leonis decimi peruenit, qui pro varietate luminis Lunæ ex cœruleo in candidum transiret. Lapides quoque in chelis cancrorum inuenti mutationem luminis Lunæ sentire videntur. Alium intellexi fuisse lapidem seu gemmam, namque gemma nobilior erat in manibus Pontificis, ni fallor, Clementis septimi postquam eius mortem subreptum ac Mediolanum translatum, illóque qui eum attulerat in arce capto non potuisse tamen haberi. Is lapis maculam habebat, quæ iuxta Solis motum singulo die oriens atque occidens circumageretur. Sed & ligna cædua quæ inter inanimata meritò censentur, mutationem magnam á motu Lunæ sentiunt. Et quamuis de hac mutatione contrariæ sint opiniones, mutari tamen ea constat: Sed & capilli refecti post plenilunium serius crescunt, vt qui à nouilunio celerius. Quod verò dixerit figuras conuenientes & verticis punctum causam esse vt Sol vario modo nos afficeret Idem in Luna quoque obseruandum est, quamuis non tamen euidenti mutatione neque insigni. At enim cum Sol in medio cœlo verticéque nostro fuerit, egregiam mutationem in aëre & animantibus parit. Sunt etiam herbæ quædam quæ iuxta Solis motum circumaguntur, velut Lupinus & Heliotropium. Similiter & ægri plerunque à meridie deterius se habent & vsque ad mediam noctem, obseruatumque est plures eorum qui grauiter ægrotant eo tempore mori, quam à media nocte ad meridiem vsque quod in ea medietate diei naturalis, quæ à meridie est vsque ad mediam noctem Sol perpetuo descendat, vt in reliqua ascendit. Quod etiam in Lunæ motu euidentius quandoque est. Sed & præsegmina vnguium & medicamentorum opera mirum in modum pro Lunæ qualitatibus immutantur. Adeóque euidenter, vt qui Astrologiam negant iudiciáque tollunt, hos tamen Lunæ effectus confiteantur. Quod verò dixerit conuenientes configurationes, intellexit primo Solis ascensum super terram, descensumque tum locum nonum atque vndecimum, qui vt inferius declarabit, quod ascendens ipsum respiciant, robore pollent, vt contra octauus atque duodecimus locus infirmissimi sunt, atque debiles, quod nulla radiorum ratione ascendenti iungantur. Demum his declaratis quæ ad Solem & Lunam pertinent, quæque manifesta iam sunt, ad genus de quo est dubitatio transit, scilicet vtrum reliquæ stellæ aliquid agant in hæc inferiora, vtiturque ratione & experimento. Experimento quidem sumpto, prout decet eum qui artificiosè docet, à manifestissimis: Nam ortus syderum atque occasus adeò euidentes temporum mutationes faciunt, vt ab omnibus qui naturales res scripserunt temporum obseruationes iuxta ea descriptæ sint. Et clarissimi medicorum, inter quos Galenus, tum etiam Hippocrates, tempora anni magis ab his quàm à Solis locis distinxerint. Et vt aliquid pro exemplo adducam: nonne Canicula exoriens mundum immenso æstu afficit, maria turbat, plantas arescere facit, canes in rabiem agit, siccatque cuncta, vt contra Arcturus exoriens pluuias & imbres facit? Quod etiam in configurationibus maximè autem coniunctionibus magnorum syderum, & in his præcipue qui contrariis sunt domibus (hæ autem sunt quatuor, Solis & Lunæ cum Saturno, Mercurij cum Ioue, Veneris cum Marte) facilè quilibet perspicere potest. Nam modò venti, modò frigus immensum fit. Ratione verò sic agitur: Quoniam planetæ cum iunguntur Soli, illius augent vim aut minuunt, omne enim corpus corpori iunctum, aut illud impedit aut confirmat, quo fit, vt cum ex eodem genere sint, vt etiam illius potentiam varient; augeant minuantque. Atque id verum est de corporibus quæ cum lumine coniuncta sunt. Nam si quis ingenti faci exiguam candelam approximauerit, videbit & lumen & opus variari, nam & prius lumen confundetur aliqua ex parte, & diuersa erit ratio caloris, maiorque ex parte vbi lumen ipsum affuerit. Atque hæc ita fiunt, cùm tamen

men candela ipsa neque colligat, neque reflectat lumen ipsius facis. Rursus verò loco candelæ speculum applicetur quanquam exiguum, videbis quantam varietatem & in lumine, & in calore, & in vmbris pariat. Modo verò sydera cum Sole vicem & speculi & candelæ referunt, nec parua adeò sunt, imò quædam parum diametri comparatione à Solis magnitudine differunt, veluti Iupiter & Saturnus & Canicula, quam etiam Sole longè maiorem esse haud dubium est, manifestum facit quantam mutationem in influxibus Solis atque operibus factura sint. Videtur enim actio Solis maxima esse atque præcipua, non tamen sola atque inuariabilis. Quòd autem ita sit per Lunæ cum Sole congressus hoc demonstrat. Nam procul dubio iam de Luna conclusum est quod multa operetur & agat quasi per se: ergo etiam cum Sole agere & operari manifestum est, per ea quæ nuper adduximus exempla. Sed & commentator pro exemplo addit quod tria faciunt ad temperiem hyemis, Mars in Cancro & Leone, Saturnus in Aquario, & Iupiter cum Sole. Eadem æstatem æstuosam & longissimam reddunt. Ratione quidem clara conspicuaque. Nam Saturnus cum plurimum abest, frigus augere non potest. Mars quidam paruus Sol est, Iupiter cum Sole calorem illius maximè auget & fouet. Contrariis rationibus hyems sæua & æstas temperata fiet, vt si Sol & Mars, & Iupiter absint in Aquario, Saturnus verò in Cancro vel Leone. Illud igitur idem eadem ratione & in aliis syderibus manifestum erit: verùm, inquit, cum reliqua sydera omnia tardius motu proprio longè quàm Luna moueantur, idcirco tribus de causis, quarum tamen tantum duas explicat, syderum aliorum opera obscuriora sunt quàm Lunæ. Prima quod propter tarditatem, non adeò frequenter licet obseruare actiones eorum. Secundo quod tempus exquisitum non adeò licet habere declinationis, aut coniunctionis vel occultationis, aut cum primùm apparere incipit propter motus tarditatem, vnde incerta fit obseruationis ratio. Tertia quia eadem tarditate fit, vt opus ipsum sensim fiat: quod autem sensim fit occultius est, quam quod statim etiamsi longè sit maius, veluti de motu Solis in cœlo & lapidis proiecti in aëre, si alter ad alterum comparetur, liquet. Quæ si quis consideret non modo in temporum constitutionibus, sed etiam in seminibus serendis propagandisque plantis, cæterisque aliis vtpote pecoribus & iumentis procreandis sydera esse causas, atque obseruanda esse existimabit. Testimonium verò sumit à pastoribus & agricolis, qui ex ventorum varietate prouentum segetum & propagationem animaliũ certa ratione coniectantur. At verò ventos cum ad generalem pertineant constitutionem ex syderum configurationibus pendere docuit. Igitur à primò ad vltimum propagationes animalium & prouentus segetum, taliaque omnia eiuscemodi à syderibus pendent. Et vt breuiter dicam quidquid in vniuerso fit, seu ad temporum mutationes pertineat, seu ad generationem interitumue plantarum aut animalium, id totum ad syderum motus & naturas atque configurationes referri debet, atque ex his præcognosci. Quandoquidem eos qui talia prædicunt non ex natura rerum, neque ex parte cognitionis quàm à philosophia sumpserint, sed ex syderum obseruatione prædicere videmus.

Vide lib. 2. Com. 56.

TEXTVS XI.

Atque horum nonnulla excellentiore quadam vi & simpliciore ordine procedentia intelligunt, non modo penitus indocti homines, sed & bruta animalia quædam, sicuti sunt temporum & flatuum annua discrimina, quorum semper est Sol author. Quæ verò maioris negotij sunt, ea tamen non fugiunt quosdam necessitate rerum suarum adactos ad obseruationes. Vt nauitæ, sciunt illi quidem significationes certas hyemis & ventorum, quas dant & Lunæ & fixarum stellarum cum Sole configurationes: verùm quia neque tempora neque loca, quippe imperiti Astronomicæ scientiæ, notata, neque cursus stellarum errantium collectos habent, ideò non raro contigit illos errare. Quid autem obstabit quo minus qui exquisiuerit stellarum omnium atque Solis & Lunæ motus, vt iam nullum configurationum neque tempus, neque locum ignoret, si etiam ordine & consequentia expositionis harum rerum percepto distinctas naturas omnium quæ diximus perspexerit, non iam dico quæ in rebus subiectis appareat, sed quarum effectiones potestate cõstent, vt quod Sol calfacit, Luna humectet, deque reliquis similiter, sique is sit, cui ingenium hac in parte suppetat, quid inquam, obstabit, quominus naturaliter & certo ex omni commistione, proprietatem habitudinũ discernere possit, ita vt de quocunque tempore proposito explicet iuxta rationem eorum, quæ tum in cœlesti contemplatione obseruauit, circumfusi cœli proprium modum & statum, veluti futurum aut calidiorem, aut humidiorem? Similiter vt hominum propriæ singulorum constitutionis generalem cognitionẽ habeat, collectam à statu circundantis cœli, veluti corpus alicuius tale esse, talem autem animum, quæ etiam consequeretur casuum singularium præuisio, nempe quod talis cœli status

tus, tali constitutioni aptus sit & conducat ad prosperitatem, talis verò contrarius & in aduersa impellat. Hæc igitur fieri posse vt percipiantur, ex his atque similibus facilè patet.

Exequitur propositam rem declarare atque principalem, scilicet futurarum rerum per astra certam esse scientiam, atque illam hoc modo ad syllogismum reducemus orationem. Quæcunque ex simplicibus constant quæ facilè cognosci possint, ab ea excellentiore ingenio & diligentiore cura cognosci possunt, verum astronomica talia sunt, igitur astronomicorum iudiciorum scientia habetur. Maiorem propositionem declarat, quia quædam sunt adeò euidentia, & simpliciore ordine procedunt, & ab efficacibus causis eueniunt, vt non solum homines parui ingenij, verùm bruta animalia quadam vi naturæ, occultaque præcognoscant, veluti tempora anni, quis enim ignorat mense Decembri futuram Hyemem, Martij Ver, Iunij Æstatem. Vnde & piscium genera quædam apparant se gregatim ad peregrationes antequam tempora aduenerint. Et similiter aues nidos præparant. Similiter & Fauonij post initium Februarij spirare incipiunt, vt Etesiæ sub æstate, quos ventos vt & alios certis fermè temporibus adeò tuto expectare licet, vt reditum planetarum ad loca constituta, omnia autem hæc ob id facilè dignoscuntur, quoniam à Solis motu pendent. Porrò cum Solis motus sit inter omnium syderum simplicissimus, & Sol ipse astrorum potentissimus, vt non facilè impediri possit quod decernit, & certo & facile, & constitutis temporibus præscire quæ expectantur contingit. Quæ verò motus magis varios habent, & non adeò robusta sunt, sunt tamen simplicia, ab his qui non omnino rudes sunt, sed aliquam artem tenent, præsciri possunt, velut ea quæ à Lunæ & stellarum fixarum cum Sole configurationibus pendent, qualia sunt procellarum & ventorum fortuiti quidam euentus nautæ cognoscunt. Et si motuum astrorum paulò diligentiorem notitiam haberent, exquisite talia prædicere possent. Quid igitur obstat quod si quis naturam horum syderum perspectam habuerit, & numerum motuum perfectè teneat, sit quoque præstantis ingenij vir, & norit ordinem & consequentia rectè concludere, quin per has notas qualitates calidi, frigidi, humidi & sicci, quocunque tempore proposito ac loco qualitates status aëris cognoscere non possit? Inde vt ex qualitate circundantis non aëris etiam qualitatem corporis primo quidem generaliter omnium hominum simul, deinde singulorum dum nascuntur, vltimo verò præsentis status, agnoscat. Vtpote si Soli Mars iungatur in Leone arida quidem primo atque feruens erit constitutio temporis illius, tum verò omnium hominum generaliter: & qui eo nascentur tempore calidi erunt, atque sicci immoderatè, præsertim cordis, atque ob id animi iracundi, crudelis, ambitiosi, prompti, rapacisque. Qui verò iam nati sunt his quidem qui frigida & humida sunt intemperie præditi salutem afferet corporis, atque animi moderationem: illis verò qui calido & sicco sunt temperamento, ardorem, æstum, morbosque ob id biliosus, iram quoque imò iracundiam & præcipitem animum præstabit, hecticos verò debilesque iam factos immoderata caloris & siccitatis intemperie enecabit. Manifestum est igitur quonam pacto ex simplicibus qualitatibus, ac primis stellarum Ptolemæus in constitutionem temporis primo, inde hominum generaliter, tum temperiei singulorum, tum qualitatum corporis (qui enim calidi & sicci cordis sunt, hi idem hirsuti pectore & graciles erunt) inde ad animi qualitates procedens, audaciæ puta & furoris cognitionem deueniat. Deinde etiam ad singulorum salutem, aut morbos, aut mortem, aut casus alios fortuitos procedet.

Constat autem ex his rerumque ipsarum natura quædam iam factis ex astris decerni, quædam his quæ nondum facta sunt, iuxtaque hæc duo prædictionis esse genera. Veluti si homo valebit, dicabitur, pugnabit, longæuus erit? circa facta versatur. An tempus hoc serendo aut propagationi opportunum? circa facienda. Atque hæc de textus expositione dicta sint.

Cæterùm tria quæ ac intellectum pertinent silentio pertransire non par est, primùm quidem quod manifestum est, Ptolemæum existimare mutationes corporum humanorum, cæterorumque non fieri nisi per ambientis non aëris mutationem, vtque dicebat Poëta:

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit
Vno eodemque igni.

Sic ex ambientis eadem constitutione varios in variis corporibus effectus contingere atque etiam casus. Alterum est quod quanquam Ptolemæus omnia in primas qualitates referre videatur, non tamen id haud verum est, aut verum esse putat. Nam inferius edocebit ex figurarum natura & proprietatibus etiam stellarum, propria quædam significata, propriosque quosdam casus, & euentus pendere. Et iure meritò quidem, nam & medici proprietate rerum quasdam habent, quæ vel omnino à primis non pendent qualitatibus, vel omnino in illas referri nequeunt vlla certa ratione. Quod perinde est quantum ad artis tractationem pertinet, ac si omnino ab illis non dependeant, causa verò propter quam Author hic harum proprietatum non meminerit, sed omnia in primas transtulerit qualitates duplex est. Prima quidem, vt aduersus negantes Astrologiam euidentibus & manifestis suppositis, atque principiis procederet, Altera vt doceret lectores se artificiosam non inconditam tradere doctrinam. Quamobrem & Galen. in libris de Simplicium medicamentorum facultatibus in totum ab hoc genere causarum abstinuit. Non quod illas esse non crederet, nam de eis ibidem tractaturum seorsum

pollice

pollicetur, ſed quoniam tractatio illa quamuis pulcherrima in artem tamen reduci non poterat. Nunc verò tertium adiiciendum præceptum eſt, quod docemur vt manifeſtiſſima eſſe intelligamus opera vniuſcuiuſque ſyderis, quantò ſydus ipſum maius eſt, ac motus velocior, veluti vt exiſtimemus manifeſtiſſima eſſe opera Lunæ poſt Solem, inde Veneris poſt Mercurij. Nam Mercurius vt celerior eſt, ita Venus robuſtior ob magnitudinem, inde Saturni poſt Iouis, atque hæc in comparatione ad Solem. Mars igitur obſcuriora habet opera, quod ſerius Soli coniungatur, ſitque minor Ioue & Saturno. Stellarum verò fixarum opus manifeſtius eſt opere trium ſuperiorum, earum dico quæ magnitudinis ſunt conſpicuæ, aut ſaltem mediocris cum parua latitudine, minus verò quàm Mercurij & Veneris. Quoniam enim tardiſſimè mouentur ſingulo fermè anno, imò dicam ſimpliciter ſingulis annis Soli iunguntur. Venus verò propter epicyclum ſæpius, ac longè ſæpius Mercurius iunguntur Soli in anno. Quo verò ad opera Lunæ, fixæ quidem manifeſtiora oſtendunt opera & maiora, inde Saturnus, deinde Iupiter, ac Mars, & Venus, ac Mercurius. Horum omnium cauſa eſt, quod ſæpius redeunte planeta leuiore ad congreſſum alterius qui tardius mouetur, ſeu per coniunctionem, ſeu per radios illi applicetur, proportione enim hæc ſibi inuicem reſpondent, quod polliciti fuerant ab initio ſæpius repetendo confirmant atque augent. Verùm Venus ac Mercurius cum nunquam Solem reſpiciant, alios loco horum affectus patiuntur, illius comparatione.

TEXTVS XII.

Quod autem non ſine cauſa, quamuis immeritò, quaſi fieri, vt percipiantur, nequeat, calumniam ſuſtinent, nunc deinceps docere conabimur.

Hic incipit tertia pars præſentis capitis, qua docet cauſas errorum in iudicando, diuiditurque in tres partes proprias, in quarum prima oſtendit duas cauſas generales errorum, qui contingunt his, qui futura prædicere ſtudent, huius partis initium eſt. (Primùm quidem) In ſecunda docet duas cauſas errorum, qui contingunt in prædicendo de conſtitutionibus temporum, ibi: At eſt manifeſtum. In tertia oſtendit tres cauſas principales errandi in prædicendo caſus hominum per natiuitates, ibi: Quod autem ad. Subiicit ergo primam cauſam generalem.

TEXTVS XIII.

Primum quidem intelligendum multa errata, eorum qui parum accuratè in re magnæ & multiplicis conſiderationis verſentur, derogare fidem ſcientiæ, & facere vt fortuita videantur etiam quæ veritatem complectuntur. Quod non rectè fit. Nam hæc imbecillitas non eſt ſcientiæ, ſed profeſſorum.

Primum hoc peccatum quamuis videatur vulgare, non tamen eſt negligendum. Nam hoc tempore maximè viget. Nam rem difficillimam, & maximæ induſtriæ adeò oſcitanter tractant, vt artem in maximam vituperationem deduxerint. Nec immeritò dicere ſolebat Ioannes Marlianus vir grauis iudicij. Si vis diuinare, totum contrarium ad vnguem dicito eius quod Aſtrologi, aut pollicentur, aut minitantur. Adeò verò in hoc errauerunt, vt non inanem tantum, ſed infamem diſciplinam reddiderint. Neque enim vix centeſimam, aut laboris, aut induſtriæ, aut diligentiæ aut temporis, partem impendunt eius quam impendere debent. Nec ſolùm tunc cum inquirere volumus futura negligentia delinquimus, ſed cum ars ipſa diſcenda eſt, laborare oportet. Oportet enim, vt Ptolemæus etiam docet, eum qui vult hanc artem profiteri cum honore & laude, vt has omnes duodecim conditiones habeat. Prima, vt ſit valdè ingenioſus: ſecunda, vt ſit valdè memor: tertia, vt ſit prudens & boni iudicij: quarta, vt veritatem omnibus aliis præponat: quinta, vt ſit bonus Dialecticus: ſexta, vt ſit bonus Philoſophus naturalis: ſeptima, vt optimè calleat aſtrorum ſcientiam, quæ motus & locos docet eorum: octaua, vt ſit bonus Arithmeticus: nona, vt clariſſimos ſui temporis viros audierit, & qui experimenta artis de ſe egregia & admiranda dederint, ſimiliter & operam his libris dederit, qui à clariſſimis eius artis Authoribus conſcripti fuerunt: decima, vt ſit aſſiduus in ſtudiis & laboribus, atque illi arti fermè totus intentus: vndecima, vt diu ac longo tempore operam dederit ipſi arti, multaque per ſe experimenta collegerit: duodecima, vt agriculturæ, nauticæ, militaris, ac medicæ artis, tum ſitus locorum, habitus hominum, morum illius regionis, legum, & religionis, conſuetudiniſque, ventorum, & generaliter omnium rerum quandam habeat mediocrem cognitionem. Nam ſi Architecto hæc neceſſaria ſunt, teſte Vitruuio, qui de Solis ædificiis tractat, & quæ tractat ſub ſenſibus habet, quid de Aſtrologo dicendum eſt, cuius contemplatio de omnibus eſt, & abſque ſenſuum auxilio. Itaque quantum & qualiter peccent qui hanc artem tractant, & quam pauci ſunt ad illam idonei manifeſtum eſſe exiſtimo. Atque hæc certè cauſa errandi maior per ſe eſt omnibus aliis, etiam pariter acceptis.

TEXTVS XIV.

Præterea bona pars quæſtus gratia huius ſcientiæ nomen & dignitatem aliis artibus vaticinatricibus prætexere conſueuere, qui cum fidem

fidem apud vulgus inuenerint, illis quidem imponunt, cum videantur prædicere plurima, atque ea quoque quibus prædictis naturalis nulla ratio subsit, verum qui rerum inquisitioni student, ex eo ipso etiam damnant prædictiones naturalibus rationibus munitas. Sed iniuria, nisi & philosophiam è medio tollendam censeamus, ideò quod qui illam professi sint, nonnulli improbi reperiantur.

Similem hunc errorem præcedenti, docet Ptolemæus ex hoc quod vitia Artificum in artem reiici non debent: Verùm dissimilem, quia præcedens error ad negligentiam, aut naturæ defectum pertinet, hic verò ad mores cum lucri causa alias inanes tractando illas Astrologiæ velamine muniunt. Quemadmodum Geomantici qui primam figuram certò signo tribuunt, vt gratia exempli minore fortunæ Taurum, atque inde secundæ Geminos, ac tertiæ Cancrum, & ita vsque ad duodecimam figuram. Similiter & planetas eis adscribunt impudentissimo mendacio. Alij verò quod natus sit in die Martis, vel Mercurij, Luna quinta vel sexta, mense Octobris, gratia exempli, fabulosam texentes historiam de futuris, artem naturalem & egregiam infamem reddunt. Quidam nomen proprium & matris in numeros digerunt, & numeris planetas & signa adscribunt, mendaciis absurdis artem hanc vituperantes. Sunt & qui cum non sint videri volunt lucrique cupiditate artem profitentur, quam vix à limine salutarunt. Velut de illo refert Haly, qui quod vellet egregius Astrologus videri, dixit se mirari quod cum cor Leonis (stella hæc est egregia signiferi) ad quintam decimam partem Leonis peruenerit, quòd mundus non conflagraret. Stultissimam hanc vocem audiens quispiam ab eo quem peritissimum in arte iudicat, præsertim eo tempore quo fortè fortuna maxima sæuit hyems, quis non irrideat meritò artis tam egregia & præclara iudicia? Neque id raro euenit, vt rectè Petrus Aretinus scurra famosissimus, dixerit, Astrologos pulchrè prædixisse diluuium anno 1524. quo mense nullus vnquam serenior extiterit. Neque enim eo anno Februarius pluuias dedit, vel etiam saltem nebulas, cùm soleat reliquis annis pluuiosus mensis esse. Atque id egregium vaticinium è sex errantium syderum concursu (omnibus quippe præter Lunam quod mirum est in piscibus) ortum habuit. Tertium genus est eorum qui quæ præstari non possunt arte, per artem pollicentur. Vnde ridiculi cum euadant ipsi arti infamiam tribuunt. Velut de quodam recitat Haly, qui ex Marte in secundo loco volebat propriarum vestium furtum significari. Cùm neque hoc de furtis propriarum vestium ab Astrologo possit prædici, quippe nimis singulare est. Nec si possit prædici ex tam generali causa prædicere licebit. Igitur hæc supra artem sunt, quæ tamen lucri causa illi præstare pollicentur. Quartum genus est eorum qui ob lucri eiusdem cupiditatem res inanes confixerunt, vt partes & gradus debilitatis & putei, taliáque multa quæ non solum ab Arabibus, verùm & à Guidone Bonato atque conditoribus Ephemeridum descripta sunt. Atque his eisdemque rationibus interrogationes, atque electiones finxerunt, quibus pecunias corraderent. Vnde tecū æstima lector qualem risum mouerint qui venditа electione, infelicissimum illi exitum pepererunt. Cùm multi in eadē causa nullo vtentes Astrologi consilio felicissimè rem peragant. Atque vt ex multis vnum euidentis ac præclari exitus exemplum referam hominis à me cogniti: Fuerat Princeps Mediolanensis prouinciæ Ludouicus Sfortia qui quæstuosum Astrologum, quique nihil minus quàm Astrologiam sciret (erat enim ex his quos Ptolemæus hic meritò sugillat) aleret, eumque ditauerat egregiè centum atque plus magnis aureis talentis. Ab hoc pro tanta mercede tempus vnicuique negotio inchoando præscribebatur, adeò ridiculè vt sapientissimus alioquin princeps cogeretur tempestatibus maximis equos conscendere, totamque auleam cohortem & stipatores per medios imbres per cœnum atque lutum tanquam hostes, vel insecuturus, vel fugiturus deducere. Nescio an Astrologi amentia, an ambitione summa, an potius irrisione: Vt qui Principi ipsi talibus commentis per flagitium illuderet. Atque ei quod nullis aliis prorsus prouinciæ nostræ Principibus contigerit vnquam, euenit, vt Regno ab inimico Rege spoliatus, & captus miserè vitam in carceribus, etiam colapho accepto, & in clatrata ferrea dormiens finierit. Itaque id ad artis vituperationem minimè pertinet. Vnaquæque enim ars quanto nobilior est eò perniciosior, si per sycophantas administretur. Quid enim sanctius religione? quid iniquius perdito sacerdote? Quid melius Iurisprudentia? quid deterius improbo Iurisconsulto? Medicina vtilissima est humano generi, venefici & ipsi titulo sanctissimæ artis, pessima admittunt flagitia. Sextum genus hominum, qui eadem causa peccant eorum est, qui seruientes Principibus aut magnis viris, vt pecuniam extorqueant, leuissima quæque, & quæ nullius propè sunt momenti felicitatis indicia pro maximis ac securissimis dicunt. Quod familiarissimum est Iulio Firmico. Is enim ex minimis causis atque configurationibus, puta accessu Lunæ plenæ luminibus ad Iouem, prouincias, & administrationes, & regna etiam decernit. Nescio an impudentius, an stolidius cum multi talem habentes configurationem vomere terram vertant, aut in parua nauicula operam menstruam aliis collocent; Ptolemæus tamen primi generis tantum meminit tanquam notissimi, & cuius medio cum causa vt dictum est nota fit, atque eadem, scilicet lucrum, alia membra diuisionis nota fiant.

TEXTVS XV.

At est manifestum, multum falli

in

in hac parte etiam diligentissimos & summo studio in Mathematicis versatos. Non fit hoc propter quicquam eorum quæ diximus, sed rei natura, & infirmitate profitentium in tanto onere professionis. Nam præter id quod materiam quomodo se habeat generaliter consideramus, nec certa scietia, sed coniectura, præsertim quæ ex multis diuersísque rebus concreta sit, hoc quoque accidit, vt configurationes quas veteres tradiderunt, & quibus nos iudicia accommodare consueuimus, pronunciantes de iis, quas nunc obseruamus, vt illi olim: eas configurationes ne semel quidem cum nostris similes, & congruentes reperire contigerit. Nam magis quidem, aut minus concordare possunt, atque id quidem immensis temporum ambagibus, prorsus autem conuenire nullo modo, cùm omnium rerum, cœlestium simul ac terrestrium instauratio (nisi cui lubeat inanitate quadam gloriosa ostentare scientiam & perceptionem earum rerum quarum nulla esse potest) aut non sit prorsus expectanda, aut non intra saltem tempus, quod humano intellectu comprehendatur. Si quando igitur in prædicendo erratum fuerit commissum, ex eo vsu venit, quod subiecta exempla dissimilia inter se fuerint. Atque hæc vna est in aëris exploratione difficultas, ad quam nulla accedit causa comperiendorum motuum cœlestium.

Non solum ex errore artificium negligentiáque aut etiam improbitate Astronomica diuinatio perculsa est, adeò vt nostris temporibus in tantum contemptum abierit, vt Astronomum consensus hominum communis, dicere aliud non existimet, quàm fatuum, quàm stultum, quàm insanum, ita perseuerans improbitas artificum artem ipsam perdidit, Neque desperandum ob id gloriam artis redimi posse, neque vitium id artis huius quisquam esse putet, sed temporum conditione ita ferente, cum Galenus testetur suo tempore actum esse de Medicina, nisi quis Deus humani generis misertus auxilietur, & tamen modo nuper reuiuiscit atque floret: Ita haud inconueniens est artem hanc, quæ olim quandoque vt temporibus Gordianorum senioris ac iunioris cæsarum floruit, aliquando etiam pristinæ suæ dignitati restituendam esse: Et certè nostra quantulacúnque sedulitate sola effectum est, vt si ars gloriæ esse non poterit, tam profligatis eius rebus, saltem dedecori non futura sit: Atque pro vna Genitura centum coronatos habuerimus, aliasque reiecerimus non minore honorario remunerandas, & nobis quidem nisi maiora impedimento fuissent negotia magnarum diuitiarum, vel hoc solo nomine accessio in promptu erat. Neque euentus prædictionum minores fuerunt, ab arte à nobis restituta, præmiorum spe, aut principum pollicitationibus: neque si in medicina tot sint artifices nebulones, tam pauci synceri professores, maiorem illa habitura est authoritatem apud homines quàm Astrologia. Sed etiam quippiam proprium est Astronomicæ tractationi, quo necesse est artificem falli. Idque cùm Ptolemæus Philosophus esset, ac verax fateri maluit, quàm dissimulare. Est etiam egregiorum virorum mos errata propria fateri, quoniam præstat se virum probum atque veridicum ostendere, quàm mendaciis, & dissimulatione sapientem. Tanta enim est huius artis præstantia, vt etiam si quandoque contingat, qui etiam in aliis artibus veluti medicina error necessarius, nihilominus, neque ars ipsa, neque artifex vlli alteri cedat. Nam & in septimo Epidemiorum quicumque illius libri author fuit (& certè vir egregius fuit) ingenuè fassus est deceptum se sutura capitis. Et Philosophus testatus est præstantius esse, atque meliùs de rebus maximis, vel minimum scire, quàm de minimis vniuersa. Itaque neque scientia ipsa iudiciorum, nec qui eam profitetur minoris æstimanda erunt, aut existimationem suam minuent, si quandoque (tamen rarò eueniet) error incidat necessarius. Atque hæc præfari necessarium fore duxi, nunc ad textus expositionem deuenio.

Cùm in omni actione naturali duæ causæ sint omnibus quidem manifestæ atque principales, scilicet materia & efficiens, nam finis & forma in faciendo non concurrunt, sed alterum eorum necessarium est, vt fiat, alterum verò vt factum sit, vt actionis quidem sint duæ tantum illæ causæ priores, effectus autem omnes quatuor. In vtraque causa principali Astrologum peccare contingit: in materia quidem quoniam coniectura illam assequimur, præsertim cum ex multis conflata fuerit, velut cum de homine agimus. Atque in hac scientia hæc est longè inferior scientia Fati, vt in libro de Fato scripsimus. Et ob id contingit multa animalia magis præscire futura, & ecstasim patientes & per somnum, & longè magis oracula, itémque sortes quàm Astrologum. Exquisitius enim ista scire possunt, quàm Astrologus, quoniam totius materiæ imaginem habent, quam Astrologus comprehendere aliquando non potest, quamuis sagacissimus & diligentissimus. Sed tamen illorum scientia fortuita est, nec Astrologi scientiæ comparanda, cuius est certa ars atque præcepta. Altera causa est, quoniam configurationem cœlorum nostris temporibus similes non sint, neque esse possunt antiquis, quarum similitudine ars ipsa confecta est. Ars enim omnis à sensu & obseruatione initium ducit, vt etiã Aristoteles docet in Analiticis. Quamobrem cùm Sol semper

calefaciat, & Luna humectet, non tamen neque quantum, neque quam celeriter illud faciant, nisi per obseruationes, constat. Itaque cum propter hoc, tum propter proprias vires de quibus dictum est superius, necessarium est ignoratis obseruationibus Astrologum delinquere. At necessarium est, vt hæ obseruationes aliqua ex parte à prioribus differant, neque enim ad vnguem concursus syderum in æternum in idem redibit, aut saltem in tempore tanto cuius memoria humana, aut libri sint capaces. Alludit autem ad illud Virgilianum:

Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Et opinionem illorum Platonis de Anno Magno qui constabat triginta sex millibus annis Solaribus: in tanto enim tempore octauus orbis, qui stellas omnes quas videmus continet, circumuoluitur. Fuerit igitur gratia exempli, coniunctio aliqua Saturni, atque Iouis in initio Arietis, ante tempus Seruatoris nostri, cum stellis vt tunc erant initij Arietis, redeunte in eũdem locum coniunctione, quæ non nisi post nongentos annos reuerti potest, stellæ illæ iam nouem penè partibus processerunt: aliæ verò ex piscibus ad eum locum accesserunt, quo fit vt duplex discrimen sit præcedentis coniunctionis à posteriore, vt ex priore quid posterior decernat ad vnguem statuere non possimus. Similiter & in coniunctionibus ipsis solum Planetarum discrimen est, vt quamuis ad eandem partem redeant, neque id tamen nisi post multos ac multos annos, imò post multa secula, non tamen in eodem minuto partis reditus fiet. Et quanquam etiam ad idem minutum rediret, non tamen in ea parte Epicyclus, aut eccentricus absidem habebit in qua prius, quo fit, vt Planeta ipse altior sit, vel humilior quàm in priore coniunctione. Erit etiam Planeta aliam habens latitudinem, aut in alia cœli parte collocatus, vtpote in priore in nono loco, in posteriore in duodecimo, vt quæ in Gallia circa religionem significabuntur in priore congressu, significentur supra discordias in posteriore. Et quæ eadem sunt obiecto, vtpote circa religionem in Palæstina per primam coniunctionem, in Gallia per secundam expectare oportet. Illud præterea contingit, cuius exemplum præstitisse referunt Publicum Nigidium Figulum: Is enim accepta rota duabúsque simul effusis guttis, dum celerrimè illam versaret ac toto impetu, vbi rota moueri destitit, guttæ quæ simul ceciderant, procul altera ab altera inuentæ sunt, quòd ex astris nihil eodem modo atque cœlo, horum inferiorum comparatione, procedit. Vnde Albubater in libro de Natiuitatibus refert, singulo horæ momento ascendere viginti quatuor millia Roboat cœli, quorum singulum diuersam habeat naturam atque colorem. Istud verò quanam ratione dicere potuerit incertum est, sed tamen hac ratione dictum existimo, quod cum cœli octaui magnitudo tanta sit, vt si etiam in mille quadringentas quadraginta partes diuidatur, totidem enim momenta horæ in vno die naturali contineri certum est, vnaquæque pars plusquam ducenta millia Italicorum milliariorum continebit. Atque hæc vna est difficultas cognoscendi aëris qualitates, scilicet non reuerti congressus aut configurationes, ad quam dissoluendam nulla cognoscendorum motuum cœlestium diligentia accedere potest.

Huc vsque duas causas explicauimus propter quas in diiudicandis aëris qualitatibus Astrologi falluntur, atque vtinam hæc tantum esset causa, seu causæ in permutandis aëris qualitatibus, nempe venti afferunt & referunt nubes, vt necesse sit etiam illorum originem nosse: Sed Ptolemæus vult, à ventis initium prædicendi sumamus. Porrò qualitates quæ in ambientem aërem referuntur, si non sint qualis lux (atque id rationi consentaneum est fieri) necesse est, vt flante vento syderum constitutiones & promissa ex vno in alium hominem, & ex vna in aliam regionem transferantur, alterque pro altero occidetur, aut infirmabitur, aut dubitabitur: quæ omnia cum absurda sint, dicendum est ea, quæ in continent ab astris recipiuntur, quædam quidem vt qualitates, quædam vt sonos, quædam verò vt lucem recipi. Qualitates quidem plenè transmutantur ex loco in locum lux nequaquam, sonus verò medio modo. Impressiones quoque quæ à cœlo fiunt per consensum recipiuntur in subiectis non secus ac Herculeus lapis vires a certa cœli parte obtinet. Atque hæc sola ratio est, qua & Ptolemæi opinionem & scientiæ iudiciorum authoritatem, & veritatem, & ipsam aduersus nimis callidas contradicentium disputationes tueri possumus. Iam uerò vbi diligenter vtrasque has difficultates quas Ptolemæus proponit euaserimus, via nobis latissima aperta est. Maior etenim vis astrorum est, quàm vt quisque eam existimare possit. Namque & Legum mutationes, & Imperia, & miracula naturæ quæ varij in varia referunt ab his prodeunr. Naturæ miracula dixi, non quæ diuina fiunt præuidentia, vt mortuotum resurrectio. Itaque Ptolemæi via, velut & Aristotelis in Philosophia, sic ab errore remotio est in tradendis regulis eorum quæ futura sunt, vt illustres prædictiones atque admirabiles pariat.

TEXTVS XVI.

Quod autem ad Genethliologica & alia singulatim, & peculiariter compositarum rerum iudicia attinet, permulta cernere est, quæ singulares constitutiones illarum adiuuent, & conficiant. Quis enim nescit quantum seminum diuersitas ad proprietatem generis vniuscuiusque momẽti habeat, cùm & hoc ipsius cœli circumfusi & definiti omnibus terris hemisphærij ambitus opus sit, vt vires omnibus seminibus instruantur, quibus vnumquodque in sui generis effectione

fectione, & informatione excellat, vt hominis, æqui, & cæterorum.

Iam declarauit difficultates quæ in qualitatibus aëris cognoscendis contingunt, atque ex his duo nos Ptolemæus docet, vnum quòd quæ frequentiùs reuertuntur exquisitiùs etiam cognosci possunt, quia sæpius reuertendo proximiùs etiam ad loca præcedentium congressuum accedunt: Atque ex his per successum prioris experientiam confirmare licet, vt ex multis experientiis ars confletur iuxta præcepta Aristotelis. Notissimi igitur primo sunt congressus Lunæ cum fixis stellis inde cum Sole, post cum Saturno, atque aliis Planetis. Quarto loco congressus sunt Solis cum fixis stellis, inde cum Saturno, post cum aliis Planetis. Septimo loco congressus sunt Mercurij cum Sole, & cum fixis stellis, & cum Saturno. Decimo & vndecimo, & duodecimo sunt congressus Veneris cum iisdem Mercurij verò & Veneris congressus tertium decimum locum obtinent. Reliqui vix noti sunt. Saturni quidem & Iouis propter tarditatem motus. Martis autem propter parui orbis in quo defertur magnitudinem. Reliquum est, quod Ptolemæus cùm causas illas proprias esse consuerit qualitatum aëris, docuit nos non ex ambientis mutatione, vel sola, vel maximè immutari corpora nostra, sed per impressionem factam quidem medio ambientis. Sed vt dictum est lucis causæ per lumen. Hic igitur declarat tres causas principales. Nam plures longè sunt quibus promissa astrorum minuuntur, aut augentur, aut peruertuntur, quarum prima est natura seminis, & eius augmentum est à notissimis, si lactuca & quercus & ouis eodem momento generentur, & eodem loco ex eadem constitutione astrorum oriuntur, & tamen omnino diuersa sunt: Igitur si ex diuersis hominibus filij nascantur quamuis eodem tempore & loco, tamen pro natura parentum erunt diuersæ naturæ, formæ, & ingenij, & fortunæ. Recitat Aristoteles, quod si canis ex cane non venatico oriatur vix in sex mensibus instruitur (venat cum dico ex eorum genere qui retiarij appellantur) si ex venatico in quindecim diebus eruditur. Illud Horatianum in mentem mihi venit:

Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

TEXTVS XVII.

Loci etiam in quibus gignimur, ne ipsi quidem mediocres mutationes afferunt constitutionibus. Nam & singulorum generum seminibus propositis, vt exempli gratia, humanis, & eodem in statu aëris, tamen multum diuersis in locis geniti, & corporibus & animi inter se differre comperimus.

Quis dubitare potest mores Gallorum, & Italorum, & Anglorum, & Æthiopum, & Indorum, & temperaturas & vitam non differre multum inuicem? Atque hic narrauit duo principia, quæ sunt intima & causæ per senatorum, patria quidem generale, parentes autem proprium, plus autem potest proprium principium quàm generale: Vnde filius robusti Æthiopis validior erit filio debilis Germani. Cùm igitur tractasset de principiis propriis & generalibus per essentiam, transit ad principia exteriora. Manifestum est igitur quod genere plura esse non potuerunt. Principium autem proprium in duo diuiditur, patrem & matrem. Principium autem generale vnum est, scilicet patria. Verùm & in patria discrimen est montium & vallis, loci aridi & aquosi. Quemadmodum in commentariis super Hippocratem de Aëre, Aquis & locis diximus. Sed si pro patria locum, Ptolemæum sequentes, dixerimus, omnes differentias amplectemur. Itaque si nascatur puer ex parentibus candidissimis prædominante corpori Venere in regione Æthiopum, nascetur quidem candidus, sed non candidissimus: Successu tamen temporis fiet niger, quia nigredo est opus Solis, & Sol est potentior omnibus Planetis. Sed principia exteriora cum sint varia & diuersa, ideo aliqua vincunt principia, quæ sunt per se, & aliqua vincuntur ab eisdem.

TEXTVS XVIII.

Et vt hæc omnia paria faciamus ipsam tamen educationem, & consuetudines nonnihil ad vitam degendam singulatim conferre constat. Quocirca, & si vix maxima est circumfusi cœli, quod hæc omnia quæ diximus, & ipsum in talem modum adornarit, cum illa contra in hoc nihil contulerint, tamen nisi quis & ipsa coniunxerit cum aëris causis multum turbabuntur, qui omnia arbitrati fuerint sese collecturos ex solo supernorum motu, etiam quæ ab illis absolutè non dependeant.

Ostendit duo membra similiter causarum fortuitarum generale, scilicet consuetudinem, & proprium, & est educatio. Consuetudo quidem constat ex pluribus, religione primum, legibus secundum, moribus tertium, & naturæ principiis, quæ pro lege habetur. Educatio & ipsa plurima habet capita, nam & parentum mores, & cibi, & conditio fortunæ, & affines, & amici parentum, & ars, & studia, omnia quidem ad educationem pertinent. Hæc igitur augere & minuere, & mutare decreta syderum possunt. Quamobrem dicit Ptolemæus, si quis hæc omnia prætermittere voluerit & Soli syderum constitutioni inhærere, vel etiam aliqua solum ex his præterire in ma-

gnos incidet errores, decipietúrque in prædicendo. Et quoniam hæc à cœlo non pendent, id est, à constitutione nati illius, non à cœlo simpliciter, quoniam omnia quæ sunt in vniuerso mundo à cœlo dependent, sicut in libro de Fato demonstratum est. Et velut omnium corporum vmbræ sunt, & totidem quod corpora cuiusque luminis ratione, ita omnia, quæ hic fiunt in cœlo principium habent, velut vmbræ corpora. Sed talis consideratio ad librum de Fato pertinet, non ad Astrologum, vt aliàs dictum est.

TEXTVS XIX.

Ex his igitur facilè poterit intelligi, quàm peruersè facturi simus, si propter quædam errata iudiciorum, ipsam totam rationem euertere velimus. Neque enim gubernandi artem ideo respuimus, quod gubernatores sæpe offendant. Ac si non potiús vt in tanta & tam diuina professione grato quidem animo contenti fuerimus, eo ipso quod supra vires nostras non sit, siue tanquam humano quodam more certa omnia ab ipsa postulauerimus, cùm magis debeamus nostrum studium ad illam conferre, & bonitate quadam animi attribuere etiam aliena.

In prima parte huius vltimi ac principalis membri, docet Ptolemæus non esse relinquendam artem tam celebrem, propter errores paucos qui in ea contingunt, neque propter id quod totam artem assequi non possimus. Nam humani ingenij, inquit, est plura semper velle, quàm præstari possit ab arte. Et reliquam partem exemplo comprobat, quoniam gubernatores nauium non propter id artem relinquunt, neque homines artem illorum respuunt, quod sæpius ipsi artifices decipiantur. Itaque operam bono animo illis dandam consulit, & vt aliena tribuendo etiam illam aliis auxiliis adiuuare. Et quæ nam sint, statim declarat.

TEXTVS XX.

Vtque non vertimus medicis vitio cum & de morbo, & de ægrotantis natura sæpe percontantur: ita etiam hac in professione ne pigeat assumere, & genus, & regionem, & alimoniam, atque adeò nonnihil etiam eorum quæ iam acciderunt.

Ea quæ sunt aliena, & quæ assumere oportet Astrologum, eadem sunt ad vnguem quæ de relinquendo peccare nos docuit, ea autem sunt vt dictum est, quatuor, patria, parentes, consuedudo & educatio: Addit præterea quintum, scilicet non nihil eorum quæ illi contigerunt, duabus quidem causis: altera, vt per directiones exquisitam geniturae constitutionem colligat: reliqua, vt per ipsam doceamur quantum ex occulta quadam vi syderum influxus augeantur minuanturúe. Vidimus enim quosdam quibus plus satis infelicitatis atque frequentius contingebat quàm astra polliceri viderentur: Vt contrà aliis. Nam & filiæ nostræ, & minori filio plura longè videbantur imminere pericula, quam euentus præstiterit. Et filia cum satis imbecillis videretur futura, vix tamen vnquam graui aliquo morbo correpta est. Et nobis longè maiora successerunt, circa honores, & actiones, & vitam, quàm sydera polliceri viderentur. Adeò, vt Hieronymus Cutica sacerdos conciuis, & amicus noster auderet dicere; cùm peritus esset Matheseos hanc genituram, quæ præfertur à nobis non esse nostram, cùm tamen nulla sit certior. Sed tamen horum omnium manifestissimæ sunt causæ. Quemadmodum & quod non consulto cœlo 23. die Februarij 1552. quo tempore hæc scribimus è patria discesserimus, quo tempore Luna iuncta Saturno, & Marti coniunctis in initio Piscium, Solis radios ingrediebatur: Nam Sol ipse iuxta locum Lunæ in genitura positus erat: Sed hæc non vidimus, quamuis videre facilè potuerimus. Illud verò & vidimus & non vitauimus, quod cùm essemus Lugduni, secunda die Maij discessimus, ituri in Scotiam hora fermè quarta post meridiem, quo tempore Luna Saturni opposito applicabat, parum plus parte vna ab eo distans. Erat autem Luna in genitura nostra radiis Saturni infœlix, & ipse Saturnus in Piscibus quod submersionis periculum denuntiat, quòd quàm malè conueniat ituro per mare, quicumque vel principia artis ipsius degustarit promptè intelligit. Et nunc vsque nihil hæc scribentes passi sumus incommodi, nisi multitudinem pluuiarum. Verùm de omnibus his quod conspicuum sit exemplum, suo loco dante dicemus: Additis etiam genituræ & reuolutionis, & principiorum itineris figuris. Nam iter hoc duo habuit necessaria principia, vt inferius historiam enarrando declarabimus. Sed & schemata consensus adiiciemus figurásque illorum. Consensus enim primus die 12. Februarij fuit, alter die 18. Aprilis. Horum meminisse volui, vt quisque intelligeret cur eam particulam adiicerent Ptolemæus (atque adeò nō nihil etiam eorum quæ iam acciderunt.) Nunc verò ad explicationem verborum Ptolemæi reuertor. Is comprobat dicta & præcepta quæ nunc dederat Medicorum exēplo. Nam & ipsi interrogare solent si ægrū non nouerunt, cuius sit, & num morbus ille sit hæreditarius, de consuetudine etiam atque educatione cuncta diligenter perquirunt, atque sciscitantur. Trium igitur impedimentorum, quæ in tertia parte huius capitis proposuit. Primum quidem quod ad vitia pertinent, aut negligentiæ, aut auaritiæ, vel ambitionis ex toto tolli potest. Secundùm verò, quod ex materiæ mobilitate mixtionéque

mixtionéque ac propria dispositione, tum astrorum non exquisita cum præcedentibus configurationibus similitudine nulla ex parte tolli potest, sed manet. Vltimum verò, quod ex adiacentibus prouenit, hisque quæ nequaquam ex arte sunt, minui potest diligentia atque solertia, non autem tolli.

CAPVT III.

TEXTVS XXI.

QVo igitur modo fieri possit, vt de Astronomia aliquid prænoscamus, & vlterius non tendat hæc scientia quam ad aëris accidentia, & quibus ex ea causa homines afficiantur, quæ sunt, vt opinor, prima compositio virium & actionum corporis animique: itémque certæ affectiones longæuitas, & breuitas vitæ, prætérque etiam illa, si qua sunt cum his principiis propriè & naturaliter copulata, vt cum corpore res familiaris & conuictus, animo existimatio, & dignitas quo etiam certi casus referendi erunt. Hæc igitur confido in superioribus esse explanata.

Diuiditur hoc capitulum in octo partes primas, ab initio verò colliguntur quæ prius dixerit, ea autem erant tria principaliter: Primùm, quod aliquid per Astrologiam præcognosci potest. Secundùm, quod talis immutatio non fit, nisi per aëris transmutationem. Tertium, quod in mutato aëre ambiente simul, primo corpora nostra primis qualitatibus immutantur, inde corpus, atque animus vnde temperaturæ, sanitas & morbi, breuitas vitæ longitudóque, & quæ vnicuique horum coniuncta sunt, vt corpori res familiaris & conuictus animo existimatio & dignitas. Ad quæ, scilicet animi commoda incommodáve casus sequuntur. Veluti quoniam magni viri capite truncantur, si quid deliquerint, pauperes eisdem flagitiis suspenduntur atque minoribus etiam: pauperes corpore pœnas dant, præciduntur membra, triremibus mancipantur, diuitibus & potentibus exilium pro pœna est, vel etiam mulcta pecuniaria. Ita nunquam vidi diuites pro priuato, scilicet pœnas corpore luisse, quanquam multi sint flagitiosissimi, milites quandoque vel vno pullo subfurato suspenduntur. Sed & in itineribus multi ob societatem non solùm à latronibus, sed etiam in maris tempestatibus seruati sunt, qui vel soli, vel vno comite periissent. Ergo primum hoc ad existimationem referri debet, deinde quoniam à multis auxilium habet, qui multis potest imperare. Accedit quod maximum est, quod genituræ plurimæ in calamitatibus rarius possunt consentire quàm paucæ, itaque fit vt si in naui vnus sit qui submergi debeat, plures autem alio mortis genere perire & serius, num par est nauim propter illum vnum periclitari, quin potius seruabitur propter multos. At dices & naues quidem cum plurimis pereunt, & plerumque aliæ cum paucissimis, quia leuiores seruantur. Hoc verò in secundo libro declarabitur. Nunc satis est edocuisse ea, quæ ad intellectnm verborum Ptolemæi pertinent de existimatione, adeò vt nunquam legisse me meminerim principem aliquem insignem, imò ne Philosophum quidem præter Architam naufragio periisse, cum tamen multi à sæuissimis tempestatibus vexati sint. Iuuat igitur in itineribus, & in negotiis multos secum ducere. Et præsertim rei peragendæ vel itineris gnaros & fidos, & fortes: His etenim iuuantur manifestissimis naturæ causis & euidentibus, tum etiam quia talibus plerumque felicia sydera fauent, infelicia non obsunt. Atque hæc dixisse volui quæ ad præsens caput attinent, quoniam tractatio est scientiam Astrologiæ vtilem esse. Cæterum conuictus nomine iuxta Haly sententiam intelligimus Vxorem, Filios, & Familiam. Hæc enim cum corpore iuncta sunt.

TEXTVS XXII.

Sequitur vtilitatis consideratio, quam & ipsam paucis absoluemus. Sed prius constituendum videtur, quid vtile hac in parte intelligi, & ad quem finem referri velimus. Nam si animi bona spectabimus, quid poterit esse optabilins ad tranquillitatem, gaudium, felicitatem, quàm hæc de qua loquimur futurorum cognitio, quia & humanorum & diuinorum contemplatores efficimur. Siue corporis magis à nobis respectus habetur, nulla est scientia qua intelligi melius possit, quid vniuscuiusque constitutioni aptius conducibiliúsque sit. Quod si fortè non est largitrix opum & gloriæ, & aliorum huius generis, non feramus molestè, cum idem crimen totius Philosophiæ inueniatur. Nihil enim horum ipsa quidem docet acquiri. Sed vt neque hanc ideo damnamus, ita etiam nostram scientiam conseruabimus, maiores & potiores vtilitates persequentes. Omnino si quis exquirat reperiet à nulla planè re quæ alicuius momenti sit, huius scientiæ reprehensionem duci.

Quod inutilis esset hæc scientia obiicere illos iam te audiuisse satis existimo, nunc verò argumento pulcherrimo hanc obiectionem diluit ipse Ptolemæus atque coarguit, argumentúmque demonstrat profectò, éstque sententia hæc præstantior, quàm hucúsq; tradide

tradiderit, est autem talis: Omnis scientia per se vtilis est, etiamsi nullum alium habeat finem, sed etiam vos fatemini iudiciorum Astrorum aliquam esse scientiam, igitur iudiciorum Astrorum tractatio vtilis est. Maiorem propositionem assumptam declarat, quia cum triplica sint bona, vt Aristoteles in Ethicis docet, animi, corporis, atque fortunæ. Animi quidem bona sunt, virtutes atque eruditio. Nam vt primo primæ Philosophiæ habetur, omnes homines natura scire desiderant, nihil autem est optabilius, neque felicius quàm naturale explere desiderium. Id verò tanto maius est, quantò ea quæ cognoscuntur nobiliora sunt, rariora, & magis optata, at nihil magis optatum, quàm futura scire, nihil verò nobilius quàm cognitio cœlestium rerum. Estque ac si quis in concilium superum aduocetur. Raro verò hæc scientia atque paucis omnino concessa, propria verò ipsis intelligentiis. Esse verò aliquam felicitatem in contemplatione, atque eam egregiam & singularem docuit Aristoteles duodecimo primæ philosophiæ dicens: Vita quidem in nobis paruo tempore qualis sempiterna diis dum contemplamur. Itaque constat maximam faustitatem & huius scientiæ solùm studio atque cognitione accedere. Sed neque si ad corpus respicias, inquit Ptolemæus, nulla scientia hac vtilior esse poterit. Atque istud inferius demonstrabit. Quod si neque opes, neque gloriam, nec talia largitur æquo animo ferendum suadet duabus rationibus, tum quod cum sint tria, vt dixi bonorum genera, nobilissimum animi atque vtilissimum, ignobilissimum & minus vtile ipsius fortunæ, mediocre ipsius corporis, Astrologia in maximo & mediocri egregiam præstet vtilitatem: Altera quod & Philosophia, quam omnes tamen colunt ac venerantur nihil tale præstat, scilicet neque gloriam, neque opes. Cùm ergo philosophiam ob id non deseramus, quod talia nobis præstare nequeat, cur Astrologiam ea sola ratione negligere debemus? Animaduertendum, quod quamuis Ptolomæus negat Astrologiam gloriam & opes parare, similiter & Philosophiam, quæ tamen domina est omnium, vt commentator docet, scilicet disciplinarum, & etiam nobilissima omnium quæ homo possidere possit, nihilominus videmus multos philosophos nostræ ætate prædiuites, & opulentos multique alij fuerunt, nec solum opulenti & diuites, sed vel hoc solo nomine gloriosi, quorum nomen etiam nunc celebratur: Velut Plato, Aristippus, & Aristoteles. Nec nostro tempore defuerunt etiam cum mendace illa Astrologia qui sibi rem pinguem familiarem parauerunt. Quid si veram artem calluissent? Nónne Thrasybulum ditauit Tiberius Cæsar, cuius etiam arbitrio atque consiliis orbis imperium agebatur. Ergo Ptolemæus hoc docere nos voluit, artem non per se esse lucrosam, vt medicina & mercatura, neque ad humanam gloriam natam, quemadmodum militia & iurisprudentia, sed ipsa quidem dum præscire docet, nihil vetat quin vtilius sint ad omnia bonorum genera comparanda, scilicet diuitias, honores, amicos, & reliqua. Hæc verò cum notissima esset Ptolemæus prætermisit. Nam quemadmodum Galenus de Hippocrate inquit, in libros quos de difficultate spirandi conscripserat, ita nos de Ptolemæo existimare oportet: nihil, scilicet, illum scripsisse commune, aut vulgare, sed omnia singularia atque recondita. Itaque subiicit, nullius rei quæ alicuius sit momenti hæc disciplina, vel accusat, vel accusari potest. Quod verò ita sit, & quale sit id in quo accusatur, iis planè verbis edocet.

TEXTVS XXIII.

Hoc enim tantum dici audimus, superuacaneam esse cognitionem earum rerum futurarum, quæ ineuitabili modo futuræ sint, & dici ne hoc quidem disertè. Neque enim etiam in iis rebus quæ necessario accidunt, ignoramus subitis & inopinis aduersitatibus animos magnopere perecelli, & successibus extolli. Sed præuisio futurorum animum componit & moderatur meditatione absentium tanquam præsentium, & præparat ad excipienda ventura cum tranquillitate & constantia.

Cùm res futuræ necessariò sint venturæ superflua est præcognitio illarum ex argumento Phauorini, quod sæpius declaratum est. Respondet igitur Ptolemæus, hoc neque disertè dici, sic interpretatur Ioachimus Camerarius, qui primos hos duos Ptolemæi libros in Latinam vertit linguam, postremos autem duos qui difficillimi sunt Antonius Gogaua Grauiensis, qui & priori subscribit duorum primorum librorum conuersioni. At nobis certè iter agentibus codex Græcus non adest, curabitur tamen tametsi diligentissimè translatus sit ab his Germanis, vt antequam edatur Græcæ orationi conferatur, præsertim in his locis vbi varietas dictionum sensum peruertere possit. Cum enim nunc iam Lutetiæ proximi simus facilè erit codicem recuperare. Itaque pro disertè, efficaciter aut benè, imò verè interpretabimur. Nam, inquit, inopinata mala magis affligunt, præuisa minus: Vnde etiam carmen illud vulgatum est.

Et præuisa minus tela nocere solent.

Quantum verò ad felicitatem pertinet, quod Phauorinus in malum vertebat, bonum egregium Ptolemæus esse contendit, scilicet successibus non extolli. Sed moderatè vtramque fortunam ferre. Et assignat rationem, quia cum futura certò expectantur, iam sunt tanquam præsentia, cumque aduenerint, quasi iam præterita sint, animum diuturna cogitatione fatigatum, non secus, ac præterito, quorum iam memoria delituerit diuturnitate temporis, parum aut nihil mouent, aut mutant. Itaque fit vt ventura

tura mala constanter, & bona tranquillè ac moderatè suscipiat. Neque enim Solis malis repentinis animus humanus perturbatur & deiicitur ac consternatur, verum etiam bonis. Adeò vt Galenus recitet historicique alij plures quosdam repentina lætitia subitò periisse, omitto quod futuræ felicitatis certa expectatio deliniat animum, & in aduersis præsentibus multum afferant medelæ: Cùm etiam sola spes quæ sine certa expectatione est non parum iuuet miseriis afflictos. Accedit quod præuisa bona fortuna hominem non reddit aliis intolerabilem. Repentino enim aduentu faustitatis animus elatus amicis & affinibus grauis redditur. Et hæc est causa cur, qui ex humili loco ad magnam fortunam ascenderunt, ambitiosiores & difficiliores illis sint, qui è magna nobilitate eò potentiæ peruenerunt. Excipiuntur etiam occasiones illæ paratis magis rebus vt duplo iucundiorem ornatiorem, splendidúmque atque accommodatum vsum felicitatis præbeant. Tot igitur tantisque modis præuisa bona, non præuisis præstant, etiamsi auerti, neque hæc, neque mala possent. Verum vtrumque posse nunc demonstrabitur.

TEXTVS XXIV.

Non autem existimandum est omnia à supernis causis in res rectà humanas deriuari, tanquam inuiolabili, & diuino quodam edicto proposito singulatim, vt nulla alias vis obsistere, quin ita illa grassentur valeat. Nam ipse quidem cœlestium corporum motus sempiternus est, & procedit diuino & inuariabili ordine & lege. Inferiora autem mutationibus subiiciuntur de superioribus quidem & primis causis, sed accidit hoc illis per consequentiam legis, & ordinis naturalis, & variabilis.

Motus quidem cœlestium corporum, & influxus eorum in hæc inferiora sempiternus est, & ordine procedit ac lege diuina, necessariusque est. Verùm non ita vt à superioribus procedunt, sic ab inferioribus recipiuntur, sed vt fortuita & mutabilia, & quæ euitari, peruerti, augeri, ac minui possint, non quidem superiorum corporum causa, nam ipsa vt dixi sunt immutabilia & necessariam habent actionem in hæc inferiora, sed meritò inferiorum ipsorum quæ inconstanti materia ac semper fluente composita sunt. Non igitur quæ ab astris decernuntur sunt necessaria, sed neque æqualiter fortuita: quædam enim sunt necessitati proximiora magis, quædam minus. Quod etiam in rebus ipsis quotidie spectare licet, vt de morbis, contentionibus, negotiorumque difficultatibus. Atque hæc in sequentibus proximè declarat.

TEXTVS XXV.

Præterea sunt quæ hominibus accidunt circumstantia aliqua generali, non autem ex vniuscuiusque naturali & propria constitutione, vt si qua ingenti & valida aëris conuersione, totæ gentes intereant, sicut fit in ardoribus, pestilentia, diluuionibus, cum semper minor causa maiori succumbat. Alia autem eueniunt singulorum peculiari & naturali constitutione, per exiguas & faciles aëris contrarias affectiones. Quibus hoc modo disertè cognitis, perspicuum fit, quod quæcumque à prima causa vel in vniuersum, vel singulatim moueātur, hæc inuariabili modo procedere, cum illa insuperabilis sit & omni contranitente vi præstantior. Quæ autem aliter se habeant, eorum quibus contrariæ affectiones contigerint, facilem esse conuersionem, quibus verò defuerint illa primas causas sequi. Hoc verò fit in scientia hominum, non illarum necessitate & potentia. Quod ipsum animaduertere est similiter geri in omnibus, quibus naturalia sunt principia. Nam & saxa, & gemina, & animantes, atque insuper etiam vulnera, & morbi, & ægritudines, partim necessarias affectiones, partim ex eo quod contrariam habet effectionem, dependent. Atque ita existimari par est, naturæ studiosos prædicere hac scientia euēturas res hominibus non inanitatem quandam opinionum ingredientes. Quæ enim habent multas & ingentes effectionum vires, euitari non possunt, cum alia quibus illud non accidit facilè conuersiones admittant. Hoc modo & medici, si qui in notandis morbis exercitati sunt, planè præuident qui læthales sint, quíve curabiles. De his igitur quæ mutationibus obnoxia sunt, ita audiemus differentem Genethliacum: vt si verbi causa, talem orientem habeat. Quoniam talis est de qua loquor constitutio, fiet, si proprietates aëris tali modo conuertantur, magis quidem aut minus ad subiectas congruentias, vt illinc talis quispiam morbus existat. Eodem modo & medici prædicunt de vlceribus, quæ vel vt serpant, vel vt putrescant, futurum pronuntiant. Similiter & de metallis exemplum dari possit, vt si quis doceat

ceat lapidem Magnetem, id est, Herculanum, ferrum ad se trahere. Nam quemadmodum horum vtrumque per se tendit rectam viam, in quam à primæ illius naturæ vi rapitur, si relictum sibi sit, ignoratione contrariæ effectionis, sed si medicinam contrariam vlceri opposuerimus, neque illud iam serpet, neque putrescet, neque lapis Herculanus illito alij succo iam ferrum attrahet. Sicut igitur hæc obsistunt, & contrarias effectiones inducunt naturaliter & fatali lege: ita in his quoque rebus fit, de quibus loquimur. Ignorata enim aut præuisa quidem, sed neglecta tamen ea quæ hominibus euenire debeant, haud dubiè seriem primæ illius naturæ sequuntur, præuisa autem & sortita curam, naturaliter & fatali etiam lege aut auertuntur penitus, aut læuiora efficiuntur.

Haly rectè inquam mihi dicere visus est, Ptolemæum per hæc verba ostendisse maximam in rebus diuinis atque humanis sapientiam. Namque profectò maximarum rerum & quæ pluribus etiam sapientissimis viris difficultatem pepererunt notitiam tradidit, humanas leges atque diuinas cum naturalibus rationibus euentibusque ipsis, tùm astronomicis iudiciis concordans. Itaque inquit, quædam sunt influxus generales qui toti vni genti pertinent, velut pestis, inundatio, annonæ penuria, æstus ingens, atque hæc cum à vehementissimis & primis causis fiant euadere non licet. Sunt enim à potestate & vi quæ comparem non habet in his inferioribus resistentiam. Vnde manifestum est, quare in sacra scriptura scriptum sit, cor Regis in manu Dei est, quocumque voluerit vertet illud. Sit enim gratia exempli, vt Deus velit affligere bello aliquo ingeti & clade Germanos, cor Cæsaris & Regis Gallorum cœli medio & magnarum coniunctionum ac generalium congressuum seu constellationum. (Ita enim clarius hoc nomine res ipsa explicatur (disponet vt pacem nolint inter se. Atque ita Regum corda cum ad eorum voluntatem pertineat regiones bene vel malè tractare, regionum autem accidentia generalibus subiiciantur congressibus syderum, necesse est vt etiam corda Principum à generalibus cœli constellationibus gubernentur. At cor humanum tantæ violentiæ resistere non potest. Patet igitur cur corda Principum & mentes magis necessitati syderum & diuinæ voluntati subiacent, priuatorum autem sint magis libera Hæc autem necessitas cordis Principis quæ annexa est diuinæ voluntati, est necessitas effectus & non peccati. Quamobrem non tollitur libertas arbitrij. Et ob id nihil absurdum contingit etiam apud illos, qui omnino liberam voluntatem nostram esse affirmant. Ex hoc quoque clarum est cur in superioribus verbis Ptolemæus dixerit hanc scientiam diuina docere cognoscere, hoc enim diuinum est prorsus, quod nuper diximus, scilicet quod quædam eueniunt fatali necessitate, quædam vero ita vt declinari possint, veluti si quis sit in mari cum tempestate, quamuis periculum præuideat non tamen euadere poterit: at verò in flumine natandi peritus, aut periculi gnarus seruabitur, alius verò minimè. Similiter & illud diuinum est, quod omnino est necessarium, quodque euitari non potest à diuina mente profectum. Est etiam aliud argumentum generalium horum decretorum præter id quod sumitur à pestilentiis & inundationibus, & bellis, & sterilitate, & terræ motibus, quæ quidem nisi in hos generales influxus referri possunt, & hoc quidem Velleius Paterculus egregius rerum Romanarum scriptor in primo volumine historiæ Romanæ descripsit his verbis: Quis enim abundè mirari potest, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia, in eandem formam, & in idem arctati temporis congruens spatium, & quemadmodum clausa capsa alioque septo diuersi generis animalia, nihilominus separata ab alienis in vnum quoque corpus congregantur, ita cuiusque clari operis capacia ingenia, in similitudinem & temporum & profectuum semetipsa ab aliis separauerunt. Vna neque multorum annorum spatio diuisa ætas, per diuini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, illustrauit Tragœdias: Vna priscam illam & veterem, sub Cratino, Aristophane & Eupolide, Comœdiam, ac nouam comicam Menandrus, æqualesque eius ætatis magis, quàm operis Philemon ac Diphilus, & inuenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia, omnium quos paulò antè enumerauimus, quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem? quid post eius auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit. Adeò quidem arctatum angustiis temporum, vt nemo memoria dignus alter ab altero videri quiuerit. Neque hoc in Græcis, quàm in Romanis euenit magis. Nam nisi aspera ac rudia repetas, & inuenti laudanda nomine, in Accio circaque eum Romana Tragœdia est. Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiúmque & Afranium sub pari ætate nituerunt. Historicos, vt & Liuium quoque priorum ætati astruas, præter Catonem & quosdam veteres & obscuros, minus 80. annis circundatum æuum tulit: vt nec poëtarum in antiquis citeriúsve processit vbertas. At oratio ac vis forensis, perfectúmque prosæ eloquentiæ decus, vt idem separetur, Cato pace, P. Crassi, Scipionisque & Lælij, & Gracchorum, & Fannij, & Serui Galbæ dixerim, ita vniuersa sub principe operis sui erumpit Tullio, vt delectari ante eum paucissimis, mirari verò neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem euenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribúsque, vt quisque temporum instituerit

notis,

notis, reperiet eminentiam cuiuſque operis arctiſſimis temporum clauſtris circundatam. Huius ergo præcedentiſque ſæculi ingeniorum ſimilitudines congregantis, & in ſtudium par, & in emolumentum, cauſas cum ſemper requiro nunquam reperio, quas eſſe veras confidam, ſed fortaſſe veriſimiles, inter quas hæ maximè. Alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit, naturaque quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum, difficiliſque in perfecto mora eſt: naturalitérque quod procedere non poteſt, recedit, & vt primo ad conſequendos quos priores ducimus, accendimur, ita vbi aut præteriri, aut æquari eos poſſe deſperauimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod adſequi non poteſt, ſequi deſinit, & velut occupatam relinquens materiam, quærit nouam, præteritóque eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus, ſequitúrque vt frequens ac mobilis tranſitus maximum perfecti operis impedimentum ſit. Tranſit admiratio ad conditionem temporum, & ad vrbium. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quàm vniuerſa Græcia, operibus floruit, adeò vt corpora gentis illius ſeparata ſint in alias ciuitates, ingenia verò Solis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. Neque ego hoc magis miratus ſim, quàm neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmonium, Oratorem, aut dum vixit authoritate, aut poſt mortem memoria dignum exiſtimatum, quæ vrbes & multæ aliæ talium ſtudiorum fuêre ſteriles, niſi Thebas vnum os Pindari inluminaret. Nam Alcmana Lacones falsò ſibi vindicant. Rectè quidem me hercle feciſſet Paterculus ſi tam pulchrè difficultatem diſſoluiſſet quàm dubitauit, nam neque id facere poterat citra huius artis præcepta, cùm non ob id ſolum deſinant ſimul ac ſimul floreant, quod ad apicem artes producantur, & ſtudia virorum elangueſcant, cùm videamus in vno & eodem genere plures poſſe eminere principes. Qui fit ergo vt poſt Virgilium alius facta Romanorum non tam egregiè canere potuerit, quàm ille Troianorum, præſertim quod res ipſa maius ſuggereret argumentum? Et quale fuit inconueniens quod Virgilius ſi vita ſuperfuiſſet cuius mens erat ad tempora Auguſti peruenire mediis quidem iuxta Flacci ſententiam:

Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat & præſens in tempus omittat,
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis author.

Et rurſus.

Semper ad euentum feſtinat, & in medias res
Non ſecus, ac notas auditorem rapit, & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

Sublatis aliis properantem ad Auguſti tempora quempiam alium quod ille ſperat facere potuiſſe. Et melius ſane quandoquidem, teſte Quintiliano, multum ab Homero Virgilius deficiat: nec linguæ vitio quandoquidem Demoſthenes à Cicerone eodem teſte ſuperetur. Deinde cum videamus res quæ a ſyderibus procedunt ex generalibus conſtitutionibus non vnas eſſe, ſed multiplices. Nam adueniente Sole, gratia exempli ad nos, non ſolùm herbæ pululant, ſed arbores florent ac germinant, aues nidificant, quadrupeda ad Venerem incitantur, ſerpentes è latibulis exeunt, piſces gregatim loca mutant, adeò vt flumina quædam maritimis impleantur. Veluti id quod per Lugdunum tranſit quod Ararim eſſe putant, alij vocant Sequanam, piſcibus quos illa appellant Loxas tanta multitudine, vt videatur flumen ipſum totum plenum. Similiter & homines lætantur. Idem in Lunæ contingit affectibus. Non enim ſolùm in pleniluniis turgent maria, ſed & Cancri pingueſcunt, & ligna redduntur viuaciora, & morbi plerique ingraueſcunt, & talia multa. Cùm igitur eodem tempore non vnum genus artis floreat, vtpote militaris diſciplina, poëſis, eloquentia, pictura, plaſtica, muſica, medicina, philoſophia, ſimul quoque deſinant, vt Alexandri, & Auguſti, & noſtra etiam ætate, cùm tamen ab Auguſto ad initium noſtræ Florentis ætatis, quod fuit circa annum ſalutis 1440. fluxerint anni inter medij circiter mille quadringenti, nihil egregium pro miraculo natura produxerit in lucem, præterquam Antonini tempore cum tunc etiam floruiſſent ſimul Alexander Aphrodiſæus, Ptolemæus Peluſienſis, & Galenus Pergamenus, & parum ante id etiam C. Plinius & Plutarchus Cheroneus Traiani magiſter, manifeſtum eſt ex generalibus conſtitutionibus cœli principaliter iſta pendêre. Non inficiamur etiam aliquid in rem facere quæ adducuntur à Paterculo. Sed iam ad textus expoſitionem deueniamus.

Inquit igitur (Præterea ſunt) id eſt, ſunt quædam conſtitutiones generales adeò potentes, in quibus homines per graues continentis affectus, ſcilicet terræ, aquæ, & aëris ſuperantur. Veluti quis habeat genituram felicis ac diuturnæ vitæ, contingat terræ motus in vrbe ſua qui totam diruat ciuitatem, aut inundatio, quomodo is ſeruari poterit? Verùm in propriis affectibus cum per aëris conſtitutiones debiles fiant, contrariis cauſis licebit obniti. Deinde docet quod quædam fiunt à prima cauſa generaliter, velut cum tota vrbs, vel prouincia opprimitur, aut cùm ſingilatim pluribus mala eiuſdem generis contingunt, veluti anno ſalutis 1528. morbus epidemius & peſtilens generalis vniuerſo, vexauit vniuerſum humanum genus, non tamen ita vt in ſingulis ciuitatibus omnes, ſed in omnibus aliquos. In his ergo ambobus generales conſtitutiones dicit fati neceſſitate alligantur. (Quæ autem) intelligit quatuor genera influxus duo iam dicta quæ permutari nequeunt, & tertium iam dictum quod à propria pendet genitura, & poteſt conuerti ſtudiis ac diligentia hominum. Quartum genus eſt illorum qui nihil habent proprium tunc, & hi ſequuntur primam cau-

ſam,

ſam, & hic declarauit magnum ſecretum, de quo inferius dicam. Dicit autem quod tales euentus fiunt in hoc quarto genere propter vim cauſæ vniuerſalis, ſicut in aliis duobus. Proba autem hoc ibi: (Quod ipſum) Quia & in morbis, & in rebus naturalibus, quædam ſunt per ſe inſuperabilia, quædam poſſent ſuperari vel deduci ad effectum, quæ tamen non ſuperantur, neque ad effectum deducuntur, propter ignorantiam. In quibuſdam verò diligentia, fortitudine & ſcientia, (nam hæc tria ſcientiæ nomine intelligit) decretis contrariis aſtrorum occurrimus. Et propter hoc qui fortes ſunt, ſoliciti & prudentes, felices ſunt plerúmque nam multæ eueniunt occaſiones, præter illas generales quas vir induſtrius arripiat, & in commodum ſuum vertit. Vt contra negligens & ſtultus, aut diffidens prætermittit. Vnde etiam patet quod triplo plures neceſſe eſt eſſe infelices quàm felices, quia ad felicitatem tria illa omnia ſunt neceſſaria ad infelicitatem vnum ſolum deficere, ſat eſt. (Quæ enim) Dicit igitur quod in ineuitabilibus non eſt vtilitas quantum ad conſilium. (De his igitur) Inſtruit Aſtrologum futura prædicentem ſic: Si talis conſtitutio quæ tum ab aſtris pendere videtur fiat, tales morbi euenient: Veluti ſi Mars in Leone ſit cum Sole calorem & ſiccitatem immenſam produci conſentaneum eſt. Hæc ſi producantur perſeuerént que multas acutas febres parient illo loco magis, vel illo minus: vtpote in perflatis ab Auſtro quàm ab Aquilone magis, & plus in viris quàm in mulieribus, & biliòſis & exercitatis quàm pituitoſis & in otio degentibus, & in his qui multò vini potu vtuntur, & maximè potentis, & aromatibus quam qui contrariis, & in peſtilentibus locis peſtilentes, vt in Anglia & Flandria, magis quam in India, & aliis ſalubribus locis. (Eodem modo) Declarat hoc per duo exempla notiſſima, alterum de medicis, qui dicunt vlcus hoc ad Cancrum Sphacelon perueniet, niſi medicina contraria adhibeatur: & ſimiliter lapis Herculeus ferrum trahet, niſi ſucco allij illinatur, ſequutus potius in hoc communem opinionem, quàm rei veritatem. Declaratum enim eſt à nobis in libris de Subtilitate, hoc experimentum eſſe falſum de ſucco allij. Nam nihilominus lapis Herculeus ferrum trahit: quamuis per litum allij ſucco, quam antea. Sed exempla dantur non quia ita ſint, ſed vt intelligant qui docentur. (Sicut igitur) Per fatalem legem intelligit naturalem quæ à nulla alia peruerti poteſt, niſi potentiore alia naturali. Velut fluminis aqua neceſſario inundationem pariet niſi aggeribus ripa muniatur. Hoc enim neceſſarium eſt, aquam turgentem effundi in humiliorem ripam & campos ei adiacentes: Sed & iſtud magis neceſſarium terram plus poſſe quàm aquam, & ideò aquam non effundi. Dixit autem hoc, ſcilicet naturales eſſe fatales, vt à voluntariis actionibus diſtinguantur, quæ neceſſariæ non ſunt. Nam voluntas mutatur etiam per ſe, quod verò à natura fit non niſi à potentiore cauſa alia naturali impediri poteſt. Dicit igitur quod ſicut naturalibus affectibus morborum & Herculei lapidis occurrimus aliis cauſis naturalibus potentioribus ſeu neceſſariis (melius enim ita erat vertere καθ' εἱμαρμένην, quàm fatali) occurrere licet. (Ignorata enim) Dicit quod ſeu ignorentur cauſæ iſtæ generales ſeu negligantur, hoc autem dupliciter fieri contingit, vt dictum eſt, vel diffidentia, vel ſocordia, ſeriem primæ cauſæ ſequuntur: & homo prælio cadit, vel ſuffocatur aquis, vel peſte moritur, quod ſi præuideat euadere poterit, aut infortunium lenire. Dixit commentator circa hoc pulchram ſententiam: Si præuideamus quod futurum eſt & occurramus, duorum alterum ſequi neceſſe eſt, aut vt effectus impediatur, & tunc habebimus vtilitatem contra illos, ſcilicet qui negant artem eſſe vtilem, aut non impedietur, & ita veri vates iudicabimur, eritque ſcientia vera, & ita duarum opinionum, quæ Aſtrologiæ contradicunt vna alteri repugnat. Nam ſi occurramus præuiſis malis & non ſequatur effectus, vtilis erit hæc ſcientia: ſi omniuo ſequatur, erit neceſſaria. Verùm ex his nobis inſinuat Ptolemæus duplicem eſſe cauſarum connexionem, vnam quidem ſtellarum ad continentem in primis qualitatibus, altera quæ eſt continentis ad ſingulares effectus, vtpote peſtilentiæ, belli, penuriæ annonæ, & hanc ſecundam connexionem vult eſſe validiorem prima, non quidem in ſe; hoc enim impoſſibile eſt, quia cauſæ quantò primæ ſunt proximiores, tantò ſunt potentiores, ideò cœlum plus influit in continens, quàm continens in homines, vel animalia, ſed hoc dicit, quia vt ſciuerimus affectum continentis, nihil eſt quod poſſit impedire opus illius in nos vel in animalia: Quia vel erit conſilium hominum vel cœlum, vel ipſum continens. Conſilium hominum imbecillius eſt, vt declaratum eſt, quàm vt poſſit reſiſtere generalibus cauſis. Continens non agit niſi virtute cœli vt docuimus, hanc autem iam recepit, cœlum non poteſt prohibere, quoniam non agit niſi medio primarum qualitatum, & has iam produxit, nec potuerunt impediri. Concluditur igitur quod fatalis lex ſeu naturalis eſt, & à generali conſtitutione cœli proficiſcitur, firmior eſt quo ad noſtram cognitionem pertinet, ea quæ proficiſcitur ab aſtris in hæc inferiora. Quia cum aſtra ſint plura & multa ex illis penitus incognita: aliorum verò quæ cognita ſunt natura non prorſus ſit perſpecta, & quorum prorſus perſpecta ſit etiam non ſit modus exquiſitè cognitus, vel etiam dubius, vtpote an per circulum poſitionis, an per locum, an per antiſcia, an per eandem declinationem ſtellæ agant. Item cum ſit de locis dubitatio in nonnullis, vt maximè Mercurio, Marte, & Saturno, tum verò propter principia locorum & ſitus varios, & proprios, affectibuſque quibuſdam ſingularibus præditos, & non exquiſitè conſideratos, & ipſa etiam principia incognita: his ſex de cauſis contingere poteſt, vt Saturnus ſit in Aquario, & Iupiter in Cancro cum Sole, & Mars in Leone, & tamen æſtas ſit temperatiſſima. Et ſi Aſtrologus prædicat eam futurum calidiſſimam, erit ridiculus. Et propterea conſulit

Ptolemæus

Ptolemæus vt Aſtrologus prædicat hoc modo; Quia Saturnus eſt in Aquario, & Sol in Cancro, tum reliqua quæ diximus, ideò veriſimile eſt futuram æſtatem calidiſſimam, puta in Italia. Et ſi talis fuerit erunt febres acutæ, & etiam patientur ſata, & qui bilioſi erunt malè ſe habebunt, & qui calidis & ſiccis vtuntur cibis & vinis potentibus, & qui multum exercentur, & erit penuria aquarum, & piſces pauci erunt, & qui illis vtentur, lædentur. In primo igitur dicto plerumque erit verax Aſtrologus. Nam licet aliquando vt dixi poſſit contingere contrarium propter cauſas illi incognitas, nihilominus raro iſtud continget, imò rariſſimè. In ſecundo autem erit ſemper verax, ſcilicet quod ſi continget illa immenſa caliditas, continget & illa quæ dicta ſunt. Non ſolùm propter ipſam caliditatem, ſed quia ſignum eſt cauſas ipſas caliditatis, ſcilicet aſtra, non impeditas iri.

Ex his colliguntur ſeptem dubitationes celebertimæ: Primum, quod fuerint famoſiſſimæ & ab omnibus fermè antiquis ſapientibus quæſitæ. Secundum, quod illis diſſolutis apparebit veritas ipſius Aſtrologiæ. Nam omnes qui illam oppugnauerunt, aliqua ex his ſeptem difficultatibus ad illam oppugnandam vſi ſunt. Quod ſi eas diluerimus rectè, vt ſperamus, nemo tam huic arti infenſus fiet, qui illi manum non det. Tertium, quia his cognitis tanquam principiis, ars tota conſtitui poterit. Quartum, quod horum cognitio ad ſeriem rerum naturalium cognoſcendam, & Fati vim intelligendam, & ad ſciendum quid neceſſarium ſit in rebus naturalibus, & quid fortuitum, & quomodo liceat fortuitis occurrere, vtilis erit.

Prima igitur eſt, quænam dicatur conſtitutio generalis, & quæ propria? cum videantur in cœlo omnia aſtra ſemper eſſe & moueri abſque alio principio? ſimiliter quot ſint illius genera?

Secunda, in quo differat conſtitutio generalis locorum à conſtitutione generali qua ſinguli homines afficiuntur.

Tertia, quomodo cum cœlum ſit abſque principio & rotundum, plus influat ex hac parte quam alia? & in hanc partem quàm aliam? cùm videamus in terra pluere hic, & procul decem millibus paſſuum immenſa affici ſiccitate, & rurſus ad duo millia paſſuum imbres cadere, & hoc adeò viciſſim, & per paruam diſtantiam vt mireris: ſimiliter in partibus maris tanta ventorum varietas & ſingulis horis, vt ſit incomprehenſibilis.

Quarta, an generales conſtitutiones in comparatione vnius hominis ſint potentiores illius genitura propria? cum videamus morbum lætalem, quo quis moritur magis inexpugnabilem, quàm peſtilentem.

Quinta, an homo, gratia exempli, qui debet mori ex peſte, habeat aliquid neceſſario coniunctum cum conſtitutione? Et ſi habeat quomodo ſit? Et an ineuitabilis, ſicut talis connexio illum adigat neceſſario ad mortem? Et an ex mutatione loci quis debeat euadere à periculo? Et cur aliquæ conſtitutiones ſint à quibus nulli euadunt, & aliæ à quibus euadant? Et cur illi qui euadunt euadant?

Sexta: an in bello ſinguli qui moriuntur geneſim habeant conſtitutioni belli connexam: Et an ille qui eſt in bello extra patriam, vel in negotiatione, ſubiiciatur genituræ ſecundùm locum proprium, aut ſecundùm locum in quo moram trahit? Et an electiones Regum, & initia dignitatum, & habitationis in alia regione ſint obſeruandæ & poteſtatem habeant? Et an fortuita commigratio poteſtatem habeat, & quæ fit cum electione habeat? Nam hoc multum refert, quia ſi etiam electio temporis habitationis aliquid poteſt, eſſent electiones valdè vtiles? Et poſſet aliquis facere differendo vel accelerando partũ quod filius priuati naſceretur Rex aut Imperator? Et etiam dubitare contingit an reuolutiones reuolutionibus ſuccedẽtes abſque teſtimonio genituræ aliquid poſſint? & ſi poſſint, quid poſſint, & quantum, & in quo genere? nam de vita haud veriſimile eſt.

Septima, an nauis quæ ſubmergenda eſt aquis, habuerit hoc à principio conſtitutionis ſuæ vel à lignis? Et quando debeat intelligi principium in vnaquaque re? Et an artificialia & maximè quæ conſilio fiunt, habeant principium verum & recipiant influxum ab aſtris? Nam ſi hoc ita erit, euidentius electiones valebunt & forſitan etiam ſigilla? Quod ſi non non. Hæc igitur cum totam artem comprehendant, ſingula ſuis locis declarabuntur. Nam ſi vellemus hæc omnia hic declarare oporteret in expoſitione vnius huius commenti totam artem compleri: Et expoſitionem huius textus quæ ſatis per ſe prolixa eſt, in immenſum extendere & augere: Ideò proſequamur in textu. *Lib. 2. com. 2. & ſequẽtibus.*

TEXTVS XXVI.

Cùm autem, vt ſemel dicam, nihil interſit quod ad hanc vim attinet, inter generalia & ſingularia, mirum videri poſſit, quanam de cauſa in vniuerſum quidem perſuaſum pleriſque ſit, & præuideri illa poſſe, & præuiſis vtilem eſſe attentionem. Maxima enim pars hominum fatentur ſe quoque venturas cognoſcere, & annuorum temporum mutationes, & ſignificationes ſtellarum inerrantium nec non Lunæ configurationes. Adque eam cognitionem non mediocrem cautionem adhibent magna cura præparantes ad æſtus gelidifica, ad hyemes calidifica, omninóque dant operam vt rerum cunctarum naturæ temperentur. Prætereà quò rectiora fiant omnia, & in temporum conuerſionibus & tutò naues in portu ſoluantur, obſeruant ſignificationes fixarum ſtellarum. In coitu autem pecorum & ſementibus configurationes Lunæ augeſcente illius lumine,

ne, neque quisquam inuentus est qui hæc damnaret, vt quæ aut non obseruari possent, aut obseruata nihil afferrent fructus. Cur igitur negant esse singulatim præuisionem, ex proprietatibus reliquarum commistionum, vt æstus hyemsúe intentiores aut remissiores futuras, déque item vniuscuiusque propria constitutione, vel quare inutilem ferè in his cautionem esse volunt? Cùm manifestum sit, si ad generales æstus gelidis instructi minus illum sentiant, similem posse efficientiam esse etiam in singularibus rebus, quarum constitutio augmenta magni caloris complectatur. Sed enim omnis hic error ex eo nascitur quòd ferè propter difficultatem in singularium præuisionibus parum exercentur, quæ res & aliis penè omnibus scientiis fidem detrahere solet, quodque contrariæ effectionis vis negligitur. Et quia non multum inuenire est talem constitutionem & tam perfectam, cui non impedimentum à prima illa natura obiiciatur, ideò opinio extitit, incommutabiliter nobis vniuersa & ineuitabili modo penitus immitti. Verùm sicut ipsa præuisio, & si non nusquam incurrens, tamen quia aliqua sit, digna summo, nisi fallor, studio videatur. Ita etiam de attentione faciendum iudico, vt quamuis non cuncta sanare possimus, tamen quæ possimus seu magna siue parua, in his libenter & grato animo illam amplectamur, & non vulgaris lucri instar ducamus ipsius factam nobis copiam.

Proponit Ptolemæus fundamentum ex vniuersalibus, volens demonstrare singularium etiam esse artem præsciendi futura. Vniuersale autem tripliciter dicitur, aut quod multa continet, vt populus, gens, prouincia, ciuitas, & hoc est, plerunque minus notum singulari, nec de hoc intelligit author. Est etiam vniuersale quod dicitur de multis, quod consideratur à Philosopho naturali & Dialectico, & hoc quãdoque potest esse notius singulari. Tertio modo pro communi & indiscreta cognitione vt hic capitur: Argumentum igitur est generales constitutiones sunt notæ & vtiles iudicio omnium hominum, ergo singulares. Quæ autem sint generales constitutiones, declarat tribus pulcherrimis exemplis: Primum de tempore, & hoc dicit pendere à Sole. Nam scimus certò æstatem & hyemem futuram, & ita etiam sit vtilis hæc cognitio, quoniam homines præparant ligna, & vestes ad temperandum frigus hyemis, & vmbras ac porticus & aulas ad temperandum calorem æstatis. Secundum exemplum est de nauigatione, in qua cauemus congressum Lunæ cum stellis fixis quæ tempestatem inducunt, vt sunt Orion & Arcturus. Igitur hæc est scientia & vtilis. Tertium est in serendis seminibus, plantandis & inserendis surculis, & admittendis iumentis, porcis & ouibus, & fouendis ouis in quibus quæritur Lunæ incrementum. Hoc igitur præsciri potest, & vtile est. Igitur, inquit, etiam singularia præsciri possunt. Singulare appellat certam rei quantitatem, & mensuram, quæ per reliquorum astrorum errantium mistiones figuras & effectus fiunt. Ex hoc patet trium generum maximè illustres esse effectus, & qui ab antiquis non negarentur, Solis, Lunæ, & fixarum stellarum insignium, magnitudine vel situ propinquo vitæ per quam Sol graditur.

Sed enim docet causas tres, quare singularis cognitio negligatur: Vna, quia existimant illud quod aduersantur (puta Saturni frigiditatem) calori Solis, esse minimam & insensilem, atque ideò contemnendam, & ita de calore Martis vel Iouis. Secunda quia scientia istarum stellarum in situ, motu, & loco est difficillima, ideò vt reliquarum scientiarum, quamuis etiam vtilium ad comparandas diuitias partes difficiliores prætermittuntur, velut in medicina dissectio tuta in profundis partibus quæ supponit scientiam locorum musculorum, venarum & arteriarum. Et in Geometria scientia conoydalium corporum, & coni sectionum. Et in Musica Enarmonicum diatessaron. Tertia causa est, quia quidam putant vim primæ causæ seu naturæ esse adeò potentem, vt possit auertere quæcunque velit. Et intelligit secundum Haly per primam naturam stellas fixas: Aliter possit intelligi Deus. Verùm commentator aliter interpretatur, scilicet quod rarò (id significauit Ptolemæus per non multum) contingit, vt talis constitutio peruertat quæ ex principio decretum est. Vnde factum est vt homines existimauerint, cùm tam rarò cœli decreta soleant peruerti, vt cuncta necessario fieri arbitrentur. Cumque parum hoc ad artem pertineat, non laborabo vt doceam quid magis Ptolemæus per primam naturam intellexerit.

(Verùm sicut) Declarat quod quemadmodum in medicina quamuis non omnia curare possimus in his, in quibus potest, siue magna sint, siue parua, quasi dicat, siue multi seruari possint vt in salubribus, seu pauci, sicut in pestilentibus, pars ea tamen medicinæ non est negligenda. Ita in Astrologia quamuis non possimus occurrere omnibus, non debeamus eam vtilitatem negligere. Sicut etiam illius scientiam quod quandoque (incurrens ille vertit) aberrans sit, non debemus paruipendere: Sed loco non vulgaris lucri ducere illius factum nobis esse copiam. Atque hæc cum communi consensu hominum & ratione demonstrauerit, ad authoritatem sapientum Ægyptiorum se conuertit.

TEXTVS

TEXTVS XXVIII.

Quæ omnia ita vt exposuimus sese habere cùm & Ægyptij intellexissent, à quibus maximè auctam huius artis vim scimus, adiunxere vbique Astronomicis præuisionibus medicinæ præcepta. Neque illi constituissent expiationes & auersiones, & curas eorum quam ab aëre vel inciderent, vel imminerent & in vniuersum & singilatim, si in ea opinione fuissent ammoueri illa aut auerti nullo modo posse. Nunc vero quæ contrarias effectiones in ordine naturæ habeant, quasi secundo in loco fati ponentes, coniunxere cum præuisionis vi, ad vsum & fructum omnium, viam præceptionum quas illi vocant compositiones iatromathematicas, quæ vox significat coniunctionem rerum medicarum cum mathematis. Qua ratione Astronomia quidem declararet subiectarum constitutionum proprietates, & quid casuum cœlum circundans nos intenderet, & suas quorumque causas, nam sine horum cognitione opem certam ferri posse non sunt arbitrati, quippe qui scirent non eandem omnibus corporibus aut morbis conuenire. Sed medicinæ scientia hoc efficiebat, vt & futuri mali auersio, & præsentis curatio quod ad eius rectissimè fieri posset, de concordibus aut contrariis singulorum effectionibus existeret.

Probat igitur illorum authoritate scientiam Astronomiæ bifariam esse vtilem. Primum quod ipsi constituerint iatromathematicam scientiam, id est, scientiam ex medicina & Astronomia: veluti si quis, gratia exempli, laboret, obseruabant horam qua incipit ægrotare, & similiter ad quem locum directio significatoris vitæ peruenisset, & ex his morbi naturam statuebant, atque inde curam ex his constituebant à medicina sumptam eo axiomate, quod contraria contrariis curantur. Alio modo docebant quinam futuri morbi essent per Astronomiam, futuros morbos, atque homines contrario regimine vitæ instituebant, vt sic tuti essent ab imminenti periculo: dicit igitur, quid profuisset hæc diligentia, gratia exempli, quod Mars & Saturnus, cum Sole in Leone æstate futura coituri, debeant producere febres ardentes & maxime siccas ac venenosas, & ob id vtendum esse humidis, & cordi vtilibus medicamentis, si omnino nihil hæc diligentia profutura erat, neque ad tollendos, neque ad auertendos, neque minuendos morbos? Et quamuis de morbis etiam factis hoc intelligi posset, attamen vt etiam Haly rectè interpretatur, de futuris tantum loquitur. Secundum exemplum est de expiationibus & auersionibus quæ hodie etiam in vsu sunt, dum supplicationes populi & sacerdotes præsertim imminente siccitate, aut imbribus fatigati celebrant, Sed tunc multò antea quam fierent Astrologia edocti procurabant, nunc verò nisi iam malo ipso perculsi atque edocti, talia facere solent. Intelligit autem per expiationes preces ad Deum atque sacrificia: per auersiones, magica quædam quæ grandines aut pruinam à campis auertere credebantur, per curam verò quod ex arte rustica est, veluti si frigus immineat ingens, malorum punicorum arbores palea circumcinguntur: Si carbunculus vitibus, serius putantur, procurandumque est vt serius germinent. Namque si non turgent plantæ ac germinare properant vix hoc malo pereunt. Propter quæ morus arbor rarò perit quod serò pariat germen, vltima quippe est omnium arborum, & id sapientissima appellata.

Quod verò de Aegyptijs adiecit quos auxisse artem refert, intelligit tum illos tùm affines illis quasdam prouincias, veluti Chaldæos, de quibus narrat Suetonius in Nerone prædixisse illi imperium & parricidium matris, quod cum illa audisset, dixit, occidat cum imperet. Ex his fuit Thrasylus qui imperium Tiberio exuli prædixit nimis magnus authoritate, quod Tiberius flagitiose vixerit: Et C. Caligulæ Sulla Astrologus necem similiter & imperium atque vtrunque insperatum: Atque hic maxima etiam authoritate vixit. Infelicior fuit Ascletarion sub Domitiano, sed illustrior euentu duplici atque exquisitissimo, ex hoc genere fuit etiam qui Gordiano Imperium per instrumenta tempusque prædixit. Vt appareat Chaldæos atque Aegyptios hac in arte supra fidem fuisse celebres. Quorum scripta cum collegisset Ptolemæus, in hunc librum compegit, sed tam breuiter, vt maxima pars artis desideretur. Præstabat enim quemadmodum & præstantissimus Hippocrates postquam ex singularibus artem compegerat, librum etiam & singularium exemplorum epidemiis correspondentem conscribere. Multum enim attulisset lucis ad intelligendum ea quæ hoc in libro scripta sunt, simulque fidei aduersus illos qui artem inanem esse declamitant. Sed hoc nos in Ephemeridum Supplementis facere conati sumus. Nam neque hoc efficere opus est cuiusque sed eius primum tantum qui in omnibus bonis disciplinis, quemadmodum superius diximus, fuerit exercitatus. Secundùm qui diligenter ea quæ Ptolemæo atque aliis scripta sunt, legerit & fuerit meditatus. Tertium, qui multa diuersis in disciplinis feliciter conscripserit, ne authoritas exemplis desit. Quartum, vt sit hac in disciplina exercitatissimus, vt opere ipso præstare possit, quæ docendo pollicetur. Quintum, vt sit verax, ne fides in scriptis desideretur. Sextum, vt sit grauissimi iudicij, tum vt sciat quid

quid ex vnaquaque feligendum constitutione, seu generalis fuerit, seu Genethliaca, tum vt sciat distinguere veras à falsis genituras, cum plurimi delectentur falsas offerre vt vel Astronomos probent, vel illudant eis: Est etiam ex vsu iudicij grauitas, vt solum rara & vulgaribus Astronomis incognita doceat, quemadmodum Hippocrates in medicina fecit. Quantum profuisset genituræ Domitiani exemplum atque Neronis, cum temporum indicationibus habuisse, non solum ad gloriam artis Astronomicæ, verùm ad ipsam disciplinam excolendam amplificandámque quas quidem Ptolemæum habuisse verisimile est, quod proximus ei ætati fuerit, & ipse prædixes, sed neglexisse visus est. Periere & multa illorum monumenta, siquidem Chaldæorum, & Ægyptiorum, quæ in Iulij Firmici manus peruenerunt, quamobrem & ex eo multa seligemus transferemúsque in alium librum, maxima tamen cum difficultate, quòd cum ille purus esset Grammaticus expérsque omnino huius artis, non solùm omnia absque iudicio, bona, mala, falsa, vera, ex toto, & ex parte veritatem continentia, coniuncta disiunctáque in vnum absque discrimine compegerit, sed quòd multa non intelligens confuderit atque corruperit, & quod deterius est, suppressis vndique nominibus, quæ si addidisset, vt Aëtius in suo medico volumine & Galenus passim in libris de Medicamentis, (quoniam talia experimento constant) facile fuisset coniectari, quantum vnicuique præcepto, fidei esset tribuendum.

Quod verò dicat (quasi secundo in loco Fati ponentes) intelligit vt dixi præuisionem seu auxilia pro Fato, id est, opere necessario naturæ quod vincit secundum Fatum, id est, minorem necessitatem, quæ ex astris habetur. Veluti si futura sit tertiana in æstate sequenti, purgaueróque bilem ante, vsúsque fuero lactucis & aqua lactis, & lymphato vino planè albo, necessitatem primam & certam, quàm Fatum hic exposuit ne tertiana hic adueniat, inducet, Astrorum verò influxus, secundi Fati vim retinebit, quæ necessitas illius ab alia necessitate opposita superatur.

TEXTVS XXVIII.

Verum de his ac summatim quidem hactenus. Nunc transeamus ad explicationem harum rerum, ordientes vt in præceptionibus à primis, hoc est, quæ sit cœlestium corporum & propria vniuscuiusque natura & efficacia, ita vt tradidère veterum naturales obseruationes, præque cæteris de stellarum errantium viribus, déque Solis & Lunæ disseramus.

Proponit ordinem tradendorum in hoc primo libro, scilicet de natura, inde de viribus corporum cœlestium, præcipuè autem Solis & Lunæ, inde errantium stellarum, & hoc secundum traditiones veterum non quorumcumque, sed naturalium tantum, vt doceret non contemnendas esse nugas illas quas postmodum ex quibusdam sortilegis traduxere ad nos Arabes satis infeliciter artem corrumpentes. Per naturam verò intelligit masculinos fœmininósque Planetas, item diurnos ac nocturnos, tum verò potestatem insignis. Similiter & situs, & motus, & figuras ad Solem, & generaliter quæcumque extra cœlum non extenduntur: Sed per vires quod calefaciant, infrigident, humectent, siccent, beneficæ sint ac maleficæ, ventos aut imbres generent, diuitias aut paupertatem genitis, animos magnos, aut humiles, aut auaros, aut sapientes, & generaliter quæcumque ad hæc inferiora pertinent.

CAPVT IV.

TEXTVS XXIX.

De viribus stellarum errantium.

Animaduersum est naturam Solis effectum habere caloris paulatímque siccitatis. Hunc nos etiam sensibus percipimus multo certius, quàm reliquarum stellarum, propter ipsius & magnitudinem, & euidentiam mutationum temporalium, quādoquidem quo proprius Sol accedit ad verticem nostrum, eo magis ea quæ diximus experimur.

Quoniam expositores hic præfari solent quædam atque adeò curiosè, vt etiam circa titulum multa dicant, ideò & nos quatuor circa hunc præsentem textum faciemus: Primùm quidem ponemus subiecta de quibus Astrologus considerat. Secundùm exponemus titulum capituli atque diuisionem affectuum Planetarum & reliquorum. Tertio præfabimur quidam circa textus expositionem. Quarto & vltimo ipsum textum explicabimus. Primum igitur dico quod subiecta quæ Astrologus considerare debet sunt quatuor: Primum sunt stellæ erraticæ dictæ, quod variis motibus moueri videantur manifestè, & etiam quod solæ uagentur, nam quamuis fixæ variis motibus moueantur, ab antiquis tamen propter tarditatem motus ab Occidente in Orientem visum est illas solo vno motu moueri, propter hoc, & quoniam etiam simul mouentur, fixas aliqui alij inerrantes appellauêre: Planetas enim erraticas Græcè sonare & aplanes, id est, non errantes, haud obscurum est. Planetæ igitur septem sunt, Luna quæ omnium infima est & terræ propinquissima, inde ascendendo Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus. Secunda pars subiecti à stellis inerrantibus comprehensa fuit. Tertia verò est de partibus cœli quæ secundum longitudinem, aut secundùm latitudinem, aut substantiam, aut situm distinguuntur. Secundum longitudinem quidem sunt duodecim

decim ſigna, quæ in Tabula depicta vides cum characteribus, quorum initium eſt ab Ariete, cuius initium eſt in æquinoctij puncto, id eſt, puncto æqualiter diſtante ab vtroque polo.

Planetæ ſeu Erraticæ.

Lun	Merc	Ven.	Sol.	Mars.	Iupiter.	Sat.
☽	☿	♀	☉	♂	♃	♄

Signa.

Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo
♈	♉	♊	♋	♌	♍
Libra	Scorpio	Sagitt.	Capric.	Aquar.	Piſces.
♎	♏	♐	♑	♒	♓

Secundùm latitudinem autem in Borealem & Auſtralem ab Ecliptyca, aut æquinoctij circulo, & vocatur declinatio. Secundùm ſitum autem quoniam quædam ſunt in cœli corde & ad fortunam magis valent, imò ad exiſtimationem, quemadmodum in aſcendente propria corpori & animæ, quædam in ſeptimo loco quæ ad fortunam, & potentiam, quædam in imo cœli, atque de aliis eadem ratione. Quo vero ad ſubſtantiam, partes ſunt cœli aliæ aliis feliciores. Nam cœlum ſic ſe habet vt terra ſtellæ montium vicem habent & lapidum: ipſa cœli ſubſtantia quædam affert bona malaúe, calidior frigidior, ſiccior humidior, pinguis macilenta, arida fœcunda, fœlix infelix, æqualis inæqualis, pertinax mutabilis, ferax ſterilis. Sed illud quod vitare non poſſumus, (nam de inani & pleno, tenebroſo & lucido, magna eſt dubitatio) eſt, quoniam partes cœli quædam ſunt turbidæ, velut via lactea, & quædam perſpicuæ. Quartum genus eſt crinitarum ſtellarum, Cometas Græci vocant: Hæ enim in cœlo fiunt vt aliàs docuimus. Non autem trabes, aut gemini Soles vel Lunæ vel talia: hæc enim fiunt in inferiore aëris regione: De his igitur omnibus conſiderandum. Cæterùm quòd ad titulum pertinet, illud primo animaduertendum, quo ad vires planetarum intelligit quatuor modis, non tamen hic niſi primo modo, qui eſt ſimpliciſſimus iuxta primas qualitates. Secundus eſt, quo ad propinquitatem Solis, & refertur ad principium. Tertius eſt quod refertur ad locum, & hic eſt duplex, aut enim ad locum naturalem velut in ſigno, vel in latitudine, aut in comparatione noſtrum, velut in medio cœli, in occidente, ſupra vel infra terram. Vel in comparatione ad ipſum proprium cœlum, vt quod ſit in abſide, vel in oppoſito, vel quod ſit velox vel tardus. Velox enim fit in oppoſito vtriuſque abſidis, ſed tamen cùm abſidem intelligo de eccentrico loquor, cum vel velocitas motus ſit propinqua naturæ abſidis vel oppoſiti eius, & propinquitati Solis, vt libet ex his quæ dicta ſunt à Ptolemæo de ſtellarum motibus. Diuiditur autem motus primus in tria, in naturam, ſexum, & qualitatem. Natura quidem vt dictum eſt, calidi, frigidi, ſicci, & humidi ex qua deriuantur beneficæ, maleficæ, exitiales & vitales, fœcundæ atque ſteriles. Sexu autem, maſculinæ & fœmininæ. Qualitate autem diurnæ & nocturnæ. Diuiduntur autem, planetæ præter id tribus modis, in luminaria & quæ erraticæ ſimpliciter dicuntur, Luminaria dicuntur, quæ plurimo abundant lumine, & ſunt Sol & Luna, tantum enim habent luminis vt vtrumque in die videatur & reliquas etiam ſtellas obumbrent; quamquam Venus aliquando & maximè ab his qui acie videndi pollent, quique iam vt dixi eius locum nouerunt, videatur, obſcure tamen, & obſcurius illa Mercurius quatuor eiſdem conditionibus, ſitu, aëris natura, acie videndi, & ſcientia loci, iuuantur & inſtrumento, vt iam quinta ſit conditio obſeruandi ſtellas in die. Secunda verò diuiſio eſt, quoniam luminarium alterum quidem primum & per ſe eſt, & eſt Sol: aliud quod illi ſuccedit, eſtque Luna. Ob id clarum eſt cur à Sole inceperit: Nam Sol luminarium primum eſt, & luminaria erraticis quadrifariam præferuntur, potentia, claritate, cognitione, (multi enim ſunt qui ſola illa ab aliis ſeparata eſſe ſyderibus putant) & ſimplicitate motus. Cùm igitur Sol non ſolùm cæteris quinque erraticis, ſed etiam ipſi Lunæ his quatuor cauſis præſtet, manifeſtum eſt cur Ptolemæus à Sole initium duxerit. A manifeſtioribus autem, vt bene dicit Haly peripateticorum ſententia, è quorum numero Ptolemæus eſt, initium doctrinæ ſumendum eſt, atque ea de cauſa, quamuis non ordine ſitus, de Sole primum, ſecundo de Luna, tertio de aliis quinque erraticis, tractat. Atque in illis cùm non videretur manifeſtus ordo doctrinæ, ab euidentioribus aut potentioribus, ordinem ſitus ſequutus eſt, non quidem aſcendendo, ſed deſcendendo, ſcilicet vt à Saturno initium duceret. Nam quinque hi planetæ tertia diuiſione diſtinguuntur, tres enim qui ſupra Solem ſunt, ſuperiores dicuntur, ſcilicet Saturnus, Iupiter, & Mars, duo verò qui infra illum, ſcilicet & Mercurius, inferiores.

Vt verò ad rem potius accedam, tria præponere docet: Primùm eſt, quod Solis opera ſunt à Lunæ operibus maximè diſtincta partibus anni: & diei, & elementorum, & regionum. Sol quidem æſtate, id eſt, dum eſt ab initio Arietis, vſque ad initium Libræ, potentior eſt, & euidentiores facit effectus, Luna verò in ſex reliquis ſignis. Similiter Sol in die potentior eſt quàm in nocte, Luna verò in nocte quàm in die. Similiter Sol potentior eſt in aëre, Luna in aqua, terra verò vtrique communis eſt. Declaratum enim eſt à nobis in phyſicis quod tria tantum ſunt elementa, Terra, Aqua, & Aër. In horum igitur altero, ſcilicet aëre Sol magis prædominatur, in altero, ſcilicet aqua Luna magis, in terra quod calore Solis & humido Lunæ æqualiter indigeat, vtrumque luminarium quantum ad fœcunditatem arborum, & herbarum, & ſegetum, æqualiter dominatur. Quod verò ad regiones pertinet, Sol quidem in regionibus dominatur magis, quæ ſub torrida ſunt Zona, & propinquis, Luna vero magis in his quæ iuxta polos

ſunt. Adeò vt in Scotia (ea vltima eſt Britanniæ pars quæ ad Boream ſpectat) quinquaginta ſeptem & amplius partibus ab æquinoctio diſtans, Luna potius quàm Sol videatur æſtatis, aut hyemis eſſe cauſa. Sed tamen hyemis quidem & vbique vt dictum eſt, cauſa eſt & moderatrix, æſtatis autem ſolum moderatrix. Vltra verò circulos poli Arcticum atque Antarticum, Luna vtraque tempora diſponit, in mediis autem regionibus vtrunque luminare fermè æqualiter. Sed & orienti magis præeſt Sol, Luna occidenti, Mediterraneis autem locis, Sol, inſulis & locis iuxta mare, Luna. Regula verò vna debet eſſe generaliſſima, quòd planetæ omnes ſucceſſione fiunt potentiores, veluti Luna non dominatur, neque moderatur, niſi quia Sol non perfectè agit, vel quoniam regio eſt in extremo occidentis, aut ſeptentrionis, aut inſula, aut iuxta mare aut eſt ipſe Sol in ſignis Auſtralibus, quod ſit tempore hyemis vel autumni, aut in nocte, aut impeditus velut à Saturno, vel in duodecimo vel octauo loco. At ſi conſideres potentiam Lunæ, non ſolum magis nocte quàm die poteſt, atque hyeme quàm æſtate, ſed etiam plus Sole, ſic etiam in terræ parte ſeptentrionali: atque hæc ſecunda eſt regula. Nam ſi Lunæ vis poſt Solem deſinat, tunc locus eſt planetæ prædominanti alteri. Itaque fit vt hac cauſa per ſe Saturnus terræ prædominetur. Quoniam Sol propter illius frigiditatem tantum non poteſt, quantum debeat excalefacere, neque Luna quantum debet humectare: Ideoque ſub Saturni imperio relinquitur.

Hæc verò eſt prima regula, ex principalibus quibus vtitur Ptolemæus, & in genituris etiam vtiliſſima. Capit enim ſemper robuſtiorem pro purificatore & domino, ſed ſi ille ſit imbecillior, quamuis non ſit impeditus deuoluitur dominatio ad ſequentem: atque ita quandoque ex bono ad malum ex libero ad impeditum, nonnunquam contra peruenit dominatus. Et de imbecillitate non eſt dubium quod non transferat dominum, ſed de impedimento magna eſt dubitatio. Secunda verò regula principalis eſt, quod rem, modum & affectum partitur ſemper Ptolemæus, vt non tribuat vnquam omnia vni, niſi coactus, hæc autem videbuntur explicata inferius, nunc ad propoſitum redeo. Tertia regula eſt, quod omnis planeta aliquid adimit vel addit operibus Solis, aut Lunæ, aut alterius, cùm ei adiungitur vel opponitur, vel aliquo aſpectu, ſeu radio copulatur vel aduerſatur. Illud tamen minimum eſt, cùm planeta natura nobilior validus fuerit. Memento tamen quòd tempore omnia ſeneſcunt, & Sol quantumcunque validus, aut Luna, temporis ſucceſſu per directionem impeditur. Eadem eſt ratio ſtellarnm fixarum. Ex his tandem colligitur quòd Solis opera illuſtriora ſunt, inde Lunæ, inde Iouis, aut Saturni, inde Martis, aut Veneris, poſt Mercuij, inde fixarum ſtellarum ſecundùm illarum magnitudinem & lumen, vt perſæpe errantium vires vincant.

Secundùm ex his pendet atq; dubitationem habet: nam cum Ptolemæus velit per qualitates manifeſtas in ambientem diffuſas aërem, corpora noſtra affici: ſequetur natos menſe Iunio Iulioque calidiſſimos futuros, vel ſaltem calidiores natis menſe Decembri & ianuario, cuius tamen oppoſitum ſæpius experimur. Imò quod maius eſt, nati regionibus & temporibus frigidis, calidiores ſunt, atque robuſtiores Arabibus, atque Indis, atque æſtate natis. Propterea plurimi meritò Ptolemæum reliquerunt, ob hæc Aſtrologiam contemnentes. Sed ratio Ptolemæi ſubtilior eſt quàm vt à quoque poſſit deprehendi. Non enim in eo quod factum eſt, ſed in eo quod fit, vis conſiſtit. Decebat autem Ptolemæum hanc rationem prætermittere, quia apud populum non intellecta, ab arte alienaret legentes. Res autem ita ſe habet, paſcitur quiſpiam Sole in medio cœli in primo Leonis puncto conſtituto, Saturno verò in oriente, tunc proculdubio aër calidiſſimus erit, ex impreſſione iam facta: ex ea autem, quæ fit infrigidabitur à Saturno aſcendente ſuper terras: vtroque autem modo aër exſiccabitur & à Solis, & à Saturni impreſſione. Duo ergo quod qui tunc naſcetur infans erit niger immodice ſiccus & frigidus, quia non in eo quod factum eſt in aere: ſed quod impreſſio in infantem conſiſtit. At rurſum inſtabis aduerſus nos ſata non in eo quod fit, ſed quod factum eſt fortunam & naturam ſortiuntur. Si ſerantur ſemina iulio menſe quantam vis felici ſydere non prouenient, quia calor & ſiccitas immodico obſtat. Reſpondeo quod alia ratio eſt, in his quoniam terra quæ nutrire debet iam affecta. At animalia quæ lacte matris nutriuntur ſolum recipiunt mutationem, non vim iam diu in aërem impreſſam: Ergo ſtatuendum eſt, quod cum ſyderum actiones per ſingula momenta mutentur, corpora noſtra recipiunt vim illorum ex aëre, non tamen per modum quod aër affectus eſt, ſed actionis ſyderum quæ pro quolibet inſtanti temporis in nos influuntur. Et hanc regulam diligenter conſidera atque etiam obſerua.

Tertium verò quod præmittere oportebat eſt, quoniam declarauimus in phyſicis, non eſſe niſi duas qualitates, vnam quidem agentem cœleſtemque, & vocatur calor cui opponitur priuatio quæ eſt frigiditas, alteram quæ eſt humidum elementale, cui ſiccitas, tanquam priuatio oppoſita eſt. Omnia igitur aſtra calida ſunt, quia omnia aliquid operantur, atque hoc Ariſtoteles & Auerroes quaſi vates intellexerunt, propter principia tamen falsò ſuppoſita, quæ ab Hippocrate & prioribus acceperant, non poterant reddere rationem eorum quæ admittebant, imò in maximas difficultates inciderunt tùm maximè Auerroës. Igitur Saturnus caliditatem habet metallis, & lapidibus conuenientem, tùm etiam herbis atque arboribus, tùm etiam quibuſdam animalibus, vtpote Scorpionibus & ſcarabeis: homini autem noxiam ac minimè congruentem ob idque frigidus dicitur. Sic non ſolum vnuſquiſque planeta, ſed etiam inerrans ſtella & ſuum habet calorem, & compara-

tione

tione diuerſorum calida dicitur, aut frigida, ſed hîc omnia ad hominem referuntur. De ſicco autem & humido alia ratio eſt, de qua nunc textum explicando diſſeram.

Dicit igitur Solem eſſe calidum, ſed paulum habere ſiccitatis: intelligit ergo Solem magnam habere caloris vim: Nam verè Sol eſt calidiſſimus, cùm tam procul diſtans & à terra, & à vertice ſic quandoque aërem in Britannia excalefaciat, quem nec mille magnæ pyræ accenſæ excalefacere ſufficerent. Quod ſi dicas hoc ex magnitudine contingere reſpondemus id non ſufficere, quoniam Sol licet dimetientem habeat quinquies cum dimidio globo terræ maiorem, habita tamen diſtantiæ ratione, videtur ac ſi eſſet tantus, quantus apparet. Vnde non malè omnino videntur Epicurei dixiſſe: Solem non eſſe, niſi qualem apparet, ſcilicet pedalem, vel paulò maiorem. Caliditas igitur illa eſt potius ob robur ſyderis, quam magnitudinem. Nam ſi ignis pedali rotunditate magnus ſub initio Cancri diſtans mille paſſibus à terra, ſolum circumageretur Britanniæ, nullum penitus ſenſum caliditatis effingeret in aëre. Ergo Sol ipſe longè igne calidior, atque viuacior. Verùm calor ille, quia ſiccus non eſt, immoderatus non dicitur. Intelligit ergo Solis calorem eſſe multum, non tamen immoderatum, coniungitur enim calor hic cum mundo. Itaque corpus quod ſic murmuratur, calidum eſt vehementer. Regula enim eſt, & quarta in ordine, obſeruatione digna. Quoniam omnis Planeta, & omne ſydus talem habet virtutem qualem habet impreſſionem. Veluti Luna, gratia exempli, Sole potentior eſt in nocte, quia lucere ſolet in nocte: quamuis ergo Luna ſit ſub terra nocte, ſicut & Sol, attamen Luna plus poterit quam Sol, quia Lunæ non repugnat lucere de nocte, ſicut Soli. Et ſimiliter, Luna plus poteſt in Borealibus regionibus & Auſtralibus iuxta Polos, quàm Sol, quia magis appropinquat illis partibus. Nam Luna poteſt habere quinque partes latitudinis tam Auſtralis, quàm Borealis: ergo cùm fuerit in primo puncto Cancri cum latitudine Boreali maxima, id eſt, in capite Draconis, erit propinquior Polo Boreali, quinque partibus ipſo Sole. Et eadem ratione cùm fuerit in cauda Draconis in initio Capricorni, erit propinquior Polo Antarctico, quinque partibus ipſo Sole. Licet igitur in hyeme Luna eſſet in principio Capricorni cum Auſtrali latitudine quatuor, aut quinque partium, plus poſſet in mutationibus temporum, & plus faciet apud Scotos quàm Sol, quia potentia talis eſt. In Braſilia autem & ſub Antarctico Polo duplici cauſa, & quia potentia talis, & quia actu iam propinquior eſt. Simili ratione ſub Polis non tanta eſt frigiditas quanta creditur, quia Luna, Venus, & Mars maximas habent latitudines. Luna quidem quinque partium, Venus autem, etiam octo excedit. Saturnus autem, qui frigoris author eſt, vix tertiam partem poteſt implere: Dictum eſt autem de his in Problematibus, & libris decem Aſtronomicorum Iudiciorum. Sequitur etiam pari ratione, vt Planetæ in prima domo vires habeant maximas, non in ſexto loco, cum tamen vtrinque fiat crepuſculum in Sole (nam ſtellæ aliæ iuxta luminis quantitatem eandem rationem ſubeunt) quia matutinum crepuſculum ad perfectum ſplendorem terminatur, veſpertinum autem deſinit in tenebras. Iuxta hoc igitur dicemus, Solem eſſe calidiſſimum. Et quomodo non erit calidiſſimus cum longiſſimam vitam decernat? Declaratum enim eſt à nobis in Medicis, vitam conſiſtere multitudine humidi pinguis, & humidum pingue idem ſubſtantia eſſe cum calore naturali. Cùm igitur Sol longæuiſſimos faciat, idem humidiſſimos, & calidiſſimos neceſſario faciet. Hoc autem contingit illi propter motus æqualitatem, vt non videatur immoderatè calidus: Quæcunque enim mouentur æqualiter, tepeſcunt: quæ autem modo velociter, modò tardè, qualitates magis excitant, non autem ſubſtantiam mutant. Declaratum eſt enim à nobis in expoſitione primæ partis primi libri Auicennæ, duplicem eſſe calorem, atque etiam duplex humidum, alterum quidem, ſubſtantia, atque hoc in genere Sol eſt calidiſſimus atque humidiſſimus, cuius aduentu omnia virent, & animalia turgent ad Venerem, & homines, vt dixi, fiunt longæuiſſimi qui illo præſente, & potentiſſimo naſcuntur. Cùm verò ad qualitatem reſpicimus, moderatè calidum dicimus; vt Ptolemæus: quia immenſitas caloris humidi multitudine obtunditur, & ſiccum paululum, quia humidum aqueum ab illo totum conſumitur, aut immutatur, iuxta quod humida ſecundum qualitatem dicuntur, id eſt, quæ aqueo abundant humido: ob id igitur Solem paulum ſiccum dixit Ptolemæus, quia vbi dominatur, nihil videtur humida aquei, ſed totum in pingue conuertitur humidum. Dixit autem effectum habere caloris & ſiccitatis verè potiùs quàm calidum & ſiccum: quia, vt diximus, Sol minimè ſiccus eſt, imò neque vlla alia ſtella (vt docebimus) ſed humidiſſimus, & non calidus, ſed calidiſſimus. At ipſe alia ratione ſequutus Peripateticos ſomniantes Solem non calidum eſſe, ſed calefacere, dixit effectum habere caloris & ſiccitatis, non calidum eſſe, vel ſiccum. Quod tamen, vt dixi, ſi ad qualitates referatur impreſſas, & non ſubſtantiam, veriſſimum eſt. Neque enim Sol, neque vllum aliud aſtrum qualitate præditum vlla eſt, ſed ſunt aſtra omnia impreſſiuarum qualitatum expertia. Calor enim qui in nobis fit, ſeu in igne, ſeu cum res dura mouetur. Oſtendit autem hoc Ptolemæus in magnitudine non quidem ſimpliciter tantum, ſed ſimpliciter & quo ad nos, nam fixarum plurimæ ſimpliciter maiores ſunt Sole, ſed non quo ad nos magnæ, Luna verò quo ad nos æqualis fermè Soli, ſed non ſimpliciter, Sol vtroque modo. Igitur cum maximus fermè ſit, plus continebit luminis & caloris. Peripateticorum enim ſententia, calor pro luminis magnitudine diſtribuitur. Non autem magnitudo ſimpliciter, ſed ex quantitate,

densitate, & claritate: sed Ptolemæus duo hæc vltima breuitatis causa prætermisit. Sicut etiam mutationem quatuor temporum causam facit magnitudinis caloris. Igitur, vt tandem hanc expositionem concludam, Sol quidem secundùm substantiam calidissimus est, & humidissimus, secundùm qualitatem impressam moderatè calidus est, atque paululum siccus. Ex quibus Haly non ineptè has quatuor regulas colligit.

Prima, Virtus omnium syderum consequitur magnitudinem ipsius syderis. Sed, vt dixi, melius est dicere ipsius luminis, quæ consistit in tribus, vt dixi, in corporis magnitudine, luminis claritate, & densitate. Secunda est, quòd postquam Sol præcellit alias stellas omnes, ideo etiam dominatur in omnibus, quæ sunt maxima, scilicet Regnis, Regibus, Magistratibus, Sapientiæ, Magnanimitati, Nobilitati, Fortitudini, Splendori, ac talibus. Tertia, quod propter temperiem significat etiam mores bonos, longæuam vitam, & incolumem, rationem bonam, amorem honorum, fidei, lucis, claritatis vestitum, pulchrarum gemmarum, & aureorum vasorum, munditiei, & lautitiæ. Quarta, vt habeat opera affectibus consequentia, vt versari cum principibus, diligique ab illis, ludere, iocari, à Republica non alienum esse, dignitatem retinere, & tamen esse comem, oculorum claritatem habere. Ex his etiam sequitur, vt omnia optima possideat in vnoquoque genere, inter metalla, aurum, inter gemmas carbunculum (Haly dicit Hyacinthum) inter animalia equum, leonem, aquilam, & inter arbores palmam, atque ita in cæteris.

TEXTVS XXX.

At Luna propterea quòd proximè terram fertur, vnde humidæ exhalationes exeunt, plurimum madefacit: Atque ita prorsus subiecta corpora potissimum & mollia reddit, & putrefacit. Habet tamen propter illustrationem Solis, etiam calefaciendi communicationem.

Saturni stella maximè frigidifica est, sed & non nihil arefacit. Quod vt verisimile est à Solis calore, & terræ humiditate longissimè distat. Cæterum & huius stellæ, & reliquarum vires exquiruntur etiam de obseruatione configurationum ipsarum cum Sole & Luna. Nam secundùm illas, aliàs aliter, pro intensione & remissione circumfusi nobis cœli, modum constituere, manifestum est.

Stella Iouis temperatæ naturæ est. Media enim fertur inter frigidificam Saturni & æstuosam Martis. Calefacit autem & humectat, sed quia calefaciendi vis præcellit, ideo fœcundi ad illa venti excitantur.

Martis stella & arefacit & vrit, sicut congruit igneo ipsius calori, & vicinitati solari, cùm subiectus illi sit orbis Solis.

Stella Veneris eosdem habet effectus, quod quidem ad temperationem attinet, quos Iupiter, sed ratio est diuersa: Nam quòd victat, quemadmodum & Luna, propterea quòd ingenti luce prædita attrahit exhalationem humidam à proximis terræ locis.

Mercurij stella ferè quidem non minus, aliquando arefacere quàm humores absorbere, propterea quòd non valdè longè à Sole recedat, aliquando tamen & humectare deprehenditur, cum superposita sit terræ proximo orbi Lunæ. Subitarum autem mutationum in vtrãque partem effectrix est inflata, quasi celeritate comitatus solaris.

Quicunque expositores conati sunt hunc librum exponere ante nos, non solùm coacti sunt diffidentia à philosophis affirmare, sed nec sic etiam experimentis satisfaciebant, quandoquidem in stellis nihil aliud sit quàm calor, nam humidum & siccum affectus sunt patientium corporum, qualia non sunt cœlestia: Frigiditas verò priuatio solùm caloris est. Sed nec simpliciter calor qualitas est, qualis in igne vel motu, sed substantia in lumine, vt iam dixi. Hic verò trifariam distinguitur, multitudine (quæ duplex est) tenuitate, & puritate, seu claritate. Siccantur etiam omnia, vel à crasso calore, vel à modico. Cùm enim aër humidus sit, maximus calor, si sit tenuis penetrando aërem inducit aqueos vapores atque ita concoquit & humectat, non siccat. Crassus autem, dum non penetrat, cùm primum calefacit, statim etiam siccat. Exiguus verò etiam siccat, tum præcipuè cùm crassus fuerit, quoniam cogit, neque dissoluit humidum: ob id Saturnus atque Mars siccant, sed Mars longè plus, tum quia plus calefacit, tum quia substantia illius impurior est. Est autem substantia illius non tota lux, sicut in Sole, sed crassior ac magis peruia.

Vt autem aliquid de his diligentius habeatur exquisitum, scire decet, quòd vnumquodque astrum, vt in physicis docuimus, dupliciter lucet, velut & Luna proprio quidem lumine atque Solis, quòd à corpore astri terso, atque solido reflectitur. Itaque cum neque omnino purum est astrum, sed substantia minus lucidum, neque solidum, tunc obscurius est: velut Mars & Luna ea parte quæ à Sole non illuminatur. Igitur stellæ fixæ quæ plurimum lucent, vt Canicula, proprio lumine lucent. Proprium autem non Soli simile, sed vel obscurius, vel debilius.

Verùm dices, Saturnus frigidus esse videtur, nam

nam refrigerat homines & illorum membra grauiter lædit:sed non simpliciter hoc fit, verùm quia Saturni corpus minorem habet quam homini conueniat, caliditatem. Rursus dubitabis, quia iunctus Lunæ frigiditatem auget, maximè hyemis tempore: Sed id etiam fit, quia cum Saturni calor minor sit quàm Lunæ, vt tepida aqua feruenti mixta, minus calidam efficit feruente: Et quæ minus calida est tepida, tepidæ, reddit minus quam tepidam. Itaque Saturni calor calori Lunæ iunctus, minorem illum reddit. Verùm dices, etiam cum solus Saturnus ascendit absque aliis frigus auget. Causa est pulcherrima, quia cum, vt dictum est in libris de Subtilitate, aër sponte sit frigidissimus qualemcunque consequitur caliditatem, ab astris consequitur: Saturnus verò cum omni alio astro frigidior sit, semper refrigerat dum aliorum opus impedit.

Sciendum est etiam quod vniuscuiusque syderis lumen proprium, est magnitudine, multitudine, tenuitate, & claritate ab aliis diuersum: Quòd verò reflectitur, cum sit Solis, purissimum est, tenuissimum atque densissimum, ob id etiam concoquere potest, calefacit & humectat. Quamobrem Ptolemæus Soli & Lunæ propriè & maxime vitæ principia tribuit. His visis, ad textus expositionem accedo: Luna cum sit terræ propinquissima, plus in illam agit lumine suo, eleuatque vapores ex parte humidiore (nam exsicca non possunt eleuari (ideò humectat & madefacit aërem. Est alia causa quæ à Ptolemæo adducitur, scilicet cur Luna trahat vapores manifestè à terra, & humectet; quia non habet à quo impediatur. Nam licet Venus & Iupiter humectent & madefaciant, cùm tamen Mercurius & Luna intercipiantur, non potest adeò esse manifestum opus illorum. Tertia causa est à Ptolemæo declarata cum dixit, quòd propter lumen Solis habet vim excalefaciendi,& est clarum,quia lumen illud, vt dixi, est densum, purum, & tenue, humectat autem vtroque lumine,scilicet proprio & Solis, sed calefacit solum manifestè lumine Solis. Calor enim illius proprius est fermè similis calori Saturni. Dixit quod propter hoc mollit corpora & putrefacit: mollit quidem quia humectat, omne autem corpus tantum habet molliciei quantum & humidi. Verùm putrefacit quia humidum & calidum augentur: Sed humidum à duobus caloribus: scilicet proprio & Solis, calidum ab vno tantum. Quapropter humido vincente calorem, fit putredo: nam putredo prohibetur, vel quia calor dominatur humido, vel quia deficit humidum, vel quia deficit calidum: modo Luna dominante nihil horum fieri potest, igitur Luna putredinis causa est. Sed dubitatur, quoniam Luna plena luminibus frigus maximum fit in hyeme? augetur enim frigus apud nos à nouilunio ad plenilunium, tametsi Luna cum recedat à cóiunctione Solis,quia est in signis Australibus veniat ad nos, igitur Luna videtur esse frigida. Sed hoc est casu, non per se: vapores enim plurimos eleuat à terra, qui cum sint frigidissimi aërem magis infrigidant. Nam & Sol à Tropico Capricorni recedens hanc ob causam magis infrigidat & sæuiorem facit hyemem. Par autem est ratio de Sole per triginta partes Capricorni,& de Luna donec peruenerit ad oppositum Solis peragratis fermè ducentis partibus signiferi:Nam Luna est longè tepidior Sole:Cùm igitur Sol per triginta illos gradus in quibus accedit ad nos, deberet minuere hyemem, & tamen auget, Luna idem faciet per totam illam medietatem qua ad nos accedit, eadem ratione:

Ex his verò quæ à Ptolemæo dicta sunt quædam excipiuntur, primum, quòd Luna significat omnia quæ sunt secundo loco, velut inter metalla argentum. Similiter & omnia quæ humido abundant, vt cerebrum in homine, & oculos, & medullas, & etiam in animalibus, hæc enim valde correspondent naturæ Lunæ, quia sunt vehementer humida & parum calida. Ideò nihil mirum est quod ouium medulla & oculi felium sequantur incrementa Lunæ. Tertium, quòd cum Luna sit velocis motus, significat etiam eos qui sũt in assiduo motu,vel vt nuncios & cursores. Quartum, quòd cum agat ratione humidæ qualitatis propter propinquitatem ipsi terræ, id est, cùm erit in media cum Sole quadrata radiatione, tunc maximè humectabit. Hoc autem magis in ea quæ sequitur oppositionem, quamque coniunctionem.Ob id tunc maximè Oceani æstus augentur. Quintum, quòd cum caliditas augeatur iuxta luminis quantitatem, quam à Sole recipit, cùm magis plena erit luminibus tunc magis excalefaciet. Sextum, quòd cum Luna in quadrata radiatione Solis sit humidissima, quia terræ propinquissima & mediocriter calida, quia mediocre lumen habet à Sole, ideò tunc maximè putrefaciet, & hoc est manifestum in pestilentiæ temporibus experimento. Nam nullo tempore magis sæuit pestis, quàm in vltima quadra, Septimum, quòd Luna vt propinquior Soli fuerit plus simpliciter recipit luminis à Sole, minus autem in comparatione nostri. Ideò verò cum recedit maximè à Sole tunc plena luminibus dicitur. Octauum, quòd in planetis tardioribus non tantum facit velocitas motus, sicut in tribus inferioribus. In Venere igitur velocitas motus consideranda est, & multum facit, magis autem in Mercurio, maximè autem in Luna.

Vt verò Solis proprium est gignere & vitam animamque fouere, ita Lunæ corporis incrementa præbere, ob id humidis omnibus præest. Et nocte etiam quod eo tempore maximè illius vis vigeat, cuncta augentur maximè plantæ, vt in die vitam accipiunt florésque aperiuntur, & fructus ac semina maturantur. Eadémque ratio est aspectuum illius ad Solem in incrementis, quæ quatuor temporum in Solis vita augenda, nam prima quarta maximè humectat, secunda calefacit, tertia siccat, quarta refrigerat, atque huiusmodi plerumque est, dispositio cerebri natorum. Sed & ipsa ad Solem habitudo si subtilius distinguatur, in nouem diuiditur discrimina. Falcata à prima visione ad sextilis

Solis radios : inde ad quadratos diuidua ad trigonos verò gibbosa, post plena, vsque ad Solis oppositionem, inde ad trigonos radios rediens, globosa ad quadratos, ex his repanda, post cæsa, inde incurua, demum silens & occulta.

Saturni autem stella quia plurimum recedit à Sole, debiles recipit illius radios, igitur minimum calefacit simpliciter, hoc autem est multum refrigerare in comparatione quoad nos. Cùm verò Saturnus, Ioue & Marte intermedio, distet à Sole, longè plus distat quàm Luna, quia Martis & Iouis cœli decuplo maiores sunt cœlis Veneris & Mercurij, & quoniam tardè mouetur longè frigidior est Luna, quæ velocissimè & generaliter nullum astrum frigidum est, sed non tantum calefacit, quantum ex vsu humanæ naturæ est, quæ calida est & humida, & non parum: planetarum autem comparatione calidus est & humidus. Coacti autem sunt antiqui dicere Saturnum frigidum valde & ita credere, quia elementa omnia non posuerunt frigida, vt nos arbitramur, sed aerem esse calidum, & etiam ignem esse elementum frigiditas: ergo est elementum. Astra dicuntur frigida, quæ non possunt quantum debent calefacere, illa eiusmodi est Saturnus ob altitudinem & substantiæ raritatem.

Cæterùm dat regulam generalem, quoniam oportet in aliis quinque erraticis considerare illorum habitum ad Solem non solum, sed etiam ad Lunam. Quomodo autem, dicemus inferius: Bifariam autem generaliter, vel aspectuum ratione, vel vt sint orientales à Sole: hac enim constitutione omnes gaudent, & vt sint occidentales à Luna. Dixit autem Saturnum parum arefacere, quia plurimum ab humidio terræ distat: quoniam declaratum est quod Luna propter id humectat, quia plurimum vaporum eleuat à terra propter propinquitatem. Saturnus igitur cum sit distans plurimum à terra, siccabit, quia comprimet vapores humidos propter crassitiem & paucitatem caloris sui. Parum autem, dicit, exsiccat, quia non potest fieri siccitas magna, vt dictum est, nisi à calore immenso. Saturnus autem præest plantis, non quia frigiditas eius faciat ad plantarum generationem, nihil enim minus, sed quia prohibet generationem vermium frigiditate sua, & seminis putredinem, à quibus semina corrumpuntur & infrugifera euadunt. Nam quod ad fœcunditatem illorum pertinet, Iupiter author est cum Sole & Luna.

Is igitur cum sit medius inter Saturnum & Martem temperatus est in calore, quia mediocriter propinquus est Soli, & quia mediocriter validos excipit Solis radios. Ideò verò temperatus & fœcundus, quia vbi calidum humido dominatur, ibi est temperamentum & fœcunditas optima: modò Iupiter calidus est mediocriter & temperatè humidus, ideò fœcundus est, & temperatus dicitur, id est, optimè dispositus. Excitat autem ventos, quia calidum humido iunctum, superante humido, generat vapores, vt in Venere & Luna, superante autem calore, ventos, vt in Sole & Ioue. Mars igitur calidior est Ioue, quia propinquior, & etiam quia densior: ob id enim rubet quia substantia crassa est, ob id etiam arefacit. Sed & Venus calida est & Ioue calidior, quia Soli proprior est, ob id igitur excalefacit manifestè: Similiter & humectat, causa est, dicit Ptolemæus, quia plurimum habet luminis, supple solaris: tale enim lumen profectò, vt declaratum est quia tenue est, & densum, & purum, multum excalefacit. Quia in hoc sequutus est Aristotelem, qui existimauit omnia astra lumine solo Solis lucere, cùm tamen non ita sit, hoc enim bis demonstrauimus in physicis. Ideo nostra sequendo principia, in quibus si quis persistat nihil absurdum cogetur fingere, & quæ Ptolemæo non contradicunt, quoniam nondum inuenta essent, dicimus Veneris lumen proprium esse esse ex Solis natura. Est enim Veneris cœlum quasi vnum substantia cum cœlo Solis quod apparet ex motibus qui fermè iidem sunt: Vnde qui fabricant sphæras cœlestes iungere solent Venerem Soli in vna sphæra.

Solum igitur supponere decet, omnia Astra proprio & Solis lumine prædita esse, Lunam quidem plus alieno, cætera proprio, aut æqualiter, sed valde pauca: demonstratum est enim hoc, vt diximus. Superest igitur vt declaremus, cur Venus non sit adeò calida vt Mars, cùm tamen sit Soli proximior: defferens enim absidis Veneris superius tenuius est defferente Martis inferiore. Causa est, quia vt dixi de Sole (& innuitur à Ptolemæo in textu) multitudo luminis & (vt dictum est de Luna) propinquitas eius ad terram, facit vt attrahat plurimos vapores à quibus refrigeratur aër & calor minor redditur, atque ita temperatur. Quod verò hoc non sit commentitium, facilè est intelligere ei qui scit quod iam etiam diximus aliàs, scilicet insulam sancti Thomæ, quæ sub æquinoctij circulo posita est, hyemem pati, quodque maius est, Sol illorum capitibus superstat, scilicet propter vehementem humidi attractionem atque vaporum. Si igitur hoc in Sole qui tanto viuacior est Venere, quid de Venere censendum erit? Venus igitur minus calida est Marte, quia Mars propter paucitatem luminis, & raritatem, & remotionem à terra non potest trahere vapores, sed ab aliis attractos consumit & dissipat, & ob id Mars dicitur siccus: vt regula qualitatum passiuarum ita statuatur: Astra quæ abundant plurimo lumine & puro atque tenui, dum trahunt multos vapores & purum, multum resoluunt, humectant egregiè: Quæ autem mediocriter resoluunt, temperatè humida sunt: quæ autem non trahunt & plurimum resoluunt, sicca sunt valde, vt Mars, & fixæ quæ ex illius natura sunt. Quæ verò non trahunt, resoluunt tamen parum, parum sicca sunt, vt Saturnus & fixæ quæ ex illius natura sunt. Hinc soluitur dubitatio, cur, cum Iupiter medius sit inter Saturnum & Martem, qui sicci sunt ambo, ipse tamen sit humidus? videtur enim pari ratione qua Ptolemæus illum esse temperatum dicit, quia medius sit inter Saturni frigiditatem & Martis calorem quod

etiam

etiam debeat esse siccus? Sed hoc non vult Ptolæmeus quod quicquam Iupiter accipiat à Saturno vel Marte: esset enim absurdissimum: sed quia mediocriter distat à Sole: Mars autem quia nimis propinquus, ideò calidissimus: Saturnus quia maximè remotus, ideò quam minimè calidus. Ex quo apparet Solem minimè esse siccum sed humidum, aliter Iouem necesse esset esse siccum. Humidum autem & siccum, vt centies dixi, non pendent in planetis à Sole, sed à proprio calore & illius qualitate, scilicet multitudine, densitate, puritate, & tenuitate. Iupiter igitur cum luminis plurimum habeat & sit valde magnus, scilicet maior Saturno & Marte, & verè, & quoad visum, trahit vapores, & humectat, sed parum trahit, quia valdè est remotus à terra. Nullus igitur superiorum potest esse valde siccus. Mercurius tamen est siccus.

Ideò dixit quod Mercurij stella aliquando siccat propter propinquitatem Solis: non intelligit in situ, quia sic Venus est Soli propinquior, sed in loco, quia non recedit à Sole vnquam plus viginti octo partibus, modo citra, modo vltra: sed humectat quia est prope Lunam secundum situm. Cœlum enim Mercurij contingit cœlum Lunæ, & etiam quia dum est propinquus Lunæ, est etiam propinquus terræ, & ideò trahit vapores & humectat. Et quia breuissimo tempore redit ad Solem, & recedit ab illo ideò facillimè mutatur, & omne quod est potentia tale. Præterea quod frequenter ad secundam peruenit stationem vbi inferiores plurimum humectare solent, ea autem est cum orientalis est: ideò Mercurius semper facit ancipitem naturam & semper noua excogitantem, quia Mercurij sydus nunquam quiescit, vt bene dicit commentator: Ideò Luna & Mercurius efficiunt admodum instabiles homines, quia neuter eorum quiescit vnquam. Sed quia Lunæ est perpetuò manifestus, ideò instabilitas lunaticorum est omnibus cognita: quamobrem stultitia nominatur. Mercurij verò cum dubia sit & non adeò manifesta, calliditas appellatur, & ad prudentiam referri solet, quamuis non sit verè prudentia, sed natura instabilis & dolosa. Neque enim verè vnquam quiescit, nec stare vllibi propriè dicitur, sed à directo cursu statim redit, & à reditu progreditur, & ob assiduum motum exiccat.

Cùm igitur est cum Sole, exiccat ob paucitatem luminis, & etiam occidentalis, vt dicemus: orientalis autem humectat si fit remotus à Sole, & maximè Lunæ propinquus, aut in illius configurationibus. Quantum enim Sol calefacit, tantum fermè Luna humectat. Indicio est, quòd dormientes sub Lunæ splendore, humido alieno valde replentur: & carnes quæ in lumine Lunæ exponuntur, putrescunt. Ergo Mercurius ob frequentes & celeres mutationes, & ob luminis puritatem (adeò enim lucet, vt quandoque etiam per diem, vt dictum est, videatur) mouet ventos: præcipuè tamen ob duas alias causas, & quòd circa Solem versetur semper, Sol autem, vt dictum est, ventorum causa, & quòd in paruo circulo celerrimè motus, vt virga quasi stridens dum concutitur, aërem perpetuò moueat & conturbet. Atque hæc de textus expositione.

Nunc verò doceamus ex his consequentia: Saturnus dominatur melancholiæ: Iupiter sanguini: Mars bili: Sol sanguini in arteriis contento: Venus semini: & Mercurius spiritui & vaporibus: & Luna pituitæ & sanguini menstruo, is enim pituitosus & crudus. Rursus Saturnus dominatur senectuti & senibus à 68. anno supra, Iupiter antecedenti ætati in qua sanguinis temperies viget, non feruor: Luna in primis quatuor annis, quibus maximè comitiali morbo obnoxij sunt, atque ita à quinto ad 14. Mercurius præest: post Venus ad 22. & sic de reliquis. Nam vltima ætas est frigida, tremula, inepta, tristis, morbosa, pauida: quæ omnia sunt Saturni & eius naturæ propriæ. Sic de aliis. Et eodem modo Saturnini lenti sunt, pauidi, taciturni, suspitione & dolis pleni, auari, tristes, & stulti: ob id etiam laboriosi & pauperes, contempti atque infelices. Iupiter graues, mediocres, in actionibus prudentes, iustos, liberales, diuites, honoratos, fideles atque felices. Mars præcipites, audaces, & temerarios, loquaces, simplices, prodigos, lætos, furibundos, inæquali statu semper varios. Sol fortes, secretos, probos, magnificos, lætitiam præ se ferentes, magnanimos, cogitabundos, honoratos, quietos. Venus quales Iupiter, sed luxui, & ocio, & libidini magis deditos. Mercurius varios & sagaces, dolosos, & auaros. Luna inconstantes, laboriosos, minimè magnanimos. Saturnus quoque dominatur cicutæ, halicacabo, appollinari herbæ, mandragoræ, scorpionibus: Sol aromatibus & acribus: Mars amaris & venenis quæ ob calorem statim occidunt: Iupiter dulcibus: Venus pinguibus: Mercurius falsis, mixtam enim talia habent naturam: Luna insipidis. Saturnus iuxta hoc, pater est agricolarum & mendicorum: Iupiter mercatorum, magistratuum, sacerdotum: Mars militum & tribunorum: Sol Regum, Principum, & aulicorum: Venus ociosorum, & coquorum, ac musicorum, & poëtarum: Mercurius Thesaurarios secundos, qui sunt à secretis, artifices omnes generaliter, scriptores & eruditos omnis generis, philosophos & professores: Luna nautas & nuncios significat. Iuxta hoc igitur solum ex primarum qualitatum natura ac mensura mixtionéque non propria, sed quæ ex caloris magnitudine procedit, genera omnia effectuum in planetis dignoscuntur. Quæ verò ex illorum commixtione fiunt, tot sunt & alia ac tàm diuersa ab illorum simplici natura adeóque mirabilia, vt qui non vim compositionis intelligat, vix credat hæc fieri posse stellarum decreto. Tertia regula est, quòd postquam hæc à temperatura proueniunt, ita illa mutata, mitescunt, aut corrumpuntur.

TEXTVS

TEXTVS XXXI.

Quæ cum ita sese habeant, cúmque quatuor sint humores, seu primæ naturæ: Duæ fœcundæ & viuificæ, nempe calidi & humidi, ex his enim omnia & coalescunt, & roborantur: itémque duæ exitiales & detrimentosæ, aridi & frigidi, vnde rursum dissipantur, & debilitantur omnia. Tradidere similiter veteres, & stellas beneficas esse, Iouem, Venerem, & Lunam, eo quod temperatæ naturæ sint, & in qua plurimum insit calidi & humidi. Stellas verò Saturni & Martis maleficas, quod contrariæ sint naturæ & effectus. Alteram enim frigidissimam, alteram feruentissimam esse voluerunt. In medio verò reliquerunt Solem & stellam Mercurij, vt participes vtriusque naturæ suósque effectus accommodantes illarum stellarum ad quas accesserint, proprietatibus.

Cùm docuisset primas qualitates harum stellarum, scilicet errantium, declarat, quæ ex his sequuntur, eandem fermè quam & nos docuimus primarum qualitatum, quamuis eorum qui ante nos fuerunt opinionem sequutus. Par enim erat cum frigiditas atque siccitas solæ essent priuationes, nihil præstare præter impedimentum. Itaque quæ vel immodicè frigida sunt, velut Saturnus, vel immodicè sicca velut Mars, quem feruentem appellat, quoniam maximæ siccitati immodica caliditas necessario, vt dictum est adiungatur: intemperata seu malefica appellat. Quæ verò calido humidóque abundant temperata atque benefica. In quibus igitur calor humido perfectè dominatur, vt in Ioue, temperamentum est supremum, & benefica maximè: in quibus mediocriter propter humidi abundantiam mediocriter temperata vt Venus, atque benefica. In quibus autem minimè propter caloris paruitatem minimè temperata, miniméque benefica, velut Luna. Manifestum est igitur quod Luna dum luminibus plena est, maximas adducit felicitates, quoniam calida satis est pro humidi ratione: Vbi verò vacua, debiliter quidem nobis benefacit. Eadem ratio & in Mercurio, qui cum modo siccus sit, scilicet cum Soli aut Marti iungitur, modò frigidus, cum Saturno, maleficus erit atque intemperatus. Similiter cum Ioui, Veneri vel Lunæ iungitur, calidus & humidus efficitur, atque ideò temperatus & beneficus. Mercurij enim stella à Sole atque Luna vincitur ratione quidem generali, quòd potentissima sint hæc luminaria. At verò ab omnibus aliis planetis, tùm verò in errantibus maioribus vincitur atque mutat duplici ex causa, & quod simpliciter minimus sit inter omnes stellas, visu etiam minimus, & quòd celeriter motus ab aliis astris, quæ non celeriter moueri possunt, validiore influxu facto succumbat. Accedit quòd Mercurij sydus potentia, vt dixi, in vtramque naturam mutari paratum est. Tria igitur in his iam docuit, qualitatem, scilicet luminis, magnitudinem, (quæ prima est in Sole, deinde in Ioue, quoad robur & quoniam in toto corpore est. In Luna verò, quoad densitatem ac terræ propinquitatem, post Venere post Marte, inde Mercurio, atque Saturno) deinde temperiem, quæ optima est in Ioue, secundo loco in Venere, tertio in Luna, mediocris in Mercurio atque mutabilis, praua in Marte, pessima in Saturno, ab his verò opus quod à facultate fit, id verò perpetuò similimum facultati. Vnde temperatissimæ etiam maximè beneficæ, intemperatæ autem maleficæ. Sol maxima omnium fortunarum est, neque planeta vllus magis est beneficus, neque magis temperatus, vt suprà ostendimus. Verùm quia planetas reliquos primum lumine suo impedit dum occultantur sub illius radiis, maleficus dicitur, quoniam illius lumine aliorum decreta benefica frustrantur. Deinde etiam quod maleficarum vires fouendo, aut repugnantia quadam ac veluti dissidio, vt cum Saturno iungitur, maxima afferat incommoda. Tertium, quòd cum æstatem facere possit, & hyemem, potentia quidem maximas mutationes subire aptus est: omne autem astrum, vt declaratum est, tales habet actiones, quales potentia ipsum est. Mutationes autem recipit & ab astris errantibus, & à locis ipsis superioribus cœli noni. Ab astris quidem magnis triplici causa, & quòd tardiora sint, & quòd maiora, & quòd altiora. Porrò neque altitudo, neque tarditas lumen illius immutant, sed opus tantum vincunt. Magnitudo verò etiam lumen vincit & supereat. Est & quarta ratio qua Solem inter ambiguæ naturæ sydera collocamus, quoniam velut quicquid nobis euenerit boni malive in signis Principibus imputamus, ita impedito Sole ingentia mala sequi consueuerunt, quæ in illum reiicientes, infortunatum & maleficum appellare audemus ingrati, cùm tamen natura sua nullus sit melior. Nam longæua vitæ spatia, corpus incolume, mentem synceram atque optimam Regias dignitates, honorésque atque opes, plus Sol largitur, quam omnes errantes aliæ stellæ simul, vt non immeritò Sol quasi solus appelletur. Quod verò calidam & humidam intemperiem temperatam appellauerit, nos equidem non vt alios, minimè fatigat. Moderata enim qualitas temperamenti nomen meretur, multitudo autem vt calida dicantur & humida. At quæ non ob multitudinem, sed qualitatis excessum calida & humida dicuntur, non iam temperata merentur

sed calidæ & humidæ intemperies, velut frequenter Veneri & Lunæ, rarissimè autem Ioui contingit, cum debilitatis luminibus atque corruptis, inanes qualitates potius quàm luminis multitudinem ad nos detulerint.

CAPVT V.

TEXTVS XXXII.

De Stellis masculinis & fœmininis.

RVrsus cum primarij sexus duo sint: Masculinus & Fœmininus, conferenda ex supra dictis naturis humiditas ad fœmininum, quòd illa in hoc seu abundet, reliquæ verò ad masculinum apponentur. Proinde conuenienter traditur Veneris stella & Luna fœminini sexus, propterea quòd in illorum naturis humiditas excellat. Sol verò stelláque Saturni, & Iouis, & Martis masculini: At Mercurij stella vtriusque particeps, cùm ex pari siccæ & humidæ constitutionis effectrix sit. Cæterùm ipsæ etiam stellæ masculas fœmininásque vires suscipere dicuntur, pro eo atque erga Solem sese habuerint. Ac masculescere quidem matutinas & antecedentes, vespertinas & sequentes effœminari: Similiter pro eo atque habuerint sese erga horizonta. Nam ab oriente vsque ad medium cœli, nec non & ab occasu vsque ad imum cœli, masculescere tanquam orientales, in reliquis autem duabus portionibus, tanquam occidentales effœminari.

Masculos planetas vocat efficaces magis, & qui etiam masculorum fœtuum sint significatores. Constat enim quòd in omni fermè genere masculi sunt fœminis efficaciores præterquam, vt dicunt, in Vrsis. Hæc igitur sunt vtilitates: & vt sciamus quibus gaudent locis atque signis. Vnusquisque enim errantium suo simili gaudet. Non tamen loco, sed omnes masculino. Beneficæ etiam masculino maleficæ effœminatæ quouis modo minus nocent. Trifariam autem dicitur masculinus planeta, aut fœmininus: Natura, & hæc est quoties humidum non vincit calorem, at ita Saturnus, Iupiter, Mars, & Sol masculini sunt: nam Iupiter tametsi humidus sit, non tamen humidum calorẽ vincit. Sic & Saturnus cum frigidior sit quàm siccus, masculus est. Nõ igitur quia humidus planeta, ideò fœmininus, sed quia calor ab humido vincitur, vt contrà in masculis superat & concoquere potest semen. Venus igitur & Luna, cùm humidum maius sit calore, fœminini sunt planetæ. Mercurius verò, vt in reliquis, ancipitis est naturæ. Comparatione ad Solem quilibet planeta masculinus fit, cùm dum Sol oritur, est supra terram, & quicunque sub terra est, tunc fœmininus: vel, vt idem aliis verbis dicam, quicunque ordine signorum minus sex signis distat à Sole, fœmininus est & occidentalis; quicunque plus sex signis, masculinus & orientalis: orientales matutinas vocat, quæ ante Solem exoriuntur, occidentales vespertinas dicit, quæ post Solem oriuntur stellæ: vel, vt aliter explicem, & causam simul reddam, cur orientales stellæ occidentalibus sint efficaciores. Orientales vocantur, quæ nocte oriuntur, nam tunc splendorem suum visibilem habent, atque ideò efficacem: omne enim astrum, vt inferius docebimus, vim suam in ortu acquirit, quæ si iam exorto Sole obumbretur, vt in occidentalibus, quorum ortus est de die, multo minus aërem afficit. Itaque qui sint orientales qui occidentales planetæ, & cur masculini sint, aut fœminini, debiles aut validi, iam intellexisti. Occidentalem autem planetam intelligit hic, atque orientalem generalius quàm ab quoniam per opposita diuisio est, vt omnes errantes hac diuisione sub altero membrorum masculini vel fœminini comprehenderentur: Comparatione mundi, quicquid est ab ortu ad cœli medium quod ascendat, est masculinum, quod à cœli medio ad occasum, fœmininum, atque id omnino certum & ab omnibus receptum. At quod à septima ad quartam sit masculinum cum descendere videatur à quarta verò ad primam fœmininum cum ascendere, id non ab omnibus conceditur, sed plerique quod est à quarta domo ad decimam masculinum, quod à decima ad quartam fœmininm esse volunt. Verùm seu ratio sumatur ab ascensionibus, quæ æquales sunt à prima ad decimam, & à septima ad quartam, sicut & à decima ad septimam, his quæ à quarta ad primam, seu quoniam ambæ vel æqualiter ascendunt ad meridiei circulum vel ambæ æqualiter descendunt, seu quod nonnisi partibus quæ supra terram sunt, vim tribuat Ptolemæus, aliis autem oppositionis causa, tandem id constat (atque ea ratio maxima est) à septimo loco ad quartum ascẽdere astra à quarto autem ad horizontem seu ascendens descendere. His regulis manifestè declarauit Ptolemæus non solum quæ astra essent masculina aut fœminina sed & quæ validiora & imbecilliora. Nam tres superiores ac Sol, cùm maximi sint inferiorum comparatione & altiores, potentiores sunt fœmininis minoribus atque inferioribus: inferiores enim fœminini sunt. Mercurius enim qualitate masculinus est, imbecillitate fœmininus.

CAPVT VI.

TEXTVS XXXIII.

De Diurnis & Nocturnis.

PRæterea cum euidentia temporum discrimina dies & nox efficiat,

ciat, & diurnum quidem ſpacium maſculum cenſeatur propter calorem & rerum gerendarum opportunitatem, nocturnum verò fœmininum, propter inſitum humorem illi & acquieſcendi conuenientiam. Stellarum quoque conſimili ratione nocturnam eſſe docuere Venerem & Lunam, diurnos Solem, & ſtellam Iouis, promiſcuum Mercurium. Sicut matutina in figura diurnus, in veſpertina nocturnus habeatur. Vtrique etiam conditioni attribuere maleficarum alteram, ſecuti non ſimilitudinem, ſed diuerſitatem naturarum. Nam ſi ſtellis bonæ conſtitutionis ſimilia applicata fuerint, augentur vires bonitatis illarum, ſed exitialibus admiſta diſſimilia coërcent vehementiam maliciæ illarum. Qua de re frigidam Saturni ſtellam attribuere calori diurno, ac Martis ſiccam humiditati nocturnæ. Hoc enim modo vtraque ad temperatam conditionem accedet, poſtquam à contraria conſtitutione correcta moderationémque adepta fuerit.

Poſt temperiem ac ſexum docuit errantium naturam tempori congruentem, naturalem in omnibus ſecutus rationem, vt ſcilicet, temperatis ſimilia tribueret, vnde Soli & Ioui diem propter calorem, Veneri & Lunæ noctem ob humidum: planetæ enim hi temperati ſunt, & qualitates tantum duæ vt dixi, calor & humidum: In Sole autem & Ioue calorem humidum & omnem aliam qualitatem ſuperare docuimus: velut in Venere & Luna humidum ſuperat calorem, longéque magis aliam omnem qualitatem. Saturnus autem & Mars non vt reliqui ſunt accipiendi, diurni & nocturni ob naturam ſuam, ſed vt minus noceant: ita vt Saturnus eſt diurnus, quia minus nocere poteſt, cùm ſi minus frigidus, ideò etiam minus ſiccus, quia frigidum non redditur ſiccius, niſi frigiditate aucta, vt in nocte tempore enim hyemis non magis ſiccatur terráque in nocte per glaciem: Ita Mars cum ſit calidus & ſiccus noctu redditur frigidior: & ideò humidior, quoniam in æſtate non magis ſiccatur terra à calore quàm in die. Sic igitur Mars cum ſit diurnus efficitur nocturnus quia minus nocet: eſt enim temperatior & humidior. Intelligi autem poteſt trifariam nocturnus vel diurnus, vel quod natiuitas ſit, vtpote nocturna, & hic ſenſus non eſt verus: Si enim tum ſit ſub terra duplici afficietur malo, & quod erit calidior ac ſiccior ob Solis præſentiam & quod erit ſub terra. Secundus modus eſt, vt diurnus intelligatur ſuper terram, nocturnus ſub terra, nec hic ſenſus congruit: quomodo enim erit Saturnus diurnus ſuper teram de nocte, cùm propriè ſit nocturnus relinquitur, tertius modus vt dicatur diurnus in diurna genitura ſuper terram, & in nocturna ſub terra, nocturnus autem in diurna infra terram in nocturna ſupra terram, & ſic intelligi debet. Sed quia videretur quod Mars ſi deberet eſſe nocturnus in die, oportet vt ſit ſub terra & in nocte ſuper terram: & ideò videretur eſſe quaſi in oppoſito Solis, & ob id retrogradus: dico quod erit in bono ſtatu, in die ſi fuerit in ſexto loco dum Sol eſt in ſeptimo. Sic enim erit orientalis, numeróque auctus & nocturnus, melior etiam ſi ſit in quinto loco, & Sol in ſeptimo, non diſtans plus 45. gradibus, cùm ſit orientalis auctus numero & motu nocturnus, & in ſuccedenti. Pari conditione erit in aſcendente, cum Sol fuerit in duodecimo aut vndecimo: licet enim tum ſit nocturnus & in angulo erit, tamen occidentalis luminéque diminutus, licet motu auctus. Melior iſtis cùm Sol fuerit in aſcendente & Mars in duodecimo loco, vel in nono in trigono eius radio, ſed tum erit fermè in prima ſtatione, cùm erit orientalis & humidus. Optimus eſt, dum Sòl eſt in aſcendente vt ſit in vndecimo loco, nam Sol tendit ad eius Sextilem, & Mars erit in ſuccedenti orientalis auctus lumine & motu. Et tamen nocturnus cum hoc, & in omnibus his præſupponitur, quod Mars ſit in ſignis in quibus gaudet, aut ſaltem finibus, aut locis. Eadem pro ratione in Saturno. Oportet enim in mala temperie ſemper deteriores qualitates emendare. Ita fiet, vt ſi Saturnus in die dominetur, non adeò refrigeret, nec Mars in nocte adeò exiccet: quare neuter tantum nocebit. Sed Iupiter quomodo in die magis iuuabit, cùm iam confeſſum ſit omnia aſtra die vires amittere? Hoc igitur per ſe eſt intelligendum ſeu ſupra terram ſit, ſeu infrà, ſeu orientalis, ſeu occidentalis, vt fiant iuxta hoc ſtatus octo ſingulorum planetarum, Solem excipiendo.

In die ſupra terram orientalis.
In die ſupra terram occidentalis.
In die infra terram orientalis.
In die infra terram occidentalis.
In nocte ſupra terram orientalis.
In nocte ſupra terram occidentalis.
In nocte infra terram orientalis.
In nocte infra terram occidentalis.

Cùm igitur Iupiter in die fuerit ſupra terram atque orientalis, erit optime diſpoſitus. Quòd ſi orieutalis de nocte ſupra terram, erit etiam benè diſpoſitus. Quòd ſi orientalis de die infra terram, minus benè diſpoſitus, quam his duobus modis, & quam ſi ſupra terram diurnus, ſed tamen occidentalis eſſet. Habes quatuor modos in benefica atque diurna: quatuor reliqui modi deteriores ſunt, vt peſſimus ſit Ioui eſſe in nocturno tempore infra terram & occidentalem, atque alij eadem ratione. Fuerunt tamen qui abſurdiſſimè diurnum in nocte præferrent ſub terra, cum Ptolemæus doceat hæc non ante Solis præſentiam, ſed ad temporis naturam debere referri. Itaque orientalis ſemper melior eſt occidentali, & diurnus in die quam in nocte, ſupra terram quilibet planeta

ta

ta quam infra terram. Solis autem præsentiia ex se plus nocet quam iuuet. Amittunt enim omnes stellæ coram Sole lumen atque splendorem, & cum his etiam vires. Diurni verò actionibus sunt magis opportuni, nocturni magis defatigantur & præcipuè Venus. Mercurius suam ancipitem naturam retinet, matutinus cum calidior sit, diurnus est, vespertinus autem nocturnus.

Cæterùm sic colligemus hos status planetarum breuiter quandoquidem vtilissima sit hæc doctrina ad sequentia, & maximè congruens naturalibus rationibus. Duo sunt planetæ principales, qui & luminaria dicuntur Sol diei, Luna noctis. Sed in hoc differunt, quod Sol illuminat diem & efficit, Luna autem & si noctem illuminet, non tamen efficit: sed potius Solis ipsius absentiam Saturnus verò Iupiter diurni dicuntur, quia simpliciorem motum habent, semelque subsequuntur, ac Mars & Venus nocturni appellantur, quia in eodem anno diutius sub Sole vterque eorum lateat: non quod sæpius occidant & obscurentur: quandoquidem hoc solum verum, sit de Venere non de Marte. Venus enim quia nunquam à Sole ex proprio orbe discedit, & circulus eius paruus celerius anno vertitur modo orientalis, modo occidentalis euadit. Martis autem orbis semper progreditur lentius quàm Solis, ideò non potest eodem anno bis fieri orientalis, aut occidentalis, vt Mercurius & Venus: bene diutius latitat sub Sole, vt illi: nam Saturnus & Iupiter propter motus tarditatem paulò plus mense absconduntur, Mars tribus & mensibus; & Venus quatuor latitant. Ait etiam Porphyrius non verè contra signorum successionem ferri planetas. Ex quibus duobus tam manifestis erroribus patet, quàm imperitus fuerit artis: quanquam parum fidei illius commentariis in Ptolemæi libros sit adhibendam. Quem enim in claris cæcutire deprehendimus, quid in dubiis rebus authoritatis, aut quantum habiturum censebimus? Verùm quod de statu inferiorum ait sic intelligendum est, Venus & Mercurius semper cum Sole eodémque motu progrediuntur, verùm paruis propriis Sphærulis modo ante, modo retrò feruntur: terminus distantiæ orientalis, atque occidentalis vocantur maximéque longitudines. Ibi motus planetæ incipit permutari, nam si celerius Sole mouebatur post tardius procedere incipit: si tardius celerius atque hic iam habes longitudinem duplicem, & motus mutationem, seu ad excessum, seu ad diminutionem. Post verò vbi à longitudine occidentali diu erga Solem retrocesserit, in signifero tamen processerit ad primam peruenit statione: vbi non solum Soli propinquior fit, sed etiam in circulo signorum retrocedit, donec ad Solem appropinquando deuenerit & abscondatur, vocatúrque hic occasus vespertinus, qui enim vesperi videbatur, desinit occultatus radiis videri. Cùm verò Solem regrediendo superauerit tandémque ante Solem apparere cœperit, ortus vocabitur matutinus: habes iam sex status. Etenim ex hoc ad longitudinem maximam orientalem fertur, dum minus iuxta ordinem signorum procedit, habes & ex hoc duos alios status, stationem scilicet vtramque, quæ à visione & occultatione differt, licet plerunque propè sint, & nonnunquam in eodem loco fieri vtrumque possit statio, scilicet prima & occasus vespertinus: statio secunda & ortus matutinus. Vbi verò longitudinem orientalem planeta superauerit versus Solem maiore impetu fertur, donec propius illi accedens occasum efficiat matutinum: inde delatus vltra Solem efficiat ortum vespertinum. Hi autem duo ortus & occasus fiunt absque retrocessu. Contingunt ergo duobus humilioribus planetis, hæ decem affectiones, quas seorsum distinguere noscere oportet: inde coniungere, nam quædam perpetuò iunctæ sunt, vt maximè longitudines, cum mutatione velocitatis motuum in comparatione ad Solem, quædam nunquam vt retrocessus, & directio cum occasu vespertino & ortu matutino quædam nunquam vt ortus vespertinus, atque matutinus occasus. Ex his manifestum est etiam Ptolemæum æqua ratione diuisisse erraticas in diurnas, & nocturnas tres, & tres, & vnum ancipitem.

CAPVT VII.

TEXTVS XXXIV.

Quid valeant configurationes erga Solem.

NEque ignorandum vires cùm Lunæ, tùm trium stellarum, Saturni, Iouis & Martis intendi, aut remitti de figurationibus erga Solem. Luna enim ab oriente vsque ad primum incrementum cum quasi dimidiata, apparet, efficiens est humiditatis maximè. Inde verò vsque ad plenilunium, caloris. Hinc etiam vsque iterum ad dimidiationem, siccitatis. Atque etiã hinc ad interluniũ vsque frigiditatis. Et stellæ quas diximus, matutinæ vsque ad primam stationem, humoris plurimum habent A prima verò statione vsque dum oriuntur de nocte magis calefaciunt. Hinc etiam vsque ad secundam stationem, magis desiccant, à qua quidem donec occultentur, magis frigefaciunt. Atque has singulæ vires in vniuersum quidem in circunfuso nobis cœlo exercent, quibus præualentibus varietates tamen constitutionum plurimæ existunt, ex commistione diuersarum stellarum, coërcente contraria semper natura vniuscuiusque effectuum vehementiam.

Cùm in tribus præcedentibus capitulis de propria vniuſcuiuſque planetæ natura egiſſet, in hac de aduentitia agit. In fine autem, ibi: (Atque has) duarum dubitationum notationem reddit, primæ ſcilicet, cur non ſemper talia proueniant ab erraticis: impediri enim ſingulas aut mutari poſſe doces. Secundæ verò, quoniam cum quinque ſint tantum erraticæ ac duo luminaria, quonam pacto tot poſſint fieri effectus naturales omnino diſtincti. Reſpondet, quoniam ex mixtione horum, varietates plurimæ emergunt. Septem enim cum ſint ſtellæ quæ cœlos habent proprios, ac ſingulæ iam octo modis varientur, vt diximus, fient 56. modi. Inde ſimplicium vnuſquiſque maſculini vel fœminini ſexu duplicatur mundi non ſui ipſius habita ratione vel Solis, nam hi modi annectuntur vt fiant 112. Quatuor verò ex

Status.	
Saturni	32
Iouis	32
Martis	32
Lunæ	32
Veneris	16
Mercurij	16
Solis	4
Omnium	164

his, vt docebimus, quadrifariam etiam mutantur, ſed dicamus bifariam tantum, ne orientalem & occidentalem iterum repetere cogamur: igitur ſtatus trium ſuperiorum & Lunæ 32. Veneris autem & Mercurij 16. Solis verò à mundo quatuor. Sic igitur omnes erunt 164. vt verò duxeris Saturni ſtatus in reliquorum, fient 32. in 132. eruntque quatuor millia ducenti viginti quatuor. Iouis autem tria millia ducenta. Martis bis mille centum ſeptuaginta ſex. Lunæ mille centum quinquaginta duo. Veneris trecenti viginti. Mercurij ſexaginta quatuor. Bini igitur planetarum ſtatus totidem modis variari poſſunt, ſcilicet vndecies millies & centum triginta ſex. Quid de ternariis dicam quorum Saturni & Iouis ſtatus poſſunt variari, cum tertio planeta centies atque bis millies ſupra centum. Inde Saturni & Martis cum reliquorum præter Iouem vno, ſexagies nouies mille ſexcenti triginta duo. Totidè ad vnguè erunt Martis cum Ioue, & tertio alio planeta à Saturno. Ita de reliquis combinationibus quæ ex tribus fiunt. Quaternariæ autem longè plures vt vna ſola combinatio ad bis millies ducenties vicies octies mille ſupra ducentos viginti quatuor modos perueniat. Ita fit igitur, vt exceptis mutationibus, quæ à ſignis & inerrātibus proueniunt, tum radiis, genera ipſa complicationum erraticarum etiam præter ſingulares modos, ſit infinita. Atque hoc Ptolemæus in vltima parte huius capitis indicauit. Quòd ſi quis ſimplices binarias ac ternarias aliáſque ſcire deſiderat vſque ad ſeptenariam, quæ ſola modos continet 1073741824. ex ſuperiore tabella facilè condiſcet.


Cæterùm quinque nobis inſinuare videtur Ptolemæus, quorum primum declarat, tria alia ex verbis illius intelliguntur, vnum penitus remanet indiſcuſſum. Primùm, quod proponitur, eſt quod planetæ quatuor habēt ſtatus, ſuperiores ſcilicet & Luna: & iſtud declarat litera adeò apertè, vt dubitatione non indigeat nec vlteriore expoſitione. Secundum eſt, quòd ſydera hæc cum ſub Sole ſunt, nullas habent vires: nam primum ſtatum tam in Luna, quàm in ſuperioribus orditur ab exortu, & vltimum ſtatum finit ad occultationem. Habent igitur ſydera quinque ſtatus, ſed vnum in quo nihil penitus poſſunt. Tertium eſt, quod Venerem & Mercurium ab hac cōparatione eximit, licet Haly conetur inſerere. Cauſam deſcribat commentator dicens, quoniam hi ſtatus metum recipiunt ab oppoſitione. Venus autem & Mercurius ad Solis oppoſitum nunquam perueniunt. Quartum, an ſolùm Luna humectet, videturque ex dictis, ὑγρότητος ἐστὶ μᾶλλον ποιητικὴ, id eſt, magis humidi factiua eſt, vt intelligamus in primo exortu, ſcilicet Heliaco (nam veſperi à coniunctione Luna incipit exoriri, quod Sole velocior) eam eſſe magis humidam quàm calidam poſt magis calidam quàm ſiccam vſque ad plenilunium, à plenilunio ſiccam magis quam frigidam quouſque dimidia ſit, ab eo tempore frigidam magis quam humidam, & ob id maximè in vltimo quadrato aquæ maris augentur, & quæ dum eſt in Solis quadratis, ſit in abſidis oppoſito propinqua terræ, & quæ peculiariter ab oppoſitione quadra ſequens frigida ſit & humida, quæ temperatura aquæ conſimilis exiſtit. Quod quidem etiam de ſuperioribus intelligendum eſt, vt de Luna. Quintum verò dubitatione dignum, quomodo Iupiter ab oppoſitione Solis & reliqui ſuperiores ſiccet, cùm ſuperius dictum ſit planetas vt propinquiores terræ fiunt, vapores magis ad ſe trahere atque inde humectare. Nam ſuperiores cùm in oppoſitione Solis ſunt in abſidis etiam parui circuli oppoſito ſunt conſtituti. Et non ſolùm ratione huius orbis ficti inferiores videntur, ſed tales eſſe deprehenduntur, ob magnitudinem: vidimus enim aliquando Iouem in Solis oppoſito, qui duplo fermè maior videbatur, quàm cum primum Solis radiis relictis exoriebatur. cùm tamen in oppoſito Solis fermè cœli medium poſſideret, quo in loco aſtra minora videri ſolent. Vnde etiam dubitatio alia emergit, quónam pacto, cùm occidentalis ſit ſiccior quàm orientalis, cur occidentalis maſculinus non ſit, & orientalis fœmininus, vt in præcedenti capite oſtenſum eſt? Simile eſt quod dicitur de Mercurio, nam occidentalem ſtatuit fœmininum, orientalem maſculinum, & tamen infrà ſtatuit Mercurium orientalem humidum, occidentalem autem ſiccum: cùm tamen velit planetas humidos eſſe fœminininos, ſiccos autem maſculinos? Haly ad primum dubium, cuius ipſe fuit author, reſpondet, quòd planetæ debiles fiunt in Solis oppoſito, qui à vi Solis vincuntur, & quanquam hoc verum ſit, attamen dicimus planetas Lib. 5. c. 15.

planetas in Solis oppoſito ſicciores eſſe ſecundùm qualitatem , non ſecundùm quantitatem , nam Iupiter in Solis oppoſito magnas præſtat felicitates , & lumen, vt dixi, habet, ſi quando alias illuſtriſſimum: opera autem planetarum , illorum lumen ſequuntur. Propterea dixi , quòd qui noſtra non fuerit ſecutus principia, nunquam ab his euadet, vt non intelligat Ptolemæum, & ipſum etiam in abſurdas conîiciat contradictiones. Propterea ad reliqua duo dubia dicimus , orientales planetas eſſe humidiores quantitate luminis, non qualitate. Purum enim lumen atque abundans humidum eſt ſecundùm ſubſtantiam, & tale maſculorum auctor eſt & efficax : eſt enim hoc principium vitæ: maſculi verò non minus abundant vitæ principiis fœminis, imò magis: occidentales autem humidiores in comparatione ad calorem qui minor, ideóque fœminei & debiles.

Præterea cùm dicat planetas in prima ſtatione eſſe calidiores , ignotus explanator addit etiam humidiores in ſecunda ſicciores. Et ſanè prima validior eſt , & melior ſecunda atque temperatior. Sunt autem in diſtantia à Sole penè , vt in tabula vides. Variantur au-

		G. Gr.	G. Cr.
Stationes.	♄	à ✱ 104 110	109 115
	♃	à ✱ 113 118	113 118
	♂	à ✱ 105 116	164 109
	♀	à ✱ 22 30	28 30
	☿	à ✱ 15 18	19 21
		Prima	*Secunda*

tem ſatis ob propinquitatem apogeorum & perigeorum, ſed tamen eandem vim retinent iuxta propinquitatem, nam initium retrogradationis eſt pro ſtatione prima , vt etiam finis directionis. Et finis retrogradationis & principium directionis pro ſecunda. Et miſcetur ſtationis ſignificatum cum initio aut fine retrogradationis aut directionis , & variantur etiam hæ diſtantiæ iuxta alias cauſas , licet non multum. Sed in planetis tardioribus vt Ioue & magis Saturno , maius eſt ſpatium ſtationis & etiam tempus , ſed in planetis inferioribus ſtationes ſe habent contrario modo ſuperioribus. Cùm enim in vtriſque ſtatio prima ſit cum planeta incipit retrogradari , ſecunda cum deſinit : in ſuperioribus ſtatio prima contingit , cùm ſunt orientales à Sole. Secunda cùm occidentales , in inferioribus aut prima cum occidentales , ſecunda cum orientales. Iuxta hoc igitur omnia clara ſunt. An verò inferius dum ſunt Saturnus, Iupiter , atque Mars ſint debiliores, quod Haly cenſere videtur , quanquam non hoc dicat Ptolemæus? Reſpondeo , ſic : Sed non ob luminis paucitatem cum , vt dixi, plurimum habeant , nec quia à Sole impediantur , imò in ipſa oppoſitione à Sole magis illuſtrantur : Sed quia naturali ſuo motui contrario modo verſantur, ac quaſi nono or-



bis legi repugnant. Siquidem quod fertur ex A in B conſentit , cum eo motu in quo A fertur ante B , præcedit enim A ipſum B in vtroque igitur quod fertur ex B in A vtrique motui contra ferri videtur. Cùm itaque retrogradi ſint debiles , in ipſa tamen cum Sole oppoſitionis parte , ſunt potentes. In reliqua etiam parte retroceſſus ſunt potius à natura propria alieni , quàm debiles.

Reliquum eſt vt quædam verba exponam, Quaſi dimidiata , intellexit quadratam radiationem exquiſitam ſed tunc Luna non eſt verè dimidia ſui corporis parte illuſtrata, ideò dixit Quaſi. Primam ſtationem vocat cum planeta incipit retrocedere. Secundam, cum ex retroceſſu incipit dirigi. Oriri in nocte incipiunt , cùm in Solis ſunt oppoſito. Ante enim dum eſſent iuxta primam ſtationem oriebantur de nocte : Itaque ortum hic vocat communem , cum ſtella, occidente Sole, in oriente eſt , id eſt , quandiu poſt ſtationem primam adhuc ſtella exoritur de nocte, donec exoriatur ad vnguem, occidente Sole, calefacit magis quàm humectet. Manifeſtum eſt igitur ex hoc quod cum ſtatus ſtellæ in quatuor modos diuidat, orientalem proprie dici à primo exortu vſque ad ſtationem primam non vſquè ad oppoſitionem , & occidentalem à ſecunda ſtatione ad occultationem , non ab oppoſitione ad occultationem, quibus modis capi orientale ac occidentale ſuperius diximus. Separata igitur eſt ratio orientalis & occidentalis à natura retroceſſus & directionis : Et quanquam idem ſit planeta qui à prima ſtatione fertur ad Solis oppoſitum , & qui retrocedit , alium tamen habet effectum vt retrocedit , alium vt ad Solem comparatur , & tertio , vt terræ ſit propinquus : quamobrem hos ſtatus commiſcere non oportet , etiam ſi inuicem neceſſario coniuncti ſint. Nam ſi non commiſcueris non errabis , intelligeſque plura decreta vnius planetæ valde inuicem diuerſa , & illorum *Cap. 5.*
magnitudines inuicem diſtinctas : quod etiam in aliis vt facias ſuadeo. Similiter vt memineris diſtinguere calidum & humidum cum pro qualitatibus ſumuntur , ab ipſa ſubſtantia illorum , quæ eſt lumen vel luminis effectus. Verùm cum de ſuperioribus dictum ſit , inferiores hoc modo illis aſſimilabuntur. In primam ſtationem vt dictum eſt ſunt , humidiores : veſpertini calidiores,

diores ab hoc ad secundam stationem ficciores, ab ea ad occultationem frigidiores: ficcitas enim diurna velut in senibus frigiditatem parit.

CAPVT VIII.

TEXTVS XXXV.

De viribus stellarum inerrantium.

SVperest vt stellarum quoque fixarum naturas & proprietates effectuum percurramus. Nunc igitur deinceps sicut de errantibus fecimus, percensebimus & in his peculiariter obseruatas rationes. Ac primum quidem earum quæ per signiferum descriptæ sunt. In capite Arietis stellæ effectus habent commistos ex viribus Martis & Saturni. Quæ in ore sunt idem possunt quod stella Mercurij, nonnihilque quod Saturni. Quæ in posteriore pede, Martiæ: in cauda, Veneriæ sunt.

Vbi Tauri signum quasi amputatum cernitur, ibi stellæ sunt naturam sapientes Veneris & Saturni aliquantum. At Vergiliæ Luna Martémque referunt. In capite inter suculas vna luce rutila excellens, quæ & facula dicitur, Martia est.

Geminorum signum in pedibus stellas habet, quarum natura similis est naturæ Mercurij, & nonnihil Veneris. In femoribus lucidæ stellæ Saturniæ sunt. In capitibus duæ nitent, quarum prior Mercurialis est, cognomento Apollinis, posterior Martia, cognomento Herculis.

In Cancrioculis stellæ duæ, effectum similem habent stellæ Mercurij, & aliquantulum Martis. In brachiis stellæ Saturni sunt & Mercurij. Illæ verò in pectore quasi girus nebulosus præsæpis cognomento, Martius & Lunaris est, iuxta quem vtrinque positi, vt vocantur, asini, Martij sunt & Solares.

Duæ stellæ in Leonis capite idem possunt quod Saturnus, & paulatim accedunt ad Martis etiam naturam. In ceruice tres Saturniæ sunt, & aliquantulum Mercuriales. At illud in corde lucidum sydus, Regulum vocant, æquale est Marti & Ioui. Aliæ in ilio, & vna cauda splendida Saturniæ & Veneriæ Aliæ in femoribus Veneriæ, & nonnihil Mercuriales sunt.

Virgo habet in capite stellas, & vnam supra alam Australem idem pollentes, quod stella Mercurij, & referente nonnihil Martis quoque naturam. Reliquæ in ala & quæ sunt in cingulo Mercuriales sunt, & aliquantum Veneriæ. Vna in ala Septentrionali, vindemiatoris nomine Satur. & Mercur. At illa quæ Spica nominatur, Veneria & aliquantum Martia est. Aliæ in extremis pedibus & vestimenti tractu, * Veneriæ, & nonnihil Martiæ sunt.

In chelis quæ sunt in iugo, siue chelis Scorpij extrema stellæ effectus habent similes stellæ Iouis & Mercurij. Mediæ verò Saturni, & aliquantum Martis.

In ipso Scorpio, quæ in fronte sunt splendidæ, idem valent quod Mars, paulatimque accedunt ad Saturni quoque naturam. Quæ in corpore numero tres, quarum media reliquis rutila luce præstat, nomenque habet Græcum, quo Marti comparatur, referunt naturam Martis, & nonnihil Iouis. Quæ sunt in nexibus dorsi, Saturniæ, nonnihilque Veneriæ. Quæ verò in ipsa cauda, Martiales & Martiæ sunt. At girus ille nebulosus, vt dicitur, Martius est & Lunaris.

Ex stellis, quibus Sagittarij signum effingitur, sunt in cuspide sagittæ Martiæ & Lunares. In arcu & vbi ille manu comprehenditur, Iouiales & Martiæ. Ille in ore girus Saloris & Martius. Aliæ in fasca & dorso, Iouiales, & aliquantum Mercuriales. Aliæ in pedibus Iouiales & Saturniæ sunt. Illa caudæ quatuor laterum figura Veneria, & aliquantum Saturnia est.

Stellæ, quæ sunt in cornibus Capricorni, idem efficiunt quod Veneris stella, & ad Mart. quoque naturam paulatim accedunt. Quæ in ore quod Saturn. habentque nonnihil Vener. virium. Quæ in pedibus & aluo Martis naturam & Mercur. Quæ in cauda, Saturni & Iouis naturam referunt.

In Aquarij humeris, itemque veste & manu sinestra, stellæ sunt effectus similis stellarum Saturni & Mercurij. In femoribus quæ cernuntur, magis Mercurium, minus Saturnum referunt. Quæ in profuso latice, Saturni & aliqua ex parte Iouis naturam habet.

Stellæ in capite Piscis Australis, Mercurij vires representant, hbentque

que Saturni quippiam. In huius corpore ſtellæ Mercuriales & Iouiales ſunt. Quæ ſunt in cauda & filo Auſtrali, cùm naturam referant Saturni, accedunt ſenſim tamen & ad Mercur. Quæ ſunt in corpore & ſpina Piſcis Septentrionalis, Martiæ ſunt, valent tamen & Venerium quiddam. Quæ in filo Septentrionali Saturniæ ſunt & Iouiales. Illa in nodo ſplendida Martis naturam & Mercurij quoque nonnihil habet.

Reliquarum effigierum in regione Septentrionis ſunt ſtellæ in Vrſa minore lucidæ, natura Saturniæ, non tamen nihil Venerem quoque referentes.

Stellæ verò Vrſæ maioris, Martiæ ſunt. Sub huius cauda quaſi crines, Lunares ſunt & Veneriæ.

Draconis ſplendidæ ſtellæ Saturniæ ſunt & Martiæ, atque etiam Iouiales.

Stellæ Cephei, Saturniæ ſunt & Iouiales.

Bootæ, Mercuriales & Iouiæ ſunt. Rutilus ille fulgor qui Arcturus nominatur, naturæ eſt Iouis.

Stellæ Coronæ Septentrionalis, Veneriæ ſunt & Mercuriales. Quæ in ſigno quod in genua videtur procubuiſſe, Mercuriales.

In Lyra Veneriæ & Mercuriales.

Quibus idem valent alitis quoque ſtellæ.

Caſſiepiæ, Saturniæ ſunt & Veneriæ.

Perſei, Iouiales & Saturniæ. Girus ille in Capuloenſis, Martius & Merc.

Aurigæ ſtellæ ſplendidæ, Martiæ ſunt & Mercuriales.

Serpentarij, Saturniæ, quæque Veneris aliquid habeant. Ipſe quidem Serpens Saturnius & Martius eſt.

Sagittæ ſtellæ, Martem referunt, habent & Veneris quiddam.

Aquila, Martia eſt & Iouialis.

Delphin, Saturnius & Martius.

Stellæ lucidæ equi, vires habent Martis & Mercurij.

Andromeda Veneria.

Delta, Mercuriale eſt.

In regione Auſtrali, eſt in roſtro Piſcis Auſtralis ſtella lucida, poteſtate Veneria & Mercurialis.

Cœti ſtellæ ſunt Saturniæ.

Orion in humeris ſtellas habet Martis & Mercurij naturæ. Reliquæ ſplendidæ Iouiales ſunt & Saturniæ. Extrema ſplendida illa fluminis ſtella, Iouem, reliquæ Saturnum referunt.

Leporis ſtellæ Mercuriales ſunt.

Canis, Veneriæ, vna in roſtro fulgida, Iouis, & aliquantum Martis naturam habet.

Hydri lucidæ, Saturniæ & Veneriæ ſunt.

Crateris, Veneris vires, deque Mercurij aliquid habent.

Corui, Martiæ & Saturniæ ſunt.

Argo nauis lucidas ſtellas habet Saturnias & Iouiales.

Centauri humana figura, ſtellas complectitur Veneris & Mercuriales. Equina habet ſplendidas, Venerias & Iouiales. Quæ infera ſunt ſplendidæ, Saturnum referuut, & nonnihil Martem. Quæ vero in ara, Venerem, & aliquantulum Saturnum.

Corona Auſtralis ſtellas habet ſplendidas natura Saturnias & Mercuriales.

Hic textus per ſe manifeſtus eſt, nec longa indiget declaratione, adeò vt Ha'y pauca circa illum dicat, commentator verò ignotus etiam videatur prætermittere illius expoſitionem. Quamobrem ſolùm cum eſſent quædam circa illum adnotanda totum in vnum redegi. Itaque videtur primum illud animaduertendum duobus modis ſtellarum fixarum notitiam effectuum haberi: vno quidem modo per experimentum, quod certè ſecuriſſimum eſt, altero per rationem. Ob id igitur Ptolemæus docet experimento vires illarum cognitas fuiſſe. Quo autem experimento facilè eſt intelligere, quod ex obſeruationibus Chaldæorum & Aegyptiorum, cùm Sol vel Luna eis iungebantur, per longitudinem deprehenſæ ſunt vires. Solis quidem propter magnitudinem effectuum & naturæ ſimplicitatem, & reditum annuum ad illas, tùm moram vnius diei aut etiam plurium. Vltimò, propter exortus qui quidem ad multos dies extenditur cum fixa primum ante Solem ſub auroræ tempore ab oriente emergit: Lunæ verò propter frequentes coniunctiones certiſſimaſque: tùm verò magnitudinem effectuum & maximè in mari ob æſtus, & naturæ ſimplicitatem, & luminis delationem. Quinque igitur modis & à Solis coniunctione, & à Lunæ, ſeu acceſſibus & receſſibus fixarum naturam antiqui venati ſunt. Licuit & in coniunctionibus aliorum planetarum & dum emergerent occiderentúe, tam in temporum mutationibus, quàm etiam genituris, & dum cœli medium, ſeu cor occuparent, in genituris tamen tantum, & ex locorum natura quibus ſuper verticem feruntur, aliquid de natura illarum intelligere. Ratione verò etiam quinque modis, aut magnitudine: quæcunque enim ſunt maiores, eò ſunt efficaciores, paruæ autem imbecilles: Lumine quæcunque lucidum habent illuſtria omnia faciunt, ſeu mala: tenebroſæ obſcuri

obſcuritate mentis, & intellectus, atque aliorum effectuum: Rurſus quæ denſum habent lumen, efficaces, quæ rarum, debiliores, quæ plurimum ſcintillant, vt Canicula, magnas conturbationes efficiunt & maria agitant, & proditiones ſuſcitant, & mentes hominum inquietas reddunt. Rubræ quoque hoc autem ad colorem petinet, Marti aſſimilantur, vt plumbeæ Saturno, & claræ micantes Soli, atque aliæ, vt dictum eſt, à nobis in decem libris Aſtronomicis, quibus Titulus eſt Supplementum Ephemeridum. Loco verò, quoniam robuſtiſſimæ ſunt quæ circa viam Solis locum habent: Vnde dicebat Haly. quod cor Leonis cum ſit ſecundæ magnitudinis propter robur (hoc autem illi ineſt quia maximè propinquus eſt eclypticæ) numeratur inter ſtellas primæ magnitudinis. Eſt enim efficaciſſima omnium earum fermè quæ in cœlo ſunt. Cauſa eſt, quoniam à Solis lumine & dum præſens eſt, & per radios vehementius illuſtrantur ſtellæ, quæ in via Solis ſunt quàm quæ extra illam. Proximæ his quæ vſque ad octo gradus (ea enim eſt latitudo Veneris maxima ab eclyptica) diſtant, ſeu Auſtrales ſeu Boreales. Cauſam reddebat Haly, quoniam cum fixæ plurimum abſint à terra, & proprio motu tardiſſimè moueantur, vis illarum ad terram non defertur. Quæcunque igitur proximores ſunt eclypticæ, erraticarum, quæ illis iunguntur beneficio, vires ad nos tranſmittunt. Ideoque & frequentius qanto propiores ſunt eclypticæ. Validiſſimæ igitur quæ intra tertium gradum latitudinis continentur, quoniam corpore omni planetæ præterquam Soli, iungi poſſunt. Poſt has ſunt quæ à tertio gradu vſque ad quintum, nam & his Mars & Luna iunguntur. Debiles verò quæ à quinto vſque ad octauum. At de his in Ephemeridum Supplemento diſtinctè conſcripſimus. Propter hoc igitur Ptolemæus à ſtellis, quæ in Zodiaco ſunt tanquam validioribus, & quarum opera celerius & vehementius nobis manifeſta ſunt, initium duxit. Præponuntur tertio loco quæ Borealem habent latitudinem nobis, quæ Auſtralem, habitantibus in regione Antartici poli. Similiter & quarto loco quæ declinationem habent Borealem nobis: quæ Auſtralem, habitantibus vltra æquinoctialem. Quinto, quæ ſupra verticem alicuius regionis ſunt, plurimum in illa regione poſſunt, quæ autem remotæ ſunt à vertice regionis, tantò minus poſſunt, quantò magis remotæ ſunt. Sexto, quæ cum aliquo planeta in longitudine iunctæ ſunt. Septimo, quæ in antiſcio alicuius planetæ ad vnguem ſunt conſtitutæ. Octauo, quæ ſimul oriuntur aut occidunt cum aliquo planeta plurimum poſſunt, vimque exhibent illi planetæ cum quo oriuntur vel occidunt. Nono, cum medium cœli cum aliquo planeta occupauerint. Decimo, cum ſimpliciter exoriuntur. Vndecimo, cum occidunt. Duodecimo, cum radiis alicuius planetæ illuſtrantur. Hic autem modus eſt valde debilis, quia neque plantæ à ſtellis radiis afficiuntur, quoniam fixæ radiis carent: neque ipſæ fixæ per ſe vires ad nos tranſmittunt validas, niſi cum coniunctæ fuerint planetæ alicui, aut in eadem declinatione ab æquinoctij circulo, aut ſecundùm aliquos in circulo equicrurio cum planeta aliquo (id eſt, in circulo magno qui per puncta interſectionum tranſit circuli meridiei & horizontis habitationis illius) aut cum ſtella emerſerit primum in horizonte, aut cor cœli occupauerit aut occiderit in horizonte poſita, vel ſeptimo loco cum directio ad illam peruenerit, ipſa verò aut maxima fuerit, aut prope eclypticam. His ſeptem modis fixæ ſolùm habent euidentes effectus: atque eo ordine quo ſcripſimus euidentiores: reliquis omnibus obſcuros & penè inutiles. In his etiam cum Sole maximos circa vitam & honores: cùm Luna deinde circa fortunam: poſt ioue, Saturno, Marte, Venere, atque Mercurio, niſi ſimilitudo naturæ præuertat ordinem. Similis enim ſtella fixa, cum erratica euidentiſſimos habet effectus, cùm contraria obſcuriſſimos, cùm diſſimili atque alterius generis, incertos, & qui fermè non niſi poſt euentum dignoſci poſſint. Figuræ verò exiſtimantur vires habere, multùm que his Ptolemæus tribuit, cùm tamen figura non ſit principium actionis: deinde quod figuræ illæ haud exactæ ſint, imò ne tales vt quiſque vnquam vllam agnoſcat, niſi valdè edoctus ac potius perſuaſus quam edoctus. Plurimùm enim abſunt Arietis ſtellæ ab Arietis figura, & longè plus quæ in Tauro à Tauri, atque ita in cæteris, præter triangulum: ea enim ſola, quòd ſimpliciſſima ſit forma, nomen refert & dignoſci abſque artificio poteſt. Verùm dicam, figuræ illæ his ſtellis aſcriptæ ſunt vt nomen poſſet imponi. Nam quod fortuitæ ſint, vel ſolum declarat quòd adijciendo alias vel adimendo, ſemper figura commutetur, vt liquidum ſit eas eſſe voluntarias. Sed tamen aliquid poſſe videntur quod experimento, non ratione vlla, comprehenſum eſt. In quibuſdam tamen ſuccedit, vbi nomen conſequens effectui impoſitum eſt: Velut Tauro qui laborioſos ſignificat & frontem facit elatam vtrinque prominentem: Sed quid habet Aries cum ſtellis quæ Arietem formare videntur? Itaque figuræ hoc modo vires habent cum linea horizontis comprehenduntur, atque aliquam effigiem formant. Refert enim natus & qui ſub ea conſtitutione naſcuntur, effigiem lineæ comprehendētis ſtellas quæ tunc exoriuntur: atque id pulcherrimum ſcire eſt. Nam ob id in diuerſis regionibus idem ſignum eademque pars ſigni diuerſas hominum formas præſtat, ſed tamen conſimiles, quoniam horizontis linea diuerſis modis figuras illas ſecat. Eſt etiam, vt dixi, quippiam ex figuris ortum habens incertis quidem nobis, conditori autem certiſſimis, ex quo plurima atque ardua, ſed ſolo experimento, deprehenduntur.

Eſt etiam illud conſideratione dignum, quod fixis ſtellis quippiam accidit Solis cauſa ſuperioribus planetis ſimile, non tamen idem. Cùm etenim primùm Sole illas relinquente ante ipſius exortum illuxerint, tunc validiſſimæ ſunt, remittuntur autem dum

Sol

Sol longius ab est. Cùm verò sub oppositione fuerint, debiliores fiunt, donec ad exortum matutinum redierint. Hoc autem experimento & Mathematica ratione constat: nam cùm proximæ Soli fuerint, lumen Solis, quod altiores sint, ad nos reflectunt: quod imbutum viribus stellæ, dum illa nocte exoritur, minimè natiuis impedita radiis Solis, maximos effectus atque repentinos, tùm celeres in his inferioribus producit. Vtrum verò à primo discessu à Sole stellæ sint humidiores, deinde vsque ad oppositionem calidiores, Caniculæ exortus ostendit verum non esse: quandoquidem dum primum apparet, omnia excalefaciat atque exurat. Calidior igitur est atque humidior Solis radiis proprio lumine infectis, non quidem vt dictum est centies, humido secundùm qualitatem, sed secundùm quantitatem, atque inimico humano generi, quemadmodum est visus serpentum. At verò quæret quispiam de planetis in oppositione atque quadratis Solis, quonam pacto se habeant cum in ipsismet punctis fuerint? Itaque dico in primo stationis primæ puncto tanto calidiores sunt quanto humidiores, antea humidiores quàm calidiores, post sicciores quàm calidiores. In ipso oppositionis puncto tantò calidiores quantò sicciores, tunc verò est ac si nihil caliditatis ac siccitatis addidissent. Protinus verò fiunt sicci atque frigidi, sicut siccitas augeri incipiat vsque ad medium spatij quod est vsque ad stationem secundam: inde siccitas remittatur, frigiditas verò semper augetur, donec ad medium spacij peruenerit, quod est inter stationem secundam & occultationem: tunc enim propter quintum tempus frigiditas in vltimo consistit, & planeta fit debilissimus. Hæc autem necessaria sunt ad determinandam magnitudinem qualitatum. Sententia igitur Ptolemæi est, vt in omnibus astris habitum illorum ad Solem tribus ex causis respiciamus: Prima, quia omnia astra moderantur Solis effectus, & illius virtutem in hæc inferiora augent aut minuunt, ipse autem principalis causa omnium est. Secunda, quia virtus quæ ad nos defertur ab astris tanta est, quantum est lumen quod à Sole recipitur ab illis. Hoc autem, vt dictum est, non simpliciter intelligi debet, sed omnibus his modis quibus explicauimus. Tertia, quia omnes planetæ, vt dicebat Messahallac, alligantur Soli velut funi: & verum dixit, omnia enim cœli sydera Solis cursum obseruant. Nam Venus & Mercurius eodem motu in eccentrico mouentur, & centrum epicycli eorum idem est cum centro Solis semper. Luna epicycli centro & abside media hinc inde semper æqualiter distat à linea medij motus Solis: sicut linea quæ ducitur à centro Solaris circuli per centrum Solis media semper sit inter absidem Lunæ, & lineam ductam ex centro circuli Lunæ per centrum parui sui circuli. Tres verò superiores tantum distant ab abside sui parui circuli, quantum linea medij motus ipsius planetæ. Fixæ verò stellæ eodem motu ad vnguem mouentur quo ipsius Solis absis. Itaque constat Solem esse metrum & mensuram omnium syderum, quæ in cœlo sunt. Hæc volui dixisse, vt intelligeres Solem esse principem atque regem inter astra, cuius consideratione atque respectu omnia metiri debeant. Quantum verò ad figuras signorum, sciendum est quod propter octaui orbis motum Aries amplius non est iuxta æquinoctij circulum nec signa ipsa æqualis sunt longitudinis atque latitudinis, sed quædam quadraginta & amplius partium in longitudine. Similiter & circa latitudinem plurimum, vt dixi, differunt: Quamobrem non ex antiquo situ, sed ex stellarum natura & configuratione, Virtus signorum octaui orbis sumenda est. Signa verò noni orbis neque figuras habent, neque figuris cognitis constant, sed partes ipsius cœli ad æquinoctij circulum comparatæ, diuersas existimantur habere naturas, siue in nono cœlo sint, siue in octauo. Et tamen cum omni figura careant hæ partes, signorum nomine intelliguntur, non autem figuræ octaui orbis. Cùm ergo dixero Arietem, non iam figuram in octauo cœlo intelligo quæ stellis Arietem refert, sed triginta primas illas partes eclypticæ, quæ primum ab æquinoctiali Septentrionem numerantur.

Cùm igitur stellas octaui orbis considerat eas quæ proximè sunt, id est, in eodem signo aut cœlesti imagine, & quæ easdem habent vires, breuitatis causa & euitandi tædij studio sub vna ratione connumerauit: Velut eas quas in ore Arietis, naturæ Mercurij similes parúmque Saturni esse dixit.

Hic igitur dubitatione dignum est, an qualitates ipsas simul temperet an vtrasque simul tametsi contrarias esse velit: Similiter an, cùm dixit, gratia exempli, stellam quæ est in corde Leonis habere vim Iouis atque Martis velit, in his quibus naturæ horum planetarum pugnant, vtramque aboleri, an vtramque adesse? Velut Iupiter significat iustitiam iustósque, Mars iniustitiam atque iniustos, vtrum ne illi quibus cor Leonis in ascendente erit, erunt modò iusti, modò iniusti aut simul iusti atque iniusti, an prorsus medij inter iustos atque iniustos? Sed mihi videtur vt non aliter interpretandus sit Ptolemæus quã per ipsummet: In tertio libro enim Planetarum naturas miscet, vbi de qualitatibus animi loquitur. *Cap. 17.* Quamobrem ex eo loco stellarum errantium mixtionis ratio in fixis erit interpretanda. De qualitatibus autem, quoniam non Galeni, sed Aristotelis sequutus est opinionem, existimandum est similes in vnum coegisse, atque ex similibus similia auxisse, in contrariis autem ob repugnantiam aut vtramque sustulisse, aut ex maiore minorem ademisse. Eadémque ratio est de corporis & fortunæ decretis, quàm de animi coniugationibus obseruandam ex Ptolemæo docuimus. Igitur stellæ in cauda Vrsæ maioris quasi crines humidissimæ sunt, & suffocationes ab aquis, vel propter pituitam nunciant: quia ex natura Veneris sunt atque Lunæ. Vterque autem istorum planetarum humidissimus est, in calore verò mediocres: Luna scilicet calidiores & Venere frigidiores. Ita stellæ de natura Saturni & Martis siccissimæ

mæ erunt. Vterque enim planeta siccus est, in calore quasi temperatæ, sed declinabunt ad frigus, quia Saturni frigus Martis calore maius est: Erunt autem iracundi propter Martem, & tenacis iracundiæ propter Saturnum, & in illa iracundia feroces & audaces, ea deferuescente, timidi, propter Saturnum.

CAPVT IX.

TEXTVS XXXVI.

De Anni temporibus & quatuor angulorum natura.

Atque hæ sunt vires singularum stellarum, vt à veteribus obseruatæ fuere. Exquiri autem & anni temporum quatuor natura debet, quæ nominamus, Ver, Æstatem, Hyemem, Autumnum.

Qui putant Ptolemæum solum ea quæ fiunt considerare non ea quæ facta sunt caput istud non diligenter considerauêre: Docet autem se tradidisse doctrinam de stellis iuxta antiquorum experimenta: nunc anni tempus in quatuor partes diuidit proportione respondentes quatuor mensis Lunaris, & quatuor partibus diei, & quatuor ætatibus, & quatuor constitutionibus superiorum: in omnibus enim his prima pars est humida & calida, sed minus calida quàm humida: secunda calidior quàm sicca: tertia siccior quàm frigida, & quarta frigidior quàm humida. Ideò ex natura horum temporum præter id quod cognoscimus illam, cognoscimus etiam quod dictum est de comparatione Lunæ, & superiorum, & fixarum quomodocunque & ætatum, & partium diei in medio puta in stationibus. Nam quemadmodum medium inter Ver & Aestatem, vbi Ver Aestati coniungitur, est calidum manifeste, in humida autem & sicco temperatum: Ita in fine pueritiæ dum iuuentuti iungitur, & dum Luna est in prima quadrata radiatione Solis, & in superioribus in prima statione. Posuit autem hanc tractationem post stellas fixas, quoniam à stellarum exortibus tempora permutantur.

TEXTVS XXXVII.

Ac Ver quidem humiditatis plurimum habet, cum soluto frigore aura calore diffunditur. At æstas calidior est, propterea quod tum Sol proximè verticalem nobis punctum fertur. Autumni verò propria siccitas est, humiditatem tùm præterito æstu reprimente. Hyems autem tota est frigida, quòd Sol tùm longissimè distet à verticali nobis loco.

Quòd Ver sit humidum secundùm Ptolemæum, & temperatum secundùm Galenum nullam habet repugnantiam: quoniam quantitate quidem humidi ac substantia humidum dicitur, iuxta qualitatem autem est temperatum, non sicut humidum hyemis quod crudum est: eodemque modo de ioue supra distinximus. Similiter quod medici breuius faciant Ver & Autumnum, longam Aestatem, & longissimam Hyemem, Astrologi autem omnia tempora æqualia, neque id rursus repugnans est, cum Astrologi rationem sequantur omnibus gentibus generalem, quæ est quòd Ver sit dum Sol permeat ab initio Arietis vsque ad initium Cancri: dissoluit enim humidum & impinguat terram, nec tamen adhuc sensibiliter excalefacit. Ex quo liquet manifestè quod diximus prius stellas humectare antequam excalefaciant: paruus enim calor & multus humectare potest, non autem calefacere. Aestas verò à Cancri initio ad Libræ initium: à Libræ initio ad Capricorni initium Autumnus, à quo ad Arietis initium rursus Hyems. Neque obstat quod medici annum in septem tempora diuidant: nam rationem stellarum fixarum, non Solis tantum sequuntur. Hæc autem inferius declarabitur.

Porrò cur Zodiacus in duodecim signa diuidatur, Haly duas pulchras rationes adducit, primam, quoniam vnumquodque tempus istorum quatuor habet initium medium, & finem: cùm igitur tria ducuntur in quatuor, fiunt duodecim signa. Secunda, quia Luna, quæ & ipsa quatuor tempora facit in mense, licet non adeo conspicua, duodecies in anno coniungitur Soli, adeò vt multi Lunarem rationem non Solis sequuti, annum constituerint dierum 364. Quia verò Sol in trecentis sexaginta quinque diebus & sex horis fermè totum peragrat signiferum, & hic numerus erat incommodus supputationibus, diuiserunt signiferum in numerum proximiorem partibus plurimis constantem, qui est 360. vt sic vnumquodque signum triginta partibus constet. Sed hæc diuisio vt computationi aptior est, ita physica minimè est, sed ea quæ fit in trecentas sexaginta partes cum quarta fermè: Diuiduntur etiam partes singulæ ex trecentis sexaginta in sexaginta partes quas minuta vocant. Vltra quas procedere curiositatis est, non vtilitatis: nam nullum instrumentum exquisitius est senis minutis, vt dicit Monteregius. Sed tamen cogimur & debemus in supputando, non autem in assignando loca planetarum, & fixarum, & signorum, minuta enim sufficiunt.

TEXTVS XXXVIII.

Sed cùm signiferi nullum sit initium, ex ipsius quidem, vt circuli, natura, prætulere tamen aliis, principiumque fecerunt Arietis locum tribuentes, vt in animante primas, humido quo ver excellit, atque ordine reliqua tempora adnumerantes. Omnia

nia enim animalia prima in ætate humido abundant, & mollia teneraque sunt, sicut illa tempestas sentitur. Proxima verò ætas, vt æstas feruet. Tertia, tanquam deflorescens & propior interitui, arida est, autumnoque assimilis. Vltima, in qua animantis est corruptio, ita vt hyems, prorsus est frigida.

Octo comparasse iuxta coniugationes primarum qualitatum quatuor modis, primum Solem per quatuor anni tempora, secundò Lunam, tertiò superiores, quartò inerrantes, sed obscurè tamen, quintò horas diei, sextò ætates, septimò ventos, octauo angulos atque cum his regiones, iam dictum est. Cùm igitur in circulo Zodiaci non liceret inuenire principium quatenus circulus est, initium statuerunt à sectione æquinoctij, & ideò initium veris fuit ab initio Arietis: Tunc verò existimabatur octaui orbis initium facere veris, quia Ptolemæi tempore Aries octaui orbis prima sui parte tangebat æquinoctij circulum fermè, intelligendum tamen de signis noni orbis, seu octaui imaginariis, & sunt triginta gradus primi, qui sunt à sectione eclypticæ & æquinoctij versus tropicum Cancri, vel loco eclypticæ dicas Zodiaci. Gradus autem dixi sequutus Arabes, melius est Latinè dicere partes. Dicit igitur quòd prima ætas quæ est à natiuitate vsque ad vigesimum primum annum vbi finitur incrementum, est humida longè magis quàm calida, & assimilatur veri, & vocatur ætas incrementi. Secunda, quæ assimilatur æstati, est calidior quàm sicca, & incipit à vigesimo primo anno, & extenditur vsque ad trigesimum quintum annum, in robustis vsque ad quadragesimum, & vocatur iuuentutis. Tertia, quæ assimilatur autumno incipit à trigesimo quinto & terminatur ad quinquagesimum annum: in robustis autem, incipit à quadragesimo & terminatur ad sexagesimum. Quarta & vltima, quæ assimilatur hyemi, quæ est frigidior quàm humida, sicut præcedens est siccior quàm frigida, incipit in omnibus inter quinquagesimum & sexagesimum annum, & terminatur vsque ad finem vitæ. Prima igitur ætas est incrementi. Secunda roboris. Tertia sapientiæ. Quarta debilitatis, sicut & inter tempora anni. Primum est voluptatis, scilicet Ver. Secundum generationis & profectionis, scilicet Aestas. Tertium collectionis, Autumnus. Quartum debilitatis. Prima igitur sectio vernalis erit, calida humida puerilis, & sanguinea, & continet Arietem, Taurum, & Geminos. Secunda calida & sicca æstiua iuuenilis, & continet cancrum Leonem, & Virginem. Tertia est frigida & sicca, melancholica decrescens, & continet Libram, Scorpionem, & Sagittarium. Quarta & vltima, est frigida hyemalis senilis, & continet Capricornum, Aquarium, & Piscem. Harum media maximè sunt talia, vt Taurus temperatissimus, seu calidissimus, & humidissimus secundùm substantiam & multitudinem: Leo calidissimus & siccissimus: Scorpio frigidissimus & siccissimus: sed vt dixi, siccior quàm frigidus: Aquarius frigidissimus & humidissimus. Initia quoque seu prima signa cuiuslibet quartæ partis Zodiaci excessum habent maximum vnius qualitatis supra reliquam, vt pote Aries est longè humidior quàm calidus, Cancer longè calidior, quàm siccus, Libra longè siccior quàm frigida, Capricornus longè frigidior quàm humidus. Vltima verò signa minimum habent excessum vnius qualitatis super aliam, & ad naturam alterius temporis tendunt: in Geminis calor superat humidum, in Virgine siccum superat calidum, in Sagittario frigidum superat siccum, in Piscibus humidum superat frigidum. Secundùm hoc igitur habes naturam duodecim signorum ad vnguem: Et quia, vt dictum est, omne quod potentia est tale, fit actu tale: planetæ in his signis, & fixæ, & cometæ, & ascendens, & reliqua talia fiunt & adipiscuntur naturam signi. Ex his etiam sequitur quod Taurus est temperatissimum signum quod sit in cœlo: nam est temperatissimum quartæ partis vernalis, quæ est temperatior omnibus aliis, & Leo est ardentissimum omnium signorum quæ sunt in cœlo, biliosissimum & animosissimum, quia est ardentissimum quartæ partis æstiuæ Zodiaci, quæ est calidissima & siccissima omnium partium Zodiaci. Et Scorpio erit perniciosissimus & inimicissimus naturæ humanæ, quia est frigidissimus & siccissimus omnium signorum quæ sunt in cœlo: & ideò venenum ei meritò tribui potest. Aquarius verò erit timidissimus & ignauissimus, frigidissimus & humidissimus omnium signorum, &c. Hucusque locutus est Ptolemæus secundùm vera principia Physica, & absque dubitatione digna, modo quis sciat distinguere inter caliditatis magnitudinem & naturam, seu luminis & opus eius, quod est in se calidum vbi multum sit de lumine, & frigidum vbi parum sit de lumine & calore: & in comparatione ad elementa, humidum vbi sit multum de vapore concocto, siccum vbi sit parum de illo vapore concocto, & de illa humida substantia. Omne enim astrum qualecunque sit, sicut est author caliditatis, ita etiam humidi, sicvt frigidum & siccum in astrorum operibus non sint qualitates contrariæ, calidi & humidi, sed nomina mensuræ paruitatis calidi & humidi: Et vt sciat distinguere inter primas qualitates in quanto quæ sunt substantiæ, & inter qualitates primas, quæ sunt accidentia & impressiones: Vt sit exemplum, quòd Taurus est temperatissimum signum plurimum habens calidi & humidi, quia est signum vernale medium, vt dictum est, dicetur tamen planeta in eo siccus cum Taurus fuerit, in parte orientali cœli secundùm qualitatem, id est, quod natus sub illo, licet habeat plurimum de calore naturali, & humido vitali quod substantia ipsi dem est, vt in medicis expositionibus docuimus, illud tamen humidum erit siccius, & non erit tam purum, neque tam feruens secundum qualitatem, vt esset humidum illius qui natus esset cum Taurus occidit. Et ita per contrarium natus

natus sub planeta in Libra occidente, humidum habet purius & syncerius secundum qualitatem, non erit tamen neque densum, neque multum: imò, vt ita dicam, aqueum, & benè vides ista non repugnare. Dabo aliud exemplum clarius: capiatur puer, & senex, & nutriantur duobus annis: puer quidem lentibus decoctis & brasica, bibens aquam, senex autem carnibus & ouis, & vino dulci bono: puer referet temperiem nati sub Tauro tam in quando quàm in quali, & senex nati sub Libra, tam in quanto quàm in quali. Hæc igitur volui te intelligere, quoniam dubia videntur & non sunt: & sunt claues ad intelligendum omnia dicta Ptolemæi tam quæ antecedunt, quam quæ sequuntur: Sed quæ subiicit cum clara videantur, maximam in veritate habent dubitationem & sunt.

TEXTVS XXXIX.

Ad hoc exemplum quatuor anguli horizontis, ex quibus nascuntur, totas illas partes occupantes venti etiam distribuuntur. Orientalis enim ariditatis plurimum habet: quòd cum ibi Sol est, cùm per noctem excitata humiditas desiccari incipiat. Hinc igitur venti spirant aridi, & desiccantes auras, qui verè Subsolani vocantur. At plaga meridionalis & calidissima ipsa est, propter flammationes Solis in cœli medio, quod non nostrarũ terrarũ situs est ad meridiẽ maximè declinat. Huius venti nominantur communiter Noti, suntque calidi & rarifici. Cæterùm locus occiduus, quod ad illum cum Sol peruenit, tùm primum humiditas per diem exhausta diffundi incipiat & humectus ipse est, & qui inde exeunt venti, quos nominant Fauonios, teneri sunt & madidi. Verùm Septentrio totus frigidus est, propterea quod pro situ nostræ terræ longissimè absit à calore cursus Solis per cœli medium, quique inde spirant venti, commune appellatione dicti Aquilones, frigidi sunt & congelatores.

Maximam causam esse oportuit propter quam Ptolemæus à solito ordine in ventis & diei partibus, seu partibus cœli quæ horizonte & meridiano distinguuntur, recesserit. Si quidem ex ordine fuisset solito vt ventum orientalem veri assimulasset, & similiter primam partem diei, quæ est ab ortu Solis vsque ad meridiem, & partem illam etiam cœli quæ inter horizontem & medium cœli posita est: Sequentem verò à meridie ad occasum: æstati: Ita & tempus & ventum, sed in hoc conuenit, in prima autem non conuenit. Similiter ventum occidentalem & partem primam noctis, quæ est ab occasu ad mediam noctem poterat assimulare autumno, sed non facit. Partem verò, quæ est ab imo cœli vsque ad orientem, & noctis quæ est à medio ipsius ad Solis ortum, & Borealem ventum, hyemi, quod & facit fermè. Dissidet autem in duabus partibus quæ sunt oppositæ ab ortu, scilicet ad meridiem, & ab occasu ad cœli imum. Nam illam quæ est ab ortu ad cœli medium, siccam facit; contrariam humidam: atque ita Ver siccum, autumnum humidum. Primùm igitur videre decet quid Ptolemæum in hanc opinionem impulerit, inde contrariæ rationes adducentur. Quatuor igitur rationibus, vt mihi videtur, Ptolemæus innixus est: prima est, quòd nox tota sit humida: vnde etiam illud Poëtæ, humida cœlo: dies verò siccus. Vt igitur statueret diem totam siccam & noctem humidam, coactus est ponere partem quæ ab oriente est ad meridiem, siccam & non humidam. Secunda est, quia dum Sol consurgit purus est & nitidus vsque ad meridiem: pellit enim vapores, non trahit, excalefacere multum non potest cum sit nouus. Igitur pars illa cœli ac temporis sicca est & contraria humida. Tertia causa est, quia si humida poneretur & calida velut Ver, esset pars ima hyemi respondens, id est, à media nocte vsque ad ortum Solis, seu ab imo cœli ad ascendens, quare non posset esse principium vitæ. Quarta adducitur à Ptolemæo in textu, quòd Sol cum oritur exiccat humidum vaporem, igitur est siccus: & illud docet ab experimento quòd venti orientales exiccent. Verùm in oppositum plurima sunt. Primum, quòd iam peruertat ordinem consuetum. Cap. 11. Secundum, quòd ventus orientalis humidus sit & adducit pluuias in Italia, quòd & Galenus innuit 5. Methodi, occidentalis verò exiccat & serenitatem parit, quod etiam Petrarcha docet in carminibus suis Italici. Tertiũ, quòd venti iidẽ in diuersis regionibus diuersos effectus prorsus faciunt. Quartum, quòd Hippocrates in sexto Epidemiorum assimilat primam partem diei quæ ab ortu ad meridiem, Veri: sicut tempus quod est à meridie ad occasum, Aestati, & tempus quod est ab occasu ad mediam noctem, Autumno, & reliquum Hyemi: ita etiam dicit moueri humores & morbos. Part. 1. Com. 15. Quintum, quòd idem author in libro de Aëre & Aquis dicit, quòd ciuitates expositæ Euro, sunt similes in qualitatibus his quæ à tempore Verno procedunt. Cap. 2. Sextum, quia ratio sua de vere probat quod prima pars diei sit humida: calor enim moderatus eleuat vapores. Septimum, quoniam si pars quæ est ab imo cœli ad ascendens ponatur frigida, quomodo ascendens & prima domus erunt vitales? cùm vita consistat in calido. Octauum, quia si pars quæ est ab oriente ad medium cœli sicca est, vel tantum sicca est? vel etiã frigida? vel calida? si sicca tãtum peruertitur ordo omnium aliarũ qualitatũ in temporibus, ætatibus superioribus, & Luna, vbi nũquã vna sola viget qualitas: Præterea vna qualitas sola diu manere non potest, vt Galenus & Auerroës docent. Si erit sicca & calida, talis

lis erit etiã illa quæ est à meridie ad occasum seu in parte cœli, seu in tempore, & ita erunt tantum duæ coniugationes qualitatum: vna in die, calida & sicca, alia in nocte, frigida & humida. Præterea non differret specie natura partis diei ab ortu Solis ad meridiem, & à meridie ad occasum: Si verò ponatur sicca & frigida, erit contraria illi quæ est ab occasu ad mediam noctem, calida & humida quod est absurdissimum & contra omne experimentum ponere primam partem diei vsque ad meridiem frigidam, & primam partem noctis vsque ad mediam noctem calidam? Perinde ac si lucem obscuram & tenebras claras. Nonum, quoniam processus erit contra ordinem quomodo libet ponatur, scilicet à sicco ad calidum, à calido ad humidum, ab humido ad frigidum, à frigido ad siccum, nã iste processus est absurdus & omnino contra naturæ ordinem: quia videmus primo materiam dissolui & fieri humidam à calore non tamen incalescere, post incalescere & exiccari, & siccitate fieri frigiditatem, vt in senibus, quia sicci sunt, ideò fiunt sicci. Ita pueri quia humidi, fiunt calidi, non quia calidi, ideò euadunt humidi. Hæc omnia adduxisse volui vt quisque intelligat Ptolemæi sensum non fuisse perceptum ab vllis expositoribus, nec percipi potuisse nisi quis intelligat nostra principia, mordicusque retineat. Sensus igitur est, tale tempus, talisque pars cœli, talisque ventus qui ab oriente vsque ad meridiem ortum habet siccus est qualitate & actione, non substantia, nec aliam copulat illi qualitatem. Ratio est, quia in his quæ sunt breuis temporis actones considerare oportet, quæ vehementes sunt, hæ verò pariunt qualitates non substantias. Substantia enim concoctione indiget, concoctio tempore, tempus autem breue est & perexiguum. Ideò planetæ & fixæ in partibus diei atque cœli qualitatem mutant non substantias. Non igitur inconuenit actionem ex sicca transire in calidam, vel ex calida in hnmidam. Alia dubitatio est, quomodo imum cœli septentrioni tribuat, qui nobis & Ægyptiis etiam semper apparet, imum verò cœli semper occultatur: & contraria ratione medium cœli austro, cum Antarticus polus semper nobis & Ægyptiis occultetur. Verùm hoc agit propter similitudinem Solis: cùm enim medium cœli in meridie initio æstatis comparetur, medium noctis initio hyemis (vtrinque enim initium maximi caloris aut frigoris (Boreas verò frigoris maximi initium sit, Australis verò pars, id est, torrida Zona, non Antarticus polus caloris author immensi, manifestum est cur imum cœli Boreæ, medium autem plagæ meridionali tribuatur.

TEXTVS XL.

Vtilis est harum rerum notitia ad iudicia singularum commistionum. Patet enim quod de talibus constitutionibus, horarum, ætatum, angulorum, ipsa etiam stellarum efficientia variet, quæ certè vt simplicior, ita & validior est peculiaribus aptisque in locis, vt in calidis calidificæ, & in humidis humidificæ. In alienis verò admistione diuersitatis debilitatur, vt in frigidis calidificæ, & aridis humidificæ atque ita aliæ in aliis pro ratione consequentia commistionis.

Non est nisi vt breuiter exponam quid dicat, scilicet quoniam scientia quæ in hoc capitulo continetur vtilis est ad dignoscendum vires astrorum. Nam cum astra simplices obtinuerint qualitates, id est, non contrariis mistas, vt calida & humida in calidis & humidis, frigida & humida in frigidis & humidis, maximos effectus faciunt. Nam & cicuta quæ frigida & humida est, in vmbrosis locis nata, & frigidis atque humidis validior est, in suo genere & celerius interficit. Coniuncta verò contrariis locis astra, imbecilles effectus habent.

Sed vtrum qualitates ipsæ ad substantias conferant & an substantia ad qualitates? an omnino diuersa sint opera? & rursus, an contrariæ qualitatibus & substantiis qualitates se mutuo destruant? Et mihi videtur quod ad conseruationem quidem similia similibus conseruentur, à contrariis verò destruantur: atque hoc de substantiis ad qualitates comparatis intelligatur. De generatione autem non ita est, nam substantiæ à viribus fiunt, vires autem à multitudine & densitate substantiæ & puritate. Qualitates autem à robore & debilitate, aut consimili qualitate, sic calor à multo calido vel à caliditate, frigus à paruo frigido vel à frigiditate, humidum à multo humido, vel ab humida qualitare, siccum à pauco humido in substantia, vel à sicca qualitate. Et generaliter substantiæ quæ plurimum habent principij vitæ, id est, calidæ & humidæ, fiunt ab abundantia talis substantiæ non impediente contraria qualitate. Frigidæ vel siccæ substantiæ à pauco calore, vel humido in substantia, vel à vehementi qualitate consimili, vtpote sicca vel frigida. Calidum verò & humidum in qualitate à qualitate consimili, frigidum verò vel siccum in qualitate consimili vel defectu substantiæ calidæ vel humidæ.

Rursus dubitabit aliquis, si calidum & humidum in substantia idem sunt, quomodo dabitur substantia frigida & humida? aut calida & sicca? Oportet autem frigidam & humidam substantiam intelligere, quæ potentia quidem calida est, actu autem humida: velut vinum cum nondum calidum est, qualitate actum substantiæ impediente. Et similiter calida & sicca substantia dicitur quantitate, cum substantia calida est, non tamen humida videtur qualitate sicca impediente. In vniuersum igitur quo ad substantiam attinet, verè non sunt nisi duæ temperaturæ, calida & humida, & frigida & sicca. Cùm tamen concreuerit humidum manente calore, appellamus calidam & siccam propter quali-

manifestas

tates quæ euidenter apparent: & cum humidum nondum incaluerit, proter qualitates manifestas appellamus frigidam & humidam.

CAPVT X.

TEXTVS XLI.

De signis Tropicis, Æquinoctialibus & bicorporibus.

His expositis, annectere pergamus ipsorum etiam duodecim locorũ traditas naturales propietates. Ac ipsorum quidem generales constitutiones, rationem eandem habent cum suis temporibus, colliguntur tamen quædam ipsorum proprietates à familiaritate Solis & Lunæ & reliquarum stellarum, sicut postea dicetur, vbi prius vires duodecim locorum simplices & quas per se, & quas erga sese inuicem habeant, explicauerimus. Primum discrimen solet fieri signorum, vt alia dicantur esse tropica, alia æquinoctialia, itémque firma & bicorpora. Tropica sunt duo; Primum, Solstitio æstiuo, hoc est, partes triginta Cancri. Alterum à Solstitio hyberno, id est, partes triginta Capricorni: Atque his nomen à re inditum est, quoniam Sol, vbi hæc primum ingressus est, mox retro conuertit, abitque diuersam latitudinis viam, in Cancro quidem æstatis: in Capricorno vero Hyemis author. Sunt & æquinoctialia duo, vnum quod est æquinoctij verni, Aries: Alterum quod autumnalis, Libra, quibus & ipsis à re nomen est impositum: Cum enim primum ad ea Sol peruenerit, per totum orbem terrarum exæquantur diebus noctes. Ex reliquis octo signorum locis quatuor firma vocantur, quatuor bicorpora. Firma quidem quæ tropica & æquinoctialia sequuntur, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, quod per illorum peculiaria tempora, vbi ad hæc Sol accessit, multò vehemētius sentiamus humidum, calorem siccitatem & frigus. Non quod tum aëris status simpliciter sit natura sua, sed quia non aliquantulum in illis temporibus versati ipsa mora vires eorum magis experimur. Bicorpora sunt quæ post firma numerantur Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces, inter enim firma tropicáque, & æquinoctialia posita, & initio & fine communes naturas, cum illis habent, quæ & antecedunt, & sequuntur.

Excusat quod signorum iam proprietates tradiderit, & tamen rursus recensere videatur. Sed tamen hîc diligentius, tres faciens ordines à Solis motu sumptos: Sed alia comparatione. Nam hæc à priore deducta est. Prima quatuor signa, quatuor temporum anni, quæ sunt Aries, Cancer, Libra, & Capricornus, quæ à plerisque mobilia vocantur, diuiduntur, nam Aries & Libra dicuntur Æquinoctialia, quoniam cum Sol est in illorum initio æquinoctium est in vniuersa terra. Cancer autem & Capricornus tropica, quia dum Sol est in illis, conuertitur, in Cancro quidem à nobis recedendo, in Capricorno accedendo. Dum etiam in illa ingreditur commutatur vicissitudo noctis & diei: Sole enim Cancrum ingrediente, nox crescere incipit, quæ prius minuebatur: Sole verò Capricornum intrante, crescit dies, quæ iam antea perpetuo minuebatur. Sunt etiam ista quatuor initia mutationis temporum: Sole enim Arietem ingrediente Hyems mutatur in Ver, Cancrum, Ver in Æstatem, Libram, Æstas in Autumnum, Capricornum, Autumnus in Hyemem: Ob id igitur mobilia dici solent. Sequentia Taurus, Leo, Scorpius & Aquarius fixa sunt, quoniam status temporis in illis sunt firmi. Dicit Ptolemæus non quod in Tauro sit tempus temperatius, aut in Leone ardentius, sed quod corpora hominum iamdudum eam qualitatem in mobili signo experta, inde in hoc eandem magis sentiant, atque immutatam. Tertius ordo est bicorporeorum, dicta ob id bicorporea, vel quod duobus corporibus constent, nam Gemini duos habent pueros, Pisces totidem animalia, Sagittarius, equi & hominis corpus, Virgo autem quòd Libram contineat: vel bicorporea, quòd Sol, dum est in illorum initio, vim temporis præsentis ostendat, dum in fine, succedentis. Vt dum Sol est in Geminorum initio, verè Ver sentitur, sed dum est in fine, potius Æstatis species quædam quàm Veris. Quamobrem & medici tempora finium horum signorum dum Sol in illis est, succedentibus statibus aëris, non præsentibus ascribunt. Vtrum verò signa sint tantum velut materia, stellis octaui orbis relictis? non dicam. Cœlum enim substantia est, & substantia opus habet. Et etiam quia in ascendente varias facultates habent, vt Ptolemæus testatur. Et cùm omne quod potentia iam tale est alterius comparatione tale actu per se fit, quia quælibet pars cœli octaui & multo magis noni à Solis radiis perpetuò illustratur. Cùm igitur potentia ad Solem talis sit, erit & talis semper actu per illius radios saltem. Porrò mobilia signa dicta sunt quia mutantur tempora ab illis non in illis. Communia autem non ab illis, sed in illis. Dicta autem sunt communia quòd inter fixa, & mobilia sint constituta. Palam autem est eadem esse bicor

bicorporea quæ & communia. Vt animum duplicem quaſi vt corpus habent. Docuit autem nos per hæc quod in his ſignis multum referat an in initio an in fine quis naſcatur:minus in mobilibus minimè in fixis.Porro cum fixa & communia indiuiſa maneant,mobilia autem diuidantur in tropica & æquinoctialia, male faciunt qui illa confundunt, cùm valde diuerſa ſint natura : Sed ſufficit ſcire quòd omnia talia mobilia ſint. Per familiaritatem autem Solis, Lunæ, atque Stellarum intelligit domos, altitudines, triangulos, & fines. Quòd verò communia ſigna interpoſuerit mobilibus ac fixis, ea ratione factum eſt vt intelligeremus naturam ab extremo in extremum non tranſire, niſi per media. Oportet autem ſic à fixo, inde communi, deinde mobili, initium ducere, atque ita à Tauro. Hoc autem voluit nos ſcire quia quomodocunque communia ſigna ſtatuantur & fixa atque mobilia, neceſſe eſt vt fixa mobilibus abſque inter medio vllo cohæreant: vt Arieti Taurus, Cancro Leo: Sed ſufficit vt alio ordine interponantur. Nihil autem refert quòd in illo ordine non ſumamus initium ab Ariete, ſed à Tauro vel Leone, vel alio fixo ſigno, quandoquidem Zodiacus circulus ſit, & in circulo principium omne ex voluntate pendet, non autem à natura.

CAPVT XI.

TEXTVS XLII.

De ſignis Maſculinis & Fœmininis.

PRæterea ſex loca ſignorum maſculino ſexui & diurnæ conditioni attribuere, totidemque fœminino & nocturnæ. Ordinis autem huius ratio conſequentia & ſerie ipſa conſtat, ita vt vicinitas coniunctioque eſt diei & noctis, maris & fœminæ,cumque initium Arieti tribuatur, propter cauſas à nobis expoſitas, & mares principes dominique ſint naturaliter, ſemper enim quod agit potentia prius eſt eo, in quod agitur, Arietis quidem locus,atque idem libræ maſculina ſigna eſſe accepimus & diurnus. Vel ob hanc etiam cauſam quod per hæc circulus æquinoctij deſcribitur, qui primæ & maximæ rerum omnium agitationis author eſt. Ab his igitur, ſerie ſingillatim ſeruata, conſequenter ordinis ratio ducitur, id eſt, vt maſculinis & diurnis continuè fœminina nocturnaque ſubiiciantur.

Niſi quis omnino ſibi de Ptolemæo perſuadeat, quod de Hippocrate Galenus dixit, ſcilicet quòd nihil Hippocrates ſcripſit commune, ſed ſolùm reconditum & abſtruſum: profunditatem quoque ſenſuum illius nouerit, atque in perquirendis cauſis quàm longè ſemper recedat à manifeſtis ſenſibus (is verò eam profunditatem agnoſcet ſolus qui quæ in magna compoſitione ſcripſerat de cauſis motuum ac varietatis planetarum quam procul illas venetur, perpenderit) nunquam quæ in hoc libro ſcripta ſunt intelligere poterit. Proponit igitur tria de ſignis circa antiquorum opinionem : Primum quòd quædam ſuntvera & hic tractanda, in prima parte verò id exponit : Quædam falſa atque reiicienda, in ſecunda parte ibi (Nonnulli tamen) Quædam vera ſed non hic tractanda, ibi (ſunt & aliæ) in prima igitur parte docet eſſe ſex ſigna maſculina & diurna, & ſex fœminina & nocturna, vt intelligamus diurnum & maſculinum conuerti, quia ambo ſunt calida & ſicca, & ſimiliter fœminina nocturna eadem cauſa quia conueniunt ambo cum frigido & humido: & hæc regula eſt generalis, tam in ſignis quàm in Planetis, quod diurnum & maſculinum conuertuntur, præterquàm in Marte qui & ipſe verè diurnus eſt, id eſt, efficacior in die quàm in nocte, ſed ponitur nocturnus propter id quod minus nocet de nocte, non quia efficacior. Deinde reddit rationem quare melius ſit alternatim ponere iſta ſigna, & non ſex maſculina continua, & ſex fœminina continua, quia & maſculi fœminarum ſocietate gaudent, & dies & nox ſemper viciſſim ſibi ſuccedunt. Rurſus neceſſe fuit vt eſſent aliqua maſculina, & aliqua fœminina, diurna & nocturna, tum quia hæc viciſſitudo in cunctis rebus inuenitur, plantis, beluis, piſcibus, tum quia ſigna ſunt, quaſi materiæ, & planetæ quaſi formæ : & iſtæ differentiæ inueniuntur in formis, igitur etiam in materiis. Tertiò, vt Planetæ habeant quibus gaudeant. Sed quòd maſculinum debeat præcedere fœmininum adducit rationem, quia agens prius eſt natura eo quod ab ipſo pati natum eſt. At maſculum eſt agens, princeps & dominus, fœmininum patiens, ſubiectum & parens alteri: Igitur maſculinum natura præcedit fœmininum. Ita etiam dies deberet præcedere noctem. Iam igitur habes quatuor de ſignis: Primum, quòd debent eſſe maſculina & fœminina, diurna & nocturna : Secundum, quòd debet eſſe totidem ex vno genere quot ex alio, ſcilicet ſex ex vnoquoque eorum: Tertium, quod debent eſſe alternatim diſpoſita maſculinum & fœmininum, & non continuata maſculina maſculinis, & fœminina fœmininis : Quartum, quòd maſculina debent præcedere fœminina. Diximus etiam quod quæcunque ſunt maſculina, ſunt & diurna, & quæcunque fœminina, nocturna, & viciſſim contra.Relinquebatur quintum,à quo ſigno eſſet incipiendum,& probat quòd ab Ariete, duabus rationibus : prima eſt dicta quia initium anni & acceſſus Solis ad nos eſt ab Ariete, & poſita fuit ſuperius, ſcilicet quòd initium in mundo & in anno (annus enim eſt quaſi ætas mundi) & initium in animante, quoad ætates, debet eſſe vnum: Eſt enim mundus magnum animal in vita

vita Aristotelis: sed principium in animante seu ætas, prima est cum animal est humidissimum & mediocriter calidum, hoc autem contingit in Vere: nullum enim tempus est humidissimum & calidum nisi Ver, igitur Ver debet esse principium anni: igitur cùm Sol Arietem ingrediens faciat Ver, à primo ad vltimum Aries erit primum in ordine signorum, ipse igitur erit masculus, & Taurus fœmineum signum, & ita Gemini masculinus & Cancer fœmininus. Secunda ratio Ptolemæi est quòd oporteat esse masculina signa, vbi est vehementissima mutatio: declaratum est enim superius quòd masculinum idem est quod efficax, seu quod agit, seu in quo est principium motus: sed Aries & Libra talia sunt, quia sunt circa æquinoctij circulum qui efficacissimè agit, quia velocissimè mouetur: actio enim per per motum fit, consequitur motus velocitatem.

TEXTVS XLIII.

Nonnulli tamen masculina signa ab orientali loco, qui horoscopus dicitur ordientes disposuerunt. Sicut enim aliqui tropicorum locorum initia à Lunari circulo ducunt, quod celerrimæ Lunæ conuersiones sint, ita & illi principium tribuere masculinis locis orientem propter subsolanum. Horum etiam alij seriem consequentiamque singilatim vt diximus secuti sunt. Alij totius circuli in quadrantes diuisionem. Loca quidem ab horoscopo vsque ad M. C. hisque opposita, ab occidua plaga vsque ad I. M. matutina & masculina nominantes: vespertina verò & fœminina, quæ sunt in reliquis binis quadrantibus.

Nunc ponit opiniones aliorum distinguentium signa masculina à fœmininis & matutina, à vespertinis ratione ascendentis, sicut primum signum quod ascendit sit masculinum & matutinum subsolanum enim est, id est, orientale: veluti Virgo ascendat, erit Virgo signum matutinum & masculinum, Libra erit fœmininum & vespertinum. Scorpio rursus masculinum & matutinum, & ita de aliis alternatim. Alij verò dixerunt signa contenta ab ascendente ad medium cœli & ab occidente ad imum cœli esse matutina & masculina, in aliis verò duabus quartis fœminina & vespertina. Alij verò tropicorum initium sumpserunt à Lunæ circulo: hoc bifariam potest intelligi, vel de loco, ita vt signum in quo Luna est sit signum tropicum propter velocitatem conuersionis Lunæ: Veluti Luna est mihi in Piscibus, Pisces erunt loco signi tropici Australis, inde quartum ab illo quod est Gemini signum æquinoctium Vernum & ita de aliis: Vel de loco vetris Draconis quia dicit σεληνιακοῦ κύκλου, non σεληνιακοῦ τόπου, id est, si cuipiam caput Draconis, sit in quinto gradu Geminorum ibi erit punctus æquinoctij Vernalis & quintus Virginis erit tropicus æstiuus, quia tunc Luna incipit recedere versus astrum: & quia est velox motu faciet æquinoctia & solstitia. Non laboro in distinguendo quæ sit verior opinio quia vtrumque reiicit Ptolemæus. Quare autem reiicienda sit manifestum est tum hæc, tum etiam opinio de ascendente: quia idem esset masculinum & fœmininum, vtpote si Luna sit in Piscibus vel caput Draconis in Tauro, Pisces & Taurus erunt masculina, & iam erant fœminina ex naturali ratione, igitur erunt masculina simul & fœminina. Nec obstat quod dicas posse esse masculina respectu vnius & fœminina respectu alterius, velut dictum est, de quartis cœli quæ simul habent contrarias qualitates, velut quarta quæ est ab oriente vsque ad meridiem, est Vernalis calida & humida, sanguinea puerilis, & alio modo est sicca: Et quæ est inter occidentem & imum cœli est autumnalis frigida & sicca, melancholica, ex alia tamen ratione est humida vt dicebat Ptolemæus. Sed hic non licet ponere signum idem sub contrariis qualitatibus secundùm naturam, nisi assignemus opera diuersa: non licet autem assignare opera diuersa masculini à masculino, nec fœminini, à fœminino. Quod si dicas quod quartæ cœli possunt esse matutinæ vel vespertinæ, dico quod illud iam declaratum est superius. Alia ratio est quia non decet sexum mutari in signis & tropica, & æquinoctialia propter tã leuem causam, quia sexus est res naturalis, & similiter affectus illi sunt valde potentes, vt non possunt per motum Lunæ & multo minus per ascensionem cœli in motu diurno toties mutari. Quod si dicas: nónne poterit quarta orientalis gratia exempli, esse masculina & signa in ea erunt masculina? Respondeo quod antecedens primo non conceditur à Ptolemæo: & dato quod concederetur non sequitur, quod masculinum signum conuertatur in fœmininum: sed signum retinebit suam vim, & locus contrariam: non secus ac si Mars esset in Tauro, non enim sit fœmininus, sed effœminatur & gaudet tanquam nocturnus in nocturno. Ita loca possunt augere, minuere, imò etiam vincere, sed non immutare naturam contentorum in ipsis locis. Quod autem horum opinionem non approbet præter id quod absurda sit, & quod nullibi illius meminerit phrasis ipsa Græea, edocet, inquit enim χρῶνται δ' τινὲς τῇ τάξει τῶν ἀρρενικῶν, quam efficatius Ioachimus Camerarius Pabergensis vertit his verbis: (Nonnulli tamen masculina ordientes) vt per aduerbium tamen Ptolemæus ostendat se non approbare ea quæ illi de signis adiecerunt. Approbat autem ea quæ subiiciuntur. Sunt autem hæc.

TEXTVS XLIV.

Sunt & aliæ appellationes locis factæ, de formis signorum, vt aut quadrupedia dicerentur, aut terrestria, aut ducalia, aut fœcunda, aut aliquid

huiusmodi.

huiusmodi. Quorum omnium cum ex ipsis figuris causæ manifestæ sint, nos illas verbosè persequi superuacaneum duximus. Cùm quidem expositæ à nobis sint huiusmodi imaginum naturæ, quatenus in iudiciis vtiliter vires illorum considerari deberent.

Proponit hic alias differentias signorum quæ ab antiquis acceptæ probantur, non tamen dignæ sunt peculiari expositione, quoniam à forma facilè est illorum vires intelligere. Quas figuras se suo loco referre docet vtpote in capite de morte & de itineribus, & de opificio. Sunt autem maximè duodecim principales. Humana vt Gemini & Virgo. Quadrupedia domestica, vt Aries, Taurus, Capricornus. Aues vt Aquila & Gallina. Aquatica, vt Delphin & Pisces. Naufraga, vt Argo & Nauis. Fera, vt Leo & vltima pars Sagittarij. Venenosa, vt Scorpio & Serpentes. Sunt enim plures in cœlo. Mutilata, vt Taurus & caput Medusæ. Vincta, vt Andromeda & Cepheus. Ducalia, vt ambæ Coronæ Borealis & Australis. Fœcunda, vt Cancer, Scorpio, Pisces. Sterilia, vt Leo & Virgo. Horum omnium meminit Ptolemæus suis locis.


CAPVT XII.

TEXTVS XLV.

De configuratione duodecim locorum.

FAmiliaritas autem intercedit locis Zodiaci secum, primum iis quæ cum aliis aliquam figurarum describunt, quæ demetiens, id est, anguli bini recti. Signa autem sex, partes centum 80. Triquetra (hoc est) angulus rectus vnus atque insuper triens illius. Signa verò quatuor, partes 120. quadrata, hoc est, vnus rectus angulus, tria signa, partes 90. Sexangula, id est, illæ reliquæ duæ partes anguli recti, signa duo partes 60.

Vnumquodque indiget propria ratione vt demonstratur, aliter è minima difficultate in maximam res euadit. Hæc Ptolemæi sententia figura indigebat. Sit igitur circulus signorum quem vocant Zodiacum quod signa contineat, & in eo signetur punctus B vbicunque velis non refert, sit gratia exempli manifestioris doctrinæ causa initium Arietis; & sit centrum eius circuli A & capiantur 60. partes à puncto B, quæ sint contentæ arcu B C & ducta B C, recta ipsa erit sextilis radius. Nam totus Zodiacus vt superius visum est 360 partes, B C autem 60. cùm igitur 60. sit sexta pars 360. erit B C latus exagoni, idéoque radius sextilis. Et quia anguli circum A sunt quatuor rectis æquales, & angulus B A C, talis est pars spacij circum A qualis BC, portio arcus totius Zodiaci, erit angulus B A C sexta pars quatuor rectorum, igitur duæ tertiæ vnius recti. Et similiter captis partibus 120. quæ sint arcus B E, erit B E tertia pars Zodiaci, nam 120. est tertia pars 360. & angulus B A F eadem ratione erit rectus cum tertia, id est, tertia pars quatuor rectorum, & residuum ad duos rectos anguli sextilis, nam rectus & tertia pars recti cum duabus tertiis recti faciunt duos rectos. Constat igitur & in trigono, & in sextili, & quadrato quod radij, & rectè, si reflecterentur versus partem oppositam, vtpote sextilis ex C in E, & ex E in G, & ex G in F, & ex F in K & ex K in B, tan-



dem rediret per æquales lineas & angulos. Et similiter latus B E trigoni si reflecteretur transiret in F & ex F in B, & ita per æquales angulos, & lineas. Idem dico de quadrato B D, quod est latus arcus B D, qui est partium 90. & ideò quarta pars 360. & totius Zodiaci: Cùm igitur etiam angulus B A D, sit quarta spacij pars eius quod est circa A, erit angulus B A D rectus ad vnguem. Pari ratione spacium B A G ex vna parte cum contineat dimidium quatuor rectorum, erit duorum re-

ctorum, & arcus B D G partium 180. id est, dimidium 360. & ita G dicetur opponi B. Omnes autem radij præter oppositos duplices sunt sinistri & sunt qui tendunt secundum ordinem signorum, vt sextilis B C, & trigonus A F, & dextri qui tendunt contra ordinem signorum, vt sextilis B K & trigonus B F. Et ita de quadratis ex quo patet quod radius B C dicitur sinister respectu B, & dexter respectu C. Et ita trigonus E F sinister est respectu E, & dexter respectu F.

Ex his patet quod radij veri sunt ex similibus partibus in similes, velut posito Sole in parte vndecima Libræ, radius quadratus dexter erit in 11. parte Cancri, sinister in 11. parte Capricorni. Sextilis dexter in 11. parte Leonis & sinister in 11. parte Sagittarij. Et oppositio in 11. parte Arietis. Et trinus dexter in 11. parte Geminorum & sinister in 11. parte Aquarij. Idem etiam intelliges de partibus partium. Vt si Sol esset in partibus decem minutis 47. Libræ, erunt radij omnes dicti in eisdem signis partibus decem minutis 47.


Sed dices quare Ptolemæus non respexit latera octogoni quæ respiciunt per 45. partes & duodecagoni quæ per 30? Respondeo quia latera octogoni non comprehendunt integra signa. Duodecagoni autē quia nimis sunt debilia. Igitur isti aspectus solum sufficiunt. In creticorum tamen dierum supputatione vtimur figura octageni aspectus in quem cadit quartus dies indicatiuus, vt sit in consideratione.

TEXTVS XLVI.

Cur autem hæc tantummodo discrimina recepta fuerint, hinc cognitu facile erit. Atque ipsius quidem diametri ratio per se patet, nam oppositio est in vna linea recta. Cæterùm si maximas duas portiones conuenientes, atque item supra portiones accipiamus. Nempe rectangulorum duûm ex diametro dimidium & trientem, quæ portiones conuenientes, atque item supra portiones sunt, fit vt dimidiatio tetragonum constituat. Triens verò sexangulum. Supra portionum autem si constituatur à rectāgulo quadrato hemiolion, hoc est, sesquiplum & epitriton, hoc est, sesquitertium, illud discernit quadratam à sexangula, hoc triquetram figuram à quadrata, quarum quidem figurarum triquetra & sexangula conuenientes putantur, quia consimilia loca signorum complectuntur, hoc est, omnia aut masculina aut fœminina. Inconuenientes verò figuræ habentur quadrata & dimetiens, quod illæ per dissimilia loca constituantur.


Tria facit in hoc textu Ptolemæus: Primum colligit ex dictis cur solum hæ figuræ sint necessariæ, scilicet trigona, exagona, quadrata: nam per integra signa constituuntur, & partes totius circuli integras. Connexiunē verò, vt infra declarat, per proportiones primas & musica etiam ratione constantes: sed quia de oppositione nihil dixerat, fieri eam inquit per rectam lineam, supple quæ per centum circuli seu zodiaci transit. Nam & alij omnes aspectus per rectas fieri lineas intelliguntur, sed nulla illarum per centrum transit præterquam oppositionis linea. Ideóque ex hoc declaratur oppositionis aspectum esse omnibus aliis potentiorem. Nam lineæ quæ per centrum transeunt sunt omnium validissimæ vt in cauis etiam speculis apparet. Cùm igitur quinque modis erraticæ inter se misceantur, vel etiam cum fixis, omnium commixtionum validissima est coniunctio, post oppositio, inde quadratam & trigonum fermè æqualia: vltima & debilissima est exagonum. Solent autem his notis breuitatis causa describi. Coniunctio ☌. Oppositio ☍. Quadratum □. Trigonum △. Exagonum seu sextilis ✱.

Cæterùm si maximas (Hæc est secunda paes in qua adducit Mathematicam rationem istarum radiationum duplicem, Geometricam atque Musicam. Geometrica est quoniam si fiat circulus & sumatur quadratum siue dimetientis quod sit C D medietas eius quadrati, quæ est superficies A B D G, æqualis est quadrato AEBF: vtraque enim est



medietas quadrati C D ex demōstratis in penultima primi elementorum, igitur AE latus seu radius quadrati est potentia dimidium AB dimetientis quod est primum. Rursus si accipiamus tertiam partem quadrati AB, erit proportio AEBF ad illam veluti arcus quadrati ad arcum exagoni, idest sexquialtera. Et si fiat comparatio quadrati ad trigonum & exagonum in superficiebus, erit trigoni arcus ad arcum quadrati epitrita, arcus autem quadrati ad arcum exagoni hemiolia. Et vt vno verbo dicam traduxit quod erat ignotum in arcubus ad quadratum dimetientis diuisum vt vides. Ponatur igitur AB sex & loco arcus oppositionis quadratū AB, quod sit CD, erit ABDG pro arcu quadrati, quia est æquale quadrato AEBF decem octo, & HG D K tertia pars quadrati C D. id est duodecim,

cim, quare vt arcus exagoni. Et G L M D duæ tertiæ partes quadrati C D, id est viginti quatuor, ideò quantus est trigoni arcus. Et cùm A B D G sit æqualis A B BF, igitur constat esse proportionem vt quadrati diametri ad quadratum in circulo descriptum. Nam oportebat rationem quadrati manere. Comparando etiam ad medium, id est, quadratum AEBF superficies GHKD,&GLMD proportio GABD ad GHKD est hemiliola, id est, sexquialtera. Et comparando GLMD ad GABD, est sexquitertia seu epitrita: igitur ponendo AEBF loco GABD erit quadratum hemiolium ad exagonum & trigonus ad quadratum epitritus. In Musica verò manifestum est quod ratio arcuum est vt 6.4.3.2. Nam arcus oppositionis est 180.trigoni.120.



quadrati 90. exagoni 60. quos cum diuise per 30. prodibunt 6.4.3.2. in eadem proportione. Sed 6.4.3. faciunt continuam proportionem musicam, quia talis est proportio 6. ad 3. extremi ad extremum, vt 2. differentiæ 6. à 4. ad 1. differentiam 4. à 3. Et ita 6.3.2. faciunt aliam proportionem musicam continuam, nam talis est proportio 6. ad 2. extremi ad extremum, vt 3. differentiæ 6. à 3.ad 1.differenriam 3. ad 2. igitur in 6.4.3.2. est duplex continua proportio musica. Aliter ratio Geometrica congrueret in rectis, quia dimetiens si faciat quadratum 36. erit quadratum intus 18. medietas, scilicet illius, &quadratum lateris trigoni 27. & quadratum lateris exagoni 9. Ita vt quadratum intus descriptum circulo sit duplum quadrato lateris exagoni. Et quadrato intus descripto quadratum lateris trigoni sit sexquialterum: Et illi quadratum dimetienti sexquitertium. Et hoc esset rectas ipsas & radios in proportione potentia collocare. Et esset magis ad mentem Ptolemæi & ad propositum rei demonstrandæ: sed oporteret sic literam legere. Nempe rectangulorum duorum ex diametro dimidium & quadrantem, quæ portiones conuenientes, atque item supra portiones sunt, sit vt dimidiatio tetragonum constituat, quadrans autem exagonum. Supra portionum autem si constituatur à rectangulo quadrato hemiolion, hoc est, sexquiplum, & epitriton, hoc est, sexquitertium, illud discernit quadratam à trigona, hoc autem trigonam à quadrato. Inde subiungit (Quarum quidem figurarum) Hæc est tertia pars in qua declarat causam quare triquetra radiatio & sexangula sint conuenientes & amicæ, quadrata & opposita inconuenientes & inimicæ. Et causa amicitiæ est clara, certè quia dicit trigona radiatio est semper inter similia in sexu vt ambo masculina vel fœminina. Et cùm dixit hoc sub intellexit & quod ambo etiam sunt diurna vel nocturna. Declaratum enim est superius quod idem est masculinum, & diurnum in signis & fœmininum atque nocturnum. Signa igitur quæ se trigono radio respiciunt sunt ambo necessario masculina & diurna, vel ambo fœmina atque nocturna, vt de ♈ ♌ & ♐, quæ tria cum se mutuo respiciant trigono radio ita quod Aries respicit Leonem & Sagitiarius, & ita Leo, Arietem & Sagittarium, & Sagittarius. Arietem & Leonem, sunt omnia diurna & masculina. Sic Taurus, Virgo, & Capricornus omnia nocturna & fœminina. Et ita de reliquis. Idem in sextili aspectu, nam Aries & Gemini, qui se respiciunt exagona radiatione. Et Aries atque Aquarius sunt ambo semper masculina & diurna: vel ambo fœminina atque nocturna, vt Taurus & Cancer. Item Taurus & Pisces, & ita de aliis. Et hoc totum est clarum, & quod conueniant non est dicendum, v quidam quod sint amica, nam talen nomen conuenit potius Planetis quam signis: Et etiã quia amicitia esset magis inter



masculum & fœminam, quàm inter masculum & masculum, vel fœminam & fœminam: Sed dicitur conuenientia, seu similitudo. Hucusque totum rectè se habet. Et

 similiter

similiter quod signa, quæ quadrato radio se respiciunt, sunt disconuenientia, seu dissimilia natura, quia si vnum est masculinum, & diurnum alterum necessario est fœmininum & nocturnum, igitur si Aries est masculinus & diurnus Cancer, & Capricornus, quæ respiciunt Arietem respiciunturque ab illo quadrato radio, erunt fœminina atque nocturna. Et ita de aliis eadem ratione dissimilitudo constat. Ex hoc totum benè se habet. Sed quod dicit de Oppositis signis non videtur verum, nam Aries & Libra quæ opponuntur sunt ambo masculina atque diurna: Et similiter Taurus & Scorpio sunt ambo fœminina & nocturna, & tamen opposita & disconuenientia? igitur causa disconuenientiæ non est diuersitas, seu contrarietas in sexu & natura, cùm signa opposita maximè disconueniant, & longè plus etiam quam quadrata, & tamen sunt similia in sexu & natura. Propter hoc dixerunt quidam quod opposita radiatio est inconueniens, quia ex duabus quadratis constituitur quæ sunt inconuenientes inter se: vt opposita Arietis & Libræ ex duabus quadratis Arietis & Cancri: Item Cancri & Libræ: vel etiam Arietis & Capricorni, & Capricorni atque Libræ. Sed hæc responsio est omnino falsa, quæ enim vni disconueniunt potius inter se conueniunt quàm disconueniant. Item quadrata potius disconuenit propter oppositam, quam opposita propter quadratam, cùm opposita sit simplicissima, & per pauciores partes. Rursus opposita componitur ex duabus conuenientibus, Trigona & Exagona, igitur maximè deberet esse conueniens illa ratione. Haly ob id dixit quòd opposita disconueniunt ob duas causas, tum quia quando vnum ascendit, aliud descendit, tum quia quando Sol est in vno eorum, facit tempus contrarium ei quando est in reliquo. Veluti quando Sol est in Ariete facit Ver, & tempus humidissimum. Et quando est in Libra Autumnum & tempus siccissimum. Et quando Sol est in Leone, facit feruidissimam Æstatem, quando in Aquario illi opposito, gelidissimam Hyemem. Sed Ptolemæus non assignat rationem hanc, nec vllam harum. Item istæ non conuenirent cum illis quas pro conuenientia assignat, vult enim oppositas esse causas conuenientiæ & disconuenientiæ, quod in quadrato aspectu declarat. Præterea si vltima ratio esset vera, Aries & Sagittarius essent dissimilia, cùm Aries sit vernale signum non minus quam Gemini, qui opponitur Sagittario, Et tamen Aries & Sagittarius conueniunt. Ob id igitur dicendum quod Ptolemæus induxit Syllogismum modo Aristotelis postponens illum & declarans prius quod ex illo euenit. Et est: contraria omnia maximè disconueniunt, & hæc est per se nota: & quæ maximè distant in vnoquoque genere sunt contraria & hanc declarauit: igitur quæ maximè distant disconueniunt. Posuit postmodum aliam propositionem in hoc capitulo, quòd opposita signa maximè distant, seu per circuli partem quæ est medietas, & est maxima commensurabilium, seu per rectam quæ est dimetiens, quæ est maxima rectarum, quæ circulo includi possint vt demonstratum est ab Euclide: igitur signa opposita maximè disconueniunt. Quadrato autem radio iuncta disconueniunt minus, quia contrarietas est minor, scilicet sexus & naturæ igitur disconuenientia minor est. Trigona autem & exagona radiatione iuncta non maximè distant, igitur non sunt contraria, nec ideò maximè disconueniunt, sed nec mediocriter, quia sunt similia natura & sexu, igitur sunt conuenientia in natura. Dixit autem Ptolemæus hoc de conuenientia in sexu & natura in trigonis, & exagonis, & disconuenientia in quadratis, vt intelligeremus, quod non est, vt quidam existimant in tempore ob id, cum signa quæ exagona radiatione iunguntur, vt Leo & Gemini, non sint eiusdem naturæ, sed alterum humidum, aliud siccum: Et ideò cum conuenientia trigona sit eiusdem naturæ cum sextili, igitur nec signa trigona sunt eiusdem temperiei, sed solùm naturæ & sexus, & inter se congruentia. Notandum quod licet signa trigona, vel exagona radiatione iuncta non sint amica, sed solum conuenientia, attamen aspectus inter Planetas talis est amicitiæ, vt etiam oppositus & quadratus inimicitiæ. Quia signa cum sint materiæ loco, possunt conuenire & discrepare, amare & odisse non: at planetæ amant & odio se habent, non solùm conueniunt ac discrepant, cùm agentium habeant rationem: hoc autem infra videbitur. Quòd si quis dicat, nonne signa masculina & diurna erunt etiam calida & sicca & nocturna fœminina frigida & humida? Dico quod non est necessarium hoc, quia diurnum & masculinum non proueniunt à primis qualitatibus, sed diurnum & nocturnum à masculino & fœminino, sed masculinum & fœmininum ab efficaci & inefficaci. Efficax autem à principio motus robustissimi qui fit iuxta æquinoctialem, ideoque ab Ariete & Libra. Hanc virtutem communicant Aries & Libra, Geminis, Leoni Sagittario & Aquario, quoniam hæc signa ab vtroque principio scilicet, Ariete & Libra amico aspectu respiciuntur, scilicet trigono vel exagono, Et ita sexus & natura diurna atque nocturna à motu non à qualitatibus originem ducunt. His visis breuiter sensum Ptolemæi explicare decet, qui talis est. Signa quædam aliis sunt familiaria, vt quæ portione integra circuli se aspiciunt, ea autem quadruplex, dimidium, vnde oppositio: Tertia pars vnde trigonus: Qarta pars vnde quadratum: Et sexta vnde sextilis. Hæ autem & ad totum comparantur vt partes, & ad dimidium vt superparticulares, ad totum quia quadratum & exagonum sunt dimidium, aut tertia pars semicirculi, nam 90. qui est arcus quadrati, est dimidium 180. semicirculi, & 60. est tertia pars 180. Ad dimidium autem 180. quod est 90. comparantur sextilis & trigonus, per hemioliam quæ duplæ respondet, & per sexquitertiam quæ triplæ, nam 90. ad 60. arcum exagoni sexquialteram habet proportionem, 120. autem

In 3. Elementorum

Cap. 17.

autem trigoni arcus ad 90. epitritam seu sex quitertiam. Ex hemiolia autem quæ constat diapente in musica & epitrita ex qua diatessaron, fit d apason trigoni ad sextilem quæ dupla constat proportione qualis est 120.ad 60. Similiter dupla quæ est diapason oppositionis ad quadratum intercedente trigona, inter eas fit hemiolia 180. ad 120. & epitrita 120.ad 90. Cùm igitur opposita signa maximè distent, erunt maximè contraria, Ideóque dissidentia. Quæ autem quadrato distant minus sunt contraria, quia solùm ratione sexus & temporis. At quæ trigona radiatione iunguntur & sextili eo quod sint ex natura ternarij, & oppositio & quadratum binarij, & ternarius, & binarius sunt numeri non communicantes, sed inuicem primi, non conueniet natura trigoni & sextilis cum natura oppositionis vel quadratæ radiationis: quare cum sit inter signa similia sexu & tempore, erunt aspectus hi conuenientiæ & similitudinis. Et quia triquetra radiatio constat paucioribus lateribus & non est particeps oppositioni vllo modo vt sextilis, ideò triquetra est magis conueniens sextili, sicut oppositio quadrato: semper enim quod fit paucioribus lateribus est validius quàm quod fit multis, ideò oppositio validior est trigono, & trigonus quoquomodo quadrato, nisi quòd mala in nocendo promptiora sunt bonis in benefaciendo, Et ita quadratum exagono validius. Hucusque volui reddere rationes eorum quæ dixit Ptolemæus etiam quod causæ non multum ad artem facerent: modo deinceps sufficiet declarare causas solum quæ faciunt ad intellectum illius, aut quæ necessitatem rei dubiæ demonstrant in aliis sufficiet Ptolemæi authoritas quæ experimento & antiquorum testimoniis confirmata est auxiliante ratione. Nam iam de artis firmitate satis constat. Tot autem explicata sunt propter calumniatores. Verùm non decet insanire circa illos, tum maxime quod angustia temporis non patitur & si pateretur, melius esse existimo illud vtilioribus in tractationibus absumere. Nam qui circa calumniatorum nugas tempus, preciosissimam rem terit mortalium rerum, imò immortalem, videtur aut omnino plura velle videri longè scire quàm sciat, aut quod minimum, impetu animi quodam transferri. Sicut Galenus ob id accusatione vix non dignus videri possit, quanquam à prima suspicione procul absit: Sed decet etiam secunda carere. Melius est tamen contra calumniatores tempus absumere, quàm in scribendo calumnias. Ob id igitur præstat quæ ex his sequantur arti vtilia edocere.

DOMORVM VIRES.

Ex dictis igitur licet vires domorum conijcere, hoc ipso supposito, quòd astra agunt lumine, & quòd vis eorum est qualis in effectu videtur. Igitur his rationibus cœli cor seu medium est omnibus validius, inde ascendens. Sed in vitæ affectibus & animi atque corporis, ascendens est validius quia magis proprium. Tertio loco est septima domus, inde vndecima, post nona, neque de his est dubium. Post septimo loco est duodecima, quia ascendit: inde octaua. Post octauo ordine est domus secunda, quia est in crepusculo matutino. Nam posito initio Arietis in ascendente intra duas horas oritur pars 22. Tauri, sed hoc est tempus crepusculi matutini, igitur pars secundæ domus quæ est à 18. parte Tauri vsque ad 22. eiusdem, continetur in crepusculo. Et ita Planeta cùm fuerit in secunda domo habet vires. Omne enim quod potentia tale est, actu fit tale: seu quod aliquando tale actu fuit, fit tale potentia, & semper manet. Est etiam ipsa secunda domus in triquetra radiatione decimæ: decima autem vires habet maximas, quia potentia est cor cœli. Nec Ptolemæus eam prætermisit, quamuis in sua regione minima illius pars in crepusculo clauderetur matutino, propter paruam poli eleuationem. Sexta autem domus quoniam pariter est in trigono decimæ, & vbique gentium clauditur in vespertino crepusculo, ob id à Ptolemæo consideratur & apud illum nonum locum retinet. Sed quispiam dicet, cur etiam quintam non licet considerare, cùm quoad crepusculum attinet, locum obtineat secunda? Respondeo, quoniam decimam non respicit, & crepusculum debilius est quippe vespertinum, & præterea pars quæ contermina est sextæ non est quintæ initium sed finis, qui meritò ob debilitatem negligi potest. Et tamen virium aliquid habet, quia in lumine positum est, sed non consideratione dignarum, nisi apud borealiores.

CAPVT XIII.

TEXTVS XLVII.

De imperantibus & obedientibus signis.

Dicuntur etiam imperantia & obedientia, loca quæ æquali spacio distant, seu ab vno, siue ab vtroque punctorum æquinoctialium, eò quòd æquali spatio temporis perorientur, æqualésque describat parallelos. Cæterùm quæ in æstiua sphæræ parte sunt imperantia, quæ in hiberna obedientia nominantur, quia Sol illic dies, hic verò noctes longiores facit.

Quia enim hæc signa æqualiter ab æquinoctio distant, ideò Sol dum est in eis, æquales describit parallelos, quoniam lineæ æqualiter distantes à diametro æquales sunt, vt Euclides demonstrat. Oriuntur etiam æquali spacio temporis vt in nostra regione Aries & Pisces, in vna hora & quinque minutis vnumquodque eorum: Taurus & Aquarius in vna hora & viginti minutis: Ge-

mini & Capricornus in vna hora & quinquaginta vno minutis: Cancer & Sagittarius in duabus horis & nouem minutis. Leo & Scorpio in duabus horis & quadraginta

Imperantia	♈	♉	♊	♋	♌	♍
Obedientia	♓	♒	♑	♐	♏	♎

minutis. Virgo & Libra in duabus horis & quinquaginta quinque. Talia igitur signa dicuntur quæ in australi parte obedientia, quoniam Sol maiores noctes efficit diebus, Borealia verò imperantia contraria ratione. Itaque Aries Piscibus imperat, & Taurus Aquario, & ita de aliis. Interpretes bis lapsi sunt, cum litera Græca lucida sit.

CAPVT XIV.

TEXTVS XLVIII.

De intuentibus & eiusdem potentiæ signis.

PRræterea dicimus eiusdem potentiæ esse eas partes quæ æquali spacio distant, seu ab vno, seu ab vtroque puncto tropico: fit enim per illas partes Sole meante vt spacia dierum ac noctium itemque horarum sibi respondeant. Itaque & intueri sese mutuo illa signa dicuntur, cùm ob eas causas quas exposuimus, tùm quòd vtraque & ab iisdem partibus horizontis & oriuntur & occidunt.

Quod penè præterieram, est vt tàm in hoc, quàm in præcedenti capitulo res referatur ad partes: veluti prima pars Arietis cum vltima Piscium, & secunda Arietis cum pe-

Intuentia	♑	♒	♓	♈	♉	♊
	♐	♏	♎	♍	♌	♋

nultima Piscium, & tertia cum vigesimaoctaua, & ita de aliis signis. Hoc enim idem & de aspectibus declaratum est. Simili ratione quæ à tropicis æqualiter distant intuentia dicuntur sese signa, & æqualis sunt potentiæ: veluti Gemini & Cancer, & quæ in Tabella descripta vides. Nox enim atque dies dum Sol est in talibus signis alter alteri sunt æquales. Veluti cùm Sol est in vigesimasexta parte Cancri, tantus est dies atque nox, quantus est cum est in quinta parte Geminorum. Et similirer horæ temporales sunt æquales in ambobus: propterea vis eorum signorum est quasi duorum eadem potestate præditorum. Quòd verò dixit, vtraque ab eisdem partibus horizontis oriuntur & occidunt, id est, in eodem puncto horizontis secat eclyptica horizontem, seu ascendendo, seu descendendo quando oritur vigesimasexta pars Cancri, gratia exempli, & quinta Geminorum. Et similiter quando occidunt, occidunt in eodem puncto ad vnguem ipsius horizontis. Igitur habent duplicem concordiam & ratione Solis & ratione horizontis, vtraque tamen prouenit quia sunt in eodem parallelo: Intelligit enim principaliter de partibus, & per consequens de signis, principalissimè autem de punctis. Et generaliter puncta se intuentia sunt in eodem parallelo, & ideò feruntur cum quauis stella simul: Imperantia verò & obedientia æquales habent ascensiones.

Notanda est vnã pulchra regula circa imperantia & obedientia, & intuentia signa seu æqualis potentiæ, quia habito vno semper habes aliud quod est oppositum signum & pars prioris. Velut secunda pars Arietis imperat 29. Piscium, igitur secunda Arietis intuetur 29. partem Virginis. Et ita ♍ intuetur ♒, igitur ♍ obedit ♌.

Notanda est etiam alia regula valde vtilis, & est quòd intuentia, & imperantia, cum obedientibus quanto sunt propiora tropicis, id est, initio Cancri aut Capricorni, eò sunt potentiora. Et virtus eorum extenditur ad plures gradus quia declinatio parum variatur, & ideò decima pars Canceri cum decima parte Geminorum fermè conuenit, quia circuli paralleli æquinoctio non differunt, nisi 57. minutis. At per contrarium iuxta initium Arietis & Libræ, nisi partes partibus respondeant parum possunt.

Notandum quod Ptolemæus considerauit in his duobus capitibus & sequenti, quòd homines quadrifariam possunt comparari: aut enim vnus naturaliier & sponte quasi alteri obedit, & talium genituræ sunt constitutæ in imperantibus & obedientibus punctis, & si sint ad vnguem erit obedientia perfectissima: Veluti qui habuerit significatorem in sexta parte & decimo minuto Tauri, exempli gratia, obediet ei perfectè ille qui habuerit significatorem in vigesima tertia parte & quinquagesimo minuto Aquarij, etiamsi iste esset Rex & prior esset seruus illius dummodo ageret negocia illius: Imò dico quod aget vbi sint eiusdem regionis & ad vnguem ex minuto conueniant. Quòd si conuenerint ex gradu seu parte sola, obediet alter alteri si sint æquales: aut qui debet obedire minoris conditionis dignitate opibus, sexu, vel ætate. Quòd si conuenientia fuerit solum ex signo, tunc solùm obedient etiam quando, qui habet significatorem in obediente, fuerit seruus, & qui in imperante fuerit dominus. Ex hoc manifestum est quòd aliqui nascuntur quibus nulli libenter parent: alij quibus nulli possunt imperare. Nam si aliquis in sua genitura nullos habeat significatores in imperantibus signis, nulli nisi coacti volent illi obedire. Quod si nullos habeat significatores aliquis in obedientibus signis, nemo poterit illi imperare nisi vi. Et hoc est quod dixit Aristoteles benè, quòd

quòd quidam nascuntur natura, liberi, & quidam serui: Liberi nascuntur qui habent significatores in imperantibus, serui qui in obedientibus. Plerique autem sunt medij, aliis imperantes sponte, aliis obedientes: Plerique enim habent partem significatorum in signis obedientibus, & partem in imperantibus, pauci habent omnes in vno genere. De his igitur tractauit abundè superius. Cap. 13. Secunda comparatio est eorum qui se mutuo amant & bene conueniunt, & de his tractauit in præsenti capite: Et debet intelligi regula eodem modo & præcedens comparatio. Ex quo sequitur, quod quilibet habet aliquos cum quibus conuenit, quia significatores vbicunque sint, habent correspondentem locum ex eclyptica, qui oritur in eodem loco horizontis & occidit, præterquam nati in primo puncto Cancri, & primo puncto Capricorni. Eadem autem comparatio est eorum qui habitant in vna ciuitate, quæ est ex imperantibus, vel obedientibus, vel respicientibus, vel non conuenientibus vt Geminorum, cum Tauro vel Scorpione.

Tertium genus comparationis est eorum qui se amant vel oderunt, non tamen conueniunt quia non eadem sentiunt: Et sunt qui habent significatores in aspicientibus se locis conuenientiæ quidem ad amicitiam, dissimilitudinis verò ad inimicitiam: Et de his tractauit iam superius. Quarta comparatio est illorum qui nihil habent simul, & in hoc genere nihil est boni: aut enim non se agnoscunt, aut etiam in magnas cum illis inimicitias incidunt, siquidem facilè est ab incognitis lædi, & vt benè dicebat Plautus: Nam homo homini lupus est, cùm homo hominem non nouit. De his igitur in sequenti capitulo tractat.

CAPVT XV.

TEXTVS XLIX.

De inconiunctis.

Ea verò quæ nullam habent enumeratarum societatum rationem, loca inconiuncta & aliena nominamus. Quæ neque imperant, neque se intuentur, neque idem possunt, atque insuper nullam quatuor illarum figurarum describunt, quas diximus esse dimetientis, triquetram, quadratam, sexangulam, sed vel secunda, vel sexta numerantur. Nam illa quasi à se mutuo detorquentur, & cum bina sint, singulos angulos complectuntur. Illa verò quæ sexta numerantur, totum orbem in partes inæquales secant, cùm aliæ figuræ omnes in partes æquales illum diuidant.

Coniugationes signorum omnium cum duodecim sint, erunt sexaginta sex: sex exhauriunt intuentia, sex imperantia & obedientia, sex oppositio duodecim sextilis, duodecim quadratum, totidem trigonus: igitur erunt quinquaginta quatuor. Relinquuntur igitur duodecim coniugationes solum quæ inconiunctæ dicuntur. Sed plures longè esse videntur propter iterationem, sunt enim triginta duæ quas in tabula descripsi. Verè autem sunt sexdecim, vt in secunda tabula in quibus neque signum signo, neque gradus gradui concordat multo minus. Verùm dices, vnde sunt sumptæ quatuor illæ coniugationes supra duodecim? Respondeo quòd quatuor sunt iteratæ, vt priores non sint nisi quinquaginta. Quæ iteratæ sunt, sunt duæ ex imperantibus, & obedientibus, & sunt Tauri & Aquarij, Leonis & Scorpionis: Nam illa eadem cum sint imperantia, sunt etiam in quadrata radiatione, vnde dicuntur odiosè imperantia. Reliquæ duæ coniugationes, sunt se intuentium, & sunt Tauri & Leonis, Scorpionis & Aquarij, quæ etiam sunt inimica & odiosa. Ex quo patet quod nati sub signis fixis generaliter gerunt hostiles inimicitias. Et imperantia & obedientia faciunt illud conculcando & patiendo sicut est è quibusdam qui permittunt se decipi ab inimicis suis, & quamvis videant damna expressa non tamen se sciunt retrahere, sicut dicitur de Carolo Magno, & Gano Ponterio, & de his videntur infinita exempla apud Reges hodie qui malis consultoribus obedientes, quamuis videant iacturam expressam, non tamen possunt se rettahere. Est autem discrimen, quod si imperans fuerit humilioris fortunæ agit dolo in obedientem, si nobilior, vi. Ex hoc etiam patet quòd intuentia & eiusdem potentiæ non sunt amica, sed conueniunt inter se similitudine morum, velut qui sunt de vno magistratu: quidam tameu sunt inimici, vt in duobus coniugationibus superioribus Tauri & Leonis, Scorpij & Aquarij: Scripsi autem has quatuor seorsum in tertia tabella facilitatis causa, vt vides à latere. Cæterùm vt veniam ad textum Ptolemæi dicit, signa & partes quæ non continenter sub aliquo trium membrorum, scilicet imperantium & obedientium, & hoc est primùm: neque intuentium se atque eiusdem potentiæ, & hoc est secundum: neque se aspiciunt

	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♍	♐	♑	♒	♓
inconiuncta	♉ ♏	♊ ♐ ♈ ♌	♉ ♏	♌ ♒	♑ ♓ ♋ ♍	♌ ♒	♉ ♏	♈ ♊ ♋ ♐	♉ ♏	♌ ♒	♋ ♏ ♑ ♓	♌ ♒
	♈ ♉	♉ ♊ ♎	♊ ♏	♋ ♌	♌ ♓ ♑	♍ ♌	♎ ♏	♏ ♐ ♈	♐ ♉	♑ ♒	♒ ♍ ♋	♓ ♒

♉ ♒	♌ ♏	odiosè imperantia	♉ ♌	♏ ♒	Odiosè intuentia

aſpiciunt oppoſitis radiis, triquetris, quadratis, aut exagonis & hoc eſt tertium: talia ſunt inconiuncta, & ſunt, vt dixi, ſexdecim coniugationes. Deinde docet eas inuenire & cauſam illorum. Circa inuentionem dat regulam quam oportet ſic intelligere: quatuor ſigna quæ ſunt fixa, ſcilicet Taurus, Leo, Scorpio & Aquarius, habent inconiuncta ſigna antecedentia & ſequentia cum illorum oppoſitis, quæ ſunt ſexta ante & poſt, veluti Taurus habet Arietem & Geminos, quæ ſunt ſecunda à Tauro, & Libram & Sagittarium, quæ ſunt oppoſita illis ſecundis, & ſunt ſexta ab ipſo Tauro, vnum ante & aliud pòſt. Et ita ſingula ſigna fixa habent quatuor ſigna inconiuncta. Singula verò ſigna mobilia, vt ſunt Aries, Cancer, Libra, Capricornus, habent tantum duo ſigna inconiuncta, ſcilicet ſuccedens & ei oppoſitum quod eſt ſextum ante. Vtpote Aries habet inconiuncta ſolum Taurum, quod eſt ſecundum ab ipſo, & Scorpionem quod eſt oppoſitum Tauri ſignum, & ſextum ante Arietem. Communia verò ſeu bicorporea habent duo tantum ſigna inconiuncta, ſcilicet antecedens quod eſt ſecundum ſignum, & illi oppoſitum quod eſt ſextum ſuccedens. Veluti Gemini eſt ſolum inconiunctum Tauro quod eſt ſignum ſecundum antecedens, & Scorpioni quod opponitur Tauro, & eſt ſextum ſignum ſuccedens Geminis. Quo ad cauſas dicit de ſexto ſigno vtpote à principio Geminorum ad principium Scorpionis ſunt centum quinquaginta partes: Cùm ergo totus Zodiacus ſit 360. partium & 150. non ſit pars 350. quota, vt iſti dicunt, id eſt, quæ ducta in aliquem numerum producat 360. Neque à 150. ad 179. procedendo, neque à 150. vſque ad 121. retrocedendo ſit vlla pars quota, ſeu pars propriè dicta ipſius 360. manifeſtum eſt quod non ſolum ſignum Geminorum eſt inconiunctum Scorpioni ſexto ab illo, ſed quælibet pars Geminorum erit inconiuncta cuilibet parti Scorpij, quod erat demonſtrandum. Quo ad ſecunda ſigna reddit cauſam, quia detorquentur ad diuerſas partes, ita vt videantur continere angulum. Hucuſque loquutus eſt de Planetis ſimpliciter à capite quarto ad caput octauum, inde de ſignis ſimpliciter à capite nono vſque ad caput quintumdecimum: Modo loquetur vſque in finem de planetarum comparatione ad ipſa ſigna, immiſcens aliquid de ipſorum planetarum comparatione inter ſe: Ita vt totus iſte primus liber, procœmio computato, ex quatuor principalibus partibus componatur.

CAPVT XVI.

TEXTVS L.

De Domibus.

ADiunguntur etiam planetæ locis ſigniferi propter domos, vt nominantur, & triangulo, & altitudines, & fines, & quidquid huiuſmodi eſt. Domuum autem ratio naturalis hæc eſt. Quia ex duodecim ſignis duo proximè accedunt ad verticalem nobis punctum, ideò calores & Æſtus generant, ea ſunt Cancer & Leo: placuit attribuere illa duobus præcipuis & maximis, hoc eſt, ipſis luminibus Soli quidem Leo, propterea quod maſculinum eſt ſignum: Lunæ verò Cancer, quòd fœmininum eſſet. Atque ita factum eſt, vt conuenienter dimidium orbis à Leone vſque ad Capricornum Solare vocaretur, dimidiumque ab Aquario vſque ad Cancrum, Lunare, & in vtroque poſſent ſingula loca ſuis ſtellis aſſignari, quarum alia figuras cum Sole, alia cum Luna deſcriberent, pro conuenientia orbium motus ipſarum & naturæ proprietate. Nam Saturno, quod natura maximè frigidificus eſſet, quodque ſupremum & à luminibus remotiſſimum haberet orbem ob contrarietatem caloris oppoſita ſigna attributa fuère Cancro & Leoni, Capricornus & Aquarius. Quæ ſigna & ipſa ſunt frigida & hyberna, & propter oppoſitionem malefica. At Ioui qui eſſet temperatæ naturæ & ſubiectus Saturni globo, data ſunt proxima illis ſigna ſpiritu & fœcunditate præſtantia, Sagittarius & Piſces, quæ cum luminum ſignis triquetram figuram deſcribunt, quæ conueniens eſt beneficentiæ. Poſt quem Marti deſiccatori, & ſubitò ſphæræ Iouiali, ſimiliter proxima his aſcripta ſunt, quæ & ipſa ſimilem haberent naturam, Scorpio & Aries quadrata diſpoſitione, vt congruebat illius corruptrici & noxiæ conſtitutioni. Veneri, verò, quòd natura eſſet temperata & ſub Marte, dedere coniuncta his ſigna, quòd fœcundiſſima eſſent Libra & Taurus. In quibus & ipſis ſitus ſexangularis cuſtoditur. Neque ipſa etiam hæc ſtella amplius duobus ſignis vnquam neque anteit, neque ſequitur Solem. Mercurio, qui & vltimus neque vnquam vltra vnum ſignum abeſſet à Sole, omniumque aliarum ſtellarum infimo in loco, data fuère proxima ſigna luminum ſignis, Gemini & Virgo, quibus & ipſis ambobus ferè in primis vicinis ferretur.


Poſtquàm pauca ad declarationem textus requiruntur, quinque nobis proponenda videntur

dentur: Primùm quidem quot sint genera dignitatum apud Ptolemæum: atque ea septem sunt, domus, altitudo seu exaltatio, trigonus, finis seu terminus, persona, gaudium, carpentum seu solium. Omnium quidem nobilissimum est carpentum seu solium, inde domus, post altitudo, inde trigonus, deinde finis in generalibus constitutionibus, in propriis autem finis trigonum præcedit, inde persona, vltimum est gaudium.

Videndum est autem quid vnumquodque horum possit, & non vt Haly, qui domum domui, exaltationem regno comparat, talibusque explicat vires dignitatum, vt tantundem scias postquàm videris quæ de his scribat, quantum antea. Mentem igitur adhibere decet, quoniam præstantissima hæc est traditio, & à nobis longa obseruatione & subtili ratione inuenta. Nec minus debemus Haly qui præter id quod potuit præstitit, causam nobis præbuit inquirendæ veritatis. Igitur carpentum est cum planeta quasi in omni suo gaudio & in omni sua dignitate est. Nam natus tali significatore, apud suos & apud alienos diligitur, honoratur, omnia illi deferuntur, creduntur, vitam agit tranquillam, disponit omnia cum facilitate quadam, vt verè fortunatus dici mereatur. At in domo planeta cùm fuerit eo disponente, vim habebit perpetuam, & sine strepitu sponte homines illi parebunt: vitam agunt tranquillam & quandam perpetuam efficaciam planetæ illius ostendunt: Si sit Mercurius, studij & negociationis, si sit Venus, gratiæ & lepôris, si Iupiter, probitatis & administrationis, si Sol, dignitatis & maiestatis, si Mars, audaciæ & promptitudinis, fortitudinis, iracundiæ, si Saturnus, morositatis, stabilitatis, astutiæ, pertinaciæ, solicitudinis: si Luna, desiderij itinerum & aliena negocia tractandi. At si ad generales constitutiones referas, eandem videbis similitudinem. Nam si Saturnus in domibus fuerit suis & dominetur, erunt tempora generaliter frigida & sicca, cùm frigiditate fixa & valida: & si fuerit Aestas, erunt tempora perpetuò temperata: Si Iuppiter, erit tempus serenum, iucundum, pulchrum, lætum, cum ventis moderatis & gratis: Et si Mars, tempus aridissimum & siccissimum: Si Sol, tempus calidissimum cum paucis pluuiis tamen: Si Venus, totum lene, suaue, pluuiosum: Si Mercurius, totum varium, & inconstans, & mutabile, vt nunquàm tribus diebus perpetuis in eodem tenore constet: Si Luna tempus nubilosum, pluuiosum, inconstans & graue. Hæc si quis dicat vnde ex Ptolemæo? (Nam expositor non debet addere, nisi ea quæ ex verbis authoris colliguntur: Quamobrem neque liber dignus est expositione, qui vel non totam artem plenè attigerit, vel qui parti, de qua tractat, non plenè satisfecerit) Respondeo, Ptolemæum hoc nos docuisse expresse in omnibus imitandam esse Solis actionem: Is igitur cùm in Leone est, maximos facit feruores atque æqualiter dominatur. At Leo Solis domus est, imò carpentum & solium (sed trigonorum ratio vix debet inter capenti partes numerari, cum sit à domo pendens & altitudine) ideò Solis vis in Leone à domicilio procedit. Eadem ratione altitudo ipsa depræhenditur: nam altitudinis dignitas in priuatis quidem genituris nouas & non perpetuas adducit potestates, magisque inter exteros quàm proprios, & inquietum vitæ genus producit. Propterea neque tranquillitate, neque diurnitate, neque facilitate domui comparanda est altitudo. Sed quia noua & inusitata, ac quasi insperata affert commoda, illustrior apud plerosque habetur. Solent enim homines admirari magis insperata, licet infirmiora minoraque solitis ac maioribus. Quis enim non magis miretur hæreditatem quatuor millium coronatorum ab externo acceptam, quàm quòd filius succedat patri in triginta millibus? Atque ea ratio est quòd multi altitudinem domui proposuerint. Quod si quis nobis obiiciat genituram nostram, neque carpentis, neque domibus, neque altitudinibus vllis penitus inniti, & tamen apud proprios atque exteros nomen & honorem vbique suscepisse? Respondemus, nullum esse maius huius præcepti exemplum quàm hoc: nam sponte quidem neque apud nostros, neque alienos honorem suscepimus, neque suscepturi sumus, sed violentum quippiam propter illustrem stellam effusionis Aquarij, quàm Ptolemæus ex Saturni natura parum Iouis, alij verò Veneris & Mercurij, & Iouem ipsum, quæ ambo maxima astra in ipso horizonte sunt ad vnguem. Prorò talia maxima sunt: Sed neque id nisi velut à Cometis concussionibus quibusdam orbis: nec quæsitum. At verò sponte ne quicquam, neque singulari causa nostra, sed publica quadam ratione, vt inferius declarabimus. Itaque vt ad rem redeam, in generalibus constitutionibus Sol cum intrat Arietem altitudinem suam totum commouet orbem, omnia pullulant, omnia exhilarantur, nec tamen calefacit vt in Leone, imò neque vt in Cancro, nec Tauro. Et vt vno verbo dicam, domus rem quietam & perpetuam facit, altitudo in mutatione & specie maiorem. Trigonus verò plus habet virtutis in diuidendo regiones terræ, quàm in genituris. In genituris autem significat robur & efficaciam, receptaque apud homines mandata illius, si præsit, vel consilia si sit socius. Fines declarant vires potentiores, sed temporibus terminatas, velut legationes, annuos magistratus & negocia singularia. In temporibus verò mutationes non generales, sed quæ paucis diebus aut mensibus finiant. Vnde fines quod finem accipiant dicti. Qualitates autem cum animæ tum corporis expoliunt, non faciunt. Vnde qui in finibus Martis aut Saturni morum dominum habuerit, poterit quidem esse bonus alioquin, sed moribus rudibus, agrestibus & incomptis. In corporis etiam affectibus mala lenit aut auget finis, non facit. Persona facit vt videatur & speciem referat, non vt sit. Gaudium autem lenit aut exacerbat significata, sed vix sentitur. Proficit aut lædit cum nihil aliud iam est boni aut mali.

Quantum

Quantum verò ad domorum ordinem, tabulam enim præfixi qua facilè intueri possit, quisque cui signo Planeta quilibet dominetur, aut cuicunque Planetæ quæ domus sit, aut quibus signis imperet. Id etiam certò ordine vt facillimè memoriæ commandari possit. Est igitur ratio talis: Cancer est domus



Termini Solis.					
♌	♍	♎	♏	♐	♑
Termini Lunæ.					
♒	♓	♈	♉	♊	♋

Lunæ, Leo, Solis, inde quæ circundant signa dantur Mercurio, & sequentia scilicet, quæ illa circundant Veneri, & ita ascendendo ordine planetarum vsque ad Saturnum. Nunc verò rationes ipsius Ptolemæi aggrediamur: Dicit igitur quod efficaciora signa nobis sunt Cancer atque Leo: nam cum Sol est in illis, maximum calorem apud nos excitat, igitur etiam reliqui Planetæ: quia eadem est ratio qualitatum, quæ sola magnitudine differunt. Itaque danda sunt efficacioribus Planetis: ea sunt luminaria. Reliquum est clarum vsque ad id (Atque ita factum est) Ponit terminos Solis & Lunæ quos hic describo in Tabula sub nomine terminorum: nihil enim refert siue terminos, siue fines dicas. In aliis verò Planetis quod maximè distaret à Luna & frigiditate sua maximè cõtrarius esset Soli Saturnus, data sũt ei signa opposita Cancro atque Leoni, scilicet luminarium domibus quæ etiam malefica sunt, quia ambo frigidissima. Ioui data sunt proxima velut & Iupiter Saturno proximior est. Respicit etiam Sagittarius Leonem, & Pisces Cancrum trigona radiatione, vt domibus cum luminaribus conueniret quemadmodum & naturæ beneficentia. Marti verò succedentia velut & loco Mars Ioui succedit, Aries autem Cancrum quadrato respicit & Scorpio Leonem, velut & Mars luminarium naturæ aduersatur. At verò dices sed Aries Leonem, & Scorpio Cancrum respicit trigona radiatione? Respondeo duplex est discrimen à Ioue, primùm quod Iouis domus sola trigona radiatione respiciunt luminarium domus, nam neque Pisces respiciunt Leonem, neque Sagittarius Cancrum: Præterea domus secundùm successionem signorum à Sole considerari debent, à Luna autem contra: sic Aries Cancro, & Scorpio solum Leoni conferri potest. Eoque modo non nisi quadrata radiatio excipi potest. Similiter, & Veneri, sexangularem signorum cum domibus luminarium radiationem habentium par tribuerunt quod Venus amica sit luminaribus, & non plus tertio signo à Sole vnquam recedat. Mercurio quoque proxima signa luminaribus quod Lunæ proximus adhæreat situs ratione, & Soli loci causa: neque enim plus vnquam signo à Sole recedit.

Quod verò ad signorum proprietatem attinet, Pisces concordat cum Ioue, quia est signum fœcundum, & Sagittarius quia ventos mouet. Taurus verò cum Venere concordat quia fœcundum inter animalia & ratione etiam temperamenti Vernalis, Libra verò fœcundum seminis causa: homo enim fœcundissimus est, inter animalia quasi seminarius, non autem prolis ratione. Ex hoc tandem sequitur quod in Australi medietate Capricornus erit domus Lunæ, & Aquarius Solis, Piscis & Sagittarius Mercurij, Aries & Scorpio Veneris, Taurus & Libra Martis, Gemini & Virgo Iouis, Cancer & Leo Saturni.

CAPVT XVII.

TEXTVS LI.

De Triangulis.

Triangulorum conciliatio talis est. Nulla sanè figura magis consentiens est, quàm triquetra æqualium laterum, ipseque signifer tribus circulis definitur, æquinoctiali & duobus tropicis. Ipsius verò duodecim loci diuiduntur in triangula æqualium laterum quatuor.

Caput hoc in quinque partes diuiditur, in prima proponit de triangulis generaliter: in reliquis quatuor succedentibus agit de singulis triangulis. Cùm verò quatuor sint, quatuor fiunt partes huius capitis præter hanc quam suscepimus exponendam. Intendit autem de vnoquoque triangulo atque de omnibus, simul octo ostendere: quatuor quidem generalissima: quatuor verò propria. Generalissimorum tria hic proponit: Primùm quod talia signa maximè concordant & vnius sunt naturæ fermè, quia eisdem parent dominis: Secundùm quod in vnoquoque triangulo sunt duo signa, quæ duobus ex principalibus tribus circulis hærent, & tertium est in medio. Tres autem principales circuli sunt æquinoctialis & tropicus Cancri, & tropicus Capricorni, seu circulus æstiuus & hyemalis. Et dicuntur principales circuli quia omnes tangunt circulum

zodiaci

zodiaci, æquinoctialis quidem in medio ſecans eclypticam, circulus autem hyemalis & æſtiuus ab extremis. Inde ſequitur tertium, vt in quolibet trigono ſit vnum ſignum fixum & vnum mobile & vnum commune: deſcribam igitur primum ipſa triangula per ordinem, vt ſit facilior intellectus & breuior explicatio. In primo igitur trigono Aries ſui

Trigona.					
1	♈	♌	♐	☉	♃
2	♉	♍	♑	♀	☽
3	♊	♎	♒	♄	☿
4	♋	♏	♓	♂	

initio tangit circulum æquinoctij, Sagittarius ſui fine hyemalem, Leo nullum: ſic in ſecundo. Hoc autem in ſuis locis explicabitur à Ptolemæo. Ex hoc patet quod ſigna eiuſdem naturæ, vt Arabes exiſtimant, quantum ad temperamentum.

TEXTVS LII.

Horum igitur primum ducitur per Arietem, Leonem & Sagittarium, tria ſigna maſculina, quæ ſunt Solis, Martis, & Iouis domicilia. Hoc triangulum aſſcriptum eſt Soli & Ioui. Mars enim propter alienam conditionem excluſus fuit. In adminiſtratione autem primas tulit interdiu Sol, nocte Iupiter. Locus autem Arietis æquinoctialis eſt, Leonis æſtiualis, Sagittarij hibernus. Idem triangulum potiſſimum Aquilonare eſt ob Iouis dominium, quippe qui ſit fœcunditatis & ſpirituum author, ſicut & Aquilonares venti. Sed admiſcetur tamen huic & Africus propter Martis domum, ita vt fiat triangulum, vt Græci vocant, Borrolibycum, quod miſturam Aquilonis & Africi ſignificat. Nam Africos Mars excitat, qui conditionem Lunarem ſequitur, cum & occidua cœli plaga effœminata habeatur.

Quinque alia ſupererant de triangulis declaranda quorum vnum erat generale, ſcilicet vt ſeptem Planetæ quatuor triangulis dominarentur: ob id primis tribus duos Planetas præfecit, quarto autem vnum tantum, vt ſic numerus æquaretur trigonorum penes dominos ipſis Planetis. Singula verò triangulo conſiderat quatenus conformia ſunt in maſculino & fœminino diurno, & nocturno, nam alterum alteri conſequens eſt, vt ſæpe diximus. Secundò quatenus dominos debeat in illis inuenire. Quibus inuentis, tertio quærit quibuſnam ventis prædominentur: atque ex ventorum natura, quartum, ſcilicet quibus regionibus. Diuidit autem totum hemiſphærium, quod ab æquinoctiali verſus arcticum polum, in quatuor partes: Orientem, quam Saturno tribuit, quoniam contrario gaudet, diurna verò eſt illa pars, vocat autem partem hanc Subſolanum. Occidentem quam Marti tribuit & vocat Africum, tribuitur autem Marti quia Mars ſiccus eſt & contrario pendet. Occidens autem nocturnum atque humidum: humidum quidem ob eam cauſam quæ ſupra dicta eſt, quod Sol occidens vapores ſuperius eleuatos per diem, demittat in terram: Et etiam quod Luna dum primum è radiis Solis exit, in occidemte appareat. Septentrio Ioui tribuitur, quoniam ex ea parte flant venti fœcundi, hos Aquilonares vocat. Meridies Veneri tribuitur, quoniam ipſa humida eſt: Excipit autem luminaria & Mercurium: luminaria quidem, quia generales ſunt cauſæ ventorum, vt dictum eſt: Mercurium verò veluti qui luminaribus ſemper famuletur. Cùm verò vnicuique triangulo duo Planetæ dominarentur, par erat vt etiam duo venti præeſſent, & regio ipſa quaſi media eſſet. His itaque intellectis, facile eſt exponere quæ Ptolemæus in vnoquoque triangulo ſcripſit, quare ſola paraphraſi opus erit.

Quoniam igitur in primo triangulo quod è maſculinis & diurnis, conſtat ſignis Mars & Sol, & Iupiter domus habent: Mars in Ariete, Sol in Leone, Iupiter in Sagittario, Marte reiecto quia Soli inimicus eſt, qui plurimum poteſt per ſe quod dominus ſit Planetarum, tum etiam quia exaltationem habet in eodem triangulo. Sol die factus eſt dominus primus, Iupiter ſecumdus: nocte autem Iupiter primus, Sol ſecundus, ob id cum Sol, vt dixi ſingularem ventum non habeat, Iupiter Aquilonares excitabit ventos: cui Mars hac in parte Solis inuicem gerens quod iure merito in trigono dominium habere deberet, ob domum aſſociatus occidentales excitat ventos: Ex hoc, & in hoc triangulo, & in aliis, intelliges ventos & regiones quæ inter Occidentem & Septentrionem ſunt, huic triangulo debere adſcribi.

TEXTVS LIII.

Secundùm triangulum ductum per Taurum Virg. & Capric. quodque conſtat ſignis tribus fœmininis Lunæ & Veneri datur. Ipſe Taurus vicinior æſtiuo circulo eſt, Virgo æquinoctiali, Capricor. hiberno. Hoc triangulum potiſſimum Auſtrale eſt, propter Veneris dominationem, cuius ſtella illius partis ventos ſuſcitat, propter validi & humidi vim. Quia verò & Subſolanum admittit propter Saturn. domicilium, Caprior. qui hunc ventum ciet, quique orientem propter conditionem Solarem tenet, fit hoc tanquam priori oppoſitum, vt ita dicam, Auſtriſolanum.

Cùm in singulis triangulis Ptolemæus obseruet tria in deligendis dominis, primum vt Planetæ sint diurni in diurnis triangulis, & nocturni in nocturnis, & ob id etiam reiecerit Martem à trigono primo: secundùm vt masculini Planetæ masculinis triangulis & fœmininis referantur: tertium, vt qui dominus est signi fixi in triangulo, semper omnibus aliis præferatur. Ita Sol qui a dominatur in Leone præfertur in primo triangulo & Luna, & Venus quia Tauro dominantur reiectis Saturno, & Mercurio quod masculini & diurni essent, Luna igitur nocte primas partes obtinebit, Venus secundas, die contra. Poterat tamen & Mercurius quippiam virium sortiri meritò, quod & si non fœmininus sit, ambiguus tamen, & plurimum possit in Virgine. Sed ad Ptolemæi opinionem reuertor, qui fixis signis quod validissima sint & pura & syncera, maximè innititur. Cùm igitur Luna certos non habeat ventos, Veneri quidem Auster, Saturno verò ob id Capricornum succedenti tanquam validiori Mercurio & quia Mercurius proprios non habet ventos, orientalis ventus associatur. Itaque & regio & venti inter Austrum & Orientem.

TEXTVS LIIII.

Triangulum tertium Gemini, Libra, Aquar. complectitur tria signa masculina. Alienum prorsus à Marte proprium verò Saturni & Mercurij propter duas illorum domos. Quare his permissa est administratio, diurna quidem Saturn. conditionis causa, nocturna verò Mercur. Ipsum quidem signum Gemini vicinum est circulo æstiuo, Libra æquinoctiali, Aquar. hiberno. Hoc triangulum potissimum est Subsolanum propter Saturn. Sed quia conditionis nomine Iupiter conciliatur Saturno, admiscetur ventus Iouialis Aquilo, vt fiat triangulum, Græca voce Borrapelioticum, quod significat confusionem Solani cum Aquilone.

Venus cùm nocturna sit & fœminina ab hoc trigono penitus quamuis Libræ domina, excluditur: res igitur, redit ad Saturnum & Mercurium. Saturnus igitur de die quia diurnus primus dominatur succedente Mercurio, in nocte verò Mercurius quod ancipitis naturæ plus Saturno potest. Quia tamen neque Mercurius ventos habet proprios neque Venus, Saturno sociari potest, tùm quia nocturna & fœminina, tum quia Saturno inimicissima, neque Mars quia cadit in Libra & nocturnus est, & Saturno inimicus res redit ad Iouem. Saturnus igitur orientalem, Iupiter Borealem ventum affert & quartam partem regionis quæ inter illos terminos continetur, ventosque intermedios. In hoc triangulo Saturnus plurimum potest quòd etiam ibi habeat altitudinem, sicut etiam in primo Sol, quod in Leone exaltetur.

TEXTVS LV.

Quartum per Cancrum, Scorpionem & Piscem relinquitur Marti qui solus restet, quique ius sibi huius vendicet propter domicilium suum. Adiunctæ tamen huic sunt sociæ administrationis, cùm propter conditionem, tum propter signa fœminina, nocte quidem Luna, interdiu verò Venus. Ipse Cancer in æstiuo est circulo, Scorpio accedit ad hibernum, Pisces ad æquinoctialem. Hoc triangulum potissimum est Africum, propter dominium Martis & Lunæ, sed propter Venerem commistione Austri fit Notolibycum, id est, Austri Africum.

Cùm hoc triangulum fœmininum esset Mars Iouem exclusit, tametsi dominus esset Iupiter Piscium & exaltaretur in Cancro: quod verò Mars potentior esset Venere & Luna & dominus signi fixi, primam vim sibi arripuit: Lunam tamen in nocte propter Cancrum domum eius, & Venerem in die dominam altitudinis Piscium, socios assumpsit. Venti verò Auster propter Venerem, & Occidentalis seu Africus propter Martis dominium cum Lunæ auxilio, quæ, vt dictum est in ea parte cum è radiis Solis exit, videtur: quamobrem & Solem aliquid in Oriente plus præstare credendum est.

Animaduertendum quod in regionibus nostris Saturnus Austro deberetur, Iupiter Occidenti, Mars Boreæ, Venus Orienti: quia meridies calidus est, & humidus & Saturnus in eo temperatur: occidens temperatum quo gaudet Iupiter: Boreas frigidum quo Mars, oriens humidum quo Venus. Dictum est enim quod benefica sydera vt temperata gaudent similibus, & malefica vt intemperata, contrariis. Præterea oriens facit voluptatibus deditos, quales Venus, Boreas autem furibundos & fortes, & atroces, quales Mars: occidens moderatos, ciuiles, iucundos, quales Iupiter: Meridies tristes, melancholicos, timidos, crudeles, solicitos, quales Saturnus. Quia tamen Haly dicit quæ Ptolemæus comprobauit, experimento consentire, credendum est tradita à Ptolemæo certiora esse ac magis conformia Aegyptiorum & Chaldæorum obseruationibus. Verùm qui ex Astronomia futuras calamitates priuatis prædixerint, & ego experientia didici, & historia teneo: qui publicarum rerum interitus prædixerint, nunquam accepi. Hæc tamen diligentius infrà docebuntur.

CAPVT

CAPVT XVIII.

TEXTVS LVI.

De Altitudinibus.

ALtitudinum planetarum, vt vocant, ratio hæc est. Cum Sol, vbi ad Arietem peruenit, in semicirculum Aquilonarem conscendere incipiat: vbi verò ad Libram, deiici & deferri ad austrum non inconuenienter ipsi tribuere in Ariete altitudinem, cum etiam dies tum crescant & calor viuificus exoriatur. Eidem Libra vt deiectio constituta est propter contrarias causas. Saturno vt Soli opponeretur, sicut & illius domicilium, voluere oppositum signum Libram altitudinem, Arietem deiectionem esse. Nam vbi calor intenditur, ibi remitti frigus necesse est: contraque vbi hoc augetur, illud diminuitur. Cæterum cum Luna à congressu cum Sole in Ariete primum appareat luceque augescat & quasi extollatur in Tauro trianguli sui principe signo, ideo Taurus illius altitudo perhibetur, eidemque oppositum signum Scorpion, deiectio. Iouis autem vis cum patescat in suscitatione aquilonarium & fœtificorum flaminum, extollitur à Cancro in Aquilonem maximè, intenduntur que ac complentur illius vires, ideoque hoc signum ipsius altitudo dicitur, deiectio verò Capricorn. At Mars qui natura æstuosus multoque quam alibi in Capricorno magis, quòd ibi terræ sit proximus, eam ob rem meritò accepit altitudinem signum Iouiali altitudini oppositum Capricorn. deiectionem autem Cancer. Sequitur stella Veneris, quæ cum humidi maximè efficiens sit, eumque potissimum in piscibus effectum exerceat, vnde humiditas Vernalis moueri cernitur, in illo loco inuenit altitudinem, deiectionem verò in Virgine. Iam Mercurij aridiuscula stella vt contrariæ efficientiæ contrariam etiam altitudinem in Virgine, cum impendet iam Autumni siccitas, ipseque quasi extollitur, deiectionem verò in Piscibus sortita est.

Astrologi vna regula potestatem inerrantium in ipsis signis venati sunt, scilicet cum signum illud aut partem ingrediens planeta maximam in aëre ostenderet mutationem; atque eò magis si id absque stellarum consortio fiat: ea enim sola causa res in dubium vertitur. Itaque longis obseruationibus & certo syderum loco opus est, quæ si accedant certos rei euentus in causas suas facilè reducere possunt. Itaque de Sole & Luna ratio Ptolemæi adeò euidens est & experimento concordans, vt dubitare de illa non liceat: de Ioue quoque satis manifesta est. At de Marte quod opponatur Ioui, consentaneum rationi: quòd verò ob id in Capricorno eleuetur, quòd Capricornus terræ sit maximè propinquus, certè multiplicem sensum habere potest: aut quòd ibi tunc esset oppositum absidis Ptolemæi tempore, quòd & verum erat: aut quòd linea ducta ex oculo ad Capricornum humilior sit, omnibus quæ ab oculo ducuntur ad signiferum: aut quòd dicatur humilior Capricornus solùm respectu Cancri, id est, remotior à vertice nostro: atque hic est sensus Ptolemæi magno interpretis lapsu obscuratus, cum Græca litera clara sit. Verùm, vt dixi, talia magis experientia constant, quàm vt certis demonstrationibus possint ostendi. Dicam autem quod ad explicationem rationis Ptolemæi pertinet hac in parte, vt vno exemplo mentis illius subtilitatem intelligas. Mars cum in Capricorno fuerit, milites facit egregios: nam miles tribus indiget, feritate calliditate, & ne sit præceps in negociis agendis. Calliditas maxima est propter Saturni consortium qui maximè dolosus est, pessimus & prauus omnino, propterea qui bellicæ rei student egregiè auari, rapaces, subdoli, incontinentes, perfidi ac denique scelesti sunt. Minimè possunt esse præcipites propter Saturni frigiditatem Capricornique frigidam & humidam intemperiem. Feritas à natura sibi prouenit quod minimè humanum est signum Capricornus. Hæc omnia comprehendit Ptolemæus paucis verbis, quæ sunt recondita altiore sensu. Cùm enim Capricornus frigidum sit & humidum signum, & Saturni domus maximè Marti congruit, tum quia plurimum abscedit à vertice nostro, nam sic vis Martis fit moderatior, quæ vt moderatior est eò maior. Quod ad Saturnum attinet maior est dubitatio, quoniam & si clarum sit ipsum altitudinem debere habere oppositam Soli, Veluti Drances Turno: in vnoquoque enim genere aliquid fingitur supremo aduersum: in astris Saturnus Soli, Deo Sathanas, Aquilæ Scarabeus. Itaque hæreditario iure vbi Sol cesserit, Saturnus vincit. Sed quod Saturnus exaltetur in Libra atque recedendo frigus augeat dubitatio est: Nam superius visum est Saturnum ea ratione infrigidare quòd remotus sit à capitibus nostris. Omne tamen agens vt propinquius fuerit magis agit, verùm Saturni sydus ideò refrigerat quia minus excalefacit: minus autem excalefacit dum procul est. ideò Saturnus à Libra vsque ad Arietem aërem plus refrigerat tum maximè si ventosus extiterit. Similiter Mercurius ob id gaudet in Virgine, quia siccus est tẽperie. Siccũ verò intelligentiæ & sapientiæ amicũ veluti Galenus docet. Cæterum an in partibus

In libro quòd animi mores corporis tẽperaturam sequantur.

partibus magis sint altitudines dubitatione dignum aliquibus visum est. Videtur enim rationi, quoquomodo consentaneum, quoniam experientia deprehenditur Solem, vbi primùm decimam nonam partem Arietis ingressus fuerit statim Ver manifestum, nobis ostendere: Sed de his in decem libris nostris Astronomicis satis dictum est: Hic sufficiat Ptolemæi opinionem declarasse.

CAPVT XIX.

TEXTVS LVII.

De Finibus

FInium ratio duplex est, vna Ægyptiaca quæ principatus modo domiciliorum obseruat. Altera Chaldaica accommodata ad triangulorum administrationes. Ac Ægyptiaca quidem quomodo vulgo tenetur, non admodum seruat neque ordinis, neque numerorum consequentiam. Primum quòd in ordinatione finium nunc priores dat domiciliorum, nunc triangulorum dominis non etiam nunquam altitudinum. Vt exempli causa quæri possit, si domiciliorum dominos respiciant, cur si fortè de Saturno sermo sit, primas illi tribuerint in iugo ac non Veneri potius? Itemque in Ariete, cur Iupiter potius quàm Mars? Quod si triangulorum dominos spectent, cur principem locum assignent in Capricorno, Mercurio, ac non Venere potius. Iam si placeat altitudinum principatus, cur ducit agmen in Cancro Mars, ac non potius Iupiter: Iam si hæc aggregent singulis, quique horum obtinuerint plurima illi præstantiam concedant, quæramus licet cur præcedat reliquis in Aquario Mercurius, cui in illo loco præterquàm trianguli ius nullum est, cum Saturnus teneat & domicilij & trianguli. Quin etiam Mercurium cum in Capricornum primum in ordinem statuerint, qui planè ab illo sit alienus. Huiusmodi inconuenientiam in reliqua serie passim animaduertere, deinde numerum etiam finium incongruum esse manifestum est. Nam quod aiunt singularium stellarum ex terminis collectum numerum eundem esse quem eadem attribuat in annis, rationem propriam aut probabilem habere non videtur. Quin etiam si tali collectioni, quod ad annorum attributionem attinet, credamus, quia hoc ab Aegyptiis asseueratur, fieri tamen potest, vt idem conficiatur etiam si aliter & diuersis modis terminorum numerus per singula signa exquiratur. Quod autem aliqui sapere & probare volunt hanc rationem, contra veritatem manifestò nituntur. Nam plenè falsum est quod aiunt illum numerum singularum stellarum temporalem effici secundùm ascensionum rationes. Primùm enim sequuntur vulgares traditiones de planis assensionum eminentiis, quæ ne minima quidem ex parte ad veritatem accedunt. Nam secundùm illas in parallelo inferioris Ægypti volunt exoriri signum Virginis & Libræ temporibus 38. & triente. Leonis verò & Scorpij tempor. 35. Cùm demonstretur per lineas quod hæc plus temporis in exortu consumant, illa verò, hoc est, Virgo & Libra, minus. Præterea qui hæc conquisierunt ne secutos quidem apparet numerum finium ab aliis traditum, quamuisqúe multa necessario commenti, atque alicubi ipsarum portionum portionibus vsi fuerint, quo constaret ipsis quod proposuissent, tamen ne sic quidem ad veritatis metam peruenisse cognoscuntur. Quæ autem ferè traditur ab illis ratio finium propterea quòd, vt diximus, plurimum huic fides tribui soleat, ad subiectum sese modum habet.

FINES

FINES ÆGYPTIORVM.

♈	Iup.	6	Ven.	6	Mer.	8	Mar.	5	Sat.	5
♉	Ven.	8	Mer.	6	Iup.	8	Sat.	5	Mar.	3
♊	Mer.	6	Iup.	6	Ven.	5	Mar.	7	Sat.	6
♋	Mar.	7	Ven.	6	Mer.	6	Iup.	7	Sat.	4
♌	Iup.	6	Ven.	5	Sat.	7	Mer.	6	Mar.	6
♍	Mer.	7	Ven.	10	Iup.	4	Mar.	7	Sat.	2
♎	Sat.	6	Mer.	8	Iup.	7	Ven.	7	Mar.	2
♏	Mar.	7	Ven.	4	Mer.	8	Iup.	5	Sat.	6
♐	Iup.	12	Ven.	5	Mer.	4	Sat.	5	Mar.	4
♑	Mer.	7	Iup.	7	Ven.	7	Sat.	4	Mar.	5
♒	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	7	Mar.	5	Sat.	5
♓	Ven.	12	Iup.	4	Mer.	3	Mar.	9	Sat.	2

Dixeramus Mercurium in Virgine exaltari, ob id quòd Virginis ſiccitate gaudeat: adduntur plurimæ aliæ cauſæ, vtpote à Ptolemæo quòd ancipitis ſit naturæ, Virgo etiam anceps cum autumnale ſit ſignum: *Primo de Temperamentis.* Autumnus autem, teſte Galeno naturæ ancipitis, vt qui mane frigeat, meridie caleat egregiè, rurſuſque veſpertino tempore ſit frigidiſſimus, adeò vt homines niſi caueant, manifeſtè lædantur. At verò dices: Virgo æſtiuum eſt ſignum: verùm illius vltima pars, quoniam commune eſt ſignum, in alterius naturam tranſit temporis. Haly addit quod cum Mercurius veſpertinus apparere incipit dum Sol in Leone fuerit, in ſigno eſt Virginis. Sumptum illud à ſimilitudine Lunæ: Sed nihil magis quàm quòd experientia *Cap. 17.* conſtet. Id tamen conſideratione dignum, planetas inferiores quandoque occidentales gaudere, velut Ptolemæus in tertio libro docet: Ratio eſt quoniam inferiores cùm habeant motum alium præter motum Solis. Motus autem communis qui medius dicitur, idem eſt cum motu Solis, videntur eſſe velociores Sole: at qui velocior eſt planeta natura motus euadit occidentalior, quamobrem ſuperiores ſolùm orientales gaudent, occidentales debilitantur: Luna quòd omnino velocior ſit Sole occidentalis robuſtior ſemper eſt, tunc enim primùm apparere incipit. Venus igitur & Mercurius in veſpertinis heliacis ortibus occidentales non minus gaudent, cum Lunæ aſſimilentur, quàm in matutinis orientalibus cum tribus ſuperioribus. Obſeruandum igitur eſt qua in medietate cœli ipſi fuerint, hoc autem ſuo loco magis declarabitur. Similiter & Mercurius Veneri aduerſatur, ſicut Autumnus Veri, & inæquale æquali, & Virgo Piſcibus, & ſiccum humido. Cæterùm in iſto capite maxima eſt confuſio de Finibus, cum Ptolemæus narrat tres opiniones, quarum duas ipſe reprobat: Sed tamen primæ experientia egregiè ſubſcribit. Et videtur Haly dicere de his hæc verba (Tamen ego dicam id quod vidi de vna experientia quam inueni in loco qui dictus eſt oculus Solis, quia modico tempore miracula magna vidi) Sed Ptolemæus claram rationem adducit quòd ordinem non ſeruauerint. Ratio verò illa clara eſt. Quòd verò dicit: Nam quod aiunt, reſpondet rationi quorundam qui certum numerum annorum vitæ ſignificatoribus tribuebant dupliciter: primum, quòd opinio illa falſa ſit, vt in tertio etiam libro oſtendet dum de vita agit: Secundum, quòd & ſi talis numerus vim aliquam haberet, tamen aliter diuidendo ſigna, idem numerus confici poſſet. Quamobrem, vt inferius docet, nec talis numerus conueniat numero annorum qui planetis aſſignari ſolent. Nam Saturno dant 60. partes, & Marti 67. Ioui autem ſolùm 76. & Veneri 81. ita vt in ſolo Mercurio conueniant. (Quod autem aliqui) Declarat ſecundùm fundamentum quorundam quod Haly nullo modo intellexit, neque explicare aggreſſus eſt: tantò plus enim dabant fortunis, quantò aſcenſione aſcenſio maior erat: Veluti in Virgine quòd in Aegypti parallelo aſcenderet in partibus æquinoctij 38. & triente, Leo autem triginta quinque, dederunt Ioui & Veneri in Virgine quatuordecim partes, in Leone ſolum vndecim: propter trientem verò ſuperadditum cum non liceret frangere partes & Libra in eiſdem temporibus aſcendat, in quibus Virgo, & Scorpio in eiſdem in quibus Leo, geminato triente quamuis fierent minuta 40. tantum, tamen dederunt ſingulo trienti partem vnam: vt in Libra Iupiter & Venus quinque partes plures haberent, quàm Iupiter & Venus in Scorpione. Hanc rationem reiicit Ptolemæus bifariam & quod aſcenſiones ſignorum in tali parallelo falſæ ſupponantur. Et quod ne ſic generaliter quamuis per minuta rem tractantes, veritatē aſſequi potuerunt, vt infrà docebitur.

Ratio autem ordinis ſic habetur: diſtributo ſignifero in quatuor quadrantes Arieti datur Iupiter, trigoni dominus, inde Veneri dominæ ſequentis ſigni, poſt Mercurio domino ſequentis, poſt Marti domino loci, inde Saturno, cùm nihil eſt familiaritatis, cum eo ſigno Tauro locus datur Veneri ob trigonum, & ob domum augetur duabus poteſtatibus, inde Mercurio domino trigoni ſequentis, poſt Ioui ſequentis domini altitudinis, exultatur enim in Cancro inde Satur-

no domino diuerso à Venere, cum sit diurnus ipsa nocturna in sequenti signo Geminorum, inde Marti reliquo Marti. Par iratione & Cancer & Leo habent primos dominos trigoni, vt etiam Libra, Scorpio, Sagittarius & Aquarius, & Piscis vbi ob trigonum & altitudinem Venus congeminat potestatum numerum: in Virgine altitudo & domus trigono præferuntur. Ideò Venus priuata suo loco sequentem occupat vt fœnore magno, sed in Capricorno Mercurius præfertur, quod in trigono sit Virginis, & dominus sequentis trigoni Aquarij, & quod è Sagittario exeat vbi vires habet infirmas cuius causa Iupiter Cancri altitudinis dominus & Piscium secundum locum accepit. Explanator tamen non vult vt ratio signorum extendatur vltra tertium Aries ad Geminos, Taurus ad Cancrum, Gemini ad Leonem. Sed non concordat in Capricorno neque numeris, quia exposuit fines Ptolemæi non communes de quibus nunc agemus.

TEXTVS LVIII.

Ratio Chaldaica simplicior quidem est, magisque persuasibilis, sed non proinde absoluta, cum ipsa in serie, quàm ad triangulorum dominationes refert, tum numero quoque finium. Hæc etiam absque præscriptione perspici facilè poterit. Nam in primo triangulo Aries, Leo & Sagittarius similiter per signa definiunt terminos, sic vt primum locum teneat dominus trianguli, id est, Iupiter. Secundum sequentis trigoni, præsens ea est Venus. Ponantur tertij dominatores consequenter, ij erunt Saturnus & Mercurius, & vltimo Mars dominatur postremi trianguli. In secundo triangulo, vbi similis per signa distributionem seruant. Primus locus est Veneris Secundus & tertius Saturni & Mercurij. Quartus Martis. Quintus Iouis. Ad hunc modum ferè sese habet etiam in reliquis duobus triangulis finium terminatio. Cæterùm vbi sunt minus duo dominatores, Satur. inquam & Mercur. principatum ordinis sui tenebit interdiu Saturnus, noctu Mercurius. Iam numerus finium ne ipse quidem inuolutus est. Vt enim quæque stella alteram ordine præcedit, ita vna parte voluerunt excellere. Sic fit vt prima semper habeat partem 8. Secunda 7. Tertia 6. Quarta 5. Quinta 4. quibus numeris triginta cõficiunt. Ex hac distributione colliguntur Saturn. partes diurnæ 78. nocturnæ 66. Iouis 72. Mar. 69. Veneris 75. Merc. diurnæ 66. nocturnæ 78. quæ omnes partes sunt, 360. Ex his duabus rationibus finium dignior est cui accedatur Ægyptiaca, propterea quod pro vtili ab Ægyptiis scriptoribus illa est tradita, & quod penitus congruant partes in illa finium cum exemplaribus genituris, quas Ægyptij collectas habent. Verùm cum scriptores nusquàm ipsorum neque seriem, neque singulatim numerum declarauerint, suspitioni fuerit atque etiam reprehensioni ista incertitudo obnoxia.

Cùm neque Ptolemæus hos terminos confirmauerit, neque experientia approbauerit, non est cur exponendo laboremus, præsertim cum litera clara sit. Etenim omnis expositio alicuius boni causa esse debet, omnisque scriptura temporisque iactura. Adiecit autem numeros illos, vt ostenderet eos non congruere annis maioribus planetarum.

Cæterùm quòd ad Aegyptios terminos attinet, Dorotheus & melius Græci sapientes illos potius quàm Ptolemæi obseruarunt. Ideoque ratio ipsorum meo iudicio talis est. In vnoquoque signo initium dabitur planetæ qui plures obtinuerit dignitates: sin autem solam vnam, præfertur trigoni dominus domino exaltationis: Hic verò domino domus, nisi infortunæ fuerint. Hac de causa liquet quare in Capricorno & Aquario Saturnus non præponatur, Mercurius autem in Aquario trigonum habet: Ideò ipse præponitur. In Scorpione præponitur Mars, quia trigonum habet & domum: In Cancro autem quod eius trigoni solus sit dominus. In Libra verò Saturnus quòd Carpentum in ea obtineat: altitudinis scilicet & trigoni dominus. Ob hæc igitur nulla alio in signo malefica, neque primas, neque secundas obtineat partes. De Capricorno autem cur Mercurius præponatur vna ex tribus causis esse potest: vel quia Venerem pro Mercurio & Mercurium pro Venere propter figurarum similitudinem supposuerint: vel quod Mercurium, vt dixi vim in trigono illo habere propter Virginem existimarint: vel quod experientia comprobatam aliquam insignem virtutem animaduerterint. Nam si quis rectè rem perpendat præter Venerem quæ valde debilis est in eo trigono, nullum planetam quem iure proponerent habebant, nam Venus debilis est quod solum in Tauro ex secundo trigono exaltetur: ob id Luna & Venus minimas vires sortitæ sunt, quòd duorum trigonorum participes sint, scilicet, terrei & aquei: quod si in Capricorno Venerem pro Mercurio supposueris, & pro Venere Mercurium exactam habebis rationem.

Fuisse Chaldæos in Astrologos in Babylonia quæ non procul à Iudæa ad orientem posita est liquido constat: ob quorum sapientiam qui futura prædicere profiterentur Mathematicos tametsi non per astra diuinarent, vt Chaldæi vocari soliti erant, vt in numerum hunc & Ægyptios sapientes,

Magos,

Magos Persas & alios quamplures traduxerint, de quibus supra etiam actum est. Meminit & Porphyrius in nulla alia re vtilis quam in commemorandis huiusmodi nominibus Trasibuli & Petosiridis, qui ante Ptolemæum in magna fuerunt existimatione, quos etiam vocat vetustiores, sed & Antigoni & Psnani Ægyptiorum, quorum etiam placita adeò absurda sunt, & plena nugis vt Porphyrius totam artem vt nunc etiam Latini, & Arabes olim deturparint, constatque Arabum, omnia illa commenta non esse illorum, sed horum inuenta inter quæ sunt radij per ascensiones, vt in nostro parallelo trigoni inter initium Capricorni, & vigesimam quartam partem Geminorum cum sint fermè oppositi. Quadrati verò ab eodem ad decimam octauam partem Tauri trigonis lotiores non parum, vt liquet & hæc sunt horum inuenta. Trasybuli verò fines aut ignoti non habentur: aut sunt Ægyptij, aut Chaldaici, nam Ptolemæi si fuissent, verisimile est Ptolemæum nomen eius proditurum, cum antiquior fuerit Ptolemæo Trasybulus annis fermè centum, inuidia superior meminit & Petosiridis author ignotus, cùm Chepsone alio nobili antiquo Astrologo, alibi mentionem facit Necepsi, qui multa ad artem addidit: Forsan idem cùm Chepso sed corrupto vocabulo certè præstantissimus. Hi fuerunt partis fortunæ seu hortis quàm Ptolemæus secutus est inuentores atque eos nomine antiquorum intellexisse affirmat ille. Quorum & aliorum omnium placita absque discrimine bona & mala (sed hæc longè plura) vt Grammaticum verisimile est, congessit in vnum Iulius Firmicus, cui tamen & ob hos gratias debemus, licet pauca è multis, atque ea magno cum iudicio decerpenda suaserint.

TEXTVS LIX.

Sed ad nostras manus peruenit, liber peruetustus multis iam in locis ætate consumptus, in quo contineretur naturalis & conueniens ratio ordinis & numeri illorum, concordabatque & in expositis genituris partium descriptio, & totius numeri comprehensio cum veterum traditione. Cæterùm oratio erat expositionis cùm verbosa, tum multa superuacua argumenta complexa. Ipse verò liber mutilatus, vt ægrè à nobis generaliter dictorum sententia perciperetur, & si non parum adiuuaret ipsorum finium descriptio, quæ in fine libri integrior remanserat. Sed tota ratio exquisitionis illorum ita se habet, nam in ordine signorum assumuntur altitudines, triangula & domus, quorum si qua stella duorum compos fuerit in eodem signo, illa principem locum tenet, quamuis malefica fuerit, quod si hoc non vsu venerit, maleficæ semper in loca vltima collocantur. Sed altitudinum domini præponuntur dominis triangulorum, atque hi domiciliorum dominis, consequenter quidem secundum signorum seriem: ita etiam vt duplicis administrationis stella antecedat semper habentem simplicem. Cancer tamen & Leo domicilia Solis & Lunæ

♈	Iup.	6	Ven.	6	Mer.	7	Mar.	5	Sat.	5
♉	Ven.	8	Mer.	7	Iup.	7	Sat.	4	Mar.	3
♊	Mer.	7	Iup.	7	Ven.	7	Sat.	4	Mar.	6
♋	Mar.	6	Iup.	7	Mer.	7	Ven.	7	Sat.	3
♌	Sat.	6	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	6	Mar.	6
♍	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	5	Sat.	6	Mar.	6
♎	Sat.	6	Ven.	5	Iup.	8	Mer.	5	Mar.	6
♏	Mar.	6	Iup.	8	Ven.	7	Mer.	6	Sat.	5
♐	Iup.	8	Ven.	6	Mer.	5	Sat.	6	Mar.	5
♑	Ven.	6	Mer.	6	Iup.	7	Mar.	6	Sat.	5
♒	Sat.	6	Mer.	6	Ven.	8	Iup.	5	Mar.	5
♓	Ven.	8	Iup.	6	Mer.	6	Mar.	6	Sat.	4

atrribuuntur maleficis, nam finibus luminaria non includuntur, maleficæ autem in illis potentiores inueniuntur, & Canc. quidem Mar. Leo autem Satur. habetur, atque his conueniens ordo conseruatur. Sed numerus sic exquiritur. Si non inueniatur stella dominatrix duplici modo, vel in eodem signo, vel in sequentibus duobus, tum dari solent beneficis, hoc est, Ioui & Veneri, singilatim septenæ partes, sed maleficis, id est, Satur. & Mart. quinæ: Mercur. autem qui communis est, senæ, quibus numerus 30. partium expletur. Sed hoc est accipiendum de iis, qui nonnisi simplici modo dominentur. Verùm cum aliquæ dupli-

cem rationem habeant, nam Ven: sola est domina trianguli Canc. & Taur. cum Luna finibus non claudatur. His igitur singilatim vna pars adiicitur, siue hanc rationem in eodem signo, siue in proximis duobus, hoc est, vno quadrante habuerint, atque talibus adiectis partibus animaduerti in memorata percensione fuisse punctula superposita, sed adiectitiæ duplici huic rationi partes auferuntur, à reliquis & solitariis plerumque quidem à Satur. sed tamen à Ioue propter tarditatem motus. Horum autem & ipsorum finium descriptionem in sequentibus expositam subiecimus.

Nec defuere qui partirentur etiam subtilius dominationum iura, nominarentque loca & partes, illa quidem volentes accipi duodecimam vniuscuiusque signi portionem, id est, partem secundam, & dimidiam. Incipiunt autem attribuere ius sequentibus semper signis ab eo in quo stella fuerit inuenta, sed non hac vna, verùm aliis quoque ratione carentibus modis. Partes autem ascribunt iterum à principio signorum omnibus singilatim stellis ordine exposito in Chaldaicorum finium demonstratione. Sed hæc, vt disputabilia & naturali ratione carentia, magísque ostentationi comparata, prætermittamus. Hoc monentes quod scitu dignum est, signorum vel locorum duodecim initia sumenda ab æquinoctialibus & tropicis, quod & ipsum à scriptoribus ostenditur, & quod vt exposuimus, illorum naturæ vires, societates, de æquinoctialibus & tropicis solis initiis existunt. Quod si alia initia constituerimus, aut signa ab vsu indiciorum necessariò excludemus, aut assumentes multum frustrabimur, quippe cum præterita & mutata fuerint spacia signiferi, àquibus illis vires inseruntur.

Diuiditur hic textus in duas partes, cuius secundæ initium est ibi. Nec defuère: quia non tamen separari meretur, neque vt Arabes faciunt titulus præponendus ei parti, quoniam Ptolemæus omnia talia reiicit, nec recitat vt doceat, sed vt refellat tales nugas consimilesque omneis. Illud verò vtiliter additum in calce (Hoc monentes quod) declarando quòd signa non à formis stellarum, quæ in octauo sunt orbe, sed ab ipsis punctis æquinoctiorum aut etiam tropicorum sumenda sunt: quod si aliter fecerimus, dicit, vt scilicet ab initiis figurarum octaui orbis computemus, duorum alterum fieri necesse est, aut vt existimantes eadem esse initia signorum octaui atque noni orbis frustremur, cùm iam talia initia diuersa sint, quippe quod figuræ illæ tempore Ptolemæi ab obseruationibus Ægyptiorum & Chaldæorum, quæ forsitan mille annis & plus antea factæ fuerant non parum recesserint, vtpote octo vel decem partibus. Vnde si gratia exempli initium Arietis quod ab æquinoctio est humidissimum statuatur, vt est, inde primas stellas quæ in capite Arietis sunt humidissimas esse existimes, ea ratione falleris cum sint siccissimæ, vt suo loco visum est. Quod si virtutes has figuris octaui orbis tribuas sciens prudensque nec omnino ignorans eas à punctis æquinoctiis ac tropicis recessisse, tunc signa, quæ à talibus punctis initium ducunt erunt superflua: vt quibus neque stellarum ratione, quæ nullæ ibi sunt saltem nobis cognitæ, neque ipsorum initiorum ac Solis motus causa vires aliquas esse existimentur. Rursus aliquis meritò dubitabit, si ipsi eclypticæ vires & diuisio à Sole accedit, Sol, autem ipse ab ingressu æquinoctij Verni ad ingressum tropici Æstiui dies absumit nonaginta tres, sed ab ingressu tropici Hyemalis ad ingressum æquinoctij Vernalis solum sunt nonaginta trium partium, & à solstitio Hyemali ad æquinoctium Vernum nonaginta: vel potius reducendo ad partes ex trecentis sexaginta erit quarta Vernalis partium nonaginta vnius cum dimidio, & Hyemalis octuaginta octo cum dimidio, & ita signa Vernalia erunt partium triginta cum dimidio, & Hyemalia viginti nouem cum dimidio: Signa igitur non erunt æqualia? Sed ad hoc Haly respondebat quoniam potentia hoc, in vnaquaque parte fiet: nam absis Solis mobilis est, secus si esset immobilis: propterea arcus octaui vel noni orbis in eclyptica æquales sunt.

Cæterùm vt ad finium Chaldaicorum imò potius Ptolemæi deueniam expositionem, cum dixit (In expositis genituris) à quatuor laudat causis inuentionem hanc finium propriorum: quos tamen dicit à quodam antiquo inuentos, & obseruatos. Primùm quòd ordinem seruent planetæ naturalem in signis. Secundo quòd numerum. Tertio quòd genituris congruant: hoc autem est quod gratia exempli, ♃ fuerit in quartadecima parte Piscium in genitura, dum Sol est in quartadecima parte Cancri, vbi immensas significat diuitias. Cùm verò Iupiter directione initium Arietis attigit, quoniam ibi fines erant Iouis, ditatus est egregiè adolescentulus, illæ & diuitiæ creuerunt, maximè donec Iupiter sextam partem Arietis excessit. Cum verò ad vigesimam secundam peruenit Arietis, quoniam ibi Mars fines habebat, multum iacturæ à latronibus, à furibus, propter rixas aliaque violenta donec vigesimam sextam partem Iupiter superauit, accepit. Quarto quòd totidem partes vnusquisque planeta finium in signis accepit, quot etiam in Ægyptiacis. Velut Saturnus quinquaginta septem gratia exempli, & Mars sexaginta,

aginta ſex, atque ita de aliis : non quod totidem annis homines illis diſpoſitoribus viuant, vt rebantur Arabes, ſed quod plus dominaretur quod magis generationi & animantium commodo vtile eſſet. Quamobrem plus etiam Venus accepit, quàm Iupiter:non quod temperatior ſit, ſed vt commodius omnia luxuriarent, & ob amorem in prolis generationem accenderentur. Itaque Venus 82. Iupiter 80. Mercurius 76. Mars 65. Saturnus vt dictum eſt 57. partes accepit. Mercurius enim propter luminarium propinquitatem & Veneris frequentes coniunctiones, & quia proximus terræ eſt, parúmque afficitur à retroceſſibus ob frequentiam, & à Sole ob familiaritatem, in cauſa vitæ & generationis plus longè beneficis accedit quàm maleficis. Eadem cauſa Mars longè Saturno præferendus eſt, quod Mars calidus ſit egregiè, ideóque præferoces milites & amant, & concumbunt, & generant, & validos generant : decrepiti neque amant, & minus concumbunt, & multò minus generant, & quoſcunque generant inualidos generant. Verùm quod ad rationem attinet ordinis hæc talis eſt. Quicumque planeta vt etiam in Ægyptiaca diuiſione diximus, carpentum ſeu ſolium obtinet, aliis proponitur : Inde dantur vltima loca maleficis ſemper, ſi carpentum non obtinuerint, præterquàm in Cancro & Leone, in Cancro Marti, in Leone Saturno. Nam cum luminaria ſunt fines per ſex integra ſigna ſortiantur, vt ſuperius dictum eſt, initia horum ſignorum maleficis dedicantur, propter hanc cauſam, quòd initio Cancri quod frigidiſſimum ſit & humidiſſimum ſignum, & Luna in eo maximè gaudeat Martis calor temperetur ac ſiccitas, atque ideò gaudere in eo videatur. Plurimum enim poteſt ibi Mars vbi maximè temperiem acquirit. Eadem ratione Saturnus vbi illius frigus tum à calore Solis, tum à calore ſigni mitigatur, atque boni cauſa. Nocendi verò per antipariſtaſim frigus Saturni in initio Leonis, & Martis caliditas ac ſiccitas in initio Canceri augebuntur, vnde grandines & tonitrua & æſtus ac incendia per Martem ibi conſtitutum fient. In cæteris autem præponitur dominus altitudinis triangulo, & triangulus domui, niſi vt dictum eſt maleficæ fuerint : nam hæ vt diximus Solis in carpentis præponuntur. Cæterùm & inter Martem & Saturnum id ordinis intercedit : vt ſemper quæ dignitatem obtinet præferatur : Veluti in Geminis, Saturnus Marti, in Capricorno, Mars Saturno. Vbi verò neutra maleficarum dignitatem obtinuerit, vt in Tauro & Virgine, Sagittario, ſemper Saturnus Marti præponitur. Quod verò ad numerum partium attinet, regula hæc ſeruanda eſt: beneficis ſeptem partes dari ſolent, maleficis autem quinæ, ſi non in eo ſigno neque duobus ſequentibus (& Mercurio ſenæ) inueniatur carpentum. Porrò carpenta ſunt ex toto ſigno, Taurus Veneri ob domum & trigonum, & Gemini Mercurio, & Virgo etiam Mercurio ob domum & altitudinem : & Libra Saturno ob altitudinem & trigonum, & Scorpio Marti ob domum & trigonum vel altitudinem. Adeò vt ſola quatuor ſigna carpento careant, Aries, Cancer, Leo, Capricornus. Propterea licet ſimpliciter dicere quod omnibus in locis Veneri & Ioui ſeptem partes dandæ ſunt, Saturno & Marti quinque, niſi quòd ſi qua ſtella duas poteſtates in ipſo ſigno vel ſequenti, vel tertio habuerit, vnam partem addere oporteat. Hæ verò quæ talibus adiiciuntur, adimi ſolent grauioribus planetis, ſcilicet Saturno & Ioue, præſertim tamen à Saturno quòd maleficus ſit. Exemplum autem in duobus ſignis demus in Ariete : ex ſimplici ratione Ioui ſeptem primæ partes debentur, quod dominus ſit trigoni : Veneri ſeptem, quod benefica ſit : Mercurio ſex : Marti quinque ſequentes, quòd domicilium habet in Ariete : Saturno quinque poſtremæ : atque hæc eſt pri-

Aries	Iup.	7	Ven.	7	Merc.	6	Mars	5.	Sat.	5
Aries	Iup.	6	Ven.	8	Merc.	7	Mars	5.	Sat.	4

ma conſtitutio quam demonſtratam vides. At quia Venus in Tauro carpentum habet ſequenti ab Ariete ſigno, punctum Veneri ſuperaddemus in ſignũ additionis partis vnius, hanc à Saturno detrahere licet quod maleficus ſit primum, deinde quòd tardiſſimus, & Veneri inimicus. Similiter cum Mercurius in Geminis tertio ab Ariete ſigno carpentum obtineat, punctum ſuperſcribemus Mercurij numero, in ſignum addendæ partis, detrahemus verò à Ioue propter tarditatem motus & quia Mercurius inimicus eſt Ioui: puncta verò ſubiicere decet numeris Iouis & Saturni, atque ſic conſtitutio ſecunda fiet diſtributionis finium. Secundum exemplum capiamus Capricornum in quo Venus domina trianguli ſeptem partes ex generali ratione habet, Mercurio ſex ſequentes quod dominus ſit ſequentis trianguli, inde Ioui ſeptem generali ratione, quod benefica ſit, poſt Marti quinque quod habeat altitudinem quæ domicilio præponitur, inde Saturno quinque. Sed Mars quod in Piſcibus ſolus vt dixi trigonum obtineat, & in Capricorno altitudinem, partem vnam ſibi iungit, hanc à Saturno adimere non licet, quòd domus dominus ſit, neque à Mercurio quòd dominus ſit ſequentis trigoni, neque à Ioue quia dominus ſit Piſcium, aufertur ergo à Venere quæ quamuis carpentum habeat in Piſcibus, inimica tamen eſt Saturno domino domus ſcilicet Capricorni, neque vllibi Venus partes habet pauciores ſeptem, præterquam in Sagittario, vbi ſex habet, quòd ibi ſolitaria ſit & in duobus ſequentibus ſignis : Et in Libra vbi quinque habet tantùm propter trium ſuperiorum robur in eo ſigno & duobus ſequentibus. Nam Libra carpentum Saturni eſt. Scorpio Martis, & Sagittarius Iouis, quamobrem tres partes ſibi præter ſolitum vindicauerunt, vnam ſcilicet ſinguli : & Veneri quidem duæ ademptæ ſunt, vna verò Mercurio, quòd ipſe Venere validior eſſet ob trigonum. Cæterùm meritò dubitabit aliquis, propter quid triangula in finibus diſtribuendis validiora ſint domibus cùm à domorum ratione pendeant? Cauſa autem eſt quoniam

niam finium distributio est ex quodam consensu, sicut etiam in publicis rerum partitionibus fieri solet, maiusque vniuscuiusque planetæ dominium est, ob id concordi quodam consensu signorum partes sibi inuicem partiuntur. Sed tamen carpento cedunt, quòd planeta ille tanquam princeps vi optimam partem sibi eligat ac vindicet. Cæterùm cum in his duabus viis dubitatio, si quænam præferenda iure meritò sit, Tabulam subieci partium illarum, in quibus Ptolemæus cum antiquis concordat cuius exemplum est, volo scire 24. partem Cancri, cuius sit finis. Inuenio quod in Cancro à 19.

♈	♃ 6	♀ 12	D. 14	☿ 20	D. 21	♂ 25	D. 26	♂ 30		
♉	♀ 8	☿ 14	D. 15	♃ 22	♄ 26	D. 27	♂ 30			
♊	☿ 6	D. 7	♃ 12	D. 14	♀ 17	D. 24	♄ 25	D. 30		
♋	♂ 6	D. 13	☿ 19	D. 27	♄ 30					
♌	D. 25	♂ 30								
♍	☿ 7	♀ 13	D. 17	♃ 18	D. 24	♂ 28	D. 30			
♎	♄ 6	D. 14	♃ 28	♂ 30						
♏	♂ 6	D. 27	♄ 30							
♐	♃ 8	D. 12	♀ 14	D. 17	☿ 19	D. 21	♄ 24	D. 26	♂ 30	
♑	D. 16	♃ 24	D. 30							
♒	D. 16	☿ 7	D. 12	☿ 13	D. 30					
♓	♀ 8	D. 12	♃ 14	D. 16	☿ 19	D. 20	♂ 26	D. 28	♄ 30	

ad 27. est dubia tota illa pars: Secundum enim antiquos est tota Iouis iuxta Ptolemæum Veneris, ideò multum refert, cùm vnus possit respicere, altero non respiciente: Sed hic si sit Iouis non adeò refert, cùm nihilominus habeat ibi altitudinem. Et ita in Capricorno à gradu 14. ad 30. est varietas: nam iuxta antiquos est sub Saturno secundùm Ptolemæum sub Marte.

CAPVT XX.

TEXTVS LX.

De sua cuiusque stellæ persona, & carpentis ac soliis.

ATque hoc ferè modo sese habent familiaritates stellarum, locorúmque duodecim. Dicuntur autem stellæ & suas quasi personas gerere, quod videre faciem vulgus vocat, cum singulæ eo modo cum Sole, aut etiam Luna configurentur, quò domicilia ipsorum cum domiciliis luminum: vt Verbi causa Venus in sexangula configuratione cum luminibus, sed cum Sole vespertina, cum Luna matutina esse debet, pro eo atque etiam domicilia collocata sunt.

Personam suam gerere Mercurius dicetur cùm fuerit in sequente signo post Solem, quocumque loco fuerit Sol. Vtpote si Sol sit in Libra & Mercurius sit in Scorpione. Venus verò cum secundum signum à Sole obtinuerit & Mars tertium, & Iupiter quartum, & Saturnus quintum post Solem: Veluti si Sol sit, vt dixi, in Libra & Saturnus sit in Piscibus. Eodem modo quoad Lunam veluti in Sole, sed vt sit in antecedentibus signis, vt Mercurio in primo signo ante Lunam: Veneri in secundo, Marti in tertio, Ioui in quarto, & Saturno in quinto. Vt si Luna sit in Piscibus, & Mercurius in Aquario, vel Iupiter in Scorpione dicerentur gerere personam. Quòd verò hanc dignitatem probet, & non vt reliquas nugas Chaldæorum in fine textus præcedentis descriptas confutet, docet continuatio ad carpenta ac solia de quibus nulla est dubitatio. Inquit enim.

TEXTVS LXI.

Suis autem quasi in regiis curribus & carpentis inuehi, & soliis insidere & in istiusmodi excellentiis tum esse dicuntur, cum duobus aut pluribus nominibus declaratum in superioribus familiaritatis ius exercuerint in iis locis stellæ quibus institerint. Nam quia tunc ipsorum maximè efficaces vires fiunt, propter conuenientiam & similitudinem & quasi collatam operam duodecim locorum, ideò soliis suis insidere & illustres dicuntur.

Quis iure non dubitet antequam de soliis agamus cur Ptolemæus personam agere planetas occidentales à Sole maximè superiores atque occidentales à Luna velit, cùm expressè in tertio libro matutinas circa Solem, & vespertinas circa Lunam contraria penitus ratione præferat? Verùm nisi quispiam, vt sæpius dixi, diuidat significata atque conditiones, nunquam ad veram artis scientiam peruenire poterit. Est igitur, ac si sit sensus, tres superiores (Nam de inferioribus

quod

quod Occidentales à Sole bene collocentur, iam ſuperius oſtenſum eſt) ſi quando occidentales fuerint à Sole, aut à Luna orientales, optimum erit & perſonam agere dicentur, quando tot ſignis à Sole differerint, vel à Luna, quot propria domus poſt Leonem, ſcilicet Scorpio, Sagittarius vel Capricornus à Leone, aut antecedens Cancrum, ſcilicet Aquarius, Piſces, & Aries ab ipſo in Cancro.

Rurſus ſciendum eſt quædam ex ipſius Ptolemæi ſententia deriuari quæ expoſitorem decet adiicere, vt non Haly qui palàm non recepta à Ptolemæo non ſolum his in locis

Fœlices		Infœlices.	
♈	7	♈	26
♊	15	♉	26
♌	20	♊	25
♍	14	♍	24.30
♎	12	♐	25
♏	15	♑	25
♐	9	♓	30
♒	21		
♓	9		

adiicit, verùm & ipſius ſententiæ repugnantia, & ab illius prorſus doctrina aliena. Quod autem Ptolemæi doctrinæ conuenit, eſt vt partes in quibus fines vtriuſque beneficæ iunguntur ſint feliciſſimæ: vtpote initium ſeptimæ Arietis eſt Veneris initium termini, finiſque Iouis, ob id commiſta natura beneficarum feliciores extant cæteris. Contraria ratione ad vnguem habentur infelices: vt à latere vides. Cæterùm vt ad textus explicationem deueniam, carpentum ſeu ſolium bifariam accipitur, vno modo prout in ſignis & principaliter conſideratur pro finibus conſtituendis: & eſt cum planeta e tribus dignitatibus, primis quæ ſunt altitudo domus & trigonus duas obtinuerit: alio modo. Cùm duas quomodocunque è quatuor dignitatibus aliqua in parte obtineat & fuerit in illa. Tertio cum in eo loco licet non ſit plures duabus habet dignitates Ptolemæus ſecundùm modum ſolum recipit, quia facit ad robur planetæ, licet tertius faciat ad vim in loco illo, & ideò aſpectus non iuuat ad carpentum verum, ſed ſolum tertij modi. Sol etiam & Luna habent debiliora carpenta, quia finibus carent. Validiora ſunt reliquorum planetarum etiam ſi non ſint in finibus, vt Mercurius in tota Virgine, Venus in toto Cancro. Si verò in finibus ipſis validiſſima.

Quod verò dixit, collatam operam duodecim locorum, id eſt, quod videntur omnia operam contuliſſe in illum planetam, veluti dictum eſt de Mercurio qui cum habeat domum in Virgine & ſimiliter altitudinem quam par erat habere in alio ſigno, & fines quibus etiam ſi in alieno habeat ſigno plurimum poteſt, videntur domus omnes in illum planetam vim ſuam contuliſſe: Tum etiam quia vt viſum eſt ſuperius, plæraque ſigna, quatuor ſcilicet exceptis, nouem coniunguntur ſignis aliis, aſpectu, præcipiendo vel vires æquando: Cùm igitur planeta in carpento ſuo fuerit ſingulas domos poſſidere videbitur.

Porphyrius dicit Planetas habere quiddam peculiare in certis ſignis adeò vt ſi quid minimum accedat, poſſint dici iure etiam in carpentis ſuis & exponit Saturnum in Aquario, Iouem in Sagittario, Martem in Scorpione, Solem in Leone, Venerem in Tauro, Mercurium in Virgine, Lunam in Cancro.

TEXTVS LXII.

Gaudere etiam volunt, cum loca in quibus ſtella fuerit non ipſi, ſed alteri ſuæ conditionis obnoxia ſunt, quæ quidem ſatis è longo congruitatis ratio ducitur, ſed ſimilitudo illam tamen efficere putatur. Contra autem ſi in locis alienis & contrariis conditioni ſuæ inueniatur, valde diluitur peculiaris ipſarum vis, diuerſarum naturarum confuſione, propter diſſimiles ſignorum conſtitutiones.

Hoc quod ſcripſit hic paruum eſſe videtur, ſed ratione eius quod ſubiicitur tam magnum eſt, vt ſit maximum. Nam ponamus quod Sol ſit in finibus Iouis, vtpote in principio Piſcium, gaudet non tanquam in loco proprio ſed amici: hoc gaudium dicit Ptolemæus leue eſt & paruæ efficaciæ. Sed ſi Planeta in contrariis ſignis fuerit ab his in quibus exaltatur aut domicilium habet trigonum, virtus illius diluitur & debilitatur: vt Mars in Tauro, Saturnus in Cancro: tum maximè cum contraria fuerit vis planetæ naturæ ſigni. Differt autem in hoc quod cum Saturnus æqualiter cadat in Cancro & in Leone, in Cancro quidem plus nocet ob frigiditatis immoderantiam, in Leone minus, iuuat debilitatis viribus à caſu domus & contraria intemperie. Sic Mars minus nocet in Cancro, & minus benefacit in Libra. Quòd ſi quis miretur quomodo Cancer ſit frigidum & humidum ſignum, cùm ſit Æſtiuum? dicimus id fieri propter Lunæ familiaritatem.

CAPVT XXI.

TEXTVS LXIII.

De applicationibus & defluxibus.

IN vniuerſum autem intelligimus applicare præcedentes ſequentibus defluere autem à præcedentibus ſequentes, ſed non oportet longum eſſe interuallum. Idque intelligitur & in corporeis congreſſibus & in configurationibus illarum.

Poſtquam

Postquam declarauit omnes affectus planetarum in signis, nunc declarat affectus ipsorum prout sunt in motu & inter se. Vnde notandum primo quod apud Ptolemæum non propriè dicuntur planetæ coniuncti esse vel in radiis, propter duas causas: prima, quia corpora eorum parua sunt & semper sunt in motu. Ideò non possunt figi, nec dici coniuncti, vel in aspectu verè. Secunda causa quæ validior est, est quoniam, tantum est discrimen inter applicationem & defluxum, vt sub vno nomine non mereantur comparari, propterea distinxit illas. Comparantur autem trifariam, aut ratione roboris, velut Ptolemæus in tertio libro dum applicationem defluxui comparat. Nam applicatio validior est longè defluxu. Defluxum voco quotiens planeta leuior est in pluribus partibus & recedit ab altero: Veluti in prima genitura Mercurius dicitur à Sole defluere: & Luna per quadratum ab eodem: & similiter Luna ab ipso Ioue per trinum. Sufficit autem quod leuior, si non sit in pluribus partibus vt saltem sit vno minuto vel pluribus recedens: Velut in dicta genitura Sol est in vigesimaoctaua parte & sex minutis Libræ, & Luna in vigintiocto partibus & minutis quadraginta quatuor Capricorni, Luna dicitur recedere ab ipso sole. Et similiter in tertia figura Luna dicitur applicare quadrato Saturni, & quadrato Martis etiam, & Mars ipse dicitur applicare per corpus ipsi Ioui: Et ideò plus boni pollicetur Mars ex Ioue, quàm mali ex Saturno, quanquam à Ioue longè distet plus quàm à Saturno, quia Ioui applicat, à Saturno autem recedit. Secundum discrimen est in qualitate significatorum, de quibus apud Firmicum multa tractantur: & nos omnia quæ vtilia erant ex illo traduximus in nostros decem libros de Astrorum Iudiciis. Secundo considerandum est non oportere esse longum interuallum: hoc autem quale sit in Ioue & Venere, declaratur infrà in tertio libro: iuxta hoc etiam in aliis planetis decernuntur prout à

Cap. 9.

Cap. 14.

Applicationes & Defluxus.		
Saturni	Par.	20
Iouis	Par.	12
Martis	Par.	7 mi. 30.
Solis	Par.	17
Veneris	Par.	8
Mercurij	Par.	7
Lunæ	Par.	12. mi. 30.

latere vides. Cùm igitur planeta cui applicatur, vel à quo fit defluxus vel separatio non plus distiterit ab eo qui se applicat aut separat tūc dicetur applicatio separatióue, sicut partes illæ de planeta cui fit defluxio intelligātur, nō de eo qui defluit aut applicat. Qui quanto tamē ex paucioribus partibus fuerit & propinquior, eo validior erit. Adeò vt iure cum corpora fermè iūgūtur validissima sit applicatio. Illud quoque animaduertēdū est diligentissimè quòd defluxuum & applicationū quatuor sunt genera, primum in applicatione dicitur simplex, quotiens vterque planeta est directus & est leuior in paucioribus partibus tardiore seu ponderosiore: Velut in tertia genitura Mars applicat Ioui & Mercurius Soli. Si verò vterque sit directus & leuior sit in pluribus partibus dicetur separatio simplex velut in prima genitura Luna dicitur separari à Sole simpliciter. Secundum genus applicationis dicitur mutuum, & est cum duo planetæ vnus motu directo, qui est anterior, & alter motu retrogrado sibi inuicem occurrunt: Velut in octaua genitura Venus est directa in partibus viginti tribus & minutis tribus Libræ, & Mercurius est retrogradus in partibus viginti tribus & minutis septem eiusdem signi, ideò sibi inuicē occurrūt, & significat affectus duplicatos qui per illā applicationē fieri solent. Eodem modo est defluxus mutuus cum planeta qui est in pluribus partibus est directus & qui est in paucioribus retrogradus, & significat frustrationem significatorum: Velut in eadem genitura Venus directa defluit à Saturno retrogrado trigona radiatione: & ita significata illa alchimiæ & necromantiæ quibus delectari portenderet si non ita defflueret, irrita omnino euadunt, vt nunquam talibus sim delectatus, cùm tamen pater in iis plurimum profecisset. Tertium genus applicationis est cum vterque planeta retrogradus est, sed leuior est in pluribus partibus & celeribus redeundo grauiorem attingit: Velut in eadem genitura Mercurius applicat Saturno, qui si non esset retrogradus fieret defluxio mutua, vt dictum est, aut mutua applicatio si Saturnus directus esset. Quod si leuior sit in paucioribus partibus fiet defluxio violenta, seu auersa, velut in tertia genitura Venus defluit à Saturno, cum sit retrograda & in paucioribus partibus, & Saturnus in trigono eius & in pluribus partibus retrogradus. Quartum genus applicationis est cum planeta leuior retrogradus est & in pluribus partibus, & tardior directus & in paucioribus partibus: nam esset defluxus ratione medij motus, sed ratione veri fit applicatio. Et hæc contingit duobus modis vel quia leuior iam sit retrogradus, vel quia antequam separetur extra metam descriptam in tabula exiens retrocedat. Pari ratione fiet separatio minima quotiens leuior fuerit in paucioribus & retrocedat, vel retrocessurus sit antequam ad coniunctionem perueniat. Quod si cum hoc & grauior, permutetur, tunc alij modi compositi. Et generaliter hi modi per viam diuisionis habentur, ponatur igitur vt in prima genitura Venus in duodecima parte Virginis, & Saturnus in decima septima, scilicet leuior in paucioribus, seu velocior & tardior in pluribus partibus: tunc est applicatio secundum naturam. Vel igitur vterque erit directus, vel vterque retrogradus, vel leuior directus & tardior retrogradus, vel leuior retrogradus & tardior directus? item quilibet istorum quatuor modorum quadrupliciter variari potest. Dabo exemplum in vno modo & tenebit in omnibus: Vel enim posita Venere directa & Saturno retrogrado antequam iungantur non mutabunt statum vel sola Venus fiet retrograda

grada, vel solus Saturnus fiet directus, vel Venus fiet retrograda & Saturnus fiet directus: fient igitur sexdecim modi quando planeta leuior est in paucioribus partibus & tardior in pluribus. Totidem etiam fiunt in naturali separatione quotiens planeta leuior fuerit in pluribus partibus, & tardior in paucioribus. Ita igitur fient modi triginta duo. Et quia quotiescunque iunguntur antequam exeant metam dicitur applicatio, & quotiens non iunguntur separatio seu defluxus, fient sexdecim modi applicationis & totidem defluxus distincti robore & significato. Attamen ego descripsi nobiliores & magis manifestos ne commentarius cresceret in infinitum. Per hos enim reliqui intelliguntur. Docebo autem significata. Et hæc de duobus planetis tantum dicta sufficiant.

Cùm verò fuerint tres planetæ & leuissimus fuerit medius inter reliquos & intra metas, dicetur leuissimus transferre lumen anterioris ad posteriorem: Velut in tertia genitura Mercurius transfert lumen Iouis ad Solem. Secundùm est reddere lucem, & hoc est, cum duo planetæ non se aspicientes, tertio reddunt lumen, vt in octaua genitura Sol & Luna reddunt lumen Marti, quia Mars est in trigono Solis & quadrato Lunæ & est ponderosior vtroque seu tardior. Tertium est collectio luminis quotiensc unque non se aspicientibus planetis, vt in prima genitura Sole & Ioue, tertius leuior puta Luna in pluribus partibus existit & ab vtroque simul se separat, tunc Luna dicitur colligere lumen Solis & Iouis. Et quidquid euenerit Lunæ eueniet Ioui atque Soli tam in directionibus, quàm in reuolutionibus, & tales sortiuntur maximos euentus. Quartum est coniunctio luminis: & est cum duo planetæ non se aspiciunt & tertius leuior applicat vtrique & est similis præcedenti, nisi quòd ille fit per defluxum, hic verò per applicationem. Quintum est prohibitio lucis & est cum planeta tardior fuerit inter duos leuiores, tunc prohibet lucem illorum leuiorum communicari. Quod si talis coniunctio leuiorum mala esset, iuuat: si autem bona, nocet. Sextum est delatio virtutis cùm fuerint tres Planetæ in vno signo, & grauior fuerit in pluribus partibus, leuior in paucioribus, nec intra metas, sed medius intra metam applicationis ad tardiorem & intra metam in qua leuior illi applicet, tunc medius defert vim leuioris ad tardiorem. Velut in octaua genitura, Venus defert vim Solis ad Mercurium, quia Mercurius propter retrogradationem est ponderosior Venere & Venus propter tarditatem motus ipso Sole. Septimum est perturbatio, & hæc fit cum duo Planetæ applicant alter alteri quantum ad naturalem motum, sed est vnus tertius Planeta in pluribus partibus vtroque, qui antequam duo primi iungantur, vel quia iam sit retrogradus, vel quia paulò pòst fiat retrogradus iungit se tardiori & interponit se inter primos duos, & ita perturbat coniunctionem primorum duorum planetarum. Octauum dicitur abscisio luminis, & est quotiens fuerint tres Planetæ intra metas & leuior fuerit in paucioribus partibus, sed cursu præcedat & attingat illum qui est in pluribus partibus antequam medius illi coniungatur: tunc leuior ille dicitur abscindere lumen medij à postremo qui est in pluribus partibus. Et omnes istæ regulæ originem ducunt ab ea quæ sæpius repetita est: scilicet quod omne potentia tale vim retinet talem.

Exemplum in tertia genitura, Mars esset iturus ad Iouem, sed Luna transeundo ipsum Martem quadrato attingit ipsum Iouem, & abscindit lumen Martis à Ioue. Licet enim Luna nondum attigerit Iouem neque interposita sit inter Martem & Iouem radiis quadratis, est tamen ac si iam attigisset, quia potentia talis est. Illud tamen euidentius esset vbi Luna esset in eodem signo cum Ioue & Marte, quia abscisio luminis fit quidem per radios alterius Planetæ, sed valde debilis.

Notandum quod vnusquisque horum modum tam in tribus Planetis quàm etiam in duobus descriptorum potest fieri, vel ex Planeta debili valde, vtpote qui sit fermè sub radiis Solis in validium vel in alium debilem, vel ex valido in debilem, vel ex valido in validum. Vtiles sunt trãslationes in validos quæ bonæ sunt, & in debiles quæ malæ, & rursus ex validis quæ malæ, ex debilibus quæ bonæ. Præterea qui recipitur seu qui applicat, vel in dignitate est propria vel alterius, vel nulla, vel in cadenti propria vel alterius: similiter & de eo qui recipit, vt fiant viginti quinque modi qui ducti in quatuor priores faciunt centum: deinde quilibet modus propter beneficas maleficasque variatur quadrupliciter: Nam mediæ situ vel positione, vel loco declinant ad alterum duorum, vt fiant modi quadringenti qui ducti in quadraginta priores faciunt modos sexdecim mille. Hi verò cum fiant per quinque congressus & qui per tres Planetas geminati sint, fient modi omnes nonaginta sex mille: tot igitur erunt combinationes, quæ ex applicationibus & recessibus tum coniunctionum, tum aspectuum fiunt: quas si quis diligenter sciuerit intelligere, magnam artis partem á Ptolemæo traditæ adeptum se fuisse iure merito existimare poterit.

TEXTVS LXIV.

Nisi quod in corporeis congressibus applicationis & defluxus etiam latitudines conuenit notari, nam non nisi eos qui in linea per media signa ducta existunt admittere consueuimus, quod in configurationibus obseruare superuacuum fuerit, cum radij vniuersi eodem, id est, in terræ punctum intimum tendant, atque ita vndecunque emissi semper concurrant.

Ipsius rei expositio tam facilis est vt paucissimis verbis possit absolui, scilicet quoniam in aspectibus latitudo obseruanda non sit, in coniunctionibus autem sit: veluti si Venus sexdecim gradibus distet à Sole, latitudinem verò habeat septem vel octo graduum, ipsa profectò erit extra radios Solis: hoc autem magis manifestum est in stellis fixis, quarum applicatio ad Solem si egregiam habet latitudinem non multum impedit. Quinimò exortus potius heliaci talium, quàm coniunctiones cum Sole, sunt obseruandæ. Sed quod ad causam attinet maiorem habet difficultatem: vult tamen dicere quòd trigonus gratia exempli sit cum arcus interceptus est centum viginti partium, & in centro terræ vnius recti cum tertia: sed ista quantitas anguli non variatur manifestè propter latitudinem, quia arcus circulorum magnorum qui se intersecãt in eclyptica fermè non differunt siue sumantur ex eclyptica, siue ex circulo transeunte per centra planetarum: adeò vt octo partes latitudinis faciant differentiam quindecim minutorum tantum in veris locis. Ex quo patet quod opinio Blanchini est falsa de profectione radiorum, quantum ad latitudinem: nam vt ex sphæræ ratione habetur, radij ad centrum venientes sunt æqualis ambitus: Ideò optimè causam reddidit Ptolemæus. Ex quo colligitur vnum pulchrum, scilicet, quod Ptolemæus non considerat, radios planetarum vt ex vno perueniunt ad alterum, sed vt perueniunt ambo ad centrum terræ & in ipso angulum faciunt. Sed hic occurrunt plures dubitationes. Prima. Quia Ptolemæus inferius in tertio libro dum de vita agit, latitudinem non considerare videtur. Rursus quia reiicit hic defluxus atque applicationes quæ non sunt in eclyptica, hoc autem experimento non consentit, cum omnes fermè coniunctiones planetarum euidentes faciant effectus, cùm vix ex centum vna in eclyptica fiat. Præterea videmus fixas quæ procul sunt à Zodiaco Luna illis coniuncta agitare tempora. Propterea respondeo ad omnia hæc quod sententia Ptolemæi, est quod coniunctiones omnes referantur ad eclypticam, quia tunc dicunt sydera esse iuncta quando linea ducta per polos transit per ambo centra, & tunc necessario diuidit eclypticam: Igitur cùm sydera illa sunt iuncta ipsa sunt in eodem puncto eclypticæ: Et hæc est causa Mathematica. Alia naturalis quoniam vita & reliqua vt dictum est sunt per lucem Solis: & Sol semper sub eclyptica fertur: Ideò auxilia & detrimenta ad illam lineam referri debent. Verùm sententia Ptolemæi est quod defluxus illi & applicationes ad lineam illam referri debent, quia quanto propinquiores fuerint Planetæ aut inerrantes, tantò maiores facient effectus: quantò remotiores, debiliores. Non tamen variantur tempora aut effectuum genera. Fixæ tamen, propter magnitudinem & stabilitatem, magnos præstant effectus etiam quod procul sint: Maiores tamen longè cum exoriuntur heliacæ vel cum ipsis Planetis: propter duorum magnorum circulorum insectionem, & etiam propter causam naturalem manifestam, quæ est aëris immutatio repentina.

TEXTVS LXV.

Ex quibus omnibus euidens fit, habitudines stellarum singularum exquirendas, cum ex propria natura earum, tum de natura signi in quo fuerint, necnon secundùm configurationem ad Solem & cardines, quæ cuncta à nobis indicata sunt.

Tria sunt quæ de futuris præcognosci ab Astrologo quæruntur: genus euentus, magnitudo, & tempus. Genus euentus, vtpote si futurus sit sapiens aut stultus, pulcher vel deformis, robustus vel imbecillis, diues vel pauper, & ita de aliis. Magnitudo, vt si futurus sit valde diues, vel valde pauper, vel valde magnus, vel valde paruus. Tempus autem, vt si in pueritia vel adolescentia, iuuentute vel senectute, & quo anno mense die ac hora ista fient, bona vel mala. Primùm ergo genus ex quatuor dicit Ptolemæus sumitur, ex natura propria Planetæ, quia Iupiter gratia exempli, præstat temperamentum, & quia virtutes, & boni mores, & naturæ robur consistunt circa temperamentum, ideò Iupiter significabit hæc omnia. Et similiter significat diuitias & honores, quia talia proueniunt ex moderatis actionibus, & nunquam ex extremis: neque enim omnino iracundi neque omnino abiecti animo, commercia contrahere possunt: nec in extremo auari, nec prodigi, nec qui nihil attingere audent, nec qui insanam habent audaciam possunt pecunias aut honores sibi parare. Secundo ex natura signi, nam signa temperata & in quibus planetæ gaudent, multum adiuuant ad qualitates præcipuè: tria prima signa, Aries, Taurus, Gemini propter tẽperamentum, Cancer, Leo, Virgo propter promptitudinem actionum & audaciam, Libra, Scorpio, & Sagittarius propter caliditatem: reliqua tria fermè sunt inutilia. Similiter mobilia propter conuersationem, fixa propter perseuerantiam, communia propter prudentiam. Altitudines quoque & reliquæ dignitates Planetas reddunt meliores. Tertio propter configurationes ad Solem: per Solem intelligere etiam Lunam & reliquos Planetas: sed posuit manifestius exempli loco: Veluti in quarta genitura Iupiter primo orientalis cum Aldebaran fermè seu oculo Tauri & Luna applicans Mercurio fermè de sextili, afferunt felicitatem & dignitates quas habet. Dictum est enim à nobis sæpius quod Iupiter significat diuitias & honores, & ipse est in angulo & dominus loci Solis cum ipsa Luna. Quarto cardines, nam & hi significant qualitatem euentuum, ascendens circa vitam, & cor cœli circa honores & dignitates.

Aliter

Aliter potest exponi iste textus & vtraque expositio est bona, scilicet vt conditiones stellarum & quantum ad qualitatem seu genus, & quantum ad quantitatem & tempus sumantur ex his quatuor: sed quæ augeant & minuant in sequenti textu subiicit, ita vt præsentis textus sequens sit expositio eum dixit.

TEXTVS LXV.

Sed vires assumunt primum si orientales sint & cursum suum intendant, tum enim plurimum possunt, sicut minimum si occiduæ sint & remittentes cursum suum. Deinde proposit u suo & respectu erga finitorem, nam in medio cœlo aut succedenti illi loco potentes maximè, sed potentes etiam sunt in ipso finitore & succedenti loco, plurimum autem possunt in finitore orientali. Contra verò minus in imo cœlo aut alia conformi finitori orientali loco.

Ponit igitur quod robustissimæ sunt erraticæ dum orientales fuerint & motum habuerint medio motu velociorem: is facilè ex subiecta tabula & ephemeridibus conjicitur: id autem licet diuersimode contingat, plerunque tamen in superioribus fit circa quadratum: In Marte tamen fit circa distantiam

Medij motus Planetarum in die.								
	mi.	secund.		mi.	2.		Part.	m.
♄	2	0	☀	59	8	☽	13	10
♃	4	59	♀	58	8			
♂	13	28	☿	59	8			

duorum signorum cum dimidio: In Venere autem vsque ad partes quinquaginta duas vel circa post coniunctionem à Sole dum directa est: Verùm ante coniunctionem totidem fermè partibus dum Soli appropinquat: reliquo spacio, id est, dum post maximam distantiam redit ad Solem occidentalis aut orientalis elongatur, à Sole est diminuta motu. Idem verò iudicium est de Mercurio, sed Mercurius vix excedit vigesimam octauam partem, seu orientalis seu occidentalis. Hic igitur primus est status. Secundus est, tum est orientalis vsque ad stationem primam & est validus, primo tamen multo inferior. Tertius status est à statione prima ad oppositionem quasi mediocris. Quartus est debilis ab oppositione ad stationem secundam. Quintus est debilissimus à statione secunda vsque quo ingrediatur sub radiis Solis; & iste status non diuiditur, quia quantò magis augetur de motu tanto magis minuitur de lumine: sed si diuidendus est, debilior est à statione secunda, donec incipit esse auctus motu, cùm verò inceperit donec occultetur est debilissimus. Ex quo colligitur quod Planetæ habent sex status, & quod plus facit diminutio luminis quàm motus. Tertio ratione cœli, & primum locum obtinet cor cœli, inde vndecima, deinde oriens seu prima, inde septima, post octaua, & hoc propria stellæ ratione. Quæ si bene meministi super dicta sunt: Sed & de ea in sequenti expositione dicemus. Videtur autem tribuere vires imò cœli, & quinto loco & nono. De nono autem nulla est dubitatio, de quinta autem dicemus nunc.

Iuxta hoc debemus scire erigere figuram cœli seu duodecim domorum & ne repetere cogar, sit datum tempus à meridie seu ante die 24. septem anni 1501. hor. 6. min. 40. post meridiem sub altitudine Poli Borealis par. 44. mi. 20. tot enim sunt necessaria situ. Quæro primum Solis locum qui est in par. 10. mi. 37. Libræ, cuius ascensionem rectam inuenio partium 189. mi. 45. & ei addo gar. 100. scilicet pro qualibet hora partes 15. & pro quibuslibet 4. mi. horæ par. 1. & ita pro horis 6. par. 90. pro mi. 40. par. 10. vt sint par. 100. fiunt par. 289. min. 45. ascensio recta medij cœli cui in tabula ascensionum rectarum respondet par. 18. mi. 15. Capricorni & si tempus fuisset ante meridiem detraxissem partes illas ab ascensione recta medij cœli: & si non potuissemus detrahere quia fuisset minus id à quo detrahere oportebat addidissem circulum, id est, par. 360. Et ita se excreuisset plus 360. in additione abiecissem 360. pro circulo & residuum quæsissem punctum eclypticæ correspondentem, ascensioni in tabula ascensionum rectarum. Ascensioni igitur rectæ medij cœli addo 90. partes, quæ respondent sex horis quibus semper ascendens distat à medio cœlo & fiunt partes 379. mi. 45. à quibus obiicio partes 360. & relinquuntur, par. 19. mi. 45. quibus quæro sub altitudine poli par. 44. mi. 20. data ascensionis obliquæ punctum quod est par. 6. mi. 10. pro horoscopo. Hucusque eodem modo fiunt omnia, de reliquis autem domibus vndecima, duodecima. Secunda & tertia quia sunt duæ opiniones vna Arabum & antiqua quæ magis etiam & naturalis, & respondet experimentis altera Ioan. Monteregij magis rationi Mathematicæ consentiens & verbis etiam videtur Ptolemæi apposita ideò vtcunque modum proponam & quid agendum sit docebo: Ascensioni igitur rectæ medij cœli pro antiqua diuisione domorum addes duplum horariorum temporum ascendentis pro qualibet domo, scilicet par. 34. mi. 44. quæ sunt du-

Ascens. Rect. Cœli Med.							
Antiqua.	289	45				*Io. Monteregij.*	
Vndecima	324	29	♒	22	5	319	45
Duodecima	359	13	♓	29	8	349	45
Secunda	68	41	♊	9	21	49	45
Tertia	103	25	♋	11	24	79	45

plum horariorum temporum part. 6. min. 10. Tauri & habebis partes 324. minut. 29. pro vndecima

vndecima & inde addes par. 34. mi. 44. pro duodecima post quia inter duodecimam, & secundam interiacet prima addes ascensioni rectæ duodecimæ duplum par. 34. mi. 44. & sunt part. 69. mi. 28. pro secunda. Et aggregato addes pro tertia part. 34. min. 44. rursus & semper reiiciendo circulum vbi excesserit numerus par. 360. & ita habes ascensiones domorum quibus quæres puncta eclypticæ in tabula ascensionum rectarum ascensionibus illis respondentia, & habebit vt vides, pro Monteregij autem diuisione addes 30. par. ac si adderes duas horas æquales pro singulis, domibus ascensioni medij cœli nisi quod duodecima ad secundam, cum transmittat prima quæ in medio est oportet adiicere duplum, & ita habebis ascensiones singularum domorum quibus inuenies condidit tabulam quam vocauit domorum rationalem, sed & in Ephemeribus sunt tabulæ domorum sex propositarum cum quibus habes ex oppositis reliquas sex domos. Habita vtraque diuisione considera in quibus concordent velut in nostra genesi Sol, Iupiter, Mars, Venus & Mercurius, cadunt in iisdem domibus, sed Saturnus & Luna mutant domicilia: Et ideò de illis quinque proferes securè prognosticum, de his duobus miscebis significata: nam Luna cum sit secundo modo in duodecima primo modo etiam infrà medium vndecimæ, dices eam esse vitæ significatricem debilem, vt ascendens etiam multum sibi arroget. Et Saturnus contraria ratione cum primo modo sit in tertia secundo infra medium, secundæ etiam debilis erit. In regionibus præterea meridionalibus velut Ægypti modus, secundus est potentior quia diuisio domorum non adeò recedit ab æqualitate & diuisione facta per semicirculos à polis ductos in nostra regione primus propter inclinationem eclypticæ à vertice nostro.

TEXTVS LXVI.

Sed extra hæc omnia reperti, imbecilles & prorsus infirmi habentur.

Quòd igitur à finitore excluditur ex orientali parte est duodecimus locus & sextus & tertius: In his igitur Planetæ omnino imbecillissimas habent vires. Sed dices superius aliter diximus, nam imum cœli & quintum locum & tertius ex toto abiecimus, duodecimum vero admisimus, & nonum octauo præposuimus, & primum vndecimo: verum hæc quæ hic Ptolemæus scripsit generali ratione tradita sunt, quæ autem nos scripsimus propria. Discrimen est in ratione propria vel comparando: sexta enim vitæ omnino aduersatur, vim tamen habet aliis in causis. Secundus locus nullam in vita habet potestatem ratione tamen honorum præfertur & diuitiarum omnibus, præter angulos & vndecimum ac nonum. Itaque duodecimus quarto & quinto & tertio, & secundo præfertur quoad vitam quia plurimum habet luminis, non tamen aliis in causis. Quartum verò locum non præferes vlla ex parte sexto vel duodecimo per se, sed si Planetæ ibi coierint quia radios mittunt in singulos angulos, propterea robusti sunt: ipse tamen locus nullam habet significationem. Superius igitur à nobis demonstratæ sunt vires locorum per se, hic verò Ptolemæus illos declarat, vt Planetæ fiant potentiores: atque in hoc vt respiciant angulos valido aspectu est obseruandum. Aspectus autem validus dicitur oppositio maximè atque inde quadratus. Id quoque certum est, quod vt inferius habebitur in tertio libro, sextus locus vim magnam ad nocendum habet. Sed de his inferius dicemus. Vnum est quod Planetæ maximam vim habent in decimo loco, deinde in primo, post in septimo, inde in quarto, post in vndecimo, inde in secundo, post octauo, demum quinto: & hoc ratione propria locorum: Post ratione altitudinis, & ita decimus, vndecimus, & nonus præferunt, septimo non solum, sed primo, Sol enim calidiorem efficit diem, dum est in his locis debilissimis in quarto. Inde ratione proprietatis, in primo enim profertur ratione vitæ, in decimo gloriæ, in septimo prudentiæ, in quarto stabilitatis.

LIBER



LIBER SECVNDVS, DE IVDICIIS ASTRORVM.

Procemium Authoris.

CAPVT I.

TEXTVS I.



ACTENVS quidē percurrimus ea, quorum maximè cognitionem prædictiones rerum singularium requisituræ viderentur, exponentes per certa quædam capita quasi in tabella. Nunc igitur deinceps explicabimus rationem vniuſcuiuſque rei, cuius quidem præcognitio eſſe poſſit, ſequentes vbique naturalem quendam modum expoſitionis.

COMMENTARIVS.

Eneralem expoſitionem euentuum in vniuerſo orbe quam hic proponit arduum magis ac longè maioris operis quàm vnius ſolius hominis eſſe debere, nemo eſt qui iure dubitare poſſit: Similiter & magis neceſſariam omnes eſſe intelligunt, cùm tamen Ptolemæus huius generalis expoſitionis vnicum tantum fecerit librum, & ſcilicet hunc ſecundum, geniturarum autem, ſingulorum hominum euentus duobus libris explicauerit, ſcilicet tertio & quarto, quorum tertius per ſe ſolus dimidio maior eſt hoc ſecundo. Cauſam igitur huius quærere oportet, nam nihil abſque maxima ratione feciſſe Ptolemæum exiſtimandum eſt. Vna igitur cauſa ſola eſſe poteſt, ſcilicet quòd longè minorem cognitionem habemus de generalibus conſtitutionibus, quàm de propriis, ob id parcè de his tractandum eſſe exiſtimauit.

Diuiditur etiam tota tractatio huius libri in Apoteleſmata & Principia. De Principiis in primo libro actum eſt. Apoteleſmata autem diuiduntur in generalia & propria: De propriis in tertio & quarto loquetur Ptolemæus: De generalibus autem hoc in libro tractandum eſt. Ptolemæus principiorum tractationem quaſi in tabella deſcriptam vocat, quod per ſingula capita res ipſas explicauerit. Nunc autem Apoteleſmatum tam generalium, quàm propriorum promittit: Igitur cùm duæ ſint, ideò has in ſequenti textu diuidit dicens.

TEXTVS II.

Cùm autem prædictiones Aſtronomicæ in duas potiſſimum & propriè partes diuidantur, quarum vna & prior totas gentes, regiones, vrbes generaliter, quam nominant vniuerſalem, altera particularis ſingulorum hominum fata complectatur, quæ dicitur à genituris Genethlialogica, cōueniēs videtur de vniuerſalibus priore loco diſputare, quādo hæc quidem maiore vi quadam & efficacioribus à cauſis mouentur quàm particularia. Iam cùm neceſſe ſit ſummitti imbeciliores naturas valentioribus atque adeò ſpecialia vniuerſalibus. Si quis ipſarum rerum prædictionibus operam dare velit, non poſſit ſine comprehenſione generaliorum eſſe ad illas inſtructus.

Senſum huius partis adeò clarum eſſe liquet, vt omnino quatuor verbis abſolui poſſit. Si quis (inquit) velit Genethliacarum habere cognitionem neceſſe eſt vt prius vniuerſalium ſcientiam habeat: quia vniuerſalia maiore vi & efficacia, vt ſuperius viſum eſt à cauſis ſuis mouentur. Ratio autem ſic conſtruitur: Cauſæ potentiores magis mouent debilibus: hæc per ſe manifeſta eſt: Cauſæ autem vniuerſales ſunt potentiores cauſis propriis. Igitur cauſæ vniuerſales magis mouent. Minor propoſitio declaratur, quoniam cauſæ maiorum effectuum potentiores ſunt cauſis minorum, igitur cum effectus vniuerſales, puta quod occidat vna tota gens maiores ſint effectibus ſingularibus, vtpote quod occidat vnus homo, manifeſtum eſt propoſitum quod à principio diximus.

Ex hoc patet ſolutio problematis ſecundi ſuperius propoſiti, ſcilicet quod non eſt niſi vnum genus vniuerſalis conſtitutionis ſeu influxus, quod quidem pertinet ad prouinciam vel ad gentem. Nullus autem poteſt eſſe vniuerſalis ſub hoc ſenſu vt contingat toti: Quamuis enim Saturnus Ioui iungatur, quia tamen coniunctio illa orientalibus contingit alio aſcendente atque ſchemate cœli: Itē his qui habitant verſus meridiem quàm occidentalibus aut borealibus: prioribus quidē propter horæ varietatem, atque ideò cordis cœli, poſterioribus verò tametſi cor cœli vnum ſit ſcilicet meridionalibus atq; borealibus, diuerſum tamē eſt aſcēdēs ob varietatem finitoris, ideò nihil vnum poteſt toti orbi generaliter.

Ergo non dantur constitutiones generales ratione causæ agentis, sed solùm ratione loci. Ea autem diuiduntur vt in sequenti textu docet.

TEXTVS III.

Cæterùm hæc ipsa vniuersalis consideratio, aut est totarum regionum, aut harum & vrbium.

Diuidit vt dixit naturam hanc constitutionum in tria genera: vel enim totæ regiones afficiuntur, vtpote tota Gallia, vel tota Italia, vel etiam plures regiones, vtpote Europa: vel (harum) id est, partium: Velut si Hetruria tota vel Gallia togata affligatur. Vel vna vrbs tantum vt Florentia & Mediolanum. Manifestum est autem quod quantò generaliores sunt hi effectus, tanto etiam sunt potentiores & efficaciores, ex ratione superius adducta.

Hinc patet solutio primi Problematis superius inducti, scilicet quænam sit constitutio generalis, quia est illa quæ significat super gentem aut prouinciam: propria verò habetur ex genesi vniuscuiusque hominis. Et quod generalis diuiditur in quinque modos, qui hic à Ptolemæo sub tribus comprehenduntur: scilicet generalis pluribus prouinciis integris, & vni prouincæ, & vni parti prouinciæ, & vni ciuitati, & vni membro ciuitatis, veluti oppido vel villæ. Diuiduntur etiam influxus generales bifariam, adeò vt sint tres diuisiones cum prædicta, constitutionum generalium. Quæ autem sint reliquæ, in sequenti textu explicantur.

TEXTVS IV.

Præterea interdum grauiores & certarum quasi recursionum casus exquiri solent, quales sunt bellorum, pestilentiæ, terræ motus, diluuij & huiusmodi. Interdum leuiores & minores, vt annuæ tempestatis intentio vel remissio, itemque hyems aspera vel leuis, deque ventis & æstu similiter, nec non fertilitate & infœcunditate, quæque sunt alia generis huius.

Duo genera constitutionum generalium duabus reliquis diuisionibus singula distinguit in duas species, quarum altera, scilicet diuisionum, à quantitate effectus sumitur, altera à qualitate. Quæ à quantitate sumitur, duas species habet mutationum magnam & leuem. Magnam appellat quæ omnino præter naturam est vt inundatio, pestis, bellum. Leuem autem quæ est secundum naturam, sed quantitas immutata est, vt immoderatæ niues, grando, pruina, æstus, penuria annonæ. Circa quod notandum est sterilitatem esse duplicem, aliam quæ non est extrema & hæc pro naturali habetur à Ptolemæo, aliam esse extremam qualis tempore Pharaonis & Iosephi: & hæc magna est mutatio & præternaturalis. Mutationes igitur magnæ præternaturales, vt alias declaratum est, sunt septem: aut in terra, & vocatur terræmotus, aut in aqua, & est inundatio, aut in satis, & est sterilitas, aut in animalibus, & est duplex, lues in vtilibus & multiplicatio in inimicis naturæ humanæ, vt serpentibus & locustis, aut in hominibus ab aëris vel aquæ corruptione, & vocatur pestis, aut ab aliis hominibus, & vocatur bellum. Et hæc est tertia diuisio secundum qualitatem quæ est vt dixi in septem membra. Verùm naturalis seu leuis infinitas habet species, propterea sufficiat eas solum declarare quæ in textu obscuræ sunt. Sunt autem duæ, illa de æstu & de tempestate. Sed si clarius litera conuersa sit, hoc modo interdum leuiores & minores vt annuarum tempestatum, hyemisque ac ventorum æstúsque intensio ac remissio, non relinquitur dubitatio, quia per hyemem & æstum intelligit tempora contraria, scilicet hyemem & æstatem: Per annuas tempestates, generalem quatuor temporum constitutionem intelligit: Vnde hyemis additio vel diminutio, seu vehementa & mitigatio succedit.

Hinc tertiæ dubitationis solutio emergit, scilicet cum cœlum sit sempiternum atque rotundum, vnde initium constitutionum & quando seu vbi sumendum? Innuit igitur Ptolemæus quòd initium annui status principium est mutationis quatuor temporum & qualitatum eius. Ita longioris temporis rariores ingressus & coniunctiones. Velut Saturni coniunctio cum Ioue annorum fermè viginti: eorum verò recursus ad initia Arietis septingentorum nonaginta quinque annorum. Quartæ partis autem, id est, decentorum fermè annorum mutatio illorum ex trigono in trigonum. Tardiorum autem, id est, inerrantium mutationes annorum millibus distinguuntur. Verùm Ptolemæus omnia principaliter sumit ab eclypsibus luminarium & eorum coniunctionibus.

Est etiam illud consideratione dignum, quod quantitas effectuum magnitudine dupliciter mensuratur: aut enim magna dicitur, aut parua quantitate effectus aut temporis. Atque in effectu quoque duplex est consideratio magnitudinis, vel quia generaliter ad statum perueniat, vel quia celeriter. Veluti pestis tripliciter magna dici potest: vel quia diu perseuerat vt quæ Mediolani fuit anno 1451. toto enim biennio perseuerauit: aut quoniam maximè sit exitialis quamuis non diu perseueret: vt quæ anno 1524. sæuiit in eadem vrbe: aut quæ breui interficit quamuis neque diu perseueret, neque plerosque occidat, sed plurimi euadant: Velut anno præterito sudor anglicus cum plures euaserint, quam interierint pro sæua peste habitus est, quod quoscunque interimeret intra viginti quatuor horarum spacium interimebat: plerosque autem intra sex aut octo.

TEXTVS V.

Horum potius priusque habendum ob eam quam reddimus causam, illud quod

quod totarum est regionum & maiorum casuum.

Cùm tres diuisiones generalium constitutionum Ptolemæus supra ostenderit in magis vniuersalem & minus vniuersalem ratione loci, in præternaturalem & naturalem ratione quantitatis & magnitudinis, & in diuersa genera effectuum quæ ad qualitatem pertinent & in quibus prædictio ipsa versatur: Veluti Saturnus & Mars cum cordi Leonis iunguntur, significant autem aliquid super Italiam quod Italia Leoni subiiciatur: videndum est igitur quid significet? an pestem? an bellum? an terræmotum? an luem atque talia? Cùm igitur hæc vicissim veniant, ordo inter illa cadere non potest, sed in duabus primis diuisionibus. Sed cùm ex primis duabus diuisionibus quatuor fiant membra scilicet effectus magnus & magis vniuersalis: magnus & minus vniuersalis: paruus & magis vniuersalis: paruus & minus vniuersalis? de magnis ac magis vniuersalibus prius tractandum docet: Innuens scilicet quod de minimis & minus vniuersalibus vltimo sit tractandum vnam ob causam verè, sed duas si eam distinguere voluerimus. Causa enim quæ dicta est, est quod potentiores sint maiores causæ maiorum effectuum & magis vniuersalium, ergo non poterimus scire minores effectus, aut minus vniuersales nisi scitis maioribus ac magis vniuersalibus. Vtpote sit constellatio, quæ significet maximam felicitatem Mediolano, & sit alia constellatio quæ significet bellum exitiale toti Italiæ, quomodo poterimus ex constellatione nostræ ciuitatis diuinare felicitatem quam calamitas totius prouinciæ sit peruersura. Alia causa est quia via doctrinæ notiora sunt præferenda, est autem fermè notius semper quod maius est.

Sed & ex præcedentibus habemus solutionem quartæ dubitationis superius propositæ, scilicet quod causæ vniuersales quædam sunt potentes & quædam debiles: debiles debilibus & potentes potentibus conferri docent: semper quæ generales ex sententia Ptolemæi potentiores sunt propriis, & generaliores minus generalibus. Sed dupliciter hic distinguere oportet: & ideò diligenter animaduertere: præter id quod vt dictum est quòd debilis vniuersalis non potest vincere validam propriam: Veluti si constellatio vniuersalis faciat aërem benignum, temperatum & salubrem & aliquis ex propria genesi debeat ægrotare grauiter, non euadet quidem ille à graui morbo, nedum à morbo ex toto propter generalem constitutionem, sed minus grauiter ægrotabit. Similiter & si constitutio pestiferos morbos denunciet non tamen validissima sit, aliquis verò ex genitura & directione, & reuolutione debeat optimè valere, non ægrotabit omnino. Vult igitur Ptolemæus vt vniuersalis constitutio vincat propriam: vbi par sit magnitudo effectuum significatorum: obseruando tamen duo, primum quod malum vincit bonum duabus ex causis: Prima quod malum est de necessitate naturæ, vt mors: bonum autem non ita, vtpote quod quis debeat suscipere filium: Secunda quia bonum est de ratione constructionis, & malum destructionis & ad construendum sufficit vnum, vt rectè inquit Aristoteles. Igitur malum est certius bono. Secundò quod magis ad rem attinet, cum constellatio generalis comparatur vnicuique homini, vel simpliciter comparatur non determinatis hic qui sint, & sic semper est validior vniuersalis constitutio quàm priuati, vbi pares sint magnitudine vt dictum est: Veluti est futura pestis certo anno Mediolani quæ multos interfectura est, quidam Papiæ ex morbo laterali eodem anno moriturus est, dico quod facilius est illum posse euadere à morte qui Papiæ est, quàm facere ne pestis multos occidat Mediolani: quia comparatio constellationis vniuersalis ad incertam multitudinem est, comparatio ad proprium effectum, sicut genesis propriæ ad illum cuius est genesis. Sed causa vniuersalis, vt dictum est in comparatione ad proprium effectum, potentior est quàm propria ad illum cuius causa est comparata, vt dictum est, ergo certius est pestem plures occisuram quam Socratem moriturum ex morbo laterali. Sed si comparatio fiat vtrarumque constitutionum ad eundem hominem puta Socratem, tum oportet distinguere vel genesis Socratis est valde coniuncta constitutioni vniuersali, & nunc magis oportet credere constitutioni vniuersali & certior est quàm constitutio propria: vel est parum coniuncta & tunc plus potest propria quam vniuersalis. Et maximè istud contingit cum non solùm propria parum coniuncta est vniuersali, sed etiam illi repugnat. Et ideò ille qui ægrotat in peste, habuit coniunctā constitutionem cum constitutione vniuersali, si autem euadit, parum coniuncta fuit aut omnino repugnauit propria genesis illi constitutioni. Et similiter qui euasit è naui quæ submersa est in mari, habuit constitutionem repugnantem constitutioni nauis & submersioni, non autem solum sine periculo, Et ideò istud habet aliquid annexum cum scientia fati.

In vniuersum constitutio generalis mala cuiusuis hominis potest mutare propriam bonam ad malum, & ille qui nullam habet mortis significationem morietur in naui, quæ submergitur in clade accepta, in peste quæ grassatur, sed generalis bona non poterit tollere malum per propriam genesim significatum, nisi omnino essent è regione contraria & bona esset longè potentior mala. Et ideò scientia oraculorum fuit præstantior multò scientia Astrologorum. Est verò illud omnino scientia dignum, quòd omnis homo qui nascitur in aliqua vrbe vel oppido habet iam constitutionem connexam cùm illo oppido: quia stellæ verticales & altitudo poli sunt eædem ipsi & loco in quo natus est. Et similiter dominus trianguli dominatur illi: & ideò si constellatio fiat secundum vnum istorum trium, tum communicabitur nato & poterit euadere tamen. Quod si fiat secundùm erectionem loci & ædificationem vrbis, tunc si genitura nati communicauerit illi, afficietur natus & non euadet: & si non communica-

nerit illi non afficietur penitus. Quod si stella verticalis, aut dominus trianguli, aut signum proprium, aut situs Solis cum Arietem ingreditur similis fuerit ei, qui est in genitura illius, vel dispositor idem, vel interfector Planeta in genitura fuerit idem cum significatore calamitatis, affligetur natus & morietur prorsus.

Et cùm dico prorsus non intelligo necessitatem mortis, nihil enim necessarium saltem habita ratione nostræ scientiæ quæ est veluti cœcutientis rem procul videntis, qui vmbram quandam solam coufusam assimilatam pluribus rebus incerto iudicio deprehendit, sed prorsus moriturum decernit, id est, quod non solum decernit morbum illi, sed etiam mortem. Hæc volui adiecisse quia cum Ptolemæus tradiderit doctrinam vniuersalium per vniuersales, & specialium per speciales causas, & vniuersalium quidem ad vniuscuiusque hominis decreta cognoscenda: euentus enim sunt primarum substantiarum non tamen docuit quomodo vniuersales causæ singulis hominibus, scilicet Socrati atque Platoni applicentur. Nam de multitudine incerta, vt dixi, illa propriè est in quam generales constitutiones impetus suos effundunt. Quod verò illa doctrina esset necessaria, manifestum est ex euentibus ipsis, quoniam in quibuscunque ferè calamitatibus, videmus multos omnino interire, paucos verò affici, sed non interire: vt in peste ægrotare, in ciuitatem direptione spoliari vel capi, vel vulnerari, plures etiam illæsos omnino euadere ac si nihil passa esset ciuitas incommodi, paucissimos etiam melius se habere ex propriæ ciuitatis calamitate: Veluti ditari, obseruari, honorati, magistratum inire: Constat igitur illorum genesi constellationem conuenire, illis non conuenire.

TEXTVS VI.

Horum cognitio cum duo requirat, primum quarum in clinationum terrestrium quæque loca signiferi & quæ stellæ commendationem habeant: Et quales suis in locis certis temporibus significationes futurorum dentur.

Ostendit duo quæ scitu necessaria sunt, primum vt sciamus loca in quibus effectus debet contingere: Et hoc dicit scitur ex duobus, ex dominio signorum super partes terræ, & dominio stellarum supple tam errantium, quàm fixarum. Sed dices, etiam nónne ex initiis vrbium? Respondeo quod Ptolemæus illis initiis parum tribuit propter tres causas: Prima, quia talia initia sunt ex voluntate hominum, & non à natura. Et ideò sunt corrupta: Secunda, quia sunt maximè incerta: Paucarum enim aut forsan nullius vrbis vera origo habetur. Tertia, quia sæpius augentur, minuuntur, reædificantur, restaurantur, & legibus de nouo formantur. Et modò vicem subeunt simplicis ciuitatis, modo principes fiunt plurium vrbium, modo caput regni euadunt. Deinde dicit quod oportet etiam scire tempus talis euentus in talibus vrbibus & locis: Hoc autem quomodo docet dicens.

TEXTVS VII.

In coitu quidem luminum defectus, errantium verò in stellarum motibus, ortus & statio.

Tribus modis locos designari docet, primum quidem cum in coitu luminarium eclypses seu Solis seu Lunæ contigerint, tunc enim magni effectus fiunt. Et non simpliciter loca sed in quibus magni effectus fiunt designantur: Nam duplici causa ex eclypsibus magni contingunt effectus: tum quia Sol & Luna in eadem linea eclyptica sunt & æqualiter ab vtroque polo distante, vel omnino valde propè: tum quia lumen illorum quod adeo mortalibus est necessarium aut tollitur, aut aufertur, aut altero horum modorum imminuitur. Secundus modus est in reliquis errantibus cum primum exoriuntur & apparent. Exortum intelligit Heliacum. Hoc autem inferius exponetur, nam de propriis loquitur temporibus. Ortus autem Heliacos quales sint docuit in 13. Magnæ compositionis ipse Ptolemæus, scilicet visionem & occulationem de quibus plane in tertio libro agam. Hic autem solùm suspiciat errantium stationes crassiore minerua subiecisse. Vt etiam motus incrementa & diminutiones superius in enarratione & Tabula, sed illa exacta est. Ergo oblata genitura licet conii-

Stationes.					
♄	♃	♂	♀	☿	
110	120	130	30	17	Gradus.
Distantia à Sole.					

cere si solum motus velocitas aut tarditas doceatur etiam in Venere & Mercurio, quali in statu sint. Nam orientales inferiores veloces ascendunt in paruo circulo, & ad Solem redeunt vt abscondantur: Est quia aucti sunt lumine & motu, & in superiore parui circuli parte, ideò sunt in bono statu donec latuerint. Inde etiam occidentales motu aucti postquàm Solis radios exierint. At occidentales motu tardi in pessimo statu, absque dubio lumine & motu diminuti, & proximi, vt abscondantur. In mediocri autem orientales postquam apparuerint, lumine & motu diminuti. In stationibus autem si quis certior esse velit, consultat ephemerides. Ita fiet vt ex sola motus qualitate & loco planetæ situm agnoscas, in paruo circulo motus, differentias & locos. Et ex his ortus & occasus ac vires. Sed vt ad pristinum propositum redeam, Ptolemæus declarat indicia temporum in magnis euentibus, sumi debere ex eclypsibus. Partium verò temporis quæ inter eclypses intercipiuntur ex stationibus atque exortibus Heliatis planetarum. Ex quo manifestum est Ptolemæum non magnifacere

coniun

coniunctiones illas magnas Saturni, scilicet & Iouis, nisi vt ab eclypsibus vim recipiunt. Cùm verò eclypses nunquam plus biennio intermittaut : ideò calamitatum causæ nunquam deesse possunt. Et cum Saturnus Ioui propinquus vltrò citroque Ioui per lumen maneat octo aut nouem nonnunquam mensibus, semper autem plus quinque, manifestum est luminarium eclypses persæpe incidere in coniunctionem Saturni & Iouis, & longè etiam frequentius in coniunctionem aliquam duorum superiorum : quorumcunquŝt vt Iouis & Martis. Ideoque tunc maximi effectus contingunt absque dubio. Similiter & tempora deliquiorum docebit Ptolemæus diuidere per tempora coniunctionum Solis & Lunæ. Cur autem exortus & stationes Planetarum Ptolemæus prætulerit eorum effectibus aliis quibuscunque, inferius explicabitur : nam commentum hoc per se satis prolixum est,

Illud potius enarratione dignum videtur, quod mihi contigit anno 1539. Nam cum (vt in explicatione octauæ genituræ apparet) deliquium maximum Solis iuxta ascendens meum contigisset, multique Astrologi mortem prædicerent certam, tantum abfuit vt morerer, vt nunquam sanior extiterim iam 13. exactis annis. Tametsi magnis ac multis negociis implicitus semper fuerim: Et ad annum vsque 1549. mûltorum & potentium virorum æmulationibus vexatus. Nihilominus in corpore incommodi nihil passus sum : Quinimò honoribus & dignitatibus perpetuo auctus fui. Adiicere inquam hæc volui quæ inferius suo loco declarabuntur, vt homines intelligant deliquia ipsa si magna sint, magnorum euentuum causam præbere, non tamen in omnibus. Et enim, vt inferius ostendemus, ciuitas nostra cum eclypsi minimè concordabat. Nec etiam semper mala à deliquiis procedunt, sed persæpe etiam bona atque felicitates. Ptolemæus verò tametsi videatur hanc partem intactam reliquisse, quæ maxima tamen erat & maximè necessaria, nulla tamen verior est sententia de hoc quam illius. Cæterùm illud dubitatione dignum videtur, cur coniunctiones superiorum multi obseruent, oppositiones non ita? Cum tamen in luminaribus hoc non contingat, nec videantur oppositiones coniunctionibus minora damna inferre? imò longè maiora & grauiora? Decet ergo existimare quædam in generalibus causis plus posse, quædam in propriis & specialibus. Coniunctiones enim quod lumine constent, pluribus diebus manent, oppositiones vnica die transeunt. Itaque vt declarabitur, quæ minus manent, maiores effectus & efficaciores producunt, quàm quæ diu. Quæ autem diuturniores, breuibus. Ea de causa oppositiones & quadrata mortes repentinas & subitas mutationes faciunt : coniunctiones verò generales euentus. Oppositiones enim & quadrata sunt cum motu veloci, & mutatione ob id magna, atque ob id efficaciori, sed minus diuturna: Quæ autem corpore constant, diuturna & lenta. Nullum verò lentum efficax, nec vllum quod efficax non sit, validos effectus producere potest. Verùm cur neque de qualitate futurorum, neque de modis ipse hic quicquam decernat, cum tamen prius proposuerit & posterius sit executurus: Ratio est, quod illorùm explicatio longior sit, & magis propria, quam vt hic mereatur exponi. Cur verò à deliquiis temporum sumat significationes, non autem à magnis coniunctionibus, scilicet Saturni & Iouis. Causa est quoniam si velis Saturni vim considerate tamquam appropinquationem quandam cum Ioue, cum hæc sit longioris vt dixi temporis, in eo toto cursu infinitas fieri varietates necesse est, non solùm illum, sed & aliorum syderum atque figurarum cœli in vnaquaque regione. Quòd si exquisitam coniunctionem habere volueris cum in eadem parte cœli Soli propinquissimi fuerint, tunc enim velocissimè mouentur, & Iuppiter à Saturno discedit, sex minuta discrimen non superat, certè septimum non attingit. Ad hoc discrimen nullus mortalium, nec instrumento, nec aliter discernere potest. Exactissima enim ratio obseruationum instrumento armillarum constat. Armillis autem tam parua distantia non deprehenditur, cum hoc instrumentum non in minores partes diuidatur, quandoquidem vt diligentissimè in tres mille sexcentas diuisum fuerit à Ptolemæo. Igitur nec certa dies, nedum hora, aut cœli figura & status, haberi possunt. Multoque minus sciri vbinam gentium euentus futuri sunt. Hanc ob causam scientiam talium coniunctionum quæ ad hanc vsque diem adeò celebrata fuit, quàm parui sit momenti clarè quisque intelligit. Sunt tamen quædam generalia quæ ex coniunctionibus magnis habentur, & sunt quod coniunctiones in signis aqueis, quia trigonus est Martis, significant multa bella & inuentiones operum mechanicorum propter Martem, & morbos malignos contagiosos propter Scorpionem & Cancrum, & mixtionem Martis cum Venere, vel cum Luna, & hæreses graues, & magnas, Mahumeti, & aliorum quorundam dogma, lex, sub eo trigono ortum habuit. In primo autem trigono, scilicet Arietis fiunt mundi imperia & monarchæ propter dominum Solis & Iouis qui significant tranquillitatem in mundo: hæc autem non possunt contingere nisi vno regente omnia. Apparent, & sapientes & viri insignes, & sterilitates magnæ propter dominium Planetarum calidorum, parumque humidorum.

Primum enim Arbace authore cœpit imperium Medorum, (quæ enim ante caligine vetustatis obumbrata fabulis, quàm historiæ propiora sunt) anno ante Christum 800. cum eadem coniunctione in Ariete Christi tempore Imperatorum sub Augusto. Anno 790. Carolus Magnus dissolutum Imperium redigit in vnum totidem aunis in singulis collectionibus penè anticipando. Ideò post annum millesimum, quingentesimum, octuagesimum tertium vsque ad annum millesimum, septingentesimum, octuagesimum secundum ante medium, incipiet Monarchia,

Monarchia, & omnia regentur nutu vnius. In secundo autem trigono, scilicet Tauri, fient terræ motus & inundationes, & Cometæ plures propter Capricornum in quo dominantur Saturnus & Mars: & debilitatem præfectorum, qui sunt Venus & Luna. Dissoluenturque quæ parata sunt sub trigono aqueo.

Eiusmodi apparuerunt temporibus Tarquinij Prisci ante Christum annis circiter sexcentis & post ducentis. Et post rursus mille omnia dissoluta. Sed cùm coniunctio peruenerit ad trigonum humanorum, id est, Gemini, tunc dissoluentur Monarchiæ per trigonum Arietis factæ, & loco eius tradecetur in aliam Monarchiam & propter dominium Saturni & Mercurij erunt multi Sapientes, & artes vigebunt, & erunt multi deceptores: & homines erunt improbissimi & vigebunt vitia in libidinibus maxima: & cometæ multæ in cœlo videbuntur propter Mercurium.

Et ante Christum tum primum floruerunt Hippocrates. Pythagoras, Plato, Aristoteles, Theophrastus & Euclides, annis post Christum quadringentis lumina ecclesiæ Augustinus, Hieronymus. Annis rursus 1200. Arabes inter quos Princeps Auerrois Algazel, Heber. Trigoni autem aquei effectus ante Christum apparuerunt bella quidem sæuissima Romanorum cum seditionibus inauditis & conuersione totius orbis, & tum artes maximè floruerunt fermè vt etiam nunc. Post à Christo nato, scilicet à 600. anno ad 800. bella Saracenorum & sectæ Mahumetis, tumque iterum concussus orbis, artes floruere sub Heraclio Imperatore. Rursus anno post 800. id est, à Christo nato 1400. Typographica & machinarum ad miraculum vsque, tum alia inuenta mirabilia: talia igitur & his similia suis circuitibus erunt: sed non licet determinare tempora ac diuidere, & regiones temporibus accommodare propter causam dictam, sed licebit ex deliquiis illa inuenire.

Reliquum est vt dissoluamus residuum quartæ dubitationis, quia relictum fuit vnum argumentum contra Ptolemæum, scilicet quod aliqui moriuntur ex morbis propriis magis inexpugnabilibus quàm sint communes, vt pote aliquis ex carcinomate, hydrope vel febre propria adeò concidit, & ineuitabili morte detinetur, vt longè magis ille morbus inexpugnabilis videatur quàm sit pestis. Videmus enim concidere virtutem statim & occulta causa, in quibusdam morbis propriis, quòd non contingit in peste, cuius si inueniretur proprium auxilium sanabilis redderetur morbus. Et ita aliquando inuentum est, & quia laborabant sanati sunt. Non igitur inexpugnabilis est hic morbus communis quia communis sit, & à potentiore causa, sed quia ignota est medela. Respondeo igitur quod morbus communis dum viget constitutio & nondum declinat, potentior est & magis inexpugnabilis proprio. Et quando inueniuntur auxilia, est quia iam est in declinatione. Et quoniam dicis, aliquis morbus proprius est magis in expugnabilis: dico quod non est verum: Sed quia est absolutè inexpugnabilis, videtur quod non possit esse maior. Veluti comparemus morbum proprium, casui domus super aliquem, & morbum communem, casui montis super aliquem: tunc tam ineuitabilis videtur mors cadente domo, quàm cadente monte, quod ad mortem solum attinet illius: attamen casus domus posset facilius prohiberi & à minore causa impediri, quàm casus montis.

Per hæc ad quintam dubitationem clara est responsio, quod coniunctus loco in magna constitutione, vtpote in naui submergenda, in ciuitate destruenda, in exercitu cædendo ad internitionem, efficitur necessario & moritur, tametsi nihil aliud habeat commune cum illa constitutione, nisi habeat genesim potentem cuius dispositor dominetur domino constitutionis, aut loco exiliali ipsius constitutionis. In aliquibus autem mediocribus constitutionibus, si debeat interire, non sufficit consensus loci: Sed oportet vt constitutio ipsa sit colligata cum genitura vel cum loco directionis, vel profectionis seu reuolutionis. Constitutiones verò à quibus nulli euadunt, sunt in quibus domini sunt valde potentes & in cardinibus ad vnguem illius loci. Qui igitur euadunt, euadunt quatuor de causis: aut quia mutant locum & ita non afficiuntur triplici illo consensu iam dicto superius: vel quia dominus genesis illius dominatur loco infortunij & dispositoris illius: vel quia dominus genituræ illius & loci directionis & profectionis salui sint, ipsa verò constitutio extrema non sit: vel quia solum loci generali atque triplici affinitate loco iuncta sit, cæterùm alioquin robusta genitura profectione atque directione. Differt hic modus à præcedenti, quia in præcedenti etiam alio modo genesis constitutioni alligatur, sed vinculum non magnum est, constitutio mediocris, hic verò constitutio magna est, sed nullo modo genesis ipsi constitutioni alligatur. Verùm nihil est quod magis tutum reddat à constitutione generali quàm cum dominus genituræ dominus est etiam ipsius constitutionis: & maximè si benefica fuerit: nam si malefica seruabitur quidem ab initio, sed postmodum morietur aut interficietur.

Cæterùm an Astrologus possit mutare decreta in se ex astris: quodammodo non tum primum, quia illla non exactè nouit, ideò non illis occurrere poterit: neque ipsa scimus, quoniam non est eius congnitio qualis scribitur, vt dixi, tum verò quia idem futurum esset & non esset, est autem futurum ex astris decretum non futurum, quia ex scientia ipsa prohibetur, cum sit liberum decernere inutilis ergo est scientia. An quatenus pars & causæ non omnes possunt prohiberi, vt quoniam edit aromata & exercitur febricitaturum, verisimile est quod verò necesse est omnes colligit causas in quibus etiam illud continetur, an sciturus sit & præuisurus inclinationem: at fatum præsciri potest non caueri quia causæ latent: neque enim oracula produnt, neque genij. Astrologia autē causas docet non quod futurum est, ideò prohiberi

potest

potest, neque enim futurum erat: sed forsan fuisset. In quibusdam ergò scientia illius fato meliori interuit veluti vt non mendicare cogar: non tamen vt fatum mutetur, aut astrorum decretis superatis diues euadam. Ex hoc tamen lucramur vt non nitamur in vanum vt æquo animo feramus: vt conditionem minus malam reddamus, non solum aliquid addentes in eam, sed aliquandò abstinendo magis & commutando, & si non possumus addere in vtilibus inutilia auferamus. Et commutatio eiusmodi sit, vt vel totum assequi possimus, ideò hæc non in senectute, aut vt non totum relinquamus.

TEXTVS VIII.

Ante omnia huius quasi consensionis naturales causas exquiramus, obiter etiam percurrentes gentium ipsarum proprietates corporis ac morum, qui quidem cognoscantur, nequaquam discrepare à naturali constitutione cum stellarum dominantium, tum locorum zodiaci quibus subsint.

Trifariam naturali ratione aliquid quæritur, velut ex principiis naturalibus, sicut Geometræ faciunt, velut ex experimento vt Medici solent, velut à notissimis, vt est ordo doctrinæ: omnibus his modis naturali ratione Ptolemæus procedit ad quærendas causas effectuum ac temporum: & ponit proprietates corporis atque animi ipsarum gentium miro artificio, vt in sequentibus exponemus. Verùm priùs difficultates propositas explicemus.

Proposita fuit sexta difficultas, an homo subiiciatur euentibus secundùm naturam loci, in quo natus est, vel vbi habitat? & respondemus quod secundum naturam loci in quo habitat: vt qui exit è patria laborante peste euadit periculum, nisi habeat genesim coniunctam constitutitioni factæ in patria. Exemplum cuipiam ascendit Virgo, & in regione sua fit eclypsis Sole Geminos occupante Saturnus verò dominus loci in septimo loco sit, ex quadrato deliquium respiciens, vt pestem omnino significet: Sit verò Mercurius iuxta deliquij locum, morietur natus ille etiam quod è patria fugiat, ex morbo pestifero. Acquirit autem propter consensum loci in poli eleuatione & verticalibus stellis & consensu ascendentis, naturam loci: Et sicut calefacit Sole illo non patriæ, & Ventis refrigeratur, & imbribus madescit, ita & loci constitutionibus afficitur: nisi vt dictum est. In electionibus autem Regum & dignitatum, voluntariam rationem sequi non oportet, sed vt profectio Regni ad locum peruenerit, ita fiet: & vt genesis illius congruet profectioni & Regno, ita eueniet similiter, & de aliis dignitatibus, & itineribus. Propterea nihil melius est ad augendam felicitatem, quàm sequi spontaneum affectum: Ad calamitatem autem impediendam electio nonnihil proficit non tam syderum constitutione quæsita quàm exitiali ac naturali impedita. Circa partum verò totum tempus comprehenditur, & qui violento exeunt partu, seu etiam detinentur, læduntur, & nihil proficiunt. Verùm omnis ratio ad naturalem partum referri debet: Propterea tales permixtum habent genituræ genus, & inualidum: quoniam dissipata est & impedita nascendi virtus. Sed tamen nonnihil iuuari possunt corpore & animo, nam fortuna ex succedentibus maximè reuolutionibus variatur: quæ vbi in generales constitutiones bonas inciderint aut malas, similiter & directiones & genesis ipsa bene, vel malè afficiuntur: At verò cum tales constitutiones soli Deo cognitæ sint, aut superis, relinquitur vt partus acceleratio, aut retardatio nihil certi afferat præter iacturam fœtus. Vltimò quæri solet an nauis principium recipiat ab astris? & an qui submerguntur in naui ex genesi sua hoc habeant, an ex constitutione nauis, an ex ingressu nauis in mare, vel hora discessus? Dicimus autem nauim quidem habere principium quo submergatur aliquod, sed maius esse in anima nautæ, sicut & ducis belli in prælio: & propterea multum confertur nauta, & dux belli prudentes sint atque felices. Nam talibus beneficæ & benè constitutæ dominantur. Melius est autem ita opinari quàm principia dare rebus artificiosis, quæ & voluntariè fiunt & agendi principium verè non habent: Inditio est quod eadem tempestate plurimæ naues pereunt, quæ tamen diuersis temporibus constructæ fuêre: Aliquot etiam seruantur non discrimine ipsarum nauium, sed prudentia atque scientia gubernatorum. Itaque principia omnia actionum in rebus potius sunt naturalibus, quàm voluntariis aut artificiosis. Dico autem naturalia, homines, plantas, belluas, pisces, elementa, ipsáque artificiosa, vt impetu naturali feruntur: Veluti grauitate vel impulsu: Et mentes hominum, vt appetitu naturali feruntur atque vincuntur: Vt verò consilio agunt, parum aut nihil habent principij ab Astris. Aliter & melius: tempestas in mari est generalis constitutio, vt in terra prælium, in aëre pestis. Sufficit ergo significatio ingrediendi aquas eo tempore. Ergo si dicas non ex genesi, poterit vitæ terminus qui à constitutionibus generalibus, intercipi potest, neque fortuna quæ tum ab illis tum à profectionibus mutari solet sciri: Respondemus esse verissimum, sed veluti diuites homines fiunt paulatim singula colligendo, pauci tamen vel à prædonibus, vel à tempestate in mari pauperes euadunt: Sic genituræ hominum quid cuique venturum sit decernunt: Aliqui tamen constitutionum magnitudine oppressi, aut perfectionum potentium multitudine acti, alios sortiuntur exitus. Qui cùm multi videantur, eorum tamen qui singularem genesim absque interruptione sequuntur, maximus est numerus. Atque in illis etiam qui constitutionibus generalibus deprehensi, aut reuolutionibus assiduis decreta genesis mutant, tamdiu effectus illius relucent in eorum vita, quādiu à constitutione, aut reuolutionum perpetuo successu fuerint

Pro hoc vide lib. 4. com. 77.

fuerint remoti. Id verò temporis etiam in iis maximam plerumque totius vitæ partem occupat.

CAPVT II.

TEXTVS IX.

De proprietate vniuersali gentium.

SOlent igitur gentiles proprietates distingui aut per totos parallelos, & totos angulos, aut per situm erga eclypticam & Solem ipsarum.

Intelligitur per parallelos lineas quæ ab oriente tendunt,in occidentem, & sunt gentes quæ diuersam habent poli altitudinem. Per totos angulos, id est, qui sunt sub meridiano, quasi dicat qui sunt sub eodem parallelo, sunt eiusdem naturæ, & inter se conuenientes: & similiter qui sub toto angulo comprehenso inter parallelum, & meridianum. Sed melius est legere coniunctim: vt sit sensus, distinguuntur bifariam gentes, vel vt comprehenditur vna tota latitudo à parallelo & meridiano, aut vt partes illæ comprehensæ diuiduntur penes maiorem propinquitatem aut distantiam ab æquinoctiali, & oriente. Prima igitur diuisio est generalis, & fit in tres partes: Prima est ab oriente in occidentem, secundùm longitudinem, & à tropico Cancri ad æquinoctialem secundùm latitudinem. Secunda quæ etiam extrema est, cum eadem longitudine latitudinem habet inter circulum arcticum & polum. Tertia similiter est ab oriente in occidentem in longitudine, id est, centum octuaginta partium latitudinem habet inter duos circulos arcticum & æstiuum, fermè æqualis ambabus aliis pariter acceptis. Ex his habetur ratio trium reliquarum quartarum mundi, seu terræ, quarum mentionem non facit Ptolemæus qui ex ista dignoscuntur. Nam singulæ quartæ tres habent partes prædictis correspondentes. Veluti quarta borealis, quæ est apud antipodas, partes habet similiter tres, vnam quæ est ab æquinoctiali ad tropicum Cancri, quæ correspondet primæ, secundam à circulo arctico ad polum correspondentem secundæ, & tertiam inter duos polos correspondentem tertiæ. Hoc solùm discriminis est, quod illis oriens statuendum est vbi nobis occidens: & occidens illis, vbi nobis oriens, propter contrapositum situm. Similiter & quarta australis vltra æquinoctialem superior orientem habet & occidentem, vbi & nos, inferior contrario modo. Et pars quæ est inter æquinoctialem, & tropicum Capricorni, correspondet parti quæ est inter æquinoctialem & tropicum Cancri. Et quæ est inter circulum antarcticum & polum antarcticum, ei quæ est inter circulum arcticum & polum arcticum. Et similiter quæ est inter tropicum hyemalem & circulum antarcticum, ei quæ est inter tropicum æstiuum & circulum arcticum. Vna igitur explicata, reliquæ manifestæ fiunt. Primum igitur, vt dixi, sic in partes tres distinguit.

TEXTVS X.

Nam nostræ terræ quæ iacet in vno Aquilonari quadrante, incolæ qui subiecti sunt australioribus parallelis, id est, iis qui describuntur ab æquinoctiali vsque ad tropicum æstiuum, cum supra verticem illorum feratur Sol, quasi vstilatis, nigrísque corporibus videntur, & capillo esse crispo & denso, facie etiam contracta & statura contorta, natura ferè calidi, moribúsque feris propter magnitudinem æstus in locis suis, quos Æthiopas vocare consueuimus, qui & ipsi ad expositum modum se habent. Et aëris ibi talis constitutio est, omnésque animantes ac quæ nascuntur è terra cum his congruere repe-riuntur. At qui subsunt Aquilonaribus parallelis, hoc est, sub Septentrionibus posita loca incolunt, cùm eorum punctus verticalis à signifero & Solis calore longè absit, ideò etiam frigore & humido abundant. In qua cum alimenti copia insit, non exhauritur ipsa à vicino calore. Ibi sunt igitur colore albo homines, capillo promisso, statura proceri & bene habiti, natura subgelidi, sed & ipsi moribus feris propter frigoris illis in locis vim. Et conueniens cum his accidit hyemis magnitudo, & è terra nascentium granditas, & animantium sæuitia. Hos vocamus generaliter Scythas. Qui autem loca tenent interiecta inter tropicum Æstiuum & Septentriones, quia neque supra verticem illorum Sol fertur, neque inde longissimè ad Austrum recedit, in aëre degunt valde illo quidem temperato & singulariter, sed frigoris, æstúsque differentiæ admodum paruæ notantur, quapropter & medio quodam colore & mediocri statura & natura temperata sunt, habitationibus coniuncti & moribus mansuetis.

Intemperata corpora à calido & sicco, frigida sunt interitus & calida exterius: Ideò nigra & crispa & contracta, & imbecillia & fera, propter siccitatem. Et similiter animalia. Contraria ratione, quæ posita sunt inter circulum arcticum & polum, recta & alba & sæua propter frigus, id est, propter calorem magnum qui fit à contractione facta propter frigus: Ideò etiam iracunda. Et in feritate, & iracundia sunt similes hi quidem qui

qui habitant in frigidissima regione propter ca iditatem, & hi qui in calidissima propter siccitatem. Et ideò inueniuntur Antropophagi in vtraque, quorum facies sunt terribiles & ab humana adeò alienæ, vt vix videantur esse homines. Ita Haly & nostro tempore plures alij qui viderunt, referunt. Hoc tertium ex duobus aliis pendet, nam ex ira & crudelitate cœperunt primo hostes captos deuorare, inde paulatim assueuerunt. Quartum, est quod corpora illorum sunt magna in vtraque regione propter calorem exteriorem in vna, & naturalem in altera. Quintum est ferarum abundantia in vtrisque, quia homines non persequuntur illas propter vastitatem solitudinum. Sextum est penuria meliorum ciborum vt vini & tritici, in caliga propter siccitatem, in frigida propter frigus. Septimum est extrema quædam paruitas quorundam hominum in vtrisque regionibus, in calidissima propter siccitatem, in frigidissima propter frigus congelans humidum. Octauum est agilitas magna incolarum, in frigida propter robur caloris natiui & exercitationem assiduam, in calida propter siccitatem neruorum, sicut apparet in phreneticis, & propter gracilitatem corporum. Nonum est malorum spirituum vt Hermes dicit, & reliqui spectra: seu quòd solitudines mali spiritus incolere soleant, seu quod in talibus regionibus tum propter aëris malitiam & intemperiem, tum propter prauorum ciborum vsum humores adeò corrumpantur, vt talia falsò videre & audire sibi persuadeant: tum præcipuè solitudinum metu imaginem talium augente. Ex quo sequitur decimum, quod in talibus regionibus inueniuntur præcantatores & necromantici & magi maximi: tum propter spiritus malignos, aut persuasiones de illis, tum propter simplicitatem incolarum, quibus talia facile est persuadere. Vndecimum, quod in talibus regionibus sunt herbæ veneficæ: sed tamen longè plures in calidissima: quamuis & in frigidissima non paucæ præsertim frigidissimæ. Vnde in Scotia passim est cicuta, & apollinaris herba. Et hoc prouenit propter solitudines & intemperiem aëris, licet Scotia sit comprehensa sub regione temperata: Sed est in fine eius versus circulum arcticum. Duodecimum, quod in vtrisque sunt homines rudes & deceptores: ruditas prouenit propter raritatem hominum: deceptio propter ruditatem: quia dum timent decipi, malunt præuenire: Et etiam propter ruditatem non est illis cura Dei aut honoris, propter quæ homines maximè custodiunt fidem. Differunt autem maximè in tribus, quia in calida homines sunt nigri, graciles, & regio serpentibus abundat: In frigida verò homines sunt pingues, albi, & regio absque serpentibus. Calida etiam regio profert gemmas & aurum, quia talia fiunt à magno calore & humido pauco: In frigida autem fiunt metalla imperfecta. Velut plumbum & ferrum, quia fiunt à multo humido & pauco calore. Sed & argentum proportione enim se habet ad aurum, vt plumbum ad æs. Verum in temperata regione omnia sunt mediocria magnitudo natura mores color quasi rubor, & roseus & subrufus, qui medij sunt inter album & nigrum. Ex hisque colligitur regula generalis quod cum regio calidissima terminetur ab æquinoctiali, & vsque ad tropicos frigidissima à polis, & vsque ad circulum arcticum & antarcticum erit temperatissima in medio harum vt quæ æqualiter distet ab vtraque. Intelligimus autem per hanc vt in commentariis de Aëre Aquis & locis hominum quatuor differentias quas toto genere & natura distincta Aethiopes nigros prorsus, & Indos quosdam nigros vt carbones, oleaginos vsque ad Alexandriam partibus triginta & vna ab æquinoctij circulo Scythas & temperata in regione habitantes. Horum omnium mores, forma, victus toto genere quasi inuicem distant, inde patet temperatissimam causam esse regionem, quæ est media horum non mensura sed ratione, cùm enim Sol est in initio Tauri nobis est præcipuum temperamentum tuncque distat à vertice nostro partibus 33. quibus ergo dum sub æquinoctij circulo est, distat à vertice partibus 33. his cum tantundem recedat quantum accedit facit temperamentum, cum verò regio iam proprior sit æquinoctij circulo addemus ob hæc partem 11. & fient partes temperatæ regionis. Contra in calidiore detrahemus eandem partem iuxta rationem maioris distantiæ apparebitque distantia in qua Sol efficit medium Ver in ea regione Velut vbi polus altior est horizonte 53. partibus, velut Edimburgi tunc Boloniæ est Ver medium temperamentum cum Sol distat à vertice par. 33. igitur cum 53. superet 23. in 20. quod est pars fermè 7. ex 11. detrahemus hanc partem & insuper differentiam à 53. relinquentur partes distantiæ Solis à vertice Edimburgi 30. & ideò Sol declinabit ab æquinoctij circulo partibus 43. & ideò erit in fine Geminorum. Quantò verò magis appropinquat extremis inhabitabilibus, id est, male habitabilibus, tanto magis assimilantur illorum moribus, si frigidissimæ, moribus Getarum & Laponum: si calidissimæ, moribus Aethiopum & Indorum. Contraria ratione qui ex inhabitabilibus regionibus sunt, eò mitiores erunt & minus barbari ac feri, quo magis temperatæ regioni erunt proximiores.

TEXTVS XI.

Horum etiam propiores Austro ingeniosiores & calidiores, & rerum diuinarum periti magis esse consueuere, quod punctus ipsorum verticalis propinquior sit cum signifero, tum errantibus sub illo stellis, pro quarum quasi familiaritate & ipsi animos habent promptos & faciles in comprehensione ac vestigatione rerum ac artium, maximeque earum quæ propriè Mathemata vocantur, præterea orientales

orientales horum viridiores sunt & animis fimis, nihilque celantes. Orientem enim iure Solaris naturæ esse dixerimus, proinde & pars illa diurna & virilis & dextra putanda. Cernimus autem in animantibus quoque dextra esse magis valida & robusta, contra occidentales effœminatores sunt, & molliores & occultatiores. Nam hæc pars Lunæ debetur, quæ ab occidente semper post interlunia conspiciendam se præbet, atque ob hanc causam & nocturna & sinistra, vt opposita orienti traditur.

Recte etiam non regione temperatam, sed propinquam signifero prætulit hic Ptolemæus: & certè in Mathematicis & præsertim in Astrologia ea regio præstantissima est in cæteris disciplinis plus valent studia reliquis : cùm etiam in Mathematicis & in Astrologia diligentia gemmarum ostenderit, plus posse industriam ad sapientiam, quàm patriam seu cœlum. Nam litera Ptolemæi clara est. Quæ igitur in temperata regione ad Boream accedunt, quoniam ibi stellæ sunt egregiæ magnæ & illustres in Vrsis, & rutilus fulgor, Arcturi, fortes sunt propter Martem, & patientes laborum propter Saturnum, iucundiqúe & hilares propter Venerem, atque effusi in largitionibus & conuiuiis, nam stellæ illæ de natura maximè Martis sunt, inde Veneris & Saturni, parumque Iouis. Occidentales verò propter Lunæ naturam minus superbi, & peregrinatores magni, fortes quoque propter commistionem Martis cum Luna. Ex his patet, quod Ptolemæus existimat stellas verticales magnam habere vim, & sunt illæ quæ tantum habent declinationis ab æquinoctij circulo, quanta est altitudo poli illius regionis. Præter has considerare decet stellas quæ simul in ea regione ascendunt, aut cœli medium obtinent, aut descendunt, commiscent enim vires inter se, quia plurimum eodem tempore possunt. Post has sunt quæ in communi sunt circulo positionis, nam & hæ singulis diebus vires suas miscent inuicem. Inter has potentissimæ etiam sunt quæ semel in die perueniunt ad communem intersectionem finitoris & Meridiani. Hæ enim singulo die cum in eo puncto fuerint, erunt cum omnibus Planetis ac fixis in vno circulo positionis. Sunt autem hæ quæcunque tantum habent declinationis Borealis seu Australis, quantum deest eleuationi poli regionis ad complendas 90. partes. Velut Londinum habet altitudinem poli partium 53. Et cauda Scorpij declinationem meridianam ab æquatore 37. partium, & Vultur cadens tantumdem versus Boream. Dico quod vtraque harum stellarum semel in die erit in communi sectione finitoris & Meridiani Londini : Ideò illæ stellæ plurimum poterunt in ea ciuitate. Et quicunque nascetur ibi altera harum stellarum in illa intersectione constituta plurimum poterit apud illos, & habebit mores ciuitatis exquisitissimos: Etenim omnia sydera in illa genitura cum illa stella, quia erunt in aliquo circulo positionis, cum ea necessario participabunt, inficienturque illius qualitate. Vnde hoc notabile est in genituris.

CAPVT III.

TEXTVS XII.

De familiaritate locorum & triangulorum & stellarum.

IAm verò sequuntur hæc etiam de duodecim signiferi locis certi modi proprietates morum & naturalium institutorum. Vt enim in prædictis constitutionibus aëris & iis quos generaliter calidos, frigidos, temperatos esse perhibuimus, certorum quædam sunt proprietates locorum ac regionum, vbi illa generalia intenduntur remittuntúrve, vel ob positus sui naturam, vel altitudinem, vel humilitatem, vel propter etiam vicinitatem. Itemque cum alij equestres sunt propter campestria suæ patriæ loca, alij nauigatores ob vicinitatem maris, nec non mitiores aliqui ob soli bonitatem. Ita & certi modi naturas animaduertere in his est, de naturali familiaritate stellarum iuxta duodecim loca signiferi particulariter & ipsa sumpta non singilatim sed generaliter. Necesse igitur fuerit hæc quatenus particularibus considerationibus famulantur, nunc deinceps exequi.

Cùm declarasset orbis partes generales, trifariam illas variari secundùm diuersas portiones docet : primum quidem, gratia exempli assumpta Hispania, cum sit prouincia temperatæ regionis, plurimùm differt à Germania, & longè plus à Mesopotamia: Hoc autem trifariam contingit vel ob propinquitatem maiorem ad æquinoctialem, vel minorem, & ita ad occidentem:Nam Hispania est propinquior æquinoctiali & occidenti quàm Germania, longè etiam plus occidenti propinqua, quàm Mesopotamia, minus autem longè æquinoctiali : quamobrem maxima est differentia inter incolas istarum trium prouinciarum. Et per hoc nō solùm nobis dedit modū cognoscendi differentiam prouinciarum inter se, sed etiam partium prouinciarum inter se. Veluti Mediolanum est magis occidentale & Boreale, quàm Florentia : Ideò Mediolanenses sunt fortiores, & pulchriora habent corpora, & delicatiores, & laborum patientiores : At contra Florentini sunt magis compti, & ornati, & lingua liberiores, & minus

cibo

cibo indulgent, & magis amatores ſcientiarum & diſciplinarum Mathematicarum. Hæ enim ſunt proprietates auſtralium & orientalium quas declarauit in textu præcedenti, & pertinent ad Aſtrologum: Sed ſunt adeò manifeſtæ vt poſſint aſcribi etiam philoſopho naturali. Secundùm eſt diſcrimen à natura loci, de quo locutus eſt Hippocrates in Libro de Aere & Aquis, & ſumitur maximè à quinque conditionibus principalibus, quarum prima eſt quod locus ſit campeſtris aut montuoſus, & eſt figura terræ: Nam campeſtres, ſunt molliores, mitiores & minus robuſti habitatoribus montium, magis diuites & compti, artiumque cultores. Secunda eſt à natura terræ, quædam enim arenoſa eſt & facit robuſtiores homines, ſanos & induſtrioſos: quædam eſt argilacea quæ facit opulentiores ſed infirmiores: vbi verò opulentia, ibi mores ſunt manſuetiores & cultus artium viget propter præmia, & omnia magis ornata. Tertia differentia eſt à ſitu quo ad montes: ſi enim montes ſint à parte orientis & ſeptentrionis, erunt morboſi imbecilles & effœminati: ſi verò regio ab his partibus patuerit, montes verò ſint ab occidente & meridie, erunt incolumes, viribus firmi, armis dediti, feroces, artium minutarum contemptores, vt pinguendi, muſicæ. Quarta eſt in comparatione ad ſitum aquarum: Vel enim omnino arida eſt, vel ſtagna, adſunt & paludes, vel torrentes, vel fluuij, vel flumina magna: & hæc vel ab oriente, vel occidente, ſeptentrione aut medio quodam ſitu. Salubriores enim vbi aqua velociter mouetur & Soli exponitur, & à latere orientali eſt & boreali, contrario modo montibus. Quinta eſt à vicinitate maris vel diſtantia: Mare enim non debet aliis adnumerari aquis, tum ob ſalſedinem, tum ob caliditatem, tum etiam ob amplitudinem & ventorum perpetuum flatum. Vnde qui mari vicini ſunt omnes ſunt mercatores, vel pyratæ, magis longæui & magis firmi, periti natandi & nauigandi. Quædam verò ex his conſequuntur veluti quod habitantes in planitie magis ſunt equites: Et ob id etiam equitando magis valent: Habitantes in montibus omnes ſunt agiliores & firmiores. Rurſus habitantes in regionibus inſalubribus etiam ob id ſunt imbecilliores: Ideoque etiam minus fortes quia conſcij ſuarum virium, minus ergo crudeles ob timorem: vnde conſuetudine poſtmodum fiunt miſericordes. Ob hæc verò aſtuti & fallaces conſcij ſuarum virium, omne enim genus non ſolum hominum ſed etiam beluarum robore vel aſtutia ſe tuetur. Ob id dici ſolet quòd vbi pellis Leonis deſit, Vulpina illi aſſimilis aſſuitur. Hæc enim duo animalia ſatis accommodatè inuicem comparantur, quod alterum roboris, alterum verſutiæ maximæ ſit: Et pelles illorum ambæ quaſi ſint flauæ. Propter hæc & tales laborioſi ſunt, & circa minutas artes, propter virium imbecillitatem tractant minutas artes, & ſolicitudine complent atque aſſiduitate, quod viribus deeſt. Ob id etiam mercaturam exercent quia potius aſſiduo labore indigent, quàm magno. Ideoque etiam ſpecie liberales videntur, ob conuerſationem, intrinſecus tamen auari: quoniam omnis timidus eſt auarus, & omnis auarus timidus. Propter hæc etiam blandi ſunt verbis admodum, tales enim ſunt timidi auari & mercatores. Sunt etiam ob hæc omnia diſſimilatores maximi, adeò vt etiam metum ipſum diſſimulent. Hæc & multa alia quæ innumera eſſent, ex hoc vno principio quod morboſi ſint, omnia ſequuntur, quæ ſi velim ſingula perſequi commentarius in infinitum excreſceret. Sufficiat autem hæc quæ ad morboſum ſtatum ſuccedunt, licet non omnia præſcripſerim, pro exemplo adduxiſſe: vt non ſolum ex hoc aliorum ſtatuum ſucceſſus intelligas, ſed etiam vel huius omnia quæ ſuccedunt & conſequuntur nondum tamen ſunt explicata. Itaque bene dicebat Haly quod ſi quis naſcatur in oppido littoris maris qui debeat eſſe ex genitura maximus medicus, quomodo poterit ſi ibi omnes fuerint nautæ fieri medicus, niſi exiuerit illam patriam: ſed erit inter nautas peritior, & ſciet etiam quædam auxilia in medicina empirica, vt ſolent ſcire nautæ. Et ita ſi quis debeat eſſe ex geneſi maximus ductor exercitus & Rex, & naſcatur inter imbelles Naſamones, quomodo poterit fieri dux & Rex? ſed tamen fiet dux inter ſuos, & forſan in ſuſpitionem Regis adductus de rebellione, occidetur mandato Regis. Et ita eadem geneſis in ciuitate libera & armis potente ſignificabit ducem & Regem felicem, & inter Naſamones vel alias imbelles gentes, vel ſubditas alieno Regi ſignificabit obſcurum tyrannum & ſeditioſum ducem, qui breui etiam ſit malè periturus. Et hæc eſt cauſa quod tot fuère inclyti duces Romanorum, Athenienſium & Lacedæmoniorum. An putas defuiſſe geneſes ſtrenuorum ducum in aliis ciuitatibus? Tamen omnes mediocres, & egregiarum plurimæ effectu fruſtratæ ſunt: In tribus verò illis ciuitatibus, quod iam bello inclytæ eſſent, & magnum imperium adeptæ, ſufficiebat mediocris genitura. Et ita conſidera de diuitiis de artificibus, & de omnibus aliis.

Ex hoc patet quod Ptolemæus ſcripſit de vniuerſalibus, non tamen propter illa quàm etiam propter ſingulos & geneſes ipſas, in quibus maxime diligens fuit: quod etiam patet per ea verba (Si quis ſingularum rerum prædictionibus operam dare velit, non poſſit ſine comprehenſione generaliorum eſſe ad illas inſtructus) Et hæc eſt cauſa præcipua quod librum hunc, qui ſubiecti ratione longè maior eſſe debuerat, aliis breuiorem fecerit, & niſi vnicum: nam tractatio hæc etſi etiam propter ſe facta ſit, maiore tamen ex parte propter geneſes facta eſt. Nec ſolùm vniuerſalis ratio regionum ad priuatos, ſed etiam ad Reges pertinet. Nam Scotici Reges omnes fermè ferro pereunt, adeò vt ex centum quinque vix quatuor vel quinque morbo perierint. Anglorum verò Reges omnesfermè ſeditionibus agitantur. Gallorum autem Reges ab vtriſquæ ſunt immunes. Si igitur naſcatur Rex Scoticus, cum vel medio-

Cap. 1. huius.

mediocribus signis necis violentæ, omnino trucidabitur. Si verò Rex Anglicus cum genesi habente signa seditionis populi, Rex ille non solum habebit, sed & magnas & plures. Si verò Rex Gallorum cum signis violentæ necis & seditionis medio cribus, nec occidetur, & minima seditione vexabitur. Et hæc fuit causa quod Rex Gallorum Franciscus primus non obierit in prælio anno 1525. quando captus fuit à Cæsarianis, nec seditione exturbatus fuerit à Duce Borbonio, nec mortuus fuerit in carcere in Hispania: Nam in omnibus his Regnum seruauit Regem, & non Rex seruauit Regnum: nec propria genesis ipsius Regis, quæ mala erat & infelix. Et ideò hæc est causa, quod qui nesciunt vti bona fortuna dum Reges ipsi infelices habent genituras, magna incommoda patiuntur successu temporis. Non enim decet in bellis Regum, fortunam existimare esse Regni. Et hoc totum alta mente celauit Ptolemæus.

Tertium discrimen partium regionum est, ex trigonis, nam reliqua duo faciunt quidem ad genituras, non tamen possunt reduci ad euentus vniuersales. Vtpote si incidat cometas vel eclypsis in Ariete, non possum dicere quod pertineat ad Britanniam, quia sit vicina occidenti vel circulo arctico, vel quia sit plana vel circumdata mari: sed oportet quod sciam rationem qua sub signo Arietis, puta, collocetur. Secundo vsus est ratione trigonorum quia regiones propinquæ sunt similes in multis, vtpote Galli sunt medij inter Germanos, Anglos, Hispanos & Italos. Cùm igitur sunt similes magna ex parte Italis, & non sint sub eodem signo, si ponantur gratia exempli signa propinqua, vtpote Leo dominari Italiæ, Cancer aut Virgo dominabuntur Galliæ: sed talia signa & domini illorum sunt omnino diuersa à Leone & Sole domino Leonis: Igitur non fuisset seruata ratio similitudinis morum. Similiter multo maior confusio fuisset si hæc familiaritas fuisset sumpta à signis quadratis vel oppositis: Et præter id oportuisset diuidere orbem terrarum vel nostram regionem in sex partes ratione oppositionis, vel in tres ratione quadrati, quod est contra naturam diuisionis quæ fit per circulos magnos. Nam cum duo circuli magni se diuidunt, diuidunt sphæram in quatuor partes, & si fuerint tres circuli in octo, & si quatuor in sexdecim: Ergo nunquam poterunt in tres aut sex partes diuidere. Signa ergo trigona primum cum sint quatuor ordinibus distincta maximè conueniunt diuisioni habitabilis terræ per circulos magnos in quatuor partes. Secundo coueniunt ratione similitudinis formæ: Aries enim Leo & Sagittarius sunt agrestia & quasi færa quadrupeda: Cancer, Scorpio & Pisces sunt quasi aquea: Nam Scorpio licet non viuat in aquis, viuit tamen in locis humidis, & sunt omnia muta: Gemini, Libra & Aquarius omnia sunt humana voce, moderata etiã moribus: Taurus verò & Virgo, & Capricornus sunt mansueta & cicurata animalia, nisi quod Virgini tribuitur forma humana propter magnam potestatem quam in eo signo obtinet Mercurius. Conueniunt etiam ob trigonum radium ista signa familiaritate quadam naturæ, adeò vt quidam existimauerint esse qualitatum similium, neque id absurdum est, nec contra Ptolemæi opinionem: Non tamen ob id solum inter se conueniunt. Sed sicut tres mercatores quorum vnus sit Italus, alter Gallus, reliquus Hispanus qui societatem inierunt, familiaritatem inter se habent & amicitiam & consensum, & eodem modo tractant negocium mercaturæ & simili forma literarum, cùm tamen sint diuersorum morum & naturarum: Ita contingit de trigonis quorum signa communi consensu susceperunt administrationem vnius quartæ partis terræ habitabilis. Et tum maximè quia concordant singula triangula in duobus dominis quibus parent & à quibus reguntur & gubernantur. Tertiò, factum est istud quoniam quædam regiones valdè distantes magnam habent inter se similitudinem non solum morum, sed etiam quia simul eisdem infortuniis quandoque magis affliguntur, quam confines prouinciæ. Imo plerunque confinium prouinciarum contingit vt vna sit felix, & alia infelix, cum vna aliam inuadit. Vtpote cum Galli veniunt in Italiam bello eam deuastantes. Non conueniebat igitur confines prouincias ponere sub eodem signo propter hanc causam, neque succedentibus sibi inuicem propter causam anterius dictam. Cumque inuenirentur vt diximus regiones distantes magis similes inter se euentibus & moribus quàm propinquæ, veluti Britannia & Iudæa, ob id Britannia & Iudæa, quod sint pernicaces & truces atque seditiosi, Britanni Arieti tribuuntur, Iudæi verò quod impij insidiosi & audaces, similiter sub eodem signo sunt atque Planeta. Sic vtraque harum regionum sæpius & obstinatius vt nulla alia à Romanis rebellauit ac sæpius ad internetionem concisa. Et vtraque similiter nouos ritus legis & diuini cultus sibi fabricauit, aliquando quidem in melius, persæpe in deterius. Quod verò hæc diuisio per trigonos aliis tribus quartis terræ conueniat satis dictum est. Sed in Septentrionali inferiore sufficiet occidens pro oriente, & oriens pro occidente commutare. Qua ratione inuenta commutato ordine domiciliorum fiet trigonus Solis & Iouis: Primus Libræ, Aquarij & Geminorum. Secundus Lunæ & Veneris, Scorpij, Piscium & Cancri. Tertius Saturni & Mercurij, Sagittarij, Arietis & Leonis. Quartus Martis & Lunæ, vel Martis & Veneris, Capricorni, Tauri & Virginis. Primo igitur dabitur pars quæ est inter occidentem & antarcticum Marti & Ioui. Secundo, dabitur pars quæ est inter æquinoctialem & orientem Saturno & Veneri. Tertio, quod est inter orientem & antarcticum, eiusque dominis Saturno & Ioui. Eadem ratione & quarto dabitur quod est inter æquinoctialem & occidentem Marti & Veneri. Eadem quoque ratio erit de finibus: Nam fines finibus erunt contrarij ad vnguem: dabimus enim fines Ptolemæi descriptos Cap. 19.

scriptos in tabula superius Libræ, ipsi Arieti, & Scorpionis, ipsi Tauro, & Arietis ipsi Libræ, & Tauri ipsi Scorpioni commutata ratione, seruatis eisdem dominis atque numeris ad vnguem. Inuenta autem ratione quartæ partis superioris terræ versus antarcticum quo ad triangulos & fines, habebis etiam inferiorem solum commutatis vt in nostra regione oriente in occidentem, & occidente in orientem, superioris partis cum inferiore.

TEXTVS XIII.


Cùm ergo in signifero quatuor triquetræ configurationes animaduerti soleant, ostensum est in superioribus à nobis vnum triangulum, nempe Aries & Leo, & Sagit. esse Borrolybicum, quod nomen significat Aquilonis & Africi confusionem. Hoc gubernatur primum quidem à Ioue propter Aquilonem, deinde à socio Marte etiam propter Africum. Triangulum autem Taur. & Capricor. & Virg. Austrisolanum est, habetque principem dominatricem Venerem propter Australitatem, socium verò Saturn. propter matutinitatem: At Gem. & Lib. & Aquar. triangulum commistionis Aquilonis & Subsolani est, cuius dominatio præcipua est Saturn. propter matutinitatem, sociumque admittit Iouem ab Aquilone. Triangulum Canc. & Scorp. & Pisc. Notolybicum, id est, Austri est & Africi, primumque regitur à Marte propter Africum, deinde & à socia Ven. propter australitatem.

Cap. 17. Qui memor est eorum quæ in primo libro superius scripta sunt, ne vel vno verbo quidem ad expositionem hoc in loco indiget. Qui verò illa non intellexit quæ toties repetiuimus, nec nunc, etiam si folia centum commentarij scripserim, intelliget. Cæterùm hæc repetiit Ptolemæus non vt necessaria, sed vt ordo ad sequentia melius connecteretur. Quam etiam ob causam figuram apposui per quam quæ sequuntur facile posse it intelligi. Sed prius ipsum Ptolomæum audiamus dicentem.

TEXTVS XIV.

Quæ cum ita se habeant, & cùm nostra terra distribuatur in quadrantes æquales numero triangulis quatuor, per latitudinem quidem à mari nostro ex Herculano freto vsque ad sinum Issicum & vlterius versus orientem Montanum vsque dorsum, quibus separatur pars Aquilonaris ab Australi. Per longitudinem autem ex Arabico sinu, per Ægeum pelagus & Pontum ac paludes Mœotidas, quibus diuiditur pars orientalis & occidentalis, conficiuntur ita quadrantes numero situque congruentes cum triangulis, quorum vnus totius terræ collocatus est, secundum Aquilonis & Africi commistionem dictus Borrolybicus, ad Celticam, habetque commune nomen Europæ, illique oppositus, item vnus secundum commistionem Austri & Subsolani, quem dicunt Notapelioten ventum, ad Æthiopiam orientalem, quæ pars Australis magnæ Asiæ rectè dici poterit. Tertius est quadrans situs secundum Aquilonis & Subsolani commistionem, qui ventus vocatur Borrapeliotes, vbi est totius terræ pars, quam nominamus Scythiam, fitque planè Aquilonaris magnæ Asiæ pars, huicque oppositus secundum Africi & Austri, qui ventus vocatur Libonotus, commistionem ad occidentalem Æthiopiam, vocaturque communiter Libyæ.

Facile imò facillimum est in proposita figura quæ Ptolomæus proponit distinguere. Diuidit totam terram huius quartæ partis tam habitabilem, quam inhabitabilem per duas lineas, quarum altera transit ab oriente in occidentem, reliqua à septentrione in meridiem in quatuor quadrantes: primum quod est inter septentrionem & occidentem quem vocat Europam & à vento medio Borrolybicum dat Arieti, Leoni & Sagittario, & dominis eius Ioui & Marti. Secundum statuit illi oppositum inter meridiem & orientem in quo est Asia, & subiicitur medio vento inter Austrum & orientem, quem vocant Notapeliotem trigono secundo Tauri, Virginis & Capricorni, & dominis eius Veneri atque Saturno. Similiter tertium statuit inter septentrionem & orientem vbi dicit esse Scythiam & tribuit trigono Geminorum, Libræ & Aquarij dominis eius Saturno & Ioui. Et quartum illi oppositum vbi ponit Lybiam seu Africam, quarto trigono Cancri, Scorpij & Piscium, & dominis eius Marti & Veneri.



Animaduertenda sunt hîc duo pro intellectu sequentium, quod totius partis Australis

vltimam extremitatem, quæ est iuxta lineam C D vocat Æthiopiam: sed partem ipsius quæ est orientalis iuxta D F vocat Æthiopiam orientalem, & quæ est iuxta F C vocat Æthiopiam occidentalem. Secundùm quod magis refert est, quod cum toti Septentrioni præponat Iouem, & toti meridiei Venerem, & toti orienti Saturnum, & toti occidenti Martem, fit vt in primo quadrante dominetur Mars & Iuppiter non simpliciter, sed occidentalis, id est, Iuppiter pro vt habet conditiones occidentalis. Et in secundo Saturnus & Venus, non simpliciter Venus, sed Venus orientalis. Et in tertio Saturnus & Iuppiter, non simpliciter, sed Iuppiter orientalis. Et eodem modo in quarto Mars & Venus occidentalis. Et hanc distinctionem orientalis & occidentalis in beneficis inuenit Ptolemæus, vt doceret varios mores gentium. Nam stellæ orientales habent adeò diuersos mores ab occidentalibus, ac si essent non vnus Planeta, sed duo penitus diuersi. Et hoc diligenter nota pro intellectu eorum quæ inferius adiicientur. Incepit autem Ptolomæus numerare quadrantes ab occidente & septentrione, & non ab oriente neque à meridie, vt sequeretur eundem ordinem quem sequutus est in Geographia: nam ibi incipit ab extremo occidente, id est, à fortunatis & à septentrione, ideò fecit primam tabulam in qua descripsit Hiberniam & Albionem, id est, Angliam, quia sunt in extremo septentrionis & occidentis. Diuidit autem vnumquemque quadrantem in duas partes, vt cum dicit.

TEXTVS XV.

Præterea sciendum singulos quadrantes qua vergunt in medium totius terræ nostræ, sortiri diuersam naturam naturæ suæ, quam in totius terræ diuisione obtinuerint. Nam quadrans Europæ quem diximus in diuisione totius terræ in Borrolybico loco, id est, ad Caurum positum, in medio & qua angulus exit in oppositi quadrantis angulum ad Notapelioten, id est, Vulturnum tendit, & in positum huius quadrantis deuoluitur. Quod ipsum & de aliis similiter accipi debet. Vnde apparet singulos quadrantes binis triangulis contrariis conciliari, cum alia quidem loca prorsus in se incumbens triangulum sustineant, media autem illa etiam in contrarium incumbant. In hac conciliatione assumendi sunt & gubernatores singulorum triangulorum, atque rursum hi quidem soli aliis in locis, in mediis autem illis & cum his Mercurij stella, quod media hæc quidem & communis fit vtriusque conditionis.

Duo facit in præsenti texto Ptolemæus, primum quidem diuidit vnumquenque quadrantem linea recta in duos triangulos sibi inuicem oppositos, vt in figura vides: Gratia exempli primum quadrantem diuidit per lineam ductam a septentrione in occidentem in duos triangulos: vnum qui vocatur extremus, & est ille in quo inscriptæ sunt notæ ♃ & ♂: Alterum qui tendit ad medium in quo est inscriptus primus & ita de aliis quadrantibus. Cùm igitur sint quatuor quadrantes, fient octo trianguli, quorum quatuor dicuntur extremi & puri quia non tanguntur ab aliis quadrantibus: & quatuor qui vocantur trianguli medij qui circumdantur ab aliis tribus triangulis mediis. Vnusquisque enim eorum habet duos alios triangulos à latere, & tertium à fronte seu opposito. In vno quoque autem illorum posui numerum sui quadrantis, scilicet primus, secundus, tertius & quartus, vt intelligeres cuius quadrantis essent illi trianguli. Secundùm quod docet, est quod cum sint octo trianguli, quinam Planetæ singulis dominentur: & regula est generalis, quatuor triangulis extremis seu puris dominantur sui duo Planetæ inscripti: vtpote primo Mars & Iupiter occidentalis: Secundo Saturnus & Venus orientalis: Tertio Saturnus & Iupiter orientalis: Quarto Mars & Venus occidentalis. In triangulis autem mediis ponit Mercurium in medio sicut vides in figura, quia Mercurius est particeps dominationis in omnibus triangulis mediis propter quatuor causas: Prima vt & ipse haberet dominium in mundo: Secunda, quia habitantes in mediis regionibus sunt ingeniosiores & disciplinis magis dediti & artibus, quæ omnia per Mercurium significantur: Tertia, quia sunt negociatores & transeunt de vno triangulo in alium triangulum, & ex vno quadrante in alium quadrantem: Et hoc est proprium Mercurij, qui transit in naturam singulorum planetarum excepto Sole & Luna. Fit enim Mercurius quandoque perfidus, vt Saturnus malè dispositus, & patiens, vt Saturnus benè dispositus, & lasciuus vt Venus, & ferox vt Mars, & iustus vt Iuppiter. Quarta, quia natura illius est media inter Planetas reliquos omnes quatuor, ideò meritò collocatur in medio. Sol autem & Luna non ponuntur domini triangulorum propter id quod omnibus dominantur generaliter. In omnibus enim regionibus est aliquid institiæ & fidei, & studij gloriæ & modus dominandi, quæ omnia habentur à Sole. In omnibus etiam regionibus vigent commercia hominum & consuetudines, desiderium nutriendi filios, & videndi regiones nouas, & piscandi & colendi agros, & lucrandi, quæ omnia sunt à Luna. Ideò nulla est gens tam barbara quæ ex toto possit se expoliare ab affectibus & moribus Solis & Lunæ, qui sunt communes omnibus gentibus. Sed si vis distinguere inter mores Solis & Lunæ: discrimen est quia mores Solis tendunt ad honestum, generosum, munditiem, & imperandum: Lunæ humiliora sunt omnia, ideoque ad lucrum, voluptatem,

tem, sorditiem & seruiendum. Potest facilè comparari Sol nobilitati, Luna plebi in ciuitate. Sol patri, Luna matri in domo. Et ideò Sol non diligit adeò filios sicut Luna, id est, nati sub illis. Et ita Sol significat ex ætatibus iuuentutem, Luna pueritiam. Mercurio igitur in medio constituto, iste ordo seruatur in mediis triangulis: primùm dominantur Planetæ trianguli oppositi, vtpote in primo triangulo medio primum dominabuntur Saturnus & Venus orientalis, secundo Mercurius, tertio domini ipsius quadrantis, id est, Mars & Iuppiter occidentalis. Et ita in quarto triangulo medio dominabuntur, primum Saturnus & Iuppiter orientalis, qui sunt domini tertij quadrantis, inde Mercurius, inde Mars & Venus occidentalis, & ita in aliis: Et hæc est causa quod ipse posuit secundum trigonum illum, qui est ab opposito primi & non à latere. Et causa est quia quæ pendent ab astris & nihil habent commune cum coniunctis & adhærentibus, sed potius cum oppositis. Ideò primus triangulus participat de natura secundi oppositi, & non de natura tertij & quarti qui sunt a lateribus, Ex hoc etiam patet quod regiones quanto magis sunt versus medium in triangulis mediis, magis participant de natura Planetarum quadrantis oppositi, deinde Mercurij, & minimum de natura Planetarum proprij quadrantis. Quæ verò sunt iuxta basim trianguli medij, plus participabunt de natura Planetarum proprij quadrantis, & minus Mercurij & oppositi quadrantis. Medij verò inter cuspidem & basim æqualiter omnibus. Exemplum in primo triangulo medio, id est, primi quadrantis basis habebit plus de natura Martis & Iouis occidentalis ac Mercurij. Cuspis verò trianguli eiusdem scilicet primi quadrantis plus habebit de natura Saturni & Veneris occidentalis inde Mercurij, inde Martis & Iouis occidentalis. Medium verò inter cuspidem & basim medio modo & quasi æqualiter omnium particeps erit. His igitur constitutis, ipse tractat primo de primo triangulo, id est, exteriore primi quadrantis: deinde medio primi quadrantis: post de exteriore secundi quadrantis: deinde de medio secundi quadrantis: & ita deinceps. Circa quod notanda duo sunt, primùm quod partes triangulorum extremorum, vt magis appropinquant medio, id est, lineæ mediæ, sunt maximè de natura fermè vnius Planetæ tantum: velut qui sunt maximè sub Borea & declinant, neque ad orientem, neque ad occidentem nisi parum, ipsi sunt de natura Iouis fermè ex toto, & parum valde Martis aut Saturni. Et ita qui sunt in linea occidentis & non declinant ad meridiem neque septentionem, ipsi sunt fermè ex toto de natura Martis, & quasi nihil Iouis aut Veneris. Et ita illi qui sunt iuxta æquinoctialem, nec declinant ad orientem, nec occidentem sunt toti de natnra Veneris & nihil fermè Martis vel Saturni. Et ideo in totum similes fœminis, imbelles, libidinosi, luxui & voluptatibus ac delitiis dediti, nihil omnino ingenuum aut virile cogitantes. Et ita de orientalibus, qui sunt omnino medij inter septentrionem & austrum pro Saturno. Secundum, quod in triangulis mediis licet obseruentur Planetæ contrarij quadrantis, tamen vult quod illi exuant naturam propriam quantum ad orientale & occidentale, & induant naturam quadrantis proprij. Exemplum in triangulo medio quadrantis primi dominatur Saturnus & Venus, qui sunt domini quadrantis secundi, scilicet oppositi, sed in quadrante secundo semper dominatur Saturnus & Venus orientalis: In triangulo autem medio quadrantis, primi dominabuntur Saturnus & Venus occidentalis, quia triangulus ille est pars quadrantis occidentalis non orientalis. Secundùm hoc igitur statuemus dominos octo triangulorum per ordinem, sicut ipse facit ad faciliorem intelligentiam textus sequentis. Circa quod notandum est quod beneficæ variantur penes orientale & occidentale, scilicet Iuppiter & Venus: sed Saturnus & Mars non variantur penes boreale & Australe. Causa est duplex, tum quia beneficæ facilius variantur quam maleficæ: tum quia orientale & occidentale sunt qualitates in re, id est, in ipsis Planetis, veræ & naturales, quæ ortum habent à comparatione Planetarum ad Solem: sed Australe & Boreale sumuntur hic non vt latitudines ab eclyptica, sed solùm vt differentiæ partium terræ quibus Planetæ dominantur. Et ita non faciunt aliam differentiam quam illam quæ dicta est superius in primo discrimine prouinciarum, quæ magis appropinquant æquinoctiali vel polo Boreali. Quod si quis vellet considerare Australe & Boreale iuxta latitudinem in Saturno & Marte, tunc posset ponere Australes agiliores, leniores.

Secundùm hoc igitur, ordinem dictum sequentes externo triangulo quadrantis primi dominantur Mars & Iuppiter occidentalis soli. Et ex signis ♈, ♌, ♐.

Triangulo medio quadrantis primi dominantur, primo Saturnus & Venus occidentalis, inde Mercurius, inde Mars, atque Iuppiter occidentales. Ex signis ♎, ♍, ♑.

Triangulo externo quadrantis secundi Saturnus & Venus orientalis soli. Et ex signis ♉, ♍, ♑.

Triangulo medio quadrantis secundi Mars & Iupiter orientalis primo dominantur, deinde Mercurius, deinde Saturnus cum Venere orientali, Et ex signis ♈, ♌, ♐.

Triangulo externo quadrantis tertij soli dominantur Saturnus & Iuppiter orientalis. Et ex signis ♊, ♎, ♒.

Triangulo medio quadrantis tertij primo Mars & Venus orientalis, deinde Mercurius, deinde Saturnus & Iuppiter orientalis. Et ex signis ♏, ♋, ♓.

Triangulo externo quadrantis quarti soli dominantur Mars & Venus occidentalis. Et ex signis ♋, ♏, ♓.

Triangulo medio quadrantis quarti dominantur, primo Saturnus & Iuppiter occidentalis, inde Mercurius, inde Mars & Venus occidentalis. Et ex signis ♊, ♎, ♒.

Et secundùm hoc omnia dicta Ptolomæi, quæ

quæ in ſequenti textu ſequuntur, ſunt adeò manifeſta vt nulla indigeant expoſitione, niſi quod oportet vt habeas Geographiam illius ante oculos, ſine qua non potes bene intelligere quæ ille ſcripſit de prouinciis & earum natura. Et ideò malè faciunt qui multa nugantur in declaratione ſitus prouinciarum, cum commentaria augeant in infinitum & nihilominus non poſſunt rem perfectè docere, niſi depicta figura orbis habitalis, Quæ profectò hic ſi ſuis coloribus depicta adiiciatur plus proficiet ad exquiſitum intellectum ſententiæ Ptolemæi de prouinciis, quam ſi magnum volumen commentariorum conſcribatur.

TEXTVS LVI.

Quibus ad hunc modum diſtributis primi quadrantis Europei ſuperiora loca, quæ ſita ſunt in totius terræ diuiſione inter ſeptentrionem & occaſum, conciliantur Borrolybico, hoc eſt, Careo triangulo, quod eſt Aries & Leon. & Sagit. dominos habet conuenientes Iouem & Martem veſpertinos. In hoc totæ gentes hæ nominantur. Britannia, Gallia, Braccata, Germania, Baſtarnæ, Italia, Gallia Tolia Togata, Apulia, Sicilia, Tyrrheni, Celtica, Hiſpania. Atque in gentibus conſequenter hi mores animaduertuntur, vt ſint ob principatum trianguli ſui & dominatorum illius impatientes regni, & amantes libertatis. Armorum, bellique ſtudioſiſſimi, patientes laborum, præſtantiæ, munditiæ, fortitudinis, ſectatores. Propter veſpertinum autem habitum Iouis & Martis, propterque ſuum triangulum accidit his vt prioribus partibus viriles ſint poſterioribus effœminati & mulierum amore non tangantur, cupidi maſculæ Veneris, & hac in parte æmulatores neque hoc apud illos vitio datur vlli, neque molle ducitur, quod hoc ipſo animi illorum non perturbentur & quaſi laborent, ſed retineant nihilo ſecius vſum virtutis, amicitiæ, fidei, curæ rei familiaris, beneficentiæ. Harum ipſarum regionum, Britannia, Gallia, Bracata, Germania, Baſternæ, propriè ſubſunt Arieti & ſtellæ Mart. Itaque harum incolæ ſunt communiter feroces, peruicaces, truces. At Italia, Apulia, Gallia Togata, Sicilia, Leoni ſubiecti ſubiectæ ſunt & Soli, præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent. Tyrrheni verò & Celtæ, Hiſpanique commendati cum Sagittar. Ioui libertatis, ſimplicitatis, munditiæ ſunt amatores. Reliqua loca huius quidem quadrantis, ſed vergentia in medium totius terræ, Thracia, Macedonia, Illiricum, Græcia, Achaia, itemque Cretæ, & inſulæ Cyclades & maritima loca Aſiæ minoris, ac Cyprus, decliuia de quadrante ſuo ad Vulturnum, adiunguntur etiam triangulo hoc Vulturni quo comprehenditur Tanr. Virg. Capricorn. & gubernatricibus ſtellis Vener. ac Saturn. atque inſuper etiam Mercur. Quaptopter horum locorum incolæ magis ſunt & corporibus & animis compoſiti & temperati. Et ipſi ſanè præſtantiæ cupidi, fortes, regni oſores propter Martem, Muſicæ autem & ſtudiorum, libertatis cupidi, legum inſtitutorumque ſuorum tenaces, populari imperio gaudentes, latores legum, quæ à Ioue habent. Certaminum & munditiæ ſtudioſi à Vener. Amicitiæ, hoſpitalitatis, iutis literarum, eloquentiæ cultores, Mercur. Iidem arcanorum ſacrorum & initiorum inſtitutores de Vener. veſpertino habitu. Rurſus ex his peculiariter pertinent ad Taur. & Vener. maritima minoris Aſiæ loca, Cyclades inſulæ ac Cyprus: ideoque fermè voluptatibus munditiæ, corporique ſeruiunt. At Græci, Achiui, Cretenſes, ſubditi Virg. & Mercur. ingenioſiores & doctiores & animorum cultores euaſerunt. Macedones autem, Thraces, Illyricum ſubiiciantur Capricorn. & Saturn. in re quidem paranda non inertes, ſed à manſuetudine morum & coniunctionibus alieni.

Secundi quadrantis quæ pars eſt Auſtralis magnæ Aſiæ, loca in quibus India, Ariana, Gedroſia, Parthia, Nedia, Perſia, Babylonia, Meſopotamia, Aſſyria, ſpectantia Vulturnum in totius terræ diuiſione, conciliantur & ipſa meritò triangulo Notapeliotico, id eſt, ſito inter ortum & meridiem, Taur. Virg. Capricorn. Gubernaturque à Vener. & Saturn. de orientali habitu. Quare & naturas illorum hominum cognoſcere eſt huiuſmodi modi dominationi conuenire, nam & Vener. numen adorant, vocantque Iſin, & Saturn. itemque Solis, quen Mitram nominant. Multi etiam horum futura præcinunt, necnon & pudendæ ab his partes conſecrantur,

erantur, quæ efficiuntur ab habitu præpoſitarum ſtellarum ſeminalium. Ipſi natura ſunt flagrantes concubitus, reique Venere appetentes. Saltationes his & repudia, comptuſque cordi à Venere, delicatuſque victus à Saturno cum mulieribus propalam non in occulto conſueſcunt, propter habitum orientalem, ſed maſculam Venerem odere. Neque pauci ex matribus liberos ſuſcipiunt & pectore ſupplices geſtus edunt propter matutinum ortum, & congruentiam cordis præſtantiæ cum vi Solari. Veſtitus ferè ornatuſque & corporis delitiis effœminati à Venere, animis autem, conſiliiſque excelſis, fortes, bellicoſi, eo quod Saturn. cum habitu orientali congruat. Sed peculiariter ſunt Iouis, Veneriſque magis Parthia, Media, Perſia, Qua de re & harum regionum incolæ florido veſtitu vtuntur, ſeque totos illo præter pectora operiunt, delicatoque victui, ac munditiæ dant operam Virginis & Mercur. eſt Babylon, Meſopotamia, Aſſyria, quibus ideo & eximia Mathematicarum diſciplinarum cognitio & obſeruatio ſyderum contigit. Saturno verò cedit propriè India, Ariana, Gedroſia, habentque eam ob rem cultores deformes, fœdos, immanes. Media huius quadrantis loca in diuiſione totius terræ, Idumæa, Cæloſyria, Iudæa, Phœnice, Chaldæa, Orchinia, Arabia fœlix, recedunt à ſuo quadrante ad Cancrum, qui ponitur inter ſeptentrionem & occaſum, itaque Borrolybico triangulo conciliantur, quod eſt Ariet. Leon. Sagittar. cum dominis Ioue & Marte, quibus communis Mercur. adiungitur, vnde ſunt ad mercaturas faciendas aliis aptiores & callidiores, in formidine contemptores, inſidioſi, animis ſeruilibus, omninoque inſtabiles pro ſtellarum præpoſitarum figuratione. Eſt autem Cœloſyria, Iudæa, Idumæa, magis Scorpion. & Ariet. Martiſque propria, ob eamque rem incolas habent ferè audaces, impios, inſidioſos. Phœnices, Chaldæi, Orchinij ſub Leone & Sole ſunt, quod ſimplices, humanos ſyderum obſeruatores: inque primis Solis veneratores reddit. Arabia fœlix ſubeſt Sagittar. & Ioui, vnde extitit illa conſentanea, appellationi feracitas & copia aromatum, & hominum dexteritas & liberalitas vitæ contractuum negotiorum.

Sequitur quadrantis tertij Septentrionalis pars magnæ Aſiæ, cuius ſuperiora loca continent Armeniam, Hircaniam, Mattianam, Bactra, Caſperiam, Seticam, Sauromatas, Oxianem, Sogdianen, quæque alia in diuiſione totius terræ ſpectant Aquilonem, qui eſt inter Septentrionem & Orientem locus. Hæ regiones igitur conciliantur Aquilonari triangulo Gemin. Lib. Aquar. Gubernatores autem Saturn. atque Iup. habitu orientali. Harum itaque incolæ Iouis & Saturni numina venerantur, ſuntque ditiſſimi & auro abundantes, victu mundo & conſuetudine honeſta, ſapientes magi, periti rerum diuinarum, moribus ad liberalitatem & iuſtitiam compoſitis, animo magno, fortes, oſores improbitatis, ita naturæ quodam inſtinctu amantes ſuorum, vt pro ipſis ne mortem quidem oppetere dubitent, reſpectu decoris ac pietatis. In vſu rei Veneriæ moderati vt puri, veſtitu ſumptuoſi, benigni, animo ſublimi, quod ferè Saturn. Iouiſque ſtella orientali in habitu conficit. Cæterùm ex his Hircani, Armeni, Matiani propriè referuntur ad Gem. & Mercur. itaque & ſunt mobiliores ac improbi. Bactrianæ gentes & Caſpiæ vnà cum ſericis Lib. parent & Vener. indeque diuitias congerunt, Muſicæ delitiis indulgent. At Sauromatica, Oxianæ, Sogdianæ ſubiiciuntur Aquar. & Saturn. habentque homines immanes, tetricos, feros. Reliqua huius quadrantis & in medium totius terræ decidua loca, Bithynia, Phrygia, Colchis, Syria, Commagene, Cappadocia, Lydia, Cilicia, Pamphylia deſcendunt à ſuo quadrante ad Africum, qui eſt inter occaſum & meridiem, inciduntque in Notolybicum triangulum Canc. Scorp. Piſc. dominante Mart. & Vener. cumque his Mercur. Hinc illæ gentes ferè nnmen Veneris adorant, multis variiſque ſuæ linguæ vocabulis vt matrem Deum celebrantes ipſumque Matrem Adonin, rurſumque aliter appellant, hiſque diuis cum quæſtibus initia habent conſtituta. Sunt autem perimprobi & animis ſeruilibus, laborioſi, mali, impliciti expeditionibus mercenariis, belligerationibus, rapinis, prædationibus, ipſi

mutuo

mutuo sese subigantes, & vestationes sibi ipsis, bellumque inferentes: quæ omnia à Mart. & Vener. orientali concursu proficiscuntur. Quoniam autem in Vener. triangulari signo Capricor. altitudinem habet Mart. & in huius item triangulari signo Pisc. ipsa Venus extollitur, fit vt illis in locis summa beneuolentia & charitate maritos suos fœminæ complectantur, domique custodes sint & operum studiosæ, famulatione, sedulitate, obedientia commendabiles. Ex his Phryges, Bithyni, Colchi pertinent magis ad Cancr. & Lunam. Quo fit viri vt ferè leues sint, morigerique mulieribus. Contra harum pleræque de Lun. orientali masculinitate, viriles, imperiosæ, bellatrices, vt Amazones perhibentur, fugientes virorum, gaudentes armis, ad virilitatemque fœmininum sexum instruentes ab infantia dextræ mammæ amputatione, quò habiliores ad subeunda belli munia fiant. Has etiam partes corporis nudare solent, vt in rebus gerendis muliebritatis omnis opinio amoueatur. Qui verò Syriam tenent & Comagenem, & Cappadociam subduntur Scorpion. & Mart. itaque multum audent, improbi sunt, insidiosi, laboriosi. At Lydi, Cilices, Pamphylij cedunt Pisc. & Iou. suntque in reparanda attentiores, commercia & mercaturas faciunt, liberales, faciles in contractibus.

Restat quadrans Lybies, vt appellant, in quo sunt Numidia, Carthago, Africa, Phyzania, Nasomonitis, Garamantes, Mauri Getulia, Metagonitis. Huius situs in diuisione totius terræ est ad Libonotum, id est, Africum inter occasum & meridiem, conciliaturque Notolybico triangulo Canc. Scorp. Pisc. regiturque conuenienter à Mart. & Vener. habitu vespertino. Ex quo apud illas gentes vsu multum venit vt vir ac mulier, aut frater ac soror vna matre geniti regnum teneant, sic quidem vt vir viris, mulier mulieribus præsit, & hoc in successionibus seruetur. Calidi ibi sunt homines, procliues in muliebrem Venerem, raptores coniugum. Ibi multis in locis cum nouis nuptis primi sunt regum concubitus. Alicubi etiam est mulierum inter omnes communitas. Mangonissantur autem admodum & muliebres mundos gestitant, quod à Venere habent. Non est tamen animorum illis promptitudo. Sunt nonnihil improbi, præstigiatores, peruersi, temerarij, obuij discriminibus, idque à Mart. Rursum ex his Numidæ, Carthaginenses, Afri, debentur Canc. & Lun. & hac de causa à coniunctionibus commertiisque non alieni sunt, inque omnium rerum affluentia degunt. Sed qui incolunt Metagonitida, Mauritaniam, Getuliam, Scorpio obediunt & Marti, immanes, bellicosi, carniuori, discriminibus obuij, neglectores vitæ, inque sese mutuo inuadentes. Phizani, Nasamones, Garamantes subiecti Pisc. & Ioui, liberalibus & simplicibus sunt moribus, opus faciunt, consiliis valent, sordium regnique fugientes, propter Iouem, Ammonis veneratores. Huius quadrantis media loca in totius terræ diuisione Cyrenaica Ægyptus, Thebais, Marmarica, Oasis, Troglodytæ, Arabes, Asania, Æthyopica media, à suo quadrante versa ad Aquilonem subeunt & sub Borrapelioticum etiã triangulum & dominos Saturn. ac Iou. insuperque Mercur. Vnde gentes hæ pro communi stellarum istarum vespertino imperio Deorum sunt reuerentes, superstitiosi, seruientes diis, eiulatores, mortuos suos occultantes terra & amouentes è conspectu, propter vespertinum habitum, institutis & ritibus variis, neque vno cultus numinum genere vtuntur. Parent humiliter, cumque metu & abiectione ac patientia. Imperant animosè & magnificè. Viri plures vxores, fœmininæ maritos habent. Connubia appetunt, cumque sororibus commiscentur. Virorum in gignendo magna efficacia, in concipiendo mulierum fœcunditas, vt in regione accommodata generationi. Multi ibi viri putidi & animis muliebribus reperiuntur. Aliqui & in partes genitales grassantur, propter maleficarum ac Veneris vespertinam figurationem. Ex his Cyrenarum Marmaricæ inque primis inferioris Ægypti incolæ ascribuntur propriè Gem. & Mercur. ideoque sunt cogitantes, prudentes, intelligentes rerum omnium, sed maximè sapientiæ & diuinitatis, magi, arcanorum initiorum institutores, in Mathematicis planè excellentes. Qui Thebaida tenent Oasin, Troglody-

ticen,

ticen, Lib. sunt ac Ven. Vnde calida natura est illorum & mobilis & in abundantia degunt. Arabes, Azani, Medi, Æthiopes dantur Aquar. & Saturn. Suntque carniuori ac pisciuori & pastores. Agrestem & feris similem agunt vitam.

Nihil iam puto deesse ad intellectum præcedentis textus, sed existimo melius vt postquàm hæc omnia principaliter propter geneses Ptolemæus descripsit vt etiam ad geneses Planetarum hi dominatus certo ordine ascribantur. Igitur vt ad dominos tertij trigoni deueniam: Saturnus & Iupiter orientalis facit diuini cultus obseruatores, ditissimos & auro abundantes, mundo victu, consuetudine honesta, sapientes, magos, peritos rerum diuinarum, moribus ad liberalitatem & iustitiam compositis, animo magno, fortes, osores improbitatis, atque adeò vt pro decore ac pietate mortem oppetere non dubitent. In vsu rei Venereæ moderatos & puros, in vestitu sumptuosos, benignos, & animo sublimi.

Mars cum Ioue occidentali facit amatores libertatis, armorum & belli studiosissimos, laborum patientes, fortitudinis, munditiæ ac præstantiæ, conseruatores amicitiæ ac fidei: Rei familiaris studiosi sunt custodes, beneficíque ac virtuti dediti: verùm à mulierum amore magis alieni, puerorumque sectatores: & qui ea ætate etiam Venerem libenter patiantur. Atque hi primo trigono externo conueniunt.

Saturnus & Venus orientales, faciunt diuinos, cupidosque saltationum, & comptos, delicatosque concubitus multi cum mulieribus. Sed tamen cum consanguineis & matribus etiam quandoque concumbunt: vestitus & ornatus & delitiæ fœmineæ quasi & molles: fiunt etiam eunuchi natura, alij voluntate, nonnulli casu. Cæterùm animis atque consiliis excelsi, fortes: bellicosi: Talem fuisse Narsetem Eunuchum Iustiniani qui barbaros ex Italia expulit, credendum est. Atque hi secundo congruunt trigono externo. Sed tales etiam à masculina Venere abhorrent.

Mars cum occidentali Venere facit procliues in Venerem muliebrem, raptores virginum, violentos adulteros: adornant se, & muliebri habitu gaudent, improbi, præstigiatores, peruersi, temerarij, prompti manu, denique omnino mali præter fortitudinem, similes sunt habitantibus in quarto trigono extremo.

Iouis & Veneris orientalis mores sunt delicatos esse, & munditiæ studiosos, & florido vestitu vti super omnes homines: tales sunt Persæ. Sunt etiam in re paranda, attenti: Mercatores faciles in contractibus & liberales, consilio quoque valent.

Saturnus orientalis facit deformes, fœdos & inanes, vt Indi. Occidentalis autem carniuoros, ictiophagos, pastores, moribus agrestes & feros: vt sunt Æthiopes occidentales.

Mercurius orientalis facit eos qui Mathematicas optimè assequantur, & siderum obseruatione maximè delectentur. Occidentalis autem ingeniosos & doctos, verùm non adeò Mathematicarum studiosos: sed qui animorum cultui tamen maximè incumbant. Generaliter autem facit mobiles & subimprobos.

Venus occidentalis facit voluptatibus omnino deditos, sed tamen mundos: vt Cyprij. Orientalis autem musicæ studiosos & delitiarum. Generaliter autem mobiles, vt fœminæ.

Mars occidentalis facit feroces, peruicaces, truces vt Germani. Orientalis audaces, impios, insidiosos. Malè dispositos, immanes, bellicosos, carniuoros, seditiosos, vitæ contemptores, periculis vltro se offerentes.

Iupiter occidentalis facit libertatis amatores & simplicitatis & munditiei, vt Hispani. Orientalis autem liberales dexteritatis maximè. Ad coniunctionem cum hominibus aptissimos & mercaturæ studiosos.

Sol facit præstantes, benignos, amicitiæque maximè obseruatores vt Itali: facit & humanos simplicesque, & qui obseruationibus siderum delectentur.

Mars cum Venere orientali facit improbos, laboriosos, latrones, rapaces, milites, mercenarios, seruilibus animis atque omnino malos. Tum magis si Mercurio adiungantur.

Saturnus & Mars occidentales in re paranda facit minimè inertes: sed ab amorum consuetudine & aliorum hominum coniunctione alienos, vt Macedones.

Luna orientalis facit fœminas viriles, imperiosas, contentiosas, laboriosas. Occidentalis autem viros molles, effœminatos & mulierum imperio subditos. Vnde fit vt quibus in regionibus mulieres viris exæquantur aut plus possunt, vt in Gallia, hæ regiones Lunæ imperio magna ex parte subditæ sint. Tales autem mercaturæ apti & à coniunctionibus cum aliis hominibus non alieni, diuitesque.

Saturnus, Venus & Mercurius occidentales, faciunt animo compositos & temperatos, fortes, libertatis amatores, & regni osores: Musicæ studiosos, & eruditionis. Leges & instituta tenaciter seruant, & noua etiam condunt & inueniunt. Certamina & munditiem diligunt, amicitiam & hospitalitatem colunt, eloquentiæ operam dant, arcanorũ quoque & sacrorum maximè periti.

Iupiter Mars & Mercurius orientales faciunt callidissimos mercatores, audaces, insidiosos, laboriosos, seruiles & omnino instabiles

Saturnus, Iupiter & Mercurius occidentales, faciunt superstitiosos, mortuos sepeliunt & illos multis ceremoniis lugent, Deum maximè timent. Sed multæ hæreses & multi ritus. Imperant animosè & magnificè, qui verò parent maxima cum patientia & metu, atque adeò humiliter vt omnino abiecti esse videantur. Fœcundi sunt tam viri, quàm mulieres.

TEXTVS

TEXTVS XVII.

At conciliationes quidem ſtellarum, ſignorumque cum certis gentibus communeſque harum proprietates deſignatæ à nobis breuiter ad hunc modum ſeſe habent. Ad vſus autem facilitatem exponemus deinceps nudam traditionem conciliationis ſingularum gentium, cum vnoquoque ſigno ex ſuperioribus conuenienter ductam, hoc modo.

Quoniam hæc omnia eò tendunt vt effectus eclypſium & conſtellationum ſciantur quas in prouincias dirigantur, ideò cum id ſciri non poſſit niſi cognouerimus quodcunque ſignum quibus prouinciis dominetur: Reſtat igitur dubitatio quonam pacto affecto ſigno, ſciamus quænam prouincia debet affici. Vtpote Aries dominatur Britanniæ & Germaniæ, & Iudææ, atque aliis prouinciis multis quas inferius deſcribet, non par autem eſt Ariete per eclypſim affecto, vt in has omnes prouincias ſimul calamitas aut felicitas perueniat: Poſtquàm igitur non in omnes venturus eſt effectus, ſcire par eſt in qua ventura ſit, hoc autem inferius declarabitur. Solùm enim iam illud reſtat quandoquidem ex tam communi regionum ſitu in paucarum ſolum diſcrimina deueniamus, vt etiam diſtinctè ſciamus affecto vno ſigno quænam prouinciæ vt dixi, illi ita ſubiiciantur, vt effectus in eas ſolas perueniat. Veluti Ariete affecto an ſola Britannia, an Iudæa, an Germania conſtellationi ſubiiciatur. Neque enim vt dictum eſt veriſimile eſt quod in omnibus idem effectus eueniat.

Circa hæc notandum eſt quod leges omnes, vt Haly dicit, in medio habitabilis promulgantur,& ex illo in extrema perueniunt: quia Mercurius dominus eſt eius partis, ſcilicet mediæ, vt declaratum eſt. Leges autem multis verbis indigent & rationibus, ac mutatione inſtitutæ vitæ, quæ omnia à Mercurio ſignificantur. Nihilominus Mercurius per ſe non poteſt dare legem, ſed ſocius fit Saturno & ſignificat legem Iudæorum: quæ eſt duriſſima, & fœdiſſima, & cum auaritia, & vſura, & diuortio, & connubiis illicitis, & lepra & immunditiæ gentis. Et cùm his tamen ſtabilitatem magnam & conſtantiam, & obſeruationem ipſorum præceptorum vſque ad ſuperſtitionem, & aſſociatur Ioui, & ſignificat legem Chriſtianorum quæ eſt munditiei, pietatis, caſtitatis, miſericordiæ, probitatis, & in qua plura fuerunt regna & honos ſummus ſacerdotij: quia Iupiter præeſt ſacerdotio, & non admittit diuortium. Et aſſociatur Mercurius Marti, & ſignificat legem Mahumeti, & arma, ac bella, violentiam & ſæuitiam. Et aſſociatus Veneri ſignificat legem Idola colentium varia & diuerſa: totam plenam voluptatibus, laſciuia. Et qualibet lex aſſociatur ſtellarum inerrantium dominationi præter planetas ob longitudinem temporis quo manent: nimis enim multi circuitus eſſent planetarum, ſi ad illos ſolum referrentur, vtpote Saturnus qui circuit cœlum in triginta annis, & iam lex Iudæorum inchoauit annis ter mille ſeptuaginta ſex vt centum reuolutiones ac tres inſuper exegerit. Præterea multa ſunt quæ legibus peculiaria ſunt, & hæc à miſtione procedunt planetarum cum fixis & luminaribus, & etiam planetæ ipſi commiſcentur vt vidimus ac videbimus. Et earum etiam promulgatio habet cauſas ſuperiores Deum & Dei inimicos, nos autem mundana ſolum attingimus. Et leges habent ortus ac initia à ſuis planetis velut Iudaica ab oriente, quia Saturnus orienti præeſt. Mahumeti autem ab occidente, quia Mars occidenti dominatur. Et Iouis imperium eſt à ſeptentrione, ideò in ea parte fundata eſt lex Chriſtiana, licet & ipſa ab oriente, propter coniunctionem cum Iudaica, originem ſumpſerit. Idolorum autem lex quoniam à Venere exortum habuit, initium ſumpſit à meridie, ſcilicet, Aſſyria, Babylonia & Chaldæis. Primus enim Belus Aſſyriorum Rex adorari ſe præcepit. Hæc autem dicta ſunt quæ ab Haly excidantur non obiter, ſed vt accidentia quæ in legibus contingunt & mutationes, & hæreſes ex aſtris præuideri poſſint. Affligentur autem leges maximè vt in trigonis oppoſitis coniunctiones maximæ fuerint. Eſt autem trigonus Chriſtianæ Aries, Leo, Sagittarius, & eius dominus Iupiter, quia Sol communis eſt. Idololatricæ Taurus, Virgo, Capricornus, & eius dominus Venus, nam Luna communis eſt. Iudaicæ Gemini, Libra, Aquarius, & eius dominus Saturnus, nam Mercurius communis eſt quia omnibus fauet. Et ideò poſteriores leges Iudaicam non deſerunt, ſed recipiunt: quia Mercurius quo omnes leges indigent, propriè dominatur trigono Iudæorum. Ideò decreta eius legis tanquam fundamenta ab aliis recipiuntur. Trigonus autem Cancri, Scorpionis & Piſcium Mahumeticæ præeſt, nam Mars religioni illi dominatur, & initium dedit coniunctio media anno Chriſti 591. in Cancro, quæ poſtmodum perſeuerauit vſque ad annum 789. in ſignis aqueis: nemini autem dubium eſt quod Mahumetes natus eſt, intra hos terminos, legemque ipſam promulgauit. Chriſtus quoque natus eſt poſt ſex annos à coniunctione maxima in Ariete, promulgauitque legem ea coniunctione in trigono Arietis, Leonis & Sagittarij vigente. Itaque tum ab origine temporis, tum regionum vbi cœperunt, tum moribus, patet hos trigonos hoſque Planetas, has leges moderari. Aduerſantur autem trigoni prout & Planetæ: trigonus quidem Arietis trigono Cancri, quia Mars & Iupiter inimici ſunt, & maximè potentes ambo, ideòque diuturnum bellum. Similiter trigonus Tauri trigono Geminorum, quia Venus & Saturnus inimiciſſimi, ſed ambo debiles tamen. Vnaquæque etiam lex, maximè poſterior, alias deſtruit. Hæc autem alibi dicta ſunt: ſed hæc præſenti propoſito ſufficiunt.

TEXTVS

TEXTVS XVIII.

Nuda expositio quæ gentes quibus sub signis ponantur.

Aries, habet Britanniam, Galliam Bracatam, Germaniam, Bastarnas, Cœlosyriam, Palæstinam, Idumæam, Iudæam.

Taurus, Parthiam, Mediam, Persida, Cyclades insulas, insulam Cyprum, maritima loca Asiæ minoris.

Gemini, Hircaniam, Armeniam, Mattianen, Cyrenas, Marmaricam, inferiorem Ægyptum.

Cancer, Numidas, Carthaginenses, Afros, Bithyniam, Phrygiam, Colchida.

Leo, Italiam, Galliam Togatam, Siciliam, Apuliam, Phœnicen, Chaldæos, Ochiniam.

Virgo, Mesopotamiam, Babylona, Assyriam, Græciam, Achaiam, Cretam.

Libra, Bactra, Casperiam, Seras, Thebaida, Casin, Troglodytas.

Scorpio, Metagonitida, Mauros, Getulos, Syriam, Commagenem, Cappadocas.

Sagittarius, Tyrrhenos, Celtas, Hispaniam, Arabiam fœlicem.

Capricornus, Indiam, Arrianen, Gedrosiam, Thraciam, Macedonas, Illyricum.

Aquarius, Sauromatas, Oxianen, Sogdianen, Arabiam, Azaniam, mediam Æthiopiæ.

Pisces, Phazaia, Nazamonitis, Garamantice, Lydia, Cilicia, Pamphylia.

Dubitabit aliquis quare Iudæam diuiserit à Palæstina & Idumæa: Et similiter Italiam ab Apulia, cum Apulia sit Italiæ pars, & Idumæa ac Palæstina Iudææ? Respondeo quod Ptolemæus fauit Græcis in hoc, quia Apulia vocabatur Græcia magna: in alio Ethnicis seu Idolorum cultoribus: nam Iudæi vnum Deum colebant, volebat videri Ptolemæus quod Iudæi occupassent illas prouincias, hocque studium fuerat Regum ipsorum Ægyptiorum, vt eo prætextu quod & sæpe fecerunt, Iudæam inuaderent.

Animaduertendum quòd ad trigonos attinet atque leges: Mahumeticam quæ sub Marte est sibi adiungere Venerem vel Lunam, vt in triangulo visum est Venerem ob inexhaustam libidinem, diemque illi dicatum colunt, Lunam quod laboriosissimi sint atque vagi, eiusque in vexillis imaginem referunt. Ob vtramque autem plures accipere vxores lex illa permittit. Iudaica autem Mercurium Saturno adiungit, vnde ipsi maximè sunt industrij, loquaces & miseri, & parandæ rei pecuniariæ dediti. Christiani Ioui iunctum habent Solem, illiusque diem colunt Dominicum, sicut & Iudæi Sabbatum propter Saturnum. Sol autem significat iustitiam & veritatem. Christiana autem lex plus continet veritatis, & simpliciores reddit homines. Idolorum lex Veneri Lunam adiungit orientalem, sicut Mahumetica occidentalem: Ob id multos deos, multasque illorum formas fingebat pro varietate formarum Lunæ. Obseruabat autem Calendas à nouiluniis sumptas more totius Græciæ & antiqui ritus Romanorum. Inditum enim est vnicuique legi, prouinciæ, genti, regno, ciuitati, familiæ, denique domini cuique vt aliquid eorum obseruent quæ à dominatrice stella significantur, vel etiam ipso nomine ad eam pertinent.

His itaque explicatis, reliquum est vt ipsorum signorum significata & mores, pro genesi vniuiusque hominis vtilia, ipsisque prouinciis à Ptolemæo descriptis correspondentia, subiiciam. Igitur:

Aries facit feroces, peruicaces, truces, audaces, impios, insidiosos.

Taurus voluptatibus deditos & munditiei corporis, florido vestitu vtuntur, delicato victui operam dantes.

Gemini nobiles ac subimprobos, cogitantes, prudentes, intelligentes rerum omnium, sed maximè sapientiæ & diuinitatis, magi, arcanorum institutores, in Mathematis plane excellentes.

Cancer facit mercatores, & bonos socios, & qui rerum affluentia gaudeant: sunt tamen leues & morigeri mulieribus. Mulieres autem quibus signum hoc dominatur, viriles, imperiosæ, contentiosæ, laboriosæ.

Leo constantes, benignos, amicitiæque studentes, simplices, humanos, siderumque obseruatores.

Virgo facit optimos Mathematicos, obseruatores syderum, & omnibus disciplinis aptos, ingeniosos, doctos, animorumque cultores.

Libra Musicæ & delitiis deditos & qui diuitias congerant, calida sunt natura ad Venerem, mobilisque consilij.

Scorpio immanes, bellicosos, carniuoros, discriminibus obuios, neglectores vitæ, seditiosos, improbos, denique & fallaces ac laboriosos.

Sagittarius simplices, munditiei & libertatis amatores, liberales, dexteros in negociis, & contractibus aptos.

Capricornus, deformes, fœdos, immanes, ac mansuetudine morum & coniunctionibus alienos, sed in re paranda minimè inertes.

Aquarius carniuoros, ictiophagos, pastores, & agrestem vitam, ferarumque similem agentes, immanes & tetricos.

Pisces liberales, mercatores attentos, faciles tamen in contractibus, simplicibus moribus, minimè sordidos, popularem statum amant, consilio valent, & pulchrorum operum sunt artifices.

R CAPVT

CAPVT IV.

TEXTVS XIX.

Particularium prædictionum ratio.

HIs expositis conuenit & hæc adiungi huic parti. Fixarum etiam stellarum singulis aliquo in signo repertis, conciliari easdem regiones quas illud signum sortitum fuerit, quo cum ipse inducto per polum suum circulo, regiones eas aspiciant.

Habent enim trigoni & signa familiaritatem vt dixi cum gentibus & legibus, & eadem cum fixis: fixæ ergo etiam cum gentibus & legibus. Velut Boreas & stellæ naturæ Iouis fouent Christianis & trigonus Arietis, & ♀ Mahumetis & stellæ naturæ Martis & trigonus aqueus, & hoc quo ad fortunam hominum & regionum non amicos. Sed iam ad textum redeamus. Docuerat superius tres esse differentias ipsorum locorum quibus diuersitas contingeret in hominibus atque in genituris: sed vnam præcipuè per quam regiones vniuersales distinguerentur, calidam, frigidam & temperatam. Secundam per quam distinguerentur prouinciæ temperatæ regionis: imò etiam intemperatarum nam hæ tribuuntur conterminis regionibus trianguli externi temperati. Veluti Lituania, & Moscouia, & Lappones, & Getæ, & Norwegia erunt sub Marte & Ioue, & Ariete, sicut Germania. Tertia differentia fuit illa quæ quinque discriminibus constabat quam reducit ad secundam. Quia tertia illa naturalis erat & eo modo reducitur ad Astronomicam. Hoc igitur in capite tria facit, primum quidem docet fixarum vires ad regiones traducere. Nam sicut cuique regioni suum dominum signum ascripsit & Planetam aut Planetas qui signo præessent, ita fixas non ex dominio signi cum non dominentur signis, ex loco adiungit: Veluti oculus Tauri tempore Ptolemæi erat in Tauro, & ita afficiebat Cyprum & maritima loca Asiæ minoris & Parthos, ita nunc afficit Hircanos & Armenos & Ægyptum quia nunc ingressus est Geminos. Et ita cor Scorpij cum olim esset in Scorpio, afficeretque Syriam & Mauros & Capadocas, ita nunc afficit Hispaniam, & Celticam Galliam, vbi est Lutetia, & Normanni, & Neustrij, & quos vocant Britannos Galliæ: fecitque rapaces & subdolos qui alioquin antiquo tempore erant boni socij, quia erat sub Sagittario, & nunc stella illa quæ maximam significat auaritiam & credulitatem atque audaciam Sagittarium ingressa est. Ita loca stellarum in signifero quæres, & vires illarum signis ascribes.

TEXTVS XX.

Præterea ea loca signiferi potissimum consideranda de magnis vrbibus quæ metropolis dicuntur, per quæ in harum extructionum principiis, vt in genitura hominis, ferri Solem ac Lunam animaduersum, vbique ex cardinibus præcipuè horoscopus fuit. Quarum autem tempora extructionum non comperiuntur, videndum quo cadat M. C. in genitura Principum ac Regum, quæ quoque tempore rerum potientur.

Hæc est secunda pars in qua docet deuenire ex prouinciis ad ciuitates metropolitanas, id est, principes aliarum ciuitatum: Veluti in Italia Roma, Venetiæ, Mediolanum, Neapolis, Florentia, Sena, Ferraria, Mantua, Genua, Luca, Taurinum, & quæcunque tales seu imperent aliis vrbibus etiam quod alieno Regi pareant, vt Mediolanum & Neapolis, seu non pareant vt Venetiæ, seu nullis imperent vrbibus libertatem tamen suam tueatur, vt Luca, Metropolis nomine intelliguntur. Nam reliquæ ciuitates quæ neque per se reguntur, neque aliis imperant, fortunam Metropolis maxima ex parte sequuntur. In omnibus igitur his quæ quoquomodo seorsum aliquid habent principatus, vt in Mediolanensi regione Papia atque Cremona, iubet Ptolemæus principalia loca debere obseruari erectionis illius ciuitatis tanquam in genituris. Tria autem maximè principalia docet Solis & Lunæ & horoscopi seu ascendentis: nam medium cœli pertinet ad Principem potius ciuitatis, & horoscopus refert ipsam ciuitatem. Si igitur talia loca afficientur, afficietur & ciuitas. Quod si ignota sit constitutio cœli quæ fuerit ædificationis ciuitatis tempore, tunc medium cœli ciuitatem gubernantis in genitura tanquam principalem locum ciuitatis, obseruabis.

Ex hoc habetur pulchra regula: quòd vbi habueris & genesim ciuitatis (ita enim nunc manifestioris doctrinæ causa figurarum cœli voco constitutionem declarantem siderum tempore primæ ædificationis) & genesim gubernantis, oportebit medium cœli genesis gubernantis considerare & locum Solis ac Lunæ atque ascendentis genesis ciuitatis conferre, tum inter se pro generali regimine, tum ad eclypsium præcedentium constitutionem. Quod si locus gubernetur ab aliquo proconsule, princeps autem procul absit: tunc permixta erit fortuna ex ipsis tribus, scilicet genesi vrbis quæ primum obtinet locum, inde medij cœli veri principis, tertio loco medij cœli gubernatoris. Sed si princeps verus in vrbe sit, vel propè, gubernatoris genesis prætermittenda est.

TEXTVS XXI.

His præcognitis, consequens fuerit

per

percurrere rationem prædictionum, primumque illas quæ totas regiones vrbesúe complectuntur, cuius contemplationis modus erit talis. Non est prior neque potentior causa huiusmodi casuum, quàm quæ ducitur à defectiuis Solis Lunæ copulationibus, & transitibus stellarum illarum tempore.

Hæc est tertia pars in qua docet generalem modum & proprium procedemdi: de proprio agit ibi: sed prædictionum. In hac igitur proponit duos modos generales, quorum primus pertinet ad locos, & est vt consideremus secundum tres illas diuisiones, scilicet an hoc erit in regione calidissima vel frigidissima, vel temperata: deinde per trigonos & signa in qua prouincia illius partis. (Sed maximè temperatam habet in consideratione) Tertio in qua metropoli illius prouinciæ. Propter quod sciendum est quod vbi concordaret ciuitas cum constellatione & non concordaretur prouincia effectus continget. Sed nunquam poterit prouincia concordare quin etiam quadrans ipsum concordet. In hominibus autem etiam quod concordaret genesis propria & non concordaret ciuitas in qua est homo, nihil erit. Et propter hoc credo quod eclypsis illa in Tauro, in parte horoscopi mei anno 1539. nihil egerit, quia non concordabat cum ciuitate Mediolani, vbi ego eram & habitabam vel propè. Nam nulla fuit pestis aut magna calamitas ab eo tempore vsque nunc in tota regione Mediolanensi in qua perpetuò habitaui. Et ex hoc patent duo corrolaria primum quod non afficiuntur homines à generalibus constitutionibus, nisi afficiatur ciuitas. Ciuitas tamen afficitur etiam quod constitutio non adiungatur prouinciæ signo, & non potest adiungi prouinciæ signo, nisi prius consentiat cum illo ex octo trigonis in quo est prouincia, & non potest affici trigonus, nisi tota afficiatur pars, scilicet quæ vniuersalis, & in qua trigonus continetur. Causa autem cur absque testimonio trigoni loci deliquij affligitur ciuitas, non autem prouincia, est quia ciuitas habet principium per se, prouincia autem non nisi vt est pars quadrantis. Sed de ciuitate & homine est alia ratio, quia ciuitas potest pati pestem & excidium per se, quia cum sit res vniuersalis respicit constellationem vniuersalem, per se absque prouincia, homo autem non potest pati pestem aut excidium absque excidio, aut peste ciuitatis: Quia cum sit singula ris non est subiectum proportione respondens causæ vniuersali. Similiter est animaduertendum signum ascendens pro ciuitate, nam si congruat prouinciæ aut loco Lunæ, aut Solis, aut horoscopi ædificationis, augebit effectum, Quia cum locus deliquij non sit nisi vnus, non potest concordare nisi cum loco principali ciuitatis, nec posset concordare vel cum prouincia, nisi vbi ciuitas haberet ascendens ipsius prouinciæ, sed hoc non semper ita euenit, imò omnes ciuitates vnius prouinciæ affliguntur diuersis temporibus: igitur concordia est sumenda etiam ab ascendente. Sod Ptolemæus commemorauit solum principalem locum qui est deliquij. Manifestum est igitur ex ista demonstratione quod non est necessaria concordia prouinciæ, vt ciuitas deliquio subiiciatur. Secundùm, quod quilibet potest euadere à talibus infortuniis generalibus mutando regionem, nisi sit omnino connexus per ascendens aut significatores primos.

Secundum autem vniuersale est quod ducitur ex causis ipsius effectus: & illæ erunt eclypses primo Solis vel Lunæ: deinde stellæ quæ loca eclypsium respiciunt, aut quæ simul ascendunt, aut in cœli sunt medio. Nihil autem refert seu transitibus scribas, seu circuitibus, quod Græca dictio sonat.

TEXTVS XXII.

Sed prædictionum huius partis, vna est localis, quæ continet præscientiam regionum ac vrbium, quibus intenditur significatio particulariter defectuum luminarium, aut concurrentes stellarum menstruationes, quæ sunt Saturnus, Iupiter, Mars cum stationarij fiunt.

In parte hac declarat primum proprium quod ad locos pertinet, quod sumitur ex defectibus luminarium aut stationibus trium superiorum, quoniam vt dictum est, vix inferiores dicuntur habere stationes, cùm fuerint superiores hi domini loci eclypsis, vel in ipso loco eclypsis, vel in aspectu ipsius eclypsis, vel exoriantur hora eclypsis & maximè si cum horum vno fuerint in stationibus, aut oriantur chronicè, id est, vesperi, in opposito Solis: aut occultentur ita vt sint quatuor status horum principales, & tres qui accedunt.

Notandum quod eclypsis quanto maior fuerit, tantò ipsa est generalior: & generaliter, licet non semper, certum Lunæ proximius est ipsaque Luna eclypticæ: imò fermè necessarium est cum eclypsis generalis fuerit vt Luna circum ferentiæ extremitate saltem tangat eclypticam: ideoque effectus fiunt vehementiores atque generaliores, tum verò diuturniores.

Notandum etiam quod ex deterioribus concursibus quæ in cœlo fiant est coniunctio Saturni & Martis in Cancro, cum deliquio coniungitur: quoniam Saturnus cadit à domo, Mars ab exaltatione, & Saturnus corrumpit effectus Lunæ quæ ibi habet domum, & Mars corrumpit effectus Iouis qui ibi exalta tur. Et Martis calor in signo æstiuo augetur & Saturni frigus propter Lunam: & est signum propinquissimum vertici nostro & quadratum respectu Arietis que dominatur in Europa quamuis non in Italia. Est etiam signum quod præest mari & morbis serpentibus, vt elephantiasi & paruis vt carcinomati & phagedenæ.

TEXTVS XXIII.

Altera eſt temporalis, qua comprehenditur & ſignificationum tempus, & durationis magnitudo.

Hoc eſt ſecundum proprium, quod continet duo genera temporis dilationis & perſeuerantiæ. Exemplum : ſit eclypſis aliqua Solis decima Maij alicuius anni, quæ durat vna hora & tertia parte horæ, & diſtat ab occaſu quatuor horis ad vnguem : tunc dicemus quod initium iſtius effectus eclypſis erit, poſt quatuor menſes à tempore ipſius eclypſis propter quatuor horas diſtantiæ: Et quod durabit anno & tertia parte anni: & ita de tempore magnitudinis effectus. Hæc autem inferius apertè declarabuntur.

TEXTVS XXIV.

Tertia generalis, in qua ineſt cognitio, quibus quidque rerum generibus aduenturum ſit.

Vult declarare in ea parte genus materiæ, ſeu ſubiectum in quo erit futurus euentus, ſcilicet an erit in terra, vel in aqua, vel in aëre, vel in arboribus, vel ſegetibus, vel in piſcibus, vel in ſerpentibus, vel in auibus, vel quadrupedibus : & ſunt genera decem ſubiectorum hominibus additis. Sed hominum genus diuiditur per ſexus, ætates, leges, conditionem & qualitatem. Sexu an in maſculis, an in fœmininis ? Aetate an in pueris, an in iuuenibus, an in ſenibus ? Lege an in Chriſtianis, an Mahumetanis, aut reliquis ? Conditione an in infima plebe, an patritiis, an magiſtratibus, an principibus? Qualitate an in bilioſis, vel pituitoſis ? vel ſapientibus, vel rudibus ? vel ocioſis, vel exercitatis ? vel artificibus, aut agricolis?

Denique ex tot conditionibus dum vna alteram contrahit ad ipſa fermè ſingularia peruenimus, & diſtinctè poterimus diiudicare de genere patientis.

Notandum circa intellectum propoſitorum & perfectionem eorum quæ tractantur à Ptolemæo, quòd quinque ſunt neceſſaria in omni actione : agens & eſt principium vt deliquia & ſtellæ cum illis coniugatæ : patiens & eſt genus materiæ, de quo nunc dictum eſt, & locus de quo loquetur in capite ſequenti : & tempus de quo diximus quòd habet duo genera dilationis & perſeuerantiæ : & qualitas effectus de quò in ſequenti textu. Ergo Ptolemæus nihil addidit ſuperfluũ neque defecit in aliquo neceſſario.

TEXTVS XXV.

Quarta & vltima ſpecialis, qua definitur ſingilatim modus venturorũ.

Hæc autem ſunt velut caſus domorum, læſiones à ſerpentibus, faces, & cometæ in cœlo, peſtis, bellum naufragia, inundationes, ſterilitas, ſeditiones, atque talia.

CAPVT V.

TEXTVS XXVI.

De Regionibus quarum ſint ſignificationes.

PRimam igitur quam diximus localem ita explicabimus. In copulationibus enim defectiuis Solis & Lunæ, præſertim euidentibus, conſiderabimus defectiuum ſigniferi locum, itemque conciliationes cum ſignis regionum per triangula. Item quid habeat conſenſum cum loco defectiuo ſigniferi, ſiue in vrbium primis extructionibus, ſiue ab horoſcopo, ſiue ab illis locis quæ tum lumina occuparunt, ſeu M. C. eorum qui iam rerum ſummæ præſint. Quibus conciliationibus repertis, decernemus euentus omnino ad illas quarum fuerint regiones pertinere, inque primis ſi cum ſigno defectiuo coniungantur, & ſi ipſis deliquium ſupra terram exiſtens apparuerit.

Lunæ deliquia fiunt interpoſita terra inter ipſam & Solem, quo fit vt cum ipſa ſoleat lumen à Sole recipere, non recipiat, & fiat obſcurior, non tamen planè obſcura, ſed quaſi rubra : quia præter lumen Solis & ipſa quippiam habet luminis quo luceat velut obſcura pruna. Cùm igitur Luna delinquit, cùm vere lumine Solis priuetur, modo ipſa ſit ſuper terram, deliquium eius videri poteſt. At de Sole non eadem eſt ratio, quippe Sol delinquit Luna interpoſita inter ipſum & terram, quo fit vt lumen Solis intercipiatur ab oculis noſtris, non tamen ab ipſo Sole aufertur cum ſit ipſius proprium. Itaque contingit Solem eſſe ſupra terram & deliquium pati apud quaſdam gentes, apud alios autem non, propter aſpectus diuerſitatem. Vt igitur locus à deliquio affici debeat in Luna, duo ſunt neceſſaria : vnum quod Luna tunc temporis in hemiſphærio ſuperiore illius loci ſit, & cum prouincia illa concordet ſigno vel trigono ſaltem : ſecundo cum ciuitate in Solis loco, vel Lunæ, vel aſcendentis, vel cum medio cœli illius qui regit ciuitatem ipſam. In Sole verò neceſſarium eſt præter id quod ſit ſuper terram & conueniat locus eius prouinciæ vel ciuitati, vt illi parti prouinciæ atque ciuitati eclypſis ipſa appareat. Fieri enim poteſt vt diximus quod quamuis Sol ipſe deliquium patiatur & ſit ſupra hemiſphærium alicuius gentis, attamen propter aſpectus diuerſitatem gens illa deliquium nullum Solis patiatur, ſed Solem totum, clarè, lucidum atque liberum intueatur. Quo fit vt duæ maximæ dubitationes emergant neceſſariæ admodum, quarum altera eſt.

Quòd ſi eclypſis neceſſaria eſt vt videatur illi

illi genti, igitur vis eius non consistit in hoc quod ambo luminaria sub eadem linea ferantur quæ eclyptica nominatur: Quandoquidem & in eclypsibus tam Lunæ, quàm Solis quæ sub terra fiunt, Luna sub eclyptica semper sit, aut valde propè: Et in eclypsibus Solis quæ supra terram fiunt ab aliqua tamen gente non videntur propter aspectus diuersitatem, Luna etiam sub eclyptica eodem modo sit, aut valde prope: nec tamen vllam eius rationem habendam censet Ptolemæus, nec illarum quæ sub terra fiunt. Quinimò magnitudinem eclypsium Ptolemæus pro magnitudine prouinciarum & vehementia effectuum metitur: & tamen contingere sæpe solet in Solaribus eclypsibus ob aspectus diuersitatem vt maior fiat obscuritas ipsius Solis dum Luna aliquantulum ab eclyptica recedit: longè verò minor dum sub ipsa linea exquisitissimè fuerit. Ergo vis deliquij in luminis defectu consistit, & non principaliter in appropinquatione Lunæ ad eclypticam: Non tamen negauerim etiam illam propinquitatem aliquid facere ad effectus magnitudinem. Sed illud quod Haly impulit ad credendum quod principalior causa effectuum deliquij propinquitas esset Lunæ ad eclypticam, fuit quod defectus est priuatio, & priuatio inter causas agentes referri non potest. Præcipuè verò quod Ptolemæus deliquia non solum inter causas malorum, sed etiam bonorum refert. Ergo dicendum est quod per deliquia luminarium lumen ipsum quod ad nos transit (nam neque vnquam Luna, vt dixi, ex toto priuatur lumine & multo minus Sol, sed in maximis deliquiis quod corpus Lunæ perspicuum sit adeò vt Venus per ipsam intueri possit, vt in physicis declarauimus, lumen croceum ad nos deueniat) affectum externa qualitate immutat & concutit partes orbis loco in quo est, addictas. Fieri igitur non posset vt si deliquia lumen auferrent vt inter causas agentes & præsertim bonas numerari possent. Sed non auferrent lumen ipsum, verum immutatur, ideoque hæc mutatio tum bona esse potest quàm mala, sæpius tamen mala.

Secunda dubitatio est quid per consensum intelligat cum loco defectiuo signiferi? Respondeo quod in prouincia vult quod sufficiat, quod sit ex trigono illo: Sed in ciuitate oportet quod conueniat ex signo eodem: quia conuenientia hæc sumitur à loco Solis vel Lunæ vel horoscopi. Cùm igitur sumatur ex tot locis si non referentur ad signum solum deliquij, sed ad triangulum, fieri non posset fermè, vt vlla ciuitas illius prouinciæ ab eo effectu esset immunis, quod tamen rarissimè contingit. In prouinciis autem ob id consensus trianguli solus sufficere potest, quia ipsæ regiones non certam habent rationem, qua verè signo subiiciantur: Sed solùm illam communem quæ dicta est: At ciuitates genesim vt dictum est habent. Propterea in ciuitatibus vel illarum principibus signi consensus requiritur, trianguli non sufficit, in prouinciis autem sufficit.

Si autem deficiat origo vrbis, accipiemus loco eius decimam principis. Vrbs enim est regnum Principis aut pars eius: decima autem regnum Principis significat sed tunc hoc infortunium contingat causa principis, & significat in Metropoli regni magis ob id aut in parte.

Notandum etiam quod si consensus fuerit ex gradu, deliquij effectu erit validior & certior: sin ex paucis gradibus, eo minor quo magis distiterit locus deliquij à loco principali ciuitatis. Similiter & magnitudo deliquij in plures partes signi consensum extendit: ita tamen vt nunquam totum signum prætergrediatur. Habenda est etiam ratio cuius luminaris deliquium sit: nam deliquium Solis in plures partes extenditur signi quàm Lunæ: Et vt extenderet, maiores etiam effectus facit: Lunæ verò etiam si extendatur in extremis effectus, multum virium amittit. Facit & vt dixi aliquid propinquitas Lunæ ad eclypticam. His quatuor modis effectus deliquiorum magis aut minus extenduntur in eiusdem trigoni partibus: Et ad plures aut pauciores ciuitates, maioresque aut minores effectus producunt.

CAPVT VI.

TEXTVS XXVII.

De Tempore euentuum.

SEd temporalis tractatus qui complectitur significationum tempus & durationem, talis est. Cùm enim quæ deliquia eodem tempore accidunt, non soleant apud omnes vbique habitantes eisdem horis inæqualibus consummari, nolo autem & Solis & Lunæ deliquia intelligi, neque etiam obscurationem, nec durationem pariter intendi, primum in vnaquaque regione cuius situs ratione comprehensus est ad horam deliquij, poli altitudinem, & cardines tanquam in hominis genitura experimentur, deinde exquiretur quot horarum æquinoctialium in vnaquaque comprehensa ratione regione duratio sit obscurationis. His enim constitutis, quotquot horas æquinoctiales inuenerimus, tot in solari quidem deliquio annos, Lunari verò menses duraturos effectus pronunciabimus.

Duo sunt genera horarum: vnum quidem quod vocatur æquinoctialium seu æqualium, & est temporis spacium quod est vigesima quarta pars eius quo Sol ab ortu ad ortum redit, seu à meridie ad meridiem: alterum vocatur inæqualium & sunt duodecima pars temporis

temporis ab ortu Solis ad occasum, seu diei artificialis: quàm palam est & pro varietate temporis & regionis variam esse. Siquidem in æstate longiorem quam in hyeme, & apud Scotos, quàm apud Italos. Quibus cognitis, manifestum est deliquia tam Solis quàm Lunæ neque eisdem horis inæqualibus terminari, id est, durare apud omnes gentes: atque id est primum. Neque eisdem horis inæqualibus incipere apud omnes aut desinere: hoc enim diuersitas facit meridiani, quandoquidem prius apud occidentales incipit ac desinit illud, diuersitas altitudinis poli: atque id secundùm est. Neque æqualium horarum comparatione æqualiter incipiunt: prius enim apud occidentales, vt dictum est, atque id est tertium. Neque in solari eclypsi æquale tempus est apud omnes, atque id quartum est. Solum quintum superest, quod est commune omnibus gentibus, scilicet tempus horarum æqualium eclypsis Lunæ idem esse. Placuit autem Ptolemæo exemplum solum primi dare: quanquam litera hæc diuersis modis legi soleat: dummodo tamen quinto non legatur, verissima est. Quod verò de obscuratione ac perseuerantia dixit, iam ad tertium sensum & quartum referri debent ac si diceret eclypses Solis ac Lunæ apud omnes gentes in eisdem horis inæqualibus non perficiuntur, neque obscuratio aut duratio eodem tempore, vel horis æqualibus incipiunt aut perficiuntur: hoc autem postremum ad tertium modum pertinet. Quòd si ad Solem solum referas vt Haly facit, posset ad quartum referri modum. His intellectis, figura fiat dicit Ptolemæus quemadmodum in genesi erectis quatuor cardinibus: inde consideretur quantum temporis intercedit inter initium, finemque deliquij, quotque erunt æquinoctiales horæ in Sole deliquium patiente, tot erunt anni effectus, & pro partibus horarum partes eædem anni: Luna verò pro singulis horis atque partibus menses totidem exposcit. Ex quo patet quòd cum effectus magni procedant ab eclypsi Solis, & eclypsis Solis non possit durare plus duabus horis & media æqualibus, quod nulla magna calamitas potest durare, plus duobus annis cum dimidio. Verùm nec leuiores possunt plus durare quia fiunt à Luna deliquium patiente, Luna autem licet in deliquiis tres horas cum dimidio possit excedere quia tamen menses significat non potest producere calamitatem.

TEXTVS XXVIII.

Cæterùm exordia ipsa & vehementiores progressiones cognoscentur ex loci defectiui habitu erga cardines. Nam cùm locus ille inciderit in orientalem finitorem, significat euentuum exordia circa primos quatuor sequentes statim deliquij tempus pus menses futura esse, vehementiores autem progressus in primo triente totius durationis affectionalis. Sed si inciderit idem locus in Med. C. exordia erunt proximè sequentium mensium & trientis medij totius durationis. In occidentali autem cardine significantur exordia vltimorum quatuor mensium & vltimi trientis totius durationis futura esse.

Hoc est secundum, & sumitur ab horis inæqualibus, docetque duo simul inuenire, tempus initij euentus & magnitudinis. Et est vt videas quo in parte contingit locus eclypsis, id est, initium eius: quod quidem initium potest esse sub terra. Sed tamen melius est vt existimemus propterea verba capitis præcedentis (supra terram existens apparuerit) quod fit ab initio orientis vsque ad occasum, diuidendo per duodecim horas quas vocant temporales seu inæquales, & secundùm totidem horas menses numerentur. Vtpote si distiterit ab ascendente quatuor horis, initium erit quarto mense. Vel melius, vt medium ipsius deliquij pro tempore eclypsis statuas, & videas figura constructa cui cardini propius sit: Et si fuerit propius ascendenti, continget euentus ille in primis quatuor mensibus: & si occidenti, in quatuor vltimis mensibus. Deinde dicit quod eadem ratione si deliquij locus medio eius tempore quo scilicet maximum est fuerit, propinquius ascendenti, effectus maximus apparebit in prima tertia parte temporis ipsius effectus: & si medio cœlo vltro citroue, in secunda tertia parte temporis effectus: & ita si propinquius occidenti, in tertia & vltima parte. Exemplum sit eclypsis Solaris, cuius tempus deliquij sit vnius horæ cum dimidio: & palàm est quod significat effectum qui durabit anno cum dimidio: cadat igitur locus deliquij tempore maximæ obscuritatis iuxta ascendens alicuius regionis, tunc initium talis effectus puta pestis significatæ per tale deliquium, continget in primis quatuor mensibus, & per primos sex menses sequentes erit validissima, deinde mitigabitur paulatim donec compleantur decem octo menses ab initio in quo pestis incepit: Seu ante viginti duos menses post tempus eclypsis. Rursus sit locus deliquij iuxta cor cœli magis quàm orientem vel occidentem: tunc incipiet effectus seu pestis inter quartum & octauum mensem ab hora deliquij, & per sex menses sequentes, scilicet vsque ad quartum decimum fermè ab hora augebitur mediocriter, deinde sex aliis mensibus sequentibus fiet maxima pestis: post reliquis sex mensibus ita declinabit, vt post vigesimumsextum mensem tota finiatur. Rursus sit vt illa eclypsis cadat in occidentem, tunc effectus incipiet ab octauo mense vsque ad duodecimum, & per duodecim menses sequentes erit valde magna, sed in vltimis sex mensibus sequentibus qui fermè terminabuntur ad trigesimum mensem, erit maxima pestis. Ex his sequitur quod nullius eclypsis effectus potest extendi vltra tres annos cum dimidio ab hora ipsius eclypsis. Et hoc erit quando

fuerit

fuerit maxima eclypsis Solis, quæ non attingit duas horas cum dimidio, & fuerit in occidente: tunc enim incipiet in fine anni ab hora eclypsis, & durabit duobus annis cum dimidio fermè, & ita extendetur effectus vsque ad tres annos cum dimidio. Eclypsis verò Lunæ eadem ratione quando fuerit maxima & in occidente, non poterit effectus eius extendi vltra sexdecim menses, scilicet duodecim dilationis & quatuor operationis. Opinio igitur Ptolemæi est quod omnium eclypsium effectus incipiant intra primum annum ab hora eius. Haly verò deceptus est existimans quod posset proferri in deliquiis Solis, vsque ad duodecimum annum propter authoritatem in Centiloquio quam credidit esse Ptolemæi, quoniam falsò illi ascribitur. Similiter & deceptus est quod protulerit effectus eclypsium in multos annos, cùm id facere non possint, neque secundùm Ptolemæi opinionem vltra duos cum dimidio, vt dictum est, extendantur. Quod verò medium eclypsis & non initium assumamus, rationem habemus ex præcedenti capite, cum dixit (In copulationibus enim defectiuis Solis & Lunæ præsertim euidentibus considerabimus defectuum signiferi locum (nam coniunctionem luminarium seu copulam præsupponit: hæc autem non fit nisi in medio eclypsis. Secundo, quia euidentia quærit, euidentissimum autem medium, non initium ipsius deliquij. Præterea non loca, sed locum considerare docet: Sed si initium considerare oportet & finem, par enim est ratio vtriusque.

TEXTVS XXIX.

Verùm particularium, remissionū intensionumque iudicia fient de intercedentibus toto tempore luminaribus copulationibus, cùm in locos authores effectionis, aut illis configuratos inciderint, deque aliis vna exorientibus stellis effectionis designatricibus, cùm aut in emersionibus, aut occultationibus, aut stationariæ, aut noctu emicantes, configuratæ cum authoribus effectionum locis fuerint. Emergentes autem vel stationariæ intendunt euentus, dum verò occultatum se eunt aut splendore Solis obruuntur, noctuue emicantes, & de euentibus remitti aliquid solet.

Docet hac in parte singularia tempora in quibus effectus eclypsis iam inchoati augentur, aut minuentur duobus modis, aut per interlunia seu plenilunia, vel quadratas radiationes luminarium, cùm in locos authores effectionis, id est, in locos eclypsis aut illi configuratos, id est, ex trigono respicientes inciderint. Atque hæc pulcherrima est regula, quoniam multi decipiuntur existimantes luminarium coniunctiones & aspectus semper debere alipuid adiungere effectui iam per deliquium designato: cùm tamen plærunque potius minuant. Namque si concordauerint, augebunt: si non concordauerint, non solum non augebunt, sed dum quippiam semper faciunt, aliud faciendo minuunt.

(Deque aliis) Intelligit stellas quæ cum loco deliquij concordarunt: Concordia est, vt inferius docebit, cùm dominatur Planeta è domo vel altitudine, vel trigono, vel fine, vel respicit locum. Si igitur quæ disponunt stellæ nouiter emergant, aut occultentur, aut stationem ingrediantur, vel noctu emicent, vel minuunt affectus. Augent quidem emergentes è Solis radiis haud dubiè, quia lumine & motu aucti sunt. Augent & in stationibus, quoniam licet debiliores sint, quia tamen firmi in vno loco, plus operantur: Debilis enim assiduè assidens plus operatur, quàm validus vagans. Propterea ad fortunam bonam malamve etiam in genesi stantes Planetæ plurimum valent, quoniam inuariabilem decernunt. In animi autem viribus & corporis non idem possunt quia sunt imbecilles. Dum verò occultantur dispositores Planetæ, imbecilliorem reddunt effectum. Et similiter noctu emicantes, id est, cum Sol occidit. Planeta qui in oriente lucet is est occidentalis, & in die exortus, imò etiam retrogradus, is factus est imbecillis (Intelligit autem de superioribus tantum tanquam manifestioribus, nam status inferiorum obscuri sunt valdè & implexi) ideò effectus minuunt.

Illud animaduertendum est quod de effectibus longioribus non tractat Ptolemæus, quæ spectant ad coniunctiones trium superiorum, maximè Saturni & Iouis, quia effectus tardiores sunt, & non adeò euidentes: qui potius ad prophetas pertinent, quàm ad Astrologos. Hi tamen effectus, vt dictum est, ab ipsis eclypsibus augentur ac minuuntur, vel etiam ad actum deducuntur.

CAPVT VII.

TEXTVS XXX.

De Genere euentuum.

TErtio loco propositum fuit cognoscere in quæ genera rerum euentus exituri. Hoc ipsum deprehenderetur & de natura signorum & de forma in quas loci deliquiorum inciderint, horumque locorum dominatrices stellæ, cùm vagantium, tum fixarum, hæc & de ipsius deliquij & de cardinali signo deliquij sunt intelligenda.

Genera accidentium descripsimus superius esse res subiectas quæ bifariam sumuntur, aut ex loco deliquij, aut Cardinali signo: locum deliquij nemo ignorat qui sit: Verùm signum

Cardinale appellat illud quod est in angulo sequente eclypsim, hoc enim in præsenti capite inferius declarat. Manifestum est autem quod nullus angulus potest sequi locum eclypsis, nisi cœli cor & ascendens. Si enim eclypsis fuerit inter cœli cor & occidens, cor cœli erit signum Cardinale: sin autem inter ascendens & cor cœli fuerit eclypsis, erit signum Cardinale, signum ascendentis. Horum vnumquodque quadrifariam imò quinque modis accipi debet: primum de natura signorum, vtpote si sit in signo masculino diurnoque, aut fœminino vel nocturno, æquinoctio, æstiuo, tropico, morbili, fixove, imperante, obediente ac intuente, vel trigono. Secundùm à forma non in nono orbe, sed in octauo stellarum, auis, piscis, quadrupedis, humanaque. Tertium à dominis locorum, puta domus altitudinis, trigoni & finis. Nam vt sæpe dixi hæc solum sunt genera principatus stellarum. Quartum si quæ erraticæ in ipsis locis sint. Quintum si quæ pari modo fixæ sint in eodem loco. Atque id plurimum potest in regionibus quæ plurimum distant ab æquinoctiali: Nam fixis magis reguntur quàm erraticis. Hodie quæ est vigesima sexta Iulij 1552. hora sexta à meridie in Scotia Edimburgi dum essem, nebulæ tantum in aëre apparuit, vt homo ab homine dignosci non posset, neque tamen id frequens, cùm iam mense ab hinc expleto nihil tale visum sit (nam iam illum exegimus) nec tamen Luna vllæ planetæ iungebatur, nisi quis velit dicere Venerem Mercurio iunctam aut tardius, quàm in Ephemeride, aut Solem Ioui celerius. Sed mihi profectò in causa fuisse videtur quod Luna eo in parallelo coascendit spicæ Virginis primæ magnitudinis stellæ naturæ Veneris & paruum Martis, quæ iuxta eclypticam posita est, eratque cum quadrilatero Virginis naturæ Mercurij Venerisque quæ & ipsæ iuxta eclypticam erant. Et rursus coascendit cum stella secundæ magnitudinis quæ est in Corona boreali quarta parte & minuto decimooctauo Scorpionis, boreali latitudine partium fermè quadraginta quinque, naturæ Veneris atque Mercurij. Itaque constat quantum fixæ stellæ possint, erraticæ quidem ab æquinoctiali ad tropicos maximè: fixóve, à polis ad quos declinant vsque ad suos circulos: in temperata regione vt magis ad hanc vel illam extremarum appropinquauerint: Et pro magnitudine & luce & situs rectitudine supra regionis verticem.

TEXTVS XXXI.

Dominatio autem stellarum errantium ita colligitur. Quæcunque enim pluribus modis vtrique loco, id est, deliquij ipsius & hoc sequentis cardinis adiungi cernetur, ea sola dominationem occupabit. In hoc autem considerantur proximæ & apparentes accessus & defluxiones, ratione comprehensæ figurationes, itemque domiciliorum, triangulorumque potestas, vna cum altitudine & terminis.

Tres ordines pulcherrimos proponit: Primus est in genere coniunctionis corporum, & est applicatio & defluxus. Secundus in genere radiorum, & sunt sex: quatuor tantum tamen commemorat, & duo prætermittit tanquam nota Tertius ordo est dominij: qui diuiditur in quatuor. Vt autem primum singula discutiamus, sciendum quod corporis vis validior est quàm radij: Et ideò primus ordo sumitur à corpore, & diuiditur in applicationem & defluxum quarum applicatio validior est defluxu. Secundus ordo est validior tertio: quia radij sunt magis res secundùm naturam, quàm potestas: Nam potestas est inuenta quadam ratione generaliore & ad aliquid dicta seu comparata. Ergo secundùm ordinem, in species sex diuidere licet: validior est oppositio, inde quadratus, inde trigonus, post sextilis, post intuentia & imperantia: quamuis de his non constet an sextili debeant præponi. Hoc tamen infra videbitur. In tertio ordine præponit domum trigono, & trigonum altitudini, altitudinem verò finibus. Itaque tria sunt genera per ordinem posita, coniunctio, aspectus, potestas: genere quidem se præcellunt, sed non semper species speciem. Ordo autem specierum talis est. Primùm est applicatio: Secundum defluxio: Tertium oppositio: Quartum quadratus in contrariis, & trigonus in similibus: Quintum est quadratus in similibus, & trigonus in contrariis: Sextum sextilis, vel intuentia, vel imperantia: Inde septimum & octauum: Nonum verò est domus: Decimum trigonus: Vndecimum altitudo: Duodecimum finis. His intellectis, dicit Ptolemæus, debes videre qui plures habet in vtroque loco, scilicet deliquij & anguli antecedentis potestates, is erit dispositor.

TEXTVS XXXII.

Sin vna eademque stella dominium vtriusque loci, id est, defectiui & cardinalis sortita non fuerit, præferetur quidem defectiui loci dominus, sed assumetur etiam ille qui præ cæteris vtrique loco pluribus modis de præscriptis adiungi videbitur.

Hanc eandem regulam non satisfacere vbi plures sint domini ex diuersis locis sumpti, sequens textus edocebit. Vbi verò ex eodem sumuntur loco maior minorem obscurat: ideoque vnum tantum sumemus dominum. Hic verò cum ex cardine & ex loco deliquij dominos sumat, si non concordes fuerint, ambos accipere oportet, scilicet potentiorem in loco deliquij, & potentiorem loco cardinis. Vt sit regula generalis pulcherrima: quotiescumque fuerit vnus locus tantum significator alicuius rei, potentiorem

tentiorem in illo loco pro dispositore accipiemus: Si verò duo aut plures loci fuerint significatores, principalis erit qui plus habet potestatis in primo loco, inde etiam illi ex ordine adiungentur qui reliquis locis primi imperabunt.

Ex hoc manifestum est deliquia quæ in cardine ipso fiunt, maximas vires habere non solum quod idem sit dominus vtriusque cardinis & loci deliquij, sed quod simul fiant. Neque fieri posse vt simul euentus accidat, & ideò pestis pleræque & sudor Anglicus ab oriente in occidentem fertur. Et pestis illa maxima quæ iam annis plusquam ducentis in toto orbe sæuit Qui verò sub eodem sunt circulo meridiei & diuersis altitudinibus non eosdem habet angulos orientis & occidentis, quare in illis tempora in his variantur effectus.

TEXTVS XXXIII.

Sed multis dominationem sibi vendicantibus propter æqualitatem respectus ad vtrunque locum, præponetur reliquis vel cardinalior, vel potentior, vel qui maioris conditionis sectæque fuerit.

Vt igitur ambigua fuerit domini ratio, præponetur ille qui in angulo fuerit: vel potentior, vtpote in domo sua, vel altitudine, peregrino; vel qui fuerit maioris sectæ & conditionis, vt directus retrogrado, orientalis occidentali. Verùm hæc regula non valde necessaria est, cùm raro contingat vt æqualis sint potentiæ plures stellæ. Illud tamen scire necessarium est, quod si plures æqualibus numero potestatibus præferantur, qui maiorem habebit potestatem eligi debet. Veluti quispiā est domiuus domus & altitudinis, alius trigoni & finis, primus secūdo præponi debet: Secundus etiam habebit aliquid potestatis, non tantum, quantum ille qui in alieno loco potestatem habente dominabitur

TEXTVS XXXIV.

Stellarum autem inerrantium assumetur ea quæ loco defectiuo, quasi assederit in præcedente, primum splendore secundùm nouem modos demonstratos in primæ compositionis nostræ libris. Deinde vel cardine orientis vel M.C. sequente locum defectiuum reperta.

In fixis autem stellis duos angulos obseruare iubet, alterum quidem quem eclypsis ipsa sequitur, alterum quem antecedit. Vt si eclypsis inter septimum locum & medium cœli, primum locum obtinebūt stellæ quæ sunt in septimo loco, inde in cœli medio: Quod si eclypsis fuerit inter cœli medium & ascendens, primum locum obtinebunt stellæ quæ in cœli medio, inde quæ in ascendente. Et ita antecedentes præponentur sequentibus, eligit tamen vtrunque locum antecedentem & sequentem. Ex his non omnes eligit stellas, sed quæ lumine præfertur: id est, maximè illustres. Præferuntur autem nouem modis, de quibus locutum fuisse affimat in primæ compositionis libris, id est, in octauo Magnæ compositionis, quàm vocant Almagesti: Vt pateat omnibus hunc eundem fuisse Ptolemæum qui & Magnam scripsit compositionem. Hi igitur modi sunt: Primus ortus matutinus, cum stella cum Sole oritur: Et hic est triplex, aut enim est parum post Solem, aut cum ipso Sole, aut parum ante Solem, & hoc solo potest videri: & si videatur est firmissimus status. Secundus qui dicitur meridiale: est cum Sole oriente stella cœli culmen attingit: Et hic triplex, vel enim postquam ortus est statim, vel in ipso ortu, vel ante ortum subito, & hoc solo stella videri potest. Similiter totidem membra fiunt si Sole oriente stella sit in imo cœli. Hic in genere est validior primo, sed distinguendo tertius est validior sexto. Tertius est cum Sole oriente stella occidit & habet tres differentias, vel post ortum, vel in ipso ortu, vel ante statim: Et hoc solo tertio stella videri potest. Debilior est in genere & singilatim secundo, primo autem validior nisi quod nonus est debilior tertio. Tres alij modi principales, scilicet quartus, quintus & sextus fiunt ad vnguem ex opposito, scilicet Sole posito in occidente, aut enim stella est in occidente, & fit quartus modus: tria habens membra vt primus, aut stella est in medio cœli, & fit quintus modus: qui & ipse habet sex membra, tria dum est in medio cœli, & tria dum est in imo, aut stella est in oriente, & fit sextus modus: habens tria membra, septimus modus est cum Sol est in medio cœli, vel in imo, & stella est secum vel in opposito, & ita habet quatuor membra: octauus modus est cum stella oritur & Sol est in medio cœli, vel in imo, & ita habet duo membra: nonus modus est cum stella occidit & Sol est in medio cœli, vel imo, & sic habet duo membra. In vniuersum igitur sunt 32. membra & nouem modi principales, & in vnoquoque modo solum est vnum membrum in quo stella videri potest, & ita nouem modis solum stella videri potest, ita vt Sol & ipsa sint in angulis.

Tunc cum stella est cum aliquo Planeta vel in angulo, considera, si in aliquem horum nouem modorum incidat an non: si non, est debilissima: si sic, considera an non videatur & sit cum Sole, & tunc est etiam valde debilis: Vel si non videtur, nec est cum Sole, tunc est debilis: Vel si videtur & est cum Sole occidentalis: & est mediocris. Vel si videtur & non est cum Sole: & est potens. Vel si videtur & est orientalis à Sole: & est validissima. Hæ igitur sunt sex regulæ inseruientes nouem modis.

Sed dubitatur quoniam in erraticis præponit sequentem angulum & omittit antecedentem, in fixis autem non solum antecedentem

dentem omittit angulum, ſed etiam ſequenti præponitur. Cauſa eſt quia erraticæ cum moueantur ab occidente in orientem magis, locum deliquij ſuperaſſe videntur, & ad illum ferri motu primi mobilis: At verò fixæ cum valdè moueantur ab occidente in orientem videntur in præcedente loco eſſe robuſtiores, quia orientales ſunt à Sole.

Conſiderandum autem in locis triangulum domus altitudo finis. Et in his forma vt mox dicet: Situs vt in angulo vel ſuccedenti decima, vel horoſcopo proprietas: vt terreſtrium vel in aqua degentium. Velut cancri, ranæ & teſtudines viuunt in aquis, nec tamen habent formam piſcium, ſed & ſtellas obſeruandas iubet non omnes, quæ in angulis ſunt, ſed ſolum illuſtres, vel ibi poſitas, vel in oriente ortas, aut in occidente occidens, vel in medio cœli meridiantes: aut quæ in eclyptica ſint, aut valde propè etiamſi paruæ ſint: ſimul enim aſcendunt & occidunt.

TEXTVS XXXV.

Atque ita animaduerſa in ſtellis authoritate effectuum contemplabimur & formas ſignorum, in quibus & deliquium ipſum & huius dominatrices ſtellæ repertæ fuerint, à quorum proprietatibus modi generalium euentum communiter ducũtur. Nam quibus ſignis forma humana tribuitur, ſiue in ſignifero, id eſt, eclyptica intelligantur, ſiue per reliquos inerrantes appareant, ſignificant euaſuros euentus in genus humanum. Aliorum terreſtrium formæ quadrupedes, aſſimilibus brutis, ſerpentes anguibus & huiuſmodi, rurſum feræ, immanſuetis & noxiis humano generi, mites, vtilibus domitis, operamque & adiumentum commoditatibus vitæ noſtræ afferentibus pro cuiuſque formæ deſcriptione, vt equi, bouis, pecudis, ventura portendunt. Præterea ſeptentrionales formæ terrenæ, terræ ſubitos motus, meridionales nimborum fluxus afferunt. Iam cum loci illi authoritatis fuerint in figuris pennigeris vt Virg. Sagittar. Gallinæ, in aues & volatica, inque primis ea, quæ victui apta ſunt, ſimiliter cum natantibus in aquatica & Piſces euentus cadunt. Quæ figuræ ſi fuerint marinæ vt Canc. Capricorn. Delphin marinis piſcibus, claſſibuſque inſuper & nauigationibus: ſint Fluuiatiles, vt Aquar. Piſc. Fluuiaticis & Fontanis ventura decernunt. Argo autem vtrunque genus complectitur.

Stellas quæ dominatur in loco deliquij & cardinis eum ſequentis ordine ſignorum conſiderat, in quibus ſignis ſint; tum etiam ipſius deliquij locum gratia exempli, aſcendat Gemini, deliquium ſit in Ariete parte vigeſima octaua: Mars & Mercurius principaliter dominabuntur: ſed Marti primus locus debetur. Sit igitur Mars in Virgine, & Mercurius in Tauro, exempli gratia, hoc in deliquio, Arietem propter deliquium, & Virginem propter Martem, & Tauri ſignum propter Mercurium conſiderabimus. Non quidem ſigna noni cœli, ſed quæ in octauo formantur ex configurationibus fixarum ſtellarum: Hoc enim nunc tractat. Tria autem in illis conſiderat, formam, mores, declinationem. Formam vt in volatilibus, piſcibus, quadrupedibus. Afficientur enim ſimilia ſimilibus: Mores vt in feris & manſuetis, & in nauibus veluti Argo in marinis & fluuialibus piſcibus, tum nauigiis detrimenta aut felicitatem ſignificat. Ex declinatione autem ſeptentrionale, terræ motus: in meridionali autem protendit imbres & tempeſtates. Hoc autem tam in figuris ſigniferi quam extra. Capricornus autem mare ſignificat Auſtrale, quia Cancer ſignificat Boreale.

Notandum tamen eſt quod indicia ſumpta à figura ſtellarum paruæ ſunt efficaciæ præter pauca, vt fluuius & ſerpens: nam varientur iuxta cuiuſque ſenſum & etiam addito quouis aſtro: in quibuſdam verò experimentum confirmat opinionem, eſt tamen parum firma iudicatio.

TEXTVS XXXVI.

Ad hæc repertæ authoritatis ſtellæ in ſignis tropicis ac æquinoctialibus communiter aëris & temporis ſui ſtatum ſignificant: propriè autem Vernum tempus & ea quæ à terra naſcuntur. Si enim reperiantur in æquinoctio Verno, iudicio ſunt pululationum arborum fructiferarum, vt vitis, ficus, fructuum maturitatis. In ſolſtitio perceptionum frugum & conditionum, peculiariter autem in Ægypto & nili exundationis. In æquinoctio autumnali ſationum & pabulariorum & huiuſmodi. In bruma olerum & auium ac piſcium illius temporis.

Nunc aggreditur ſigna nonæ ſphæræ: ſeu quæ diſtantia ab æquinoctiali vel motu Solis eſſe intelligũtur potius quam ſint (Hæc autem ſunt de quibus locutus eſt ſuperiùs à capite de anni temporibus vſque ad caput de carpentis, in præcedenti libro) illorumque ſignificata docet. Nam tropica & æquinoctialia aëris mutationem ſignificant, & propriam conditionem ſatorum & arborum eo tempore. Præcipuè autem æſtiuum ſolſtitium vim habet in Nili inundatione. Sed hæc

propria

propria Ægypto est. Ipsa autem textus structura clara est.

TEXTVS XXXVII.

Sed æquinoctialia etiam significationem dant sacrorum & diuinæ culturæ. Tropica mutationum aëris & in rebus publicis morum ac legum.

Præter generalia æquinoctiorum & tropicorum signorum significata Ptolemæus subiungit propria vniuscuiusque scilicet quoniam æquinoctia super status legum dominium sortiuntur. Haly declarat causam dicens, quod in talibus signis fit augmentum diei ac noctis: vtpote dum Sol est in Ariete dies augetur: & dum Libram peragrat nox crescit, Itaque, inquit, cum consensus hominum in legibus fiat, consensus autem hominum significetur à signis æquinoctiis: Ideò etiam & leges per illa. Sed clarius leges constant mutatione opinionum quæ significatur per signa æquinoctia: quoniam dum Sol est in æquinoctiis signis facit viginti quatuor minuta, quandoque declinationis singulo die, ergo maximam mutationem affert in rebus humanis. At nulla est maior mutatio quàm legis promulgatio, quæ plerumque fit aduersus constitutiones Principum & pœnam mortis, & consensus patritiorum & magistratuum. Ideò est tanquã fax quædam in mentibus hominum accensa quæ fertur maximo impetu quasi ardens ex cœlo demissa, quam homines hauriunt velut hianti ore, contempto metu mortis, & gratia principum, ciuilibusque legibus commodis propriis, ac filiorum, vt quidam gandeant illos contra omnem humanitatem) modo constanter pereant) à carnificibus excruciari, ob legis amorem. Est & alia ratio similitudinis, quia initium signi æquinoctij commune est ipsis ambobus hemisphæriis: Leges autem ipsæ solæ inter omnes communes sunt toti humano generi: Ideò ergo meritò leges signis æquinoctiis assimilantur atque tribuuntur. Necesse est igitur vt talia signa rebus quæ ad leges pertinent: vt sunt sacra, ceremoniæ, hæreses, emendatio, quam vocant reformationem, sacerdotia, redditus, Pontificatus, ac talia præsint. Tropica verò signa significant mutationem aëris, quoniam efficacissimæ fiunt qualitates illius cum Sol est in eis, caloris vel frigoris: omne autem vt dictum est potentia tale fit princeps illius in toto genere. Veluti quod summam efficit caliditatem caloris princeps est, & illius quantitatem moderatur. Præsunt & mutationibus legum & moribus: mutationibus quidem legum quia maximè ab æquinoctiis distant tropica, & quoniam cùm Sol est in eis cursum mutat. Nam si prius ibat ad austrum vbi ingressus fuerit Capricornum redit ad Septentrionem: contraria ratione in Cancro. Mutatio autem morum fit eadem ratione qua mutatio legum, tum etiam quia mutatis legibus, necesse est & mores mutari.

TEXTVS XXXVIII.

De solidis iudicium fiet fundationum & substructionum. De bicorporibus hominum, ipsorumque Regum.

Ponit duo genera reliqua signorum, nam in præcedenti textu de mobilibus locutus est, hic de fixis & communibus seu bicorporeis, Fixa igitur res significant quæ illis meritò debentur: Debentur autem ædificia, quoniam ita compartum est, vt quæ ædificia manere debent, sub fixis signis ædificentur: Sunt autem fixa, vt dixi ♉, ♌, ♏, ♒. Communia autem significant homines quia ex illis tria sunt forma humana, scilicet ♊, ♍, ♐: significant autem super Reges propter similitudinem, quia Reges plerunque sunt duplicis animi, & valde callidi, & Sagitarius maxime. Et ideò poëtæ rectè finxerunt magistrum Achillis fuisse centaurum Chironem, quia reges & Magistratus primò habent faciem humanam ad alliciendum homines & ita audiunt blandè, quos etiam oderunt exitialiter. Inde in recessu cum habeat Sagitarium partem posteriorem ferinã, vel quasi non cognouissent, ingratè quosdam, alios crudeliter tractant. Et eos quos tam libenter & auidè amplexabantur, dum illis indigebant, peracto negocio quasi illos non agnoscant, neque admittunt, & admissos non audiunt, auditos superbis responsis repellunt à se. Igitur Reges & homines tanquam duo extrema posuit, sub quibus magistratus etiam intellexit.

Sed & quoniam communia coniuncta sunt ex diuersis non tamen possunt separari: vt Reges ad subditos, & subditi ad reges dicuntur relatiue coniuncti, nec tamen sunt idem, imò persæpè inimici, nam per reges hic etiam tyrannos intelligit. Sunt autem ex his magistratus etiam vt medij atque alii significati per Geminos & Virginem: qui quamuis sint subdoli, sunt tamen meliores & sapientiores & humaniores, quorum quidam sunt grati: qui cum Sole, vel Ioue, vel Venere aliquid commune habent: Qui à Sole ob magnificentiam, vt dicatur de eis) non quia auari nou sint natura) talis Princeps aut Rex est magnificus: Qui verò à Ioue, sunt liberales & dant, quia existimant tales mereri, Hi autem pauci sunt: Sagitarius autem vt dixi, partem posteriorem ferinam habet. Qui verò à Venere propter innatam quandam mansuetudinem atque beneuolentiam: vel propter persuasionem aulicorum atque hi plurimi sunt: pauciores qui propter Solem: paucissimi verò ob Iouem.

TEXTVS XXXIX.

Quæ verò tempore deliquij orientali magis positu fuerint, fructibus, adolescentiæ, fundamentis euentura, sed à M. C. templis, rebus ætati virili. Occidentalia autem legum, institutorumque

tutorumque mutationes & senectæ casus: & vita functos significant.

Tres ordines nobis insinuat: Vnum quando eclypsis & significator fuerint iuxta orientalem angulum: Secundùm cum iuxta cœli medium: Et tertium cùm iuxta occidentem. In vnoquoque autem eandem seruat rationem, vt si fuerint iuxta orientalem angulum, significat initia omnium rerum, aut res quæ facilè perficiuntur. Ex ætatibus igitur exemplum dat adolescentiam, & tanto magis pueritiam & infantiam. Ex ædificiis eadem ratione initium: Initium autem sunt fundamenta. Fructus autem significat quia facilè perficiuntur. Et sic per hæc exempla significabuntur etiam germina & disciplinæ primæ, vt Grammatica, & Tyrones. In medio cœli perfecta & magnæ authoritatis: Vt est ætas virilis: ea enim perfecta est, & templa & reges qui sunt in magna veneratione. Si verò versus occidentem quæ suut in extremo vel iuxta extremum: ita tamen vt adepta sint pefectionem. Itaque qui vita functi sunt in extremo iam fuerunt: Senes propè extremum.

Atque hæc significatio generalis est: vt qui habuerint maleficas in ascendente quasi iratas, id est, absque dignitate, difficilem habebunt pueritiam & adolescentiam, & qui beneficas in solio suo in septimo loco splendidam senectutem. An verò maleficæ cadentes plus noceant, quàm sine dignitate. Si robustæ sint alioquin aliter minus, nisi certis occasionibus: tum enim insperata exitia afferunt, vt ex his statum syderum intelligere possis: cùm tranquillam vitam satis repentina calamitas vt de Priamo fertur exceperunt. Sed si ab angulis cadant non multum metuendum est.

Leges autem & instituta similiter suos fines habent, nam & ipsæ suam perfectionem habuerunt. Indicat autem septimus locus mutationes & interitus: propriè autem leges & instituta quæ sæpius & facilè mutantur, ob id occidentalis angulus in talibus plurimum potest, quod sæpius illis imperat. Fit autem in omnibus etiam cœlestibns vt sympathia quadam & assuetudine dominium sortiantur atque regant.

TEXTVS XL.

Cæterùm quatenus in depræhensum genus affectiones progressuræ sint, ostendet magnitudo obscuritatis deliquiorum & erga defectuum locum stellarum authoritatem sortitarum habitudines. Nam vespertini erga Solaria deliquia. Matutini verò erga Lunaria, minora omnia reddunt. In oppositionibus autem dimidium demunt. Sed matutini erga Solaria, vespertini erga Lunaria deliquia augent.

Magnitudinem affectus & subiecti declarat: scilicet an si gratia exempli super pueros influxus extendatur, an super plerosque, an paucos, an mediocres. Id verò ex duobus coniectatur ex magnitudine deliquii: magnum enim in plerosque extenditur, minimum in paucissimos. Tum verò ex stellis dominantibus: Atque in his tres status declarat, vnum communem, scilicet quod quando erunt in opposito ipsius eclypsis afficietur dimidium illius generis: In eclypsi autem Solari si fuerint orientales, aut in Lunari occidentales ab ipsa Luna tantò plus dimidio significabunt, quantò erunt ipsi eclypsi proximiores, & tanto minus quanto remotiores: quod si in Solari fuerint occidentales, aut in Lunari orientales eo minus quo fuerint propiores ipsi eclypsi. Eademque ratio in quantitate eclypsis seruanda erit: Nam si vmbra perfecta fiat & maxima in Luna quæ fieri possit, totum genus definitum afficietur: si dimidium fiat maximæ vmbræ, tunc verò fermè tota Luna eclypsabitur, dimidium definiti generis afficietur. Propterea in eclypsibus Solis quantitatem partis obscuratæ obseruabis, in Lunæ autem ipsius vmbræ.

CAPVT VIII.

TEXTVS XLI.

De modis futurorum.

QVarto loco proposita fuit à nobis exquisitio modorum præcogniti euentus, hoc est, in bonum ne an malum illi euasuri, & quales per vtrumque in sua specie futuri essent. Hoc ipsum declarat naturalis efficientia stellarum dominantium in authoritatum locis, & cum ipsarum secum tum etiam, cùm iis locis in quibus ipsa fuerit commistio.

Erat quartum genus conditionum futurorum qualitas ipsa euentuum. Id autem superius declaratum est. Ex duobus autem venatur, stella quidem dominante in locis, & eas quæ illi commiscentur: seu quæ commiscentur & ipsæ dominentur, seu non. Nam prius dixit plures dominos aliquando necesse fore, vt accipiamus. Ponamus exemplum, fiat eclypsis Solis in initio Capricorni, sitque in medio cœli Saturnus disponet: ipse verò sit in decima parte Aquarij, Iupiter verò in nona parte Libræ, Mercurius autem Saturno applicet ex fine Capricorni, tunc hic accipiemus qualitatem significationis à Saturno primum, inde Mercurio, deinde Ioue. Rursus fiat eclypsis Solis in Leone parte quidem vigesima quarta, sit verò tunc Sol in vndecima, ascendat autem in eo finitore Libræ pars vigesima quarta. Quoniam igitur Sol excluditur ab hoc negotio Iupiter dominabitur loco deliquij finem ibi habens Cap. 4.

bens

bens & trigonum. Saturnus verò cum Mercurio & Venere loco ascendentis. Sint autem omnes hi Planetæ in Virginis principio quod signum est domus, altitudoque Mercurij, fiet Mercurius omnium dominus, inde verò Iupiter: post Saturnus, vltima erit Venus. Itaque non tam inspiciendum qui Planetæ dominentur, quàm qui non dominentur: pauci enim sunt qui non dominentur. Atque in his qui dominantur respicere oportet ordinē ipsum. Itaque iam vides discrimen loci effectus qui à signo eclypsis & visione eiusdem sumitur: Et temporis quod sumitur à loco deliquij inter orientem & occidentem. Habetur & de subiecto quod ex loco deliquij, locoque stellarum dominantium. Et qualitate euentus quæ sumitur à natura stellarum dominantium deliquio & cardini, & quæ illis commiscentur: vel radiis, quia dominæ sint locorum in quibus ipse stellæ sint constitutæ.

TEXTVS XLII.

Nam Sol & Luna vt Principes omnium imperium & edictionom penes se habent, authores effectionum & dominationis ius stellis committentes, ipsorumque stellarum aut vires augent, aut imminuunt. At quibus stellis potestas contingit commistionis earum consideratio demonstrat euentuum modos.

Dat differentiam inter Solem & Lunam & reliquos quinque Planetas, dicens luminaria significant affectionem & magnitudinem ipsius affectionis. Vtpote Sol si deliquium patiatur, causa est vt fiat effectus in istis inferioribus & secundum quantitatem deliquij magnitudinis & paruitatis. Et possunt comparari accensioni ignis in fornace: Nam cum accensus fuerit ignis in fornace, non significat nisi quod possunt fieri multa medio illius, & quod si est magnus possunt fieri magna, si paruus parua: non tamen an debeant coqui lateres, an liquescere vitrum, an purgari argentum, an separari ferrum ab ære, an commisceri plumbum nigrum albo? & sic de multis aliis, Hoc igitur simile pertinet ad quinque Planetas, scilicet definire qualitatum euentus.

Sed iam dubitatur quomodo poterimus hos euentus, si in omnibus eclypsibus fermè quinque Planetæ dominantur? Respondeo oportere diligenter inquirere, quinam primus sit dominus, qui secundus, qui tertius, qui quartus, & qui quintus? Nec solùm inspicere qui plus dominetur, sed plus possit. Cùm enim idem fuerit dominus loci deliquij & loci sequentis anguli, ille prorsus erit dominus & principalis. Quod si non fuerit vnus idem Planeta, si quis locum deliquij aspexerit, aut ad illum applicuerit vel fuerit in sequenti angulo ille erit primus etiam & principalis dominus. Quod si neutrum horum fuerit? inspiciemus an alter alterius loco dominetur: & qui Planeta ab aliis Planetis acceperit testimonia, & illum statuemus primum dominum in hac causa. Et similiter si stellæ fixæ commistus fuerit quæ lucida extiterit & nobilis idem continget. Vltimum est cum nihil horum contingat, tunc primus dominus erit is Planeta qui loco deliquij præest; secundus qui loco cardinis sequentis præfuerit: tertius qui locis in quibus primi duo fuerint.

TEXTVS XLIII.

Incipiemus autem nunc deinceps singulatim Errantium stellarum proprietates explicare, vbi hoc prius monuerimus lectores huius breuis institutionis nostræ, quod in generali hac mentione quinque errantium stellarum commistionis & efficientiæ similis natura intelligenda sit, siue illa ipsa huius constitutionis suæ locum teneat, siue alia inerrantium, aut signiferi etiam aliquis locus, perinde ac si naturæ hæc & proprietatis ipsarum, non stellarum essent appellationes.

Duorum necessariorum lectorem monet, primum quidem est quod cum dicit Saturnus gratia exempli facit hoc, & illud, non intelligit solùm ista de Saturni stella, sed de quacunque stella etiam fixa quæ sit de natura Saturni. Veluti quæ in Cæto sunt & quædam quæ in Orione. Et similiter debet intelligi de locis signiferi: Velut est finis Scorpionis ratione naturæ signi quæ est frigida & sicca, & termini qui est de natura Saturni. Adeò vt hoc nomen Planetæ quod ponet inferius sit nomen commune tam errantibus quàm inerrantibus ac locis. Quia effectus illi tribuuntur naturæ Planetæ, non syderi. Exemplum, rursus quando dicit (Saturnus vbi solus dominationem fuerit sortitus, corrumpit generaliter frigore) est ac si diceret (vbi quæ dominatur stella aut locus in deliquio naturam sortiatur Saturni solum & non alterius Planetæ tunc generaliter corrumpet omnia frigore & reliqua quæ sequuntur) secundum quod docet est.

TEXTVS XLIV.

Itemque quod in mistionibus non solum ipsarum inter se errantium coitus, sed etiam inter has & alias similis naturæ siue inerrantes, siue loca signiferi, necnon quid cum hic errantibus familiaritatis intercedat, inspicere oporteat.

Non oportet solum errantes ipsas ipsarumque mistiones considerare, sed etiam mistionem cum fixis stellis & cum locis familiaritatem. Et quanquam familiaritatem in-

telligamus radios atque dominium, hic tamen coniunctionem potius intelligit atque æqualem ascensum. Hic autem est quadruplex vt superius demonstratum est: Vnus est quando sunt & Planeta & fixa stella in eodem circulo paruo, & ex eadem parte, & vocantur intuentia se vt Gemini & Cancer, sic tamen vt partes partibus respondeant vt superius dictum est. Secundus, vt sint in similibus circulis & æqualibus, sed in diuersis partibus declinationum vt vna stella sit Borealis, altera Australis & vocantur imperantia & obedientia, veluti in octaua genitura Venus & Mercurius, sunt cum stellis extra formam Leonis de natura Saturni & Veneris. Et Iupiter afficitur à stella quæ vocatur sequens in dextra vertebra Aquarij, sed parum, quia est parua, & in alia latitudine. Tertius modus est vt sint in eodem circulo magno meridiei: & hic est duplex vel in eadem parte, & sic est validior, vtpote quod sint in medio cœli simul vel in diuersis partibus, vt cum vna fuerit in medio cœli, altera sit in imo. Quarta erit vt sint in eodem finitore & hoc potest trifariam contingere, vel quod simul oriantur, vel simul occidant, vel vna oriente, altera occidat. His omnibus modis Planetæ à fixis vel à locis afficiuntur: Item aplicatione, ac separationes ac loco. Fixæ verò etiam radiis à Planeti, afficiuntur.

TEXTVS XLV.

Saturnus vbi solus dominationem fuerit sortitus, corrumpit generaliter frigore. Peculiares autem sunt huius cum in homines illa corruptio cadit, morbi diuturni, tabes, marcores, humores, molestiæ & fluxiones, febres quartanæ. Tum exilia, inopia, angustiæ, luctus, terrores, mortes potissimum ætate prouectorum. Bruta ferè apta hominum vsui comminuit, rebus ipsis morbifera mala infert, vt illis vescentes similia in mala deuenientes intereant. In aëre excitat frigus horrendum, glaciosum, nebulosum, pestilens. Tempestates aduersas, densas nubes, caligines. Item niuis magnam vim non opportunè, sed contrariè, vnde serpentum noxia hominibus multitudo concreta existere consueuit. In fluuiis ac mari communiter, hyemes, naufragia, difciles cursus, piscium penuriam & interitus, peculiariter autem vorticosos in mari fluctus, & fluuiorum exvndationes, & aquarum deprauationes. Terra verò frugum caritatem, penuriam, vastitatem, potissimum earum quæ necessaria sunt ad victum immittit per erucas, locustas, aquarũ inundationes, nimborum impetus, grandinem, aut alia huiusmodi, quæ vsque eo procedunt, vt fame, similique pernicie homines extinguant.

Iupiter solus nactus dominium, generaliter incrementa rebus confert. Sed peculiariter cum euentus in humanum genus exeunt, largitur gloriam, amicitias, tranquillitatem, pacem, rem familiarem auget, corpus animumque componit, cõficit dona & beneficia à regnatoribus, hosque ipsos auget ac ornat, facit magnis animis, inque summa felicitatis vniuersæ est author. Animantium reliquarum vtilium ad vitam degendam copiam & abundantiam, contrarium, exitium & interitum procurat. Tempestates reddit salubres ventis & imbribus altrices terrestrium, fortunat classibus cursus, fluuiorum aquas moderatas conseruat, frugum copiam & his similia efficit.

Mars vbi solus arripuit dominationem, generaliter corrumpit feruore, se peculiariter in humanum genus sæuit bellis, seditionibus intestinis, carcere, populationibus, tumultibus plebeis, iracundiis principum, & ab his inopinatas mortes infert. Huius sunt æstuantes febres tertianæ, sanguinis eruptiones, morbi acuti, violentæ mortes, in primis ætatis validæ. Item vis, contumelia, iniuriæ, incendia, homicidia, rapinæ, latricinia. In aëre commouet calidos ventos, pestilentes, tabificos, fulminum iaculationes & flammas, squalorem. In mari subitas nauium subuersiones per ventos turbulentos, fulminaue, aut alia huiusmodi. Fluuiorum aquas exorbet, desiccat fontes, deprauat latices. Quæ necessariæ sunt ad vsum vitæ humanæ animantes éque terra nascentia pessũndat, vel perniciosо hæc æstu nondum percepta vastans, vel condita conflagrationibus.

Venus sola domina euentuum generaliter ea efficit, quæ Iupiter cum venustate quadam, peculiariter autem hominibus conciliat famam, honores, gaudia, frugiferos annos. Dat fortunata connubia, copiam liberorũ, & gratiam in coniunctionibus, incrementa bonorum, victum mundum, honestatem, reuerentiam, venerationem. Insuper & corporis decorem, & necessitudines gratas potentiorum ac principum. Aëra ventis replet tẽperatis, humidis, fœcũdissimis,

commoda tempeſtate, ſerenitate, demittitque imbrium tempeſtiuas pluuias. Nauibus felices curſus & ſucceſſus lucroſos tribuit. Fluminum alueos complet. Animantum vtilitati ſeruientium & frugum in primis copiam abundantiam commoditates confert.

Mercurius adeptus dominationem generaliter quidem in illius ſtellæ naturam ſe inſinuat, cum qua fuerit configuratus, eſt autem omninm maximè impetuoſus. Et in iis quæ humana ſunt, acer, efficax, accommodabilis, offerentibus ſe rebus. Vſurpator latrociniorum, furtorum, pyraticæ inuaſionis, contrariorum ventorum ſuſcitator, in configurationibus cum maleficis. Author morborum ſiccitatis, febrium cottidianarum, tuſſis, anhelationis, tabis. Habet & ſacerdotalem rationem & cultus diuinos, & regios reditus. Habet & mutationes ſuis temporibus legum ac morum, quaſi omnia congruunt cum illius ac reliquarum ſtellarum ſingularum comiſtione. In primis ventos turbulentos, vehementes, inſtabiles, ſiccitatem aëris & mobilitates commouet, cum de vicinitate Solis, tum celeritate curſus ſui. Itaque & tonitrua flammantiaque fulmina immittit, diſſipatque ac concutit terram, fulgura ciet. Vnde & interdum pernicioſus eſt aptis vſibus vitæ, animantibus & frugibus: flumina occidens ſiccat, explet oriens.

Quæ hic traduntur adeò clara ſunt vt ſufficiat admonere lectorem ordinis ipſius qui bifariam conſtat: Primum quod beneficæ duæ Iuppiter & Venus ſemper benefaciunt: Maleficæ autem ſemper malefaciunt: Sed diuerſis modis Saturnus quidem immodicè refrigerando, ideò cantharidarum non meminit quod ad Martem potius ob caliditatem pertineant. Mars autem exiccando cum calore, feruorem hunc appellant, Mercurius autem iuxta naturam ſtellarum quibus commiſcetur. Secundus ordo eſt penes ſubiecta: diximus autem ſuperiùs ea eſſe tria elementa & tria genera animalium in illis contenta: & præter id ſerpentes, deinde arbores & ſegetes, hominumque genus, quod diuidebatur multis modis. In ſingula igitur genera horum declarat Ptolemæus quid agat vnuſquiſque Planeta: diſtinctéque ita vt alia expoſitione non indigeat. Præponit autem ſemper generalem cauſam effectumque propriis. Venus autem calefacit & humectat: Iupiter eſt temperatior: Veneris igitur opera validiora ſunt propter multitudinem luminis, ſubſtantiæque innati caloris, ideoque & fœcundior, & ad vitæ longitudinem magis opportuna: Saturnus vt dixi frigiditate nocet, inde ſiccitate: Mars ſiccitate, inde caliditate.

Notanda eſt etiam regula quod beneficæ non ſolum hominibus benefaciunt, ſed etiam omnibus animalibus quorum conſuetudine homines gaudent, vt equis, aſinis, canibus, vel quæ eſui apta ſunt, vt auiculis & piſcibus, & ouibus, & feris eſui aptis: veluti capreolis, ceruis, cuniculis: item plantis omnibus propter lignorum vſum. Sic etiam lapidibus in Scotia quæ ardent, item gemmis. Nocebunt autem lapidibus inutilibus, herbis venenoſis & animalibus etiam homini noxiis: aut feritate vt Leones & Lupi: aut veneno vt Serpentes & Scorpiones: aut quia edant quod vtile eſt, vt corui, cornices, mures, locuſtæ: aut quia ſola fœditate ſint homini odioſa, vt crabones, muſcæ, pulices, cimices, pediculi, vermes: omnia enim talia minuunt. Quò fit vt cum maleficæ contraria ratione vtilia omnia homini minuant, noxia verò multiplicent: & in regionibus & in annis abundantia iſtarum ſordidierum, vt ſunt muſcæ, vermes, crabrones: itemque venenoſarum herbarum in regionibus quidem prauitatem hominum ſignificat, in annis autem periculum peſtilentiæ aut ſterilitatis. Quòd ſi quis dicat quonam p⁀to fieri poteſt, vt tanta bona fiant ab ipſis deliquiis qualia beneficæ pollicentur? Reſpondeo hoc eſſe interregnum. Cùm enim duo ſint Reges in cœlo, Sol & Luna, altero delinquente ſubit Planeta qui plurimum poteſt vices obſcurati luminaris. Ergo ſi beneficus fuerit benefaciet, ſi maleficus malè atque peſſimè. Ruſus dices quomodo poteſt in tam breui tempore ſtella prouinciæ vel partis mundi dominium ſuſcipere cum nulla eclypſis vt dixi quatuor horarum ſpacium poſſit attingere? Reſpondeo id fieri interrupto luminaris dominio, fauente verò altero luminari. Eſt autem temperamentum & miſtio: non quod ſolus Planeta abſque luminari deliquium patiente reget. At dices ergo dabuntur ſtellæ humano generi ſalubriores ipſis luminaribus? Reſpondeo non ſimpliciter id fieri poſſe nam luminaria plus luminis habent, ergo caloris & humidi vitalis. Inditio etiam eſt vitæ longitudo, quam decernunt nulli alteri Planetæ comparanda: ſimiliter & robur illius. Sed dicitur benefica magis fauere, quia certo generi fauet, luminaria autem omnibus. Dum ergo luminaria fauent locuſtis, gratia exempli, ſterilitatem inducunt: Dum addunt animos hoſtibus bellum pariunt: Dum humida terra calorem ſubminiſtrat reptilia multa gignunt: quæ primum homini infeſta ſunt, deinde etiam peſtem excitant. Non igitur beneficæ meliores ſunt ſimpliciter ipſis luminaribus, ſed certo generi cui fauent comparatæ. Fauent autem hominibus & circuribus animalibus ac manſuetis: Maleficæ autem horum inimicis: ſunt enim beneficis cõtrariæ. Rurſus

beneficæ ex hominibus fauent his qui mansuetiores sunt moribus, & separatas habitant regiones. Maleficæ latronibus, feris gentibus atque barbaris. Rursus beneficæ huic prouinciæ vel illi ex temperatis magis vtpote Italiæ: Maleficæ contrariæ vtpote Galliæ quæ semper infensa Italiæ fuit. Licet nunc Regum moderatione dissensio mitescuerit. Similiter & in eadem ciuitate beneficæ huic vel illi fauent, maleficæ illorum inimicos impellunt: Itaque cum luminaria omnibus quasi ex æquo faueant, non dicuntur adeò benefica huic vel illi. Gerunt ergo luminaria vicem regis atque magistratus ex æquo omnia distribuentium, quæ licet plura dent, quoniam tamen communiter dant beneficorum nomen non meruerunt. At Iupiter & Venus amicorum vices semper referunt, ideoque beneficæ appellantur. Saturnus & Mars inimicorum ideoquemaleficæ Mercurius medius est inter illos quadrifariam: vel quia modo totus bonus in vna re vel vni alias, vel aliis totus malus, vel quia modo bonus, modo malus vicissim in eadem causa atque in eodem homine, vel vrbe, vel prouincia, vel quia partim bonus, partim malus simul: vel quia omnino mediocris, neque bonus, neque malus, neque dans, neque adimens. Est autem propria natura impetuosus vt in mari & ventis: & in humanis actionibus acer efficax & qui omnibus se accommodet. Hoc autem contingit illi quia celerrimè vertitur in paruo circulo, adeoque vt omnino careat statione. Hoc adiungere volui vt intelligeres quomodo Mercurium dominari, vel in temporibus, vel in gentibus, vel in hominibus cognoscere posses. Sed dices status hi beneficorum sunt cum bene se habent: maleficorum autem cum malè: quid si beneficæ malè dispositæ fuerint? aut maleficæ bene? Respondeo minora omnia fient. Hoc autem docet dicens.

TEXTVS XLVI.

Vbi igitur peculiari in natura reperta stella fuerit, effectiones quoque illam ipsam consequuntur similes.

Peculiarem vocat naturam quæ duo habet: primum quod sola imperet: secundum quod in proprio sit statu vt masculinus Planeta atque diurnus in masculino signo, in quo etiam gaudeat & in die. Id autem continget si orientalis fuerit à Sole & supra terram dum dies est, non nox, vt imaginantur Arabes. Nam vim acquisiuit cum ante Solem noctu exortus sit. Licet autem hunc appellare primum statum. Secundùm autem cum emerserit ante Lucano prope Solem ante ipsum, sed nondum iam emersit Sol. Tertium cum supra terram est diei tempore, sed occidentalis à Sole. Quartum cum infrà terram orientalis in die. Quintum cum infrà terram orientalis in nocte. Sextum atque vltimum cum infra terram occidentalis extiterit.

TEXTVS XLVII.

Sed cùm inter se permiscentur cum configurationibus ipsis, tum permutatione signorum & à Sole apparitionibus, consentanea etiam in effectionibus temperatio, & mistæ variæque proprietates decretorum existunt. Quia verò infinitum, hoc est, neque fieri potest vt vniuscuiusque temperaturæ peculiare decretum doctrina comprehendat, omnesque simpliciter aliquis cuiuscunque modi configurationes tam multiplicis præsertim rationis, exequatur, relinquendum meritò est hæc pars Mathematici in singularum rerum iudiciis gnauitati ac industriæ.

Duo proponit quæ dixeramus: tertium quoque in sequenti adiungit textu: primum igitur est de puritate naturæ ipsius Planetæ, vtpote quod sit in signis similibus sibi itemque in bono habitu erga Solem. Ex quo patet quod Planetæ sunt similes magistratibus & Sol Regibus: cùm magistratus est in gratia Regis vtitur plenè sua potestate. Si verò in illius iram aut odium inciderit boni nihil facit, mala quoque implicat. Secundùm est, vt non aliis misceatur Planeta: Si verò aliter contigerit (Per hæc enim multa alia intelliguntur, vtpote quod ab angulo decidat quod Lunam venientem ad se non excipiat, sed sit orientalis ab illa) debilis prorsus erit & infœlix. Circa quod notandum est, quod apud Ptolemæum non sunt nisi quinque genera status Planetarum: Primus est quo ad Solem: Secundus quoad Lunam: Tertius quoad stellas, & hic est duplex, fixas, & errantes: & horum vnusquisque triplex est, coniunctio & est ratione polorum Zodiaci & ferri in vno circulo, vel respectu verticis, id est, finitore vel respectu polorum mundi, & est in parallelis æquinoctialis: vel respectu vtrorumque, id est, verticis & polorum mundi, & est ferri in meridiano. Quartus est quoad partes cœli, & hic est duplex ratione naturæ signorum, & ratione dominij. Quintus & vltimus est ratione mundi: & hic est duplex vel ratione quatuor quartarum vel ratione propinquitatis ad angulos. Potest & addi sextus: sed de hoc non inuenio quod immutet robur. Et est latitudo ascendens vel descendens meridiana vel Borealis, magna vel parua. Dicit ergo quod hanc mistionem vel remissionem qualitatum aut argumentum impossibile est penitus describere: quod etiam Galenus in libris methodi, & Auicenna quarta primi testati sunt. Illud ergo industriæ & labori cum iudicio hunc gnauitatem appellat relinquendum Ptolemæus docet. Et hoc est quod rectè dixit Hermes in centiloquio: ἀπὸ σοῦ καὶ ἀπὸ τῆς ἐπιστήμης. Id est scientia Astronomica ex astris habetur, & ex industria, iudicioque tuo.

TEXTVS

TEXTVS XLVIII.

Sed hoc diligenter obseruabimus, quis sit stellarum principum decreti respectus, & regionum ipsarum ac vrbium in quibus significationes cadent.

Declarat tertium quod supra dixi, & est quod oportet etiam obseruare robur stellarum, quæ illis dominantur: vt pote si è directo sint vel supra capita illorum ferantur, validiores enim effectus facient. Vnde regiones quæ æquinoctio proximæ sunt magis ab erraticis afficiuntur, quæ verò à Borea vel Austro positæ sunt, minus ab erraticis afficiunt: generaliter etiam minus à deliquiis eadem causa, ab inerrantibus autem magis. Aliud quod magis refert quod stella dominatrix loci deliquij si loco significato dominetur minus affert malum, seu locus ille fuerit ciuitas, seu prouincia, seu fuerit homo: & hoc est quod dixit Hermes in centiloquio (Cùm Mars coniunctus fuerit in Leone cum ascendentis domino corpore ipso natus cremabitur, nisi Mars ipse dignitatem habuerit in ascendente vel benefica fuerit in octaua) Ecce vides quod Planetæ non nocent tantum vbi dominantur: Sicut etiam videmus in malis principibus, qui non tam malè tractant suos proprios subditos, quam alienos.

TEXTVS XLIX.

Cùm enim sunt illæ beneficæ & conciliatæ locis obnoxiis, neque superantur ab aliis diuersæ sectæ, multò magis absoluunt naturæ suæ bonitatem, sicut & alienæ aut superatæ, ab aduersariis minus prosunt. Quòd si noxiæ hunc principatum cœperint, conciliatæ cum obnoxiis locis, aut superatæ à stellis aduersariæ sectæ, minus nocent. Quæ cum neque dominatrices regionum erunt, neque superabuntur ab aliis, quæ illarum commendationem accepêre, tum vehementiorem suæ constitutionis pestem infligent.

Sensus est cum domini deliquij & cardinis fuerint beneficæ, & dominentur ciuitatibus vel prouinciis, in quas significata incidunt nec impediuntur à maleficis: his tribus conditionibus iunctis plurimum illis locis benefacient: quòd si defecerit conditio aliqua, vtpote quod impediatur ab aliis Planetis, vel quod non dominetur regioni, ciuitati, vel homini, vel, (quod subintelligit) quod benefica debilis sit, omnibus his modis minus iuuabit. Malefica verò si præfuerit deliquio & cardini, præfuerit & locis per deliquium affectis vel vincatur à beneficis parum oberit: & multò minus si vtrunque adsit. Quòd si non dominentur locis affectis, seu regionibus, vel ciuitatibus, nec à beneficis impediantur, maleficæ deterius afficient ac pessimè, & quantò validiores fuerint. In genere igitur bonorum est benefacere semper: item dominari locis subiectis deliquio & id semper prodest, seu bonum augendum sit, seu malum minuendum. Sed robur stellæ non ita: namque tam bona, quàm mala auget sicut & imbecillitas minuit. Dubitatur autem quomodo stellæ quæ deliquio dominantur possint non dominari loco per deliquium significato? Exemplum si Iupiter dominetur Leoni vbi deliquium factum fuerit, & Leo dominetur Italiæ & præsertim Romæ, vel Rauennæ, vel Cremonæ quomodo fieri potest vt Iupiter his ciuitatibus, aut Italiæ non dominetur? Hoc certè difficillium videtur. Haly exponit quod concordauerit natura, Planeta cum regione. Sed istud difficillimum videtur, quamuis ex textu suo posset expositionem tueri, & antiqua versione: Sed Græcæ literæ accommodari nequit. Propterea dicerem quod Planeta hic dominari regioni intelligitur, quotiens ascendenti dominatur, aut principalis est. Esse etiam potest vt figuræ dispositor non dominetur loco illi quia ipse erit dominus sequentis cardinis loco deliquij, & locorum etiam in quibus domini deliquij inueniuntur: locum quoque ipsum deliquij aspiciet, aut in ipso peregrinus erit. Exempli gratia, deliquium fit in Leone in duodecimo loco, ascendatque Mercurius in initio Virginis: tunc Mercurius dispositor erit deliquij, & quidquid facere mali poterit, faciet, cùm nullam prorsus in loco deliquij potestatem obtineat.

TEXTVS L.

In genere autem vniuersalibus à malis potissimum corripiuntur ij quorum in genituris præcipua loca, nempe luminum aut cardinum eadem fuerint cum illis à quibus vniuersalium casuum causæ veniunt, id est, eclypticis ipsis aut his oppositis. Sed in primis periculosæ ac ineuitabiles sunt partiles occupationes, dimetientesque deliquiorum vtriusuis illæ luminum respectum habuerint.

Hæc est vltima pars huius capitis, in qua docet principale. Principale autem fuit, si bene meministi, vt ex generalibus constitutionibus fata singulorum dignoscerentur. Hoc igitur est quod docet: Docet autem hoc modo, quoniam illi maximè affligentur ab vniuersalibus calamitatibus, quorum in genituris loca præcipua luminarium & cardinum supple medij cœli & ascendentis, medium quidem cœli pro fortuna & honoribus, ascendens autem pro vita & corpore: similiter & luminarium, alterum pro vita, reliquum pro honoribus, eadem fuerint cum loco eclypsis & in eadem parte. Secundo

qui in oppoſita ad vnguem parte. Tertio intelligit quæ ſunt in quadrata, inde quæ proximiora, (Ex manifeſtiſſimis enim doctrina procedit) eodem ordine.

Dubitatur cur non dixerit de his qui bene afficiuntur. Exiſtimandum eſt enim parem eſſe rationem vt in his qui dantur, honoreſque conſequuntur, propter nouarum legum aut inſtitutorum promulgationes: itemque cum ciuitas aliqua imperium adipiſcitur: cùm princeps aliquis nouus non hæreditario iure prouinciæ præficitur: Igitur dicendum eſt eandem eſſe in vtriſque rationem. Verùm conſentientia potiùs in his licet accipere, quàm oppoſita vel quadrata, ita vt cùm medium cœli, aut Sol vel Luna, aut aſcendens (Hoc autem eſt vltimum) eadem parte conſenſerint cum eclypſis loco, aut in trigono illius fuerint partili, id eſt, quod ſi deliquium fuerit, gratia exempli in decima Virginis, aſcendens vel locus luminarium, vel locus medij cœli, ſint in decima parte Tauri vel Capricorni, tunc ille ſperare poterit quod boni pollicentur decreta deliquij. Obſeruare autem oportet vt ex his qui præficitur eligatur. Veluti ſi cui Luna ſit vitæ ſignificatrix eclypſis in aſcendente parum aut nihil oberit vitæ. Omnia autem hæc vt dixi, & Haly bene animaduertit de hominibus intelligenda ſunt ciuitatis deliquio ſubiectæ.

CAPVT IX.

TEXTVS LI.

De coloribus in deliquiis & crinitis, ac huiuſmodi aliis.

OBſeruandæ etiam ſunt in vniuerſalibus conſiderationibus colores in deliquiis, non modo ipſorum luminum, verùm aliorum quoque quæ iuxta illa ſolent colligi, vt Virgularum ac Arearum, & quæ alia ſunt huiuſmodi.

Omnes ſcientiæ certiores ſunt atque pulchriores, quo ſubiectum illarum firmius eſt atque ſtabilius. Ob id certiſſima eſt atque pulcherrima Aſtrologia: certior quoque illa ac pulchrior longè Theologia: poſt Aſtrologiam verò eſt Mathematica: inde naturalis Philoſophia, demum Medicina. Atque hic ordo eſt ſcientiarum naturalium in nobilitate ac certitudine. Verùm cum ad noſtri intellectus imbecillitatem reſpicimus non illarum natura, ſed noſtro vitio fit vt res penè contrario modo ſe habeat: Nam relicta Mathematica, certiſſima omnium eſt Medicina, inde Philoſophia naturalis, poſt Aſtrologia, vltima omnium eſt Theologia. Inde factum vt noſtris etiam temporibus generoſi Medici qualis fuit Galenus Prophetarum authoritatem retineant. Dictaque horum de futuris tanquam oracula habeantur. Et ita contingit vt Medicorum pronunciata de futuris tanquam ſolida ratione & firma fundata nihil vani retineant: Vt contra Philoſophorum naturalium, atque magis Aſtrologorum & Theologorum, vana ſunt: atque talia vt ne vnus cum altero idem ſentiat, (Quod etiam magis mirum eſt, quodque vix fieri poſſe videtur) omnes tamen ab ipſo ſcopo longè lateque aberrent. Id fit partim incuria, vt dictum, ipſorum artificum: partim etiam quod ſcientia ipſa aſtrorum altior ſit longè quàm vt intellectus noſter eam poſſit intueri. Id inſpiciens Ptolemæus non quod ipſa ſcientia, quæ in ſe vt dixi certiſſima eſt, atque clariſſima talibus indigeret auxiliis incertis atque obſcuris, ſed quod intellectus noſter imbecillus ſit, voluit coniecturas etiam è naturalibus ſignis ſumptas ipſi arti adiungere. Nec ſolùm hic, ne obiter feciſſe credas, ſed & alibi etiam, vt cum de facie cœli obſeruanda loquitur. Duo igitur hic proponit: primùm vt colos in luminari patiente obſeruetur: Secundo Virgularum & Arearum ac talium quæ circa eclypſim contingere ſolent. Circa quod ſcire primum decet, quod dum eclypſis fit ex agitatione luminis magna atque illius imbecillitate quod non poteſt diſſoluere multos vapores, multaque caligo trahi ſuperius & maximè verſus eclypſim ſolet. Ex qua primum fieri ſolent virgæ quædam ſplendentes ex refractione luminis imbecillioris, nec penetrare potentis denſam caliginem nubemúe à latere ipſius deliquij, & Areæ, quas Græci Alonas vocant. Sunt autem coronæ quædam Iridis in modum circa Lunam plerunque quandoque etiam circa Solem à me viſæ variis diſtinctæ coloribus atque iucundæ viſu, de quibus in libris de Subtilitate, luculentius verò in libris de Varietate rerum dictum eſt. Hæc igitur, tum ipſa nubes afficiuntur à Planeta tempore deliquij dominante. Nam ſi Saturnus dominetur cogit nubem, atque ideò colores ſeu luminis deliquij, ſeu Arearum vel Virgarum ad nigrum, ſeu liuidum inclinat, atque ita de aliis. Scitu autem dignum eſt quod colores hi non tales inſpicere licet, cùm ſemper colos delinquentis Lunæ ſit rubeus & Solis croceus: Sed ita accipiendi ſunt vt declinant à proprio atque naturali veluti in deliquio Solis: ſi color fuerit paulò nigrior, atque obſcurior croceo ac quaſi teter, dicetur niger: aut ſi lux ipſa paululum hebeteſcat & ſplendor ille croceus deſinat, vt potius remaneat color quàm ſplendor, dicetur liuidus, qui color eſt plumbi, & euidentius ſpectatur in carne puerorum cæſa loro, vel virgis citra ſanguinem tamen, eſt enim fuſcus & aliquanto nigrior plumbi colore, aliquaque luce participat qua à fuſco & ſubfuſco etiam differt. Splendeſcit enim liuidus aliquantulum, fuſcus atque ſubfuſcus nequaquam. Ergo ſi color luminis deliquij croceo aliquantulum fiat rubicundior atque ſanguineus, Martis erit opus, diceturque rutilus. Quòd ſi color ille croceus aliquantulum remiſſus fuerit, ſplendor verò auctus qualis auri fiet, diceturque flauus. Quamobrem hos ſolos duos flauum & rutilum,

Cap. vlt. huius.

Lib. 5. 4. Lib. Cap.

lum, deliquij lumen accipere poteſt. In deliquio quidem Solis flauum verius quam rutilum ſpectare licet: Lunæ verò rutilum verius quàm flauum: Reliquos verò colores quod ad illos vergant, potius quam quòd tales ſint ita appellare libet. Nam quòd de albo dicitur in deliquio Solis fit quotiens puriſſimus aër, croceàque vis illa citri colorem dum impaleſcit imitatur. Varium verò colorem facilè eſt intelligere atque videre ſi diligenter animaduertas, ſed ſi oſcitanter, effugiet oculos tuos quoniam paruum eſt diſcrimen varietatis. Neque enim expectes vna in parte videre lumen candidum, in altera nigrum, in alia rutilum: Sed vna in parte croceum obſcuriorem, in alia dilutiorem, in alia ſplendidiorem. Quinimò etiamſi contingat, intentuſque fueris, videbis quandoque in vna eademque parte ex pluribus intermiſtum ſimul coloribus. Videntur autem hi colores non ſolum in luminari deliquium patiente, ſed & in ipſo aëre, & in parietibus. Omnia autem hæc conſideranda ſunt: Verùm ne omnino intentus inſpicere deliquium Solis ſatagas. Solem ipſum intuendo, cum aliqui hanc ob cauſam facti ſint cœci: Non ſolùm ratione generali claritatis Solis, ſed etiam peculiari quadam natura quod lumen illud per Lunæ corpus tranſiens vitiatum, oculos vitiet, offendatque caput certa ratione. Nam plurimis quibus caput eſt imbecille, in magnis eclypſibus caput dolet. Illud quoque conſiderandum quod ad rem pertinet, quod eclypſes Solis præſertim magnæ ſi in florentem ſegetem inciderint, eo anno ſtipulæ abſque granis colliguntur. Et maximè fit illud ſi Sol exoriens deliquium patiatur. Dicta eſt autem cauſa huius ſuperius, quoniam cum inter florentem ſegetem & abſolutum granum, paulò plus minuſve quadraginta diebus intercedat, ſi deliquium fiat in oriente, effectus eius ſtatim prodit, atque effectus pars maior ac robuſtior ſub ipſo initio: quo fit vt ſeges ipſa naturali ratione afficiatur ac corrumpatur. Verùm vt ad colores reuertar, eadem diligentia adhibenda eſt in mutatione Arearum atque Virgarum, quæ natura ſua variæ ſunt. Ideò omnes dicandæ Mercurio, ſicut Solis colores delinquentis Veneri & Lunæ Marti. Sed vt dixi non naturalis color ſpectandus eſt, verùm ad quem à naturali variatus aliquantiſper accedat, ſcilicet ſi ad rutilum, ſi ad nigrum vel fuſcum, ſi ad album, ſi ad flauum, ſi ad varium. Ita colores ex additione & inclinatione ad quos vergunt nominandi ſunt non ex natura propria cum Lunaris ſemper rutilus ſit, Solaris flauus, Arearum varius, Virgarum rutilus cum varietate quadam. Similiter & in nubibus eadem hora deliquij ratio ſpectanda eſt coloris (Hæ autem ſolæ veros referunt colores & verè tales ſunt) quædam enim nigræ verè ſeu fuſcæ, quædam candidæ, quædam flauæ, quædam variæ, quædam rutilæ.

TEXTVS LII.

Nam ſi nigra ſiue liuida eſſe videantur, ſignificant ea quæ de Saturn. natura expoſuimus. Candidus color Iouialis eſt. Rutilus Martius. Flauus Veneris. Varius Mercurij. Quod ſi coloris proprietas per tota luminum corpora, aut etiam loca ſe diffuderit, plurimis regionis partibus futura decernit, ſin quacunque à parte apparuerit illis partibus in quas ſe proprietas illa inclinabit.

Tria docet ex hoc, primum vt ex colore Planeta qui dominatur dignoſci poſſit. Neque ratio quærenda eſt huius præterquam in Venere. Nam Iuppiter candidus eſt & purus, ideò etiam candidum ſignificat colorem & à candore ſignificatur cum illoque conuenit. Similiter de Marte & Saturno qui fuſcus quoquomodo eſt. Mercurius varium propter naturæ ſuæ varietatem, non propter colorem proprium ſignificat. Sed Venus flauum obtinet non quia flaua ſit, ſed quoniam humidum habet à colore concoctum: ſicut in auro videre licet. Secundum eſt de quantitate, quia ſi totum occupat, toti parti per eclypſim ſignificatæ contingent: ſi parti parti: Hoc autem contingit ſecundum vim dominantis Planetæ: Nam ſi plenè dominetur tunc continget hoc toti: ſi parum, paruæ parti: ſi mediocriter, mediocri parti. Tertium eſt in qua parte erunt: Et dicit quod erunt in parte in qua continget mutatio illa coloris luminis: Vtpote ſi eclypſis ſignificet ſuper Italiam & mutatio luminis fit in parte Notapeliotis, id eſt, media inter auſtrum & orientem ſignificabit illud ſuper Apuliam & Neapolim. Quòd ſi fuerit mutatio illa in

Tabula Solaris eclypſis	
G.	*Solis longitudinis à nodo.*
1	*Nigrum preſſum*
2	*Nigrum obſcurum*
3	*Nigrum fuſcum*
4	*Fuſcum in croceo.*
5	*Fuſcum clarum*
6	*Fuſcum Rubeum*
7	*Ruffum*
8	*Ruffum,*
9	*Ruffum glaucum*
10	*Rubeum glaucum*
11	*Croceum*
12	*Croceum album.*

Borrolybico, id eſt inter ſeptentrionem & occidentem, continget illud Mediolanenſibus, qui ea in parte ſit: ſunt reſpectu Italiæ, Quòd ſi ad orientem, ſeptentrionemque ad Venetos: atque ita de aliis.

Verùm dubitabis & iure merito quomodo colores eclypſium fiant à dominantibus erraticis, cum conſtet ex tabulis Alponſi & Linerij eos potius in Sole fieri per diſtantiam à nodo, ſeu capite vel Cauda draconis: Et in Luna iuxta diſtantiam ab Apogeo ſui parui orbis tamen etiam à latitudine ab eclyptica, vt patet in duabus tabellis ſubiectis, ne quic-

quam huic operi deeſſet. Quidam ob id ſolent culpare Ptolemæum, ſeu fruſtra: Nam primum ſciendum quod colores in tabula deſcripti variantur ſecundum naturam Planetæ dominantis, veluti Sol à nodo ad primum gradum fit plenè niger. Si tamen Saturnus dominetur fiet ater vt carbo velut quandoque contigit. Si Venus erit aliquantulum flauus Sol, licet ſit obſcurus. Præterea nihil prohibet aliquid cauſam habere Mathematicam ſimul & naturalem. Ita vt intelligamus cum Sol plenè obſcuratur, dominatur Saturnus, cum ſex partibus à nodo diſteterit Saturnus, parum, Mars plurimum dominabitur. Si verò duodecim, Iuppiter cum Venere præerunt eclypſi. Eſt etiam illud dignum conſideratione maxima, quod tabulæ colores luminaris definiunt. Ptolemæus verò de coloribus aëris & qui in arboribus, & terra, & parietibus apparent loquitur, quare cum non neceſſarium ſit eos eſſe ſimiles, nihil abſurdi ſequitur. Vidimus enim Lunam planè obſcuratam, rubram tamen, & quæ videbantur nigra erant.

TEXTVS LIV.

Obſeruandæ & crinitæ ſeu in deliquiis, ſiue alio quolibet tempore fulſerint in conſiderationibus vniuerſalibus, quales ſunt quæ dicuntur trabes, turbæ, dolia ac huiuſmodi. Eſt enim harum naturæ effectio Martiæ ac Mercurialis proprietatis, bellorum, æſtus, turbulentiæ, & eorum quæ iſta ſequi conſueuere.

Crinitas ſtellas multis modis apparere & tubæ forma & trabium contingit: verùm plerunque figuræ hæ potius ignitis oſtentis, quæ in cœlo apparent conueniunt. Nam tria genera rerum quæ in ſublimi videntur Ptolemæus in hoc capite complexus eſt: primum eſt eorum quæ videntur & non ſunt, vt areæ & Virgæ. Nam nulla ſubſtantia penitus conſtant. Secundum eorum quæ ſubſtantiam habent: Velut trabes, iacula, hæc enim accenſis vaporibus verè fiunt, vt prima ex colliſione viſus: velut & Iris. Tertium genus eſt eorum, quæ media ſunt, vt Cometæ. Nam horum naturam mediam inter corpoream & imaginariam eſſe cenſendum eſt: Ptolemæus verò illam adnumerauit ignibus iuxta opinionem antiquorum: Exiſtimans in elementari regione eam fieri, cum nos declarauerimus fieri in cœlo. Sed vt res magis diſtincta agatur primum à ſtellis tranſcurrentibus atque ignitis facibus quæ in aëre apparent, initium ducamus.

Has igitur volantia ſydera, alij repentina, alij traiectationes, alij incenſas ſtellas, vel deciduas, vel tranſcurrentes, vel repentinos ignes vocauere. Commune eſt omnibus ſiccitatem afferre, & quæ ex illa ſequuntur, ſcilicet ariditatem, paucitatem aquarum, mortem piſcium, ſterilitatem, ventos, prælia. Propriè autem ventos, eaque ex parte ex qua mouentur. Quòd ſi ex pluribus erunt diuerſi venti. Quòd ſi detrimenta velis ſcire vbi futura ſint, locum ad quem tendunt conſiderabis: Ibi enim

Tabula Lunaris eclypſis.		
Latitudinis	*Diſtantia ab Apogeo*	
m.	G. r	*Nigrum preſſum*
10	180	
	210 150	*Nigræ*
20	240 0	*Nigrum viride*
30	270 90	*Nigrum ſubrubrum*
40	300 60	*Glaucum pallens* *Quod eſt Griſeum*
50		*Griſea pallida*
60	330 30	*Griſea alba*
90		*Ruffa*

erunt & prælia, & ſeditiones, & venti, & ſterilitates, & morbi acuti. Atque hæc vbi in eclypſibus contigerint procul dubio euenient. Vbi autem præter illas non ita: niſi magnæ & crebræ fuerint. Quòd verò ex iſtis ueniet (Nam non omnia expectanda ſunt) ex Cometarum ratione diſcere licebit. Hoc differunt traiectiones hæ & repentini ignes à Cometis, quod breuiores effectus ſignificant, & minores, & celerius ingruentes quam Cometæ. Semper tamen hæc quia à Marte & Mercurio fiunt malum ſignificabunt: niſi vni ſoli per quem forſan, vel ſeditio excitabitur, vel ipſe bello prouinciam deuaſtabit. Ob id igitur cum eius naturæ ſint, æſtum magnum ſignificabunt. Sunt enim naturæ Martiæ quia igneæ: & Mercurij, propter motus celeritatem & iaculationem.

Similiter & Cometæ à Marte & Mercurio fiunt, quoniam & ipſæ velociter mouentur & igneum quippiam præ ſe ferunt Vocauit autem eas crinitas qui conuertit à nobilioribus, cum Græca lectio Cometas habeat, quod eſt commune nomen: nam Cometarum tria ſunt geneta: vnum quidem quod comam habet circum circa, vocaturque cometes: ſecundum quod barbata appellatur, cùm in vnam partem tantum crines feruntur: tertium quod caudata quoniam caudam habeat. Immenſum autem & celerrimum eſt incrementum omnium harum: vt quæ pedales primo videantur, inde intra paucorum dierum ſpatio quartam totam Zodiaci occupent. Durant incerto temporis ſpacio vt quædam etiam per annum vt Ioſephi tempore ſupra Hieroſolymam, excidium illi portendens, affulſit: Velut & Ioſephus ipſe teſtatur. Longiſſimum tamen earum tempus uix (niſi pro miraculo) ſex menſes excedit:

plerunque

plerunque autem finitur ante trigeſimam diem: nunquam ante ſeptimam. Motus illius triplex: vnus ab oriente in occidentem, alter ab occidente in orientem, tertius diuerſus veluti ab occidente in meridiem vel à ſeptentrione in occidentem. Generatur autem frequentius in ſeptentrione & maximè in candida via à tropicis citra: fiunt tamen & quandoque ſub æquinoctiali & etiam iuxta tropicum hyemalem, atque alibi: Verum vt dixi frequentius circa ſeptentriones, qua in parte tres ego in tribus annis vidi. Nocte videntur pulherrimè ſub crepuſculis, non item de die non niſi potenti modo. Plures poſſe videri conſtat ſimul vt Caroli Martelli ætate menſe Ianuario duo viſi ſunt intra quatuordecim dies, quorum alter Solem præcedebat, alter ſequebatur caudis verſis Aquilonem ſpectantibus: fuit is annus ſeptingenteſimus vigeſimus ſextus. Duo quoque anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, apparuerunt ſimul, nec breui tempore: cùm duos menſes ſocii ſimul impleuerint. Differunt Cometes à iaculis, quod vt dixi in longius Cometes effectus ſuos extendunt quàm iacula, & per ſe etiam, quod non eclypſis tempore videantur, plurimum poſſunt. Nemini autem dubium eſt quod ſi cum eclypſi contingant, quin geminatis viribus plurima & aſſidua mala producant. Vnde iacula & repentinæ ſtellæ niſi crebræ fuerint vt dixi, aut magnæ valde, aut in die conſpicuæ non ſine deliquio, quicquam effatu dignum ſignificare poterunt. Et quanquam omnes Cometæ à Marte & Mercurio producantur, habent tamen aliquid etiam cum aliis Planetis commune, quod à coloribus non ſecus ac eclypſis diſcernitur. Nam qui fuſcus eſt participem habet Saturnum, qui exactè candidus, Iouius eſt, qui exactè rutilus, Martius, qui flauus, Venerius, qui totus varius, in illo vis Mercurij dominatur. Conſtat enim obſeruatum fuiſſe quandoque Cometas etiam aliarum Planetarum, quàm Martis & Mercurij motum retinuiſſe, quemadmodum Iouianus Pontanus enarrat dicens: Cometes tenui primum capite, comaque admodum breui à nobis conſpectus eſt: qui mox miræ magnitudinis factus, ab ortu in ſeptentrionem cœpit deflectere, nunc citato motu, nunc remiſſo, Et quoad Mars, Saturnúſque regrederentur, ipſe aduerſus, coma progrediente ferebatur, donec ad arctos peruenit: Vnde cum primum Saturnus, & Mars recto curſu pergere cœperunt, in occaſum interflexit, tanta celeritate, vt die vno triginta gradus emenſus ſit, atque vbi ad Arietem & Taurum commeauit videri deſiit. Ille dies plurimos fulſit, & qui initio breuior viſus fuit, adeò creuit, vt quinquaginta gradus, atque etiam amplius occupauerit. Feruntur autem velociſſimè quandoque miríſque modis, caudámque contorquent: Sed ſufficiat tam velocis motus, quàm etiam conuerſionis caudæ, præclarum vnum exemplum ſubiunxiſſe. Verùm antea forſan quiſpiam quæret in quo cauda, & crines ab ipſo Cometa differant? Reſpondemus caudā atque crines tenuiores eſſe ſubſtantia atque rariores, vt niſi præ magnitudine videri queant. Verùm ſydus ipſum denſum eſt, ac facilè præ luminis magnitudine videtur. Sed ad exemplum reuertor, id deſumptum eſt ex Iacobi Ziglieri monumentis, qui ea à Ioannis Regio Montani obſeruationibus deſumpſit. Obſeruatio autem talis eſt atque ſeries verborum Regio Montani: Idibus Ianuariis anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſupra quintum & ſeptuageſimum: Viſus eſt nobis Cometa ſub Libra cum ſtellis Virginis: cuius caput tardi erat motus donec propinquum eſſet ſpicæ: nunc incendebat per crura Bootis verſus eius ſiniſtram. A qua diſcedendo, die vno naturali portionem circuli magni quadraginta graduum deſcripſit. Vbi cum eſſet in medio Cancri, maximè diſtabat ab orbe ſignorum ſexaginta ſeptem gradibus, & tunc inter duos polos zodiaci & æquinoctialis ibat, vſque ad intermedia pedum Cephæi: deinde per pectus Caſſiopeiæ ſuper Andromedæ ventrem. Poſt gradiendo per longitudinem Piſcis ſeptentrionalis vbi valdè remittebatur motus eius propinquabat zodiaco, tranſiens ipſum iuxta medium Arietis, donec cum ſtellis Ceti occaſus Heliacus illum nobis occultauit in vltimis diebus Februarij. Hoc motu ſuo proprio, circuli magni portionem deſcripſit, quo in ſeptentrionem, & cum hoc contra ſignorum ſucceſſionem ferebatur à Libra in Arietem, in fine & principio tardè mouebatur, in medio verò apparitionis velociſſimè: Vno die ferè per quatuor ſigna à fine Virginis in principium vſque Geminorum. Cauda verò eius minus mobilis continuè reſpiciendo ſtellas Geminorum, eas circuibat: nunquam ab eis per totum apparitionis tempus deuians. Ideoque in prima emerſione, ad occidentem illa protendebat: quoniam illic ſtellæ Geminorum putabantur. In fine verò Cometa ſub Ariete locato propter Solis vicinitatem, niſi in occidente apparuit, cauda orientem verſus protenſa, quia in hoc ſitu ſtellæ Geminorum ponebantur, In medio verò apparitionis caudam vertebat ad meridiem, illic tunc erant ſtellæ Geminorum contingebátque tunc nocte eadem, vt ſtatim poſt Solis occaſum cauda orientem reſpiceret. Appropinquante medio noctis reſpexit meridiem: poſt medium noctis verò occidentem. Ante Solis exortum indicabat locum ſeptentrionis. Hæc caudæ diuerſitas in ſitu ex motu diurno oriebatur: qui ſemper eſt ex conſequentia primi mobilis ab oriente in occidentem. Motu autem proprio extremitas caudæ quamuis tardius quàm caput Cometæ, ſemper tamen etiam ad occidentem contra ſignorum ſucceſſionem deſcribens parallelum, à principio Libræ vſque ad medium Tauri mouebatur: Vadens ſub pedibus Vlulantis per Vrſam maiorem propinquando Perſeo: per quem circa Pleiades ad Caudam Arietis ibat ferè in medio Tauri. Vnde patet tam Caput, quàm Caudam Cometæ verſus occidentem, & nunquam verſus orientem iuiſſe: non ſolum motu diurno, ſed etiam proprio. Hæc igitur de motu & illarum

rum onuersione dicta sufficiant. Quantum verò ad substantiam earum pertinet, dictum est in libris de Subtilitate & primo de Varietate rerum. Quo verò ad significata communia dicit quod significat bella & constitutiones mobiles: potest referri & ad aërem, & ad seditiones & ad vtrunque. Namque & alia significant vtpote siccitatem atque inde sterilitatem. Velut in illo Cometa qui subsecutus est coniunctionem magnam in Cancro, factam anno millesimo quingentesimo quarto vt Augustinus Nyphus refert, quam Cometes consecuta est anno 1506. Illum igitur biennio post tanta siccitas in Insubria est, vt à mense Ianuarii in Nouembrem nulla penitus pluuia deciderit in ea regione. Itaque & hæc omnia & ventos præcipuè & pestem significat & Principum mortes. Nam tales effectus à Martis & Mercurij mistione fieri solent. Fiunt etiam aquæ & imbres copiosi, quandoque tum mutationes Principum & Hæreses, & Legum nouarum institutiones, & multa alia. Sed de imbribus (Reliqua enim nota sunt) causa est magnitudo caloris qui trahens multos vapores eos non potest dissoluere: declaratum est autem à nobis hoc in libris de Subtilitate. Sed de modis futurorum quatuor illa erant obseruanda, scilicet vt & locos sciamus, & genus affectuum, & tempus, & qualitatem propriam affectionis.

Lib. 4. Cap. 1.

Narrat author ignotus magistrum suum cum trabe ignea visa fuisset, dixisse casum portendi in lignis: successiueque naufragia multa ob bellum nauale. Alium quendam prædixisse ex huiusmodi cœli signis, quæ imminerent & quando desitura forent.

TEXTVS LIIII.

Cæterùm loca in quibus hæc euentura sint designantur, cum à signiferi partibus in quibus collectæ illæ stellæ fuerint, tum de crinitæ figurationis inclinatione. Per ipsam quidem collectionis quasi faciem & formam, futurorum species & genus cui effectio expectanda sit, deprehendetur. Verùm de tempore durationis, intensione euentuum. Habitudo illorum (scilicet crinitæ & loci eius) erga Solem ea declarant. Nam cùm fuerint matutinæ, diuque fulserint, celeritatis, sin vespertinæ, tarditatis, significatio futura est.

Declarat quatuor illa, genus, speciem, locum, & tempus. De loco inquit sumitur à signo in quo fuerit & ab inclinatione ipsius Caudæ, scilicet versus quam regionem tendat. Locus autem Cometes dignosci facilè potest planisphærio: Vtpote si sit in Ariete, erit in Britannia vel Germania, & quia Britannia differt à Germania, inspiciendo quo tendat Cauda sciemus, an sit Britannia an Germania Nam si Cometes fuerit Australior Britannia & Germania, & Caudam inflexerit ad dextram, significabit Borussiam, si ad sinistram parum significabit Frisiam: sed si multum Britanniam. Quo verò ad tempus euentus & magnitudinem effectus, docet illam ex duobus comprehendere ex diuturnitate temporis quo fulget, & habitu ad Solem: Nam si diu fulgent, diuturnus erit effectus: Si matutinæ celer: Si parum, breuis: Si vespertinæ, tardè. Quo verò ad genus effectus dicit faciem & formam Cometæ inspiciendam, circa quod notandum est in Cometa obseruanda esse decem, magnitudinem, colorem, splendorem, formam, diuturnitatem, situm, locum, habitum ad Solem, & situm orbis. Magnitudo significat effectus futuri claritatem & vehementiam. Color autem significat naturam Planetæ dominantis, vt si fuerit subobscurus significat declarata in Saturno vtpote tabes & morbos longos, terræmotus, inopiam, niues. Iam verò colores quibus tribuantur Planetis diximus. Habet autem, vt dixi semper hoc præcipuum Cometes à deliquio distinctum, vt Martis ac Mercurij furentium damna significet. Itaque & Iouius bona quædam immista habebit: Veluti ventos salutares pluribus atque fœcundos. Verùm & cum hoc diffidia sacerdotum in religione Christiana, prælia, non diuturna bella, abscessus & febres acutas. Talem fuisse eum qui visus est anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio, in Ariete sub septentrionali parte Galaxiæ credendum est. Nam Iupiter legem Christianam, Aries Britanniam, Mars & Mercurius significauerunt dissidium, & permutationem, quæ facta est post triennium in tota illa prouincia: iubente Rege illorum Henrico VIII. Fuerat autem Cometes ipsa, diuturnus à fine Iunij ad initium Septembris. Martius autem Cometa immodicas siccitates parit, bella sæuissima, & pestem acerbissimam. Venereus autem attonitos morbos, Paralyses, Febres violentas, Hæteticos, seditiosos Principes, & qui plurimum lingua valeant apud populum, seditiones quoque in religione Mahumetana: nam illa, vt dixi Marti & Veneri subiicitur. Mercurialis fulgura tonitrua, terræmotus, ventos graues, sæuas tempestates, nouas artes & inuentiones omnes tamen humano generi perniciosas significat. Splendor significat efficaces actiones & quas plurimi sponte sequentur. Ideò Regibus aliena occupantibus & seditiosis & hæresiarchis vtilis. Locus autem multa significat, & locum in terra, seu prouinciam, seu regionem, seu ciuitatem: vt de Ariete in exemplo dictum est. Secundo quæ loco illi dominantur, vt si in Leone fuerit Sol illius effectum adiuuabit, splendescereque faciet. Semper autem hoc auxilium ad malum tendit totius populi vel gentis ratione: in bello tamen & hæresi, & seditione aliquem illustrabit. Tertio latitudinem à signifero: Hæc locum proprium declarabit vt supra, Germaniam vel Britanniam, vel Italiam. Quarto cum qua erratica fuerit vel in cuius opposito, facilè enim erit intelligere


gere ex hoc cuius naturæ ſit. Quinto cum qua fixa collocata fuerit, eadem enim eſt ratio quæ de Planetis: Veluti ſi cum corde Leonis ſignificabit bellum ambitions cauſa. Sexto qua in parte cœli fuerit Quibus enim in oriente exitium vitæ, quibus in cœli medio. Regni Regis atque potentiæ. Septimo in cuius angulo ceciderit. Veluti narrat Haly quod apparuit Cometes in angulo coniunctionis, in qua incepit Regnum filiorum Abez, obiit ergo anno illo Abez Anezir. Solùm iſtud dubium eſt, quis locus debeat aſcribi Cometæ cum ob velocitatem motus & magnitudinem nullum proprium habere videatur. Verùm quo ad magnitudinem non dubia res eſt: quando quidem neque crines, neque cauda quo ad locum ſint conſiderandæ: ipſum verò corpus paruum & exiguum certum ſibi determinat locum. Sed quo ad motus rationem attinet ſpectare decet, velut in eclypſibus medium tempus ad vnguem: atque inita ratione quo tunc loco ſit obſeruare: obſeruentur & initia & finis quæ cum difficilima ſint, ob id Ptolemæus (non quod parui res eſſet momenti Cometes aut mediocris, ſed ne magnitudine rei lectorem in deſperationem adducere velle videretur (paucis verbis illius hiſtoriam abſoluit. Octauo locus quo ad figuras Octaui orbi conſideranda eſt. Nam ſimilia à ſimilibus afficientur: Velut in Argo naufragia magna claſſium decernet, aut fluuiorum ariditatem. Forma autem quoniam quæ gladiis aſſimilantur ciuitatum deſtructionem ſignificant: eſt enim propriè Martis. Quæ verò ſimilis columnæ Iouis, ea Principes & Reges occidit. Quæ verò crinita, parua, verſicolor, lucida & bene caudata, Mercurij eſt, ideoque ventorum & ſeditionum & hæreſis prænuncia. Nigra verò breui cauda, crinibus nullis, Saturni eſt, & ſterilitatem, diuturnaque bella & lepram ac talia ſignificat. Porrò quæ lucida eſt & vultu quaſi humano, flaua & breui cauda (rarò viſa) Veneris eſt, & poſt longas diſcordias gratum Principem ſignificat. Diuturnitas verò magnitudinem effectuum portendit, atque illorum diuturnitatem, & ſtabilem in perturbatione ſtatum. Situs autem partem illam declarat terræ ad quam Caudæ acumen reſpicit. Motus verò & vnde effectus venturus ſit & progreſſus illius celeritatem aut tarditatem ſignificabit. Veluti ſi Cometes ex oriente feratur in ſeptentrionem tardo motu: ſenſim quidem ex orientis partibus proueniet, aut peſtis, aut Lex, vel Princeps qui Boreales nationes conturbabit ac deuaſtabit. Sic crinita quæ in angulo orientis apparuit & ad ortum ferebatur magna velocitate Georgij Trapezuntij ætate, Thamyrim Parthorum Regem Taburlanum vocatum ſignificauit, qui in oriente ortus Aſiam celeri curſu deuaſtauit: in Europamque trãſiturus morte eius quem Regno proprio præfectum reliquerat in Parthiam reuerſus eſt. Motus igitur, celeritas & tarditas, & ex qua parte & in quam partem conſiderandæ ſunt. Feruntur enim quædam contrario ordine ſignorum, vt quæ anno 1533. ex Geminis in Taurum & ex Tauro in Arietem. Aliæ verò ordine ſignorum, aliæ permiſto motu in latitudinem, aliæ ſecundùm altitudinem ſimpliciter, aliæ aliis modis vt par eſt rem, quæ (vt diximus) triplici motu moueatur. Semper autem videntur, quæ contra ordinem ſignorum feruntur, mutationes legum ſignificare: quod motus is primi cœli ſit: atque ob id à Deo vel ſupremo rectore: Leges autem permiſſione Dei ſunt. Habitus verò ad Solem declarat ipſius effectus initium: Nam ſi orientalis extiterit Cometes, breui initium eſt habiturus effectus: ſi occidentalis tardè. Et hæc quidam in genere, in ſpecie verò quantum temporis requiratur, Ptolemæus non dixit: ſed vere cum rara ſit res Cometes, ſi diu durauerit in multos annos extendere effectum ſuum poteſt. Initium tamen vt eclypſi tot menſibus poteſt differri quot ſunt horæ inæquales quibus Cometes ab oriente diſtat. Ratio autem iſta perpulchrè ſuperius declarata eſt. Hoc vnum intereſt, quod ſemina quandoque eorum quæ per Cometam ſignificantur, diutius proferuntur. Veluti cum Seruator noſter natus eſt, Cometes apparuit in oriente, quem Magi viderunt, atque ob id ad ipſum adorandum venerunt: Hanc ſtellam vocauerêre tum communi nomine, quod Cometes ſtellæ vocentur, tum quod pulcherrima eſſet atque his ſimilis, quæ in nocte lucent. Hæc ſeditionem & turbas, quæ per fidem Chriſti promulgandam ſucceſſere, pronunciauit: tot exilia, tot Martyres, inde Regnum pacis conſtituendum atque ſalutis. Cuius quidem author atque Rex Chriſtus in ipſo Cometæ fulgore natus eſt, quod Cometes in oriente apparuerit: Verùm tamen effectus ipſius, ſcilicet prædicatio, legis promulgatio, ſeditio populi, conturbatio, perſecutiones, exilia, mortes, bella, regna nomine Chriſtiano inchoata, vix poſt trignta annos initium habuêre, & ad hanc vſque diem perſeuerant. Ita contraria ratione exitialis Cometa anno Chriſti 1260. in oriente apparuit vſque ad medium cœli, ſi credere fas eſt, crines extendens, durauitque perpetuis ſex menſibus fermè, nec prius euanuit, quàm Vrbanus Gallus Pontifex è viuis exceſſit: poſt cuius obitum Carolus cum exercitvè Galliis mouit, & ſuperato Manfredo regnum Neapolitanum occupauit. Biennio poſt Pœni in Hiſpaniam traiecerunt, magnaſque clades ibidem intulerunt, quanquam pulſi poſtea & cæſi. Per quæ tempora magni tumultus in Ethruria concitati fuerunt. Quidnam ſequutum. Anno à Cometa tertio, Banducar, vel vt habet Paulus Aemilius Gallicarum rerum ſcriptor exquiſitus, Bandodachar Babyloniorum atque Aſſyriorum Rex, Armeniam cum ingentibus copiis inuaſit, Antiochiam expugnauit, & grauiſſimas cædes Chriſtianorum edidit. Anno à Cometæ exortu quarto, Conradinus Sueuus victus, captuſque à Carolo prouinciæ Comite, & Siciliæ, Hieroſolymorumque, vt idem ſcribit Æmilius,

Æmilius, Rege nuncupato, securi percussus interiit. Anno quinto Ludouicus Gallorum Rex, in Aphricam traiiciens, Carthagine, vel vt alij tradunt, Tuneta vi capta, mortem, alui profluuio correptus, obiit, magna parte exercitus fame & peste absumpta. Cuius interitu cognito, Carolus Pœnorum Regem ad tributa quotannis pendenda coëgit. Anno sexto Scythæ (quos hodie Tartaros vocant) Armenis opem ferentes, Assyriis seu Sarracenis victis, fugatisque Asiam liberauerunt, eamque Christianorum concessu, diu tenuerunt. Itaque meta temporis effectus non nisi vt Ptolemæus describit præfigi debet, atque sic ex duratione & magnitudine coniectari potest. Sed sunt qui motum Cometarum ita interpretantur: si ad Austrum tendant pluuias significant: si ad Aquilonem, siccitatem: si ad ortum pestem, & maxima mala: si ad occidentem optimam anni constitutionem & temperatam. Ita censuit Porphyrius Philosophus egregius, sed vt existimo deceptus ex hoc, vt dixi, quod Cometa contra signorum ordinem procedens mutationem legis significat: Ergo qui ab oriente in occidentem tendit, significat mutationem legis, nam ille contra ordinem signorum fertur. Cùm ergo illud solùm significat, contingit vt sit temperatus annus, non tamen temperamentum anni significat: sed contingere potest etiam vt cum cum intemperie anni contingat, & maximè quòd vt dixi effectus Cometæ in multos annos extenditur. Quod verò de reliquis partibus dicit etiam illud verum est & rationem habet naturalem. Similiter & Cometam cauda respicere stellas aliquas, seu erraticas, veluti dictum est de Cometa illo Regio Montani qui semper stellas Geminorum obseruabat minimè ab surdum videri debet, quodque vires illius sortiatur aut illarum. Tunc enim maxima siccitas fontium fuit, & Henricus Rex Angliæ cum filio Eduardo interemptus est. Constat autem Geminorum stellas fermè omnes & maximè præcipuas naturæ esse Martis & Satutni, præter Apollinem qui Mercurij est. Similiter & Turcæ Pannoniam sunt deprædati. Quanquam Antonius Mizaldus Mons lucianus, ex quo historiam hanc desumpsimus nescio quo pacto dum hæc scribit non sibi constat: modo ad annum 1475. modo 1272. Cometis visionem transferens. Cæterùm vt ad institutum reuertar, finiuntur effectus Cometarum trifariam, aut per se finita vi, quemadmodum contingit in omnibus causis naturalibus: Aut alio Cometa superueniente, qui vel contraria sit natura, vel vi sua aliud agendo euertat prioris decreta. Tertiò eclypsis aliqua vel coniunctio natura contraria in contrariis Cometæ locis fiat. Porrò quod ad singularia attinet eadem est ratio quæ in eclypsibus. Nam si in loco decreto Cometæ subiecto quis habeat vitæ significatorem, aut ascendens, periclitatur de vita: Si verò cœli cor, aliis quidem euertit dignitatem & statum, aliis verò constituit, prout natura loci & genituræ fuerit. At verò in his qui nuper nascuntur, alia ratio est. Quicunque enim nascuntur cum Cometa in ascendente, vel omnino non viuunt, vel si viuunt, egregij & magni viri euadunt. Similiter si quis nascatur Cometa Medium cœli possidente, maximus profectò erit. Motus enim validi circa fortunam illius semper erunt & felices, quoniam omnia fauorem trahunt ab initiis suis. Quod si moriantur qui sic constitutum habent Cometem, non ob id moriuntur quoniam Cometem sic habeant, sed ex alia causa. Non si autem qui oriente Cometa nascuntur: plurima enim ex his moriuntur vt dixi, quoniam validum motum nascentes sustinere nequeunt: quod sustineant, manci aut debiles euadunt: non secus ac qui maleficas in ascendente habuerint: qui verò omnino euaserint ab omni calamitate validi sunt, & efficaces, ac prompti, & omnino ad maxima negocia nati, quibus etiam principatus contingunt: motum enim validum habent. Quòd verò ad situm orbis attinet, diligenter obseruandum est tempus medium ipsius Cometæ, aut initium vel tempus maximi motus, & qui dominus fuerit loci Cometæ & succedentis anguli, si ordine signorum moueatur: aut antecedentis si contra ordinem signorum: Is erit figuræ & Cometæ dominus & futurorum significator. Horum omnium igitur causa Cometæ qui ab Haly describitur historia quasi pro exemplo subiiciemus. Inquit ille.

Volo narrare ostentum quod vidi dum iuuenis essem atque studerem: apparuit Cometes cuius pars solida erat rotundæ figuræ, triploque maior Venere, cuius claritate totus orbis illustrabatur, eratque Lux eius quantum si quarta pars Lunæ luceret. Cuius locus fuit in oriente in occidentem, ita vt velocius procedendo ferretur contra signorum ordinem, donec peruenit ad quintam decimam partem Virginis. Cùm verò primum incepit apparere situs cœli talis fuit qualis hic describitur. Successit autem inter Mauros discordia maxima, inde prælia & cædes, & ciuitatum ac magnarum regionum depopulationes, & siccitas aëris & annonæ penuria, indeque pestilentia maxima, vt mors, tum peste, tum fame, tum bello fuerit innumerabilium hominum. Excitatusque est hæreticus siue rebellis) Nam vt Ioannes Leo affirmat, rebelles in Aphrica in titulo legis seditiones mouent ac populum ad se trahunt dicentes Mahumetem sic & sic velle adorari, atque eo modo tyrannidem nulli crudelitatis generi parcentes, vt etiam filios ex vtero viuentium extraherent) qui Regem Mechæ & Hyetob maximuis cladibus affecit. Hoc igitur de Hæreticorum natura ascripsimus, vt intelligeres quantum mali sub vno verbo hæritici comprehendere Haly voluerit. Aliqua etiam de hoc Regio Montanus, & Antonius Mizaldus Lutetianus scripsere, sed inferiora

Arabibus,

quorum scientia rerum fuit. Atque ea ratione maximè damnandi qui illos tam impudenter insectantur, nisi quòd illi præstare



voluerint, ipsi re ipsa præstent. At verò qui solum in eos inuehuntur vt aliqui esse videantur, nónne illud Horatianum manes Arabum iustè obiicient:

Tu cum sis quòd ego, & fortassis nequior, vltro
Insectere velut melior, verbisque decoris
Obuoluas vitium: Quid si me stultior ipse
Quingentis empto drachmis deprenderis?

Sed iam ad propositum reuertamur (Quandoquidem maxima laus fuerit) Haly Rodoan ea scripsisse temporibus illis infelicibus, linguaque tam rudi, quæ nostri cum tanta copia librorum, tam felici æuo, nec imitari nedum æquare potuerunt. Secundum obseruatione dignum est thematis in eclypsi atque in Cometis cœlestis erectionis exemplum: cùm quatuor tantum cardinibus locoque initiorum quartæ & decimæ, cordis & imi cœli dispositio, non solum iuxta Arabum consuetudinem, sed etiam Ptolemæi, locorumque Planetarum quonam pacto in themate disponi debeant pateat. Tertium est quod initium ipsius Cometes potius quàm medium, aut finem obseruauit, non quidem simpliciter, sed cum primùm apparuit. Quartum quod Cometem hora qua erigit ascendens infra terram ponit, cùm tamen non possit tunc videri. Id factum subtilissima ratione atque notabili. Nam cùm certum illius initium vix sciri possit, ideò primam Solis cum Luna coniunctionem obseruauit, quæ post Cometæ ortum fuit: Tempore autem eius coniunctionis contingit vt Cometes ipse sub terra lateret. Itaque in aliis ita faciendum iure meritò aliquis censebit: Si tamen verum initium habeatur, illud obseruare etiam oportet. Quintum est circa significata, hæc autem quod ad legem Mahumetanorum pertinerent Haly manifestè declarat, quod lex sua à Scorpionis signo initium habuerit, idque diligenter animaduersum. Deinde quod hic omnia mala decernerentur & maxima omnia: maxima quidem propter syderis magnitudinem, diuturnitatem & splendorem. Quod verò omnia malorum genera, quia tota erat de natura Saturni, Martis & Mercurij. Primùm quod stellæ quæ circa locum crinitæ erant in Scorpione eo tempore omnes de natura erant Martis atque Mercurij. Deinde quod crinita esset in domo Martis & proxima illi per sex partes. Quarto quod Mars ipse esset in domo propria. Quintò & sexto quod vterque scilicet crinita & Mars essent in angulo hora interlunij. Septimo quod (vt declaratum est) Scorpio sit pessimum signum omnium eorum quæ sunt in cœlo. Octauo quod Mars erat in finibus Mercurij. Nono quod trigonus tam crinitæ, quàm loci Martis, Marti subiicitur. Decimo quod Saturnus proiiciebat radios ante locum interlunij & ante locum crinitæ, & in angulo erat ascendentis infortunatus in Leone. Vndecimo quod crinita accedebat ad Saturnum, & Saturnus ad crinitam, vnde erat maxima applicatio & mutua per quadratum. Duodecimo quod crinita nata sit in oppositione loci interlunij ad vnguem & in tempore etiam ipsius interlunij, ex quo declarabatur maximus effectus & diuturnus, qui debebat succedere: Ideoque durauit per multos annos calamitas illa. Tertiodecimo quia côiunctio facta est in cardine illius regionis respectu ciuitatis principalis, quæ erat Alforat in Ægypto. Quartumdecimum est quod dominus finis coniunctionis fuit Mercurius & ipse quoque valde potens iuxta cœli cor. Quintodecimo quod Cometes progrediebatur contra ordinem signorum, & hoc vt dixi significat hæreses & legum turbas, quibus nullæ sunt crudeliores: cum in omnibus malis aliis homines sciant se mala facere, sed in seditionibus legum & hæresibus, & bellis propter diuersas leges suscitatis, homines cum sæuiant in infantes & puerulos, viros cruciatibus & igne perimant, captiuos in seruitutem abducant, agros deuastent, ciuitates incendio diruant, alij putant se Deo obsequium præstare, alij simulant. His igitur tot modis probus Haly nobis insinuauit quonam pacto & deliquiorum & crinitarum locus, tempus, genus, qualitas & magnitudo effectus considerari debeat. Reliquum est vt quarundam crinitarum clariora exempla subiiciam. Cùm igitur Xerxes Persarum Rex maximum exercitum comparasset vt in Græciam veniret, apparuit deliquium Solis & crinita ceracias dicta ad instar cornu obliqua, successitque, vt Xerxes Græciam totam deuastauerit: ipse victus à Themistocle nauali prælio, reuersusque est ignominiosè etiam magna parte exercitus terrestris amissa. Temporibus Neronis crinita alia fulsit, inde interfectus ipse, & bella ciuilia tanta crudelitate exarserunt, vt nihil ferè toto orbe multis annis intactum relictum sit. Nam Cometes admodum fuit diuturnus, quippe qui sex mensibus totis resplenduit. Antequam Ludouicus Germanicus, & Carolus prælio exitiali inter se dimicarent,

Frater contra fratrem in Gallia, quo nullum fuit cruentius neque maius, adeoque conciderint Gallorum vires vt nunquam postea plenè potuerint restitui. Cometes inges apparuerunt è quibus vltimus fuit in Aquario, primus in Libra, secundus in Ariete. Quidam volunt diuersis annis sed eodem ordine apparuisse. Temporibus Ioannis XVIII. Pontificis apparuit Cometes terribilis meridiem versus, quem secuta est mors Pontificis ipsius, ingensque fames ac pestis. Ante Constantini mortem Cometes magnus pluribus mensibus apparuit, qui & illius mortem prænunciauit, & seditiones ac bella & calamitates, quæ toti orbi contigerunt propter diuisionem imperij inter tres filios quos hæredes reliquerat. Vltimo anno Vespasiani Cometes visus est: quem ille (quod iocosus esset) ridebat dicens pertinere ad Regem Parthorum qui comam nutriret: ipse tamen mortuus est. Inde etiam paulò post mortuo Tito successore nefanda Domitiani tempora. Anno 1165. in Scotia apparuit Cometa ingens cum duobus longissimis radiis ardens, intraque quatuordecim dies Malcolmus, quartus Scotorum Rex cognomento Virgo ob continentiam, mortuus est. Hoc volui subiicere vt intelligeres diuersas esse formas atque innumerabiles crinitarum: quasdam incuruas vt illa Xerxis, quasdam bifidas vt hæc, atque species alias infinitas quæ describi nequeunt. Anno 1214. mense Martio duo apparuerunt Cometæ terribiles in Scotia, alter Solem præcedens: alter sequens, quo anno felicissimus & optimus Rex Vuilhelmus cum annos quadraginta nouem regnasset, senio extinctus est anno 1269. Cometes miræ magnitudinis sub meridie (magno pro miraculo certè) pluribus diebus visus est in Scotia. Inde anno 1271. nona Ianuarij ventus adeò sæuus exarsit, & cum ingenti tempestate, grandineque insolitæ magnitudinis sæuiit, vt tota Scotia deiectis ædificiis, igneque accenso, propter ventos, eumque qui asseruabatur in ædificiis vsus gratia ignem, maxima pars prouinciæ exarserit. Itaque intelligis non prorsus Cometas sequi affectus sensibiles, sed originem ac seminaria. Exarserunt & nostra tempestate anno 1530. Cometes: Florentia in seruitutem redacta est 1531. alius per Cancrum, Leonem, Virginem & Libram discurrens, terræmotus fuit in Lusitania. 1532. alius in Virgine, Libra, Scorpione intra tropicos, vnde Frisij, Bataui, Zeelandi ac Flandri aquarum inundatione submerguntur. Sequenti à fine Iunij vsque ad initium Septembris per Geminos, Taurum & Arietem alius retrocessit, de quo dictum est, terræmotus ac ventus Rheno vicinas regiones circa medium noctis exagitauit: Fames Germanos vexauit. Subsequenti anno, in Polonia tam grauis fuit inundatio aquarum vt Cracouiæ & Casimyriæ lapidei pontes & mœnia cum plurimis ædificiis fuit euersa. In Brabantia fortuito igne apud Bredanium noningentæ & sexaginta domus conflagrarunt. Hæc de Cometis dicta sufficiant, vt pro exemplo his quæ venturæ sunt satisfaciant. Illud solum animaduertes, quod cum ratione non constent aduentus futuri Cometarum, nec eclypses vulgus animaduertat nisi magnas, plurimas ex vtroque genere quæ ad rerum notitiam pertinerent, historiarum scriptores præteriisse. Nunc verò inuentis Ephemeridibus, deliquia omnia obseruare licet.

Multiplicatio effectus syderum secreta.

Sciendum est præterea quod si volueris cognoscere res magnas, oportet vt has tres regulas memoriæ mandes: primum raritatem seu tempus, & multiplicabis vnum in aliud si sit exquisitum, & si non in partem illius ratione dierum: & numerus dierum illius effectus. Exemplum si fiat coniunctio Saturni & Iouis in aliquo puncto, & præter id Lunæ ad vnguem in annis viginti, dicamus quod fiat coniunctio Saturni & Iouis, & Lunæ recursus sit in viginti septem diebus & octo horis, tunc multiplicabimus viginti septem & tertiam partem, & fient anni quingenti quadraginta sex & duæ tertiæ, scilicet effectus tempus illius coniunctionis. Sed tamen ab alia coniunctione poterit ante id perturbari, & maximè post dimidium temporis augebitur enim naturaliter effectus vsque ad annos ducentos septuaginta tres cum tertia, & hoc vbi coniunctio omnium trium erat in eodem puncto. Sed ponamus quod Luna distet tunc triginta minutis, accipiemus semidiametrum Lunæ, qui est quindecim minuta & videbimus proportionem distantiæ ad ipsam semidiametrum, vt demus illi dimidium additionis, quia semidiameter est dimidium distantiæ, Et si Luna disteterit vno gradu, dabimus quartam partem vt multiplicemus sex dies & viginti horas in viginti annos, & erit tempus effectus anni centum triginta sex: & ita faciemus donec Luna plus disteterit, quàm sit lumen eius quod superius diximus esse partium duodecim & dimidiæ. Et licet hæc ratio non sit omnino exquisita, est tamen sensibilis & veritati proxima, Magnitudo autem Solis est minutorum sexdecim, Lunæ decem & septem, Iupiter & Venus quinque & vsque ad sex fermè, Saturni & Martis, quatuor, Mercurij duorum.

Secunda regula est quod effectus multiplicantur in robore iuxta raritatem secundum exquisitam applicationem. Veluti Saturnus habeat quatuor vires, Iupiter quinque, Mars tres, & iungantur simul in eodem puncto: tunc multiplicabimus tres, quatuor, quinque simul, & erit effectus ille sexaginta in robore: scilicet duodecuplus Saturno, & vigintuplus Marti soli. Quòd si Mars disteterit per vnum gradum tempore quo coniunguntur Saturnus & Iupiter: tunc multiplicabimus tria minuta semidiametri Martis in tria numerum roboris. Mortis, & fient nouem: Hunc numerum diuidemus

demus per ſexaginta numerum minutorum diſtantiæ Martis à Ioue & Saturno, & exeunt tres vigeſimæ, quas multiplicabimus in viginti numerum roboris coniunctionis Saturni & Iouis, & fient tria, quæ ad des ad viginti & coniunctio illa habebit robur viginti trium, & erit fermè octupla robori Martis, & ſextupla robori Saturni, & quintupla robori Iouis, & ſic de reliquis. Robur verò vniuſcuiuſque Planetæ condiſces ex magnitudine illius & tarditate motus: quantò enim maiores ſunt Planetæ & motu tardiore mouentur, tanto ſunt robuſtiores in cauſis generalibus: In propriis autem non ita eſt. Exemplum, volo ſcire quantum virium habeat Saturnus in comparatione ad Lunam quoad effectus longitudinem: Video quod Saturnus reuoluitur in annis 29. diebuſque 158. & ſunt dies XMDCCL. Hoc duco in ſemidiametri ſui quadratum fiunt dies XCVIMDCCL: Similiter duco circuitum Lunæ in quadratum minutorum ſemidiametri, & fiunt dies VIIMDCCCIC. cum tertia, diuido vnum per alium, & exeunt duodecim, & tanta eſt proportio virium Saturni ad vires Lunæ. Idem dico de coniunctionibus quoad effectus longitudinem. Et poteſt demonſtrari vno verbo, quia effectus durant ad reditum, vtpote coniunctio Saturni & Iouis, vſque ad aliam coniunctionem: & Saturni ingreſſus in initium Arietis vſque ad alium ingreſſum in initium Arietis. Quia nihil datur inane in natura: Et ideò ſi effectus non duraret vſque ad reditum eſſet circuitus Mathematicus non naturalis: Et cauſa ſine effectu, & impotentia quædam: Quamobrem proportio circuitus ad circuitum, vt temporis ad tempus, quod erat probandum. Vnuſquiſque tamen horum circuituum redigitur ad dimidium: nam ab appoſitione finitur coniunctionis vis, attenditurque ipſa oppoſitio. His itaque viſis manifeſtum eſt quod in vtraque regula dictum de duobus Planetis & tribus, tenet etiam in quatuor & quinque, & ſex: vtpote ſi iungantur ad vnguem, vel per partes Saturnus, Iuppiter, Mars & Luna, tam quoad magnitudinem effectus, quàm temporis multiplicantes tempora & vires illorum, ſequentes regulam primam in temporibus & ſecundam in viribus.

Ex his concluditur quod potentiſſima coniunctio & maximè diuturna, eſt capitis Arietis octauæ ſphæræ cum capite Arietis nonæ: quia non fit niſi in XXXVIM. annis. Et in ea coniunctione palam eſt quod conſentiunt omnia ſigna nonæ ſphæræ, & omnes ſtellæ octaui orbis tribuunt vires ſuas, & omnes Planetæ quia abſides illorum mouentur motu octaui orbis & etiam quia eclypticæ ſe iungunt inuicem, ad quam Planetæ tum propter Solis motum, tum propter latitudinis rationem, habent reſpectum.

Secunda eſt coniunctio Saturni & Iouis in ſigno Arietis, id eſt, circuitus ex Ariete in Arietem, qui fit in 795. annis habita ratione mutationis trigoni.

Tertia eſt mutatio coniunctionis Saturni & Iouis ex trigono in trigonum, quæ fit in centum nonaginta nouem annis: Et fit ſecundum ordinem ſignorum, id eſt, ex trigono Arietis primo in trigonum ſecundum Tauri, inde in trigonum Geminorum inde Cancri, poſt reuertitur ad primum trigonum.

Quarta eſt reditus Saturni ad initium Arietis in triginta annis.

Quinta eſt coniunctio Saturni & Iouis, quæ fit ſingulis viginti annis.

Sexta eſt reditus Iouis ad initium Arietis, qui fit in fine duodecim annorum.

Septima eſt coniunctio Martis & Iouis, quæ fit in viginti ſeptem menſibus.

Octaua coniunctio Solis cum Marte, quæ fit in viginti ſex menſibus.

Nona eſt coniunctio Martis cum Saturno, quæ fit in vigintiquinque menſibus.

Decima eſt circuitus Martis, qui fit in viginti tribus menſibus.

Vndecima eſt coniunctio Solis cum Ioue, quæ fit ſingulis quatuordecim menſibus.

Duodecima eſt coniunctio Solis cum Saturno, quæ fit ſingulis tredecim menſibus.

Tertiadecima eſt circuitus Solis, qui fit in duodecim menſibus. Et quod dixi de Sole quo ad proprium circuitum, quoad coniunctionem cum ſuperioribus, intelligitur de Venere & Mercurio. Et ſimiliter quod dicemus de coniunctione Lunæ, cum Sole intelligendum erit de coniunctione Lunæ, cum Venere & Mercurio.

Quartadecima eſt coniunctio Veneris cum Sole, quæ fit in decem menſibus ſeu diebus 292.

Quintadecima eſt coniunctio Mercurij cum Sole, quæ fit in duobus menſibus ſeu diebus 58.

Sextadecima eſt coniunctio Lunæ cum Sole, quæ fit in diebus viginti nouem & horis decem, & menſis Lunaris.

Decimaſeptima eſt reuolutio Lunæ, quæ fit in diebus 27. & horis octo.

Decimaoctaua eſt reditus cuiuſcunque Planetæ, vel fixæ, vel loci coniunctionis ad finitorem in aſcendente, vel ad circulum medij cœli, qui tantam habet vim, quantam habet ingreſſus ſtellæ eiuſdem in primum punctum Arietis. Et hoc demonſtratur ex tertia regula quæ talis eſt. Quodlibet aſtrum tantam ſortitur vim per ſe, quanta eſt raritas euentus: iam hoc enim demonſtratum eſt ſuperius, & hæc raritas in gradu eſt ſemper trecenteſima ſexageſima pars: igitur ſi aſtrum eſt idem & raritas eadem tantum eſt habere aſtrum illud in gradu aſcendentis quod ſit in quolibet die, & vocatur hic circuitus diurnus, quantum eſt quòd illud aſtrum ingrediatur primum punctum Arietis. Oſtendo modo quòd ſit eadem raritas, qui ſicut in vno die manet ille gradus quatuor tantum minutis in aſcendente, & Saturnus manet in primo gradu Arietis per vnum menſem fermè.

Et ita licet ingressus Saturni in Arietem non fiat nisi in triginta annis semel & Saturnus in ascendente singulo die semel sit, quia tamen in ascendente non manet nisi momento, id est, quatuor minutis horæ, qui sunt pars trecentesima sexagesima vnius diei, & est totius circuitus, & in primo gradu Arietis per mensem, qui & ipse est trecentesima sexagesima pars circuitus triginta annorum, patet quod tam rarum est habere Saturnum in gradu ascendentis, quàm in primo gradu Arietis. Idem potest demonstrari de Luna, & de coniunctione magna capitis Arietis octauæ sphæræ, cum capite Arietis nonæ: quia licet non fiat nisi in triginta sex millibus annis, quia tamen durat caput Arietis octauæ sphæræ, in primo gradu Arietis nonæ, & quælibet stella fixa octauæ in certo gradu nonæ, centum annis: patet quod tam rarum est habere caput Arietis in ascendente, siue octauæ, siue nonæ, quantum est quod quis nascatur tempore illius coniunctionis, scilicet capitis octauæ sphæræ cum capite nonæ in eodem gradu. Et sic de reliquis in quibus habetur ratio circuitus, quia vnus terminus manet fixus. Similiter probo de his in quibus vterque terminus mobilis est: & manifestum est gratia exempli in coniunctione Iouis & Saturni, quod licet fiat in viginti annis solum talis coniunctio, tamen manent iuncti per trecentesimam sexagesimam partem circuitus, id est, per plus quàm viginti dies. Et ita de omnibus aliis. Et eadem est ratio de circuitu & coniunctione corporea respectu vnius ex illis astris in puncto ascendentis, vel in puncto cordis cœli. Ex quo sequitur quod etiam coniunctiones omnes seu Planetarum, seu ad fixas, respectu eiusdem spacij puta vnius gradus vel decem minutorum, vel in eodem minuto ipso, sunt eiusdem virtutis, quantum ad raritatem, & etiam quantum ad vires respectu raritatis. Sed non tamen respectu stellarum quæ iunguntur: quia (vt iam dictum est) plus potest coniunctio Saturni cum Ioue, quàm Martis cum Ioue: & multò plus coniunctio Saturni cum Ioue, quàm Veneris cum Mercurio in eadem distantia, ratione corporum ipsorum. Et ita etiam plus faciet coniunctio Saturni cum Ioue in eodem gradu in quacunque parte natiuitatis, quàm habere Saturnum, vel Iouem solum in gradu ascendentis, vel cordis cœli, non raritatis: quantum enim ad hoc sunt æqualis potentiæ, vt iam demonstratum. Sed ratione ea quod Planetæ iuncti per secundam regulam conduplicant vires. Et ex hoc sequitur aliud, quod aliqua coniunctio Veneris & Mercurij, erit longè potentior quàm coniunctio Saturni & Iouis, vel Solis & Lunæ: quia coniunctio Saturni & Iouis, vel Solis & Lunæ, erunt in eodem gradu tantum, & coniunctio Veneris & Mercurij erit corporea. Corpoream coniunctionem voco, quando Planetæ non plus disteterint inter se quàm sit aggregatum semidiametrorum, vtpote quod Venus & Mercurius non distent inter se plusquam octo minutis in longitudine: Et ita Venus à Luna viginti tribus minutis. Etsi talis coniunctio fieret etiam secundum latitudinem, esset longè validior. Latitudo tamen non tantum facit quantum differentia in longitudine, quia distantia in latitudine non impedit, quin ambæ stellæ ferantur in eodem circulo transeunte per polos zodiaci. Et maxima distantia duarum erraticarum quæ esse possit in latitudine est inter Martem & Venerem, quando Mars fuerit in extremo latitudinis Australis, & Venus Borealis: tunc enim distabunt partibus quatuordecim cum dimidio. Secundus modus quo coniunctio Veneris & Mercurij poterit esse maior coniunctione Saturni & Martis (Omitto tunc quod essent cum aliqua stella fixa vel in initio Arietis, & Saturni, & Iouis in fine Virginis, nam istud esset multiplicare coniunctionem & facere triplam) est quod Venus & Mercurius sint in gradu ascendentis, & Saturnus & Iupiter sint in fine secundæ domus, gratia exempli: Et hoc ex tertia regula. Tertius modus est quod in vna natiuitate in qua Venus & Mercurius iunguntur, Venus vel Mercurius dominentur ascendenti: in alia vbi iunguntur Saturnus & Iupiter neuter habeat potestatem in ascendente, vel nullam omnino, vt si ascendat decima pars Virginis aut Tauri: vel paruam valdè, vt si ascendat decima pars Leonis: Vbi solus Iupiter nihil aliud habet nisi dominium trigoni, & maximè si natiuitas diurna fuerit. Quartus modus est, si dum Venus est iuncta Mercurio sit Cometes in cœlo, aut fiat coniunctio Lunæ cum Sole, & magis si fiat eclypsis, tunc enim etiam quod non aspiciat locum (quia in cœlo est veluti in homine, qui totus est transpirabilis vt sentemtia Hippocratis vtar, omnia ab omnibus afficiuntur quoquomodo) erit coniunctio hæc Veneris & Mercurij, potentior coniunctione Saturni & Iouis, cùm qua nihil harum magnarum rerum contingat. Et nota quod magnæ res in cœlo sunt sex: Prima est coniunctio eclypticarum octaui & noni orbis, & capitum Arietis eorum. Hæc enim præstat ordinem vniuersæ machinæ elementari. Secunda est Cometes qui maria & terras, & omnia miscet. Tertia est deliquium luminaris quod plerunque perturbat vnum certum genus determinatum. Quarta est coniunctio Solis & Lunæ, qua reguntur omnia humida: Ideoque maria, Cancri, Pisces, morbi, ligna cædua, & talia. Quinta est coniunctio Saturni & Iouis quocunque in loco contingat, qua reguntur leges, imperia, regiones. Sexta est coniunctio luminarium cum fixis, quarum Solares ventos regunt, & Lunares maria concutiunt. Forsan dicet aliquis quod duo Planetæ iuncti non multiplicant vires: sed iungunt solùm, sicut duo reges fœdere colligati. Sed videmus quod qui habent iunctos Planetas corpore, plurimum possunt, in comparatione eorum tum qui eos iunctos habent tantum in eodem gradu: cùm tamen

nullum

nullum deberet esset fermè discrimen si in coniunctione nulla vis noua consurgeret, nam qui distarent (cùm virtus singulorum iam per se maneat, tota etiam si nullo modo iungantur) iuncti per vnum gradum idem fermè efficerent, quod corporaliter, quod iam patet esse falsum.

Decimanona est coniunctio Veneris & Mercurij, quæ irregularis dici potest, hæc autem certum non habet circuitum, fiat tamen circuitus eius ex multis coniunctionibus collectus atque diuisus, & vocatur circuitus medius, quinque mensium & trium dierum, vel circiter.

Vigesima est transitus absidum de vno signo in aliud, qui est circiter trium millium annorum: alij dicunt quatuor millium: sed quia sunt quinque absides præter Lunam. Ideo contingit vt non possit fieri quin transitus seu mutatio fiat singulis mille ducentis annis: aut quando serius iuxta aliam opinionem in annis mille sexcentis. Et ex hoc facilè est intelligere cur literæ tantum habuerint incrementi à centum annis citra, quia iam centum annis mutuatus est absis Mercurij ex Virgine in Libram. Et primus punctus Libræ, est punctus valde potens, quia est punctus æquinoctialis. Et significat perturbationes in legibus, vt dictum est. Et similiter à ducentis annis citra facta est permutatio absis Solis & Veneris in primum punctum Cancri, qui est punctus tropicus, & trigoni sectæ Mahumeticæ: ideò significauit incrementum magnum illius sectæ. Et quia Mars est dominus illius trigoni significauit inuentionem mirabilem & exitialem (& vt more vulgarium loquar diabolica) machinarum ignearum, quarum vis similis omninò est fulmini, & forsitan maior, vt existimo. Et quia Luna est domina loci illius, significauit detegendum vniuersum orbem per nauigationes. Et quia Iupiter est dominus altitudinis, significat omnium artium illustrationem, & vitam maximè ciuilem: & inuentionem illam gloriosam Typographicam, qua omnes disciplinæ maximum susceperunt incrementum. Et prima mutatio erit absidis Iouis in primum punctum Libræ, inter sexcentesimum & octingentesimum annum, quo tempore incipiet mutatio legum, cui nunquam fuit similis, & consurget vna noua lex, & cum his alia multa. Et hæc pauca placuit adiungere ex libris de Arcanis æternitatis, pro exemplo.

Post hæc consideranda sunt quæ ab Hermete in hac causa & magis specialiter, vt Haly recitat, sunt in hanc sententiam, cùm malefica seu in genitura alicuius, seu erectione regni, seu in principio ciuitatis, seu in distributione prouinciarum per signa transierit, per altitudinem Planetæ significatoris, & maximè si retrograda fuerit, & eò magis etiam si illi signo fuerit inimica, vt Saturnus Arieti, Mars Libræ, & Tauro, & vterque illorum Cancro, & Mercurius Piscibus, & Sol Libræ, tunc quicunque subiicientur illi signo, patientur quippiam, & eò magis cùm Planeta super gradum proprium exaltationis alterius transierit, & si fuerit regnum aut Rex, tunc ministri illius graues erunt subditis & iniusti. Rursus cùm gubernator seu præses Planeta vitæ, vel honoris, vel diuitiarum mutatur de signo in signum hora quà mutatur erige figuram, & vide quis planeta illum aspiciat. Et si sit gubernator decimæ domus, inspice quis planeta sit in ea, vel aspiciat eam. Et si sit gubernator loci Solis, vel Lunæ, vel ascendentis, vel partis fortunæ, inspice quis planeta sit in loco illo, vel aspiciat eum. Et secundum illud iudica de Rege per principium regni, & de ciuitate, & de prouincia, & de priuato homine. Exemplum si cùm Gubernator medij cœli mutatur de signo in signum, in figura regni & hora, quæ mutatur ipse gubernator sic in septimo loco, & Saturnus in medio cœli aspiciens cùm de quadrato, tum rex ille propter auaritiam & socordiam negligetur à suis subditis, & odio habebitur. Et si debilis fuerit erectio Regni, & processus testimonium præbuerit, fieri poterit, vt insidiæ illi parentur: si non, non erunt nisi verba. Ex quo patet quod ex moribus cuiusque regis, gentis, & priuati facilè poteris dignoscere Planetam qui gubernat: si fuerint mores perpetui: Si verò fuerint mores vnius anni, vel aliquot mensium, vel dierum cognosces naturam Planetæ, qui gubernatori miscetur. Nam si fuerit auaritia cum socordia & malignitate erit Saturnus. Et si fuerit auaritia cum socordia & crudelitate erit Mars. Et si fuerit iustitia cum liberalitate & pietate erit Iupiter. Et si fuerit liberalitas cum bonis verbis iocis & conuiuiis erit Venus. Et si fuerit varietas morum & subdola verba, & delectatio picturarum, & artium erit proculdubio Mercurius. Et si fuerit auaritia occulta cum splendore, & magnificentia magna, & ambitione summa cum iustitia erit Sol: & hoc contingit raro: Et si fuerit ille quasi mercator & humilis, cum plebe totusque negociosus & varius fungaturque quasi officio suorum magistratuum, vel si fuerit priuatus suorum seruorum erit Luna: & hoc etiam contigit raro. Ex hoc etiam sequitur quod qui habent gubernatores tardi motus fortunam habent æqualem, seu bonam, seu malam: Qui verò velocis motus variam & inconstantem quia sæpius mutantur, de signo in signum. Et Planetæ inferiores & veloces in motu, & orientales à Sole & iuxta orientem, & in principiis signorum festinare faciunt euentus & successus rerum, & contrarij retardant, similiter etiam septentrionales nobis iuuant ad celeritatem. Meridionales ad tarditatem contrarium contigit in hoc habitantibus vltra æquinoctialem. In his tamen certus ordo habendus est. Primum igitur est quod Planeta sit orientalis à Sole. Secundum quod sit auctus motu. Tertium quod sit ab ascendente ad medium cœli. Quartum quod sit Planeta velocis motus natura, id est, inferior Sole.

Quintum quod fit in initio signi. Sextum quod sit Borealis & hoc pro festinatione: contrario ordine pro tarditate.

Nota etiam quod Planetæ inferiores sunt boni, pro negociis paruis, & sæpe reuertentibus, & mercibus conuersatione hominum, exercitatione artium, quæ quotidie mutant aliquid vtpote pro medicis: mali autem pro rebus magnis & stabilibus vt regno, consilio, iuris administratione, bellica arte pictura sculptura, phastica: Vnde quibus Planetæ inferiores solum dominantur, sed iustitiæ sint administratores eam pro commodo proprio metiuntur. Dico autem pro amicitia muneribus expectatione mutuæ gratiæ vrbanitate & iocis: & potentia artium: superiores autem Planetæ inepti vicissitudinibus, & paruis negociis, magnis autem & stabilibus vtiles, & conuenientes. Inspice etiam in vnoquoque negocio in initio eius & decursu, statum Planetæ secundum naturam dominantis: Veluti si duo Reges pugnent, quorum neque genituram habeas, neque principia regni: quia bellum pertinet ad Martem, inspice si sit orientalis, vincet Rex cuius regnum & magis versus orientem: Et si occidentalis fuerit Mars ex toto tempore decursus belli erit contrarium. Et similiter si fuerit septentrionalis vincet Rex cuius regnum est magis versus septentrionem. Et si regio vna fuerit magis versus orientem & meridiem altera, & Mars fuerit orientalis & Borealis, erit in eodem tempore fortuna varia. Et si Mars permutet situm in contrarium permutabitur & fortuna illorum Regum. Idem de aliis significatoribus, & quando gubernatores trigoni alicuius vel loci vitæ, vel medij cœli, id est, honoris vel fratris fortunæ, seu regni, seu regis, seu priuati seu gentis, seu ciuitatis robusti fuerint & maximè in comparatione loci, tunc talis res erit valida. Et si fuerint debiles & infelices, & maximè maleficæ, tunc in illa re euenient multa inconuenientia. Et rursus scias quod ex deterioribus dispositionibus quæ contingant in significationibus, est quod Saturnus sit oppositus Marti retrogrado, & alter eorum fuerit significator, vel si ambo fuerint iuncti & retrogradi aspicientes significatorem ex opposito, & maximè si significator fuerit occidentalis à Sole, vel sub illius radiis, vel si iungantur significatori sic dispositi, vel illum de quadrato respiciant. Et scias quod natura signorum etiam ostendit mala: nam si significator gentis damnetur in trigono Cancri, erunt inundationes, aut genera lepræ. Et si in trigono Geminorum, erunt latrones, & bella, & forsitan pestis. Mars autem & Mercurius propriè significant latrones in humanis signis, quando simul participant radio vel dominio. Et causa est quia vterque eorum est infidus, promptus, crudelis, vigilans, infœlix, & tales sunt latrones: & si fuerit in trigono Tauri, erunt terræmotus, vel iactura in armentis. Et si fuerit in trigono Arietis, erit iactura in frugibus & arboribus propter siccitatem, vel febres acutæ, vel etiam iactura in animalibus & rabies canum, & luporum. Præter has sunt sex regulæ notatu dignæ, quæ naturæ sunt, & ex sententia Ptolemæi, quarum vna est generalis regula effectuum.

Regula generalis effectuum.

Effectus omnes significatorum generaliter reducuntur ad tres dispositiones, naturam significatoris bonam vel malam, aut mediam ad debilitatem, vel robur ad qualitatem, quod sit fœlix vel infœlix. Ita vt optimi effectus fiant, cùm benefica fuerit robustissima felicissima: pessimi cum malefica fuerit robustissima infelicissima. Media cognoscere ex his.

Regula de successibus.

In genituris priuatis & initiis ciuitatum & erectionibus regnorum, & qualitatibus temporum sunt duo genera dominationis successio & participatio. Participatio est cùm duo Planetæ dominantur in eodem loco & neuter eorum est debilissimus, & tunc contingit idem quod duobus in eodem magistratu administrantibus, quia vterque participat in actionibus: veluti in genitura nostra Venus est domina domus, & finis, & secunda domina trigoni: Luna verò domina altitudinis, & prima domina trigoni & aspicit ascendens. Ideò qualitas erit composita perfectè & bene mixta ex natura Veneris & Lunæ, sed successiones fiunt, quoties solum vnus potest præesse illi effectuum, vel etiamsi duo possint præesse vnus propter debilitatem redditur imabilis: Tunc contingit sicut in duobus qui pugnant de aliquo magistratu, tunc quicunque succumbit ex illis nihil penitus retinet dignitatis, etiamsi in mille suffragiis caderet, vno solo ab altero, & præter id victor conatur omnia facere contrario modo, ei qui victus est. Exemplum primi modi in nostra genitura Luna succedit Soli, in vita post ascendens, quia Sol est nimis debilis, ideò Sol nihil penitus significat in vita quia ex toto excedit à dominio. Et si Sol perueniret ad centum pessimas directiones nihil penitus offenderet in vita, & quando Luna peruenit ad oppositum radiorum Solis, radij Solis quasi interfecerunt ex pestilenti febre, & bubone, aliisque dispositionibus succedentibus prauis. Exemplum aliud sit significator Iupiter honoris, & dominus decimi loci, & in reuolutione sit sub radiis Solis: & ita amittit significationem & non redit ad secundum significatorem, sed ad signum decimæ. Dico igitur quod eo anno experietur mirabiles mutationes in honore iuxta Planetas ambulantes in illo signo. Exemplum secundi in tertia genitura dominus loci Lunæ erat Mercurius inde Luna, Mercurius est debilissimus sub Sole, ideò res redit ad Lunam, & quæ significan

significantur per Lunam erunt de natura Lunæ in totum absque vlla significatione Mercurij: Et similiter in eadem Mercurius erat primus significator loci Iouis, & Martis, & Saturnus secundus. Cùm verò Mercurius sit debilissimus tota res redit ad Saturnum, & tamen abest vt fiat aliquid cum participatione Mercurij, quod Saturnus omnia administrabit absque vlla participatione Mercurij, & vt ita quasi dicam in contemptum.

Regula de Planetis combustis.

Cùm Planeta fuerit sub Sole, Sol ipse disponit loco illius Planetæ seruata qualitate eius, exemplum in tertia genitura Sol significat pro Mercurio eadem quæ Mercurius: puta si volueris cognoscere ingenium eius, considera dispositionem Solis, qui est in Ariete. Et ideò potens ac fœlix & significat amorem ad disciplinas, eruditionem, splendorem in negociis.

Regula de initiis regnorum.

Aberrant Astrologi qui initia regnorum sumunt ab electione solenni, quæ fit cum pompa & est voluntaria, ideò nunquam diuinant. Nam cùm ille iam habeat potestatem regiam & electio illa non addit, nisi pompam, re verò est inanis, oportet quod cum constitutio astrorum sit similis rei à qua sumitur, quod talis constitutio electionis regni nihil significet: tum quia est merè voluntaris: tum quia est sumpta à tempore in quo nullam acquirit potestatem veram, sed solum speciem quandam potestatis: ob id igitur si regnum sit per successionem capitis in ipsa hora acceptionis, id est, mortis regis præcedentis. Si verò sit per electionem ab ipsa hora in qua primum consenserunt, & non ab ipsa pompa, vel cæremoniis quia pompa, vel cæremoniæ postquam iam electus est suffragiis, sunt in arbitrio Regis, ipsa verò electio per suffragia est in arbitrio Dei & cœli eius ministri. Et ab eo tempore sumenda est constitutio cœli pro regno, & ita Pontificibus Maximis eligendis: Si verò regnum acquiratur cum contentione, vt contingit inter fratres, vel sit regnum nouum bello acquisitum, sicut dixi in eclypsibus quod debet sumi constitutio cœli à medio ipsius eclypsis: Ita hic ab initio victoriæ quando omnes iam incipiunt fugere, & si fuerint plures victoriæ sumatur illa postquam vires inimici nunquam amplius resectæ sunt. Et si fuerint ciuitates qua se tueantur aduersus illam ab hora expugnationis illius vel deditionis voluntariæ, postquam nulla repugnauit pro libertate, neque certauit extremo conatu, sed solùm vt bonas conditiones acciperet. Plerunque autem contigit vt hoc eueniat in Metropoli non tamen semper. Et quando Metropolis vno tempore acquiritur, & aliæ ciuitates alio tempore: tunc oportet diuersas facere figuras, & quælibet seruit suæ ciuitati. Et similiter si ciuitas principalis capta fuerit vno tempore, & arx eius valida alio tempore: tunc regnum illud erit quasi diuisum & oportebit facere plures figuras, & vnaquæque seruiet suo loco. Et hoc est secretum magnum.

Regula de transmutationibus.

Dico etiam quod caput & cauda draconis cum iunguntur planetis magnas habent vires. Vtpote si Saturnus coniugatur capiti, quia iam locus ille eclypticæ magnam vim recipit à Luna, quæ veniens ad nos bonum affert. Ideò Saturnus benè afficitur à capite & malè cauda, verùm quia Saturnus ipse inficit locum sua frigiditate & siccitate, & Luna veniens ad nostram sic per illum. Ideò Luna malè afficitur quando Saturnus fuerit iunctus capiti draconis & deterius quando caudæ. Ita coniunctio capitis draconis cum Saturno iuuat decreta Saturni, sed malè afficit Lunam: coniunctio verò Saturni cum cauda inutilis est vtrique, id est, Saturno & Lunæ. Sic coniunctio Iouis cum cauda inutilis est Ioui, vtilis verò Lunæ: coniunctio verò Iouis cum capite vnus eit vtrique, scilicet Ioui & Lunæ.

Regula de statu temporum.


In æstate interlunio tempus est calidius, quia Luna nobis proxima est, plenilunio frigidius: quia cum Sol sit nobis proximus: in æstate, in plenilunio Luna illi opposita erit remota à nobis. In hyeme autem plenilunia faciunt tepidiores noctes: quia Luna nobis proxima est, & nouilunia frigidissimas, quia Luna ab est à nobis. Eadem ergo regula erit de omnibus planetis calidis Marte, Venere, Ioue. Contraria de frigidis Saturno atque Mercurio: quando Mercurius naturæ Saturni assimilabitur. Stationes autem planetarum maxime ostendunt eorum vires & rectè obseruauit Io. Vernerus Noricus vir veridicus. Saturnus enim frigiditatem facit, Mars calorem, Iuppiter temperamentum & serenitatem Venus pluuias. Cumque Luna ad ascendens nouilunij aut plenilunij peruenerit plerunque mutatur aër iuxta decretum nouilunij, vel plenilunij, similiter cum ascendens directione peruenerit ad Planetam loci nouilunij, vel plenilunij dominum dando par. 13. min. 11. pro vnoquoque die. Ingressus etiam planetarum in signa sui casus tempora mutant. Coitus quoque plurium & maximè cum fixis similis, aut contrariæ naturæ tempote mutat. Et maximè cum Luna ad illos peruenerit corpore vel aspectu. Cumque tales coitus in plenilunia, aut nouilunia incidunt erunt autem validiores. Minus firmum est quod tamen sæpius obseruatum, verum inuenit Venerem, & Martem, & Solem, cum partem Cardinis occidentalis hora æquinoctij ingrediuntur, maximas aëris mutationes afferre pro suæ naturæ qualitate. Lunam quoque idem facere quoties planetæ occurrit occiduum æquinoctij cardinem peragranti.

Nunc verò reuertor ad propositum, & dico quod hoc est illud quod dixit Ptolemæus superiùs quod erat relinquendum gnauitati Astrologi. Oportet enim talia diligenter considerare. Animaduertendum etiam quod reditus Solis ad eandem stellam fixam singulo anno fermè faceret annum integrum trecentorum sexaginta quinque dierum & sex horarum. Veluti nunc ad primam stellam quæ est in signo Piscium, faceret semper æquinoctium Vernum, quia annus fermè tantum retroactus est, quantũ stellæ fixæ processerunt.



SERVATORIS Geneſis.

ERat tempore Chriſti æquinoctium Vernum vigeſima tertia die Martij: Plinius poſuit (cui credendum eſt, ex obſeruationibus vt veriſimile eſt Soſigenis, iuſſu C. Iulij Cæſaris) vigeſima quinta die Martij: & Brumam vigeſima quinta die Decembris: nunc autem eſt æquinoctium Vernum decima die Martij, ita vt Sol fermè quindecim diebus anticipauerit. Fixæ autem decemnouem partibus proceſſiſſe videntur, ita vt parum à natiuitate Chriſti vſque nunc differant dies anni, in quibus Sol iungebatur ſtellis fixis tempore Chriſti, & etiam tempore noſtro, vt ſint fermè quinque dies differentiæ, in quibus noſtro tempore Sol poſteriùs occurrit ſtellæ eidem, quàm tempore Chriſti. Exemplum, Nonis Ianuarij, id eſt, quinta die Ianuarij ſcriptum inuenitur apud Ptolemæum: Fidicula exoritur, Aquila occidit, Delphinus totus emergit, ventorúmque fit concurſus: dicemus, quòd iſta contingent circiter decimam Ianuarij & infra videbis, ſuo loco. Et ſi ſumeremus motum medium fixarum, quo procedit in cxxxvi annis parte vna conueniret ad vnguem: Anteà enim erat velocior. Ex his tandem deuenio ad id, quod eſt pro exemplo maximo omnium eorum quæ dicta ſunt: Et eſt Geneſis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in qua tot videbis & tanta mirabilia, vt iudices, quòd etſi naturalibus rationibus ſolùm inſiſtendum eſſet, Chriſti natiuitatem fuiſſe admirabilem, naturámque illi tribuiſſe quantum concurſu omnium cœlorum excogitari poterat, & naturaliter legem noſtram eſſe legem pietatis, iuſtitiæ, fidei, ſimplicitatis, charitatis, optiméque inſtitutam: nullúmque habituram finem, niſi poſt reditum eclipticarum, in quo fiet nouus ſtatus vniuerſi. Nec tamen me velle credas dicere, quòd vel diuinitas in Chriſto, vel miracula eius, vel vitæ ſanctitas, vel legis promulgatio ab aſtris pen-



	Motus	*latitudines*
♄	Retrog.	M A 1. 4
♃	Medioc.	S A 1. 31
♂	Medioc.	S A 0. 31
☀	Velox	
♀	Velox	M A 1. 50
☿	Velocis.	M A 2. 0
☾	Velox	S D 4. 22

deant: Sed ſicut natura illum ornauit optimo temperamento, pulchritudine corporis, ſanitate perpetua, grauitate intuitus, quæ omnia fermè ex Ioſephi in de bello Iudaico teſtimonio colliguntur, ſic etiam Deus optimus & glorioſus optima conſtitutione aſtrorum atque admirabili, geneſin illius adornauit: Quòd ſi fruſtra eſſe talem conſtitutionem voluiſſet, duorum alterum contigiſſet: aut vt non omnino tam conſtanter diem & horam natiuitatis illius Eccleſia obſeruaret, imò & horæ momentum: Et vt hæc omnia per tot ſecula innoteſcerent adeò diligenter: vel non adeò omnia fuiſſent in illius genitura ſingularia, magnifica, glorioſa, & tanto concurſu digna: tum verò omnibus quæ ſucceſſerunt de vitæ ſanctitate, de morum grauitate, de ſapientia, de perſecutione, de lege optima promulganda, de maieſtate & concurſu populorum, de morte denique ac mortis tempore, adeò congruentia, vt nil exactiùs poſſet excogitari. Hac igitur fiducia, quòd diuina mens velit alicuius propoſiti cauſa hanc tantam rem euulgandam (quam iam viginti annis atque amplius cum ſtruxiſſem, non auſus ſum ob religionem edere) duxi. Neque in numerum coaptandam tantam luminis maieſtatem cenſui: ſed opportunè hic inſerendam putaui, quòd res maximæ atque generaliſſimæ hic traderentur: Nulla verò illuſtrior toto orbe fuit quàm Chriſtianæ legis promulgatio (omitto nunc diuinitatem) ſiue ad legis magnitudinem, quæ totum orbem complexa eſt, ſiue diuturnitatem, vt quæ iam mille quingentis viginti annis perſeuerat, ſed quòd aduerſus Cæſares orbis dominos (vix credas) vulgata ſit, ſeu quod omnibus maius eſt, quòd aduerſus vitia: Vt ne glorientur qui laxatis habenis liberioris vitæ, ſuum dogma latius breui diffuderunt: Sic enim Mahumetes, ſic reliqui. Facile enim eſt homines iam magno nixu naturæ procacis in vitia delabentes, etiam vncino adiecto ſecum trahere. At aduerſus naturæ inclinationem humanámque leuitatem & auiditatem pugnare, hoc ſolum diuinum eſt, atque Dei munus. Itaque vt ad geneſim reuertar, in illius aſcendente quinque ſunt maxima, rariſſima, atque præcipua. Primum eſt coniunctio ipſa capitum Libræ octaui & noni orbis tam in ſectione eclipticarum cum æquinoctij circulo, quàm etiam, quod caput Arietis parui circuli octauæ ſphæræ in vna eſſet longitudine cum capite Arietis, quod eſt centrum parui circuli ipſius nonæ præſens, non dico quæ præfuerit (nam Chriſti tempore ad vnguem celebrata fuit) hæc autem vt demonſtratum eſt primum, illuſtriſſima eſt concurſu tot ſtellarum clariſſimarum octaui orbis, & effectum ſuum in annos triginta, ſex mille, vt ſuperiùs docuimus, ad minus extendit. Secundum eſt Cometes ipſius fulgentiſſimi præſentia, quæ conturbationem in toto orbe & nomen clariſſimum declarabat. Tertium erat Iupiter, qui ſuauitatem morum & probitatem & manſuetudinem cum eloquentia & ſapientia maxima declarabat. Itaque factum eſt cum in aſcendente eſſet, vt anno duodecimo in templo diſputauerit. Iupiter enim ibi ante tempus dat ſapientiam. Iam, ne anteà procedamus, Iupiter præſtabat gratiam & eloquentiam, & ſuauitatem morum: hanc Cometes per omnes populos velut fulgur repente diuulgabat: Suprema verò coniunctio in animis hominum ita ſtabiliebat, vt neque per turpiſſimam mortem quæ contingit, neque per edicta principum memoria eius qui illum cognouerant, poſſet euelli. Quartum fuit ſpica Virginis, ſtella magnitudinis primæ & naturæ Veneris, ac parum Martis, quæ ante aſcendens fuit partibus ſolùm tribus.

tribus, tum ob par. 2. Australis latitudinis, tum quia verum æquinoctij punctum ascendebat, ideò eloquentiam & gratiam apud gentes præstabat, naturalémque futurorum cognitionem. Licèt enim altiùs diuina resideret, attamen quod supra humanitatem sapientiæ est in humanis ex Veneris fulgentissimo sydere, stellisque ex eius naturâ clarioribus habetur. Quintum erat punctus autumnalis æquinoctij. nam, vt dixi, paululum vel momento temporis ante noctis medium natus est, quod etiam ex directione Lunæ ad occidentis angulum dignoscitur. Itaque ob id necesse fuit Tropicum æstiuum esse in cœli medio, atque ob id, Ptolemæo teste, ad legem promulgandam aptissimum. Ibi etiam erat insignis stella, Hercules vocata, magnitudinis secundæ, naturæ Martis, quæ tot nobiles morti fortissimè obiiciendos declarabat: Tot martyres egregios, tot ordines militum Ioannis, Iacobi, Michaëlis, Petri, Paulique Teutonicorum, Ensiferorum, aliorúmque. Ex occasu verò vnum, scilicet magna coniunctio, quæ in Arietis tertia parte anno ante Seruatoris natiuitatem sexto celebrata est, cùm primùm Saturnus ac Iupiter in trigono Cancri iungerentur: Eáque iuxta Arietis capita vtriusque sphæræ, quæ ad vnguem, vt dixi, in angulo fuerant occidentis. Hoc igitur octauum est insigne huius Genesis, quo decernebatur mors publica atque famosa ob capitum Arietum coniunctionem, Principúmque mandato & ob populi seditionem propter Saturni, Iouísque coniunctionem. Significabat & à morte promulgandam legem, quia capitum Arietum coniunctio erat in ipsa occidentis linea. Duo alia erant insignia ex cœli imo: Solis præsentia indicans mortem præclaram, & à morte nomen clarissimum: Mercurius quoque ibi præsens, & cum Sole, & ascendens respiciens ingenium & dexteritatem maximam, ac solertiam in rebus agendis declarauit. Adeò vt Euangelium referat turbas in responsis eius mirari solitas, quæ constat non à diuina sapientia (quæ nullo tali indiget auxilio) sed ab humanâ profecta esse. Atque hæc illa sunt decem singularia, atque rarissima huius geniturae: quorum concursu penè diuino, effigies quædam tam mirabilium operum, quæ ab æterna serie constituta erant, præmonstrata est. Nunc verò consentientia dicamus, Mercurius in apice parui circuli velocissimus & cum Sole, & in angulo, & dominus ascendentis ex parte, & in quadrato Iouis & Martis præstitit ingenium acerrimum, & prudentiam maximam. Cùm Iupiter esset in opposito Martis, & Mars in domo sua in occidente, contradictiones, æmulationes, insidias, grauissimáque pericula decernebant. Sol in imo Cœli inimicus ascendenti cum Mercurio, & in quadrato Martis Regiam potentiam infensam demonstrabat. Atque id tam ab initio, vt Herodes infantes occiderit, existimans eum inter illos esse. Quia verò Luna significatrix vitæ erat, Sole & Sorte sub terra constitutis, & ipsa sub initio 34. anni ad occcidentis lineam perueniebat in conuersa directione, ísque locus solus in hoc casu occidit, significauit eo tempore moriturum: Cúmque ibi esset Mars Lunæ & ascendenti hostis, crudeliter & violenter periturum: Cúmque ibi essent radii Iouis oppositi mandato Iudicis: cúmque Solis quadrati, etiam Regiæ potestatis consensu: Cúmque ibi coniunctio sphærarum, & magna seditione populorum & consensu gentis. Vnde illa vox plebis, Crucifige, Crucifige. Solem autem radiis suis mortem publicam decernere palàm est, Saturni carpentum in ascendente, quod altitudinem, trigonum & finem ibi possideret, efficit illum mœstum & taciturnum. Adeò vt Iosephus dicat visum sæpius flere, ridere nunquam. Sed & ob id grandior ætate videbatur: spiritus enim tristis exsiccat ossa. Vnde Iudæi existimabant illum quadragesimum annum excessisse, cùm dixerint, Nondum quinquaginta annos habes, & Abraham vidisti? Idem cum Venere faciebat maculosum in facie, vt Iosephus refert, dicens, lentiginosus in facie. Quòd si à Deo omnia fuissent profecta, quorsum erat lentiginosum creari? absoluta enim sunt omnia, quæ à Deo proficiscuntur. Sed vt famescere, sitire, lassari, dolere, propter plagas, mori ob resolutionem caloris naturalis: ita etiam ob Saturni & Veneris dominium maculosum nasci, & quæcunque alia vt cæteri homines, perpeti, naturaliter contigit: præter hoc vnum, quod est ex virgine nasci. Incolumitas corporis & pulchritudo ob Saturni & Veneris dominorum horoscopi, trigonam radiationem ad ipsum horoscopum, Iouísque præsentiam in illo contigit. Cúmque sors esset sub terra in finibus Saturni desolata, significauit paupertatem. Vnde de seipso dixit: Filius hominis non habet vbi reclinet caput suum. Luna & Mars in occidentis angulo in signo terrestri perpetuas quasi peregrinationes, & per terram ostendunt. Infans delatus in Ægyptum & reuersus totam penè prædicationem in itinere peregit. Luna propinqua Pleïadibus tumultus & turbas populorum significabat, & non absque contradictione & periculo, cùm stellæ illæ ex natura etiam Martis sint, & ob Iouis, Martis ac Solis hostiles vicissim radios. Vnde illud Simeonis in Euangelio: Hic est positus in signum, cui contradicetur. Cúmque Saturnus esset in nono loco; atque retrogradus, significauit studium euertendæ legis, in qua natus erat: Nemo autem legem euertit, nisi qui nouam condere vult. Cùm verò illud diuinitùs faceret, naturaliter tamen hoc studium Saturni stella declarabat: Intentúmque perpetuò in opere faciebat. Cùm verò coniunctiones capitum celebrarentur in ascendente & occidente, significauit & ab initio statim & in fine sæculi obseruandam legem iustitiæ, quæ magis etiam circa finem ob Iouis & Saturni coniunctionem iuxta angulum occidentis celebratam. Hoc est, quod dixit: Cùm venerit filius hominis, putásne inuenturum fidem in terra? In medio verò sæculi pessimè homines legem obseruabunt. Nam ibi maximum discrimen est inter Eclipticas: Súntque ibi radij hostiles Solis, Iouis, Mercurij & Martis, quod indicat Regum metu ob Solem, Sacerdotum improbitate ob Iouem, impiorum persuasione ob Mercurium, violentia & bellis ob Martem, euenturum. Itaque videant hi, qui artem veram esse negant, an nos tempus mutauerimus: An astrorum locum malè supputauerimus: An quicquam in decretorum recitatione à Ptolemæi sententia variauerimus? Quid id igitur reliquum est, nisi vt dicant Ptolemæum qui ne forsan vnquam hanc Genesin cognouit, vt arti fidem faceret, totum hunc librum ad eius exemplar confinxisse? Quò quid stultius dici, aut absurdius excogitari possit, non intelligo.

CAPVT X.

TEXTVS LV.

De Nouilunio.

DEmonstrata iam ratione vniuersalis considerationis regionum ac vrbium, sequitur quædam subtilior exquisitio, eorum, inquam, quæ singulis anni temporibus euentura sint, cuius tractatio quandam desiderat de nouilunio (vt vocatur anni) dispositionem.

Cùm declarasset omnia illa quæ pertinebant ad res generales, quæ sunt quasi præter naturam in præsenti capite, aggreditur secundam partem principalem, quæ est de propriis qualitatibus vniuscuiusque partis anni. Quam tractationem procedente subtiliorem appellat, quoniam (vt diximus mutatio temporum ex ventis contigit: Ventorum ratio, causa, origo, accidentia, qualitates tam obstrusæ sunt, tam variæ, mutabiles incertæ, vt Aristoteles alioquin maximus naturæ indagator, nihil aliud proferre ausus sit, quàm quòd ventus sit exhalatio calida & sicca: Quòd an planè omnino verum sit, meritò quisque possit dubitare. Quòd verò sequitur ex hoc arduum atque difficillimum est, quòd Gallaratæ pluit atque Cardani media via serenum est, cum tamen vix mille passibus distent hæc duo oppida. Quænam igitur erit ars aut coniectura tam subtilis, qua discrimen hoc causas illius in tam paruo spatio, quod vicem puncti gerit, seu ad cœli ambitum visibilem, seu ad terræ superficiem conferatur assequi possit. Torsit me diu hoc argumentum atque vt existimo Ptolemæum etiam, propter quod coactus fuerit illa verba addere (sequitur quædam subtilior exquisitio) nec ullum maius argumentum Astrologo obiici posse, dubium non est. Sed si medicina ea re inomata curare non possit, non propter id ars contemnenda est. Nulla enim ars quantumcunque egregia, omnia complecti potest atque assequi, multa omittit Medicina, multa desunt in Geometria, plurima in Musica, neque Gramatici, neque Rhetores, neque Dialectici artes suas perfectas habent. Quid dicam de Peripatetica Philosophia, quæ ne vnius fermè problematis exquisitam rationem naturalem hucusque docebat. Atque ea de causa hæc pars in Astrologia mãca est, quæ de vẽtis agit atque imbribus, quòd in ipsa Philosophia naturali causæ ventorum atque ortus à quibus imbres proueniunt non solùm omnino incertæ sint, sed ne vnus Peripateticus quidem vel tentare ausus sit, cùm tamen ingentia volumina nugis suis repleant, digladiantes inuicem, non ex ipsis rebus argumenta sumentes: Sed verba Aristotelis tanquam Dei venerantes: Et vt prophetæ ancipitia, vel vt ineruditi Astrologi perplexa & plures habentia contrarios sensus quàm verba, non secus ac ouillam pellem quantum volunt distrahunt, atque quo libet distorquent. Nec hæc mea est accusatio sed Galeni. Vtinam verò vel ipse scripsisset, vel qui solus meritò probandus est inter peripateticos Galenoque atque nobis admirabilis videtur, quæ scripsit de ventis Theophrastus, inuenirentur. Præstabit igitur forsan (Neque enim aliter pars hæc Astrologiæ intelligi potest vllo modo) quæ nos in libris de Varietate rerum scripsimus de ventis, diligenter perlegere. Cùm igitur de nouilunio, id est, νεομηνία (Quæ autem sit inferius declarabitur) quæstionem proposuisset, quæ differant audiamus dicentem.

TEXTVS LVI.

Quod igitur illud principium capi oporteat à reuersione Solis in omni ambitu illius, ac eum locum vnde abierat ipsa res docet cum effectione ipsa tum etiam nomine. Quale autem principium in circulo constitui simpliciter possit, omnem etiam cogitationem fugere videtur. In illo tamen circulo qui describitur per media signa, probabilia sola principia sumpserimus, eorum punctorum quæ æquinoctialis & coluri signant, hoc est, bina æquinoctialia & bina tropica. Sed rursum & hic dubitatio alicui forte oriatur, quo nam ex his quatuor vt principe rectè vtatur. Atque est de simplici quidem & circulari natura horum nullum vt vnius principij præcipuum. Scriptores tamen harum rerum vno quopiam vsi sunt alio sanè alius cui quisque principium pro ratione & sensu naturæ ascriberet. Etenim singula hæc membra eximium quoque quiddam habent cur principium & nouum annum sibi iure vendicare videantur. Nam æquinoctij verni proprium, vt tum longiores dies noctibus fiant, humiditatisque, hoc est, tempus. Humiditatis autem natura potissimum vt ante quoque diximus, in exordiis geniture regnat. Solstitium longissimum diem edit, & Ægyptiis inundationem Nili, ac ortum Caniculæ significat. In autumnali æquinoctio cadit tempus condendarum frugum, & quasi de nouo principio aliarum semina terræ mandantur. Bruma diem incipit diminutum producere. Sed conuenientius mihi ac naturalis videtur, ad annuas inspectiones quatuor principia constituere, obseruatis & præcedentibus coniunctionibus Solis & Lunæ, cum interlunij, tum plenilunij, atque

atque in primis defectiuis. Atque ita de Arietis principio iudicium facere de statu Veris. De Æstate à Cancro. De Autumno à Libra De. Hyeme à Capricorno.

Proponit tres dubitationes : prima est quomodo in circulo possit inueniri principium. Secunda dato quod detur : an vnum, an plura : & si plura quæ potiora sint. Tertia vbi dentur cum motus Solis sit tardus, quomodo possit inueniri momentum in quo Sol illud, aut illa ingredietur. Et ita respondet singulis quæstionibus per ea, quæ sunt magis verisimilia. Et ita licet coniungat solutiones duarum primarum dubitationum simul, tamen dubitationes inter se sunt disiunctæ. Ergo in solutione vtriusque laborat Ptolemæus ad declarandum quod oporteat quatuor principia, pro quatuor anni temporibus obseruare : Illud intelligens quod cum via Solis circulo constet non potest vnus punctus habere vim supra totum annum : quia alia puncta & ipsa habent vires cum sint saltem quatuor principalia : vocat autem νεομηνίαν non interlunium, vt iste exposuit, sed noui mensis initium, seu nouum mensem, quasi dicat nouum principium anni. Consulit igitur adductis rationibus pro singulis partibus, vt pro verè. Inspiciamus primùm ipsa puncta quatuor regia tanquam initia mutationum temporum, sed non statim verum post dies magis nam neque robur æstatis apud nos incipitur decima die Iunij, nec hyemis duodecima Decembris, nec Ver decima Martij, sed maximus calor apud nos est circa 20. Iulij. 40. diebus fermè post Solstitium, tum quia feruor incipit in ipsa imagine quietis Solis quæ fit in primo puncto Cancri quod est solstitium æstiuum, & actio illa augetur tanquam ex principio licet Sol recedat, quoniam incrementum est ex principio & locus non repugnat calori, quia in consimili, scilicet per totidem dies ante solstitium adhuc calor videbat. Et ex hoc apparet ratio principij in Astrologia ex quo idem contingit in coniunctionibus Solis, cum canicula & cum Marte in æstate, & cum Saturno in hyeme, vnde visus est errare ille qui prædixit hoc anno 1558. futurum maximum calorem circa finem Iunij, credo ob coniunctiones Solis, & Martis in se primo, inde cum Procyone non tamen errauit nisi in paucis diebus, debuerat enim transferre hoc ad 10. Iulij, quod & euenit ob causas dictas. Deinde consideremus coniunctionem vel oppositionem quæ primo præit ingressum Solis in primum punctum Arietis, & pro æstate Cancri, & pro autumno Libræ: & pro hyeme Capricorni : Et maximè si coniunctio illa fuerit cum eclypsi Solis, vel oppositio cum eclypsi Lunæ. Et ideò accipit coniunctionem vel oppositionem, quia vtraque potest esse causa alicuius eclypsis. Et omne quod est potentia tale, est etiam principium agendi, & reiicit quadratas radiationes in hoc quia non possunt esse causa alicuius deliquij. Iubet autem considerare coniunctionem vel oppositionem, quia possumus cum exquisitè sciant, erigere thema cœli, & cum hoc etiam considerare ingressum ipsius Solis punctum illum æquinoctium aut solstitiale. Sed quia tempus illud non habetur adeò exquisitè, non possumus erigere thema cœli : Sed sufficiet disponere Planetas in locis & videre aspectus : Sicut fiant duæ figuræ pro Verno tempore, & duæ pro Æstate, duæ pro Autumno, & duæ pro Hyeme: Et sic erunt octo figuræ : quarum quatuor erunt perfectæ cum situ Planetarum & erectione domorum. Et sunt illæ coniunctionum vel oppositionum luminarium, quæ proximè magis antecedunt ingressum Solis in punctum cardinale. Voco puncta cardinalia initium (vt dixi) Arietis Cancri, Libræ & Capricorni. Et quatuor figuræ imperfectæ in quibus solum est situs Planetarum, & sunt sumptæ ab ingressu Solis in illa quatuor dicta puncta cardinalia.

Sed si fuerit eclypsis Lunæ ante ingressum Solis in punctum cardinale, & inter eclypsim & ingressum Solis fuerit coniunctio luminarium sine eclypsi, vel si fuerit eclypsis Solis in hyeme, inter ipsam autem & ingressum Solis in primum punctum Arietis, media sit alia coniunctio vel oppositio : quid dicendum erit. Respondeo quod eclypsis primo erit consideranda, quia si potest super totum annum vt visum est, multò magis super Ver solum, aut Aestatem, aut Autumnum, aut hyemem cui proximior erit. Figura igitur eclypsis primum locum obtinet statim sequentis temporis & in parte anni etiam in qua effectum suum ostensura est: In reliquis autẽ partibus anni obtinet vltimũ locum nisi sit eclypsis valida. Secundum locum obtinet figura ingressus Solis in punctum cardinale quò ad robur, sed non quò ad cognitionem. Tertium locum, quò ad robur, obtinet figura interlunij vel plenilunij proximioris ingressui Solis in punctum cardinale.

His visis ponamus quod in Vere sint signa multi humidi, significabit putredinem fructuum & paucitatem illorum & abundantiam herbarum inutilium. Et si fuerint signa caloris arbores cito emittent folia & florebũt citò & fructus verni, vt fraga & cerasa erunt tempestiui:& si nõ colligantur ante maturitatem præcipue cerasa vermes parient : & apparebunt rosæ ante tempus non multum odoratæ & erunt omnia similia moribus temporum nostrorum, id est, composita ad speciem potius, quàm ad ipsam rem : Erit igitur Ver formosum & inutile. Quod si præter id sint signa frigoris & siccitatis: in fine veris cadet pruina iuxta plenilunium, & erunt paucissimi fructus eo anno, vini fermè nihil. Quod si Ver futurum sit siccum pauci erunt fructus & boni & penuria frumen. Quod si Ver fuerit frigidum fructus erunt serotini. Aestas verò si multis abundauerit pluuiis, fructus æstiui putrescent, & non erit copia frumenti, multique morbi erunt. Si verò sit siccior, erit penuria frumenti, fructus æstiui erunt salubres, Pisces morientur, morbi acutissimi. Si verò calidior erunt & morbi multi,

ti, & multa copia fructuum æstiuorum. Si frigidior incolumis annus, fructus serotini.

Autumnus humidior, putrefacit vuas, vinaque facit quæ vere peruertuntur. Si sit vltima parte humidior, sequenti anno erit penuria frumenti. Si siccior in prima parte eo anno penuria erit milij. Si calidior, erit morbosus atque omnino malus. Si frigidior, autumnalium fructuum fiet iactura in quantitate, sapore, & gratia.

Hyems frigida & sicca laudabilis est, frigidissima occidit arbores maxime, quæ cœlo calido gaudent: Ideoque in primis punicam malum, inde ficum & persicum, & super omnia malum medicam cuiuscunque generis: dico citria, arancia, limunia, & si magis sæuiat vitem & oliuam, cerasa & chrysomela. Calida verò & humida hyems insalubris & segetibus inimica. Omnis præterea immoderata intemperies mala & peruersio temporum etiam mala, & æqualitas illorum. Ventorum quoque multitudo noxia fructibus est, paucitas segetibus, tranquillitas totius anni de pestilentia suspecta est. Hæc igitur, cognitis primis qualitatibus, prædicere oportet Astrologum.

Quomodo autem primas qualitates cognoscere queat ex tribus illis figuris, aut saltem duabus si deliquium nullum adsit regulam tradidit Ptolemæus dum de deliquiis loqueretur. Inspice igitur quinam Planetæ inspiciant Solem ingredientem locum cardinalem, & vbi Luna sit: nam si propinqua sit Soli & infra terram, siccior erit constitutio: Et si remota & super terram, humidior: Et si commista Ioui, aër serenus erit, temperatus & clarus: Si Veneri: humidissimus, & pluuiosus. Venus enim pluuiarum mater est. Eadem ratione videbis & fixas quæ Lunæ commiscentur. Postremo & dominos loci Lunæ considerabis: Quod si cardinem sequentem ingressum potueris habere exquisitè non prætermittes. In interlunio autem vel plenilunio ipsum omnino considerabis etiam vt dictum est in deliquiis. Ex hoc patet quod deliquia, quæ fiunt in signis bicorporeis sunt maximè consideranda: tum quia omnia præter pisces sunt humanæ formæ, tum quia fiunt ante ingressum Solis in punctum principale.

TEXTVS LVII.

Nam ipse quidem Sol vniuersales temporum constitutiones & modos facit, vnde & penitus imperiti Mathematum futura prænoscunt. Sed & proprietates signorum ad significationem ventorum & generalium naturarum assumendæ.

Docet nos duos, primum quod Sol iuxta naturam stellarum quibus applicat generales facit constitutiones: vt pote quod cum iungitur Caniculæ commouet maria & maximos æstus parit, & multos morbos, & hoc semper, & similiter cum Vergiliæ oriuntur, flat Auster: oriuntur autem mense Maij: Cum verò exoritur Orion flat Aquilo: oritur autem post Caniculam die sequenti mense Iulij: mense verò Februarij cum Fidicula occidere incipit: Fauonius flat, confirmatur autem zona Orionis emergente, inde terra aperitur & pullulare incipit. Hæc igitur inquit Ptolemæus norunt cognoscere (etiam si Mathematica carent quod & superius in primo libro docuerat) nautæ atque etiam prædicere. Similiter & agricolæ ventorum & statuum cœli habent cognitionem, quoniam à Sole pendet talis generalis mutatio.

Propterea consulo, vt quilibet qui velit de futuris pronunciare statibus temporum anni, obseruet tribus vel quatuor annis exortus syderum & occasus singulis diebus, & præter id diligenter ventos, & cœli status in sua regione: & in quibus concordant statusque ipsi consistunt, adnotet, tabulamque faciat toti anno inseruientem exemplo deducto à Ptolemæo qui talem obseruationem non omisit, quæ ad nos peruenit diligentia Nicolai Leonici, qui illam in Latinum vertit sermonem, impressaque habetur cum P. Ouidij Fastis à Colinæo Lutetiæ, opus sanè perquam elegans: Sed cum tam publicum esset frustra hic adiiciendum duxi. Ptolemæus autem ad situm vrbis Alexandrinæ illum construxit. Quamobrem cum nulli alii vrbi inseruiret, sola methodo vtilis ille liber est, vt sibi quisque talem fabricare possit. Nam vt facilius quisque ex illo Ptolemæi ad suæ vrbis verticem & consuetudinem traducere possit, obseruet primum præter æquinoctia & solstitia, & nostro tempore ita disponuntur æquinoctium vernum die decima Martij, solstitium æstiuum vndecima Iunij, æquinoctium autumnale tertia decima Septembris, bruma vndecima Decembris, congressus Solis ad stellas, vt dixi fit fermè quinque dieb. post eam diem, quam scripsit Ptolemæus. Exemplum zona Orionis emergit nonis Februarij, id est, quinta die, vt Ptolemæus ponit, eo in libello adiiciens turbidus est aër Fauonij flatu. Primum igitur accepta sphæra in qua stellæ descriptæ sint locis suis diligentissimè, animaduertes quando cingulus Orionis orietur. Id verò erit circa decimam Februarij vt dixi, id est, quinque diebus post obseruationem Ptolemæi (Nam regula non tenet ad vnguem in omnibus propter diuersitatem altitudinis poli.) Obseruabis etiam quisnam ventus spiret: qui profectò nobis est Fauonius etiam: Nam in astrorum ortu & occasu semper concordabunt obseruationes nostræ cum obseruationibus Ptolemæi, paruo discrimine temporis excepto: de ventis autem & cœli statibus etiam plerunque. Scripserat de hoc Franciscus Sirigatus, sed non satis experiri potui, an exortus illi veri essent, atque occasus iuxta finitoris nostri rationem secundùm quam conscripsit librum, sed omnino partem obseruationis temporum non attigit. Quamobrem si ea vera esset tantò minus deesset. Fuerat consilium mihi hanc ad librum istum traducere, quæ Ptolemæi erat emendatam atque

perfectam, sed cum considerarem soli posse conuenire vni regioni, atque neque illi perpetuo nec diu, sed solum quantum ad vsum vitæ vnius hominis sufficiat, æquum non duxi tam inutili labore chartas implere. Nam quod ad exemplum attinet atque inuentionem, sufficit libellus ille Ptolemæi iam omnibus vulgatus, magna certè vtilitate humani generis. Consulo igitur vt quisque sibi qui velit mutationes temporum cognoscere pro sua ætate atque regione libellum similem sibi fabricet.

Secundum est quod non solum fixas obseruare oportet, quibus Sol congreditur, sed etiam signorum ipsorum naturas, veluti quod Aries sit humidus, calidusque parumper, & mobilis æquinoctij signum Verni, atque talia eiusmodi quæ ad signa noni orbis pertinent. Dixit autem ventorum & generalium naturarum, quoniam non solum propter stellas venti mouentur, sed propter naturam etiam locorum signiferi.

TEXTVS LVIII.

Temporalium autem mutationum incrementa & diminutiones indicabunt vniuersaliter quidem vicinæ prædictis punctis coniunctiones, & erga has stellarum errantium configurationes, particulariter verò in vnoquoque signo interlunia & plenilunia, itemque stellarum transitus, quam menstruam inspectionem nominare liceat.

Intendit duo, primum quæ possint constitutionem ingressus Solis generaliter augere, vel minuere, puta calorem qui decernitur à Sole quando ingreditur primum punctum Cancri, & dicit quod erunt coniunctiones (supple præcedentes talia puncta) & errantium stellarum configurationes, & per coniunctionem intelligit etiam oppositionem. Dixit autem hoc propter duo: Primum vt intelligeremus quod oportet etiam in coniunctionibus ipsis vel oppositionibus Solis & Lunæ præcedentibus ingressum Solis in puncta cardinalia etiam considerare configurationem reliquorum Planetarum, quod dicere prius omiserat. Secundùm, vt intelligeremus differentiam coniunctionum, vel oppositionum præcedentium ingressum à coniunctionibus & oppositionibus luminarium sequentibus ingressum, & est duplex: Vna quia in præcedentibus oportet vnam tantum considerare coniunctionem vel oppositionem, in sequentibus omnes coniunctiones vel oppositiones. Secunda est quia coniunctio præcedens vel oppositio (proximiorem autem, vt dictum est semper intelligo) supra totam quartam anni significat, quæ verò sequuntur coniunctiones & oppositiones (& hoc est, secundùm principale) singulorum mensium significationem habent. Ex quibus colligo quod coniunctio vel oppositio, quæ præcedit ingressum Solis in punctum cardinalem, duo genera effectus habet, proprium & generalem: proprius est vsque ad tempus ingressus Solis in punctum cardinalem: generalis ab ingressu Solis in eundem punctum. Exemplum: sit coniunctio Solis cum Luna secunda die Martij: æquinoctium Vernum decima die: solstitium æstiuum, vt dixi vndecima die Iunij: tunc proprius effectus illius coniunctionis extenditur à secunda die Martij ad decimam eiusdem: generalis autem à decima Martij ad vndecimam Iunij. Quòd verò dixit (stellarum transitus) explicabit inferius, ibi videbis à nobis expositum. Cæterùm quod dixerat prius oportere Solis congressum cum stellis fixis seu signis octaui orbis ac signis zodiaci obseruare, hoc in sequenti capite qualiter fieri debeat, docet. Cap.11.

CAPVT XI.

TEXTVS LIX.

De particulari natura signorum in tempestatibus.

AD hæc teneri debent particulariter proprietates naturales signorum ad annuas constitutiones, nec non singularum stellarum, quas nos suprà exposuimus, accommodatis errantibus & similis modi inerrantibus ad aëris & ventorum, tum temporum anni familiaritates. Restat nunc particulares signorum naturas exponere.

Tria proponit de proprietate temporis dignoscenda: Primum est cognitio stellarum erraticarum, quo ad naturam propriam quam descripsit supra: Cap.8. Secundum est natura ipsarum inerrantium quam in primo libro Cap.8. descripsit: horum vtrunque dicit esse explicatum, si modo illa quæ dicta sunt ad aëris, ventorum & partium anni naturam accommodentur. Gratia exempli, Saturnus dominatur in Vere: Ver est humidum valdè, calidum parum, plurimum ventosum: significabit igitur Saturnus cum sit valdè frigidus, parum siccus, minimè flatuosus: Ver quidem egregiè frigidum, non tamen siccum, sed parum humidum, parumque flatuosum, non tamen omnino absque flatibus. Quòd si dominetur in æstate non iam frigidam æstatem, sed temperatam faciet, siccam immoderatè, penitusque tranquillam. Similiter nosse oportet qualitatem regionis: nam in Scotia minuet ventos Saturnus, frigiditatem verò aëris faciet: In Aethiopia frigidum non faciet aërem, faciet tamen tranquillum. Per familiaritatem aëris igitur intelligit regionum diuersitatem, & etiam qualem quisque aërem progignat, nebulosum, pluuiosum, frigidum, siccum, humidum, calidum, turbulentum, clarum, crassum, tenuem, molestum, salubrem, grauem: qualesque

que ventos Saturnus Orientales, Mars Occidentales, Iupiter Boreales, Venus Auſtrales. Idem dicit declaratum fuiſſe de fixis: vtpote ſtella de natura Saturni, opera Saturni faciet: quæ verò de natura Saturni eſt & Martis exiccabit quidem vehementiſſimè, cæterorum citra moleſtiam calefacient aut refrigerabūt. Tertium verò quod declarandum ſupererat, eſt vt ſignorum naturæ, ſeu ſigna ſumantur pro ſpaciis zodiaci in nono orbe, ſeu pro figuris quæ in octauo orbe conſtitutæ ſunt per ſtellas, quas palam eſt multum à ſignis zodiaci receſſiſſe: adeò vt totus fermè Aries octaui orbis ſit, in Tauro noni orbis: & Tauri magna pars in Geminis.

TEXTVS LX.

Arietis igitur ſignum generaliter eſt propter ſignificationem æquinoctialem tonitruoſum, & grandinoſum. Particulariter verò hæc & intenduntur, & remittuntur de proprietate inerrantium ſtellarum, quæ in illo nunc inueniuntur. Priores illius partes imbres & ventos cient, mediæ temperatæ, extremæ, æſtuoſæ & peſtilentes ſunt. Septentrionales ſpacium æſtuans corrumpenſque, auſtrale glacioſum & frigidiuſculum.

Tauri ſignum præ ſe fert generaliter vtrunque modum & eſt ſubcalidum, ſed particulariter priora vbique Vergiliæ viſuntur, turbulenta, ventoſa, & nebuloſa habet. Media humectantia & frigida. Sequentia vbique ſucculæ conſpiciuntur, ignea fulminum ac fulgurum efficientia. Septentrionalia temperata, auſtralia inſtabilia ac incerta.

Signum Gemini, vniuerſaliter eſt temperationis efficiens, particulariter verò primoribus in partibus humidum ac corrumpens. Mediis temperatum. Poſterioribus miſtum ac incertum. Septenrionalibus ventos ciet & terras concutit. Auſtralibus aridum & æſtuoſum.

Signum Cancri generaliter ſerenitatis & æſtatis effectionem ſortitum eſt, ſed particulariter in principio ſui, & iuxta præſepe ſuffocat & terras quatit, caliginemque offundit. Medium temperatum, in fine ventoſum. Tam Septentrionali, quàm Auſtrali in ſpacio igneum corrumpens, æſtuoſum.

Leonis ſignum, in vniuerſum æſtuat ac ſuffocat, particulariter verò habet principium ſuffocans ac peſtilens. Medium temperatum. Finem ſiccum corrumpens. A ſeptentrione inſtabile eſt & igneum ab auſtro humidum.

Virginis ſignum, in vniuerſum humidum eſt, ac tonitruoſum, ſed particulariter incipiens calidiuſculum ac corrumpens. In medio temperatum, deſinens aquoſum. Septentrionale ventoſum, Auſtrale temperatum.

Chelæ ſignum ſunt generaliter varium ac mutabile, verum particulariter primis in partibus ac mediis temperatum, vltimis aquoſum. Septentrionem verſus ventoſum. Ad auſtrum ſiccum ac peſtilens.

Signum Scorpionis vniuerſaliter eſt tonitruoſum ac igneum, ſed particulariter priores partes ninguat. Mediæ temperatæ ſunt, poſteriores turbulentæ, ſeptentrionales æſtuant, auſtrales humectant.

Signum Sagittarij in genere ventoſum, particulariter in principio ſui humidum, medio temperatum, calce igneum eſt. Ad ſeptentrionem vergens ventoſum, ad auſtrum humidum & variabile.

Signum Capricorni generaliter humidum eſt, in prioribus partibus æſtuans & corrumpens, mediis temperatum, poſterioribus pluuioſum, tam ſeptentrionalibus quàm auſtralibus humidum ac corrumpens.

Aquarij ſignum in genere eſt frigidum & aquoſum, ſed particulariter prima habet humida, media temperata, extrema ventoſa, ſeptentrionalia æſtuantia, auſtralia niuoſa.

Signum Piſcis vniuerſaliter frigidum eſt & ventoſum, partes autem priores quidem temperatas, medias verò humidas, poſteriores æſtuantes. Septentrionalis ſitus ventoſus, Auſtralis aquoſus eſt.

Tres diuiſiones Ptolemæus inſinuat: Prima eſt ſigni, vt ſimpliciter ſumitur in nono orbe & ab omnibus ſeparatum ſtellis: Secunda, vt ipſum ſignum noni orbis diuidit in tres partes, principium, medium & finem: Tertia, vt diuiditur in partem Borealem & Auſtralem ſignum vnumquodque. Oportet autem oſtendere quod in principio vniuſcuiuſque ſigni intelligat de ſignis noni orbis, quia dicit de Ariete quod eſt tonitruoſum & grandinoſum: & ſimiliter illa verba (Tauri ſignum præ ſe fert generaliter vtrunque modum) per ea verba (vtrunque modum) intelligit tonitruoſum & grandinoſum,

quæ non essent necessaria, vbi per Arietem intelligeret signum octaui orbis, seu figuram illam, quæ describitur à stellis. Item quia dicit se velle loqui de signis in principio capituli, & cùm dicit signa, simpliciter intelligit de signis noni orbis. Sed quod in aliis diuisionibus intelligat de figuris octaui orbis videtur: quia stellæ quæ sunt in filo septentrionali Piscis, vt dixit in primo libro, sunt de natura Iouis & Saturni, & illæ iam erant tempore Ptolemæi in principio Arietis nonæ sphæræ, igitur prima pars Arietis nonæ sphæræ debuerat dici pluuiosa, vel temperata, & non quod imbres & ventos pariat, quod propriè conuenit stellis solum Mercurij, & Veneris, & Saturni & Iouis. Rursus stellæ quæ erant tempore Ptolemæi, vsque ad medium Libræ erant ex figura Virginis iuxta quadrilaterum de natura Martis nonnullæ, & tamen ponit hic eas temperatas: Igitur si partes illæ Libræ sunt temperatæ, non possunt referri ad stellas Virginis, sed ipsius Libræ in iugo quas dicit esse de natura Iouis & Mercurij. Præterea non fuisse doctrina hæc perpetua, sed mutabilis secundùm tempora: quoniam constat quod Ptolemæus nouit optimè stellas fixas moueri. Sed vtcunque sit certum est, quod cum parum differrent tempore Ptolemæi signa octauæ sphæræ à signis nonæ, & ipse has facultates tribuat his signis propter stellas, quòd melius est intelligere, proprietates partium initij medij, & finis Borealium & Australium, de figuris noni quàm octaui orbis à stellis descriptis. Vt sit sensus exempli gratia, in signo Arietis hoc modo:

Cap. 8.

Arietis signum noni orbis quod triginta gradibus continetur, cùm sit signum æquinoctium tonitruosum est & grandinosum totum: Verùm quod ad partes attinet, qualitates hæ augentur ac minuuntur iuxta stellas quæ in eo sunt. Quoniam priores partes propter stellas quæ ibi nunc inueniuntur imbres & ventos faciunt. Stellæ enim quæ ibi sunt naturam signi imitantur, eique effectum per se faciunt: Mediæ verò temperatæ, quoniam ibi sunt stellæ de natura Veneris: Extremæ æstuosæ atque pestilentes, quoniam ibi stellæ Martiæ sunt. Septentrionale autem spacium æstuans est & morbosum, quoniam stellæ quæ ibi sunt ex figura Arietis, sunt de natura Martis, quæ verò sunt in spacio australi, de natura Saturni sunt. Ideò spacium illud glaciosum est & frigidiusculum. Verùm dubitabit aliquis quomodo dixerit glaciosum & frigidiusculum, cum glacies à maximo frigore fiat? Intelligit igitur frigidiusculum altero duorum modorum, vel ratione quantitatis temporis, quia parum durat tale frigus, & licet congeletur glacies tamen fit solum tempore noctis. Vel quia glacies illa non tam à frigore congelatur ob eius magnitudinem, quàm quod sit frigus siccum & propter vicissitudinem frigoris & caloris facilius congeletur: sicut & aqua calida ob eandem causam facilius frigida congelatur.

Mirum videri poterit quod succulæ Ptolemæi tempore in vltima parte Tauri etiam essent: cùm etiam nunc ibidem duæ ex his sunt, & vna in initio Geminorum, nam alia sunt extra signiferam & sunt Martiæ naturæ, sed haud absurdum est vt describuntur fuisse plerasque in vltima parte Tauri vltra vigesimam partem, aliquas ad vigesimam positas: dictamque vltimam vbi succulæ essent, non quòd succulæ in vltima essent parte: Et meritò fulmina hæ efficiunt: nam naturam stellarum simul cum natura signorum hic considerat. Estque hic locus, quo damnati igne comburuntur. Et qui in eo nascuntur furibundi siue violenti inconsulti & atroces. Innuit autem Ptolemæus transferenda esse significata hæc per loca signiferi, iuxta stellarum situm tempore illo. Vult ætate nostra initium Tauri particeps est, & simile his, quæ dixit Ptolemæus tempore suo de medio Arietis, nec simpliciter id agendum, sed habita ratione sphæræ ob inclinationes & latitudines, ob motum strepidationis. Et ideò error exiguus esse potest.

Notandum etiam circa hoc, quod Sol maximè, inde Luna calorem & frigus variant Sol præcipuè tribus modis, primùm, vt coniungitur stellis in Leone quidem calidissimis, in Cauda Capricorni & vertebris Aquarij, quæ sunt ex natura Satuni, & Mercurij, & nunc sunt inter 19. & 22. partem Aquarij. Et si cui iungantur Mercurio, aut Lunæ, aut domino ascendentis aut sint in ascendente, manifestum sentit detrimentum in partes per locum, illud aut sydus significat. Et cùm Sol fuerit cum eis hebetabunt illius lumen & mundum insigniter refrigerabunt. Et hoc durat per tres aut quatuor dies, tot enim diebus peragrat quatuor illas stellas. Secundus modus est cum oritur astrum vtpote Canicula pro calore, fidicula pro frigore: Sed tamen Sol distat ab eis, quia videtur & durat diebus multis, sed est minus validus ob distantiam. Tertius est etiam imbecillior & est ortus, vespertinus, vel quiuis occasus.

CAPVT XII.

TEXTVS LXI.

De particulari tempestatum consideratione.

His igitur expositis sequitur percursio particularium significationum, quæ talis sit. Vna est ratio generalis respectu quadrantum signiferi, qua, vt diximus, obseruanda sunt, proximè antecedentia æquinoctiales ac tropicas significationes, interlunia ac plenilunia, horumque vtrorumlibet in vnoquoque proposito climate cardines tanquam genituræ tempore constituendi, tum cognoscendæ dominatrices stellæ cum inrerluniorum, tum pleniluniorum loci, & sequentium

hunc

hunc cardinum ſicut, ſupra in deliquiorum doctrina expoſuimus, atque ita vniuerſalia de proprietate quadrantum exquirere, ſed intentioac remiſſiones de dominantium ſtellarum natura,; cuiuſque modi ac conſtitutionis effectionem illæ habeant, perdiſcere oporret.

Cùm declaraſſet ſignorum nonæ ſphæræ virtutes & ſimpliciter, & prout in eis ſtellæ fixæ conſtituebantur Ptolemæi tempore, itemque totius ſigni cuiuſque, & partium, principij, medij & finis: non quod per principium exquiſitè intelligat decem primos gradus, & per medium decem ſequentes gradus, & per finem decem vltimos gradus: Nam ſi ita fuiſſet Ptolemæus declaraſſet, cum vno verbo magnam potuiſſet afferre lucem. Sed neque verum erat cum in quibuſdam ſtellæ principij ſigni ad medium vſque perueniant fermè in aliis medij vſque ad vigeſimam quintam partem, atque ita de fine qui quandoque plus, quandoque minus extenditur, Sed & neceſſarium erat vt ob inanitatem partes aliquæ, vel principij vel medij, vel finis, non ipſius partis qualitates, ſed potius totius cum nullæ ibi eſſent ſtellæ, retinerent. In aliis verò ſtellæ adeò ſunt confuſæ atque inuicem propinquæ, vt octauus gradus gratia exempli, & ſeptimus naturæ magis ſit medij ſigni, quàm principij, ob id per principium intelligere oportet primam ſigni partem: Inde illi partes propinquas vſque ad aliquot: & per medium quintam decimam & ſextam decimam partem, & illi propinquas vſque ad aliquot vltra citraque: per finem verò vltimam partem ſigni & aliquot præcedentes proximiores, vtpote modò quatuor aut quinque, modò octo vel nouem, modò duodecim. Accedebat quod & ſi Ptolemæi tempore ſigna potuiſſent in denas, ac denas, & denas partes æqualiter diuidi, cum Ptolemæus intelligeret fixas ac perpetuo moueri, non poterat hanc regulam diſtributionis ſignorum tres æquales partes vllo modò imitandam nobis proponere: Poterit autem noſtris temporibus ſic imitari, ſi inſpiciamus in cuiuſcunque ſigni prima parte quintadecima & trigeſima, quænam ſtellæ & cuius naturæ ſint ibi vel proximiores, & ſecundum illarum naturam pronunciare de principio medio atque fine: quod ſi altrinſecus diuerſarum ſtellarum ſint naturæ, etiam miſtio quædam ex illis pronuncianda erit: quonam pacto autem id faciendum ſit (alioquin difficile opus (facilè intelliges: ſi accepto libro Magnæ compoſitionis Ptolemæi videris ſtellas, quæ tunc erant in principio Arietis medio & fine, atque ita de aliis ſignis, quomodo ex natura Planetarum ad naturas temporum ipſe traducat: conſiderat autem maiores & illuſtriores ſemper, & ex his iudicium facit: quibus bene intellectis, illarum locum noſtro tempore conſidera, & cui maximè propinquæ fuerint ex principio medio, vel fine alicuius ſigni tale illud pronuncia, ſcilicet principium vel medium, vel finem. Hoc autem eo commodius quia Ptolemæus quæ de partibus pronunciat ſignorum non ſimpliciter, ſed comparatiuè profert. Veluti cũ dicit Leonis ſignum in vniuerſum æſtuat ac ſuffocat propriè verò principium habet magis ſuffocans ac peſtilens, namque ibi ſtellæ ſunt naturæ Sarurni & Martis; Saturnique & Mercurij, & Martis ſplendida, medium verò temperatius, quòd ſtellæ ibi ſint naturæ Saturni & Veneris, tum verò Veneris ſimpliciter & parum Mercurij, finis autem ſiccior atque exitialis propter ſtellas, quæ ſunt in capite Virginis & in ala Boreali, quæ ſunt de natura Mereurij & parum Martis, & quæ eſt in vola poſteriore Leonis naturæ eſt Saturni & Veneris: vnde conſtat temperies illius, quò ad ſtellas ex natura Saturni, Martis & Veneris. Manifeſtum eſt autem talis natura in qua Mercurius primo dominatur, inde Mars, inde Saturnus & Venus exitialis eſt Si ergo pronunciandum erat de Leone tempore Ptolemæi; ita dicendum fuiſſet: Leonis initium æſtuat ac maximè ſuffocat, atque peſtilens eſt: Medium verò & ipſum calidum eſt, ſed non adeò æſtuat, non nihil etiam ſuffocat: Verum finis incendio, & ſiccitate adeò ſuffocat, vt exitialis ſit: ſed ſi ita dixiſſet miſcendo naturam ſigni cum natura ſtellarum non potuiſſet doctrina Ptolemæi noſtris temporibus inſeruire, atque aliis futuris intermediiſque. Ob id igitur comparatiuè illa dicta ſunt: Veluti cum dicit (temperatum medium in Leone) intelligit quod æſtuat ac ſuffocat, non tamen plus iuſtò quàm natura totius ſigni ferat. Quod ſi voluiſſet ſimpliciter ſignificare eam partem eſſe temperatam, oportuiſſet, vt dixiſſet medium frigidius eſt atque humidius, vt quantum natura ſigni excedebat in æſtu & ſuffocatione, tantum natura ſtellarum loci infrigidando & humectando æquaret intemperiem. At dices cum temperatum dixit, nihil ergo minuit ex æſtu & ſuffocatione. Reſpondeo, quod exiguum, non tamen multum, ſicut ſi tepidam aquam feruenti immiſcuerit æquis portionibus, non fiet temperata nec temperatæ proxima. Veruntamen non nihil minuet de feruore: ita in aliis miſtiones diligenter oportet conſiderare, atque quaſi ad trutinam metiri atque expendere. Eadem ratione de partibus latitudinis quod comparatiuè protulerit, patet in Tauro cùm dixit totum eſſe ſubcalidum, & poſtmodum dicit ſeptentrionalia eſſe temperata, & clarius in ſigno Scorpionis, quod dicit eſſe igneum & auſtralia humectare: Comparatiue igitur intelligendum eſt, ſic quod ſtellæ quæ erant tempore Ptolemæi in ſigno Virginis in latitudine Auſtrali humectabant. Sed dices, eſt magna dubitatio quia ponit ſignum Geminorum temperatum, & Tauri ſubcalidum ratione ſigni & non ſtellarum, & tamen Taurus eſt remotior ab æſtate, & ab æſtiuo ſolſtitio, quàm ſit Gemini. Nota quod hic eſt pulchra ſententia qnoniam Taurus eſt ſignum fixum, & inter temperata: Gemini eſt commune, & inter temperata: plus vult quod

facit quoquomodo natura fixa quàm propinquitas puncti æstiui tropici: & hoc est quia signis fixis omnibus dat quandam naturæ propietatem: ideò Tauro non dare mitiorem, quam quod esset sub calidum, Leoni dat quod æstuet & suffocet, Scorpioni quod sit tonitruosum & igneum, Aquario quod sit frigidum & aquosun, nullis aliis signis dat adeò vehementes qualitates: Circa quod dignum est consideratione, quod has omnes qualitates de signis ac partibus eorum declarauit in comparatione ad Solem, quando est in eis, vel quia Sol non habet latitudinem quando iungitur stellis, quæ sint illius latitudinis: Veluti Sol quando erit in Scorpione & iungetur stellæ australi signis Scorpionis (De his tamen dico quæ in signo Scorpionis erant tempore Ptolemæi) humectabitur aër: Itaque traducit has proprietates (veluti fecit in aliis) à Solis præsentia in illis inuentas ad reliquorum Planetarum præsentiam in illis. Exemplum, fiat interlunium antecedens ingressum Solis in Brumam, ascēdente gratia exempli Aquario, atque ibi Saturnus sit in primis partibus Aquarij cum latitudine Australi, tunc ego componam sic iudicium: Hyems tota naturaliter est frigida & humida, & hoc est quod dicit in textu (vniuersalia de proprietate quadrantum exquirere (Sed hæc hyems inter alias cum Saturnus prædominatur sequenti angulo, sitque in Aquario in prima parte & Australis erit solito humidior atque niuosa. Hoc verò maximè erit quia scriptum est quod totum Aquarij signum in genere est frigidum & aquosum, & ideò partes illius hyemis quæ erunt minus frigidæ erunt adeò frigidæ, vt pars frigidissima communis hyemis pars autem frigidissima huius hyemis erit lōgè frigidior aliis & intolerabilis. Inde quia dicit quod prima pars Aquarij est humida, erit hæc hyems humidissima tripliciter cum ratione generali, quia hyems tum propter totum signum Aquarij, quod est aquosum: tum propter primam partem ipsius Aquarij quæ est humida, & similiter quia est in parte australi Saturnus erit niuosa quadruplici causa, tribus iam dictis, & hac quarta propria: additur etiam quinta, quia Saturnus est dominator, & ipse est frigidissimus & significator niuium: & ita talis hyems erit adeò frigida & humida, & niuosa vt non fuerit talis iam multis annis & præsertim si interlunium fuerit à decimanona parte Sagittarij vsque ad vigesimam quintam, scilicet in finibus Saturni: & hic effectus etiam multò maior erit, quia Saturnus non solùm est dominus sequentis anguli, sed est etiam in ipso, & in domo propria, vt nihil ad robur addi possit: & hoc exemplum intelligatur in tempore Ptolemæi & non in isto: quia tam natura partium signi in longitudine quàm etiam in latitudine variata est, quia stellæ quæ erant in Aquario tempore Ptolemæi à medio vsque in finem ingressæ sunt Pisces: & quæ erant à medio Capricorni ad finem eius ingressæ sunt Aquarium: & ita necesse est facere hanc aliam secundam tabulā cuius titulus sit de qualitate tempestatum ex natura signorum, partiumque illorum tam in longitudine, quàm in latitudine: Circa quod notandam est quod non solum oportet considerare stellas, quæ sunt in signis Zodiaci Ariete, Tauro, Gemini, &c. Sed etiam quæ sunt in aliis signis quæ sunt extra Zodiacum: Puta in vrsa maiori minorique, in Cæpheo, in Boote in Perseo, in Orione, in Cane, in Hydra, in Fera, Corona Australi, Argo, & omnibus aliis, has omnes stellas descripsit Ptolemæus & naturas earum & loca in signis, & latitudines, & magnitudines, & reliqua necessaria, vtpote nebulosas, nam hæ faciunt tempus nebulosum. Constituere igitur oportet tabulam cum illo titulo, quæ erit pro ætate nostra, & si recte fiat durabit fermè vsque ad trecentos annos, paucis in singulis sæculis mutatis. Nunc tractat de propria consideratione temporum, & dicit quòd idem faciendum est, quòd in deliquiis te docuit, referendo plenilunia deliquiis Lunæ, & interlunia deliquiis Solis. Et scias quod si hæc fiant sub terra, sequentem sub terra angulum accipere oportet.

TEXTVS LXII.

Altera ratio est menstrua, qua consideranda sunt in singulis similiter signis interlunia, & plenilunia hoc solo obseruato, si interlunium fortè antecesserit proximè punctum tropicum aut æquinoctiale, vt interluniis illo toto quadrante vtamur, sin plenilunium, vt pleniluniis. Considerandi & cardines & vtriusque loci dominatrices stellæ, inque primis applicationes, defluxionesque errantium stellarum, earundemque proprietates, nec non & locorum, quosque ventos, quæque stella ac quæque signorum partes in quibus illæ fuerint, commoueat. Præterea in qua ventum latitudine sua inclinet Lunæ in obliquitate eclypticæ, de quibus omnibus notatis potioribus, mensium generales status ac ventos præcognoscere poterimus.

Mirabile fuisse Ptolemæi ingenium, vel ex capite de trigonis patet, vel ex hoc: propter quod hæc vltima pars libri solum descripta est, velut & reliquum præcipuè propter caput de modis futurorum. Sed ea pars non adeò in vnum cogitur vt postrema hæc. Nam in præsenti capite quinque facit. Primum quidem declarauit propriam naturam cuiusque partis anni generaliter, quæ sumitur ex præcedente interlunio vel plenilunio, ipsum ingressum Solis in punctum cardinale. In secunda quæ præsens est qualitatem cuiusque mensis ex interlunij, aut pleniluniis sequentibus ingressum Solis in punctum cardinale. In tertia docet cognoscere naturam temporis

tēporis quartæ partis cuiuslibet mensi, quæ communiter paulò potest excedere dies octo, neque tamen minor esse potest septem diebus, ita vt inter septimam & octauam diem fermè finiatur: & hoc non solum ex interluniis & oppositionibus, sed etiam quadratis accipitur: huius partis initium est ibi (Tertia ratio) In quarta docet cognoscere quocumque die qualitatem aëris ibi (Verum horum) ex illustrium stellarum ortu vel occasu. In quinta docet illud idem cognoscere per horas singulas ex luminarium itinere per cardines ibi (Idem iudicandum (atque ita elegantissimo modo vsus à generalissimis ad maximè propria peruenit. Animaduertendum igitur quod quædam sunt generalia præcepta, quædam verò propria vnicuique parti. Propria quidem sunt singulis partibus quæ determinant quantitatem temporis tempestatis, qualia sunt quæ in singulis partibus declarat Ptolemæus, & nos iam ea in hoc commento, dum partes distinguemus textus, attigimus. Generalia autem hac solum in parte declarat, quæ quidem & huic parti, & præcedenti, tribusque sequentibus fermè ex æquo inseruiunt, talia autem sunt duorum generum: quædam pertinent ad subiectum & quædam ad qualitatem. Quæ pertinent ad subiectum sunt tria: Primum continet duo, scilicet locum interlunij, vel plenilunij pro mense sequentis ingressum Solis in punctum cardinale: vel si pro tota quarta anni interlunij, vel plenilunij antecedentis, vt dictum est, vel si pro quarta mensis considerabitur locus luminaris, id est, Lunæ & etiam Solis tempore coniunctionis, vel oppositionis, vel quadratæ radiationis illam quartam partem mensis inchoantis. Secundum est angulus sequens locum luminaris tempore interlunij, vel plenilunij, vel quadratæ radiationis luminarium. Secundum pertinens ad subiectum, sunt stellæ dominantes in vtrisque locis dictis, scilicet luminaris & cardinis sequentis. Et per stellas dominantes intellige quæ vtrique loco simul dominantur. Quòd si nulla talis haberi possit primum eligemus dominantem maximè in loco luminaris, deinde maximè in loco cardinis. Tertium sunt stellæ applicantes & defluentes ipsi luminari, vel ab ipso. Circa qualitatem verò futurorum quinque obseruanda declarat, quæ cùm maximè generalissima sint, tam in quarta anni, quàm etiam in mensibas, & quartis mensium & diebus, & partibus diei diligentissimè erunt consideranda. Primum est natura loci cardinis & luminaris: vtpote si sit mobile, fixum, commune, vernale vel æstiuum: & quale signum sit, & qualis pars sit signi in longitudine vel latitudine Hæc autem in præcedenti capite declarata sunt Secundum est natura stellarum dominantium in cardine & loco luminaris vel applicantium, vel defluentium ab altero illorum locorum, nam loca illa tales stellæ afficiunt. Porrò natura illarum stellarum superiùs iam declarata est. Tertium quos ventos stellæ commoueant, Saturnus orientales, Mars Occidentales, Iuppiter Boreales, Venus Meridionales,

Cap. 8. huius seu textu 45.

Mercurius omnes adiuuat. Quartum sunt signorum partes in quibus Planetæ illi fuerint: nam Aries Leo & Sagittarius ventum mouent inter septentrionem & occidentem: Taurus, Virgo & Capricornus inter orientem & meridiem: Gemini, Libra & Aquarius inter orientem & sepētrionem: Cancer, Scorpio & Pisces inter occidentem & meridiem. Vnde egregiè falluntur qui hos trigonos vel orientales, vel occidentales vel septentrionales, vel meridionales appellare nituntur: cùm nihil minus sint, sed medij inter has regiones: Similiter ex latitudine talium stellarum in signis Boreali vel Australi. Id coniectari licet quod ad ventos attinet: veluti hoc anno præsenti die duodecima Augusti cũ celebrata est, coniunctio Iouis & Mercurij in decima octaua parte Leonis, vterque erat septentrionalis, ascendens, ideò cum Iupiter moueat ventos Boreales & Mercurius augeat omnes ventos, significabat ventos validos Boreales: Sed quia erant in Leone poterat facere aliquam inclinationem ad occidentem, verùm quia vterque erat Borealis fuit modica, vel nulla inclinatio ad occidentem. Atque ita fuerunt validissimi venti ex ea cœli regione, adeò vt vias transire non possemus. Quintum est Lunæ inclinatio ad Boream vel Austrum in latitudine. Hæc igitur sunt generalia quæ in hoc textu declarantur. Cæterùm propria huic parti sunt quod mensis lunaris quilibet temporis naturam sequitur, quæ ab ipso interlunio, vel plenilunio illum inchoante decernitur. Et quod ex his duobus, scilicet interlunio, vel plenpilunio oportet illud eligere quod est simile ei à quo totius quartæ naturam didicisti. Ita quod si interlunium præcessit ingressum Solis in punctum cardinale, omnes menses illius quartæ ab interlunio inchoandi erunts. Si autem ingressum Solis in punctum cardinale proximius præcedat plenilunium, omnes menses illius quartæ anni ab ipsis plenilunijs sequentibus inchoandi erunt, neglectis nouilunijs pro mensium ratione.

Verùm vt ad omnia hæc pateat intellectus figuram descripsi, quæ ventos omnes, scilicet triginta duos notiores, quique nautis deseruiunt soli, contineret. Et quanquam in aliquibus nomina varient, attamen res ipsas potius quam nomina considerare oportet. Ita vt dicamus quòd generaliter ventus Septentrionalis est frigidus & siccus serenitatis author: nec solum Septentrio, sed qui propè sunt ad Borrhapeliotẽ & Borrholybicũ vsque. Contra Notus calidus, hmidus, grauis, atque morbosus, pluuiosus: nec solum ipse, sed quicumque sunt inter ipsum & Notapeliotem & Notolybicum. Discrimen tamen est iuxta propinquitatem illorum ad principalem ventum. Principales autem sunt quatuor, Septētrio, Notus Subsolanus, & Zephyrus, qui & Fauonius dicitur. Post hos robore sũt proximiores Boreæ & Noto, scilicet Vpaquilo, & Mesocircius, Mesolibanotus, & Mesophœnix. Verùm quia non tam subtiliter scriptores rimati sunt naturas & nomina singulorum ventorum, ideò notiores & proximos

mos his qui tamen & ipsi robusti sunt pro illis subiecere, id est, Aquilonem, Circium, Phœnicem, & Libanotum. Nobilitate tamen post primos quatuor ponentur Ptolemaici venti, id est, Notapeliotes, Notolybicus, Borrhapeliotes & Borrholybicus. Ventus autem orientalis & occidentalis non eandem seruant regulam, quàm Septentrio at-



que Notus. Nam orientem versus Subsolanus calidus est, & siccus & serenus: Fauonius autem ex toto contrarius huic est. Regula enim est quod venti validi omnes refrigerant, & exiccant & serenitatem pariunt, imbecilles calefac unt & humectant, pluuias quoque gignunt. Cùm igitur nobis Septentrio sit propinquissimus & natura, & situ refrigerabit, exiccabit, & serenitatem maximam pariet. Est enim robustissimus omnium ventorum apud nos. Post hunc est Auster in parando pluuias, quod natura sit calidus, & humidus, & pluuiosus, situ quoque multum distans, ob idque maximè pluuias parit. Inde est ventus Zephyrus, qui quanuis natura sit frigidus, & humidus, & pluuiosus, quia tamen valde proximus est Italiæ infrigidat quidem, sed nõ humectat, verùm exiccat & serenitatem parit. Vnde poëta Italicus inquit:

Zephyro spirat el' bel temporimena.

Hoc Latinè sonat:

Zephyrus aspirat redeunt iam tempora clara.

At orientalis cum calidus sit, & siccus atque serenus in oriente apud nos calefacit quidem, verùm non exiccat, sed humectat, & pluuias facit, quoniam procul abest. Itaque expedit nõ solum scire naturs ventorũ generaliter, sed ex obseruationibus quid, & quantum vnusquisque possit ea in regione in qua de temporis natura iudicium facere deliberas. Quamobrem omnium ventorum figuram apposui. Cumque sexdecim tantum, qui nomen habebant, ascripsissem, fortè fortuna aderat Guglielmus Casanatus Medicus, vir egregius & mihi amicissimus, quem honoris causa nomino, qui tabellam conscripserat maxima diligentia, omnes quotquot erant, scilicet triginta duos ventos continentem, placuit itaque & nostræ addere sexdecim illos intermedios vt vberior doctrinafieret. Nominibusq; additis ad vsũ qui talis est eã paraui.

Describe igitur figuram huic consimilem in sublimi loco domus, & in medio illius colloca volubile flabellum: Ita verò facias vt singulæ partes figuræ singulas cœli correspondentes respiciant. Deinde obserua flabellum super quam lineam cadet singulo die, naturamque temporis & qualitatem, quam ventus ille in regione tua producit, in aduersa linea flabelli colloca sub proprio vento. Veluti si flabellum super lineam Libanoti extendatur, fiatque serenitas magna cùm frigore describes in aduersa linea, quæ est Aquilonis venti serenitas magna cum frigore. Nec te fallere poterit si singulorum ventorum ter, vel quater effectus obseruaueris, quod facilè in vno anno fiet. Sed caue ne multorum ventorum effectus pro vnius tantum ascribas. Sic enim fiet vt Boream ali-

Serenum purum frigidum.
Serenum purum temperatum
Serenum frigidum
Serenum temperatum
Serenum purum calidum
Serenum calidum
Nebulosum frigidum
Nebulosum temperatum
Nebulosum calidum
Pluuiosum frigidum
Pluuiosum temperatum
Pluuiosum calidum
Imbres cum frigore
Imbres cum temperamento
Imbres cum calore
Grando & tempestas cum frigore
Grando & tempestas cum temperamento
Grando & tempestas cum calore
Nix.

quando pluuiosum esse existimes. Porrò qualitates temporum sunt vna de viginti, quas

quas à latere vides. Quòd ſi tempora ſint inconſtantia (rarò quidem ex vno vento, id contingit ex pluribus) diligenter adnotandum ſeorſum: vt tandem noueris non ſolum effectus ventorum ſimplices, ſed & compoſitos. De his autem in libris de Rerum Varietate dictum eſt. Quo verò ad vſum ſpectat Aſtrologi, in figuris ita facere decet: Sit gratia exempli Iupiter ſignificator ſolus, & in Geminis cum latitudine Boreali, & aſcenden: tunc ſignificabit ventum Septentrionem. Quòd ſi fuerit cum parua latitudine & orientalis ſignificabit Vpaquilonem. Quòd ſi cum hoc eſſet deſcendens, ſignificaret Aquilonem. Quòd ſi eſſet iuxta eclypticam deſcendens cum radio Saturni, ſignificabit Meſaquilonem. Quòd ſi ſit Meridionalis deſcendens cum radio Saturni, vel ſit in Geminis vbi cadit cum radio Saturni, vel ſuas vires, cum Saturno æquet in Libra, & Iupiter ſit Borealis aſcendens, Saturnus verò in primo ſtatu orientis, tunc facient Borrhapeliotem. Quòd ſi duo ſint domini Saturnus puta cardinis ſequentis Iupiter loci luminaris, vterque autem validiſſimus, tunc flabunt duo venti Boreas & Subſolanus.

TEXTVS LXIII.

Tertia ratio eſt ſubtilioris cuiuſdam obſeruationis intenſionum ac remiſſionum. In hanc cadunt configurationes Solis ac Lunæ particulares, non ſolum interlunij & plenilunij, ſed etiam horum mediæ, id eſt, quadratæ. Vbi animaduertendum ante tres ferè dies omnium tempeſtatum ſignificationes exiſtere ſolere, aut etiam poſt tres nonnunquam, exæquati itineris Lunaris erga Solem cadunt: & ſingulorum iſtorum ſtatus, neque iſtorum modo, ſed etiam aliarũ figurarum vt ſexangulæ ac triquetræ, itemque aſpectus ſtellarum errãtium, nam de harum natura conſequenter mutationis proprietas deprehenditur, reſpondens aſpicientium ſtellarum & ſignorum erga circundans nos cœlum ac ventos, familiaritati.

Declarat quo nam pacto licet quartarum menſis ſtatus intelligere: menſis enim Lunaris ſi à coniunctione incipiat, coniunctionem in principio habet, à ſtatus ſeptem vel octo dierum proximè ſequentium habetur, eodem modo quo totius menſis natura ab eius initio deprehenditur. Inde ſuccedit quadrata radiatio quæ vocatur creſcens, cuius ratione ſeptem vel octo dies proximi gubernantur, non ſecus ac primi: niſi quod in his etiam figura coniunctionis, quæ præceſſit obſeruanda eſt tanquam toti menſi generalis. Poſt ſequitur oppoſitio quæ & ipſa ſeptem vel octo ſequentes dies gubernat. Eodem modo & vltima quarta quæ vocatur decreſcens: ſeptem vel octo dies habent ſingulæ: figuram & reliqua eodem modo conſideranda vt in præcedenti commento. Et hæc ſunt clara. Deinde dicit (Ante tres ferè dies omnium tempeſtatum ſignificationes exiſtere ſolent, quandoque etiam vltra tres exæquati itineris Lunaris erga Solem cadunt) Hic difficillimus eſt punctus qui ſit in toto hoc volumine: Sententia tamen eſſe videtur, quod Luna latitat ſub Sole, quia Sol quindecim partibus ante & quindecim poſt æquinoctialis circulo tegit & illuminat vt ſint gardus triginta, atque ita abſcondit Lunam. Verùm propter obliquitatem Zodiaci cum Luna fuerit in ſignis breuium deſcenſionum, illis triginta gradibus ex æquinoctiali circulo correſpondebunt circiter quadraginta: non enim tota aſcenſio conſideranda eſt, quæ correſpondet triginta partibus æquinoctialis, nam ſic etiam in climate Ptolemæi excederet quinquaginta partes. Cùm igitur Luna velox motu fuerit pertranſibit iſtos quadraginta gradus ante tertiam diem, adeò vt ſi fuerit in ſignis longarum deſcenſionum, quandoque duobus diebus integris lateat: Quòd ſi fuerit tarda motu & in ſummitate epycicli, & ſignis breuium deſcenſionum, non videbitur niſi quarta die. Hoc eſt igitur quod dixit (Lunam erga Solem habere tres dies, quandoque minus exæquati itineris) Luna igitur vires retinet iſtorum trium dierum in producendis tempeſtatibus. Atque hic vnus eſt ſenſus, vt ſic legatur litera: Luna quandoque vſque ad tres dies producit ſigna tempeſtatum & etiam vltra tres dies, vt (poſt) aduerbium, quod μετὰ Græcè ſcribitur (vltra) interpretemur. Alius ſenſus iſto dilucidior eſt vt intelligamus ſic: Luna in quacunque quarta menſis, dicamus per exemplum quod duodecima Augusti huius anni 1552. ineat quadratam radiationem cum Sole decreſcentem, & tunc cum nullo Planeta congrediatur, ſed die quartadecima quæ eſt tertia à die quadratæ radiationis cum Sole ineat coniunctionem Martis, qui eſt in ſecunda parte Cancri, & manifeſtum eſt quod talis coniunctio ſi fieret dum Luna eſt in quadrato Solis quod ſignificaret pluuias & nebulas toto illo tempore, igitur etiam nunc ſignificabit talem effectum. Veruntamen non adeò complebitur is, vt ſi eſſet coniunctio eadem hora. Neque apparebit adeò euidenter, niſi poſtquam Luna Marti congreſſa fuerit, id eſt, poſt quartam decimam diem. Similiter Luna die vndecima fuerat in quadrato Iouis, qui eſt in Leone cum latitudine Boreali: Ideò ſignificat ventos Boreales. Et hoc tamen intelligendum eſt quando Iupiter, vel Mars hora quadratæ radiationis aliquam vim habuerint vel in loco Lunæ, vel in cardine ſequente. Et hæc vis Lunæ contingit, quia ipſa Luna, vt dictum eſt, manet tribus diebus abſcondita ſub radiis Solis.

Deinde dicit (Et ſingulorum iſtorum ſtatus) Id eſt, ſtatus proprìe, qui fit quarta die ante congreſſum Lunæ cum Sole, ſiue per coniunctionem, ſiue oppoſitionem, ſeu quadratum: & ſtatus qui fit, quando congreditur quadrata radiatione, vel oppoſita, vel cor-

pore ipso: & status qui fit quarta die post congressum. Et hic sensus est verus & genuinus duabus conditionibus seruatis. Prima, quod accipiatur dies illa ad vnguem quanta ante vel post, & non aliqua intermedia. Secunda quod semper accipiatur antecedens quarta, non tamen semper consequens. Quandoque tamen vtraque consequens accipitur & antecedens. Et quod iste sensus sit verus, ostendo primo authoritate Plinij, qni dicit veteres obseruasse quartam Lunam à congressu Solis, atque secundum illam iudicasse. Et ratio quia Luna post tres dies quadraginta quinque gradibus distat à Sole: Ergo intelligenda est figura octagona, quam non ausus est. Ptolemæus appellare aspectum: quia etsi à congressu Solis obtineat partem cum toto consentientem, attamen non in aliis locis, sicut fit de trigono, sextili & quadrato. Volo dicere si Luna decimanona die Augusti coniungatur Soli in sexta parte Virginis præsenti anno die vigesima secunda, id est, quarta die post, distabit quadraginta quinque partibus à Sole, & quadraginta etiam: modo quadraginta est nona pars totius circuli, & quadragintaquinque octaua pars totius circuli: Ergo à quadraginti partibus vsque ad quadraginta quinque Luna erit in primis radiis Solis. Et quia dum erat coniuncta Soli non poterat ostendere aliqnem effectum, & nunc primum congreditur Soli, & nouum lumen habet: Igitur quarta Luna ostendit quid factura sit toto eo mense. Nam in quarta Luna exacti sunt tres dies integri, atque ita distabit à quadraginta partibus, vsque ad quadraginta quinque. Hæc igitur est secunda ratio quæ ostendit hunc fuisse sensum Ptolomæi. Nam duo reliqui sensus artificio carent, ideoque Ptolemæo indigni sunt. Quia tamen numerus, 40. bis repetitus, facit 80. qui non est pars integra totius circuli: & similiter 45. ter repetita, facit 135. qui neque est pars totius circuli integra, ideò distantia hæc non habet vires aspectus. Nam reliqui aspectus semper geminati, vel triplicati faciunt aspectum vel coniunctionem: duplicatus enim quadratus facit oppositionem, triplicatus facit alium quadratum. quadruplicatus facit coniunctionem. Duplicatus sextilis facit trigonum, triplicatus oppositionem, quadruplicatus alium trigonum, quincuplicatus facit alium sextilem, & ita de aliis. Quia tamen illi radij seu portio illa circuli à 40. partibus ad 45. magnam habet vim circa coniunctionem propter regulam sæpius adductam de potentia: retinet etiam vim ante oppositionem & post: & similiter ante quadratas radiationes & post. Verùm Ptolemæus existimauit præcedentem distantiam frequentius vires habere: quia in futurum extenditur: quæ sequitur potius spectat ad sequentem congressum. Veluti, si vt dixi, duodecima die Augusti Luna quarto aspectu congrediatur Soli, nona dies habet rationem ad quartam mensis sequentis, quæ est præcedentis coniunctionis, vel oppositionis Lunæ, cum Sole ad quartam anni sequentem. Sequens verò distantia, id est, quintadecima dies non poterit significare super præcedens tempus, sed potius significabit supra sequentem coniunctionem. Sed dices nonne poterit significare super tres dies sequentes vsque ad coniunctionem Solis? Respondeo quod non: quia mens Ptolemæi est quod imperfectum habeat rationem potentiæ & non possit deduci ad effectum, nisi à perfecto, id est, à sequente radiatione. Sed dices quare ergo dicit quod conuenit aliquando etiam obseruare sequentem distantiam seu quartam diem? Respondeo quod vbi in illa quarta die contingat aliqua potens coniunctio, quæ vim det illi potentiæ, vt deducatur ad actum, tunc erit consideranda non quidem pro tempore præcedente, sed pro illis tribus, vel quatuor diebus succedentibus, vsque ad coniunctionem, oppositionem vel quadratum. Verum, vt dixi, quarta dies succedens post coniunctionem Solis, cum Luna vim habet magna duplici peculiari ratione: tum quia primùm apparet: non quod antea non apparuerit: tertia enim die semper quando tardius videri solet, quandoque etiam celerius: sed quod iam tum nouo lumine lucet. Secunda ratio quæ validior est, quoniam ea die, scilicet quarta, bis distat in decem horis, aut paulò plus à Sole parte integra totius circuli, scilicet 40. gradibus deinde 45.

His visis iubet ergo Ptolemæus nos quinque considerare pro quarta mensis cognoscenda: Primùm congressum Solis cum Luna, qui fit in initio illius quartæ & qui illi dat initium: Secundum diem quartam ante: & in hoc oportet intelligere duo illa puncta, scilicet quando Luna ad vnguem distat partibus quadraginta & partibus quadragintaquinque & tunc videre situm ipsius ad reliquos Planetas & locum & latitudinem, ex imò etiam ascendens: Tertium, vt consideretur aspectus trigonus Solis cum Luna vel sextilis qui cadit in illa quarta: nam in omni quarta mensis, necesse est, vt cadat vnus trigonus, vel vnus sextilis in ea: & non possunt cadere vnquam duo ex his in vna sola quarta. Ille ergo trigonus seu sextilis, si fuerit debilis & solus, & non significabit nisi super reliquos dies, qui sunt vsque ad initium succedentis quartæ. Sed si Luna fuerit in cardine supra terram, vel orientis saltem, aut fuerit cum radiis, vel corpore alterius Planetæ, maximè qui loco dominetur, vim retinebit si sit trigonus decem diebus sequentibus, si sextilis tantum quinque: Quartum est, vt quandoque consideretur quarta dies sequens: & hoc in duobus casibus, vel cum coniunctio fuerit initium quartæ mensis, vel cum talis quarta dies habuerit aliquam coniunctionem vel oppositionem validam, quæ adiuuet vim ipsius Lunæ: Quintum, vt considerentur aspectus & coniunctiones reliquorum Planetarum inter se, qui contingunt in ea quarta mensis: Et etiam cum Luna: Et in his omnibus considerare naturam stellarum illarum quos ventos & quam temporum naturam in illo cœlo seu regione afferre soleant: Similiter illud idem à signorum natura perquirere oportet.

oportet. Nam vt diximus primum iuxta naturam trigonorum, deinde etiam iuxta latitudinis partem, & similiter quo ad qualitatem aëris iuxta naturam signorum & partium eorum superius declaratam.

Circa hæc notanda sunt quædam, singula ex singulis: Primùm quod præter ventos adductos sunt alia genera ventorum singularia, alia quidem generaliter & sunt quinque. Typhon, id est, vibratus qui torrentium modo descendit: agitatque circumuoluens & paleas & stragula. Est & Ecnephias qui impulsu deorsum frangit & pondere aggrauat. locum ex loco mutans, rapida vertigine naues mergens: Idem illisu ipso repercussus correpta secum in cœlum refert, sorbetque in excelsum, Est qui cum fragore erumpit cuncta prosternens, vocatque Turbo. Est & qui cuncta comburit igneam habens vim, vocaturque Prester. Quintus est Aura, quæ leniter flat. Proprij verò vt Atheniensibus Sciron: Narbonensi Prouinciæ Circius: In Ponto Cæcias nubes trahit atque ita de aliis. Sunt & venti proprij quibusdam temporibus aut locis, veluti Etesiæ & Ornithiæ ab Aquilone, vel Septemtrione & Fauonij. Præstat igitur scire quod Etesiæ Aquilones sunt, quæ quadraginta diebus perflant, incipiuntque octo diebus ante exortum Caniculæ. Post hos Austri frequentes ad exortum Arcturi. Post quem Corus flat. Fauonius autem Ver aperit, Plinij tempore nona die Februarij inchoabat, circiter nouem diebus perseuerat.

Secundum est quod in omnibus congressibus Lunæ cum Sole obseruare oportet locum Lunæ, accidentia & qualitates principaliter, deinde Solis, præter quàm in coniunctione in qua Solis conditio primum spectanda est, deinde Lunæ. Obseruato etiam quis robustior fuerit, scilicet in cardine supra terram, nam illum magis considerabis.

Tertium est circa congressus Planetarum, recẽtiores obseruarunt quod & nos didicimus Saturnum cum Ioue iunctum secundùm qualitatem stellarum & signorum multis diebus aërem afficere, serenitate vel pluuia, vel ventis, & minimum luminarium aspectus consenserint. Quodque dico de coniunctione idem de oppositione statuo, sed minus: post de quadrato, inde trigono: vltimo de sextili, atque idem de sequentibus. Saturni & Martis coniunctio tribus diebus agit ante & post secundum qualitatem signorum: proprium est grandines facere si reliqua iuuent. Saturni cum Sole coniunctio, opposito vel quadrata radiatio paucis diebus frigidum aërem facit & persæpe grandines. Saturni & Veneris coniunctio facit imbres & frigora propriè. Semper tamen intellige iuxta qualitatem signorum. Saturni & Mercurij coniunctio secundùm qualitatem signorum. Iouis & Martis coniunctio secundùm qualitatem signorum & stellarum: propriè verò cum pluuias significat tonitrua addit & fulmina & fulgetra. Iouis & Solis coniunctio flatus ventorum parit, pulchramque serenitatem. Iouis & Veneris coniunctio serenitatem parit in aqueis leues & mites pluuias. Iouis & Lunæ coniunctio, secundum qualitatem signorum facit, per se tamen serena est, ventosque parit.

Mars cum Sole coniunctus secundum signorum qualitatem facit: Sed cum vehementia: ita quod in aqueis facit imbres, tonitrua & fulgura. Martis & Mercurij coniunctio secundum qualitatem signorum facit: propriè tamen ventos cum impetu. Vterque enim illorum Planetarum impetuosus est. Martis & Lunæ coniunctio, iuxta qualitatem signorum facit, & stellam cui postmodum applicat. Commune enim est hoc Lunæ semper, per se tamen facit nubes rubras.

Solis & Veneris coniunctio propriè humidum tempus significat. Dixit Auerroës in Metheoris quod parit pluuias, cum sub illo latitauerit, reliqua secundùm naturæ signorum qualitatem. Solis & Mercurij coniunctio, generaliter vt reliqua, propriè tamen ventos parit. Solis & Lunæ, vt dictum est, congressus diligenter considerandi sunt: neque enim vnum significant.

Veneris & Mercurij coniunctio, vt reliqui, propriè tamen faciunt imbres. Veneris & Lunæ coniunctio facit propriè imbres cum frigore.

Mercurij cum Luna coniunctio secundùm qualitatem signorum. Notandum præterea quod magnæ mutationes aëris non fiunt, nisi adsit vnus superiorum saltem in coniunctione vel aspectu. Sed si Sol cum inferioribus vel ipsi inferiores inter se conueniant sine fixis magnis, aut parum, aut non diu qualitatem aëris mutant, nisi in congressibus Solis & Lunæ vt dictum est, ista contingant.

Sunt præter eas coniunctiones illæ quæ vocantur portarum aperitones, & sunt tres: Saturni & Solis coiunctio: Secunda est Iouis & Mercurij: Tertia Martis & Veneris. Dicit autem apertio portarum quia maximus & euidentissimus fit effectus: Saturni quidem & Solis in aëre turbido & frigido: Iouis & Mercurij in ventis: Martis & Veneris in imbribus & fulgure. Vnaquæque autem fit tribus modis, vel quia iunguntur inuicem hi Planetæ, opponuntur, vel sunt in quadrata radiatione, & hæc est minor, & mista, & habet tres gradus, oppositionem quæ validissima est, inde coniunctionem, post quadratum. Secundus modus est cum Luna applicatur superiori separata ab inferiore coniunctione oppositione vel quadrato, & tunc tempus naturam mutat maximè, & secundùm naturam superioris & maximè si superior, & inferior se aspiciant. Exemplum Sol aspiciat Saturnum de quadrato applicando illi, vtpote quod Sol sit in vigesima septima parte Scorpionis, & Saturnus in vigesima nona Aquarij, & Luna sit in vigesimaseptima parte Leonis, tunc fiet apertio portarum maxima ex Sole in Saturnum, & fiet tempus nebulosum & frigidum in locis vbi Luna erit in cardine. Et si fieret in signis aqueis adduceret magnos imbres, & præsertim si Saturnus dominaretur cardini hora quadratæ radiationi. Quod si Luna deflueret à Saturno ad Solem, minor esset illa mu-

tatio

tatio aëris, & breuior, & post turbulentiam sequeretur claritas, & ita de aliis.


Quartum est quod ex prima expositione textus Ptolæmei dignoscitur, quod Plinius dicebat (Lunam quandoque die interlunij videri & hoc contingere solum quando ipsa fuerit in Ariete) Quia Aries longissimas habet descensiones: Si igitur Luna sit velox motu poterit attingere quindecim gradus in suo cursu fermè in vna die: quare quatuordecim partibus distabit à Sole. Quòd si cum hoc habeat maximam latitudinem, quæ est quinque graduum, distabit à Sole quindecim gradibus, & in æquinoctiali aliquanto plus propter rectam descensionem, quare vesperi videri poterit. Videtur enim quandoque post quartumdecimum gradum distantiæ à Sole, quod minimum est spacium in quo videri possit. Idem Plinius docuit sua ætate Vespasiano & Tito tertiò consulibus visum bis deliquium in duodecim diebus, quod vix omnino fieri potest, sed errorem esse existimo in dierum numero: nam constat quod tantum spacij Luna peragrare non potuerit, quantum est ab oppositione ad coniunctionem, seu à coniunctione ad oppositionem in duodecim diebus: nisi hoc modo intelligatur, quod gratia exempli, exoriente Sole decimaseptima Semptembris, facta fuerit eclypsis Solis (Diem enim Romani ab exorru Solis inchoabant) & quod vigesimanona ante diluculum trigesima diei visa sit eclypsis Lunæ: Nam sic erunt tredecim dies re, nomine autem duodecim. Imò plusquam tredecim dies propter noctis elongationem. Circa secundum sensum est, ratio Galeni sumpta de diebus criticis in tertio dierum criticorum. Verùm quia talis ratio reiecta fuit à nobis, illam dimittimus. Illud quod maiori consideratione dignum est quod Luna latitet tribus diebus, etiam per tres differt opus suum aut accelerat, quo in casu multi qui quarta die ante nouiluuium ægrotant persæpe moriuntur, aut diuturno morbo laborant.

Sextum est quod ex tertio sensu verborum Ptolæmei elicitur: & est ratio dierum criticorum salutis aut mortis, longitudinis aut breuitatis morbi, prauitatis, aut facilitatis, eius: & hæc talis est. Prima hora & momento qua quis ægrotat statue figuram octo laterum, vt vides in exemplo, & cuilibet domui dabis quadraginta quinque partes, & videbis locos & aspectus Planetarum ad initia domorum: inde cum Luna peruenerit ad initium secundæ domus, statues ascendens, vt prius, & ita videbis res mirabiles comparando secundam, & tertiam & quartam figuram, vsque ad octo ipsi primæ figuræ. Velut in tribus exemplis, quæ subiiciam, quorum primùm est vnius qui ægrotauit & sanatus est, alter ægrotauit & obiit, tertius vulneratus est vulnere quod mortale non videbatur ab initio, & tamen obiit.

Igitur Ioannes Antonius de Campionibus, ætatis annorum circiter triginta ex itinere ægrotauit, primùm quidem, vt visus est, leuiter vsque ad quartam diem quod Luna esset in sextili Veneris, & Venus illam reciperet. Nam Venus illam reciperet. Nam Venus erat in suis dignitatibus. Quòd enim recipiat Planeta Planetam non sufficit vt alter in alterius sit dignitatibus, nam sic in omni figura multi reciperentur Planetæ, sed quòd præter id dominus loci illum bene dispositus aspiciat, vel mutuo sint in dignitatibus, seque aspiciant, vel quod benigno aspectu se aspiciant, licet eorum alter sit malè affectus. Quòd verò seruari deberet ostendebat Luna validissima in Tauro in sextili Veneris dominæ loci magnitudinem morbi, quod esset prope combustionem radiis destituta & lumine. Et quia Luna erat cursu valde tarda, morbus non est visus accipere incrementum, remorante etiam vt dixi Venere. Quamobrem Lunæ motum singulis diebus adiicere oportet, vt sciamus quo loco sit vnaquaque die, & qualis etiam singulis diebus sit in eius motus. In Mercurio autem adiicere oportet motum in prima die & quarta, & septima, & vndecima, decimaquarta, decimaseptima, & vigesima, quoniam & ipse multum quandoque paucis in diebus cursum suum variat. Etsi oporteat vltra vigesimam extendere facias per dies criticos, qui sunt vigesimus quartus, vigesimus septimus, trigesimus primus, trigesimus quartus, trigesimus septimus & quadragesimus. Similiter & reliquorum quinque Planetarum motum adiiciens præsentem: Sufficiet enim ob paruam varietatem quæ in tam paucis diebus contingit. Atque hæc omnia nos perfecimus, vt vides non solum in exemplo hoc, sed & duobus sequentibus. Igitur vt ad rem reuertar, Luna attigit partem vigesimam quintam Geminorum in diebus tribus horis decemocto fermè ob motus tarditatem, vnde protracta est quarta dies, tunc verò occurrit Iouis & Martis sextili in Leone, & cum stellis humidis, ideò factum est incendium magnum & turbulentia in vrina, quæ ob protensam quartam diem visa sunt habere initium in quinta. In septima verò cum nondum perueniisset ad nonagesimum gradum distantiæ ob motus tarditatem, sed ad Leonis initium tantum deterrimè se habuit, quoniam nulli beneficæ occurrit: Similiter in octaua & nona morbus augebatur, quia tunc Ioui & Marti iunctis iungebatur, & quia erant inter humidas stellas sudauit. Calor enim cum humido sudorem creat, & vrinam multam quam reddidit. In vndecima sudauit, fuit tamen cum magno labore, nam Luna oppositum Saturni superauit, sed ei successit sextilis Veneris. Duodecima ægrè se habere visus est, quia multum delirauit. Sed tamen ob Veneris sextilem vrinæ concoctæ apparuere. Decimatertia ob Mercurij quadratum nihilo deterius se habuit, quia erat motus iam ad salutem, sed nec melius ob Mercurium, decimaquarta sudauit iterum melius se habuit. In ea non potuit solui morbus, quia Luna non peragrauerunt nisi partes 174. minuta 22. Et oportuit extendi morbum ad decimamseptimam vsque. In decimaquarta tamen occurrit Luna sextili Iouis & Martis, & quadrato Veneris, ideò Sudauit decimaseptima, liber euasit cum iam

Luna

Luna oppositum loci superasset, & trino Veneris applicuisset.




Hic alter verò Lunam ab initio habuit in quadrato Veneris ex intemperie cibi & po-

Motus Planetarum diurn.		
♄	0.	4
♃	0.	5
♂	0.	29
✱	0.	58
♀	0.	59
☿	1.	44
	1.	40
	1.	35
	1.	30
	1.	17
	1.	5
	0.	51

Lunæ motus ad dies								
	10	11	12	13	14	15	16	17
	12.8	12.3	12.0	11.52	11.43	11.41	11.42	12.0
	18	19	20	21	22	23	24	
	12.30	12.52	13.5	13.17	13.29	14.0	14.18	
	25	26	27	28	29	30		
	14.39	14.33	14.42	14.50	14.56	14.46		

tus ægrotauit. Celeriter grauatus est ob motum Lunæ velocem. In septima deterius valde se habuit, nam Luna erat cum cauda & vacua à Iouis aspectu ibat ad oppositum Veneris, & tunc Sol Saturni quadrato affligebatur. Octaua leuari visus est fluente è naribus sanguine, sed tamen virtus cecidit ob Veneris oppositum. Nona aliqualiter respirare visus est ob trinum Solis. Decima fuit loco vndecimæ cum ad angulum, id est, Piscis initium peruenisset ad oppositum Iouis & Martis. In vndecima par erat illum mori cum ad Saturni coniunctionem hora decima ad Solis quadratum hora decimaoctaua post meridiem peruenisset. Mortuus est quinta Iunij, hora tertia ante meridiem. Et fuit initium decimæ quartæ. Et Luna peruenerat ad oppositum loci sui ad vnguem.




Motus Planetarũ diur.			
♄	0.	3	
♃	0.	7	
♂	0.	31	
✱	0.	58	
♀	0.	53	
☿	1.	20	
	1.	5	
	0.	15	
	0.	27	
	0.	5	
	0.	18	Retr.
	0.	38	Retr.

Lunæ motus ad dies				
	23	24	25	26
	14.49	14.46	14.44	14.40
	27	28	29	30
	14.35	14.26	14.4	13.37
	1	2	3	4
	13.16	13.5	12.44	12.16
	5	6	7	8
	11.55	11.41	11.40	11.47

Hic alter affinis meus erat, & vir sexagenarius cum vulneratus est, Luna à Marte separabatur, & Mars cum Capite erat, & Luna cum Cauda & applicabat Saturno, & Iouis infelicis opposito, non tamen statim grauatus est, quia Lunæ ibat ad sextilem Mercurij

curij & vulnus erat brachij trãsfossio. Quarta grauatus est propter Solis quadratum, caruit tamen febre, quia nulla malefica oppugnabat, ob id vsque ad decimam adeò leuatus est, vt surgeret. In vndecima grauatus est hora noctis tertia, cum Luna ad oppositum Solis tenderet. Hic autem erat anæreta dominus, si quidem oppositi loci Lunæ: Et post Luna ad Mercurij oppositum ibat. Febre igitur & sanguinis profluuio correptus est 14. die, quæ fuit secunda Ianuarlj hora diei tertia, cum Luna corpore Marti iungebatur expirauit. In omnibus his si bene animaduertis exitus fuit iuxta conditionem Lunæ ab initio morbi bonam aut malam. Quod si rationem hanc criticorum dierum ad diuisionem circuli totius in triquetras, & nonangulas figuras deducas, videbis rationem quartæ diei, quæ est, cum Luna peragrauerit partes 40. tunc peruenit ad radium nonangulum, hoc autem fit in diebus tribus perfectis, sed si Luna velox cursu fuerit intra tres dies. Septima autem cum ad 90. partes, vel cum ad 80. has autem in sex diebus per-



Motus diur.			
♄	0.	5	
♃	0.	2	Retr.
♂	0.	7	Retr.
☉	1.	1	
♀	1.	15	
☿	1.	47	
	1.	49	
	1.	50	
	1.	50	
	1.	50	

Lunæ motus ad dies					
	19	20	21	22	23
	13.42	13.22	13.9	12.57	12.45
	24	25	26	27	28
	12.12	11.45	11.38	11.37	11.53
	29	30	31.	1	1
	11.55	12.2	12.7	12.15	12.24

fectis peragrat cum velox fuerit cursu, & ob id crisis in sexta semper mala est, quia fit ex Lunæ cursu veloci, cum peruenit ad 80. partem à loco in quo erat, sed pars 80. non aduersatur loco primo, igitur crisis tunc erit mala. In septima autem potest esse bona & mala, quia potest fieri ex tardo motu Lunæ ad octogesimam partem, & tunc erit bona. In decimaquarta fit cum Luna vadit ad oppositum loci in quo erat in initio morbi, ideò per se bona. Non enim potest fieri ob nonangulam figuram, quia 150. partes, & 200. nimis distant à peregrinatione Lunæ in 14. diebus, seu Luna fuerit tarda, seu velox. Cùm verò decimaquarta dies fiat in diebus 13. horis 16. dies 20. dupliciter potest consurgere, vel additis semicirculo 90. partibus, & Luna sit velox motu, & tunc crisis erit bona, vel additis 80. & Lũna sit velox seu tarda, incidit in vigesimam diem, & tunc crisis erit mala. Solum verò additis 90. partibus, & Luna tarda cadit crisis in vigesimam primam, ideò crisis in 20. est longè frequentior crisi in vigesima prima, sed crisis in vigesima prima est securior. Aliam tamen causam in medicis commendationibus adduximus. In 14. enim vel vigesimaprima, nisi incidat malus aspectus, valde seruantur ægri, quoniam locus ille aduersatur loco initij morbi. In pestilentibus autem cum raro natura rectè operatur, raro fit crisis in vigesima. Crisis igitur in sexta valida & semper mala: in septima valida & anceps: in vigesima valida & frequens, sed plerumque mala: in vigesima prima rara, sed bona: in decimaquarta frequens valida & bona. In decima tertia mala.

TEXTVS LXIV.

Verùm horum ipsorum particularium modorum, diurnæ intensiones remissionesúe, existunt potissimum vbi inerrantium stellarum eæ, quæ maximè illustres sunt, matutinis aut vespertinis, ortusque aut occasus sui fulgoribus erga Solem conspicuæ fuerint, nam conuertunt particularem statum illæ plerunque ad modum naturarum suarum.

Docet in hac quarta parte dignoscere qualitates dierum singulorum obseruando stellas fixas maximè illlustres cœlo, quas quidem tum èx libro Magnæ compositionis, tum ex libello Ptolemæi de Ortu siderum, de quo superius diximus (testaturque ignotus expositor Ptolemæum talem scripsisse librum, vt iam non dubium sit illum esse Ptolemæi) Eas excipies: Exemplum in Aprili mense tertio nonas Aprilis, id est, tertia Vergiliæ occidunt vespertino: temporeautem Ptolemæi Sol erat circa duodecimam partem Arietis, Vergiliæ verò

verò circa quintam Tauri, quare occidente Sole illico post crepusculum quod durat, donec descendant sexdecim, aut decemocto partes cœli Vergiliæ occidunt vespertino, id est, illæ quæ iam prius videbantur occidente Sole post occasum eius, nunc primum Sole appropinquante incipiunt latere, ideoque immutant statum aëris, cùm aër priuetur tali lumine iam solito illarum stellarum, vocaturque hic occasus vespertinus, scilicet quando in occidente, quæ prius solebant videri Solis lumine adumbratæ, desinunt apparere: Tunc igitur flat Africus sequenti die. Hoc exemplum dedi de Vergiliis vt intelligeres non solum de vna stella magna sensum esse Ptolemæi interpretandum, verùm etiam de pluribus, quæ valdè sint propinquæ inuicem, vt sunt Vergiliæ, Succulæ, Cingulus Orionis, Asini. Aliud exemplum: inquit quod nonis Maij exoriebantur Vergiliæ ortu matutino, id est, quod Vergiliæ incipiunt apparere ante Solis exortum propter Solem recedentem: Nam Nonis Maij, id est, septima Maij, Sol erat circa quintamdecimam partem Tauri, Vergiliæ, vt dictum est, circa quintam partem Tauri, ideò illa quæ plus habet latitudinis incipit apparere. Circa quod notandum est, quod quādo sunt plures stellæ, exortus intelligitur cum vna earum primo incipit videri: occasus autem cum prima illarum qualiscunque sit abscondi incœperit: ita quod ortus intelligitur de prima quæ apparet, & occasus de prima quæ absconditur. Ex quo patet quod plus distant stellæ à Sole quando absconđūtur si sint plures, quàm quando oriuntur. In occasu enim Vergiliæ distabant à Sole partibus viginti tribus vel paulò minus, in ortu distabant decem partibus à Sole. Et causa tota est, vt dixi, quia exortus, & occasus capiuntur à diuersis stellis: exortus à prima quæ apparet, occasus à prima quæ occultatur. Et quia pars finitoris occidua contraria est orientali, ideò his duabus causis contingit varietas. Secundùm considerandum est, quod talis ortus, & talis occasus in pluribus stellis durat per plures dies, scilicet à prima, quæ oritur ad vltimam earum durat ortus: & similiter occasus à prima quæ occidit ad vltimam: & perseuerat talis effectus plerunque non solum toto tempore intermedio, sed in ortu etiam per aliquot dies, postquam omnes apparere cœperint. Sed in occasu est alia ratio, quia non durat effectus nisi ab occasu primæ ad occasum vltimæ: Vbi autem omnes occiderint sequēti die cessat effectus: Si verò sit vna stella tantum illustris puta Arcturus vel Canicula, tunc ortus fit in vna die, sed effectus durat pluribus diebus: adeò vt Caniculæ ortus duret triginta diebus, & secundum aliquos quadraginta, Arcturi verò octo vel decem. Occasus verò contingit in vna die, & effectus etiam finitur eadem die, & hoc est tertium. Quartum est, quod ortus & occasus vnius, & eiusdem stellæ non fiunt in æquali distātia à Sole, sed est magna varietas tum propter obliquitatem vel rectitudinem signorum, tum propter latitudinem Australem vel Borealem: nam latitudo Borealis facit vt oriantur matutino celerius & vespertino ortu. Australis autem facit ad occasum tam vespertinum, quàm etiam matutinū: Ergo Boreales stellæ vtpote Arcturus oritur vtroque ortu in minore distantiā à Sole quàm occidat: Canicula contrario modo. Quintum considerandum est quod licet ortus stellarum insignium per plures dies duret & effectus earum, mutatio tamen de qua loquitur hic Ptolemæus non fit nisi in prima die ortus, sicut etiam in occasu fit mutatio status aëris die illa solum. Sextum notādum est quòd ortus & occasus earundem stellarū non fiunt apud omnes gentes eisdem temporibus propter diuersam poli altitudinem & varium finitorē, propter quam causam & etiam propter motum stellarum fixarum ostensum est superius necessarium esse facere vnam tabulam totius anni ortus & occasus siderum tam vespertini, quam matutini pro sua regione & ætate. Circa quam etiam animaduertendum ne bis sextus annus errorem vnius diei, faciat: hoc enim prætermissum fuit, nec admonueramus dum de tabula facienda loqueremur. Septimum est, quod ortus & occasus eorundem siderum non solum in diuersis regionibus diuersa operantur propter naturam ventorum, & qualitatem aëris & sitū, sed etiam diuersis temporibus valde distantibus, vtpote tempore Ptolemæi & nostro propter varietatem situs stellarum: Et etiam diuersis temporibus propinquis, puta anno præterito & præsenti propter diuersam naturam aëris: quia iidem venti præcedente aëre sicco faciunt serenitatem, & præcedente humido faciunt pluuias. Et etiam quia quidam venti parum spirantes serenitatem pariunt multum pluuias: vt Cæcias & Corus: quidam contrario modo parum spirantes adducunt nubes & pluuiam, diu spirantes depellunt eas & serenitatem faciunt. Octauum notandum est quod exortus maiorem faciunt mutationem, quàm occasus: & matutini comparati vespertinis sunt validiores: ita vt sint quatuor ordines ortus matutinus, qui est validissimus, ortus vespertinus secundo loco, occasus matutinus tertio, occasus vespertinus quarto: Et ideò nil mirum est si Ptolemæus in libello illo, quando scripsit tertio nonas Aprilis Vergiliæ occidunt, vespertino nihil ascripsit, sed sequenti diei flat Africus: qui effectus ille cum sit debilissimus, quia fiat ab occasu vespertino, differtur in sequentem diem. Sed nonis Maij cum scripsit Vergiliæ oriuntur matutino, quia ortus matutinus erat validissimus, adscripsit eadem die: & spirat Fauonius. Nonum notandum quod isti quatuor modi eo ordine sibi succedunt vt si ponatur primus occasus vespertinus, inde sequitur post ortus matutinus, deinde hunc sequitur occasus matutinus, & post hunc ortus vespertinus, inde res redit ad occasum vespertinum. Decimum, est quod stellæ fixæ exoriuntur in parua distantia à Sole plusquam Luna propter tres causas, vel propter luminis claritatem & vigorem sicut Mercurius, qui apparet in distantia septem partium à Sole cum sit valde paruus tamen, propter claritatem luminis. Luna verò nisi post quatuordecim partes, causa etiam est quia vt demonstratum est in naturalibus à nobis, omnes stellæ tam erraticæ, quàm inerrantes lucent lumine proprio: Sed Luna lucet lumine Solis, & quamuis lucet etiam proprio lumine, illud tamen lumen est valde hebes, & ideò Luna occultatur à Sole in maiore distantia, quàm vllum aliud astrum: quia luceat lumine Solis maximè & propinqua Soli, cùm sit illo inferior excipit lumen à superiori parte

parte, & ita non potest videri à nobis. Secunda causa quare stellæ fixæ maximæ videantur in magna propinquitate Solis, est altitudo ipsarum stellarum magna, qua fit vt lumen earum minus præpediatur à Sole. Tertia est latitudo magna quarundam earum vt Arcturi & Caniculæ, quæ quamuis non tantum faciat quantum longitudo, quia circulus latitudinis multum conuenit, cum finitore, adeò vt aliqua stella possit distare vigintiquinque partibus & plus ab ipso Sole, & tamen simul exorietur cum Sole, & sic obscurabitur à Sole, quod fieri non potest de vigintiquinque partibus distantiæ à Sole in longitudine: nihilominus magna distantia in latitudine facit, vt plerunque stella valde propinqua Soli secundùm longitudinem appareat ante ortum Solis: & hoc contingit nobis, vt dixi in latitudine Boreali tam in ortu matutino, quàm vespertino. Hæc tam diffusè volui explicare, quia erant valde necessaria non solum intellectu qualitatis aëris, sed etiam pro genituris ipsis: multum enim refert quod quis nascatur ipsa die exortus matutini vel vespertini, ipsa stella quæ exoritur cardinem orientis, vel occidentis, aut meridiei possidēte. Nunc ad exempla reuertor. Matutinus occasus intelligitur cum Sole exoriente stella occidit, veluti Pridie Idus Octobris, id est, die duodecima eiusdem, Vergiliæ occidunt matutino, id est, Sole exoriente ipsæ occidunt. Erat enim eo tempore æquinoctium autumnale vndecimo calendas Octobris, id est, die vigesima prima Septembris. Sol igitur erat in Libræ parte vigesimaprima, dum igitur Sol descenderet vigesima prima Arietis ascendebat. Cùm verò Vergiliæ essent in quinta parte Tauri ipsæ erant supra horizontem, seu finitorem, atque statim occidebant, itaque vocabatur occasus matutinus Vergiliarum.

Sed notandum quod duplex est occasus quo ad hunc sensum, scilicet Chronicus & Heliacus, vt superius dictum est, ex quorum malo intellectu tanta confusio orta est, vt ne Oedipus se possit explicare, si quis velit verbis Plinij, qui purus fuit Gramatticus: adhærere. Nam mos est grammaticorum audacissimè de rebus non intellectis penitus scribere, Bene dicta ab aliis, errata & confusa simul, vt ita dicam, consarcinare, Vnde fit tanta conturbatio, vt si quis illorū verbis attendere velit, nunquam se explicet. Ideò Plinio vtamur pro historia Romanarum rerum, explicandisque rebus Latino sermone, quibus in vsibus non parum præstitisse videtur, plusque præstitisset si vel diligentior fuisset in scribendo vel vetustas sinceriores illius libros ad nos trāsmisisset, Ergo vt ad rem redeam, exoriri dicitur astrum Heliacè, quando matutino exoritur ante Solem, & hic modus nobilissimus est. Secundo Chronicè quando Sole occidente in oriente emergit, vt Vergiliæ tertio Idus, id est, nona die Nouembris: nam tunc cum Sol esset circa decimamnonam Scorpij partē ipso occidenre emergunt, ex aduersa parte in oriente Vergiliæ, quæ sunt in quinta parte Tauri, seu potius erant Ptolemæi tempore, vt dictum est. Tertius modus est occasus Chronicus, cùm Sol accedit ad astrum occidens & occultans ipsum. Occasus verò Heliacus est, cum ante Solem exorientem ex aduersa parte astrum occidit. Exempla igitur horum habentur, vespertini occasus Vergiliarum Chronici tertia die Aprilis: ortus matutini Heliaci Vergiliarum septima die Maij: exortus vespertini earundem Chroniciue vndecima die Nouembris: occasus autem Heliaci, seu matutini 12. die Octobris. Mutatio temporis ea hora cum Sol, aut Luna, aut stella oriens, seu occidens. Heliace matutinoue, aut vespertino ortu ad anguli apicem properat, ipsumque attingit.

TEXTVS LXV.

Idem iudicandum vsu venire, vbi lumina iter per cardines fecerint. Talem enim ad habitum illorum horariæ remissiones ac intensiones tempestatum sese conuertunt, sicut secundum Lunæ æstus maris ac redundationes, itemque mutationes ventorum præcipuò per tales cardinationes fulgorum tales consueuere esse, ad quales ipsa se Luna latitudine sua inclinauerit.

Hic docet cognoscere partes ipsius diei ex itinere Solis vel Lunæ, quando Sol, vel Luna sunt in cardine: Sed magis de Luna quia mutat & auget dispositionem temporis argumento sumptoab æstu maris, qui increscit ex oriente Luna, dumque illa in medio cœli est maximè augetur. Eodem modo dicit ventos à Luna augeri ea ex parte ad quam Luna ipsa inclinauerit. Quamuis enim Sol & ipse ventos mutet, attamen ad eam partemmutare solet, ad quam Luna ipsa inclinat: dico ad ventos meridionales, si Luna fuerit inparte meridionali latitudinis suæ, & Boreales sic fuerit in parte Boreali. Et nota quod ventos meridionales & septentrionales intelligere oportet, non Notum aut Septentrionem, sed per meridionales omnes illos ventos, qui continentur à Subsolano ad Zephyrum in parte superiore figuræ vbi venti describuntur: Et per Boreales eos omnes qui in medietate inferiore figuræ cōtinentur, ita vt figura ipsa in duas partes diuidatur, superiorem & inferiorem, superiores venti meridionales dicātur, inferiores Boreales. Itaque cùm dicimus Lunā mouere vētos Boreales, intelligimus aliquē ex inferioribus: Si verò meridionales aliquē ex superioribus. Nā constat quod Sol ex se vice versa mouet vētos oriētales in oriēte, & occidētales in occidēte: Similiter intelligendo per ventos orientales eos, qui sunt in parte sinistra, per occidentales verò eos qui sūt in parte dextra ipsius figuræ. Itaque per hasduas combinationes venti singuli ad horaria tempora, & distribuuntur & augentur aut minuuntur. Quod verò dicat fulgorum cardinationes, nihil te moueat, cū Græcè scribatur φώτων κεντρώσεις. Centra enim luminarium obseruari iubet, non solum ipsa luminaria insinuans nobis horarias mutationes, quæ vel momento finiuntur, exquisita indigere scientia.

Sciendum est Iouem esse parentem serenitatis: Venerem pluuiarum: atque ideò si coniungantur, tempora sequi iuxta naturam illius, qui ex eis superior fuerit. Superiorem intelligo in coniunctionibus sex modis: Primùm qui plus potestatis habuerit in loco coniunctionis, magisque conuenerit cum stellis quæ iuxta positæ sunt: Secundum qui maiorem habuerint potestatem

statem in cardine sequenti: Tertium qui velociter motu fuerit: Quartum qui fuerit proximior absidi sui eccentrici: Quintum qui latitudinem habuerit magis Borealem: Sextum qui maiorem habuerit potestatem in loco luminarium, quæ supra terram extiterint. Solem verò & Saturnum qualitatum aëris calidi & frigidi dominos esse constat: Solem scilicet caliditatis, Saturnum verò frigiditatis. Iouem quoque & Mercurium esse dominos ventorum, Martem esse dominum imbrium, quæ cum tonitru eueniunt tempestatum, fulgurum, grandinum & coruscationum. Lunam omnia hæc ad inferiora deferre.

TEXTVS LXVI.

Vbique autem hoc tenendum est, priorem ac posteriorem, generalem & primariæ subiectionis causam, sequi verò eam quæ sit particularium accidentium, sed tum efficaciam firmam in primis ac validam esse, cùm generalis naturæ dominatrices stellæ illis quarum fuerit particularis curatio, aspectu ac configuratione sese coniunxerint.

Sensus huius partis textus est, quod semper debemus obseruare primum generalissima, quæ maximas habent vires, vt deliquia & crinitas: inde minus vniuersalia, quæ sunt significata quartæ anni: inde propria mensis: inde quartæ mensis: inde diei: inde horarum: Et quod quantò generaliora, tantò efficaciora. Sed dices, igitur semper effectus consequenter secundum generaliores significationes: & minus generales solum augebunt aut minuent? Respondeo quod generaliores semper sunt validiores minus generalibus, duabus seruatis conditionibus. Prima quod generalis sit adeò perfecta in suo genere & magna sicut propria, velut magna eclypsis comparata coniunctioni Solis & Lunæ potenti aut parua eclypsis coniunctioni Solis & Lunæ debili, & ita de aliis: Secunda, vt sit sola propria significatio: nam duæ minus generales conuenientes simul plus possunt, quàm vna generalior. Dicit deinde, quod vbi plures significationes conuenerint, tunc certissimum erit iudicium & maximè si significatores iidem fuerint.

CAPVT XIII.

TEXTVS LXVII.

De obseruandis Metoris, id est, facie cœli.

PRofuerit & imparticularium significationum præuisionibus notasse iuxta Solem, Lunam, ac stellas apparentia visa. Ac Solem quidem intuebimur orientem in iudicio tempestatis diurnæ, nocturnæ verò occidentem. Sed diurnioris configurationem cum Lunæ illius, nam singulæ figuræ tempestatem, qualis vsque ad proximam futura sit declarare consueuerunt. Si igitur pura luce & expers caliginis, varietatis, nubium, Sol orietur aut occidet serenam tempestatem pollicetur, in varietate autem orbis cumque hic flammeus, rubentesve eiaculari radios videbitur, siue illi directi, seu refracti appareant, itemque cum illas Solares nubes, quæ parelia dicuntur vnà à parte informarit, nubiúmque figuras subrubras, radios in longum tendentes circum sese habuerit, vehementes tumflatus significantur, pro iis angulis quos respexerint visa illa. Niger aut luridus, in ortu occasuúe, si nubibus quoque inuoluetur, aut area vna à parte cingetur, aut Solares illæ nubes vtrinque aderunt, necnon radij sub pallidi, aut nigri, minatur hyemes atque imbres.

Res cognitionis temporum per se difficillima est, tum maximè, quod à ventis hæc varietas oritur: hi autem minimis spaciis mutant nubes & differentia stadij serenum cœlum à pluuioso distinguitur: ob id Ptolemæus nil intentatum in hac causa relinquere voluit. Generales enim res non solùm temporum, sed bellorum, pestis, terræmotuum, penuriæ sunt difficillimæ, variæ ancipites, & quæ non nisi obscurè dignoscuntur. Ea de causa hoc caput, & alia ex antecedentibus, quasi non ex arte hic adiecit.

Diuiditur igitur caput in octo partes: Primùm ponit signa à Sole, deinde à Luna, deinde à stellis, quartò à crinitis, quintò ab ignibus, sexto à nubibus, septimò ab his quæ solùm videntur & non sunt, vt irides, areæ, pareliæ, octauò concludit. Addidit autem hoc Ptolemæus capitulum, vt intelligeremus in singulis diebus ac noctibus quid futurum sit, & honos qui adimitur Astrologo iniustè propter artis difficultatem, non autem inconstantiam, aut vitium vllum aliud, hac ex parte sortiatur. Deinde etiam quod diuinatio hæc per astra quoquomodo est & per superiora de qua si cui libeat copiosiùs legere, legat apud Plinium. Sensus igitur huius est si velis pro die tantum scire naturam aëris, inspice Solem exorientem. Si verò pro nocte tantum, inspice Solem occidentem: Si verò statum longioris temporis, inspice statum in hora in qua Sol Lunæ per radios, aut per corpus iungitur. Nam vsque ad sequentem cum Luna configurationem significatio illa iuuat. Igitur si Sol oriatur vel occidat quatuor consideranda sunt, color, puritas, nubes, & radij. Puritas & in colore, & in nubibus, & in obscuritate, significat serenitatem. Radij verò & nubes, subrubræ, & refractiones quales sunt areæ, & virgæ significant ventos ex ea parte in qua talia apparent. Subpallida, nigra & obscura, imbres & hyemes.

TEXTVS LXVIII.

Lunam obseruabimus in itinere suo dierum trium ante vel post interlunia ac plenilunia, & medium tempus quo erga Solem quadratur. Nam tenui, puraque luce nitens, sique nihil illam circundet, serenitatem spondet: sin tenui rubeat luce, sique totus perspicuus sit orbis illius etiam qua parte non illustratur, & tremere videatur, ventos maximè declinationis suæ ciet: nigra, pallida, spissa, hyemes, ac imbres minatur. Non negligetur animaduersio quoque arearum, quæ

quæ Lunam interdum cingunt. Nam si vna fuerit pura, paulatimque euanescat serenitatem, sin duæ aut tres hyemes significant, atque has cum ventorum turbulentia subrubræ, quasique perruptæ. Cùm niuibus si caliginosæ ac spissæ: Si luridæ ac nigræ & laceræ, tam cum his, quam cum illis, eoque etiam vehementiores significant illas, quo ipsæ maiores fuerint.

Quod proposuerat in præcedenti capitulo de obseruatione Lunæ, hic declarat, scilicet, vt obseruentur tres dies ante interlunium & post interlunium. Et similiter in oppositione & in quadrato aspectu, ita vt obseruentur sex dies pro quacunque configuratione cum Sole. Et si tenui luce & clara fuerit, & nihil eam circundet, puram serenitatem, id est, sine ventis, nebulis & pluuia significat. Si verò adfuerit varietas vel tenui rubeat luce, vel totus orbis illius, id est, limbus luceat etiam ea parte, qua non illustratur, tremereque videatur, ventos significat. Et ita nigra, pallida, & obscura imbres ac hyemes: adeò vt si eadem ratio Solis ac Lunæ. Circa areas verò si vna fuerit & paulatim euanescat, significat serenitatem. Si verò duæ sint aut tres significat hyemes: quod si cum hoc rufæ fuerint, ac quasi laceratæ hyemes & magnos ventos. Caliginosæ ac spissæ, hyemes ac niues, laceræ verò nigræ, aut luridæ vtrunque significant. Scire etiam decet, quod Luna habet quinque præcipuos status ad Solem comparata, falcata in vtroque sextili, dimidia, in vtroque quadrato, gibbosa in vtroque trigono, plena in opposito, & silens in coitu, habes & alias facies intermedias.


Dubitatur quia si assumas septem dies pro quacunque configuratione Solis ac Lunæ, cùm sint quatuor in vno mense, assumemus viginti & octo dies, pro diiudicandis triginta quod erit absurdum in tanta Lunæ varietate. Propterea dicendum est quod Ptolemæus fuit inuentor participationis, & in Musica & in aliis, & maximus obseruator sicut & nos, naturæ subtilis & humidi pinguis: quædam enim sunt generalissima, & non adeò omnibus cognita, quæ si obseruentur magnam afferunt vtilitatem. Igitur, vt dixi participatio ipsa vna ex his. Vocatur autem participatio, quia si gratia exempli fiat coniunctio Lunæ cum Sole in die vigesima Augusti, iubet obseruari à decimaseptima vsque ad vigesimam tertiam. Sit igitur quadrata radiatio eorundem die vigesima septima: iubet ergo per tẽpus quod est à die decima septima vsque ad vigesimam tertiam cognosci tempus à vigesima die ad vigesimamseptimam & ita non iidem dies obseruantur, qui etiam cognoscuntur, sed bene participant. Vtpote à vigesima die ad vigesimam tertiam. Decursus enim ille prior in Luna signum est decursus tempestatis sequentis, quia causa prior est effectu.

TEXTVS LXIX.

Errantibus ac inerrantium splendidis circumfusæ Areæ de proprietate coloris sui portendunt ea quæ naturæ ferunt stellarum. Inerrantium etiam quasi turbulas aspiciemus, quo illæ colore quaque magnitudine videantur. Nam si splendidiores, grandioresque solito appareant, quacunque in plaga cœli luxerint, ab illa ventos concitabunt. Quin etiam nebulosi giri qui dicuntur, vt in præsepi & alibi propriè si sereno cœlo aut exiles sint, visumque fugiant, aut perdensæ esse videantur, nimbos, puri verò ac vibrati turbulentiam ventorum portendunt. Iam si stellarum earum quæ vtrinque ad præsepe cernuntur asinorum appellatione, vna quæ septentrionalis sit non appareat, flabit Aquilo, si verò altera australis non appareat, flabit Auster.

Hæc est tertia pars in qua primùm præsupponit quod quandoque contingit, scilicet areas stellis circumduci: Harum igitur color & natura stellæ significant quod venturum est. De natura stellæ & coloribus superius doctrinam habuisti, sed tamen eam non simpliciter, sed quo ad tempestates attinet considerabis: nam nigra & liuida Saturnia sunt, tempestatesque & ventos significant orientales: Rutila & Martia turbulenta, tempora cum tonitru & fulguribus significant. Quod si composita sit natura, vtpote circa stellam de natura Iouis, area de natura Martis videatur: iuxta naturam coniunctionis Iouis & Martis significabis. Porrò de coniunctionibus Planetarum superius dictum est. Sunt etiam circuli singulis stellis, id est. Limbi Græca lectio habet κατά τι πλῆθος ἐγγὸς ὄντων παρατηρητέον, id est, quæ sunt secundùm ambitum intus contentæ spissitatis. De nebulosis, vt Pleiades & Hyades, reliqua textus declarat. In hoc enim toto opere constanter obseruatum est, vt si conuersionem textus corruptam viderem (Quod plerisque in locis contingit) sola emendatione contentus fuerim: Si obscurus fuerit textus, ne vel vnum (Et) in expositum permittere volui. Si textus ipse per vnum multa significare voluerit, quæ defecerant omnia adieci. Verùm vbi textus ipse perfectus fuit atque clarus, ne vel vnum verbum addere volui, nisi forsan ad causæ expositionem: vnde admonitum Lectorem pium velim, vt omnino id semper obseruet, quod textum ipsius Ptolemæi cum ipso commentario cõiugat legendo, & ex his quasi vnũ corpus efficiat. Igitur vt ad rẽ reuertar, causam exponamus quare gratia exẽpli Borealis Asinus, qui in tertia parte Leonis est nostro tempore, latitudinem verò habet Borealem trium partium detracta tertia vnius partis, si non videatur ventos efficiat Boreales. Id verò contingit, quoniam vt in primo de Rerum Varietate libro scripsimus: Ventus fit eliso vapore à regione frigida versus nos. Cùm verò stella illa non videatur indicio est vaporem ibi adesse congregatum, qui elisus ventos ex ea parte significabit. Sed dices cum Borealis Asinus non solum nostri comparatione, verùm etiam Ægyptiorum Australis sit quo ad declinationẽ, cùm ab ea parte eligetur ventus semper Australis erit, non autem Borealis. Ad hoc respondemus vaporem illum adeò esse humilem, vt Borealis significet partem eam, quæ nostro oculo obducitur extẽdi ad Boreã, atque ita ab ea parte excitari

excitari ventos Nam si extenderetur etiam ad austrum australem Asinum occuparet: modo cum non occupet, signum est exhalationem ad boream extendi: quoniam stellæ illæ cum paruæ sint, & obscuræ & & pauci luminis, à quacunque minima exhalatione absconduntur. Eadem ratione igi-



tur vbi stellas aliquas non videtis ex paruis, alias verò paruas eis proximas videris, à contraria parte illius paruæ quam vides ventum expectabis. Gratia exempli sint duæ stellulæ quarum vna sit posita inter septententrionem & orientem, nec videatur, alia verò orientalior & in eodem situ quoad Septetrione quæ videatur, tunc habebimus Gorum ventum. Quia enim occidentalior ex his non videtur occidentalis est ventus: Quia verò in æqualisitu ad Boream posita videtur, Borealis regio pura erit. Ventus igitur plane occidentalis erit, & ad Boream declinabit: quia regio Borealis tametsi pura sit non tamen exquisitissimè. Nam iam supposuimus stellam illam, quæ absconditur esse Borealem. Ventus igitur occidentalis est declinans ad Boream paululum: Talis verò, vt dictum est Borus. Vt verò res tam vtilis dignoscatur & quæ dicta sunt de stellis, quarum altera videtur, altera non, cum tamen ambæ propinquæ sint, atque paruæ figuram subieci. Manifestum est autem quod vbi remotior sola non videatur aut neutra illarum, ventum oportet expectare ex ea parte in qua stella obscurata sita est: Sicut etiam si splendidior solito atque grandior appareret.

Ex his manifestum glomos stellarum circa eclypticam & etiam procul idem posse quod splendidas in eisdem locis: sed in mutatione temporum diuturniores, & turbulentiores in fortuna magis populares & minus solidas. Quosdam vltra magnitudinem proprietate effectu illustres vt etiam in animalibus & gemmis videmus.

TEXTVS LXX.

Præterea quæ certis temporibus in cœlo se ostendunt & ostenta dicuntur, eorum crinita sydera semper squalorem, ventosque prænunciant, eo quidem vehementiores, quò pluribus in partibus & ipsorum corpora grandiora fuerint. Diuisiones & iaculationes stellarum si ab vno angulo prorumpant, inde quoque ventum emittunt. Sin occurrent inter se, ventorumque prælia suscitant. Sin verò de quatuor plagis ruant hyemes varias ferunt, atque etiam fulmina, tonitrua, & quæ alia huiusmodi sunt.

Vt in generalibus prædictionibus vsus est eclypsibus atque crinitis stellis ita in speciali & breuis temporis cōstitutione diiudicanda obseruari iubet specialia Soli signa, quæ certiora sunt longè illis generalibus atque nautis perspecta, adeò vt pro miraculo habeantur, cui natura tam in reliquis cognita esset Astrologia. Per squalores igitur intelligit siccitates prauas quibus Planetarum folia siccantur aut flacescunt.

TEXTVS LXXI.

Nubes in quibuscunque finibus conspectæ assimiles floccis lanæ, nonnunquam hymes afferunt.

Intendit per hyemes non tempus hyemis, sed pluuias cum frigore: causa est, vt Haly benè dicit, vapor humidus valde crassus & copiosus: nam flocci illi crassitiem ac spissitatem ostendunt. Et hæc sufficiunt pro sexta parte textus declaranda: Nunc sequitur septima.

TEXTVS LXXII.

Sed arcus quocunque tempore extiterit, si serenum sit, hyems, sin hyemet, serenitas expectanda.

Causa huius est, vt bene Haly inquit, quia arcus cœlestis fit à nube rorida sparsa. Si igitur succedat serenitati: signum est, quod aër humectatur & crascessit. Ideò significat hyemes, id est, imbres magnos. Si verò succedat imbribus: Cùm hi fiant à densis nubibus & denso aëre cœlestis arcus, significat vtrumque iam rarescere. Od id Moyses scripsit Deū posuisse Iridem in signum fœderis ipsius, cum humano genere: nam cùm Iris fiat vt diximus, à nube rorida atque disgregata, nec inundationes, nec squalores succedere possunt.

Præter hæc explanator ignotus, addit quædam alia signa spectare oportet orientem Solem pro die, occidentem pro nocte: Si ergo circulum purum habuerit, & sine nubibus aër fuerit, serenitatem indicat. Si verò obducitur nubibus atris aut fuscis pluuias, si rubris præsertim flammeis, aut variis parte qua apparent, ventos indicat. Luna verò etiam in plures dies significatum extendit. Si tenuis puro cœlo appareat serenitatem prædicit, rubra ventos: atra cum nubibus pluuias, si quasi globus ei hæreat ea parte expecta ventos intra duas horas. Et si globus densus fuerit forsan, tempestas succedet, certius si ab oppositis partibus apparuerint. Similiter & areæ & Halones circa Solem vna sæpè videntur tum & circa stellas tam erraticas, quàm inerrantes: & significatum ex natura astri & colore circuli, aut parelliæ deduces. Plerumque autem hæc & capræ saltantes ventos significant. Et obscura ventos validos aut tempestates protendunt, vt crinitæ, præsentem & diuturnam siccitatem. Si verò tres aut quatuor areæ circa Lunam sint, vt quandoque contingit multiplicior erit

erit vetus: Et constitutio iuxta faciem cœli & Phœnomena. Velut si nigra in autumno, vel hyeme frigus nunciat & niues.

TEXTVS LXXIII.

Vt autem hæc concludantur, sciendum generalia visa aëris certis temporibus eadem portendere, quæ sunt in superioribus de suis quæque accidentibus explicata. Atque hactenus placuit de generali inspectione vniuersalium, atque particularium signorum breuiter disserere. Quòd superest, Genitales præcognitiones, sicut & ordo postulat, nunc deinceps exequemur.

Concludit in hoc quod significata horum quæ in cœlo videntur super tempora singularia, scilicet propria & paucorum dierum sunt similia in natura & dispositione, significatis eorundem superius explicatis, dum de coloribus deliquiorum loquemur.



LIBER TERTIVS.

Ad Reuerendissimum D. IOANNEM HAMVLTHONVM, *Sancti Andreæ Archiepiscopum, Legatum, &c.*

PRÆFATIO.



ACTENVS *de generalibus iudiciis tractatum est: Nunc verò de genituris, quod principale, vt diximus, fuerat intentum, tractandum est. Quærit Haly quod superfluum est, cur Ptolemæus, scilicet, non tractet de electionibus & interrogationibus. Cùm interrogationes omninò sint sortilegæ atque indignæ, non solum viro Christiano, sed viro bono. Similiter electiones plus inuentæ sunt causa auaritiæ Astrologorum, quàm quod quicquam conferant in vtilitatem eligentis. Et si quippiam modo continent veritatis, illud adeò est tam exiguum atque abstrusum, vt dignum arte non videatur. Ars enim est de euidentibus & quæ commodè parari possunt. Horum cùm neutrum sit in his, non est ars de illis. Velut nec de imaginibus faciendis in nubibus, tanquam in speculo, quæ cùm fieri possint, ad artem tamen nullam spectant, cum sint maximæ difficultatis, & nullius propemodum vtilitatis. Vnde facilè est intelligere, tum ob hæc, tum ob diuersas de eisdem rebus sententias, quæ à Ptolomæo in his libris referuntur, & ab authore Centiloquij, non esse authorem Centiloquij ipsum Ptolemæum. Verùm quod maius est argumentum in oppositum est Procemium Centiloquij, in quo de Syro meminit & de his libris: Sed huius rationem reddit Galenus dicens: Olim Reges vt instruerent bibliothecas magno pretio emendo illustrium virorum scripta, causam dedisse vt sua veteribus attribuerent. Quod verò obiicitur ab aliquibus, constitutiones generales facere, vt singularium geniturarum superfluæ videantur, tum quia constitutiones generales propriam vniuscuiusque vincunt, tum etiam quod eodem modo liceat de propriis iudicare: atque id probat Ptolemæus trifariam in Procemio sequenti vbi dicit (Quæ operando & quæ contemplando) id est, quod modus operandi astrorum & contemplatio est eadem tam in vniuersalibus, quàm in singularibus, idque trifariam ratione causæ, id est, quia omnia contingunt per Solis ac Lunæ, ac cæterorum syderum motus, ac constitutiones, lumenque, tum etiam traiectiones in aëre: nam istæ eædem sunt causæ ad vnguem effectuum in prouinciis & ciuitatibus, & in genituris singulariorum hominum (Secundo medium est idem, scilicet continens ipsum: Tertium est idem genus effectuum, puta calor, frigus, detrimentum ab aquis, detrimentum ab hominibus, detrimentum à feris, serpentibus, aliis) Respondet ergo Ptolemæus quod differunt in ratione principij, quia in generalibus accipimus duplex principium, vnum à cœlo vtpote eclypsim, aliud ab inferioribus, velut quod hæc prouincia huic signo subiecta sit, vel hæc ciuitas talem originem habuerit: Sed in singularibus solum principium ab inferioribus*

bus sumimus, id est, ab illius proprio ortu. Ex quo colligitur regula quam dixi superius, quod eclypsis superueniens alicui genituræ vbicunque cadat nihil penitus nocet, nisi in quantum nocet illi regioni & ciuitati: alter sequeretur quod etiam singularia haberent duo principia, scilicet superius & inferius. Per superius intelligit defectus luminarium & vehementes stellarum occursationes, id est, superiorum magnas coniunctiones & luminarium cum fixis. Quibus manifestum fit responsum ad primam dubitationem, scilicet quod generales constitutiones deberent sufficere ad prædicendum de singulis hominibus: non enim sufficiunt propter duas causas: prima quia generales constitutiones non semper significant supra singulos, quia non semper conueniunt cum loco in quo habitat ille homo. Deinde etiam quod conueniant non sunt, quandoque adeò vehementes, vt possint ex toto euertere proprium illius principium genethliacum, ac omnino disponere illum secundùm naturam dispositionis generalis. Veluti si aliqua dispositio generalis significet studiosos, non tamen ille fiet studiosus cui à natura odio sunt bonæ literæ & quasi exosæ.

CAPVT I.

Quod est Procemium.

TEXTVS I.

EXplicata à nobis in prioribus communium euentuum cōsideratione, nimirum, quæ & natura præcedit, & plurimum valet in peculiarium, prout vniuscuiusque cōditio requirit, casuum decretis, quàm quidem præscientiæ partem Genethliacam dicimus, existimare conuenit vtriusque generis vnam, eandemque vim esse, qua operando, qua contemplando. Enimuerò tam generatim multis quàm singulis peculiariter accidentium effectrix est errantium stellarum, Solisque ac Lunæ motio, mutationis autem subiectarum hisce rerum præcognitio, erudita est secundùm conformes cœlestium corporum per circumfusum nobis cœlum traiectiones accepta obseruatio, nisi quatenus generalis illa cœlestium efficientia latius patet ac seipsa contenta est: partibus verò non ita. Nec verò initia vtrarumque, vnde sumentes cœlestium constitutionem, quæ per figurarum commistiones significantur præuidere nitimur, eadem esse putabimus, sed generalium effectionum complura (neque enim vnum habemus vniuersorum) eaque non ab inferioribus semper accipienda, sed à superioribus etiam, causasque euentuum inferentibus. Ferè enim in iis omnibus ex defectibus luminum euidentioribus & vehementibus stellarum occursationibus considerationem instituimus. Singulis verò hominibus peculiariter contingentium & vnum statuimus exordium & plura: Vnum videlicet ipsius concretionis humanæ. Complura verò ea quæ deinceps primo isti initio succrescunt. Sed hic antiquius habetur vnum illud initium, cum reliqua tanquam subiecta sibi perficiat.

COMMENTARIVS.

DEclarat rationes dictas in præcedenti procemio, sed concludit initium vnum esse principale quòd est à genitura: reliqua autem quæ illi succrescunt, scilicet directiones, diuisiones ætatum per Planetas, progressiones de quibus in fine huius tractat.

TEXTVS II.

Quæ cùm ita habent à primo initio accipiuntur, quæ vniuersim nato conueniunt, à reliquis autem quæ labentibus temporibus euenient leuiora grauioraúe iuxta temporum succedentium, quam dicemus distributionem.

Sensus est initium illud, id est, Genethliaca constitutio significat, quæ vniuersim conueniunt nato, vtpote, si erit ingeniosus, honoratus, pulcher gratus, diues: reliqua verò tria quæ diximus, directio, diuisio & progressio significant incrementa & decrementa horum. Memineris tamen diuitias & honores (quoniam filij earum participes fiunt) natiuitate filiorum & morte immutari, item coniugiis. At in coniugiis (vt dictum est) non solennitas illa & pompa animaduertenda est, sed primus punctus consensus eorum qui possunt.

TEXTVS III.

Cùm verò sit humanæ genituræ temporale aliquod exordium, natura quidem ipsius fœtus, potentia verò,

& vt contingit cum fœtus enitendo in lucem editur, si constet de sationis tempore, ita vt illud vel casu, vel obseruatione correptum sit, illud sanè sequi conuenit ad corporis, animique peculiares cōditiones coniectandas, considerando cuiusmodi sit effectionum, quæ tunc temporis sit astrorum constitutio. Semel enim ni initio cum pro ratione circumfusi cœli suam qualitatem semen induit, licet succedentibus temporibus corporatura diuersa fiat, cùm tamen propriam tantum materiam natura augescendo sibi conciliat, magis imitatur primum illum statum suum & peculiarem priusque impressam confirmationem. Verùm enimuerò, quando illud initium (vt ferè euenire solet) ignoratur, à partu necessariò accipiendum est, quod & ipsum maximum est, & hoc solo à priori superatur, quod per illud etiam quæ ante partum contingunt præscire liceat: Ac profectò si quis illud initium appellauerit, hoc verò quasi post principium magnitudinem huius tempore quidem inferiorem, æqualem verò atque adeò perfectiorem potentia constituerit, vt propemodum non abs re illa seminis humani, hæc verò hominis appellari possit generatio. Si quidem multa etiam tunc infanti accrescunt, quæ prius cum in vtero materna esset illi non aderant, atque hæc peculiaria humanæ naturæ, corporisque configuratio, licet ibi nihil videatur nouæ qualitatis in partu accedere, hoc acquirit, vt iuxta cœli circunfusi constitutionem in lucem edatur, quum natura post maturitatem fœtus ad conuenientem situm, similemque illi quo primum informari cœpit partum vrgeat, vt meritò & huius generis effectionum existimare conueniat significationem esse, quæ in partu contingit astrorum constitutionem, non vt effectricem omnino sanè, sed quæ necessariò simillimam efficiendi vim potentia complexa sit.

Duplex statuit initium humani corporis: primam generationem & natiuitatem, generationem, præfert ipsi natiuitati. Et quia aliquis posset dicere generatio fœtus multis diebus durat imò mensibus? Respondet quod in illo momento sancitur quando eij citur quicquid futurū est. Et ob id quicquid accedit simile redditur priori. Quod facilè exéplo demonstrari potest in seminibus quæ plātantur, quæ si calida sint quicquid accedit calidum fit, & simile in substantia & reliquis. Sed quia tale principium est ignotum, ideò suscipimus primum principium quod est natiuitas, quod dicit licet minus significet quo ad tempus, quàm principium genituræ, quia natiuitas ipsa significat ab ortu vsque ad mortem, genitura verò significat à tempore generationis vsque ad mortem, & ita nouem menses plus, attamen natiuitas perfectior est generatione, quia generatio est fœtus generantia, & ortus seminis humani. Natiuitas verò est ortus ipsius hominis: quantò igitur perfectior est homo semine & imperfecto fœtu, tantò natiuitas est perfectior generatione. Quod autem ita sit ostendit, quia licet non fiat noua generatio post partum, neque accedat aliquid corporeum in partu, multa tamen accedat quæ prius non habebat, quorum primum est respiratio cerebri per nares & palatum: secundùm respiratio per pulmones & asperam arteriam & os: tertium est assumptio nutrimenti per os quæ omnia dum infans est in vtero fiunt per venas & arterias vmbilici: quartum est eiectio vrinæ per virgam, quæ & ipsa fit dum infans est in vtero per meatum medium inter venas & arterias: quintum est excretio fecum quæ nulla fit dum infans est in vtero, ita vt aliqui nati sint sine ano: sextum est vti sensibus exterioribus. Et hæc omnia contingunt statim ab ortu: Quædam etiam statim post ortum: quorum primum est vigilare & dormire, quanquam hoc sit incertum an fiat etiam dum fœtus est in vtero. Secundum est ridere & plorare: tametsi aliqui crediti sint plorasse in vtero matris pro ostento: pauciores ridere maiore etiam ostento. Quinimò etiam pro ostento habitum est Zoroastrum Magiæ inuentorem statim cum natus esset risisse: Tertium est vsus sensuum interiorum: Quartum sunt motus membrorum perfecti vt ambulare: Quintum est iudicium sensuum exteriorum: Sextum est sermo. Sunt etiam quædam symptomata, vt tussire, sternutare, singultire, titillationem sentire, quæ pro octauo possunt poni: Nonum est variatio vocis, exaltatio, depressio: Decimum Veneris vsus: Vndecimum ortus quarundam rerum, vt pilorum, capillorum, dentium: quanquam etiam aliqui nascantur cum capillis, vt ego & filij mei: Duodecimum est generare alium, quanquam muribus aliquibus id contingere affirment, vt etiam in vtero matrum fœtus alios gignant in semetipsis: Et horum partem Haly in commentario assignat. Ex quo colligitur quod Ptolemæus non credit natiuitates agere tanquam signa, sed solum tanquam causas, in qua re multi decepti sunt. Nam si existimaret natiuitatem posse significare super præcedentia, nihil magis conueniebat, quàm vt super illos nouem menses generationis vim haberet, quòd cum neget Ptolemæus, manifestum est natiuitatem non esse signum in aliquibus, sed causā tantum. Dicit enim Ptolemæus hoc in textu (Hoc solo differt genitura à natiuitate quod per genituram præscire non

non licet, quæ ante partum contigerint) Sunt autem fortuna corporis temperamentum, ingenium, & casus, ac morbi. Hoc autem mente retine quia plurimum facit ad intellectum sequentium. Dicit deinde quia aliquis posset dubitare, quomodo natiuitas possit significare super corpus cum non sit causa illius (quippe iam iam perfectum est). quod natiuitas est similis generationi, quia natura emittit fœtum in ea constitutione cœli quæ simillima est constitutioni generationis. Porrò quæ similitudo sit hæc Ptolem. non dixit. Haly dixit, quod prima similitudo est quia Sol est in septimo signo, vel in nono, vel in decimo, vel iu vndecimo in tempore natiuitatis ab eo in quo erat tempore generationis. Veluti si in generatione fuit in Aquario Sol, nascetur necessario infans si viuere debet postquam Sol fuerit in Leone, vel Libra, vel Scorpione, vel Sagittario. Et quia Leonem Aquarius respicit de opposito, ideò natus septimestris cum difficultate viuere potest: viuit tamen. Si verò post Solem in Scorpione erit in quadrato sui loci prioris: Et ita natus decimo mense etiam poterit viuere, sed aliqua cum difficultate. Si verò Sol sit post Sagittarium respiciet locum de sextilis & nascetur vndecimo mense, ideò poterit viuere, sed cum difficultate quia radius sextilis est debilis. Verùm si nascatur Sole Libram inspirante, nascetur validus quo ad rationem signorum, & nascetur in nono mense, quia Libra respicit Aquarium trigono radio. Si verò nascatur dum Sol est in Virgine, nascetur octauo mense: Cùm igitur Virgo non respicit Aquarium non poterit natus eo mense viuere. Contingit tamen aliquos viuere natos in octauo mense, quando Sol fuerit è principio in Piscibus. vel Virgine, vel Geminis, vel Sagittario hora generationis, deinde tempore natiuitatis sit in octauo signo quod respicit aut imperat, vel obedit iuxta numerum graduum. Exemplum, aliquis nascitur cum Sol est in vigesima parte Libræ, ideo quod oportuit, si generatus fuit dum Sol erat in Piscibus, quod esset in vndecima parte Piscium: quia vndecima pars Piscium intuetur vigesimam Libræ. Breuiter igitur concludendo in aspicientibus signis intelligitur, quod transierit Sol talem aspectum & durat per vnum mensem post. Exemplum, si Sol sit in vigesima parte Capricorni, septimus mensis incipit dum Sol est in vigesima parte Cancri, & durat donec Sol peruenerit ad vigesimam partem Leonis, à vigesima parte Leonis, vsque ad vigesimam Virginis est octauus mensis, in quo non potest nasci quod viuat, quia nullus est aspectus, qui præcesserit per triginta gradus nisi contingat quod duo illi gradus se intueantur, quemadmodum in exemplo iam dato. Cùm verò Sol fuerit in vigesima parte Virginis, incipiet nonus mensis quia iam peruenit ad trigonum suum, & durat vsque quo Sol perueniat ad vigesimam partem Libræ: tunc verò peruenit ad quadratum suum, & ita incipit decimus mensis: & eodem modo de vndecimo qui finitur cum Sol est in vigesima parte Sagittarij. Et quia vigesima pars Sagittarij non aspicit vigesimam Capricorni, non poterit nasci infans duodecimo mense, vt viuat, nisi in vna sola die, quado Sol esset in signo & gradu aspiciente. Veluti hora genituræ in vndecimo gradu Capricorni, hora natiuitatis in vigesimo Sagittarij. Viuacissimi igitur secundùm hanc rationem sunt nati nono mense, inde decimo, inde vndecimo, inde septimo: minimè nati octauo & etiam longè minus duodecimo. Quæ ratio Astronomica cum concordet experimento manifestum est quod est vera: Secunda concordia est à Luna & est Hermetis, vt etiam recitat Haly hic in commento: Ex qua patet quod etiam iudicio Haly Centiloquium sit Hermetis & non Ptolemæi, & si postmodum, illud exponendo Haly mutauerit sententiam. Dicit ergo Hermes, Luna tempore natiuitatis est in signo quod ascendebat tempore generationis: & ascendens tempore natiuitatis, est idem signum vel eius oppositum in quo Luna erat tempore generationis. Dixit Haly se hoc frequentius expertum esse, verum licet non semper. Sed animaduerte quod Haly aliter interpretatur verba Hermetis, quia habuit falsam conuersionem: Tertia concordia est nostra, & est quod sufficit post Solis concordiam, vt Luna vel aliquis alius Planeta dominus coniunctionis, vel opositionis præcedentis generationem perficiat circuitum, vel commutetur cum altero luminarium, vel per directionem perueniat ad locum luminaris, vel quod frequenter contingit quod Mars perueniat ad locum oppositum, in quo erat in genitura: quia Mars propriè significat partum, quia partus fit cum maximo dolore & acerbissimo, & multa effusione sanguinis, & periculo mortis matris, quæ omnia sunt opera Martis. Et tales partus plerũque sunt laboriosi, sicut quando ego natus fui. Quòd si vel iam dies partus sit constituta, scilicet conuersionis fœtus in vtero, quod cum generatione conuenit, consurget quarta ratio quæ etiam tenet in partu violento: quando aliqua mulier parit propter lapsum corporis in terram, vel percussionem, vel timorem, vel nimiam defatigationem, vel ieiunium, vel medicamentum, vel si infans excisus fuerit, poterit viuere seruatis tribus rationibus, numeri mensium per Solem, vt dictum est, & numeri dierum per Lunæ reditus applicationes & defluxiones, & numeri horarum diei per id, quod ascendat talis numerus signi, vel sit in medio cœli, qualis est numerus signi in quo est Planeta, qui dominatur loco coniunctionis aut oppositionis luminarium natiuitatem præcedentis. Quòd si seruari non poterit, quia tam præceps sit ortus infantis propter casum & violentiam externam, aut excisio non in id tempus incidat, tuuc viuere non poterit. Ex quo patet quod etiam tales partus naturales sunt, & non volunrarij. Et partus excisi, tempus durat ab hora in qua moritur mater, vsque ad momentum in quo excinditur infans quando primum incipit trahere spiritum.

TEXTVS

TEXTVS IV.

Cùm autem propositum nobis sit hanc etiam partem non omittere, ad eum quem initio huius operis exposuimus ratiocinando modum quatenus talem præscientiam consequi liceat, veterem quidem prædictionem consuetudinem, quæ mistura constat astrorum omnium aut plurimorum, cùm multiplex sit & propemodum infinita ratio, si quis accuratè eam exequi velit, magisque eorum quæ naturaliter contemplando singulatim inueniuntur, quàm quæ præceptis comprehendi vniuersim possent, declinabimus quod vt minimum vtilitatis, ita difficultatis plurimum adferat. Rationes verò eas per quas singulorum generum decreta præuidentur, & peculiares, adeoqúe manifestiores citra vnumquodque efficiendi vires, quam poterimus consentaneæ naturalique conuenienter inuestigationi exponemus. Præfigentes certa circumfusi cœli loca, ad quæ vniuersi humani casus, tanquam scopum quo collimare oportet, referendi veniunt. Deinde his locis secundum corporum dominantium conciliationem effectrices vires quasi, sagittas eo coniiciendas accommodantes, temperandi, miscendique illud quod ex diuersarum naturarum coniunctione decernitur, modum relinquemus, tanquam perito Sagittario perquirentium industriæ.

Proponit duos modos procedendi: Vnum qui est per compositionem, & erat Aegyptiis familiaris: & nunc Arabibus, veluti dicendo: si Saturnus fuerit in Scorpione in sexta, & Iuppiter in Piscibus in vndecima, velut in secunda figura, significat prudentem animo & ægrum corpore: dicit Ptolemæus iste modus est infinitus, & verissimè dicit, vt in primo libro ostensum est: si tamen posset describi esset longè facilior: Secundus modus constat ex simplicibus, ex quibus fiunt compositi, & iste est facilis & vtilis. Exemplum, si quis dicat, si Saturnus fuerit dispositor morum faciet tardum, maleuolum. inuidum, grauem. Si verò sit Mercurius, faciet celerem, acutum, varium. Ex his sequitur, quòd si fuerit Saturnus cum Mercurio faciet dolosum, quia Mercurius præstat varietatem & instabilitatem, Saturnus inuidiam, auaritiam: Item talis erit mediocris inter tardum & velocem, quia Mercurius significat velocem & Saturnus tardum. & ita in aliis. Et quia, vt diximus in qualibet genitura sunt omnes stellæ Planetæ signa, & deinque totum cœlum, ideò quis merito posset dubitare & dicere quomodo seligam ista singularia. Respondet ad hoc declinando Ptolemæus, & dicit quod oportet in vnaquaque genitura seligere quendam locum in cœlo pro vita, pro honoribus, & ad illa loca comparare totum reliquum cœlum, & iuxta illam comparationem iudicare. Exemplum: In secunda genitura: Sol significat vitam, ideò vigesima quarta pars Aquarij, in qua est Sol, erit comperanda toti cœlo: Et quia Mars ibi respicit de quadrato, & Saturnus ibi habet domum & trigonum, ideò significat debilem vitam: Et quia distat solum tribus partibus à Martis quadrato, significat quod iuxta tertium annum natiuitatis habuit aliqnam læsionem vel morbum: Et nisi esset qnod Iuppiter est dominus finis, non potuisset viuere vsque nunc. Et similiter comparatur Mercurio domino secundi trigono, & Lunæ, quia præcessit oppositio in vigesima prima parte Leonis & tunc Luna erat cum corde Leonis, & Sol erat supra terram tempore oppositionis. Et ita considerabo trigesimam partem Sagittarij pro diuitiis, comparandc ei totum cœlum.

TEXTVS V.

Primum verò dicemus de iis, quæ solent in genere considerari in partus exordio, sicut ordo, consequutioque monet, à quo exordia omnia, natura colligi possunt, accipere licet. Nonnihil tamen conducentibus, si quis curiosior esse velit ad sosa illa, quæ circa concretionem pecnliariter, & ipsum status momentum occurrunt eadem considerandi ratione, acceptis conditionibus.

Proponit ordinem dicendorum, initium sumens ab iis, quæ sunt circa partum, vt parentibus, fratribus, sexu, geminis, monstris, his qui non aluntur, & certo ascendente, id est quid verè ascendat: Et hoc est, primum in consideratione. Omnia verò considerata circa partum sunt septem, vt clarum est & nos addemus octauum necessarium, sine quo nihil potest sciri, & ponemus illud in digressione sequentis commenti. Et quia Ptolemæus proposuerat duo principia, scilicet genituram & natiuitatem, & præposuit principium natiuitatis nobilitate & consideratione, meritò quis posset dubitare & dicere, cùm sint duo principia, licet genitura non sit tanti momenti, quare non tractauit etiam de illa. Respondet ergo Ptolemæus, quod si quia curiosior esse velit, poterit considerare etiam momentum genituræ eisdem rationibus, quibus & tradantur regulæ natiuitatis.

CAPVT

CAPVT II.

TEXTVS VI.

De parte Horoscopi.

QVandoquidem sæpenumero etiam id, quod primum ac præcipuum est momentum, videlicet horæ natalitiæ, in dubium vocatur, cùm sola ferè Astrolaborum horoscopiorum inspectio prudenter obseruantibus partus momentum prodat, reliqua verò quibus plurimi vtuntur horologia, non raro, à vero aberrare possent, solaria quidem ob situum ac gnomonum accidentem peruersionem, aquatica verò tum ob laticum naturam diuersis de causis, tum fortuita cohibitione & inæqualitate facilè à veritate declinant: necessarium fuerit tradere, quemadmodum quis partem signiferi inueniat, quæ tum in ortu debeat constitui, iuxta naturæ consentaneam rationem, proposita illa quæ secundùm datam proximè horam ex ascensionum doctrina inuenta est.

Accipiemus igitur eam quæ proximè partum antecessit coniungationem, siue illa interlunij fuerit, siue plenilunij, & obseruantes diligenter in interlunio quidem vtriusque luminaris, plenilunio verò eius quod supra terram exstiterit partem, quænam stellæ partus tempore gubernent, quæ quidem ratio in his quinque consistit, triangulo videlicet & domicilio, altitudine: termino, & irradiatione, seu configuratione, hoc est, cùm vnum aut plura horum, aut etiam vniuersa quæsitus locus erga potituram dominatione stellam obtinet Si igitur vnum his omnibus aut pluribus instructum reperiemus, quàm ille partem occupat, eius signi in quo versatur, tum quando fœtus in lucem editur, quota sit animaduertemus: totam enim oriri iudicabimus eius signi, quod ascensionum regula proximum huic deprehensum est. Quod si duo, pluresve ad principatum aspirant, cuius partilis locus partis tempore vicinior numero fuerit, illi, qui iuxta ascensiones in ortu existit, huius partium numero vtemur. At si duo pluresve in hac propinquitate pares sunt, is qui potiorem habet rationem tum angulorum, tum etiam conditionis præro gatiua, præferendus erit. Verùm sanè vbi huius dominationis partium distantia maior inuenitur à posito horoscopo, quam à medij cœli cardine, tum eodem partium numero ad constituendum medij cœli angulum vtentes, secundùm eius ductum reliquos cardines figurabimus.

Sensus talis est, vt cognoscas ascendens tempore natiuitatis, accipe Planetam qui dominatur in loco coniunctionis luminarium præcedentis natiuitatem, vel si proximior fuerit oppositio eorum natiuitati, accipe Planetam qui dominatur loco luminaris quod tempore oppositionis est supra terram: Et si vnum esset in orientis linea alterum occidentis, accipe orientalem, & considera in quo gradu sui sit signi, & considera medium cœli & ascendens, & cuius numerus fuerit proximior numero illi, statues illum angulum sub eo numero signi, reliquum verò cum tota figura iuxta rationem duodecim domorum. Et si plures essent domini accipe illum qui plures habet dignitates ex quinque hora natiuitatis in loco adeò vt sint duo, quæ distinguit luminaris locum in oppositione, & accipit illum qui est supra terram oppositionis tempore non natiuitatis: & dominum loci potiorem hora natiuitatis non coniunctionis, aut oppositionis: & hoc quia mutatur quandoque trigoni dominus primus & irradiatio. Vt si coniunctio, vel oppositio tempore quo fit, fuerit in Leone, in nocte, ita, quod Luna sit, ibi & hora natiuitatis Iuppiter aspiciet locum illum, accipiemus eum, secus si respiceremus ad horam coniunctionis, aut oppositionis acciperemus Solem, qui ibi dominatur & aspicit cum Iuppiter non aspiciat, sed quia hora natiuitatis contrarium accidit, accipere oportet Iouem.

Exemplum in secunda genitura datum mihi tempus fuit quod vides, & ascendit secunda pars Geminorum: Et quia tempus non erat sumptum per Astrolabium (nam vbi tempus habeatur per Astrolabium, dicit Ptolemæus debes fabricare figuram iuxta illud, sicut est tempus natiuitatis filiorum meorum, & non debes quærere aliud) considero quod oppositio Solis, & Lunæ præcessit genituram: Et quia Sol erat supra terram tempore oppositionis in vigesimaprima parte Aquarij: Vbi Saturnus habet carpentum, est enim dominus domus & trigoni, & Saturnus est in tertia parte Scorpionis: & hic numerus est proximior numero ascendentis, qui est 2. quàm medij cœli, qui est 24. Ideò statuam ascendens Geminorum partes 2. mi. 18. Et similiter in prima genitura coniunctio præcessit natiuitatem circa vigesimam partem Libræ, vbi Saturnus habet carpetum & solium, & quia decimus septimus gradus numero proximior est, 21. Tauri, qui est medij cœli, quàm 1. Virginis, qui est ascendentis, ponam decimam

decimam ſeptimam partem Tauri in medio cœli, & cadet vigeſimanona pars Leonis in aſcendente: & iſtud eſt veriſſimum. Deinde dicit quod vbi ſint duo domini vel plures, qui paritate numerorum certent & propinquitate cum angulis quod frequenter contingere poteſt, debemus accipere angulum ſecundùm numerum ſigni in quo eſt Planeta potentior. Velut in nona geneſi coniunctio Solis & Lunæ fuit in decima parte Libræ, vbi Saturnus habet carpentum, altitudinem & trigonum, & reſpicit locum, Venus etiam carpentum domum & fines. Mercurius trigonum primum, quod natiuitas nocturna ſit: Saturnus igitur habet primam dignitatem, Venus ſecundam, Mercurius tertiam: Venus eſt valde remota à ſimilitudine numeri angulorum, accipiemus igitur Saturnum, qui eſt potentior & ſtatuemus aſcendens iuxta illud, licet Mercurius ſit proximior aſcendenti Saturno. Et quia Saturnus licet numero ſit proximior aſcendenti, quàm medio cœli quò ad numerum, quò ad ſitum tamen eſt valde proximior imo cœli, quàm aſcendenti, & numerus Mercurij numero aſcendentis, ſtatuemus in imo cœli Saturnum cum partibus 15. mi. 32. ♄. Ideò Ptolemæus admonet in hoc vtendum iudicio magno, ſpectando dignitatem Planetæ, propinquitatem numeri, & omnia conferendo, veriſimiliorem eligere.

Intelligit ergo propinquitatem quod ad numerum graduum, non quo ad ſitum, id eſt, quod ſit propinquior Planeta angulo aſcendentis, quàm medij cœli, vt manifeſtè apparet in exemplo primæ genituræ, vbi Saturnus eſt in prima domo & propinquus aſcendenti. Et tamen non ſumimus numerum ſigni aſcendentis ſecundùm illum, ſed numerum ſigni medij cœli, qui eſt proximior illi. Item nota quòd non vult Ptolemæus ponere regulam illam de duobus Planetis, vel pluribus in æquali propinquitate ad numerum angulorum, quia præſupponit exquiſitiſſimam æqualitatem differentiæ, ſed vt facias comparationem potentiæ Planetæ ad propinquitatem. Gratia exempli ſit medium cœli 19. Capricorni, aſcendens 7. Tauri, ſicut in noſtra genitura, dominus loci coniunctionis præcedentis robuſtior Mercurius, inde Luna & Venus, inde Mars: ponamus igitur quod Mars eſſet in quinto gradu Geminorum, & Mercurius in tertia decima parte Libræ, tunc licet Mercurius longè plus poſſit quàm Mars, quia tamen numerus Martis eſt longè proximior numero aſcendentis, quàm numerus Mercurij numero medij cœli, ego ſtatuam potius quintum gradum Tauri in aſcendente, quàm tertiumdecimum Capricorni in medij cœli. Rurſus ponatur Mars in quinto Geminorum, & Mercurius vigeſimotertio gradu Libræ, tunc ponam potius 23. gradum Capricorni in medio cœli, quàm quintam partem Tauri in aſcendente, licet numerus Martis ſit proximior numero aſcendentis, quàm numerus Mercurij numero medij cœli: quia poteſtas Mercurij comparata ad diſtantiam quatuor graduum, maiorem habet proportionem, quàm poteſtas Martis (intellige in loco coniunctionis luminarium) ad diſtantiam duorum graduum. Memineris etiam quod vbi propinquitas ſit eiuſdem rationis, tunc melius eſt accipere medium ſeu proximiorem in medio. Veluti in exemplo dato, ſi Mercurius eſſet in quarto, gradu Libræ, & Mars in quinto Geminorum, tunc melius eſſet ponere quintam partem Tauri in aſcendente, quàm quartam. Sed vbi eſſet diſtantia contraria, vt in exemplo priori, melius eſt potentiorem Planetam obſeruare, quàm propinquitatem numerorum.

Ex hoc patet quod modi habendi verum aſcendens ſunt tres, primus eſt, vt per Aſtrolabium habeatur, & hic eſt firmiſſimus. Dicit Haly quod Aſtrælabium inuentum fuit ab Abraham tempore Salomonis, vel ab Aſtor, vnde Aſtrolabium quaſi Aſtoris linea. Lab enim lineam ſignificat Arabicè, ſed Aſtrolabium dicitur ad ἀϛρολάβων, quod eſt capiens aſtra. Secundus modus eſt ex directionibus effectuum, qui conſequuntur: hunc prætermiſit Ptolemæus qui præſupponit natiuitatem proximam eſſe, imò nec quicquam ſcire Aſtrologum de nato an maſculus, an fœmina, an viuus, an mortuus, nedum vt ſciat, qui illi contigerint. Nos verò non curamus niſi vt quæ prædicantur vera ſint. Vtraque via defendi poteſt: Sed Ptolemæus præſupponit quod quilibet debeat vti omnibus auxiliis quibus poteſt ad tuendum honorem ſuum, veritatemque indagandam. Ob id ſi effectuum aliquem habeas, Ptolemæus vult pro principali illum obſerues, dirigaſque & iuxta illud genituram conſtituas. Verùm non ad exactam graduum conſtitutionem hoc facit, quoniam plerunque, vt videbitur propter proceſſus tempus variatur. Tertius modus eſt quem nuper deſcripſimus, vt ex domino coniunctionis, vel oppoſitionis loci Solis & Lunæ proximè procedentis, inquiratur.

Iuxta hoc ſequitur difficillima & longa & maximè neceſſaria dubitatio, quæ duo habet capita, & eſt, cuius cauſa iam nihil vſque ad hanc diem, niſi à paucis, illuſtre in hac ſcientia apparuit. Eſt autem talis, vt à primo capite initium ducam, ſcilicet quomodò poſſit hæc ratio de numero ſigni Planetæ dominantis in loco luminariũ eſſe vera: nam ſi eſt vera generaliter, non eſſet bonum vti Aſtrolabio: ſi verò non eſt vera generaliter, vt Ptolemæus fateri videtur, ſcilicet vt verum aſcendens ſumptum per obſeruationem Aſtrolabij concordet cum aſcendente inuento per hanc viam numerorum, homo habebit duo aſcendentia, & duo decreta ſtellarum. Gratia exempli: In prima genitura ponamus quod Rex illius pater iuſſerit obſeruari aſcendens per Aſtrolabium, & quod ſit primus gradus Virginis, dederitque illam genituram alicui egregio Aſtrologo iudicandam iuxta viam Ptolemæi, hanc verò miniſtri ipſius Regis mihi, qui neſciens eam eſſe Aſtrolabio ſumptam, reduxi per hanc regulam Ptolemæi ad metam 29. partis Leonis aſcendentis: Itaque ſecundum Ptolemæum fient duo iudicia diſtincta, genere, qualitate,

magni

magnitudine, & tempore futurorum, omnino distincta de eodem, quod esse non potest, vt vera sint ambo. Secunda difficultas est, quoniam homo non nascitur in vno momento, vt videtur præsupponere Ptolemæus: sed primum, vertitur in vtero vtque tunc nō potest amplius reuerti, nec manere in vtero. Secundum frangit tunicam qua circumcingitur. Tertio prodit capite, si tamen secundùm naturam nascatur. Quarto prodit totus. Quinto & vltimo abscinditur vmbilicus aut inter nascēdum frangitur: quæ quinque actiones nunquam minus claudūt tēporis à primo ad vltimam tribus horis, plerunque autem plus vna die, nonnunquam tribus diebus, vt quando nos nati sumus, & quandoque etiam plus. Vel igitur omnia habebunt vim vel vnum tantum: Si omnia quomodo poterimus habere aliquid certi. Si vnum tantum vnde illud debemus sumere. Si enim sumamus à natiuitate quando exit caput, nondum totus ortus est. Si verò cum totus ortus est, Istud videtur voluntarium, cum sit arbitrio obstetricum. Si verò à spacio inter ortum capitis & totius, illud aliquando prolixum est vt dixit: Propterea dico primo quod ortus infantis est secundùm certum tempus, in quo toto tempore acquirit vim ab astris. Et quod sit verum, videmus in omnibus operationibus & casibus, qui contingunt homini, quod sic contingit: Si moritur primo ægrotat, deinde fit mala crisis, vel cadit virtus, & post viuet aliquando etiam duobus vel tribus diebus, post amittit sensum, & adhuc viuit quandoque per tres vel quatuor horas, & plus, vltimò moritur. Et similiter quando aliquis occiditur, primum fit coniuratio ab inimicis, inde aggrediuntur ipsum, deinde vulnerant, deinde vbi vulnus primum non sit mortale, vulnerant ipsum mortali vulnere, inde etiam poterit viuere aliquot diebus, tandem moritur. Similiter de itinere, de lucro, de habendo magistratum, & de omnibus aliis. Statuendum est igitur in natiuitate tempus quoddam latitudinem habens id est, certam magnitudinem, cuius sunt tria momenta principalia: Primum quod est principium: & secundum quod est principale, quod nolo appellare medium, quia nolo, vt decipiaris credens, quod si æqualiter distans ab extremis cum quandoque sit valde proximum principio vel fini: neque quod sit vnum tantum, cum quandoque sint plura principalia in eadem actione, sicut videbis in exemplo capitali de itineribus: Tertium momentum principale est finis eiusdem temporis. His visis dico quod totum tempus natiuitatis habet vires in singulis operationibus, ita quod principium significat de principio, medium de medio, seu mediis, & finis de fine: & ita quælibet pars temporis habet suum proprium significatum in omnibus actionibus. Sed principium significat de initio ipsius rei quando prima deliberatio de tali re: Est autem duplex primùm respectu agentium, secundùm recipientium. Exemplum, est aliquis qui deliberat ducere aliquam in vxorem, quando ille deliberat, tunc est principium perfectum respectu deliberantis, & imperfectum respectu mulieris quam debet accipere. Cùm verò mulier ipsa assentitur, est principium perfectum respectu ipsius mulieris. Secundùm verò principale momentum est illud tempus in quo homo amplius non potest se retrahere nec recuperare si sit malum, nec amittere sit sit bonum. Et sint plura in eadem re quæ non possint mutari, vtpote si quis habeat sententiam quæ transierit in iudicatum in possessorio, quamuis illi etiam pendeat à petitorio, attamen illa causa habet duo capita principalia. Et generaliter illud dicitur principale quod est perfectum, & non potest amplius ex se mutari. Finis verò est quando res actu perficitur. Exemplum in morituro, quando incipit ægrotare est principum, cum fit crisis mala tunc principale, cum verò moritur, tunc est finis. Et in itinere cum deliberat ire, est principium, cùm accedit ad locum ipsum tunc est medium seu principale, cum reuertitur est finis. Et in lucro cum mouentur prima verba est principium, cùm numerata est pecunia, est principale seu medium, cum asportauit rem, est finis. Cùm aliqui deliberant hominem occidere, est principium pro illo qui occiditur, cum lætaliter vulneratur est principale. Principium in vnaquaque re consistit plus in voluntate quàm in effectu, medium in effectu superante voluntatem, finis in solo effectu & illius perfectione. Determinatis his dico quod principium natiuitatis, & medium & finis debent sumi à principali operatione quam nascendo acquirit, hæc autem est respiratio. Principium igitur nascendi est cum incipit respirare: punctus verò principalis natiuitatis cùm ita respirat, vt iam posset per se viuere: finis verò cum iam tantum attraxit aëris, vt sponte cessent respirare & moueri vmbilici arteriæ Et ita patet ratio secundi quæsiti Patet etiam quod hoc totum tempus est breue & exiguum. Ex hoc patet solutio primi quæsiti & est quod tempus principale natiuitatis semper est illud, quod debet obseruari per Astrolabium. Tempus verò quod docet Ptolemæus inuenire ratione numerorum, hic aliquando est idem cum principali, & tunc prognostica Astrologi sunt verissima: quandoque est idem cum principio & tunc significat principia rerum & voluntatem, ad quæ plerunque sequitur effectus non tamen semper. Aliquando autem tempus hoc concidit cum fine natiuitatis, & tunc significat qualitatem finis rei: Veluti in nostra genitura si ponatur vndecima pars Tauri ascendens propter locum Martis Lunæ, qui sunt in vndecima parte signorum & sunt domini loci coniunctionis luminarium, & etiam Mercurius principalis dominus erit propinquus numero medij cœli valde: Tunc habebimus finem omnium negociorum nostrorum & casuum qualis futurus sit. Ex hoc sequuntur duo: Primum quod illi quibus ascendit numerus consimilis numero inuenti per viam Ptolemæi, vel saltem valdè proximus, tales habent principia media & fines, valdè similia, & conformia: quibus

quibus verò aſcendens verum plurimum diſtat ab aſcendente quæſito per viam numerorum, in his principia rerum & media, & fines erunt valdè diſſimilia, & maximè ſi multum diſteterint, vt in noſtra genitura: Tales enim videbuntur quandoque eſſe in cœlo & ſtatim, decidunt in eadem cauſa:rurſus quandoque videntur eſſe demerſi in profundo & diſtituti ſpe omni, & ſtatim præter omnium ſpem quaſi cœleſti quodam auxilio emergunt. Cauſa eſt quia principia ſunt diſſimilia mediis & media finibus. Secundum eſt quia iuxta Ptolemæi ſententiam oportet vtrunque principium conſiderare, ſcilicet verum & naturale: Verùm appello quod eſt inuentum per Aſtrolabium. Et ſi dicas non potui habere per Aſtrolabium tale principium. Reſpondeo habeas illud per conſenſum plurium directionum quas veras experimento inueneris, ſicut ego in mea genitura feci. Quòd ſi dicas, quare appellas naturale aſcendens quod eſt inuentum per rationem illam numerorum, cùm rationem numerorum Ptolemæus in ſequenti capite reprobet. Dico quod Ptolemæus intelligit conſenſum inter dominum loci luminarium & aſcendens, vel medium cœli tempore geniture: qui conſenſus fit per trigonum vt declaratum eſt, vt inter decimum gradum Arietis, & decimum Leonis: vel ſi non poteſt, per exagonum qui eſt dimidius trigoni vt ex decimo Arietis, in decimum Geminorum: vel ſi non poteſt, per dimidium exagoni quod eſt ſpacium triginta graduum & per compoſita ex illis, vt inter decimum Arietis, & decimum Tauri, vel Cancri, vel Virginis, vel Libræ: Et generaliter intelligit figuram duodecim laterum æqualium in eclyptica, quæ vt manifeſtum eſt cadit ſemper in ſimiles gradus ſignorum. Et ſi dicas cur ergo talem figuram non recepit in numero aſpectuum. Reſpondeo quod talis figura non eſt ſubiiciens ad operationem aliquam ſenſibilem, ſed bene ad hoc, vt habeat principium naturale naſcendi, quia tale principium conſiſtit in quadam ſola potentia & in quadam permiſſione, ſeu conſenſu, cui ſufficit figura duodecim laterum, quæ tamen non ſufficit ad actiones. Rurſus ſi dicas quare non ergo naſcuntur omnes aſcendentibus talibus gradibus naturalibus, ſeu correſpondentibus numero medij cœli, vel aſcendentis cum numero gradus Planetæ dominantis in loco coniunctionis vel oppoſitionis luminarium. Reſpondeo quod iſtud contingit vel propter fatum aliquid aliud intendente natura, vel propter natiuitatem patris & matris, directiones & progreſſiones, & maximè matris: vel quia Planeta dominator eſt debilis, vt mihi Mercurius, qui parum aut nihil poteſt, nec in Tauro, nec in Capricorno, nec etiam in ſignis oppoſitis, & eſt retrogradus, & in ſexto loco, vel dicas quod naturale principium, & verum ſunt ſemper diſtincta parum aut multum, & quod naturale ſemper ſumitur à principio reſpirationis, & principale à perfecta reſpiratione, quando iam fœtus non poſſet amplius viuere in vtero, & iſtud veriſimilius eſt. Cùm igitur Ptolemæus non poſſit habere ſecundum principium & principale accipit impreſectum & primum: Et hoc quia ſunt partes totius temporis natiuitatis, & ſecundùm hanc viam aſcendens noſtrum eſſet vigeſimaquarta pars Arietis, dico de naturali, quia aſcendens naturale ſemper præcedit, verum, & naturale, & verum aſcendens eſt ſexta pars Tauri, & decem minuta, & tertium aſcendens quod vocatur finis, eſſet duodecima pars Tauri, & totum tempus natiuitatis eſt minutorum 39. id eſt, duæ tertiæ fermè vnius horæ. Et per hoc facies in omnibus aliis genituris: ſciendo quo tempus principales illud eſt verè, quòd cōprehenditur inter aſcendens naturale & finem.

His viſis, vt rem ipſam concludam iuxta ſententiam Ptolemæi, & veritatem rei, & id quod cum omnibus concordat: dico quod mens Ptolemæi eſt, quod vis cœli diffundatur tempore ortus per longum ſpacium, & non in momento vllo, quoniam ſunt plura initia, quæ temporibus non exiguis differunt. Primum tempus eſt cum fœtus conuertitur capite inferius: Secundum cum aperituros vteri, & tunc incipit reſpirare: & quodque prius exit ſanguis antequam conuertatur infans, & vtroque modo intercedit ſpatium horarum, & aliquando dierum, & conuerſio fœtus eſt magis ſecundum naturam, quàm apertionis vteri, & poſt eſt progreſſus capitis, & non poteſt diſtare per multas horas à conuerſione & apertione oris vteri in eo qui ſuperfuturus eſt: & cùm reſpirat ore & vmbilico. Vltimum tempus & eſt quartum, eſt cum totus prodierit è vulua matris: & hoc durat quamdoque per vnam diem. Tempus autem quo abſoluitur à matre & definit reſpirare per illam quoniam eſt voluntarium non eſt ex illis. Principale igitur eſt exitus & capitis, & totius, & quod eſt inter illa. Et ſi velles addere tempus totum quo vterus manet apertus eſſet nimis longum. Et ſi prætermittatur tempus quo conuertitur prætermittemus quod eſt ſecundum naturam. Ideò oportebit accipere illud in quo conuertitur ſi ſciamus: inde in quo prodit caput, demum in quo oritur cum toto eo quod intercipitur: & ſi longum erit & ſuperuixerit: erit vita illius plena incommodit multis, & qualis ortus talis vita, & qui ſtatim oritur abſque impedimento protrahit vitam, aut ruit ad finem in neutro diu colluctatus. Reliquæ verò geneſes etiam medio comprehenſo tempore diiudicantur, cumque hoc fieri non poſſit, ob multiplicem miſtionem eorum, vitæ fato potius agi, quàm ſyderum vi videtur, apices cum ſunt illæ tres exitus capitis & totius, qui principalis eſt niſi omnia contrà operentur. Cùm verò hoc ipſum ignotum fuerit Ptolemæus venatur tēpus illud, quod domino gradus coniugationis in angulo propè poſito habetur, quàm ſimili numero, ſi nō quadrato aut trigono, aut ſextili aſpiciat, aut intueatur, vel obediat illi: hoc enim tempus pro apice erit: nam reliqua penè eadem erunt. Multa etiam manebunt vt planetarum aſpectus atque inter eos directiones, ſi exiguum fuerit interuallū, licebit poſtmodū

ſucceſſu

successu temporis verum momentum Coriphei inuenire. Hæc igitur mens est Ptolemei, vt saltem tria tempora, & decursus inter illa examinentur. Variant autem plurimum in hoc inter se geneses, vt validæ dignosci possint, quoniam apices plurimum possunt, intermedia fermè nihil, quæ verò sunt imbecilles, multis casibus aguntur: & fato subiici videntur, vt quamquam magnis casibus subiiciantur, nihil tamen tale sperare potuerit, vt de exitu Philippi Regis Macedoniæ, patris Alexandri cuius etiam vita tota eiusmodi fuit, quæ perpetuis successibus & continuata serie potius augeretur, quàm euidentibus impressionibus, atque felicitatibus. Cuius oppositum fermè contingit in eius filio, sunt igitur quatuor genera geniturarum: Validæ prudentium mistæ, & debiliorum fatuorúmque, seu prorsus imbecillium sumpta: duo solum ex hac differentia apicum ad intermedia tempora.

CAPVT III.

TEXTVS VII.

Diuisio præcipiendorum.

HIs ita definitis, si quis ordinis sectandi gratia ea, quæ in genituris vniuersum spectanda sunt diuidat, inueniat sanè inter ea, quæ natura comprehendi possunt, quædam ante genituram sita esse, cuiusmodi est de parentibus tractatio, quædam verò & præcedere, & sequi, vt cum de fratribus & sororibus solliciti sumus, quædam circa ipsam genituram versari, quæ varia sunt, neque vno capite comprehendi possunt. postremò verò quæ eam sequuntur, & hæc multiplicem habent tractationem. Est verò inter ea quæ circa genituram versantur de masculino & fœminino partu, de geminis aut pluribus, de monstris & de iis, qui antequam nutriantur extinguuntur. Inter ea quæ genituram sequuntur est de vitæ spacio tractatio, haud quaquam illi connexa, quæ de his qui nutritionem non consequuntur, instituitur: deinde, de forma, de morbis & vitiis corporis, post de animi statu, déque eius morbis, deinceps de possessionibus, de dignitatibus, post hæc verò de opificij genere, mox de coniugio, déque liberorum procreatione & de societate, déque mutua beneuolentia amicorum, hinc de peregrinatione, ac postremo de mortis genere: quæ quidem tractatio, cum natura & potentia conueniat, eum ea quæ vitæ de spacio agit, ordine tamen meritò his omnibus subiicitur. Ac de vnoquoque horum generum in capita enarrationem instituemus, ipsam indagationis institutionem cum nudis effectricibus viribus, vt diximus exponentes.

Quatuor proponit tractanda, vnum de præcedentibus natiuitatem, & hoc habet vnum caput, scilicet de parentibus, quod tamen diuiditur in duo, scilicet in tractationem de patre & matre. Secundum de iis quæ partim præcedunt natiuitatem & partim sequuntur & habet vnum caput tantum, scilicet de fratribus & de sororibus, potest autem diuidi in duo sicut præcedens. Tertium quod est de iis, quæ contingunt circa natiuitatem, & continet quatuor capita primum de sexu, secundum de geminis, tertium de monstris, quartum de iis qui non nutriuntur. Quartum principale est de iis, quæ contingunt post natiuitatem, & continet per se tredecim capita: primum de vita, secundum de forma, tertium de morbis & vitiis corporis, quartum de qualitate animi, quintum de vitiis & morbis animi, sextum de diuitiis, septimum de honoribus & dignitatibus, octauum de exercitatione seu arte, nonum de coniugio, decimum de liberis, vndecimum de amicis & inimicis, duodecimum de peregrinatione (nam serui inter species amicorum numerantur) tertiumdecimum de morte: hoc debuit sequi caput primum de vita, sed quia mors est finis omnium, ponitur vltimo loco. Adijcitur post hæc capitulum generale conueniens omnibus de triplici diuisione temporum, ita vt sint in vniuersum capita viginti, quæ consideranda sunt in qualibet genitura.

TEXTVS VIII.

Quæque multi curiosè & petulanter nugati sunt, neque ullam veri similitudinem præ se ferentia ad ea, quæ naturæ non conuenienter dicta sunt, relegabimus: quæ verò natura deprehendi possunt, non per sortes & numeros, quibus à natura rationes nullæ inditæ sunt, sed ad ipsam figurationum cum familiaribus locis inspectionē collimantes deprehēdemus.

Reprehendit sophisticam Astrologicam sui temporis, quæ etiam per Arabes multos perducta est ad nostra tempora, & illorum etiam nugas, qui nunc mentiuntur Astrologiam fictis figuris, & numeris, de quibus in procemio huius libri diximus: Similiter & docet Astrologiam non procedere per signa, sed per causas cum à priore semper procedat: Vnde interrogationes vanæ sunt. Sub hoc etiam comprehendi debent artifices, qui

qui difficillimam artem, parua scientia, minore iudicio, labore penè nullo tractando, vituperant: vnde tam malè audit.

TEXTVS IX.

Sanè in vniuersum in omnibus, ne singulis capitibus idem dicamus, primùm quidem oportet inuestigare locum signiferi familiaritate coniunctum generi quæstionis, quemadmodum verbi gratia: De opificij genere locum signiferi in cœli medio constitutum, aut de parte Solis. Deinde contemplari stellas, quæ dominium ius exercendi in hæc loca habeant, secundùm eos, quos prædiximus quinque modos: & siquidem vna omnibus modis præfuerit, in illam conferre omnem eius euentus decernendi iurisdictionem: sin duæ trésve, in eas quæ suffragiorum numero præstant. Posthæc vero vt quale tandem futurum sit, quod decernitur coniectemus videre, & naturas ipsorum dominorum, & signorum in quibus ipsi præcipuáque loca reperiuntur: ad magnitudinem decretorum spectare, vtrum sint valentes tam secundùm mundi, quàm genituræ statum, an contra. Validissimi quidem sunt pro mundi situ, cùm in domesticis, aut etiam in propriis sunt locis, & rursus cum orientales sunt, auctíque numeris: Pro geniturae verò situ cum in angulis aut succedentibus locis dispatiantur, maximè primis: dico autem ortus, mediíque cœli loca. Imbecillissimi verò, iuxta mundi situm, quando in alienis locis, siue non domesticis & occidentales, aut retrogradi fuerint, sed pro geniturae statu cum ab angulis cadunt. Ad tempus verò decreti vniuersim cognoscendum, vtrum matutini sint, an, vespertini, tam ad Solem, quàm ad horoscopum comparati, quandoquidem antecedentes vtrumque horum quadrantes, iisque oppositos matutinos dicimus, reliquos verò sequentes, vespertinos. Et in angulis reperiantur, an succedentibus: Nam matutini cum sunt aut in angulis constituti, suam citius vim exerunt: vespertini verò aut succedentibus, tardius.

Quinque proponit quæ in quolibet quæsito sunt consideranda: Primùm est, vt inueniamus locum qui quæsito præsit. Exemplum in textu habes. Secundum dominos qui loco præsunt. Sunt autem quinque trianguli, domicilij, altitudinis, finis & aspectus, seu configurationis, vt in præcedenti capite docet. De ordine tamen illorum non est habenda ratio iuxta ibi descripta, sed in his, quæ ad vitam spectant plus potest domus in dignitatibus, & magistratibus altitudo, in fortuna & amicis, & populari quadam gloria trigonus, in rebus singularibus & propriis finis. Tertium est, vt consideremus qualitatem futurorum, vtpote si erit fœlix, an infœlix, si in pecunia, vel agris. Quartum de magnitudine ipsius effectus & vnde sumenda sit. Quintum de tempore in quo illa contingere debent. Hæc autem cum quatuor illis conueniunt, quæ superius descripta sunt in secundo libro de vniuersalibus prædictionibus, quantum ad tempus & qualitatem: Hic verò adduntur quantitas locus cœli & dispositores, ibi vtrumque sumitur, scilicet locus & dispositores à loco eclypsis, & succedenti cardine, vel in fixis etiam antecedenti. Magnitudo autem effectus ibi coniungitur cum tempore. Sed locus affectus hic non desideratur cum debeat esse vbi erit natus: neque genus cum sit in ipso nato & ita coincidunt.

Et si quidem vna) Quomodo vna stella potest vni loco omnibus modis præesse cum in sola Virgine Mercurius habeat altitudinem & domum: ibi verò trigonum non habeat: in reliquis signis altitudo à domo differt? Respondeo omnibus modis præesse intelligit, vt si Mars sit in initio Scorpionis, vbi est eius domus trigonus, finis altitudinem ibi non habet, sed nec alius Planeta.

Post hæc verò) Genus rei significatæ, vtpote diuitiæ qualitatibus distinguuntur, pecunia, mercibus, agris, domibus, donis, redditibus præmiis, multæ, paucæ: hæc omnia à dominis, scilicet intelligendo etiam qui aspiciunt locum, & qui dominis commiscentur: & signis in quibus sunt significatores. Signorum nomine omnes figuræ etiam octaui cœli veniunt & noni etiam.

Ad magnitudinem decretorum) Robur Planetarum ex quatuor rebus sumit in comparatione, ad mundum, ad genituram, ad Solem & per se. In comparatione ad mundum quod sint in hoc, vel in illo loco seu signo. In familiaribus & magnis vbi potestatem habent, vt Marti Virgo est familiaris, Ioui Libra. In Piscibus verò Mars habet dignitatem: In Leone Iupiter & magis in Cancro. In comparatione ad genesim, quod sint in angulis præcipuè nobilioribus: Ascendente & cœli culmine, vel succedentibus. In comparatione ad Solem, quod sint orientales. Per se: quòd sint numero aucti, id est, veloces. Nam cum Planeta est velox vocata Æquatio, medio motui additur, ideò tunc Planeta auctus numero dicitur. Diminutus cum aufertur. Quòd si ablata Æquatio etiam medio motu maior fuerit retrogradus dicitur Planeta. Ob id cùm in Sole & Luna nunquam æquatio medium motum excedere possit, luminaria quidem motu tarda dici & esse possunt retrograda nunquam.

Celeritatem effectus ex tribus venatur, ex situ

situ significatorum, quo ad cœli quadrantes ab horoscopo ad cœli medium, & ab occasu ad cœli imum exitus præstant celeres, in aliis duobus quadrantibus tardos. Ex situ significatorum in partibus sui quadrantis in angulo enim celeres, in cadenti tardos, in succedendi medios significabunt. Ex situ quo ad Solem, nam à loco Solis ad 90. partes ante, & ab eiusdem opposito ad totidem partes ante dicuntur matutini Planetæ, in aliis quartis vespertini. Velut mihi Sol est in partibus 10. mi. 37. Libræ, Planetæ à partibus 10. mi. 37. Cancri ad partes 10. minuta 37. Libræ & à partibus 10. minutis 37. Capricorni, vsque ad partes 10. mi. 37. Arietis dicuntur esse in quadrantibus matutinis à Sole: In reliquis autem vespertinis. Notandum quod orientale & occidentale aliud est in Planetis à matutino & vespertino: Orientale propriè est à coniunctione Solis ad oppositionem occidentale ab oppositione Planetæ, cum Sole ad coniunctionem. Matutini, vt dixi in superioribus & Luna à coniunctione, & ab oppositione ad radium quadratum cum Sole. Vespertini à quadrato cum Sole ad coniunctionem vel oppositionem. Aliquando à coniunctione vel oppositione ad stationes matutini dicuntur, à stationibus autem ad coniunctionem, vel oppositionem vespertini. In inferioribus autem aliter res se habet, quia nunquam ad Solis oppositionem veniunt. Hoc autem suo loco declarabitur.

CAPVT IV.

TEXTVS X.

De Parentibus.

QVæ igitur iam dicta est singulorum contemplandorum ratio, quam insequi in omnibus oportet, sic se habet. Accingamur nunc iuxta propositam seriem à prima, quæ de parentibus habetur tractatione. Sol igitur & Saturnus patri natura familiares sunt, Luna, Venúsque matri. Pro quorum statu tum inter se mutuo, tum erga alios de rebus parentum opinandum est. Fortunas enim & opes ex luminum satellitio deprehendere oportet. Circundata namque beneficis eiusdemque conditionis sideribus, siue in iisdem signis, siue in proximis, illustrem & luminosum parentibus statum decernunt, maximè quando Solem matutinæ cingunt stellæ, Lunam vespertinæ, eæque bene affectæ.

Quoniam litteræ sententia satis aperta est, ideò quædam solum expositionis loco adiungam notatu digna: quorum primum est quod natiuitates filiorum significant super parentes suos, & fratres, & filios, eadem ratione quæ est quod cùm parentes habeant virtutem generandi semper, non tamen semper generant, sed solùm cum tempus in quo conueniunt vtriusque geniture fuerit simile. Similiter & de natiuitate non nascitur infans nisi cum natiuitas conuenerit parentum natiuitati. Igitur ex natiuitate filij cognoscuntur dispositiones parentum maximè. Et hoc est primum. Similiter ex natiuitatibus parentum cognoscuntur qualitates filiorum conuersa ratione, & hoc est secundum. Et quia natiuitates filiorum sunt similes parentibus, vt dictum est. Igitur natiuitates fratrum inter se habebunt similitudinem. Sed tamen minorem quàm cum parentibus ipsis, vel propriis filiis: Et ita significabunt statum fratrum. Et hoc est tertium (Intelligo autem cum fratribus sorores) Rursus quia astra significant, vt causæ & non vt signa, vt sæpius ostendi, significabitur status parentum non præcedens natiuitatem filij, sed solum subsequens, Idem dico de fratribus. Et hoc est quod Haly dixit in commento natiuitates filiorum, significant statum parentum, qui succedet post natiuitatem illorum, non autem qui præcessit. Et ita significabit de fratribus maioribus quid succedet illis post natiuitatem suam: De minoribus autem generaliter. Et hoc est quartum: Ex quo sequitur quintum, quod cum nascitur filius in vna domo, mutatur status parentum & fratrum, & sororum in melius vel in deterius. Sextum ex his colligitur: Et est quod status parentum sequitur genituram propriam parentum, deinde post natiuitatem primogeniti, propriam natiuitatem & primogeniti: deinde post natiuitatem secundo geniti componerur parentis ex propria natiuitate, & primo geniti & secundo geniti: Et ita status deinceps quotquot fuerint filij, vel filiæ. Septimum ex hoc sequitur, quod status filiorum componetur ex natiuitatibus propriis parentum, atque fratrum ac sororum. Octauum quod est ordo in his, natiuitas parentum in infantia habet primum locum, deinde natiuitas propria, deinde natiuitates fratrum multo minus: post quartum verò annum quibusdam post septimum, aliis à quarto decimo, nonnullis à vigesimo natiuitas filij habet primum locum, inde parentum, post fratrum. Nonum quod parentum natiuitates primum obtinent locum pro seipsis: deinde succedit natiuitas primo geniti: & succedentium sunt debiliores si sint pares inter se: quia quandoque contingit quod natiuitas vltimogeniti sit validior omnibus & clarior, vt Iosephi inter filios Iacob. Decimum quod natiuitates parentum etiam inter se significant mutuo tantum quantum natiuitas primogeniti. Et hoc post coniunctionem illorum, de vita dico, & sanitate, & honoribus, quiete, moribus, opibus mariti, significat. Et cùm dico significat, dico agit, & est causa, genitura vxoris & viceuersa. Vndecimum quod mater significat magis supra infantiam filiorum, & mores corporeos & corpus ipsum: sed pater

pater super adultam ætatem, & qualitates animi & fortunas eorum. Duodecimum quod maximi momenti, quòd mors vniuscuiusque vel separatio è domo facta secundùm leges velut emancipatio & diuortium, extinguunt significata pertinentia illis, qui cum eis coniunctio erat: Et illi reuertuntur ad proprias natiuitates & statum earum.

Principale aliud est quod Planetæ orientales à Sole sunt robustiores, quia Sol, qui illos obumbrabat relinquit illos splendidos. Et absque (vt ita dicam) suspitione reditus Solis ad eos. Similiter occidentales à Luna sunt in læto statu & pulchro, quia expectant Lunam venientem ad eos sicut quando aliquis expectat amicum ex longinquo venientem, & apparat domum & exornat eam.

Principale tertium est quod Planeta dicitur obsessus quando est inter duos alios, & eò magis si sit in dignitatibus eorum. Exaltatus autem super alium quando fuerit occidentalior & ponderosus, vtpote si Saturnus sit in vigesimo gradu Libræ & Sol, in principio Libræ, & hoc fit quadrifariam: Deterius primum cum Saturnus fuerit in angulo, & Sol extra angulum. Secundo cum Saturnus fuerit in dignitatibus propriis, & Sol in dignitate Saturni. Tertio cùm fuerit Saturnus in quadrato aspectu Solis, vel Saturnus fuerit in imperante, & Sol in obediente: Veluti Saturnus in decima parte Arietis sit, & Sol in vigesima Piscium. Quarto si Saturnus ascendat ad absidem eccentrici sui & maximè Sole descendente à proprio abside. Dicitur autem Planeta superior, quando est occidentalis eleuatus supra Solem vel Lunam, quia Sol vel Luna in tali statu semper vadunt ad illum Planetam, & nunquam superior Planeta vadit ad eos: & sicut homo, qui expectat alios domi videtur in illa causa saltem nobilior his, qui vadunt ad domum eius. Ita Planeta superior cum fuerit occidentalis dicitur eleuatus super alium & maximè, si fuerit vna illarum quatuor conditionum vel plures ex eis.

Vt autem clarius, & per Methodum de hac re agam, quæ tanti est momenti vt sit secunda ex his, quarum intellectu futura prædicere licet, noscere oportet significatorem qualiscunque sit decernere rem: verùm melius aut deterius vt primum simpliciter ad hoc aptus. Maleficæ enim nihil præstant boni liberaliter, aut si natura diffideant, vt Saturnus in prole & coniugio: Iuppiter in rapina, Venus in castitate, Mars in continentia, Luna in perseuerantia, Sol vt occultè agatur. Post est robur significatoris, vt fit in suis dignitatibus in aspectu luminum fœlici: Orientalis à Sole, Occidentalis à Luna, dicemus in die supra terram, in nocte infrà nocturnus contra, in abside eccentrici sui vel propè, propè etiam absidem parui orbis, sicque auctus dicetur lumine & motu, ab vndecimo loco ad nonum præcipuè in apice, vel in vertice horoscopi. Cùm verò non omnis aspectus ei malus sit, oportet non omnem Planetam, qui illum respicit eleuari supra eum: neque qui supra ipsum eleuatur quicquam boni afferre potest ea in causa seu fœlix, seu infœlix, seu bonus, seu malus: est enim alter quasi in eius seruitute ergo eleuatur, qui præsidet illi & annectitur. Secus quicunque Planeta omnibus præsideret locis omnibus in causis, infelicem faceret nisi in quibus ipse esset significator. Annectitur ergo ei decem modis coniunctione oppositione, duobus quadratis totidem trigonis breuibus ac sextilibus longis, tum signo imperanti, aut æqualium ascensionum pro magnitudine Planetæ eleuati: vt Solis quidem 15. Lunæ 12. Iouis 11. Veneris 8. Saturni 9. Martis 7. Mercurij 6. ante ac retro: Vt in nobis Luna eleuatur quamuis in obedienti, quia alterior est, supra Iouem, Venerem, Mercurium, paululum etiam supra Solem imbuta Martis hostilibus radiis dissoluitque illorum decreta. Et si in angulo esset magis hoc faceret, sed alia postmodum bona præstaret: ita vides cur nil possit esse ex quaque parte beatum. Cùm ergo annectitur, inspicere oportet quantò magis potens fuerit, & natura prauus eò magis offici, & quantò validior erit nexus, at de hoc ordinem patefecimus, tum etiam naturam simplicem, aut propositæ rei repugnantem. Porrò robur primum est vt dominetur loco, post vt sit in altiore cœli parte, deinde vt sit in angulo, dein in propriis dignitatibus, post vt sit in elatiore parte eccentrici, post in elatiore parui orbis: inde in suis dignitatibus, demum in luminarium aspectu, & in consimili statu diurni atque nocturni quemadmodum dictum est. Plurimum etiam refert, an à malefica, aut benefica lumen excipiat, aut inerranti huiusmodi iungatur ad augendam prauitatem atque minuendam. Quòd si non annectatur totus tamen sit in illius potestate significator, impedietur quidem ad vires non tamen frustrabitur semper: semper tamen cum difficultate peraget, præsertim si malefica & potens fuerit quæ præest. Specialiter autem considerare oportet in quo differt eleuari atque foueri. Circa idem enim versari ambo necesse est: Vt supra Iouem Luna non propriè eleuatur, sed mutuo se fouent, quia sextilis breuis est, & commutatio dignitatum, Luna verò ad Mercurium, & Mercurius ad Lunam eleuatur, altero alterum vicissim impediente. Venus autem super Lunam eleuatur prohibetque mala, Luna quoque supra Venerem verum imbecilli modo.

Principale aliud quod Ptolemæus deinceps in omnibus decemnouem quæsitis intelligit tres status, optimum, pessimum & medium. Et similiter in magnitudine, robustissimum, debilissimum & medium. Et similiter in tempore (Sunt enim hæc tria, quæ docuit in præcedenti capitulo esse in singulis quæsitis consideranda) celerrimè, vt in pueritia: tardissimè, vt in vltimo senio: mediocriter, vt consistentiæ. Ex quibus vult intelligi duo: Primùm vt declarato vno, quandoque intelligamus, reliqua duo breuitatis causa: quandoque declarat duo & oportet subintelligere tertium: quandoque declarat omnia membra: Velut magis instruat, vt in principiis fieri solet sicut & in hoc capitulo: Vel quando res est magni

momenti.

momenti. Secundum vt intelligamus media omnia, quæ possunt cadere inter illa extrema, quæ sunt infinita: Velut in ætatibus, præter infantiam & vltimum senium, quæ sunt extremæ, & consistentiam quæ est verè media: Sunt aliæ mediæ plures in genere: Velut ante consistentiam, pueritia, adolescentia, iuuentus: post autem primum senium & quælibet etiam istarum ætatum in partes diuiditur multas. Vult ergo vt ex naturali coniectura non solùm illas tres principales assequamur, sed omnes alias intermedias. Idem dico de magnitudine & qualitate, scilicet quod per duo extrema, & medium docet nos coniectari omnia media, quæ sunt infinita.

Principale quintum est, quod vnicuique parenti assignat duos significatores Solem & Saturnum patri & Lunam & Venerem matri. Ex quo fit magna confusio dum vult declarare statum amborum parentum simul, quia ingrediuntur quatuor Planetæ. Ideò ego declarando solum dicam de patre, & quod dictum erit de patre, idem intelligatur de matre, accipiendo dicta de Sole in patre, vt sint dicta de Luna in matre: Et quæ de Saturno in patre, sint dicta de Venere in matre, adhibitis solum duabus distinctionibus: Prima quod Sol in die & Luna in nocte gaudeat: & Saturnus in nocte, & Venus in die: Secunda vt in Sole orientales præferantur: In Luna autem præferantur occidentales.

Principale sextum est quod eligit duos Planetas vnicuique parenti, quia cum parentes generant sunt in ætate virili & valida, ideò non decet, vt habeant vnum significatorem tantum, ne si ille malè afficiatur, parens malè habeat: maximè cum ipsi infanti, aut quinque significatores vitæ assignari soleant. Imò neque Ptolemæus aut declarare de morte parentis etiam ambobus significatoribus malè affectis.

Principale septimum in dignitate semper Ptolemæus considerat luminare, in vita autem robustiorem ex duobus significatoribus. in erigenda autem figura Planetam congruentem tempori, vt pote locum Solis de die, & Saturni de nocte. Et ita iuxta tres causas diuersas, facit tres ordines electionis: quod etiam obseruat in quæsitis propriis nato: nam pro dignitate semper quærit Solem, vel Lunam pro vita potentiorem ex significatoribus, pro qualitate corporis, quod fortuito obiicitur, id est, horoscopum semper.

Principale octauum est, quod considerat quatuor status in vnoquoque parente, primus est concordia ipsorum significatorum inter se, vtpote in patre Saturni & Solis, & hic est optimus. Secundus est concordia vnius significatoris cum beneficis. Tertius est status ipsius significatoris per se, vt in angulo in carpento suo, vel saltem vbi habeat dignitatem. Quartus est si maleficæ super significatorem eleuentur.

Nonum principale est quod per concordiam intelligit trigonum & sextilem: coniunctio autem est in numero concordiæ cum fuerit cum beneficis, vel si fuerit etiam inter significatores ipsos, vt Solem & Saturnum. Caliditas enim vnius temperat frigiditatem alterius, & frigiditas caliditatem. Et iudicium de coniunctione est etiam in intuentibus & imperantibus: Discordia verò est semper in opposito aspectu, inde quadrato: Coniunctio verò & intuentia & imperantia, cùm fuerint cum maleficis, quæ non fuerint significatores, & maximè si malefica fuerit domina loci oppositi significatoris: Sed si domina fuerit loci significatoris non erit tam infausta coniunctio, vel intuitus obedientia.

Decimum principale sequitur ex præcedentibus, & est obseruatione dignissimum, & est quod quotienscunque in aliqua genitura infantis masculi, vel fœminæ Sol aspicit Lunam de quadrato vel opposito: vel Saturnus Venerem aut Lunam eodem modo: tunc parentes illius infantis odiosè habebunt. Et peius est inter Solem & Lunam, inde inter Saturnum & Venerem vltimum inter Saturnum & Lunam, & deterius erit si sint in angulis. Ex hoc sequitur, quod expositio Ptolemæi per partes vt fieri solet, & facit Haly in quibusdam locis, non satisfacit, sed oportet totum simul distinguere capitulum, sicut nos hic fecimus. Nunc ad ipsius textus expositionem deuenio.

Inspicere oportet in natiuitate patris si Solem antecedunt stellæ, tum erit optimum. Si verò non antecedant, sed sequantur erit & bonus status. Ideò circa hoc obseruare oportet quinque. Primum vt luminare habeat satellitium, id est, planetas propinquos ad triginta gradus. Secundum vt conforme sit, id est, in angulis. Tertium vt in comparatione ad luminare, vt sint orientales, à Sole si sint satellitium Solis, & occidentale à Luna, si sint pro satellitio Lunæ. Quartum vt sint beneficæ, vel mediæ, vel amicæ saltem vt Saturnus Soli vel si Mars coniungatur Ioui, vel Veneri. Quintum vt sint in locis, in quibus gaudent. Ex hoc sequitur quod filius fortunam & dignitatem cum consequatur plerunque & statum patris, ideò conuenienter hæc eadem assignant pro significatione dignitatis ipsius nati, vt infrà videbitur. *Lib. 4 cap. 3.*

TEXTVS XI.

Si verò Saturni quoque & Veneris stellam contingat orientalem esse in propria persona, aut in angulis felicitatem insignem intelligere oportet, iuxta peculiarem vtriusque parentis rationem. Contra si luminaria cursu inania sint & satellitio destituta, humilem & obscuram parentum vitam significant, & maximè quando Venus Saturnusúe non sat pulchrè videntur siti. Si satellites quidem non desint, sint tamen diuersæ sectæ, vt cùm Mars ad Solem fertur, Saturnus ad Lunam, aut si non sint feliciter sitæ beneficæ etiam secundum

fectæ cognationem, mediocris & inconstans parentum status ostenditur.

Declarauit duos status primos illustrem & magnificum: hic declarat tres postremos: Tertius qui est mediocris, est tamen insignis & ipse, cum solus Saturnus excesserit Solem in primo suo orientis statu. Ex quo & primo statu simul iunctis fit status illustrissimus, scilicet cum Iupiter, Venus, Saturnus & Mercurius in primo statu orientis Solem præcesserint. Quartus status est cum quæ præcedunt beneficæ Solem, malè afficiuntur, cadentes ab angulis aut combustæ, aut si Mars benè dispositus præcedat, tunc erit mediocris status & inconstans: quia erit mistus ex bono & malo, scilicet malefica natura sua nocebit, & vt bene disposita iuuabit: contrario modo benefica malè disposita. Quintus status est cum Solem nullæ circundant stellæ: Et hic est pessimus & significat patrem omnino abiectæ & sordidæ fortunæ. Quod verò bis adijcitur de Venere, referrendum est ad matrem: Et vt sit occidentalis à Luna. Ita quod si Sol & Saturnus ambo fuerint in angulis erit bonum pro patre: & similiter si Venus orientalis à Sole fuerit in angulo cum Luna, erit valde bonum pro matre.

Quod verò dixit cursu insaniæ exponit se, id est, satellico destituta, non est autem necesse quod radiis hoc etiam in Sole magis refert, nam cùm habuerit Planetas occidentales, dicitur cursu vacuus, etiam quod ad illos tendat, contra si sint orientales non fertur ad illos, sed recedit ab eis, nec tamen dicitur cursu vacuus, sub hoc sensu præsentis loci.

TEXTVS XII.

Si sors fortunæ de qua post dicemus, conuenit in genitura cum Solis Lunæúe satellitibus fortunatis per manus tradentur liberis, salua parentum bona, sin minus, aut si repugnat, & luminarium laterones, aut nulli sunt, aut malefici, inutiles erunt liberis parentum possessiones, atque adeò noxiæ.

Pars fortunæ seu sors diuitias significat apud Ptolemæum: si ipsa fuerit in quadrato, vel opposito maleficarum Solem circundantium, pater non relinquet hæreditatem filio: aut nihil habebit quod relinquat: aut erit cum magnis litibus. Et si pars fortunæ fuerit sub Sole, natus paruum gaudium habebit de paterna hæreditate. Non sic erit si pars fortunæ fuerit sub Luna: habebit enim hæreditatem maternam & illa gaudebit. Reliqua textus nota sunt.

TEXTVS XIII.

Longæuitas autem eorum aliunde deprehenditur. Patri nimirum, si Iupiter aut Venus quouis modo Soli configurantur aut Saturno: Siue & ipse Saturnus conuenienter Soli configuratur coniunctione radiisúe sexangularibus aut triangularibus, siquidem illi potentes fuerint, longa vita decernitur: si imbecilles, non ita: neque tamen continuo breuis. Cùm verò Illud vsu non venit, sed Martis sydus supra Solem, aut Saturnum attollitur, iisúe succedit, aut si ipse iterum Saturnus cum Sole non conuenit, sed vel ex opposito loco, vel tetragono aspicit, decidentes ab angulis, valetudinarios tantum patres efficiunt breuis autem vitæ aut vitioso corpore cum angulares sunt, aut angulis succedunt, ac vitam sanè breuem in primoribus duobus angulis, ascendente nimirum & cœli fastigio locisue succedentibus, vitiosos verò in reliquis occidente nimirum & cœli parte infima. Mars igitur Solem intuitus ad eum quem diximus modum subitò interimit, aut vitium oculis iniicit, Saturnum verò feriens febrili rigore, viriisúe per sectiones & vstiones inuoluit. Saturnus quoque malè affectus erga Solem, morti paternæ viam per morbos sternit, turbationesque ex humoris copia proficiscentes adducit. Quod ad matrem attinet, si Iupiter quocunque modo cum Luna & Venere committitur, aut ipsa Veneris stella cum Luna concordat hexagonis radiis, aut trigonis, illiúe coniuncta fortes cum sint, longæuam matrem significant. Si verò Mars Lunam aut Venerem intuetur quadrangularibus aut oppositis radiis, aut succedens, siue Saturnus hoc modo Lunam solam si minuti cursu fuerint ceciderintúe, rursus aduersus tantum casibus morbisúe implicant, aucti cursu aut angulares breuis vitæ & vitiosas decernunt matres. Breuis quidem vitæ in orientalibus angulis aut succedentibus, vitiosas verò in occidentalibus. Enimuerò Mars Lunam ita intuitus orientalem mortes matribus repentinas, vitiaque oculorum adducit, occidentalẽ verò, mortes ex abortionibus aut similibus, vitiaque per sectiones & vstiones. Venerem aspiciens, mortẽ per successiones maturat, abditisque in locis nascentia vitia, obtenebrationes & repẽtinos humorũ decursus. Saturnus verò Lunam

irradians,

irradians, mortes, morbosque affert, cùm orientalis ea eſt per febriles rigores, cùm occidentalis per vteri affectiones & corroſiones. Animaduertere quoque vnà oportet, vt vitiorum, morborum & mortis genera diſtinctiùs eliciamus, ſignorum in quibus ſtellæ ſignificatrices reperiuntur natiuas, peculiareſque vires, de quibus opportunius in iis, quæ circa genituram contingunt dicemus.


Hoc eſt ſecundum in quo docetur vitæ longitudo, ſi vel Soli, vel Saturno coniunctione, trigono, vel ſextili, Iupiter vel Venus validi aſſocientur. Secundus ſtatus eſt ſi aſſocientur, ſed non ſint validi, erit enim anceps iudicium & plerumque vita longa, ſed debilis. Tertius ſi non aſſocientur omnino, nec tamen neceſſariò vita erit breuis. Sed ſi Mars ſupra Solem aut Saturnum eleuatur, aut ſi Saturnus Solem de quadrato aut oppoſito reſpiciat: tunc enim ſi malefica fuerit in decima, vel prima, vel vndecima, vel ſecunda, ſignificabit breuem vitam, ſi in in quarta, vel ſeptima, vel cadentibus valetudinarios ſolum decernit. Et hoc declarat per tres modos, quando Mars exaltatur ſupra Solem, & quando Mars exaltatur ſupra Saturnum, & quando Saturnus aduerſatur Soli. Et hoc pro natura ſignorum, quæ declarabitur in fine quarti libri. In matre verò loco Iouis & Veneris, qui poſſunt conciliari Soli vel Saturno, ponit Iouem, qui poteſt conciliari Veneri vel Lunæ, vel Venerem, quæ Lunæ conciliatur. Eſt verò aliud diſcrimen quia Saturnus vel Mars deſtitutam Lunam, vel Venerem oppugnantes breuem vitam ſignificant, cùm fuerint in eiſdem angulis, decima, vel prima vel ſuccedentibus. Sed ita tamen vt ſint aucti curſu: Sed ſi fuerint diminuti curſu ſeu tardi, vel in aliis locis ſolum ſignificant morbos: vnde colligitur quod ſi fuerint tardi curſu, & in cadentibus locis non valetudinarias efficient, id eſt, quæ perpetuò fermè affligantur morbis, ſed ſolùm ad vices frequentius ægrotabunt.

TEXTVS XIIII.

Amplius obſeruare conuenit die maximè Solem & Venerem, nocte Saturnum & Lunam. Quod reliquum eſt in diligentiori euentuum exploratione conueniens ſanè ac proximum erit patris, aut matris locum, qui ſe pro tempore obtulerit, tanquam orientem ponere, cæteraque quaſi propoſita parentum genitura, iuxta eas quas deinceps trademus de præcipuis generibus rerum & euentuum inductiones deprehendere. Meminiſſe autem & in his, & in cæteris opportet conſtitutionis contemplantes vniuſve modi ſint, an diuerſi, contrariarumve effectionum illi, qui dominium locorũ quæſtionis obtinent, qui pluribus affluant ad vnumquodque negocium ſpectantium virium ſuffragiis, vt rei ſignificandæ præſint, vt eorum naturæ conuenienter iudicemus. Aut æquilibria cum ſunt ſuffragia, ſi vnà fuerint imperantes, id quod ex diuerſarum naturarum miſtura conflatur, prudenter ratiocinabimur.

Sententia eſt quod oportet ſignificatorem tempori congruentem ponere in aſcendente, ſcilicet Solem de die, vel Saturnum de nocte, & collocare figuram & Planetas velut vides in exemplo octauæ figuræ ex qua extraximus figuram patris, prout vides. Dicit ergo, oportet vt poſtmodum illam iudices, velut alias genituras ad vnguem conſiderando illos qui præſunt, quia ſub vno quatuor generum. Aut enim ſunt concordes in ſignificando: Et tunc oportebit ſtatuere ſecundùm naturam vincentis & exceſſum, ſuper contrarium ſignificatorem. Aut æqualiter poſſunt, & tunc nihil decernunt. Aut alternatim ſignificant: de quo dicet in ſequenti textu. Ex quo ſequitur quod Ptolemæus mira arte vſus ſit in hoc libro, qui tanta breuitate ſatisfacit omnibus quæſitis copioſè, nam ſi bene animaduertatis, factis duabus figuris altera pro patre, altera pro matre, bis vtitur toto libro ad diiudicandum illas. Ita de fratribus filiiſque. Manifeſtum erit igitur ex hoc primum cur filij patri ſimilies extant plerunque, ſcilicet cùm Sol in centro horoſcopi fuerit in diurna genitura, aut Saturnus in nocturna. Eodem modo filia matri ſimilis cum Luna in nocturna genitura, aut Venus in diurna in centro horoſcopi fuerint, tunc enim erit vtriuſque genituræ figura eadem & fortuna, & reliqua pene ſimilia.

Fratres inter ſe ſimiles erunt, cum ſignificatores fuerint in communibus ſignis ſeu bicorporeis, nam plures habebunt eundem ſignificatorem, & eandem figuram cœli.



Vel etiam cùm in natiuitate alterutrius parentum ſignificatores filiorum fuerint in bicorporeis. Nam illo ſignificatore in aſcendente

dente posito eadem figura plura pluribus filiis, qui inter se fratres erunt seruiet.

Nepotes auis erunt similes, quando significator patris iunctus fuerit significatori filij: Et similiter de auia & nepte. Sed in his idem contingет si Venus de die aut Luna de nocte, filiarum fuerit significatrix. Posita enim alterutra in ascendente figura illa matri filiæ nati seruiet: vnde neptis auiæ similis erit.

Filij fratrum patruis aut filiæ amitis similes erunt, cum genethliaca figura eius, qui vni pater est, alteri frater, eundem habuerit fratris & filij significatorem. Aut non eundem, sed coniunctos licet diuersos. Et hæc semper à natiuitate illius intelligenda sunt.

Cæterùm vt ad patris genesim reuertar, dubitabit aliquis quomodo possit fratris significator in ascendente poni cum non sit: Et cum aderit vel iam adfuit loci Planetarum saltem Lunæ sensibiliter sunt mutati? Sed illud contingit quod quemadmodum materia in materia posita est: ita & formæ & causæ nati, & parentis sunt alteræ in alteris posita, absque temporis vlla successione. Manifestum est autem quod cum esset nocturna genitura Saturnus in ascendente poni debuit: quo constituto significatur pater à natiuitate nostra debilis, pauper ob sortem pessimè collocatam, & implicitus. Direxit igitur Lunam, quæ erat aphæta & peruenit in 23. annis ad Solis oppositum: Et ascendens ad quadratum eiusdem: & quia erat senex octuagenarius, mortuus est. Et nisi fuissent radij trigoni Veneris & Mercurij ad ascendens non tam diu distulisset mortem, quia figura est debilis. Et si comparaueris hanc figuram propriæ genituræ parentis inferius sub octaua genitura exponendæ parum videbis varietatis: Nisi quod in illa videbis statum iuuentutis & senectutis, hic tantum senectutis, quia solum temporis quo superuixit post meam natiuitatem. Et ex hoc patet quod figuræ per talem extractionem commutantur in longè melius quandoque aut deterius. Et ideò contingit quod filius clarissimus potest habere patrem ignobilem, & egregius pater filium nebulonem.

In hoc considerandum est, quod maiorem longe vim habet primo geniti genesis, inde secundi filij atque ita deinceps. Et si primus pareat non prorsus significatum illius extinguitur, sed manet magna ex parte, ita tamen, vt viuentibus, quoad actiones vitæ cedat, scilicet diuitiarum amicorum itinerum: sed & ad animi lætitiam, tristitiam & etiam morbos: quod ad vitæ longitudinem tamen primogeniti decreta manent, & quoad gloriam. Qua enim ratione mortis eius signa disposita sine eadem, & vt possit continuari decreta superstitum parentum, aut fratrum, aut filiorum, partita tamen temporum ratione, quemadmodum in propriis singulorum genituris. Vnde primogenitigenesi magna vis vnicuique est ad parentum, & fratrum fortunam declarandam. Equo diutius superstites tamen fu erint, eo maiorem vim etiam seruabunt, ad statum coniunctorum indicandum. Alia verò sunt decreta post mortem alia viuentium, vt & in actionibus temporis quoque decursu perpetuò debilitantur.

Et nota quod præceptum Ptolemæi, quo in vna genitura vtitur vigesies toto suo libro ne cogatur repetere: ita vt vna genitura si ritè fiat sit longè maioris laboris, & maior duplo quàm totus liber Ptolemæi. Seruatum est etiam à me in explicando Ptolemæum, quia licet commentaria sint longè maiora libro Ptolemæi, ita quod totus hic liber cum textu Ptolemæi complet vnum corpus absque repetitione. Vt si quis velit per eum facere genituram, necesse est, vt totum bene perlegerit, intellexerit & mente teneat, aliter millies errabit. Quia vnusquisque textus & commentum seruit in centum locis: Velut doctrina hic de patre, præcepta, figura, modus extrahendi eam, indigent toto hoc libro: Et seruiunt matri, fratribus & filiis, &c.

TEXTVS XV.

Si verò destiterint seorsim vnicuique peculiaria tempora gubernandorum decretorum tribuemus, priora orientalibus, occidentalibus posteriora. Verum enim verò initio necesse est quæstionis loco conforme esse id, quod efficere possit quidquam circa eum sydus. Alioqui fieri omnino non potest, vt aliquid præstet quod cum principio non conuenit.

Quia quæstio est de Planetis circundantibus Solem vel Lunam & possunt esse circundantes commixti, id est, propè: Et tunc id contingit tribus modis explicatis in superiore commento: Vel erunt separati & tunc vnusquisque faciet effectum suum completè, nec vnus impediet alterum: etiam quod sint contrariæ naturæ, sed diuersis temporibus: orientales celeriter, occidentales tardè. Et quia dicit quod operabuntur suo tempore, adiicit si tamen habuerint quod debeant operari, id est, quod non præueniantur ab aliis vt exponit Haly: puta si orientales decernerent mortem, occidentales felicitatem, aut orientales exilium cum paupertate, & occidentales postmodum diuitias. Difficile enim est in senio miserum fieri diuitem.

TEXTVS XVI.

At sanè temporis quo decreta sese produnt, ratio non ex primaria dominatione pendet, sed ex ea, quæ dominantis stellæ reperitur ad Solem & cardines collocatione.

Docet tempus rerum successurarum parentibus non esse sumendum à Solis statu vel Saturni, sed à dominis loci Solis, vel Saturni in

in genitura patris, gratia exempli, cùm fuerint matutini vel vespertini à Sole, vel angulis, vt superius expositum est. Ex hoc exemplo superius posito habes quod genituræ certius aliquando habentur à geniturie filiorum, quàm à proprio tempore: quia ascendens sumitur à loco Planetæ, qui tardè mouetur, non tamen possunt esse efficaciores, quamuis sint certiores.

Dico etiam quod hoc caput & tria sequentia capita, scilicet de fratribus, de masculinis, geminis & monstris licet in Ægypto vbi erat Ptolemæus propter propinquitatem ad circulum zodiaci & locum erraticarum magnam habeant efficaciam: In regionibus tamen nostris & quæ plurimum à tropico Cācri distant in nostra medietate parum habent efficaciæ & veritatem quasi vmbratilem: adeò vt si quis fidere velit multum, magnos sit commissurus errores. Quod animaduertens Ptolemæus in sequenti capite, admonet de fratribus maximè, quia debilissima significatio est horum, ne artis metam excedamus. Ego verò rursus admoneo, vt neque in his, neque parentibus, neque filiis, neque sexu, neque numero, neque monstris simus in prædicendo animosi. Sed tamen si quid fieri securius potest, licet de parentibus per natiuitates filiorum prædicere & maximè primogeniti & vltimi. Cæterùm quod ad sexum, numerum & monstra, id magis ad generationis principium, quam ad natiuitatem prædicere pertinet. Atque, id est, de quo Ptolemæus in initio huius libri nos admonuit.

In auorum autem consideratione erecta patris figura, vt te docuit in fratribus per exemplum de matre docebit, alterum significatorem patris accipies. Magis autem effœtæ ætati conuenit Saturnus, cuius conditionem ad stellas considera. De statu verò non Solem, nisi ex parte, sed medium cœli ipso significatore in ascendente constituto, dominumque eius. Vnde in nocturna genitura similior erit auus patri quàm in diurna: cum patri Sol, auo Saturnus præficiatur. Et suas quod genesi, mortui parum aut nihil significat: vt neque de mortuis eorum, qui viuunt.

CAPVT V.

TEXTVS XVII.

De fratribus & sororibus.

QVæ ad parentes igitur pertinere videntur ex his, quæ iam dicta sunt manifesta propè sunt. De fratribus verò, si quis & hoc generatim inquirat, nec vltra quàm fieri possit, numerum quoque accuratè & singulatim exploret, conuenientius sanè id acceperit de iis solis, qui eadem mátre geniti sunt, ex eo qui cœli medium occupat signiferi loco in matris figura, quæ interdiu à Venere noctu, à Luna accipitur, cum hic quæstioni de prolibus matris destinatus sit, futurus etiam index eorum, quæ de fratribus oportet. Cùm igitur beneficæ cum hoc loco configurantur, amplum fratrum prouentum pronunciabimus, pro ipsarum stellarum multitudine, iudicium instituentes, & vtrum in signis reperiantur vniformibus, an duplicibus. At si maleficæ supra hæc loca attollantur, aut iis opponantur, paucitatem fratrum significant, maximè si & Solem complexæ fuerint. Quæ diffidentia si in angulos cadat maximè horoscopo, Saturnus quidem primogenitos, primoúe educandos curat. Mars verò, reliquorum morte fratrum paucitatem adducit. Si largitores fratrum Planetæ sat pulchrè quantum ad mundi situm attinet collocati videntur, splendidos, clarosque promitti existimandum est, si contra humiles & obscuros. Si superant largitores aut ad eos feruntur malefici, breuis etiam vitæ: ac mares quidem ab his, qui masculini sunt pro mundi situ, fœminas à fœmininis. Rursus priores natu, qui orientales sunt, occidentales verò posteriores. Ad hæc si fratrum authores conuenienter configurati sunt Planetæ dominanti signo fratrum, beneuolentiam mutuam, animosque fraternos tribuunt, si parti quoque fortunæ, vitæ, fortunarumque communicationem. Si in signis extiterint nulla necessitudine coniunctis, aut contrarium dictis acciderit, contentiosos & inuidos, atque omnino sibi mutuo insidiantes. Quod reliquum est, si quis de singulis curiosam indagationem instituat, is tanquam horoscopum ponens largitoris Planetæ locum, reliqua non secus ac in genituris perquirat.


Quàm altus sit sensus Ptolemæi, qui non animaduertit non intelliget: mulier si filium debet parere nouem mensibus indiget: Vnde Poëta:

Matris longa decem tulerunt fastidia menses.

Propterea valde exiguus est numerus vterinorum, si ad patrimos filios comparentur. Vnde etiam terini Luna vel Venere indigent cum patrimi etiam à Sole & Saturno significentur, quoniam hi nullo labore, sed vno ictu generantur: adeò vt plerique etiam patri

patri ignoti sint. Itaque cum innumeri sint & incerti de illis ars Astronomica esse non potest. Assumit igitur Planetam significatorem matris tempori congruẽtem tanquam causam quod prolem generet : matris autem proles frater vterinus est aut soror nati. Medium verò cœli quod particeps sit omnium rerum magnarum, quæ nato iunguntur. Porrò talem significatorem qui tempori congruit Haiz Arabes vocant.

Iuxta ergo decreta tradita de parentum genesi inuenienda superiùs, si sit diurna ge-



nitura, ponemus Venerem pro loco ascendentis, si nocturna Lunam, & erigemus figuram duodecim domorum vt dictum est, iuxta tui loci tabulas. Exemplum ponamus in octaua genitura, quale vides in figura ibi matris, cum Saturnus sit in opposito medij cœli, occidit omnes fratres, tum sorores. Et videbatur quod superesse possit vna filia ex sextili Lunæ, in Capricorno, sed mortua est in peste, & ideò non apparuit iudicij futuri. Vel die quod vndecimus locus non dat filias, sed solus decimus, itaque reducemus figuram illam ad hanc magis explicatam, in qua vides multos significari filios, & filias Lunam, duas filias Iouem, vnum Venerem, & Mercurium singulos & ita fuerunt quinque : & nullus superuixit ob causam dictam.

Si igitur cum significatore Planeta Iupiter aut Venus configurantur, multos natus habebit fratres: Et si ipsi fuerint in bicorporeis duplicabunt numerum : nam qui nullum aut vnum tantum, aut duos habuerit fratres vterinos, artificiosa coniectura deprehendere licet : supra hunc numerum quod plures habeat aut valdè multos, dicere sufficit : ne inaniter perscrutando, vanus habearis. Regula enim vna generalis est, mater prolifica in vtero non habens, cum viro prolifico concumbens, hora congruente natiuitati vtriusque per viam progressus signorum in annis, mensibus, diebus & horis, generat, seu concipit. Ex quo patet quod fœcunda mulier semel in anno si nihil desit parere potest. Vir autem quingentos cum quingentis mulieribus fœcundis oportuno tempore concumbens vno in anno posset generare. Patritius quidam è Besuntino Senatu nouem in vno mense filios habuisse confessus est, dum simul apud Ioannem Casanatum Medicum Hispanum pranderemus. Ab ancillis quatuor, à nutricibus alios totidem, vnum ab vxore. Igitur bicorporea signa multiplicant fratres, non exactè duplicant. Quod si maleficæ maximè Soli commixtæ alterum ex locis damnauerint, natos occidunt fratres : Saturnus & in oriente natu maiores : Si Mars & in occidente minores. Largitores fratrum vocat beneficas, quorum status statum fratrum significat : sicut & maleficæ quæ exaltantur supra significatores beneficas. Mares & fœminas à situ mundi diiudicabis, tam in significatoribus, quàm in impedientibus. Vt orientalis masculos, occidentalis fœminas significet. Natu maiores orientales erga Solem, minores occidentales. Consensus verò illorum habetur, si benefica largitrix cum domino loci matris, id est, Lunæ vel Veneris consenserit : dissensionem si dissenserint: vel etiam sint naturarum diuersarum, nec consenserint. Cohabitabunt si omnes hi cum sorte, id est, fortunæ parte conueniant. Reliqua ex figura habebimus ponendo beneficam, quæ fratres largitur in loco ascendentis. Quòd si plures fuerint beneficæ, plures figuras eriges pro diuersis fratribus. Illud obseruando, quod si dominus ascendentis nati, vel ascendens fuerint in opposito, vel quadrato significatoris fratrum, fratres odio natum habebunt. Similiter si fuerit malefica quæ domina loci fratrum, id est, significatoris fuerit & ipsa eleuata super dominum ascendentis aut Solem, frater vel fratres natum paruipendent. Memento autem quod Mercurius inter beneficas & maleficas collocatur.

CAPVT VI.

TEXTVS XVIII.

De partu masculino & fœminino.

POst absolutam à nobis de fratribus tractationem, proximum est ea quæ circa genituram consistunt, ac primum masculini, fœminique partus considerationem aggredi. Pendet verò illa non ab vno quopiam & simplici principio, sed ab vtroque luminari & horoscopo ab iisque astris, quæ ad hæc loca rationem aliquam adepta sunt, maximè quidem satus ipsius tempore, planius verò cum fœtus enitendo in lucem editur : omnino autem obseruandum est vtrum tria prædicta loca, iisque dominantes stellæ, vel omnes vel plures masculinæ sint, ad marium, scilicet productionem, quemadmodum ad fœminarum procreationem fœmininæ, atque ita demum pronunciandum. Masculina verò & fœminina loca, stellasue iudicabimus secundum rationem nobis in Canone tabularum initio huius operis traditam, à signorum in quibus sunt & ipsarum stellarum natura & ab eo quem erga mundi

cardines

cardines habent situ. Nam orientales cum sunt, masculescunt: effœminantur occidentales. Præter hæc ex familiaritate quam habent erga Solem. Nam matutini cum sunt, rursus masculescunt: Euirantur autem vespertini. E quibus omnibus vtrius tandē generis superatio fit, coniectare oportet.

Tria obseruare docet pro sexu, Solem, Lunam & ascendens. Et quinque modis hæc tria, dominantesque stellas: Si licet natura Planetæ masculina, vel fœminina eius situ in mundo & erga Solem, orientalia masculina, occidentalia fœminina natura signi & natura stellarum, quæ in eo loco sunt, stellæ Saturni masculinæ, Veneris gratia exempli fœmininæ, Mercurij vel Saturni, & Veneris ancipites vel neutræ, in quadrante orientali ab horoscopo ad cœli medium, & ab occasu ad imum masculinæ, in aliis fœmininæ erraticæ fiunt. Hæc autem dicit firmiora sunt si generationis tempore considerentur, clariora tempore natiuitatis. Sed tamen quod dixi superius, memoria teneas. *Commen. 6.*

CAPVT VII.

TEXTVS XIX.

De partu geminorum.

IN gemellorum quoque plurimumúe procreatione decernenda, iisdem duobus nimirum luminari vtrique & horoscopo credendum est. Incidere enim solet hic euentus circa commixturas, quando in duobus tribusúe his locis duum corporum signa reperiuntur, maximè cum stellæ iis imperitantes eodem spectant, vt quædam in bicorporibus, quædam binæ pluresúe vna sitæ sint. Si quando & in bicorporibus fuerint dominantia loca & pluribus stellis configurata, plures duobus nasci contingit, quorum multitudinem à numero significatoris Planetæ colligimus. Genus autem ab astris cum Sole & Luna, & horoscopo configuratis pro masculino aut fœminino partu, quemadmodum ante diximus. Quando verò huiusmodi constitutio vnà cum luminaribus complectitur horoscopi angulum, sed eius loco medij cœli culmen, hæ matres geminos, vt plurimum aut plures concipiunt. Peculiariter tribus quidem maribus donant, vt in Anactorum genitura simul prædictis locis in bicorporibus configurati, Saturnus, Iupiter, Mars. Tribus verò fœmellis in gratiarum genitura Venus & Luna, cum Mercurio effœminato. Duos verò mares & fœminam vnam largiuntur in Dioscurorum genitura, Saturnus, Iupiter, Venus, duas fœmellas, vnamque marem: in Cereris, Cores & Dionysij, Venus, Luna, Mars. In quibus ferè accidere solet quod non ad frugem perueniant, quæ nata sunt, quodque non sine insignibus quibusdam corporis notis producantur, & amplius eueniant locis selecta quædā & inopinata, propter illorū casuū veluti euidentiā quandam.

Duo nos docet Ptolemæus & multitudinem filiorum, qui vnà nasci possunt, quorum numerus est incertus, adeò vt Haly sex vnà alias etiam duodecim natos significet: Et numerum eorum qui simul vnà nati, possunt viuere. Atque in hoc melius Ptolemæus ipsis Iurisconsultis sentit, qui nescio qua falsa Hippocratis authoritate decepti, quinque simul natos superuiuere posse existimant. Atque iuxta hanc rationem grauidæ mulieri partes ex hæreditate defuncti mariti asseruant. Ita vt si duos filios maritus ex prima vxore reliquerit, filij illi ex hæreditatis fructibus duas tantum partes ex septem partibus accipiant vxor grauida relicta quinque. Quanto simplicius & verius Ptolemæus censet, mulierem non plures tribus, qui superstint parere posse: Quòd si plures pariat, omnes moriuntur: quoniam naturæ humanæ conditionem iam mulier præterit. Non memini me legisse apud quenquam fide dignum authorem, quòd enixa plures quàm tres seruatus sit aliquis. De omnibus certè quod seruentur fieri non potest: Quod verò è pluribus vnus vel duo seruentur, quanquam non legerim, neque viderim, fieri tamen non posse certò dicere nolim. Hæc de multiplici partu Ptolemæi, atque mea sententia est. Verùm de tribus sæpe contingit, vt in Romana historia trigeminorum Curiatiorum & Horatiorum. Et ego memini me vidisse trigeminos bis: semel quidem tres masculos nobili genere natos Italos: rursus tres puellas Mediolanenses nuper natas sub aduentu Cæsaris.

De causa verò horum dicit Ptolemæus: sumitur à Sole, Luna, atque ascendente: Velut in præcedenti capitulo, & fuerint duo saltem ex his cum dispositoribus in bicorporeis signis, vel duo ex his, & dispositores in eodem signo vnà iuncti, quamuis non in bicorporeo, erunt duo qui nascentur. Quòd si præter id duobus significatoribus, omnibusque dispositoribus in bicorporeis positis, alij Planetæ dispositoribus commisceantur, erunt plures quàm duo. Quòd si loco ascendentis medium cœli in bicorporeo sit, eiusque dominus, tantundem refert, quantum si ascendens esset cum suo domino, partus erit multiplex nihilominus. Dico multum confert in his matrum consuetudinem agnoscere, quæ plures parere soleant. Id trifariam fit vel sensu cognita matre, quæ multos aliquando peperit: vel habita genitura matris:

vel cum in filiorum genitura medium cœli atque eius dominus in b corporeo signo fuerint. Ex quo colligitur quod decima domus aliquam cum matre significationem habet iuxta Ptolemæum. Ex quo quidam imum cœli patri etiam tribuunt, sed falsò: neque enim statim sequitur si decima matri conueniat, quod quarta quæ sub terra est conueniat patri. Neque decimam nisi hoc verbo & in hac causa Ptolemæus matri tribuit, id est, in filiorum numero. Vtcunque sit, cum de matre tractauit vbi locus erat, medij cœli, nullo modo penitus meminit. Decima igitur domus filiorum erit significatrix, quod etiam in quarto libro docet. Cæterùm vt ad propositum reuertar sexus illorum cognoscitur ex præcedenti capitulo vbi de sexu agitur, non autem ex capite de fratribus: quia gemini & trigemini plus habent aliquid quàm simpliciter fratres, sed quasi vnus sunt natus, tum ob similitudinem corporum & morum, & quod plerique ex his eisdem affectibus in eisdem fermè temporibus subiiciantur, quod sæpe obseruatum est. Habent gemelli quod caui sunt dorso, osque sacrum intus retrahitur, quod præcipuum signum est illos dignoscendi, sicut & septimestres quod vngues habeant imperfectos cutimque haud expolitam. Quòd verò dixit de trigeminis masculis subiici Saturno, Ioui & Marti Anactorum fratrum exemplo quorum duo cum essent pessimi referentes naturam Saturni & Martis, tertius erat optimus, Iouialisque. Tres verò cum fuerint fœminæ sub Venere, Mercurio & Luna natæ erunt, probatque exemplo trigeminarum gratiarum, quæ vno partu editæ suauissimis moribus & formosissimo corpore fuerunt: ideoque nomen gratiarum meruère. Si verò duo masculi atque vna fœmina nascantur, Saturnus & Iupiter & Venus dominabuntur, exemplo Dioscurorum id est, Castoris & Pollucis, & Helenæ, quorum Castor fuit optimus, Pollux pessimus vir, Helena formosissima: hi tres vno partu editi à Latona retulerunt naturam Saturni, Iouis & Veneris. Si verò ex trigeminis duæ sint fœminæ, tertius masculus: vt Dionysius, Ceres, & Cores, vno partu editi, masculus Marti subiicietur, fœminarum altera Veneri, altera Lunæ: Nam Dionysius egregius fuit Dux, quique Indiam subegit: Ceres autem pulchra: Cores laboriosa. Quòd verò aliter distribui non possint si viuere debeant, manifestum est de tribus masculis, atque tribus fœminis. De duabus verò fœminis & masculo id contingit, quia Mars natura proximior est Veneri & Lunæ, quàm Saturnus vel Iupiter. Est enim Mars velocior motu & nocturnus. De duobus verò masculis, & vna fœmina accipere oportet Saturnum & Iouem, tanquam robustissimos si viuere debeant, qui difficillimè viuunt: Venus verò similior est Saturno & Ioui, quam Luna, quia tardior motu. Et quanquam sic etiam nascantur, qui supersunt vel omnino non adolescunt omnes, vel non sine insignibus quibusdam corporis notis, aut statim post natiuitatem quædam rara & inopinata illis eueniunt, propter nimiam permistionem, atque vt ita dicam confusionem Planetarum. Et præcipuè vt bene dicit Haly, quia in natiuitatibus trium masculorum prædominantur duæ maleficæ, in natiuitatibus autem trium fœminarum humida qualitas vincit, & calor imbecillis est. In cœteris est repugnantia: in duobus masculis & fœmina, Saturni & Veneris: frigiditasque multum prædominatur: in duabus fœminis & masculo, Mars, Lunæ regupnat. Itaque raro viuunt etiam qui sic trigemini nascuntur. Plus tamen facit repugnantia ad interitum, quàm exuperantia qualitatum: Vnde qui diuerso simul sexu nascuntur, seu duo fuerint, seu tres, rarius viuunt omnes, quàm si omnes fuerint simul masculi vel simul fœminæ.

Cap. 8.

CAPVT VIII.

TEXTVS XX.

De Monstris.

NEque à prædictis alienus est, qui de monstris sermo instituitur. Primum enim in huiusmodi lumina quidem ab angulis decidentia, & horoscopo nulla familiaritate coniuncta, anguli verò ipsi à maleficis occupati reperiuntur. Cùm igitur talis quædam occurit constitutio, quandoquidem illa sæpenumerò etiam in abiectis & infelicibus licet neutiquam monstrosis genituris incidit, è uestigio inspicere oportet præter lapsam proximè coniunctionem, aut oppositionem luminarium, eiusque & genituræ gubernatorem. Si enim genituræ eorum, Lunæque & horoscopi loca, vel vniuersa, vel complura nulla necessitudine cohærent, cum prædictæ coniunctionis aut oppositionis loco, id quod nascitur contortum & inuolutum esse significatur. Si igitur his sic habentibus luminaria in quadrupedibus, aut feralibus signis inueniuntur, quoque angulis insidentes Planetæ malefici non humanum esse portenditur quod procreatum est. Si beneficorum nullus seu maleficorum quispiam luminaribus testificetur, prorsus ab humana forma alienum, & quod ferarum agrestem, maleficamque naturam referat. Si Iupiter aut Venus animantium diis consecratorum vt canum, felium, simiarum & id genus reliquorum. Si Mercurius, vsui humano deuotorum, vt auium, porcorum, caprarum, bouum & his similium. Si in humanis signis luminaria deprehensa sunt,


reliquis

reliquis sic habentibus, humana sunt quoque, quæ generantur monstra, formaque peculiarem in modum perplexa, cuius ratio & modus ex signorum formis colligitur, in quibus quæ luminaria & centra occupauerunt maleficæ stellæ deprehenduntur. Si igitur & sic nullus beneficorum testificetur alicui prædictorum locorum muti fœtus producuntur & re vera monstrosi. Si Iupiter aut Venus in honore & in pretio habebitur, quicquid fuerit portenti cuiusmodi quiddam circa Hermaphroditas, & quos Harpocratiacos dicimus, aliosque eius generis contingere solet. Si & Mercurius præter hæc oraculorum & somniorum interpretes creat, & qui hinc victum quæritent, solus verò mutos & surdos, ingeniosos tamen & vafros.

Declarat nobis monstrorum natiuitates, quæ vt dixi magis pendent à generatione, quàm à natiuitate: quia tamen natiuitas est similis generationi, ideò & natiuitates indicant monstra. Quòd verò dicit Ptolemæus, est natiuitates monstrorum similes esse his, qui non nutriuntur. Monstra enim rarissimè nutriuntur: Si tamen nutriantur (quia formam habeant humanam) rarissimè viuunt: quædam tamen viuunt, quæ parum à natura humana sunt permutata. Velut dicit Haly vidisse quosdam natos sine pedibus, alios sine manibus, quosdam sine auribus: audiuisse de alio qui nullum habebat membrum præter duo foramina vnum per quod suggebat cibum, aliud per quod omittebat excrementa: Et quod diuinabat multa nutu illa significans. Et de his sunt Hermaphroditi Græce (Androgini Latine) & Harpocratiaci, id est, optimorum raptor. Androgini quidem ab initio mari mergebantur Romana lege aruspicum, post cœpere in delitiis haberi, quod vtroque sexu luxuria nephariorum simul potiri viderentut. Tales igitur quibus Iupiter & Venus, & Mercurius fauent viuunt: ob idque diuinant quoniam extincta luce luminarium, vis Iouis, Mercurij & Veneris magis relucet. Si igitur monstra esse debent Solis & Lunæ, vim extingui necesse est: Et maleficas dominari in angulis. At si hæc contigerint mori necesse est, nisi à Ioue, & Venere, & Mercurio adiuuentur. Sed his dominantibus & maleficis in angulis constitutis, necesse est eos malorum esse morum, qui sic nati sunt: Et futurorum diuinatores. Aliqui etiam præsentium quos Harpocratiacos Haly existima appellari, id est, tales quibus res repente veræ in mentem veniunt, statimque proferunt. Velut narrat ipse de quodam Aegyptiano cui in mentem venit Regem Concin mortuum esse, dixitque & inuentum est ea hora illum Regem mortuum fuisse. Et narrat de quodam Porphitone viro Aegyptio maximo Mago & præcantatore, quique res faciebat admirabiles, dicitque has artes notas fuisse in Cina Indiæ regione, quæ nunc notissima est Lusitanorum nauigatione: Et ita est. Inde aduehitur radix, quæ Cina vocatur: alij vocant Chinam.

His visis Ptolemæus duo docet, primum formam natiuitatis monstrorum, quæ constat in tribus rebus: prima quod lumaria cadant ab angulis nulla familiaritate iuncta horoscopo, id est, in duodecimo vel sexto loco: poterit & adijci octauus, & tertius. Secunda vt maleficæ sint in angulis & maximè ascendente & medio cœli. Tertia vt dominus loci coniunctionis vel oppositionis præcedentis natiuitatem, neque ascendenti, neque loco Lunæ, neque domino genituræ aliqua familiaritate iungatur, tunc erit monstrum. Quod si beneficæ non testificentur erit abiectum; si verò auxilientur erit in honore, vbi forma humana constiterit. Formam verò seu humanam, seu aliam præstabunt, signa in quibus erunt luminaria, & hoc est secundum. Quod verò dicit (mutos & surdos) legi potest iuxta Arabes mutos, & sine dentibus vtraque lectio verò bene habet.

Vt verò clarissimum huius rei & monstri habeatur exemplum, subiicio hanc genituram. Natum est in Anglia dum ibi essem in villa vocata Mioletonstoni VIII. M. passuum distante ab inclyta Academia Oxoniensi, fuitque post humum. Pater vocabatur Ioannes Kemer. Ita enim Anglicè scribitur. Erant duæ puellæ ad vmbilicum commissæ, quæ in vnum coierant quasi recta altera alteri inserta, venter ventri, dorsum dorso, vnus vmbilicus, vna vulua, vnus anus, qui inter crura sinistra, atque nates positus erat. Itaque sinistra crura locum suum seruabant: Velut cum pueri sedentes colludunt. Dextra verò crus & pes alter alteri commixtus in vnum coire. Itaque pes ille nouem habuit digitos. Primus duobus diebus lac suggere noluerunt à matre ob partus laborem, nutriti lacte vaccæ, tertia suxerunt à matre, dormiebat quandoque altera, reliqua vigilante, quod ab vmbilico supra vnaquæque sua membra seorsum retineret.



Itaque vixit vna ad decimamoctauam Augusti, reliqua ad 19. Longitudo pollicum 20. latitudo autem 6. Hoc igitur fuit monstrū & genitum, & posthumum, & quod non vixit licet

licet fuerit nutritum. Causa Geminorum fuit ascendens bicorporeum & dominus eius commixtus alteri. Quòd monstrum fuerit, facit Luna cum nodo & Iupiter dominus trigoni coniunctionis cum nodo, & Sol in sextili Marti, ex longa ascensione secundum signa & locum, (nota bene) & in angulo, & Saturnus eleuatus super omnes Planetas, ad cuius oppositum tendit Sol. Ideò etiam parum debuit viuere hoc monstrum. Præterea Mars qui damnat, & est in angulo ascendens & Mercurius ascendentis dominus, erant in capitibus & nodis suis. Ideò satis promptè de vitiis compositionis pronunciare poteris cum significatores ac maleficæ nodis iuncti sunt.

CAPVT IX.

TEXTVS XXI.

De his qui non nutriuntur.


CVm reliquum sit ex iis, quæ circa ipsam genituram spectantur, de his qui non nutriuntur dicere intelligere oportet, hanc quæstionem interdum annexam esse illi, quæ de vitæ spatio agit, est enim vtriusque quod quæritur idem genus, aliquando separatam esse, eò quod ipsius inuestigationis vis diuersa sit. Viuendi enim spatium in iis consideratur, qui tempus aliquod tulerunt, hoc est, non minoribus vna Solis circuitione. Tempus enim propriè hoc vnius anni accipitur, potentia verò etiam minus est illo, menses videlicet, ac dies, & horæ, sed quæ de illis, qui non nutriuntur suscipitur quæstio, in eos tantum cadit qui ob malitiæ abundantiam minoribus temporibus decedunt. Vnde illa quidem magis variam habet pertractationem, hæc verò simpliciorem.

Hucusque præter tractationem de parentibus licet sint gloriosa Astrologo, non tamen adeò vtilia sunt, neque tamen ipsa tractatio de parentibus vel fratribus adeò firma est, vt de propriis effectibus à genitura sumptis. Nam monstra, sexus & numerus sensu dignoscuntur, ideò non indiget, vt quærantur certa incertis modis ab Astrologo: nec etiam talia sunt, per se, sed solùm vt natiuitas assimiliatur genituræ, quæ causa est talium effectuum, Hoc verò quod hic docetur maximè quæri solet, & adeò efficaciter, vt cùm ego implicitus aliis negotiis quibusdam nolens satisfacere perpetuas incurrerim inimicitias, eorum qui putant magistratum, aut diuitias illos dignos efficere, vt qui virtute prædìti sint illis inseruire debeant: quod videant illam turbam nebulonum Astrologorum, tum etiam aliorum artificum, qui sine scientia, sine iudicio, sine diligentia; sine labore, plenos falsis opinionibus ac fabulis vltrò se illorum in seruitutem ingerere. Hic itaque præter tractationem de parentibus & de fratribus incipit solida natiuitatum explicatio atque vtilissima, cuius initium est ab his qui non viuunt. Dicit ergo Ptolemæus ij qui non viuunt duorum sunt generum, quidam enim non accipiunt nutrimentum: sed statim moriuntur antequam lac sugant, quorum tractatio est simplicissima, quia vnius sunt tantum modi: alij verò sunt qui nutriuntur, non tamen dicuntur viuere, quia non pertranseunt primum annum. Et tales sunt multorum modorum, quidam enim viuunt per aliquot horas, sed non implent diem, quidam per aliquot dies, sed non implent mensem, quidam per aliquot menses, sed non implent annum. Igitur viuere dicuntur solum infantes, qui annum excedunt.

TEXTVS XXII.

Omnino igitur si in angulis sit alterum luminarium & vnus maleficorum illi congrediatur siue etiam opponatur, idque partiliter & secundùm figuram æquicruriam, nullo beneficorum interim affulgente, & gubernator luminarium in maleficorum locis detineatur, ali non poterit quod natum est.

Exponit tres casus in quibus natus non nutritur: quorum primus est quod luminare sit in angulo, & malefica in illius coniunctione, aut oppositione per gradum & in figura æquicruria, id est, quod in coniunctione latitudo sit eadem & in oppositione Solis sit in Eclyptica, & in oppositione Lunæ habeat contrariam latitudinem. Vtpote quod si Luna sit in decimo gradu Arietis cum tribus gradibus latitudinis Borealis, Saturnus vel Mars sit in decimo gradu



Libræ, cum tribus gradibus latitudinis Australis, tunc enim malefica & Luna, & locus eclyptica, maleficæ & Lunæ facient duos triangulos æquicrurio & æquales, quorum vnum latus erit quarta eclypticæ, aliud erit quarta circuli magni transeuntis per centra Lunæ & maleficæ: Et hæc est figura æquicruria, prout in figura vides. Aliter posset dici æquicruria, quando latitudo ex eadem

eadem parte æqualis esset, quia arcus à polis zodiaci sunt æquales. Deinde oportet quod nulla benefica respiciat aliquem illorum, scilicet nec luminare nec maleficam: & quod luminarium dispositor sit in locis maleficorum & ita sunt quinque conditiones. Prima luminaria in angulo, secunda malefica in gradu illius vel opposito, tertia latitudo eadem in coniunctione contraria in oppositione, quarta quod benefica non adsit quinta dispositor luminarium, vel dispositores in locis maleficarum. Causa autem huius est, quoniam homo non potest viuere cum tam magno infortunio vnius luminaris: at infortunium non potest esse tam magnum in luminari, nisi malefica sit in angulo: sed malefica non potest esse in angulo opposita, vel coniuncta luminari per gradum nisi luminare & ipsum sit in angulo, quare vt tam graue sit infortunium necesse est, vt luminare sit in angulo. Et manifestum est quod quanto erit proximius lineæ finitoris tanto erit certius. Secundus casus est hic.

TEXTVS XXIII.

Ad hæc non superuiuet natus, & si non iuxta figuram æquicruriam hoc accidit, sed è propinquo applicent maleficorum radij ad luminum loca, duæque maleficæ, vel alteri, vel vtrique noceant, aut secundum successionem, aut oppositionem partiliter alteri luminari altera, aut si vna quidem ex opposito, altera successione obsit, minimè diuturnum erit quod producitur, cum prauitatis magnitudo demoliatur quicquid ad vitæ diuturnitatem succedentis maleficæ distantia facere videbatur. Insigniter verò obest per successionem, vt Soli Mars, ita Lunæ Saturnus, contra per oppositionem, aut eleuationem Soli Saturnus maximè incommodat, Mars Lunæ, potissimum si eadem possident cum gubernatoribus luminarium & horoscopi loca.

Si non iuxta longitudinem eandem, id est, non per gradum aut non per latitudinem noceant, sed ex propinquo tantum, ita tamen vt secundum eundem gradum malefica, succedat eidem luminari oppositione vel coniunctione, aut si vnum luminare offendat malefica ex eodem gradu, reliqua malefica succedat reliquo luminari, sint verò luminaria, in angulis tunc & reliqua, quæ dicta sunt de beneficis & dispositore luminarium non nutrietur infans: quoniam interualli auxilium tollunt radij maleficæ alterius. Docet autem quod in successione Mars est deterior Soli interficiens propter nimiam caliditatem, & Saturnus succedens Lunæ propter frigiditatem, Contra in oppositione quia maior fit à contrarietate actio Mars, Lunæ, & Saturni Soli. Idem in eleuatione, id est, cum superiores euadunt maleficæ luminaribus, & maximè si possideant hæ maleficæ loca eadem, id est, iuncta sint gubernatoribus luminarium & horoscopi.

TEXTVS XXIV.

Si verò duæ accidant oppositiones luminarium in angulis agentium, & maleficorum secundum figuram æquicruriam mortuus, aut semiuiuus infans educitur.

Hic est tertius casus quando vtrunque luminare in angulis fuerit in opposito maleficarum in figura æquicruria, hoc est, in eodem gradu secundum longitudinem & oppositæ latitudinis, tunc infans extrahetur semimortuus potius quàm semiuiuus. Idem continget vbi vna malefica opponatur vtrique per figuram æquicruriam luminari: cum luminaria in eadem parte iuncta in angulo fuerint. Vel si malefica iungatur per gradum in longitudine & latitudine, alteri verò opponatur per figuram æquicruriam: maximè si Mars Soli iungatur & opponatur Lunæ, aut Saturnus iungatur Lunæ, & opponatur Soli, omnes hi casus à Ptolemæo intelliguntur. Sed quia in his quinque casibus semper quinque conditiones præsupponuntur, ideò cum inter illas vna sit quod benefica nulla se interponat, subiungit.

TEXTVS XXV.

His ita constitutis si defluere luminaria contingat ab aliquo beneficorum, aut aliqui illi configurati, ita vt radij in partes præcedentes iaciantur, superuiuet infans pro numero partium interiectarum inter luminare & radios malefici proximè, totidem videlicet mensibus, vel diebus, vel horis etiam, pro magnitudine prauitatis & maleficarum stellarum vi.

Cùm igitur luminaria non exquisitè tetigerint maleficas, sed aliquot partibus distiterint, ita quod benefica aliqua fuerit ante ipsum luminare, vel radios proiecerit ante ipsum luminare, tunc infans poterit viuere tot horis, vel diebus, vel mensibus, quot fuerint partes inter luminare & maleficam, vel eius radios oppositos. Et causa est quia luminare fit tanto robustius propter beneficam, vt non statim moriatur infans. Et hoc de horis, vel diebus & mensibus contingit secundum robur maleficæ, quæ est post luminare & alterius, quæ reliquo luminari coniungitur vel opponitur. Similiter inspiciendum est robur beneficæ, & quàm propinqua sit ipsi luminari, tantò enim plus viuet. Remota enim benefica dabit horas, tangens luminare menses, propinqua dies. Et similiter malefica valdè potēs & coniūcta, &

& quod benefica iuuet horas tantum dabit, debilis menses, mediocris dies. Quòd si volueris partus violenti exemplum habere, habes primam genituram in fine libri: Nam Rex hic natus est matre pereunte, extractusque ab vtero.

TEXTVS XXVI.

Verum enimuerò si maleficarum radij ad præcedentia feruntur loca, beneficarum ad sequentia, quod in lucem editũ est conualescet ac viuet.

Expedita parte in commento præcedenti atque textu eorum, qui nutriuntur sed non viuunt, antea verò eorum qui neque viuunt, nec nutriuntur, in hoc præsenti textu, qui est tertiæ partis principalis huius capitis initium tractat de his qui viuunt & nutriuntur, sed tamen infeliciter nutriuntur: quales referunt historiæ Romulum & Remum, & Oedipum, & alios infinitos, qui nunc deferuntur ad loca quæ vocant hospitalia: olim incerti infantes feris deuorandi exponebantur, quæ verissima historia est. Abrogata fuit consuetudo tam impia propter Romulum & Remum (vt dixi expositos) à Romanis. Plures verò etiam sponte ægrè viuunt. Hi omnes sunt quibus luminare est in angulo, & malefici corpus aut radij ante luminare, benefici autem post Gratia exempli ascendat prima pars Arietis atque in ea Mars: Sol verò in secunda parte: Iupiter verò in tertia parte Sagittarij, trigono respicit partem sequentem Solis, tunc talis infans patietur nascendo, sed tamen superuiuet.

TEXTVS XXVII.

Ac rursus si quidem maleficæ supra configuratas in genitali constitutione beneuolas stellas euehuntur, viuet in pœnam & subiectionem, si contra hæ extollantur supra illas expositum aliis parentibus subiicietur. At si beneficorum quispiam vel cooritur, vel applicat Lunæ: maleficorum verò occidit aliquis, ab ipsis parentibus in libertatem redditum, filiorum loco enutrietur.

Nunc proponit, quinam benè tractabuntur, & qui malè: habet autem duplicem sensum: primus est, quod postquam si debet nutriri, oportet vt benefica extollatur, seu sit posterior malefica, vel quod eadem malefica sit potentior eadem benefica, quia in dignitatibus suis: Et ita benefica potentior, quia malefica sit in dignitatibus beneficæ: Et hic est primus sensus. Secundus est quod alia malefica sit potentior, vel debilior reliqua benefica, quæ non est cum luminari: Et hoc etiam consonat: Sed ex his colligitur. Tertius sensus verior quod vtraque benefica, vtrique maleficæ comparetur secundùm quatuor modos eleuationis iam dictos. Et si vincant beneficæ recipietur ab aliis pro filio & enutrietur, tamen erit seruus. Si verò maleficæ nutrietur in pœnam & seruitutem non pro filio, sed vt catuli proiecti. Et hic mos antiquis erat notissimus: nunc propter legem Christianam omnia quoquomodo mitiora facta sunt: Ideò interpretanda sunt hæc iuxta proportionem eorum, qui ab hospitalibus educandi sumuntur. Si igitur inquit ex istis, qui pro filiis nutriuntur malefica occidat & benefica oriatur, vel Luna illi applicet, nunc educabitur verè pro filio, vel filia instructus disciplinis & bene vestitus. Et ego memini me vidisse quendam sumptum ab hospitali educandum, qui creuit & factus est hæres domini in magnam hæreditatem, & dum ego essem puer vidi illum diuitem equitantem superbè per vrbem nostram. Alium scio qui educatur vxore decipiente maritum, vel etiam marito conscio & decipiente consanguineos in maximam hæreditatem, cùm sit filius pauperculæ mulieris & miseræ.

TEXTVS XXVIII.

Eodem modo in plurimum genituris vtendum est. Si quidem ad occasum deuoluitur quodpiam eorum, quæ duobus pluribúsve modis configurantur astrorum semiuiuum est & mutilum, & carnis veluti frustum id quod producitur. Ac si supra illud euehuntur maleficæ nutriri non poterit, & diuturnum non erit ob id quod procreatum est.

Postquam docuit de vno tantum nato, hic declarat de pluribus, qui nascuntur. Et quia cum plures nascuntur, facilius est vt moriantur. Ideò ne quis crederet, ne in geminis ac trigeminis magis quod requirantur illæ quinque conditiones, docet quod duæ sufficiunt ad hoc vt moriatur, nam si astrorum vnum quæ ascendenti & duobus luminaribus imperitant, quodque necesse est alteri luminarium configurari si debeant esse gemelli, vel plures vt suprà visum est, fuerit in occidente, quod nascetur erit oblæsum ac semiuiuum. Quod si præter id etiam malefica super eundem Planetam eleuetur, quod nascitur non nutrietur. Et ita in geminis pauci seruantur & ægrè, in trigeminis rarius & difficilius, in pluribus autem aut omnino nunquam, aut vix vnquam, vt suprà dictum est.

CAPVT X.

TEXTVS XXIX.

De vitæ spatio.

INter ea quæ secundum genituram eueniunt, primo loco de vitæ diuturnitate

turnitate diſſerendum erit. Quandoquidem veterum de more ridiculum eſt ſingillatim ad illum omnia futura referre, qui ad horum tempora vitam prorogare non poteſt. Neque verò ſimpliciter, neque leuiter huius rei conſideratio inſtituitur, ſed à præcipuorum locorum domino multipliciter captanda eſt. Eſt autem maximè nobis, naturæque conueniens hic modus, omnino enim pendet ex apheticorum locorum, iiſque dominantium deprehenſione amplius locorum & aſtrorum interimentium. Diiudicatur igitur horũ vnumquodque hoc pacto

Quia iam tractauit de his, qui non nutriuntur, nunc tractat de iis, qui nutriuntur: Et de diuturnitate vitæ illorum, quia fruſtra quæreretur de coniugio, & filiis, & qualitate illorum, in eo, qui moriturus ſit in pueritia, abſurdius verò ſcriberentur hæc quod antiqui faciebant ridiculosè ſatis. Veluti ſi quis ſcribat hic natus ducet vxorem in ſenio formoſam & diuitem, quia Venus eſt occidentalis iuncta Ioui in vtriuſque dignitate, habebitque prolem pulcherrimam. Et ita de diuitiis, de amicis, de magiſtratu comparando in ſenio, deinde vltimo ſubiungat (poſt longa ſcripta perplexa dubia qualia ſolent facere Aſtrologi noſtri temporis plena contradictionibus & obſcuritate(quod morietur in prima iuuenta, non ne ſtrenuè hic nebulo ſuã declarabit ſtultitiam. Ptolemæus igitur docet quod primo quærenda eſt quantitas vitæ, deinde adiiciendi caſus, qui intra terminum illum vitæ continentur, cæteri omnes relinquendi. Quomodo autem debeat longitudo vitæ præſciri docet ex tribus, loco Apherico, id eſt, ab ἀφετὴ, quod eſt dimiſſio, & illius dominis, & tertio Anæreticis, id eſt, interficientibus, ab ἀναιρέω, quod eſt occido, ἀναιρετὴς occiſor. Sic dicti etiam Aphætæ quaſi dimiſſio, vt ex loco intelligatur afflatu quodam dimitti, quaſi linea, quæ vitam menſuret, vt à Parcis olim antiqui fabulantur, Cloto, Lacheſi, interficiens erat Atropos. Latinè excurſor propriè, quoniam ἀφετὴ, vt dixi, ſolum in bonam partem trahitur. Promiſſor autem in vtramque partem malus & bonus, & ex malis qui occidit ἀναιρετὴς dicitur, & quanquam fingatur ἀφετὴ, exurere, tamquam è carcere liberatus, vnde etiam Etymum traxit Græcè nihilominus promiſſor ad Aphetam fertur, vt aliâs dixi. Et tamen Aphæta cum superuenerit effectum producit, vt natus emergat aut obruatur.

CAPVT XI.

TEXTVS XXX.

De locis Apheticis.

PRimum ſanè exiſtimandum eſt eſſe Aphetica loca, in quibus omnino reperiri neceſſe eſt eum, qui velit vitæ gubernandæ iuriſdictione potiri, vt circa horoſcopum à quinis partibus, prius ſupra finitorem emergentibus vſque ad 25. reliquas ſuccedentes, & qui has tricenas dextris hexagonis radiis contingit, qui boni dæmonis locus dicitur, & qui tetragonis nimirum cœli ſupra terram faſtigium, & qui trigonis qui Deus appellatur, & qui oppoſitis is nimirũ, qui in occaſum prouoluitur, Præfertur cæteris cœli culmen, proximè qui circa ortum eſt, deinde qui cæli faſtigio ſuccedit, poſt qui circa occaſum exiſtit, tandem qui medium cœlum præcedit. Omne enim quod ſubterraneum eſt meritò poſthabendum eſt, in præclara adeò imperij genere, eo tantum excepto, quod cum horoſcopo in lucem prodit. Ex iis etiam quæ ſupra terram extant, neque illum locum, qui nullo familiaritatis vinculo cum aſcendente cohæreret accipere conuenit, qui Argos, id eſt, piger Græcis dicitur, neque eum, qui prius exortus erat, qui mali dæmonis appellatur, quoniam aſtrorum ibi commorantium in terram effluxus cum etiam ab angulo præcipitetur, turbat ac veluti abolet, quæ ex terræ humoribus naſcitur fumoſa tenebricoſitas, qua de cauſa ſuis neque coloribus, neque magnitudinibus apparent. Deinde Aphetas, ſiue vitæ gubernatores, accipere oportet non quoſuis, ſed præcipua genituræ loca, Solis nimirum & Lunæ, horoſcopum, partẽ fortunæ, & horũ gubernatores.

Tria proponit: primum qui poſſint eſſe vitæ gubernatores, & ſunt quinque qui eſſe poſſunt, Sol, Luna, Aſcendens, pars fortunæ, & dominus horum locorum. Secundum, ſunt loca in quibus poſiti Aphetæ poſſunt decernere vitam: Et ſunt quinque per ordinem: primus eſt medium cœli, ſecundus eſt aſcendens, tertius eſt vndecima domus ſeu locus bonæ fortunæ, quartus eſt ſeptima domus, quintus & vltimus qui omnibus eſt debilior eſt nona domus; quam Deum vocat. In his igitur ſi inueniatur vnus ex

illius quinque significatoribus erit Apheta, id est, decernet annos vitæ & robur eius: reliquæ septem domus sunt inutiles. Manifestum est igitur quod poterunt esse plures Aphetæ simul, & plerunque contingit, vt in prima,&secunda,&tertia,& quarta genituris, quandoque vnus tantum, licet rarò in his qui adolescunt. Tertium est mensura domus, & pro exemplo capiamus decimam: dicit Ptolemæus quod illa tenet quinque gradus ante initium, & vigintiquinque post initium, & intelligit de gradibus æquinoct alis. Veluti gratia exempli, in octaua genitura medium cœli habet rectam ascensionem partium 289.minutorum 57.volo scire vbi vigesima quinta pars finiatur. Scio quod quilibet quinque gradus occupant tertiam horæ partem, igitur vigesimus quintus gradus æquinoctialis distat hora vna, & duabus tertijs à cœli medio. Quære igitur gradum prope quartam partem Aquarij inuentam per regulam trium, dicendo, si triginta gradus æquinoctialis, qui sunt inter decimam& vndecimam faciunt decem nouē ex eclyptica,quid facient viginquinque æquinoctialis. & facient quindecim ex eclyptica, quia medio cœli numerati finiuntur in quartam partem Aquarij. Huius igitur horaria tempora sunt vndecim & duæ tertiæ: duc in horam vnam & duas tertias, & fiunt partes decemnouem, minua 26. adde ad partes 289. mi. 47 .fiunt partes 309. mi. 13. quibus respondent partes septem Aquarij quod conuenit. Conuerso modo procedendo inuenies septimam partem Aquarij, iuxta Ptolemæi sententiam distare à medio cœli partibus vigintiquinque æquinoctialibus. Quamuis parum differret ab hoc iuxta Monteregij tabulas. Eodem quoque modo faciemus vbi voluerimus inuenire vigintiquinque gradus vndecimæ: nam vigesimus quintus gradus illius domus distat horis tribus, & duabus tertiis, ab angulo medij cœli. Et ita in quinque gradibus anterioribus. Raro etiam accidit, vt Apheta sit circa finem domus, ita quod oporteat vti hac supputatione. Sed ego eam apposui vt necessariam ad sciendum quocunque anno quisque Apheta perueniat. Nam eodem modo ad vnguem operari licet.

Notandum quod decima domus extenditur vsque ad vndecimam, & vndecima vsque ad duodecimam, scilicet per triginta gradus æquinoctialis. Verùm Ptolemæus non vult, quod illi quinque gradus vltimi licet habeant vim, attamen habeant eam tam magnam, vt significator vitæ ibi possit dare vitam & esse Apheta.

Notandum secundo quod vbi domus idonea succedit domui idoneæ, illi quinque gradus vltimi non sunt auferendi: quia licet non sint boni ratione domus cuius sunt pars, sunt tamen boni ratione domus sequentis. Exemplum, quinque gradus vltimi nonæ, licet non sint boni pro nona, sunt tamen boni, quia sunt pars decimæ domus seqentis. Et quinque gradus vltimi decimæ, licet non sint boni pro decima, sunt boni pro vndecima domo quæ sequitur. Et ita possumus considerare nonam & decimam absque detractione illorum quinque graduum. Solum ergo erunt detrahendi à prima, septima, & vndecima, quia domus quæ has sequentur, quæ sunt secunda, octaua & duodecima non sunt Apheticæ.

Notandum quod Ptolemæus præfert decimam horoscopo in causa vitæ Dorotheus horoscopum. Vtrumque prauum est discrimen in hoc, nam vbi ambo oportebit eligere validiorem iuxta ordinem quem subiiciet: rarò enim admodum accidet vt sint exquisitè partes viribus, & vnus in decimo loco alter in horoscopo, & tunc eligemus etiam vtrunque, & etiam videbimus cui magis faueat experimentum: adeò vt hæc difficultas parum incommodi sit allatura: sed quia dixerat partem fortunæ, seu sortem esse vnum ex locis Apheticis, illam docet in capite sequenti inuenire.

CAPVT XII.


TEXTVS XXXI.

De Sorte siue Parte fortunæ.

Fortunæ quidem partem colligimus vbique nocte, non secus ac die, ex numero partium interceptarum inter Solem & Lunam, si totidem partes ab ascendente signo iuxta signorum consecutionem abiiciamus, quo tunc sanè euaserit supputatio, eam signi partem, eumque locum dicimus, fortunæ sortem continere, vt quamrationem siue configurationem habet Sol ad orientalem finitoris partem, eam habeat & Luna ad partem fortunæ, & sit veluti Lunaris quidem horoscopus. Verum & illud videre oportet vtrum luminum altero magis in consequentia feratur. Nam si Luna, numerum partium ab horoscopo reiiciendarum pro sorte fortunæ habenda, reiicere veluti consequentia signa versus oportet. Si verò in præcedentia magis Sole fetur Luna, versus præcedentia.

Intendit quod debemus detrahere locum Solis à loco Lunæ, & quod relinquitur de signis,gradibus & minutis addere ascendenti, & , vbi cadit est locus partis fortunæ. Exemplum in quarta genitura locus Solis est signa tria, gradus tres, minuta 52. locus lunæ est signa signa 0. gradus 18. minuta 9. detraho signa 3. gradus signis 3. 52. ex 0. gradibus 18. minutis 9. addita vna reuolutione integra, id est, signis 12. quia aliter detractio fieri nequit, relinquuntur signa 9. gradus 14. minuta 17. quibus addo signa 7. gradus 26. pro ascendente & fiunt signa 17. gradus 10. minuta 17. Et quia excedunt

cedunt vnam reuolutionem abiicio illam, id est, 12. signa & relinquuntur signa quinque partes decem, minuta 17. quæ si numerentur ab initio Arietis finiuntur in partibus 10. minutis 17. Virginis: Et ibi est pars fortunæ quartæ genituræ. Dicit igitur Ptolemæus quod quantum distat Sol ab ascendente, tantum Luna à parte fortunæ. Et similiter si Luna est à coniunctione ad oppositionem tunc Luna sequitur Solem, & pars fortunæ semper erit sub terra, & sequetur ascendens: quod si Luna transierit oppositionem ipsa antecedet Solem, & ita pars fortunæ antecedet ascendens, & erit semper supra terram. Causa igitur huius est hæc



sit Sol in A, Luna in B, & ducta fuerit A C. linea à Sole ad ascendens, & à Luna B D æqualis A C, tunc erit ex monstratis in tertio elementorum Euclidis arcus B D æqualis A C detracto communi A D relinquetur A B, æqualis C D. Cùm igitur addiderimus differentiam Lunæ à Sole escandenti consurget locus Sortis, qui est locus vbi radius Lunæ à Sole refractus æqualis radio eius quo ascendens illuminat reflectitur. Sors igitur fit addita distantia Lunæ à Sole ipsi ascendenti. Hæc igitur est ratio Sortis, quæ in aliis Planetis non tenet, quoniam non sunt luminaria, & non reflectunt lumen Solis.

Verùm & illud videre oportet (Hunc locum melium esset sic legere: Verùm & illud animaduertere decet vtrum luminum, altero magis in consequentia feratur, quia si Luna numerum partium pro Sorte habenda ab horoscopo in consequentia reiicere oportet. Si verò Sol in in procedentia & sensus est clarus, ante oppositionem, partes inter Solem & Lunam adiiciendæ sunt horoscopo: post oppositionem pars inter Lunam & Solem sunt auferendæ ab horoscopo, ne cogatur plus semicirculo addere, quia luminaria nunquam possunt plus distare semicirculo. Et ideò cùm res reducat ad idem melius fuisset illa verba non apponere. Et forsan non sunt Ptolemæi.

CAPVT XIII.

TEXTVS XXXII.

Quos eligere conueniat vitæ gubernatores.

PRæferendus sanè est in diurnis genituris Sol si in Apheticis locis expertus fuerit, si minus Luna, si neque hæc, illi qui plura obtinent ad dominādum suffragia & Solis loco, & proximè elapsæ coniunctioni ac horoscopo, hoc est cum suffragiorum quinque genera sunt, is qui tria ad vnum horum locorum aut plura possidet. Postremo si neque hoc vsu venit, horoscopum præferimus. Noctu verò quidem Lunam consulimus, deinde Solem, postqui maiorem habet suffragiorum copiam ad Lunæ locum moderandum, præcedentis quoque oppositionis ac partis fortunæ, sin minus, si coniunctio luminarium præcesserit, horoscopum accipimus, at si oppositio, partem fortunæ. Si neque hoc licebit horoscopus vitæ transigendæ præerit. Si verò & ambo luminaria & propriæ conditionis gubernator in locis Apheticis fuerint, id quod maioris dominij fuerit seligendum est. Tunc demum gubernatorem vtrisque luminibus anteferimus, quando honorificentiorem occupat locum & ad vtrasque conditiones gubernandi haber.

Tres facit ordines, primum de die præferendo Solem si in loco fuerit Aphetico, ex quinque domibus dictis superius & pari conditione semper intelligas: inde Lunam si Sol aptus non fuerit: inde si Luna apta non est, gubernatorem accipiemus, qui tres ex quinque dignitatibus habuerit in tribus locis, scilicet loco Solis, loco coniunctionis præcedentis, & loco ascendentis: & sit gubernator ille in loco Aphetico: Et si hic aptus non est relinquetur ascendens. Secundus ordo est, in nocte accipiemus primo Lunam si erit in loco Aphetico, & si non, Solem si fuerit in illis vigintiquinque gradus, qui sequuntur ascendens, si non, accipiemus gubernatorem, qui habeat tres ex quinque dignitatibus in tribus locis, scilicet loco Lunæ, loco oppositionis luminarium præcedentis natiuitatem, & loco partis fortunæ, si talis gubernator fuerit in loco Aphetico: Quòd si non, si coniunctio præcessit natiuitatem accipies ascendens, quia Sol fauet ascendenti: si oppositio, accipe partem fortunæ, si sit in loco Aphetico: si non, accipe rursus ascendens. Tertius ordo est quod si sint tres principales Aphetæ, scilicet Sol & Luna, & gubernator locorum prædictorum in locis Apheticis, tunc præpones ex Sole & Luna illum, qui fuerit potentior: Gratia exempli, si de die Luna sit in decima, & Sol sit in nona, præpones Lunam Soli, & si Luna esset in decima, & Sol in vndecima, tunc erunt fermè pares, præpone igitur illum ex his, qui fuerit in maiore dignitate: quòd si parua fuerit differentia, vide si cui illorum dominus loci coniungatur, vel cum benigno aspectu respiciat: Similiter si de nocte Luna esset

esset in nona, vel in septima, præferes Solem illi, si sit in ascendente, & maximè si fuerit iuxta gradum ascendentis, vel in dignitate sua, dum modo sit intra vigintiquinque gradus dictos. Et in his casibus indigemus magna coniectura & indicio bono: & maximè, quia vt dixi Apheta, quantumcunque potens cum cadit ab altero, nullam retinet vim, nisi sit ascendens: quia est quasi quædam mutatio & non communis administratio. Gubernator verò debet præferri luminaribus quando duas habuerit conditiones: prima quod ipse fuerit in meliore loco Aphetico quàm luminaria: secunda quod habeat tres ex quinque dignitatibus, in loco Solis & coniunctionis præcedentis natiuitatem & ascendentis: & item tres alias in tribus aliis Locis, scilicet Lunæ & loco oppositionis luminarium præcedentis natiuitatem & loco partis fortunæ. Et tunc dicitur gubernator vtriusque temporis, sicut in natiuitate mea est Mercurius. Est enim dominus domus & altitudinis loci coniunctionis, & primus dominus trigoni Solis: Et rursus dominus domus & altitudinis loci oppositionis: Et dominus primus trigoni partis fortunæ. Tam coniunctio enim quàm oppositio præcedens natiuitatem meam fuit facta in Virgine, & locus Solis, & partis fortunæ fuit in Libra.

Dubitat explanator, quia in aliqua genitura nocturna in qua præcessit oppositio, vbi moderator, & pars fortunæ essent sub terra, posset deesse locus Apheticus. Respondet quod si præcessit cõiũctio in nocturna genesi, ascendens pro Apheta non deest: si oppositio Sors necessario cadit noctu: super terram igitur erit Apheta. Non enim indiget certa domo, vt nec horoscopus cũ sit ascẽdens Lunæ

Circa hæc notanda sunt tria: Primum quod iam dictum est, sed repeto ob vehementem vtilitatem, scilicet quod per quinque dignitates intelligit domum altitudinem, duplicem trigoni dominum, & finem ac configurationem, vt suprà dixit. Secundum, quod si in natiuitate diurna præcedat oppositio luminarium proximior, tamen debemus accipere locum coniunctionis, quia Sol est potentior Luna. Et similiter in nocturna, quamuis coniunctio sit proximior natiuitati oppositione, debemus accipere locum oppositionis, quia Luna fauet oppositioni cum in coniunctione nullam habeat potestatem. Et hoc non tamen ausus fuissem dicere, nisi colligeretur à Ptolemæo in textu. Tertium quod locus oppositionis etiam in hoc casu est locus luminaris, quod inuenitur supra terram tempore ipsius oppositionis, & hoc est, quia Sol propter suam magnam potentiam non patitur sibi eripi priuilegium suum, quod est quod in diurna oppositione, nisi sit in gradu occidentis, locus eius debet præferri loco Lunæ.

Arabes significatorem vitæ adesse necessarium existimant, nec sufficere solũ Aphetam. Vocant autem hunc significatorem Alocodes. Cùm verò eligunt qui potestatem aliquam habent in loco Aphetæ, ipsum respiciat: Innituntur autem septem rationibus. Prima est, quod non deceat naturalis vitæ terminos esse fortuitos: sed si sumantur ab Aphetæ solum directione erunt fortuitæ, quia ab incursu cum Anæreta. Præterea quod multi euadunt à concursu Aphetæ, cum Anæreta, & ita videtur incerta mortis ratio hoc modo: Contra alij ante incursum pereunt. Posset etiam aliquis viuere annis prope 225. posita prima parte Leonis ascendente, sub altitudine poli partium 60. & benefica respiciente, primum abscissionis locum: frigidissimis etiam regionibus plus viuerent, quam temperatis, quod & rationi philosophorum & experimento repugnat. Ptolemæus quoque in capite de finibus commemorat numerum annorum maiorum, qui quorsum essent, si nulli vsui essent vtiles. Nec vlli vsui vtiles esse possunt, nisi vitæ decretis ac termino. Præterea cum videamus & familias quasdam non excedere certum vitæ spacium, vt de quibusdem vicecomitibus, qui quinquagesimum annum non attingunt. Verùm Ptolemæus innixus est firmissimis experimentis ac rationi. Igitur ad primam dicimus & naturalem vitam finem habere fortuitum. Naturali morte pereunt solum cum Apheta ad suum quadratum peruenerit: atque hic est vltimus vitæ naturalis terminus in vnaquaque regione. Ad secundum non concordant processus nec ingressus, vt suo loco ostendetur. Ad tertium qui debilem Aphetam & naturaliter etiam debiles ex finium malorum concursu cum processibus, ex Antisciis (commune, hoc est nomen intuentibus, & imperantibus ac obedientibus.) Ex occursu fixarum maleficarum vel in eadem longitudine, vel etiam in eodem circulo positionis, si ex familia aut gente valde breuis vitæ sint pereunt. Quod etiam vltimo argumento satis facit. Ad quartum fieri potest, legiturque de duobus quodam Ioanne de temporibus & alio. Cùm autem tot sint necessaria vix nisi in multis seculis contingit. Ad quintum verum est ratione Periodi non roboris naturæ. Quo fit à leuitoribus Anæretis intercepti minus iuuant, quàm qui intemperata habitant regione. Quod si temperata iuxta Polos posset inueniri, vt de Hiperboreis fabulantur argumentum concluderet. Ad sextum assumpsit hoc Ptolemæus ad confirmandam rationem finium, quam intendebat. Nam & ex falso verum sequitur: licet autem ad hominem sermonem habenti. Præterea numerus ille in Saturno satisfecit ei reuolutionum numero quem vocauit Ptolemæus restitutionem. In Ioue restitutionis Martis, quod malefica esset & maior numerum dederunt. Marti autem inæqualitatis solum Iouis facta commutatione. Sed non addito numero reuolutionum quod malefica esset, quasi res hominum voluntate agatur, non Dei imperio illum fraudarunt. Vt in capite de finibus visum est. Sed vt ad rem reuertar, quod decepit Arabes, est quoniam si dominus Aphetæ potens locum ipsum præcipuè bono aspectu aspiciat Aphetam robustiorem reddit: atque ideò etiam vitam & robustiorem, & longiorem præstat, quod nec Ptolemæus, nec nos negauerimus, modo non res ad certum numerum

merum annorum traducatur, Sed ad id quod Anæretas facilè sibi occurrentes possit superare, aut non superare. Hoc autem & ipse iubet circumspicit in capite sequenti.

CAPVT XIV.

TEXTVS XXXIII.

Quænam sint vitæ moderandæ rationes.

CVm vitæ moderandæ principes indicauerimus, amplius quoque moderationis duos esse modos intelligamus, eum qui consequentia signa versus instituitur, quàm actinobiliam, id est, radiorum proiectum dicimus, quando in orientalibus locis, nimirum à cœli culmine, & ascendente intercepis, vitæ gubernator inuentus fuerit, & eum qui non solùm consequentia versus, sed & in præcedentia signa peragitur, quam horinæam dicunt, cũ in locis à culmine declinantibus reperitur.

Duos statuit dirigendi modos, alterum, qui fit dum significator vitæ fuerit à medio cœli vsque ad finem primæ domus, qui est secundum ordinem signorum, & secundum ascensiones ipsius Aphetæ. Et in hac locus Anæreta ducitur ad locum Aphetæ, secundum consequentiam signorum. Secundus modus est, quando significator fuerit inter cor cœli, & septimum locum, velut in genitura primogeniti mei, in qua Luna est Apheta, & tunc fit duplex directio, dicit Ptolemæus, vna quæ est eadem cum prima dicta, & est secundum successionem signorum ipsius Anæretæ, ad ipsum Aphetam secundum ascensionem Aphetæ. Et ita hæc directio est generalis omnibus Aphetis, vbicunque constituti sint ab angulo occidentis, vsque ad finem primæ domus, sed tamen discrimen est, quòd à medio cœlo vsque ad finem, primæ domus directio fit, secundum ascensionem Aphetæ, ab occidente autem vsque ad medium cœli iuxta descensiones Aphetæ, quæ sunt æquales ascensionibus arcus oppositi. Secunda verò directio est propria significatori constituto inter decimam & septimam. Et hoc fit contra successionem signorum, quia Apheta ducitur ad Anæretam secundum ascensiones ipsius Anæretæ. Exemplum in figura primogeniti nostra Luna Apheta deducitur, ad occidens per descensiones ipsius occidentis: Et ideò in primo quadriennio fuit in periculo mortis & relictus, quasi mortuus.

TEXTVS XXXIV.

His ita constitutis interemptoriæ sunt partes secundum eam, quæ versus præcedentia signa fit, moderationem occidentalis finitoris: sola eò quod dominum vitæ labefactet.

Docet in conuersa directione esse tantum vnum Anæretam, id est, occidentalis angulum. Et hoc est, proprium illi secundum: nam primum fuit, vt Apheta dirigeretur ad Anæretam, per descensiones Anæretæ, id est, occidentis non igitur Saturnus aut Mars, vel alia stella ante Aphetam posita occidere potest. Nunc subiicit tertiũ propriũ quod est:

TEXTVS XXXV.

Syderum verò occursantium aut testificantium partes adimunt, vel adiiciunt annos, iis qui à vitæ moderatore colligebantur, vsque ad occasum illius & non interimunt quod non in locum Apheticum hæ impingant, sed contra. Ac adiicunt sanè benefici, malefici adimunt. Mercurius vti solet, eorum se attemperat moribus, cum quibus corpore, vel radiis committitur.

Sydera igitur aut radij interpositi inter locum Apheticum, & occidentem non occidunt, quia dicit talia non impingunt in locum Apheticum, id est non mouentur versus locũ Apheticum, sed potius Apheta ad Anæretam. Ex quo patet illud, quod alias dixi in Ephemeridum supplemento, scilicet quod in directione directa Anæreta deducitur ad Apheticum locum, non autem Apheta ad Anæretam. Qui locus est, vt dixi in Aphete in nono orbe fixus. Anæreta autem mobilis ascendensque ad Apheticum locum secundum signorum successionem. Veluti in tertia genitura ascendens est locus Apheticus: septima quod Aquarij est leuis Anæreta, septima Piscium est Anæreta potens: dicemus non quod ascendens: perueniat ad septimam partem Aquarij in annis 40. vel ad septimam Piscium in annis 57. sed quod septima Aquarij, & septima Piscium in dictis temporibus perueniat ad ascendens. Dicit ergo Ptolemæut quod radij vel Planetæ, qui sunt ante Aphetam in occidente non occidunt, sed si fuerint benefici, addunt annos, menses & dies, retardando descensum Aphetæ ad gradum occidentis. Et si fuerint malefici detrahunt annos, menses & dies, accelerando descensum Aphetæ ad gradum occidentis. Quantum autem addant, vel minuant, declarat in sequenti textu dicens.

TEXTVS XXXVI.

Numerus autem temporis adiecti ablatiuè colligitur ex partium vniuscuiusque situ. Quot. n. fuerint horaria tempora vnicuiusque partis interdiu diurna, nocturna noctu, tot significantur

ficantur anni, qui sanè numerus cum in ortu fuerit, integer seruandus est, & secundum discessus ab ortu proportionem attenuandus, donec ad occasum in nihilum abeat.

Vbi paulò, tempestiuior esset tertia figura Luna fuisset Apheta : quia fuisset in gradibus ante nonam, qui pro nona accipiuntur. Sit igitur ita vt Luna sit Apheta, quandoquidem in exemplis non curamus de veritate, sed claritate dicendorum. Vides igitur quod radij intercidunt, inter Lunam & gradum occidentis, primum quidem trigoni Saturni, qui nihil addunt, neque minuunt, quia sunt radij amici maleficæ : Velut neque sextiles Martis : Rursus neque radij Solis, Veneris aut Mercurij, quia omnes sunt naturæ mediæ, & etiam quia quantum adiment radij quadrati, tantum adijcient trigoni : cum ambo cadant inter Lunam & occidentem. En vides iam octo radios, qui tamen nihil faciunt intercidere inter Lunam & gradum occidentis. Relinquuntur ergo soli radij sextiles Iouis qui addunt, quantum verò addant exemplo docendum est, nisi enim exemplo docuerimus in re difficillima nihil peragetur. Dicit igitur cape partem horariam loci Iouis nocturnam, non quia natiuitas nocturna sit, sed quia Planeta cuius sunt radij, id est, Iupiter est sub terra : Si autem esset supra terram, caperes partem horariam diurnam. Hanc igitur sic habebis in tabula quantitatis dierum, quæ maximè necessaria est huic negotio, sub altitudine poli quadraginta octo graduum, inuenies arcum semidiurnum tertiæ decimæ partis geminorum, hororum septem, minutorum quadraginta nouem, cuius residuum ad duodecim, est arcus seminocturnus, scilicet horarum quatuor, minutorum vndecim, qui quæritur, hanc multiplica per duo cum dimidio (Et est ac si reduceres horas in minuta multiplicando per 60. & diuidemdo per 24. productum ex sex horis, qui est numerus arcus semidiurni, vel seminocturni quatuor numerum minutorum horæ, in quibus vnus gradus ascendit (& fiunt gradus 10. minuta 28. Et hæc sunt horaria tempora. Vide igitur quantum Iuppiter distet à gradu occidentis & patet ex modo, qui inferius traditur, quod distat fermè per horam, Multiplica igitur numerum horarum distantiæ, id est, 1. in gradus 10. minuta 30. fiunt rursus gradus 10. min. 30. diuide per 12. semper 1. numerum horarum temporalium arcus nocturni si Planeta, qui radios proiicit sit sub terra, vel diurni sit supra terram & exibunt minuta 53. vnius gradus : quibus dando quinque minuta pro quolibet mense fient menses decem, dies decemocto addendi tempori directionis Lunæ ad gradum occidentis.

Nota quod horaria tempora variantur trifariam, ratione puncti eclypticæ, quia Virginis sunt, longiora Libræ, media Scorpionis breuiora. Secundus est ratione regionum, quia horæ temporales initij Geminorum in nostra regione continent vnam horam æqualem & quatuordecim minuta : Londini autem horam vnam æqualem & 21. mi Tertius modus est diurnæ & nocturnæ quia hora temporalis initij Geminorum diurna continet, vt dixi horam vnam, & quatuordecim minuta ex æqualibus : nocturna verò initij Geminorum solum continet minuta 46. horæ æqaulis: Horaria igitur tempora vocantur numerus graduum æquinoctialis & minutorum, qui ascendunt in quacunque hora temporali. Arcus autem diurnus seu tempus diurnum alicuius puncti est, tempus in quo ascendit arcus contentus inter illum punctum, & oppositum secundum successionem signorum. Veluti arcus diurnus seu tempus diurnum initij Cancri est, tempus in quo ascendunt Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius. Nocturnum verò tempus seu nocturnus arcus dicitur, in quo ascendit arcus interceptus inter punctum illum, Velut arcus nocturnus quintædecimæ partis Cancri est, in quo ascendit arcus contentus inter quintamdecimam partem Cancri, secundum successionem signorum, id est vltimi quindecim gradus Capricorni totus Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, Gemini, & primi quindecim gradus Cancri. Horum igitur arcuum duodecima pars est, idem quod tempora horaria illius ascendentis, quæ tamen quocunque transgrediatur punctum illud, nomen retinent apud Ptolemæum. Ex quo patet quod si arcus diurnus, seu tempus diurnum alicuius puncti est prolixum, quòd signa, quæ succedunt illi puncto tardè ascendunt, & reliqua quæ antecedunt illum punctum iuxta ordinem signorum celeriter ascendunt. Quòd si tempus diurnum fuerit breue, erit contrario modo. Similiter si nocturnum fuerit breue, erit sicut de diurno longo : & si nocturnum fuerit longum, erit sicut de diurno breui.

Igitur cum hæc sit radix totius artis atque in ea sub obscurè locutus sit Ptolemæus, conandum est eruere illius veram opinionem quam vt venemur quatuor supponere oportet : primum quod velit directiones fieri, per semicirculos positionis, à Monteregio dictos, qui per communem interiectionem Horizontis & Meridiani ducuntur, hoc igitur expresse dicit. Secundum est quod distantiam loci à Meridiano vocat, arcum æquinoctij interiacentem Meridianum regionis, & Meridianum dictum per punctum eclypticè & hoc etiam fatetur, & explicat Regiomontanus. Tertium est quod præsupponit posito initio Arietis in Ascendente vel occidente, quod ipsum semper distet sex horis à meridiano, quia anguli tantum inter se distant. Quòd si exemplum fuisset de alio puncto significatoris, quam initio Arietis & Libræ, vbi eclyptica tangit æquinoctialem, nulla nobis relicta fuisset difficultas, sed quia exempla sunt de hoc puncto laboramus, vt possit quadrupliciter hora temporalis distantiæ intelligi ascensio recta, & maximè, quia tantum tempus correspondet motui per punctum medij cœli, velut idem dicit, descendit in arcus ab initio Arietis, ad decimam

Problem. 16.

decimam octauam Tauri, ad vnguem in tribus horis. Sed ſic intelligendo non deſcendet occaſum vſque in ſex horis quodlibet punctum: Sed gratia exempli initium Tauri in horis 6.mi.46.ideò modus ille non congruit, & vt breuiter dicam modus Ptolemæi conuenit, cum circulis poſitionis & etiam ſatisfacit parti horariæ ſumendæ, & diſtantiæ à cœli medio, & eſt vnus ac ſimpliciſſimus, nec eſt vt ſumas horaria tempora aſcendentis, nam in quarto exemplo poſita part. 18. Tauri in cœli medio aſcenderet ſub altitudine poli, part. 31. Ægyptj, ſcilicet pars 22. Leonis cuius horaria tempora ibidem ſunt, par.26.min.15.igitur 45.par. diſtantiæ rectæ non perficerent tres horas temporales, ſicut dicit in littera.

Propterea dico quod modus vnus eſt, & ſimplex quem oſtendam infrà in Tabula, accipe arcum ſemidiurnum præcurſoris ſeu ſignificatoris, & differentiam rectam eiuſdem à cœli medio, & quota pars erit differentia illa arcus ſemidiurni tota pars erit diſtantia præcurſoris à cœli medio ſex horarum, & eam detrahe à ſex horis, ſi præcurſor fuerit inter horoſcopum, & cœli medium, aut adde ſex horis, ſi præcurſor fuerit inter cœli medium & occaſum, & quod fiet, erit diſtantia ab aſcendente pro addenda portione, aut detrahenda annorum. Velut volo ſcire quantum Luna diſtet horis temporalibus ab aſcendente, & à cœli medio in octaua geneſi arcus diurnus 12. partis Piſcium eſt, part. 166. min.14. igitur ſemidiurnus eſt, par.83. mi.7.Diſtantia recta Lunæ à cœli medio eſt, par.53.mi.23.Capio dimidium & eſt par.41. min.33.relinquuntur, par.11.min.50. Capio quartam partem par.41. mi.33. & ſunt par. 10.mi.23.ſuperſunt igitur par.1. mi.27. Capio rurſus octauam partem, par.10.minut.23. quæ eſt par.1.mi.18. & adhuc ſuperſunt mi. 9.quæ ſunt fermè nona pars, par.1. min.18. iunctæ hæ omnes partes conficiunt, par.53. min. 43. diſtantiæ rectæ Lunæ à cœli medio. Sumo ergo dimidium ſex horarum & ſunt horæ tres: harum ſumo quartam partem & ſunt min.45. Horum ſumo octauam partem, quæ eſt mi. 5.ſect.37. Horum demum ſumo nonam partem, ſcilicet ſect.37. & iungo ſi-

Par.83. min.7.
Dimid.Par.41.min.33. Quar.Par.10 min.23. Oct.part.1.min.18. Non.Par.o.min.9.
Par.53 min.23.
Dim.Hor.3.min o. Quar.Hor o.min.45. Oct.Hor o min.5.ſec.37. Non.Hor o.min.o.ſec.37.
Hor. 3. min.51.

mul omnia, habeo tandem diſtantiæ à cœli medio hor.3.mi.51.Hanc ſeruo, ſimiliter detraho ex horis ſex, quia Luna eſt inter horoſcopum & cœli medium, & relinquuntur hor.2.mi.9.proportione addenda, vel minuenda, vbi opus eſſet ſimili prorſus modo operareris, vbi præcurſor eſſet inter cœli medium & occidens.

Vt ergo ad Ptolemæi operationem deueniamus in dirigendo ſeruat regulam ſimiliter generalem, ducit enim ſemper horas temporales diſtantiæ loci antecedentis, ſeu præcurſoris, ſeu Aphætæ, aut ſignificatoris à cœli medio in horaria tempora promiſſoris, & quod conflatum, tum detrahit ex differentia rectæ aſcēſionis promiſſoris à cœli medio, vbi vterque ſcilicet præcurſor & promiſſor, ſint in parte à cœli medio ad cœli imum per horoſcopum: aut detrahit illam promiſſoris à cœli medio, ab hoc cōflatu vbi vterque fuerit à cœli medio, ad cœli imum in parte occidentis. Et hoc eſt quod tacuit & reſiduum eſt numerus partium directionis. Vel iungit ſimul vt in quarto exemplo vbi ſignificator fuerit occidua, vltra cœli medium, & promiſſor in oriētali ante cœli medium. Exemplum volo dirigere Lunā ad Iouem horaria tempora Iouis, id eſt, quartæ partis Tauri (ſuppono enim quæ dicta ſūt in octaua geneſi) ſunt par.17. min.8. duco in xor.3.mi.51. Et vt facilius agas duc per hor. 4.fiunt par.68.mi.32.deinde habes 9.min. detrahenda: & ideò pro 4 mi. detrahes quintam decimam partem par.17.mi.8.& ſunt par. 1. mi.8.ſec.30.& pro aliis 4.mi.horæ tantundē, & pro mi.vno, quod ſupereſt quartam partē par.1.mi.8.& eſt mi.17.iunge fient par.2.mi. 34.quæ auferto à par.68.mi.32. relinquentur par.65.mi.58. auferas igitur has à differentia recta Iouis & medij cœli, quæ eſt par. 101. mi.26.relinquentur par.35.mi.28.

Par.17. min.8. Hor.3.min.51.
Par.68.min.32.
Par.1.min.8.ſec.30. Par.1.min 8.ſec.40. Par o.min.17.
Par 2.min 34. Par.65.min.58. Par 101 min.26.
Par.35 min.28.

Modus autem Mōteregij eſt huiuſmodi per circulū poſitionis. Accipe primùm declinationē loci præcurſoris ex tabula generali declinationū, & differentiā aſcenſionis rectæ à cœli medio loci, eiuſdē in tabula aſcenſionū rectarū inde ingredere tabulā poſitionū ſub altitudine poli Borealis, ad altitudinē tuæ regionis, & à ſiniſtra quære numerū declinationis tui loci in linea deſcēdēte, ſi locus datus eſt infra terrā, & declinatio Borealis, vel ſupra terrā & declinatio Auſtralis, aut in linea aſcēdēte (ſūt enim duplicatæ tabulæ ſub quacunque altitudine poli,) ſi locus eſt ſupra terrā cū Boreali declinatione, aut infra terrā cū Auſtrali, & ſupra inuenies eleuationē poli ſupra circulū poſitionis. Et ſi adſint minuta quæres cum quadruplici comparatione, vt habeas eleuationē illā exactā ad minut. vſque qua habita diriges, ad illū ſignificatorē omnes promiſſores per aſcēſiones obliquas, illius altitudinis inuētæ, perinde ac tuus ſignificator eſſet in horizōte regionis, quæ talē haberet altitudinem. Exēplū volo ſcire, quantū eleuetur polus Borealis ſupra Lunæ circulū poſitionis, in priore exemplo ſuppoſita altitudine poli Borealis, par.44. min.20. inuenio illius declinationem abſque latitudine, par.7. minut. 46. Diſtantiam autem aſcenſionis rectæ à cœli medio par.53.

par. 53. mi. 43. Et quia Luna est supra terram & declinatio Australis, quæro in linea descendente à sinistra par. 7. & à dextra à directo eius par. 53. mi. 23. cum quadruplici introitu & in superiore parte tabulæ eleuationem poli maiorem, quàm 40. partium in sexta parte vnius partis. Vt sit par. 40. mi. 10. Dirigo ergo omnes significatores ad Lunam per tabulam ascensionum obliquarum, par. 40. mi. 10. altitudinis poli & perueniet ad Iouem, gratia exempli, in par. 33. m. 7. Quare hic modus non videtur ad vnguem esse idem cum illo Ptolemæi.

Modus tamen Ptolemæi vt dixi est, facilis in operando, & clarus, & habet euidentem rationem. Sumpto enim puncto vtpote Luna in duodecima parte Piscium, si constituatur in ascendente palam est, quod in medio cœli erit, par. 11. Sagittarij: igitur ascensio recta illius loci est, par. 260. mi. 12. Cùm verò eò peruenit 12. par. Piscium: tunc ibi erit pars æquinoctij, quæ illi correspondet ex recta ascensione, par. 343. mi. 15. igitur dum duodecima pars Piscium, ascendit ab horoscopo ad cœli medium, ascendunt ex æquinoctij circulo par. 83. mi. 13. quæ sunt differentiæ. Cùm ergo Luna gratia exempli est, in aliquo situ ita quod medium cœli sit 19. pars Capricorni palàm est, quod tum est etiam ibi pars ex æquinoctij circulo ei correspondens puta pars 321. mi 27. igitur iam ascenderunt ad cœli medium, par. 61. mi. 15. Cum ergo par. 61. mi. 15. sint gratia exempli, totius ascensus ab horoscopo ad cœli medium, qui est par. 83. mi. fermè tres, quartæ partes, igitur Luna peragra ab horoscopo ad eum locum quartampartem, semicirculi sui diurni, id est, vnam horam cum dimidia: ergo non oportet ad inueniendas horas temporales distantiæ loci à cœli medio quærere horaria tempora, nec ascendentis, tum nec promissoris, sed significatoris, seu potius arcum semidiurnum, & distantiam eiusdem loci per ascensionem rectam à cœli medio.

Quia tamen alia est ratio loci, alia directionum, & partis adiiciendæ, vel adimendæ, ideò pro constitutione domorum antiquo more (& quia diuisio illa est facta iuxta motum naturalem, scilicet per circulos transeuntes per polos mundi, quorum motu variantur ipse domus) obseruandum primo est quod idem est, si addideris ascensioni rectæ medij cœli sexcuplum temporum horariorum ascendentis, & totius ascensionis, tanquam rectæ sumpseris punctum eclypticæ correspondens in tabula ascensionum rectarum. Id enim punctum erit ascendens: Vel si partes 90. id est, sexcuplum horariorum temporum æqualium, addideris ascensioni rectæ medij cœli & totius, tanquam obliquæ ascensionis inueneris punctum eclypticæ in tua regione, illi respondeas. Nam id erit ascendens propositum, ideò commutantur & hoc supra declaratum est. Ex quo etiam præter quod medium cœli tantum distat per ascensiones ab oriente, quantum per descensiones ab occasu.

Vt ergo habeas hanc rationem antiquo modo collocandi signiferi in circulis horizonti correspondentibus: diuide distantiam rectam à cœli medio significatoris per horaria tempora ascendentis, & quod exit est numerus horarum & minutorum distantiæ tertij modi. Velut volo distantiam Lunæ in octaua genesi à cœli medio, distantia à cœli medio recta, est par. 53. mi. 23. quam diuido per horaria tempora ascendentis, quæ fuerunt par. 17. mi. 22. exeunt horæ tres mi. quinque & ita Luna est quasi in medio vndecimæ domus, & vitæ significatrix, & hoc magis respondet experimento, quàm quod sit in duodecima iuxta circulos positionis ob causas duas dictas, scilicet motum cœli & regionis nostræ distantiam à signifero. Et si velis distantiam Lunæ ab ascendente, detrahe horas tres, minuta quinque à sex horis, relinquuntur hor. 2. mi. 55. distantiæ quæsitæ. Et similiter si voluero distantiam, Saturni ab ascendente in eadem genesi, accipio descensionem rectam puncti oppositi eius, quæ est partium 160. mi. 42. quàm minuo ab ascensione recta medij cœli relinquitur, part. 29. mi. 3. quæ diuido per horaria tempora occidentis, quia est in parte occidentali, & sunt par. 13. mi. 40. prodeunt hor. 2. min. 17. distantiæ à meridiano, quare ab occidente subtracti ho. 2. mi. 17. ab horis sex distabit hor. 3. mi. 43. idem habebis si ascensionem rectam Saturni dempseris ab ascensione imi cœli relinquentur par. 29. mi. 3. quæ diuisa per par. 13. mi. 40. horaria tempora nocturna ascendentis, quia Saturnus est sub terra prodeunt, ho. 2. mi. 17. vt prius & distantia ab horosc. hor. 3. mi. 43. In quarto modo perages ad vnguem, vt in 3. diuidendo per horaria tempora significatoris, diurna nocturna orientalia, occidentalia loco horoscopi.

TEXTVS XXXVII.

Secundum eam quæ in sequentia signa fit moderationem interficiunt loca maleficorum Saturni & Martis, siue corpore ipso, siue radiis vndelibet tetragonis, aut oppositis occursantiũ.

Perfecta expositione conuersæ directionis nunc aggreditur directam & exponit, quæ omnino occidant per se, licet nec illa tamen semper, & sunt sex, Saturni corpus & Saturni oppositum, Martis corpus, & Martis oppositum, & Saturni & Martis quadrata. Deinde subiungit etiam de quibusdam, quæ non per se interimunt generaliter.

TEXTVS XXXVIII.

Aliquando verò è signis dicto eorum audientibus, aut aspicientibus secundum æquipollentiam: Tetragonus quoque Aphetico loco radius interimit, si est iuxta signorum consecutionem. Aliquando è signis longarũ ascensionum iam deprauatus hexagonus, quemadmodum è signo breuium ascensionum trigonus.

Docet

Docet modo Anæretas qui non per se occidunt generaliter, sed tantum cum aliqua conditione, & sunt nouem. Primus & validior ex his est radius quadratus sinister ipsius Aphetæ, id est, qui procedit secundum successionem signorum. Cuius exemplum visum est in genitura Pauli tertij Pontificis satis manifeste. Nam in Scotia & Anglia vbi ascendat initium Aquarij, sitque Apheta, radij quadrati sinistri cadunt in initium Tauri, quod deductum ad ascendens ad illud peruenit anno 40. in nostra verò regione in anno 52. Ne forsan credas longissimè hanc directionem semper protrahi: Causa huius est locorum natura contraria. Quodque iam ab initio repugnabant hi loci, vt etiam de intuentibus ac imperantibus locis dicemus. Vnde manifestum est quod si trigonus maleficæ quadrato ab initio Aphetam respicientis occurrerit, Aphetæ, certius interimet ipso quadrato per se. Et similiter trigonus opposito aspicientis Aphetam maleficæ. Et rursus sextilis quadrato respicientis.

Demum dicit quod trigoni etiam maleficarum quando fuerint per signa breuium ascensionum, vtpote quod Saturnus sit in Geminis, & trigonus eius cadat in Aquarium tunc poterit interficere. Sic etiam ex Cancro in Pisces: Velut si Saturnus sit in sextadecima parte Piscium, radij trigoni eius cadent in sextamdecimam partem Cancri. Et ita cum in nostra regione differentia ascensionum sextædecimæ partis Cancri, & sextædecimæ partis Piscium sit nonaginta partes ex æquipoctiali, talis trigonus æquipollebit quadrato iuxta motum primi mobilis, & ex consequenti occidet. Ex quo patet quod intelligit de trigono cuius ascensiones sint nonaginta gradus, Similiter & de hexagono, qui amplectatur arcum quadrati, sed hoc non potest accidere in nostris regionibus, multò minus Ptolemæi, sed in Germania frequenter.

Ex his sequitur primo quod Ptolemæus accipit aspectus Planetarum ex consimili gradu & minuto, in consimilem gradum & minutum absque ascensionibus mixtis: Aliter trigonus breuium ascensionum, vel quadratus longarum non interficere. Oportet autem quod istud eueniat in parte orientali, vbi signa breuium ascensionum celeriter ascendunt, & longarum tardè.

Item nota quod Ptolemæus fingit duos aspectus vnum in æquinoctiali, & alium in Zodiaco, & nunquam miscet illos. Et hæc est causa quod ipse dicit vndecimam semper respicere primam de sextili: Et medium cœli primam de quadrato & initium nonæ primam ex trigono: & tamen contingit in altitudine poli quadragintaocto graduum ascendente, quinta parte Geminorum quintam partem Aquarij esse in medio cœli, & ita horoscopum aspicere medium cœlum trigono radio ad vnguem. Idem dico de sexta parte Geminorum ascendente. Rursus in eadem altitudine ascendente tertia parte Capricorni, initio nono domus erit tertia Libræ, & ita horoscopus aspiciet nonam de quadrato. Igitur Ptolemæus vult quod fingamus duodecim signa in æquinoctialia, sicut etiam in Zodiaco: & demus triginta gradus cuilibet domui ex ipso æquinoctiali, & tunc vera erunt ambo illa: primum, quod dicit Ptolemæus, quod prima respicit vndecimam de sextili semper, & decimam de quadrato, & nonam trigono, & nonnunquam respicit duodecimam domum neque octauam. Secundum quod dicit Firmicus, quòd si ascendens sit in Ariete, medium cœli erit in Capricorno, & occasus in Libra & imum cœli in Cancro. Et similiter si ascendat Gemini, mediũ cœli erit in Piscibus in Sagittario, & imum cœli in Virgine: Et hoc erit verum semper & vbique gentium de signis æquinoctialis, non Zodiaci.

Ergo vt ad rem reuertar: dico quod respectus ipsi ad vnguem in eclyptica sum debent, cum verò inter illa duo puncta tantum clauditur per circulos positionis ex æquinoctiali, quod referat partem alterius aspectus, tunc oportebit vtriusque aspectus naturam considerare, & iuxta vincentem iudicare: Et hoc quantũ ad vitam, & reliqua, quia omnia gubernantur à duobus motibus, quia vnus est ab occidente in orientem iuxta mensuram eclypticæ, quia illa velocissimè mouetur, quoniam æquidistat à polis.: Et alter est ab oriente in occidentem cum mensura sumitur, ab æquinoctiali eadem ratione: nã & æquinoctialis velocissimè mouetur.

TEXTVS XXXIX.

Et cum Luna vitæ moderationem inijt, Solis quoque locus interimit.

Contingit hoc vt inferius exponit, quotienscunque sub radiis Solis aliquis maleficus sine benefico extiterit, vel si Sol malefici radiis imbuatur. Velut princeps malo consultore vtens, nocet non per se. Fieri tamen potest, vt Sol solus etiam perdat, quando Sol in contrario loco fuerit. Corpus enim eius immoderatè calidum est, radij autem non interficiunt.

TEXTVS XL.

Valent enim iuxta hanc vitæ moderationem, hi occursus ad perdendũ aut seruandum, posteaquem in ipsum moderatoris locum feruntur, Non tamen semper existimandum est & in vniuersum interficiendi vim habere hæc loca, sed cũ malè affecta fuerint: Impediuntur enim si in benefici alicuius terminum incidunt, & si beneficorum aliquis radium eò eiaculatur tetragonum aut trigonum, aut oppositum sanè ad ipsam partem interemptricem, siue ad partes proximè sequentes, in Ioue non vltra duedenas, in Venere non supra octonas. Ac si corpus vtrunque dum est, & quod occursat, & quod moderatur, non

ſit eadem vtriuſque latitudo. Quando igitur duo aut plura fuerint vtrinque, quæque iuuent, quæque interimant, videndum penes, quæ victoria ſit, idque & ſecundum numerum, & ſecundum virtutem. Secundum numerum quando, ſcilicet euidenter plura fuerint hæc illis. Secundum virtutem ſi viuentium, aut interficientium ſtellarum, hæ quidem in domeſticis locis inueniuntur, illæ verò non, maximè cum hæ quidem orientales ſunt, illæ verò occidentales. Omnino verò earum quæ radiis obrutæ ſunt nullam accipere conuenit, nec ad interficiendi, nec ad commodandi operam niſi quod cum Luna vitæ moderatrix eſt, ipſe quoque Solis locus interficit, quando malefici alicuius congeſſu oppreſſus, à beneficorum nemine iuuatur, aut liberatur.

Poſtquam docuit quæ per ſe generaliter, quæque per ſe, ſed non generaliter, quæque neque per ſe nec generaliter, occidunt, oſtendit modo quando occidant & quando non. Tria enim non ſunt impedimenta quare non occidant: vel quia Anæreta ſit in termino beneficæ, vel quia benefica proiiciat radios quoſcunque ſeu trigonos, ſeu oppoſitos, vel quadratos, vel ſextiles, vel ibi ſit corpore poſt Anæretam, ita tamen vt Iuppiter corpore, vel radiis non plus diſtet duodecim gradibus & Venus octo: Hæc enim ſunt quantitates luminum horum Planetarum, vt in primo libro oſtenſum eſt. Quia quamuis Iuppiter diametro viſibili non ſit maior Venere, qui tamen iſta operatio fit per radios in octauo orbe quàm Venus: Ideò maius eſt lumen Iouis quàm Veneris. Similiter ſi latitudo diuerſa ſit Anæretæ cum Apheta: Vtpote quod Apheta ſit in parte Boreali, & Anæreta in parte Auſtrali: hæc tria ſcilicet impediunt. Nec tamen dicit ſemper impediunt, quia fieri poteſt vt malefica ſit potentior, vel auxilio alterius maleficæ, vel etiam per ſe: Et ideò oportet dicit comparare hæc teſtimonia plus poſſunt quàm duo, & duo quàm vnum: Et hoc eſt per ſe clarum. De virtute, quia ille eſt in dignitatibus ſuis & orientalis, & libet à radiis Solis, plus poteſt occidentali peregrino, vel eò qui eſt ſub radiis Solis. Ita quod intelligas dicit Planetam, qui ſit ſub radiis Solis nihil penitus iuuare, neque obeſſe, niſi in vno ſolo caſu quando Luna fuerit Apheta, & malefica fuerit ſub radiis Solis, tunc ipſa eſt cauſa, vt radij Solis interficiant, cum radij Solis ad Lunam peruenerint. Et per contrarium noluit intelligi, quod ſi benefica ponatur loco maleficæ Sole, tunc radij Solis non interficient.

TEXTVS XLI.


At verò annorum numerus quem interſtitia illa reddunt, quæ inter vitæ moderatorem & interfectorem interiiciuntur, non ſimpliciter ſanè, neque vt ſe obtulerit accipiendus eſt, ſicut plurimi tradiderunt, ex aſcenſionis temporibus ſemper vniuſcuiuſque partis, niſi tunc demum cum ipſa oriens cœli pars vitæ gubernatorẽ adepta eſt, aut quippiam proximè illi cooriens. Vna verò ex omnibus ratio reliqua eſt iis, qui naturæ conſentaneam conſiderationem inſtituunt, videre quot æquinoctialibus temporibus ſequentis corporis, aut irradiationis locus in præcedentem ſecundùm ipſam genituram, peruadat, eò quod æquinoctialia tempora æqualiter tranſeunt, & finitorem & meridianum, ad quos locorum ſimilitudines accipiuntur, & valet, vnumquodque huiuſmodi tempus vnà in Solis conuerſionem.

Quando igitur in ipſo orientali finitore fuerit vitæ moderator, & præcedens locus, aſcenſionis tempora partium interiectarum vſque ad occurſationem conuenit accipere, tot enim temporibus æquinoctialibus interfector in vitæ gubernatoribus locum, hoc eſt, in orientalem finitorem fertur. Quando verò in meridie repertus fuerit, rectæ ſphæræ aſcenſiones quantis vnaquæque ſectio meridianum parambulat. Cùm autem in occidentali finitore verſatur, quantis ſingulæ intercapedinis partes occidunt, hoc eſt, quantis oppoſitæ illis oriuntur. Cum autem præcedens locus in his tribus limitibus non reperitur, ſed medio inter hos interuallo, non amplius dictarum aſcenſionum aut deſcenſionum, aut cœli culminationum tempora ſequentia loca ad eaſdem cum præcedentibus ſedes perferunt, ſed diuerſa. Similis ſanè & idem locus eſt, qui ſimilem eiſdemque in partibus ſitum habet, & ad finitorem, & ad meridianum: Illud verò proximè accidit eis, quæ ſub eodẽ ſemicirculo ſunt ex eorum genere, qui deſcribũtur per ſectiones finitoris & meridiani: quorũ ſinguli iuxta eandem poſitionem horã proximè æqualẽ efficiunt, cumque circunducitur circa dictas ſectiones in eundẽ ſitum inciditur cumque finitore &

meridiano

meridiano, transitus verò signiferi, tempora inæqualia vtrobique efficit. eodem modo etiam iuxta aliarum distantiarum situs per inæqualia illis tempora transitiones conficit.

In dirigendo Apheta, potest esse vel in ipso horoscopo ad vnguem, vel in ipso cœli medio ad vnguem, vel in ipso gradu occidentis, vel in loco intermedio, inter duos ex his angulis: vtpote vel inter occidentem & medium cœli, vel inter cœli medium & horoscopum, vel inter horoscopum & imum cœli, vbilibet sit inter duos angulos duobus modis id contingere potest: vel quod Anæreta sit inter duos eosdem angulos, velut in prima genitura posita Venere Apheta, locus Anæretæ est corpus Mercurij, & ambo Planetæ sunt inter horoscopum & imum cœli: Vel Anæreta est vltra angulum, velut in tertia figura si Luna esset Apheta, tunc Anæreta esset corpus Saturni, & Luna esset inter occidens & medium cœli, & Saturnus inter medium cœli & ascendens. In omnibus igitur his est vnus modus dirigendi: Et est vt fiat circuli positionis transeuntem per locum Aphetæ, deducendo Anæretam vsque ad illum, & numerando partes æquinoctialis, quæ in ista deductione transiuerunt circulum ipsum positionis, & numero illi adde septuagesimam secundam partem semper, cuius non meminit Ptolemæus, cum eam superiùs in primo libro nobis insinuauerit. Numerus igitur collectus graduum erit numerus annorum vitæ & pro minutis, quæ erunt vltra gradus dabis sex dies, & duas horas pro quolibet minuto. Quando igitur Apheta fuerit in circulo positionis horoscopi, tunc erit in horizonte in parte orientali: & fiet directio per gradus ascensionis tuæ regionis. Si verò Apheta fuerit in medio cœli: erit circulus positionis circulus meridiei, & fiet directio per ascensiones rectas. Si verò Apheta fuerit in occidente erit circulus positionis finitor in parte occidentis, fietque directio per ascensiones obliquas illius regionis, quæ sunt eædem ad vnguem: cum ascensionibus obliquis puncti oppositi. Si verò Apheta fuerit inter istos locos, seu angulos faciemus directiones per semicirculum positionis transeuntem per locum Aphetæ. Et si semicirculus positionis fuerit orientalis, faciemus per ascensiones ipsius circuli: si occidentalis, per descensiones, quæ sunt eædem ascensionibus puncti oppositi. Sed hic mentem apponere decet, quia si Anæreta fuerit inter eosdem angulos, inter quos est Apheta, vt in natiuitate primogeniti mei, quando Saturnus & Mars deducuntur ad Lunam, tunc tota directio fiet secundum descensionem Aphetæ, id est, Lunæ: vel si Luna esset in parte orientali fieret iuxta ascensionem ipsius Aphetæ. Verùm quando Apheta est ante cœli medium & Anæreta post eundem angulum, qui sequitur Aphetam, vt in tertia genitura posita Luna Apheta (quæ vtinam esset) esset Saturnus Anæreta, tunc in hoc casu Ptolemæus dirigit medium cœli ad Aphetam, id est, Lunam per ascensiones ipsius Aphetæ, vtpote Lunæ. Deinde dirigit Anæretam ad angulum medium, vtpote cœli medium per ascensiones ipsius anguli, quæ



Communis intersectio.

sunt ascensiones rectæ, & has duas ascensiones iungit & numerus, qui consurgit addita septuagesima secunda parte (hoc enim semper intelligitur, & intelligi volo etiam si non addatur, non addam autem in posterum breuitatis causa) est numerus annorum, mensium & dierum vitæ illius. Si autem Aphæta sit ante ascendens, Anæreta post directio tota fit per ascensiones Aphetæ, quia non variatur ascensio in descensionem, vt in priore. Ideò huius exemplum non dedit Ptolemæus.

Pro quo notandum est, quod circulus qui transit per verticem nostrum & polos mundi vocatur meridianus, & hic secat æquinoctialem ad angulos rectos: Et hic est primus circulus positionis: Secundus est finitor cuius vertex est quasi polus, & licet hic secet æquinoctialem in partes æquales, non tamen ad angulos rectos, nisi sit finitor in Sphæra recta. Hic igitur finitor obliquus secat meridianum tantò inferius polo mundi, quantò vertex distat ab æquinoctiali. Cùm igitur polus mundi semper distet ab æquinoctiali nonaginta partibus, erit vt communis intersectio meridiani, & finitoris cum sit infrà polum mundi, vt dixi, multò plus distet ab æquinoctiali per partem superiorem, quam per partem inferiorem: adeò vt Mediolani vbi A, id est, vertex distat ab æquinoctiali partibus 44. & tertia communis intersectio meridiani & finitoris distet in parte superiore gradibus 134. & tertia, & ex inferiore partibus 45. & duabus tertiis tantùm. Et licet finitor non secet æquinoctialem ad angulos rectos, sed, vt dixi, inclinetur ad partem inferiorem, attamen qui secatur à meridiano ad angulos rectos finitor ipse, ideò isti duo circuli, scilicet finitor & meridianus diuidunt æquinoctialem in quatuor partes æquales: ita quod à meridie ad ascendens sunt semper nonaginta partes ex æquinoctiali: Et ita ab oriente ad imum cœli: Et ab imo cœli ad occidentem: Et a b

occidente ad medium cœli, semper sunt nonaginta partes, vt dix. æquales ex æquinoctiali. Inter hos igitur duos circulos, scilicet finitorem & meridianum, qui & ipsi positionis sunt, sed tamen propria habent nomina, omnes semicirculi ducti ab intersectione communi, ad intersectionem communem vocantur semicirculi positionis. Et si sunt inter orientem & meridiem sunt ascensionum: Et si inter meridiem & occidentem, descensionum: & qui supra terram diurni: & qui infra terram, nocturni. Et qui transeunt per triginta gradus distantes à finitore vel meridiano, appellantur semicirculi positionis domorum, & sunt octo. Qui igitur transit triginta partibus distans à medio cœli versus orientem, seu duabus horis, est semicirculus positionis vndecimæ domus. Qui verò ab oriente distat duabus horis, seu triginta gradibus versus meridiei circulum est semicirculus duodecimæ domus. Et ita qui distat ab ascendente versus imum cœli tantundem est semicirculus secundæ domus: & qui distat ab imo cœli versus orientem tantundem est semicirculus tertiæ domus: Et qui distat ab imo cœli secundum successionem signorum partibus triginta æquinoctialis seu horis duabus, semicirculus est quintæ domus atque ita de aliis.

Quomodo autem fiant directiones, si quis scire velit quatuor sunt modi: primus est per sphæram solidam, quem Ptolemæus insinuat, & hic est optimus, sed duas habet difficultates, primam habendi sphæram exactam, secundam conseruandi eam: si tamen habeatur inseruit omni loco & omni figuræ. Secundus est per Astrolabium hic est optimus, facta tabula conuenienti regioni tuæ. Sed non seruit omnibus regionibus nec tam exacte: ideo Ptolomæus non meminit eius. Tertius est per tabulas exactissimas Ioannis de Regio monte, qui ætate nostra laborem hunc illustrem & difficillimum suscepit. Sed si conficiendi difficultas operandi difficultatem leuasset: Aut operandi difficultas parem laboribus vtilitatem afferret: Certè omnino illis vti præstaret. Quartus est per tabulas in quibus primum præsupponit nos habere tabulam ascensionum rectarum & quantitatis dierum: hisceque contentus est. Hocque quia breues sint & facilè habeantur.

Licet etiam per has tabulas conficere Tabulam ascendentis & medij cœli hoc modo: Quære ascensionem rectam ascendentis propositi, & eiusdem arcum semidiurnum, quem per 15. multiplicabis, & quod producitur detrahe ab ascensione recta inuenta: Et ei quod relinquitur quære gradum & minutum correspondentem in tabula ascensionum rectarum, & is punctus erit in medio cœli, dum propositus punctus erit in ascendente. Exemplum, sit ascendens decimaquinta pars Sagittarij perfecta, eius recta ascensio est Part. 253. mi. 42. Arcus semidiurnus in regione nostra hor. 4. mi. 25. Duc per 15. fiunt Par. 60. mi. 375. quæ in partes deducta faciunt Par. 6. mi. 15. Productum igitur est Par. 66. mi. 15. hæc detracta à Par. 253. mi. 42. relinquunt Par. 187. min. 27. Quibus respondet Par. 8. mi. 6. Libræ in tabula ascensionum rectarum. Dum igitur ascendunt partes 15. Sagittarij perfectæ, in cœli medio sunt partes 8. mi. 6. Libræ. Ex hoc igitur poteris facere tabulam in quacunque regione in cuiuscunque gradus cœli medij ascendens correspondens cognoscatur, & versa vice.

TEXTVS XLII.

Vna tandem nobis erit institutio, cuius opera, siue orientalem, siue meridianum, siue occidentalem, siue quemcunque alium situm habet locus præcedens, id quod respondet temporibus prætergredientibus loci sequentis deprehendetur. Cùm enim acceperimus culminantem signiferi partem: Et amplius præcedentem & insequentem: Primùm contemplabimur præcedentis situm quot horis temporalibus distet è meridiano, numerantes, quæ inter illum & cœli medium intersint, siue supra terram, siue subtus in recta sphæra ascensiones: Et diuidentes in multitudinem horariorum temporum ipsius partis præcedentis, siquidem supra terram fuerit diurnorum, sin minus nocturnorum. Et quoniam quæ eiusdem temporalibus horis distant à meridiano signiferi partes, sub eodemque continentur prædictorum semicirculorum, spectare oportebit post quot æquinoctialia tempora sequens locus partibus horis distabit à meridiano eodem, quas postquam collegerimus, videbimus quot secundum eum, qui prioris partis erat situm, æquinoctialibus temporalibus abest pars sequens à medio cœlo, per ascensiones iterũ in recta sphæra collectas. Et quotquot æquales horas reddit locus præcedens, multiplicantes in multitudinẽ horariorum temporum partis sequentis, si quidem ad cœli medium comparatio fiat diurnorum, si verò ad cœli imum nocturnorum, cum exorta ex superatione vtriusque distantiæ tempora acceperimus, quæsitorum annorum multitudo innotescet.

Ascendentis par. 17. mi. 22. diuide par. 53. mi. 13. per par. 17. mi. 23. exeunt horæ 3. mi. 5. distantiæ loci Lunæ à cœli medio, sed de hoc actum est supra, & inferius etiam dicemus. Et hic modus est etiam aptus ad fabricandas domos more antiquo, cum vndecima & tertia differant, à cœli medio horis duabus duodecima, & secunda quatuor intelligendo per cœli medium etiam imum.

TEXTVS XLIII.

Exemplum.

Vt euidentius fiat quod diximus, ponatur præcedens locus initium Arietis: Verbi gratia, sequens Geminorum principium, regio verò vbi maximus dies est horarũ quatuordecim. Horaria igitur magnitudo initij Geminorum est temporum æquinoctialium septendecim & 8. scrupulorum proximè & oriatur primum initium Arietis, ita vt M. C. occupet initium Capricorni, & dissideat à cœli fastigio Geminorum principium 148. 47. Cùm igitur Arietis initium distet à meridiano horis temporalibus senis, has ducentes in 17. 8. quæ sunt tempora horariæ magnitudinis principij Geminorum, quandoquidem à cœli culmine est temporum 148. distantia habebimus & huius distantiæ tempora 102. 48. post superationis huius tempora 46. locus sequens in præcedẽte fertur. Tot verò sunt etiam ascensionis tempora proximè Arietis & Tauri, posteaquam locus Apheticus in horoscopo ponitur. Ponatur similiter M. C. occupare initium Arietis, vt absit secundùm primam positionem principium Geminorum à cœli culmine temporibus æquinoctialibus 58. Quoniam igitur ex secunda positione oportet cœli medium occupare locum Apheticum, habebimus prioris distantiæ excessum illum ipsum, nimirum 58. temporum, quibus rursus eo quod in medio cœlo sit locus Apheticus, meridianum prætergreditur Aries & Taurus. Rursus occidat ad eundem modum principium Aries, vt medium cœlum occupet initium Cancri. Distet verò à cœli culmine initiũ Geminorũ præcedentia versus temporibus æquinoctialibus 32. 16. Quoniam igitur sex iterum horis temporalibus abest à meridiano Arietis initiũ versus occasum, si septies decies eas sumpserimus, habebimus 102. 48. tempora, quibus aberit à meridiano Geminorum exordium quando occidit. Aberrat verò & iuxta primum situm versus eandem partem temporibus 32. 17. In temporibus igitur supra terram 70. 32. in occasum fertur. In quibus etiam descendunt Aries & Taurus. Oriuntur verò his opposita signa Libra & Scorpius. Ponatur igitur in nullo angulorum initium Arietis. Distet verò, verbi gratia, versus præcedentia à meridie horis temporalibus tribus, vt medium cœlum teneat Tauri pars decimaoctaua. Distat verò iuxta primum situm principium Geminorum à cœli fastigio versus sequentia temporibus æquinoctiabilibus. tredecim. Si igitur rursus 17. 8. tempora in tres horas multiplicauerimus, distabit etiam iuxta secundum situm Geminorum principium à linea medij cœli versus antecedentia temporibus 51. 24. Omnia verò tempora constituentur 64. 24. Absoluerat autem per suam motionem, cum oriretur locus Apheticus tempora 46 cum cœli meditullium occuparet tempora 58. in occasu 70. 32. Differt igitur iuxta situm intra medium cœlum & occasum, collectus temporum numerus ab vtroque aliorum. Fit enim temporum 64. Differt autem pro ratione excessus trium horarum, quandoquidem in integris secundum angulos acceptis quadrantibus duodecim temporum, erit ab abscessu verò trium horarum sex temporum: Postquàm verò eadem ferè ratio in omnibus seruatur, fieri potest, vt ad eundem modum simpliciori via ingrediamur. Rursus enim cum in ortu est pars anterior, ascensionibus vtemur inter eam & sequentem interceptis, cùm in cœli medio est iisdem recta Sphæra desumptis, cum in occasu descensionibus. Quando verò mediis horum interstitiis, vt exempli gratia, in prædicta distantia Arietis primum accipiemus tempora, quæ sese offerunt vtriusque anguli proximi. Inueniemus autem cum post medij cœli lineam supra terram posuerimus initium Arietis, inter culminantem & occidentem angulum, intercidentia tempora 64. proximè vsque ad initium Geminorum, Culminationum verò 58. obituum 70. Deinde discamus (vt prædictum est) quot horis temporalibus distet anterior locus ab alterutro angulorum Quotacunque enim hæc pars fuerit horarum temporalium quadratis sex totã partẽ superationis, vtriusque per angulos delationis auferemus, adiiciemusúe angulo vnde comparationem accepimus. Vt quoniam prædictorum terminorum excessus est temporũ duo-

decim ponebatur verò ab esse anterior locus, ab vtroque angulorum horis æqualibus temporalibus tribus, quæ semissem reddunt, sex accipientes verò & 12. temporum semissem, & adiicientes ad 58. aut a 70. auferentes inueuiemus superationem 64. temporum. Si verò duabus temporalibus horis abesset ab alterutro angulorum, quæ trientem constituunt sex horarum. Trientẽ quoque superationis temporum 12. nimirum 4. siquidem duarum horarum distantia à medio cœlo ponebantur, adiecerimus sanè temporibus 58. Si verò ab occasu sub duxerimus à 70. sic igitur nobis temporum interiectorum magnitudo conuenienter rationi inuestiganda est.

Exempla de hoc attulit Ptolemæus in littera sex duo simplicia, cum excursor fuerit in oriente & occidente, & vnum in medio cœli, quod deseruit, imo alterum cum fuerit inter decimum & septimum, & promissor, inter decimum & horoscopum. Et deseruit cum excursor fuerit inter ascendens, & imum cœli, & promissor, inter imum cœli & occidens. Superest igitur vt ponam reliqua quatuor omissa à Ptolemæo & comprehenduntur sub duobus vno, cum excursor fuerit inter ascendens & cœli medium, & deseruit ei, quando fuerit inter occidens & imum cœli aliud, cùm excursor fuerit inter coeli medium, & occasum, & ibidem etiam promissor, & deseruit ascendenti, & imo cœli. Ptolemæus ergo distantiam horarum temporalium præsupponit cognitam, quæ in medio coeli non est necessaria in ascendente & occasu semper est sex horarum, sed in aliis locis superiùs modum te docui.

Concludendo igitur vel tu vis partem distributionis additionum, vel detractionum & eam habes diuisa distantia arcus semidiurni loci, per distaniam loci rectam à coeli medio. Vel tu vis diuisionem domorum antiquo more vel nouo, & hoc etiam docuimus supra, Vel vis dirigere. Et hoc etiam ostensum est supra per inuentionem horarum temporalium quibus locus præcedens distat à coeli medio: quia ergo diuiso arcu semidiurno, præcursoris, seu Aphetæ per distantiam rectam illius à coeli medio, exeunt horæ temporales, quæ ductæ in horaria tempora promissoris, producunt illud quod est detrahendum, aut à quo est detrahendum, aut iungendum, vt habeamus distantiam rectam a cœli medio per tempora promissoris, & quod fit, diuiseris per horaria tempora præcursoris, idem prodibit, quod ductis horariis temporibus ipsius promissoris in horas temporales significatoris ponatur distantia, significatoris à cœli medio a b numerus horarum temporalium distantia significatoris à coeli medio e horaria tempora, significatoris d horaria tempora promissoris e, productum ex b in d, quia ergo b in d fit e, ex a in d fit f, erit a ad b, vt f ad e, sed a cõtinet b in e, vt demonstrabo, igitur f continet e in c, ergo diuiso producti arcus a in horaria tempora, promissoris per e horaria

a	*Distantia signif. à cœli med.*	g	*Arcus semidiurn. signif.*
b	*Numerus horarum temporal. distant. signif. à eœli med.*	d	*Horaria tempor. promiss.*
		e	*Productum ex* b *in* d.
c	*Horaria tempora signif.*	f	*Productum ex* a *in* d.

tempora significatoris prodibit, quantum ductis horis temporalibus significatoris in horaria tempora promissoris quod erat probandum. Ostendo modo quod ex b in c producatur a, nam sit g arcus semidiurnus, significatoris eritque proportio g ad a, velut sex horarum ad b, aliter b non esset numerus horarũ temporaliũ puncti dati: igitur permutando g ad sex horas, vt a ad b, sed proportio g ad sex horas est c, quia arcus semidiurnus ex sexcuplum horariorum temporum, eiusdem puncti ergo proportio a ad b est c, ergo est diffinitione proportionis ex b in e, fit a quod erat demonstrandum.

Reducitur ergo res ad priorem regulam vt ducamus distantiam significatoris à coeli medio per horaria tempora promissoris, & quod producitur diuidamus per horaria tempora significatoris, & prouentum detrahemus ex differentia ascensionis rectæ promissoris à cœli medio, si significator & promissor fuerint in parte orientali: aut detrahemus distantiam promissoris à coeli medio, à producto, si ambo fuerint in parte occidentali, & promissor in orientali. Quidam autem conati sunt tradere hunc modum, & non intelligunt ipsum cum dicant Monteregium, & Ptolemæum diuidere domos per circulos ductos, per polos Mundi, cùm illos diuidant per circulos, qui transeunt per communem interfectionem horizontis & Meridiani, atque vtinam non ita intellexerint doctrinam Copernici. Ideò nescio quantum fidei possimus tribuere illis Ephemeridibus. Iuxta hoc igitur posui pro octaua genesi triplicem directionem Lunæ ad loca quibus obuiat, scilicet ad oppositum. Solis in 10. 37. ♈, ad sextilem, Saturni in 21. 18. ♈ ad oppositum ♀ & ☿ in 23 5. ♈ ad corpus Iouis 3. 26. ♉, ad corpus Martis in 11. 19. ♊ ad Saturni corpus in 21. 28. ♊. Post quod fertur per inane etiam si vita perduraret.

Horum igitur causa licet non possimus primum modum absque tabulis positionum) sed illæ breues sunt, quia ad vnam eleuationem poli regionis satisfacere possent) & absque tabulis generaliter ascensionum rectarum ab initio, vsque ad poli tui eleuationem negocium peragi possit duas has Tabellas tanquam necessarias valde in vnoquoque

triuum

tium modorum adieci tum maximè, quod per breues ſint. Et ſecunda ſpecialis eſt Mediolani, & Bononiæ ſatisfaciens. Conſuluerim autem vt poſtquam exactiſſima eſt ratio tabularum, vt deducta ex tabulis primi Mobilis ratione cõficias ad tuam poli eleuationem exactas ad minuta, & ſecunda tabulam de-

Directiones Lunæ octauæ geneſis.	*Primi modi*	*Secundi modi*	*Tertij modi.*
	G. M	G. M.	G. M.
Ad ✱ *oppoſ.*	19. 20	31. 42	19. 53
Ad ♄ *Sext.*	24. 44	39. 42	27. 27
Ad ♀ *oppoſ.*	25. 47	40. 52	28. 31
Ad ♃	33. 6	48. 46	35. 20
Ad ♂	64. 32	81. 50	67. 41
Ad ☽	74. 37	92. 17	77. 48

clinationum, generalem tabulam poſitionum ſub tua altitudine per gradus & minuta, diligenter habita tabula aſcenſionum rectarum & obliquarum, ab vno gradu ad gradum, ac partem eleuationis poli tui ſupra horizontem: Et Tabulam eadem diligentia confectam horariorum temporum per gradus minuta, & ſecunda non per horas & minuta: Demum aſcendens ſimiliter ad vnguem inuentum. Hi enim quinque poteris exactiſſima iudicia facere ac antiquis, quæ prædicantur paria. Huic ſuccedit ratio inſtrumenti magni diuiſi in 3600. partes, vt exacta etiam notitia haberi poſſit. Cùm hoc enim & geneſis horoſcopo diligenter habito fermè idem conſequeris, ſed maxima eſt difficultas in conficiendo exactum, cum minima differentia ſenſilem errorem pariat: poſt eſt inſtrumentum armillis ſimile, quod valde vtile eſt, magnum & exacte elaboratum. Verùm obnoxium errori ſi vel minimum flectatur ob concuſſionem. Sphæra autem ſolida in hoc negocio inutilis eſt, tum ob pondus, quo neceſſe eſt circulos eſſe latos, & flectitur, & neque poſſumus operari quicquam ad amuſſim, ſed ſibi faceſſit negocium, eſt tamen vtilis ad ſtellas, quæ magnam habent latitudinem & in inſpiciendo, quæ non animaduerti in pleno neque ex tabulis poſſunt: demum vbi latè calculo aberres, vt quandoque contingit, tunc experientia te Sphæræ contemplatio admonet tabulæ etiam quæ circumferuntur, vt videbis cum omnia contingant ex congreſſu errores vnius partis, aut dimidiæ admittunt, ex quibus totum peruertitur negocium.

Exemplum autem ſecundum ſit veluti ſi vellem dirigere Martem, aut eius oppoſitus in octaua geneſi. Et in parte occidentali ſeu deſcendente paret, quod oportet accipere horaria tempora occidentis, aut nocturna orientis, & redit ad idem in ſecundo, & tertio modo, ſimiliter in primo, ſed pro eleuatione poli circuli poſitionis in eiuſmodi quadrantibus Monteregius te docet, abundè, ideò cum operatio poſtmodum ſit eadem fermè, niſi quod oportet accipere vt facilius, & ſine confuſione peragatur negocium circulum poſitionis pro horizonte, & ſub eadem altitudine ſumere differentiam aſcenſionum ſignificatoris & promiſſoris, ſicut etiam facit Monteregius, & res redit ad idem cum modo Ptolemæi. Sed eſt ſecurior à lapſu in errorem. Contingunt enim quandoque in huiuſmodi errores & maximi.

Tabula aſcenſionum.

	♎		♏		♐		♑		♒		♓	
	♈		♉		♊		♋		♌		♍	
G.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
1	0	55	28	50	58	50	91	6	123	15	153	4
2	1	50	29	48	59	53	92	11	124	17	154	1
3	2	45	30	46	60	56	93	17	125	19	154	58
4	3	40	31	44	61	59	94	22	126	21	155	55
5	4	35	32	42	63	2	95	28	127	23	156	52
6	5	30	33	40	64	5	96	33	128	24	157	48
7	6	25	34	38	65	9	97	38	129	26	158	45
8	7	20	35	36	66	13	98	43	130	27	159	41
9	8	16	36	35	68	17	99	48	131	29	160	37
10	9	11	37	34	68	21	100	53	132	29	161	33
11	10	6	38	33	69	25	101	58	133	29	162	29
12	11	1	39	32	70	29	103	3	134	30	163	25
13	11	57	40	31	71	33	104	8	135	30	164	21
14	12	52	41	30	72	37	105	13	136	30	165	17
15	13	47	42	30	73	42	106	18	137	30	166	12
16	14	43	43	30	74	47	107	22	138	29	167	8
17	15	49	44	30	75	52	108	27	139	29	168	3
18	16	35	45	30	76	57	109	31	140	28	168	59
19	17	31	46	31	78	2	110	35	141	27	169	54
20	18	27	47	31	79	7	111	39	142	26	170	49
21	19	23	48	32	80	12	112	43	143	25	171	44
22	20	19	49	33	81	17	113	47	144	24	172	40
23	21	15	50	34	82	22	114	51	145	22	173	25
24	22	12	51	36	83	27	115	55	146	20	174	20
25	23	9	52	37	84	33	116	58	147	18	175	25
26	24	5	53	39	85	38	118	1	148	16	176	20
27	25	2	54	41	86	43	119	4	149	14	177	15
28	25	59	55	43	87	49	120	7	150	12	178	10
29	26	56	56	45	88	54	121	10	151	10	179	5
30	27	53	57	47	90	0	122	13	152	7	180	0

Modus autem conficiendi hanc tabulam eſt, vt ſub eleuatione poli tui queras arcum diurnum dati puncti, vt Monteregius docet, & eſt aſcenſio obliqua inter punctum datum & ſuum oppoſitum, ſicut nocturnus eſt obliqua aſcenſio, inter punctum oppoſitum & punctum datum, & dimidium eius eſt arcus ſemidiurnus, aut ſeminocturnus, & duodecima pars horaria tempora diurna aut nocturna loci. Velut volo horaria tempora initij Arietis in altitudine poli 31. part. video quòd differentia aſcenſionum inter initium Arietis & Libræ, ſub altitudine poli 31. partium eſt par. 180. igitur arcus ſemidiurnus eſt, part. 90. & horaria tempora par. 15. min.0. Item volo horaria tempora 12. par. Piſcium, ſub altitudine partium 44. minut. 20. Inuenio aſcenſionem obliquam

quam 12. par. Piſcium, par.350. min.18.& 12. par.Virgine, par.156.mi.32. igitur arcus

Tabula horariorum temporum.

	poli	44	20	Ele.	
	G.	G.	M.	G.	
♎	♈	15	0	30	
	3	15	12	27	
	6	15	24	24	
	9	15	36	21	
	12	15	47	18	
	15	15	58	15	
	18	16	9	12	
	21	16	21	9	
	24	16	32	6	
	27	16	43	3	
♍	♉	16	54	♍	♓
	3	17	5	27	
	6	17	15	24	
	9	17	25	21	
	12	17	35	18	
	15	17	45	15	
	18	17	55	12	
	21	18	5	9	
	24	18	14	6	
	27	18	22	3	
♐	♊	18	30	♌	♒
	3	18	38	27	
	6	18	44	24	
	9	18	50	21	
	12	18	55	18	
	15	19	0	15	
	18	19	4	12	
	21	19	8	9	
	24	19	10	6	
	27	19	10	3	
	30	19	11	♋	♑

diurnus eſt, par.166. min. 14. & horarium tempus duodecima pars eius par.13.mi.51.

TEXTVS XLIV.

Diſcernemus verò deinceps in vnaquaque prædictarum occurſationum aut obituum iuxta ordinem ab iis, qui temporis breuiſſimi ſunt, acceptum & interemptrices,& ſcalares, quæque alias per traiectiones eueniunt, prout inficitur occurſus aut iuuatur, ad eum quem diximus modum, & pro ſingulorum occurſuum temporali exitu. Afflictis enim ſimul & locis, & in exitu annorum reuolutione ſtellarum inficiente, præcipua loca, mortem certam expectare oportet. At ſi alterutrum horum humanæ naturæ laboranti ſuccurrat, aſſultus magnos & graues, vtroque verò iuuante, languores tantum aut damna & deportationes temporales, horum peculiari ratione accepta ab occurſantium locorum ad genituræ negotia, neceſſitudine.

Docet duo, primum de interficientibus, ſecundum de climatericis, id eſt, qui inæqualiter, ac quaſi repentè afficiunt vitam: quia quandoque iuuantur per traiectiones aut læduntur, ſeu per occurſus, quemadmodum ſuperius dictum eſt. Nam tales finientibus etiam annis per reuolutionem ſtellarum in progreſſione, vt in quarto libro habebitur: Si ab vtroque lædantur, mors certa eſt. Si verò vnum iuuet, alterum lædat, (Hoc autem prætermittit) dubium eſt de vita. Sed ideò prætermiſit, quia eſt ac ſi nihil iuuaret, aut læderet. Si verò vnum iuuet reliquum non iuuet, neque lædat, erunt magni inſultus & graues: non dico pericula tantum, ſed cum periculis læſiones. Si verò vtrumque iuuet, pro morte erunt morbi, pro paupertate iacturæ pecuniarum, pro ſupplicio exilia, pro iactura exiſtimationis peregrinationes, iuxta peculiarem rationem locorum occurrentium ipſi ſignificatori. Hæc autem ſunt adiecta ob tres cauſas: prima, vt doceret promiſſores ſemper aliquid præſtare non ſemper omnia, quæ pollicentur, quando, & quomodo & cur. Secunda, vt oſtenderet artem eſſe infinitam, & quæ iudicio, & coniectura ac exiſtimatione ſolum perfici poſſet. Tertia, vt declararet hoc caput non ſolum inſeruire vitæ, cui nuncupatum eſt, ſed etiam omnibus cauſis, ſcilicet dignitati, diuitiis, itineribus, atque aliis omnibus quæſitis. Exemplum habes locuplex in noſtra genitura, quo potes multum te adiuuare: anno trigeſimoſexto ætatis, Saturnus peruenit ad aſcendens, & erat in proprio trigono, & finibus, & inimicus aſcendenti, ideò debuit omnino interficere: Verùm quia radij Veneris & Mercurij cadebant, poſt ilum gradu vno cum dimidio, & Venus erat amica aſcendenti, cartentum habens in illo, & Mercurius in natura Veneris dominus trigoni loci in quo eſt & loci Saturni,& aſcendens robuſtum propter Iouis præſentiam, & quaſi geminatum Apheta, cum radiis Lunæ ſextilibus, & ipſa domina aſcendentis & in proprio trigono, non interfecit, ſed dedit fluxum vrinæ non inuoluntarium, ſed potius multitudinem tantum, à qua perfectè nunquam potui liberari. Et ne credas me nugari, quandoque perſeuerat per aliquot dies ad multitudinem vnciarum fermè centum, nec tamen læſus, nec factus macilentus ob hoc: Et manifeſtum eſt quod ſit à frigiditate. Et medicus abſurdus Aſtrologiæ imperitus, ſolùm videns primam indicationem, curando me cum frigidis, vt quidam conſulebant, interfeciſſet. Et cauſa

quare

quare tot Planetæ auxiliatores non potuerunt liberare, est quia Luna est debilis in duodecima, Iuppiter retrogradus, peregrinus, dominus octaui loci & ascendens secundum longitudinem, Venus & Mercurius debilissimi in sexto loco, & vespertini de nocte & quasi sub radiis, & Mercurius præter id retrogradus. Et hoc exemplum, si bene animaduertis, docet te infinita. Et ego vtor exemplis in mea genitura & filiorum tantum, cum plurimæ aliæ sint illustrissimæ, quia vbi de directionibus agendum est, exquisitissima temporis notitia opus est, ne artificis error in aliis arti tribueretur.

Notandum quod ex hoc textu Ptolemæus insinuat ipsummet punctum concursus radij Anæretæ, vel corporis eius cum Apheta esse obseruandum, & in eo fieri effectum. Quia dicit quod si processus, aut ingressus, non conueniat non interficit: Ergo non expectat congressum in operando, sed statim operatur. Attamen dico quod post etiam & ante operatur cum processus conuenerit, & quandoque interficit, cum in ipsa hora congressus non interfecerit. Vnde duo magni morbi sibi inuicem succedentes paruo interuallo indicant mortem in secundo: quia indicant, vel quod concursus præterijt, sed à processu impeditus prius post adiutus & ita interficit, vel adiutus congressus in primo morbo, sed non perfectus, in secundo perfectus interficit. Et ita punctus ipse aliquid semper operatur: non negat Ptolemæus propter hoc quod in sequentibus verbis, & in vltimo capite operis dicit, concursum quamuis imperfectum, adiutum processu, perficere opus.

Afflictis enim simul locis) Insinuat nobis Ptolemæus quod Aphetæ non prorsus exiccent suam vim, sed sunt aliquando adeò potentes vt nesciat quis sit præferendus, velut si in nocturna genesi, Sol sit in ascendente Luna in septimo vel vndecimo, vel nono loco, in signo masculino, & si in diurna Sol fuerit in fine, vndecimæ aut septima, etiam Luna in apice decimæ in Cancro, tunc dubitamus quemnam debeamus constituere Aphetam. Et intelligit quod quandoque ambos considerare oporteat. Et quandoque natus cum habuerit Aphetam principalem debilem afflicto grauiter ascendente moritur. Et ego non obij ex transitu Martis, aut Saturni super ascendens, quia Luna verè in via Ptolemæi est, Aphet aut ostendam suo loco. Vnde dissoluitur dubitatio non leuis, quia aliquis posset dicere: sequeretur ex hoc dogmate quod natiuitas facta robustior significaret mortem ob id. Exemplum sit alicui Sol in nono loco, & post cùm radij Martis ex Scorpione, & Saturni ex Aquario per sex partes, ascendens autem si liberum ab his, tunc natus morietur in pueritia, & si Sol decidat, in octauum viuet vsque ad senectam, quia erit ascendens Apheta & liberum. Et hoc videtur absurdum, quoniam afflicto Sole nihilominus remanet ascendens liberum. Quòd si per se poterat tueri vitam illius, tantò magis etiam cũ alio. Ideò respondeo quod si Soli dum decidit in octauum aduersentur maleficè, adeò morietur aut obcæcabitur, licet ascendens non affligatur, quia est luminare temporis. Et similiter cadit dubitatio cùm maleficæ fuerint, cum Sole in vndecimo loco, & Luna in ascendente, & in loco vbi dominatur: Velut Ludouico Ferrario alumno nostro Sol fuit, in vndecimo loco, cum Saturno & Marte in Aquario, quasi iunctus & Luna in ascendente in Tauro. Et ideò poterat sciri, quod habitus esset vitam miseram & grauibus morbis conflictatam: & ita fuit, & mortuus est 43. anno, cùm semper fermè fuerit variis casibus conflictatam, & perpetuo morbo teneretur.

TEXTVS XLV.

Nihi, verò prohibet interdum dissidentibus iis penes quos interimendi ius esse oportet occursus singulos æstimantes, aut iis maximé vti, qui ad exitum euentuum & ad ea, quæ post consequutura sunt, comparati esse videntur aut omnium pro virium magnitudine valentium. obseruationem instituere, eorum vehementiam & imbecillitatem iisdem rationibus coniectantes.

Causam subiectarum nostrarum geniturarum diximus esse exactam notitiam illorum: nec consensus illarum inter se tum paternæ, tum etiam auitæ parum facit. Itaque & illud adiecimus, peculiarem necessitudinem locorum obuiantium ad genituræ loca esse obseruandam. Veluti si qui iuuat, aut necet parti fortunæ imperet, erit id ob diuitias: Quòd si itinerum loco erit, detrimentum in itinere si noceat: Si autem iuuet, ex transmutatione aëris vel itinere ad balneas Rursus si ascenti dominetur, iuuetque, ipse industria & animi fortitudine euadet: si noceat, despondebit animum, voletque quoquomodo mori. Quod etsi per se rarum sit, frequenter tamen contingit ob alias causas: Velut desperationem, iram, timorem, luctum. Adiiciunt alij quod Iuppiter auxilia significat per medicos in morbis, & in violentis à magistratibus. Venus verò in violentis ab amicis gratia, largitionibus: In morbis autem diuinam quandam & certè incognitam sanationis rationem pollicetur: Velut per somnia, præcantationes, fortuitosque quosdam casus. Cui etiam opinioni Ptolemæus consentit.

Cæterùm quod ad textum præsentem attinet, si duo vel tres Anæretæ simul obuient, morietur certè. Sed vnde mors duo dicit obseruanda Ptolemæus, & tertium insinuat, Primum est, vt à robustiore sumas indicationem, veluti radij oppositi corpore sunt potentiores: corpus radiis quadratis: sinistri radij quadrati potentiores dextris: quoniam in sinistris Planeta imitatur eum, qui se toto corpore inijcit in ictum, in dextris qui se

se trahit. Similiter stantes & in angulis robustiores sunt motis & cadentibus: & directi retrogradus, & aucti motu tardè se mouentibus, & dignitatem habentes in loco vbi manent,& vbi radios proiiciunt,quàm si in altero locorũ vel ambobus sint peregrini: & ascendentes, & absidem magis quàm descendentes: & commixti aliis Planetis, vel fixis, quàm solitarij: & propè eclypticam quàm remoti: & Boreales quàm australes: & orientales occidentalibus: & supra terram iis, qui infrà terram: & diurni de die nocturnique, de nocte quàm contrario modo: & in masculinis signis quàm fœminis: & iuxta quatuor pũcta cardinalia maximè Vernum & Aestiuum, quàm in aliis locis, & in fixis signis, quàm mobilibus vel communibus: & generaliter Saturnus validior est interfector, quàm Mars, & in morbis maximè. Secundum est quod debemus præponere eum, qui consentit cum aliis, veluti si Saturnus & Mars sint Anæretæ, Saturnus significat mortem per morbum,Mars violentam, Sol verò significat publicam: Vel Mercurius latronem & furem, vel Iuppiter iudicium & damnationem à iustis viris, tunc dicemus quod morietur morte violenta, & non ex morbo, Et si incidant in eadem tempora Saturnus significabit morbum succedentem cruciatibus tormentorum,& tristitiæ ac mœrori animi, & squalori ac pedori carceris. Tertium quod insinuat Ptolemæus est, quod si aliqua calamitas publica accedat vtpote strages in prælio, naufragium, pestis, morietur ex illa Anæretæ afflictione, quæ illi magis calamitati congrua fuerit.

CAPVT XV.

TEXTVS XLVI.

De forma & temperatura corporis.

ENarrata à nobis de vitæ spatio pertractatione, dicamus secuti præscriptam ab initio seriem, de forma & corporis de lineatione. Quandoquidem quæ corporis sunt natura ante animam finguntur, corpus cum sit densius, cognatas ferè habet peculiarum suarum commistionum apparitiones. Anima non nisi post & paulatim infusas sibi à prima origine dotes in lucem profert. Quæ verò extra nos sunt, succedenti magis deinceps tempore aduentant. Obseruare igitur vniuersum oportet orientalem finitoris partem & succedentes aut gubernãdæ eius ius possidentes errores, sicut diximus. Partim verò & Lunam similiter. Nam ex horum locorum iisque imperantium informandi natiua vi & horum temperatura, amplius ex coascendentium ipsius fixarum stellarum deliniatione, ea quæ ad corpus fingendum spectant colliguntur, ita tamen vt primas tribuamus stellis penes quas dominandi ius est, secundas ipsorum locorum peculiari naturæ. Primum igitur si quis illud singulari & simplici via prosequatur, hunc habebit modum.

Dicit tria sunt de quibus sermo habendus est: corporis effigies, animi qualitatem & fortunæ casus. Corporis effigies statim apparet, vt homo natus est, animi qualitates aliquanto pòst, tardius fortunæ casus. Igitur primùm de corporis effigie tractandum est. Hæc igitur sumitur ab octo rebus per ordinem. Prima est dominus ascendentis. Et secunda dominus loci Lunæ. Tertia locus ascendens ab horizonte vsque in finem domus: Veluti si ascendat in prima genitura vigesimanona pars Leonis, capiemus Solem pro parte minore, sed Mercurium pro maiore, quia plus est de signo Virginis longè quàm Leonis. Quarta est locus Lunæ. Quinta stellæ coascendentes domino ascendentis. Sexta stellæ coascendentes domino loci Luna. Septima stellæ coascendentes ascendenti. Octaua stellæ coascendentes domino loco Lunæ. Ista igitur sic se habent per ordinem, ita tamen vt multum faciat linea finitoris, sicut & in dominis coascendentes per centrum stellæ: quia remotio per vnum gradum non dat dimidium effectus: Et per duos gradus quartem. partem. Volo dicere quod si aliquis Planeta sit in linea finitoris & alius sit prope vnum gradum domino ascendentis, quamuis dominus ascendentis sit in primo ordine, & ascendens in tertio, tamen plus poterit stella, quæ est in finitore, illa quæ est cum domino eius. Neque esset inconueniens quod ascendens præferetur domino loci Lunæ: quia textus Græcus habet τῶ μέρους ὃ καὶ πλῶ)) ὡσαυτῶς non κατὰ μέρους, Et mihi placet hæc opinio. Vtcunque sit,si vni Planetæ plura ex his contingant plura etiam posse consentaneum est,velut in octaua genitura Venus, Luna, & Iuppiter multiplices habent potestates singuli. Iuppiter est in finitore & est dominus loci Lunæ: Venus domina loci Lunæ ascendentis solium habent in vtroque: Luna per se significat, dominaque est ascendentis & ipsum sextili aspectu respicit. Planetæ autem qui commiscetur illis sunt Veneri quidem Mercurius propter coniunctionem, & Saturni radij trigoni. Lunæ verò Mars propter quadratum & caput Persei.Nam coascendere re dicuntur quotiescunque fuerint in eodem semicirculo positionis superius declarato Hoc autem si velit inuenire per planisphærium licebit melius etiam per sphæram solidam. Non verò quin per tabulas Ioannis Monteregij id peragas: Et sunt exactiores instrumentis,

strumentis, nisi instrumenta sint magna valde, tamen vsus tabularum est tædiosus, laboriosus, & periculosus de errore: Et maximè quia Monteregius malè fecit in hoc quod non apposuit rationem operationum, quàm videmus in tabulis Alphonsi: adeò, vt nisi sit peritissimus Mathematicus, oportet vt perpetuò inhæreat regulæ & tabulæ Monteregij, quod ipse studiosè fecit, vt homines essent serui libri eius: Vnde iustè à patre meo reprehendebatur. Nam homo fit obnoxius errori trifariam: Primum si tabula aliqua in parte mendosa sit: Secundum si sinistrè aliquo modo regulam intelligas, quod facilè euenit inter tot varietates latitudinis Borealis, Australis, ascensionis rectè, obliquæ, arcus nocturni vel diurni, totius vel medietatis in medietate, descendente, vel ascendente super terram, vel infra terram: ob id meo iudicio optima est sphæra solida magnam, vel planisphærium magnum & adamussim ex ære factum. Nos tamen aliquando si licebit (Est autem breuis res vtpote duorum filiorum) rationem harum tabularum explicabimus. Nunc autem sufficiat monuisse lectorem, qui his cum ratione vti voluerit, vt quemadmodum fabricatæ sint intelligat. Intelliget autem alioquin iam exercitatus tamen, si tabularum eiusdem Monteregij de primo mobili regulas, seu propositiones diligenter fuerit assequutus. Cæterùm vt ad rem reuertar, in præsenti negotio postquam res per circulos positionis agitur & corpulenta est, corpusque Planetæ aut stellæ non virtus sola requiritur, non minor vtique habenda est latitudinis ratio, quàm longitudinis, quòd peculiare fermè est huic negotio de forma corporis habenda atque proprium.

Verùm dubitabit aliquis, nonne consideranda erunt in hoc regio, & ciuitas, & victus ratio, atque parentum forma: nam videmus plerunque filios esse parentibus similes qualis est filia mihi: alios auis vt natu maior meus ad vnguem similis patri meo? Respondeo quod de patria & ciuitate, & modo viuendi Ptolemæus superius in primo libro satisfecit, quia cum hic dicet quod Saturnus facit nigrum si sit occidentalis, intelligemus de Germano quod non erit niger, sed obscurior aliis. Et Iupiter orientalis facit Æthiopas splendidiore & nitidiore carne, non albos. Et ita omnia quæ subiungentur intelligi debent, & referri ad homines, qui eisdem muris circumambiuntur. Porrò quod ad parentes attinet & auos, & patruos, & fratres, quoniam iam genituras consentire necesse demonstratum est. Illud verò in quo consentiunt etiam in ipsa genitura comprehenditur, si vniuersam illam explicauerimus. Explicabimus & partem qua natus suis maioribus, aut fratribus assimilatur. Adeò vt illa similitudo tanquam pars in toto contineatur. Quòd siquis parentes agnoscat priusquam iudicium fecerit, nihil plus habebit, quàm vt quod intellectu concepit melius exprimendo ac sensui propiùs veriora dicere videatur, ac non nati formam descripsisse quod Astrologi proprium est, sed depinxisse potius quod Physionomi officium est. Sed quod ad effigiem attinet, quæ ex laboribus mutatur, vt in rusticis, vel ex arte, vt in ferrariis fabris, vel ex vitæ miseria, vt in pauperibus, vel ex morbo, vel ex casibus, non est hic sermo: quanquam de casibus sequenti capite dicturi sumus. Illud quoque non est prætermittendum omnino, vt quæ hic de parentibus, & de maioribus, tum de patria ac ciuitate, ac consuetudine obseruanda esse diximus, aut omittenda vt non necessaria, sed solum vtilitatis causa consideranda pro effigie corporis inquirenda, eadem ad vnguem etiam de qualitatibus animi dicta esse intelligantur.

Com. 17. & 18.

TEXTVS XLVII.

Nam inter stellas sanè Saturnus quum orientalis est, flauos commodeque habentes procreat, capillis nigris, crispo capite, oculis magnis & statura moderata: Temperatura verò humidiore & frigidiore. Occidentalis verò cum est, nigros & macilentos, & paruos, capillo simplici, tenues aliquantulum moderata statura, nigris oculis, temperatura verò frigidiori & sicciori.

Iouis autem sydus locis prædictis imperans, orientale, albos cum quadam coloris commendatione, capillitio mediocri, nigris oculis, & bene magnos, forma venerabili, temperatura verò magis declinante ad calorem & humorem. Occidentalis verò cum est, albo quidem calore, sed indecenti: item capillis rigidis, aut recaluastros etiam & caluos, statura mediocri, temperatura verò humidiore.

Martis sydus orientale, rubescentes efficit & bonæ staturæ, ac valentes, oculis cæsiis, hirsutos, capillamento mediocri, temperatura calidiori & sicciori. Occidentalis verò rubentes omnino, statura mediocri, exiguo capite, sub tenues, flauis capillis, rigidos, constitutione verò corporis sicca.

Veneris similia iis efficit, quæ Iupiter, nisi quod elegantiora, & plausibiliora, muliebremque magis habitum decentia omnia habitiora, succulentiora, ac denique teneriora. Peculiariter verò oculos dat decenter sublucidos.

Mercurius orientalis flauescentes, statura temperata & conformi, oculis exiguis, capillamento mediocri, temperatura magis ad calidam accedente. Occidentalis verò cum est, flauos, rara, & tenui corporis contextura, oculis, cauis, caprinis pedibus, subru-

beſcentes, conſtitutione corporis ſicciore.

Quod dixit αἰγόποδας intelligere debemus tenues pedes & obliquos, aliqualiter cum tibia tenui quales ſunt capris. Credo tamen potius legendum αἰγιλόπας ab oculorum ſimilitudine cum capris: vnde morbus oculorum ſic vocatus, quod hi qui tali morbo laborant caprillos habeant oculos. Eſtque id rationi & experimento conſonum: Sunt enim Mercuriales caprillis oculis. Cæterùm non ſolum ſimpliciter hæc ſcire decet, ſed compoſita obſeruatione: Velut quod ſi Sagittarius aſcendat, Iuppiter verò ſit in Geminis in ſeptimo loco, corpulentos facit & præpingues. Nam Sagittarius primo facit ſatis craſſos: & Iupiter plus, tum maximè in angulo & aſcendens reſpiciens, & in Geminis ſigno humano, & vernali, & duplicis corporis, & vbi Iupiter cadit: ſic nos maximam corpulentiam obſeruauimus. Facit & hæc conſtitutio deſides, & deſidia corpulentiam, & corpulentia deſidiam, atque ita vides quàm pulchrum ſit in his philoſophari. Animaduertendum quod hæc & reliqua, quæ dicentur maximè intelliguntur in ætate ſtatus, id eſt, à trigeſimo vſque ad quadrageſimum annum. In cæteris verò ætatibus relucent indicia harum conſtitutionum. Sed ſi fuerint euidentiora indicium eſt conſtitutionem eſſe validam.

TEXTVS XLVIII.

Opitulantur autem vnicuique horum configurati. Sol quidem ad formam decentiorem producendam & habitatiorem.

Luna verò maximè in ſeparatione vniuerſim ad maiorem conformitatem, & robur ac temperaturam viuidiorem. Particulatim verò habita ratione illuminationis ſicut in principio huius operis recenſuimus.

Per principium huius operis intelligit caput de configurationibus erga Solem: Luna igitur in prima quadra, corpus facit humidum valde & calidum parum, atque ita de aliis. Et hæc propriè ſignificat. Generaliter autem in ſeparatione Arabes interpretantur: Ego malim intelligere ab ipſo ſignificatore formæ corporis. Facit magis commenſuratum, temperatum, atque viuidius, robuſtiuſque.

TEXTVS XLIX.

Rurſus in genere cum matutinæ ſunt ſtellæ & apparentes, ingentia efficiunt corpora, cumque in prima ſtatione fuerint, valida, ac firmis lateribus: Præeuntes verò, immoderata, & cum ſecundo conſtituerint imbeciliora: Occidens vero dignitate prorſus nulla, & vitiorum fœcunda.

Quinque ponit ſtatus trium ſuperiorum orientalis validiſſimus, facit ingentia corpora: in prima ſtatione, valida: dum retrocedunt, malè temperata: ideò incommenſurata, lego: in ſecunda ſtatione prorſus imbecilla: poſt verò penitus morboſa, & ſine vlla bona qualitate. Veneris verò & Mercurij ſtatus non hi ſunt, ſed ex his intelliguntur. Non tamen adeò manifeſtas habent differentias, vt ſuperiorum ſtatus inter ſe differunt: Quoniam inferiores magis inconſtantes ſunt, & neque ſynceras habent conſtitutiones: nam cum primum in oriente ante Solem apparent, aut retrocedunt, aut ad Solem ipſum accedunt: Ita validi vndequaque eſſe non poſſunt.

TEXTVS L.

Ac cum loca quoque ipſa ad configurationes maximè informationũ, & temperaturas, vt diximus, conducant, in genere rurſus, qui à verno æquinoctio & æſtiuo conuerſione intercipitur quadrans, coloris graria efficit, ſtaturoſos, valentes, oculis nitidis, magis ad humidam, calidamque temperaturam accedentes. Qui verò inter æſtiuam conuerſionem & autumnale æquinoctium comprehenditur, colore medio, conformi ſtatura, valentes, oculis nigris, hirſutos, capillis criſpis, calidiores & ſicciores: Qui inter autumnale æquinoctium & conuerſionem hybernam intercipitur, flauos, graciles, maculoſos, raræ corporis contexturæ, capillamenti mediocris, decentibus oculis, frigidiores & ſicciores. Qui à brumali Solſtitio & Verno æquinoctio continetur, nigros ſtatura conformi, capillis rigidis, ſubtenues, temperatura frigida & humida.

Hoc eſt quartum, à quo effigies corporis. Igitur de ſignis aſcendentibus & loci Lunæ, & in quibus domini horum duorum locorum conſtituuntur intelligendum eſt. Principaliter quidem de ſignis aſcendentis, deinde Lunæ, poſt ſignificatoris aut ſignificatorum. Pertinet autem ad ſigna noni orbis, ſeu ſigna eclypticæ æqualia, quorum initium eſt à verna ſectione. Per colorem gratum intelligit roſeum, per medium rubrum, per nigrum autem μελίχροας, non atrum, ſed fuſcum, qui fit calore naturali in profundo corporis deliteſcente: Sub quo etiam liuidus intelligitur.

TEXTVS LI.

Particulatim verò humanæ quidem figuræ conſtellationes, tum intra

ſignifie

ſigniferum, quàm extra comprehenſæ conformia & temperata corpora producunt. Quæ verò alterius ſunt figuræ, deformant ea quidem iuxta ſuam vniuſcuiuſque formam hominis corporaturam. Et quodammodo ſimilia iis euadunt membra, vel magnitudine & paruitate, vel robore & teneritudine,& conformitate Magnitudine, vt verbi gratia, Leo,& Virgo & Sagittarius. Paruitate, vt Piſces, Cancer & Capricornus. Rurſus, vt Arietis, Capricorni & Leonis, priora quidem & ſuperiora ad valentiorem corporis conſtitutionem faciunt, inferiora & poſteriora ad infirmiorem: Ita contra Sagittarij, Scorpij & Geminorum, anteriora quidem ad imbeciliorem temperaturam iuuant, poſteriora verò ad robuſtiorem. Similiter Virgo, Libra & Sagittarius, conformitatem adducunt & moderationem. Scorpius verò & Piſces, & Capricornus minus ſibi conſtantem temperaturam, & incommenſuratam. Et in aliis ſimiliter, quæ quidem omnia cōtēplantes & commiſcentes, propriam & exactam temperaturæ rationem aſſequemur.

Primum ſignum ſumpſit à natura Planetarum: Secundum à miſtione luminarium & habitu eorum: Tertium ab habitu Planetarum ad Solem. Quartum à ſignis Zodiaci nonæ ſphæræ de quibus in præcedenti textu. Et hæc magnis circa temperiem & quæ ab ea proueniunt, Quintum, quod eſt præſens, eſt de compoſitione & forma corporis, non de temperatura: Et ſumitur à ſignis octaui orbis, quæ conſtituuntur à ſitu ſtellarum. Propterea ſi quis cauſam velut intelligere eorum, quæ hic dicuntur à Ptolemæo & generaliter de cunctis ſignis octaui orbis, quæ in Zodiaco ſunt pronunciare, habeat ſphæram ſolidam, aut in plano depicta ſigna cum ſtellis, quæ in eo ſunt, videbit, velut apud Higinum, quod priora Arietis ſunt magis ſuffulta ſyderibus, quàm poſteriora, & cur Scorpij poſteriora ſint validiora eadem ratione. Frequentia enim ſtellarum facit robur: commenſurata illarum diſpoſitio decentem formam: diſtantia in longitudine magna ſtaturam in: ſtaturam: in latiudine craſſum corpus. Subiungit author ignotus Martem efficere ſuperiores partes tenuiores Geminos, ſed ego Piſces reor pedes magnos, & aliquando agrippas obſeruaui aut quater Iouem, in Geminis, in ſeptimo loco aſcendente Sagittario, tam uaſta efficere corpora, vt vix inuenirentur equi, qui eos ferre poſſent.

CAPVT XVI.

TEXTVS LII.

De vitiis & morbis corporis.

CVm proxima his ſit de vitiis & morbis corporis diſceptatio, ea nobis primum explicanda eſt. Et hic eos qui generalem inueſtigationem ſpectant, reſpicere oportet ad finitoris duos, orientalem, ſcilicet & occidentalem. Maximè verò ad occidentalem, quodque ipſum antecedit, quod quidem nulla neceſſitudine cum horoſcopo coniunctum eſt: obſeruare etiam maleficas ſtellas conuenit, quomodo affectæ ad ipſum fuerint. Si enim ad partes ſuccedentes iis, quæ iam dicta ſunt conſtituerint, corpore aut radiis tetragonis, oppoſitiſue, ſiue vtræque maleficæ, ſiue harum altera, vitia & morbos corporis nato infligunt. Idque potiſſimum, quando luminarium vel alterum, vel vtrumque in angulis, ita vt diximus, ſitum eſt, vt vel vna ſint, vel ex aduerſo. Tunc enim non ſolum ſi ſuccedat maleficorum quiſpiam, verum etiam ſi præcedat luminaria, ipſe centrum obtinens poteſt vitium morbumùe inferre, pro ratione locorum finitoris & ſigniferi, proque natura ipſorum, vel maleficorum, vel affectorum ſyderum, iiſque configuratorum.

In quo differat vitium à morbo inferius declarat his verbis (Separata enim ſunt hæc duo, ac vitium quidem ſemel infligitur, nec conſtantes dolores adfert morbos verò, vel continuos, vel reciprocos (id eſt, vitia ſunt, vt cæcitas, ſurditas, clauditas: inflicta enim ſemel dolorem afferunt, inde poſtea nequaquam: morbi autem in hoc veniunt omnes, quod dum adſunt dolorem afferunt, ſed duorum tamen ſunt generum, quidam enim ſunt reciproci, vt aſthuma, comitialis, podagra, qui vt abſcedunt, redeunt: morbi verò non reciproci ſunt, vt febres & morbi laterales. Vitia præterea fermè ſunt inſeparabilia, ſed minus affligunt, morbi contra natura ſua ſunt ſeparabiles, licet reciproci medij quaſi natura ſint inter ſimplices morbos & vitia. Lapis in veſica quamuis perpetuò affigat: morbus tamen eſt potius quàm vitium. Sed vt dixi, quaſi medium eſt. quinque igitur proponit in hoc textu, quibus ego tria alia ex ratione & obſeruatione addo. Primum eſt quaſi materia & ſunt tres loci, ſeptima, in de prima, deinde ſexta domus (ordine illas refero) adiicioque quod obſeu aui, rationique eſt magis conſentaneum,

primam & ſeptimam vitia, ſextam, morbos efficere. Secundum quod habet rationem cauſæ agentis maleficæ in his locis poſitæ, ſeu oppoſitis, ſeu quadratis ſuccedentes, id eſt, maximè prope & poſt illarum initia (vt in ſecunda figura Saturnus (ſignificant vitia vel morbos. Mars quoque in eadem figura idem ſignificat: quia licet ſit prope finem ſextæ domus: quoniam tamen ſeptima deterior eſt ſexta, ideò nihil minus ſignificat tota ſexta domus, quàm eius initium. Regula hæc enim declarata eſt ſuperius dum de locis Apheticis ageremus. Quod cum duo loci coniuncti habent eandem ſignificationem, pars vltima vnius, quæ alteri committitur eandem fermè habet vim & aliqnando maiorem, ſi validiori in ea cauſa committatur, quàm initium. Tertium, quod rem facit euidentem & auget (Nam pauci ſũt, qui aliquibus vitiis vel morbis non detineantur iuxta poëticum illud: Quiſque ſuos patitur manes (ſcilicet conſtitutio maleficæ in angulo cum luminari, vel in oppoſito eius, vel quadrato: tunc enim vel vitia facit, vel morbos graues, & inſeparabiles ſi ſolum in ſexto loco ſit: Velut in ſecunda genitura, Mars in ſexto loco eſt, radiiſque quadratis Solem in medio cœli petit, radiiſque ipſi ſuccedunt Soli non illum antecedunt. Hic aliud adiiciendum quod obſeruaui, maleficas in ſexta domo poſitas, plus longè efficere, quàm radiis locum afficientes. Quartum, quod in hoc ſtatu ſola vna malefica etiam antecedens poteſt morbum inferre dummodo malefica ſit in angulo ad vnguem, hoc eſt, eſſe ſecundum centrum. Quintum, quod tales peſtilentiæ contingent pro natura trium principalium, ſeu potius quatuor, ſcilicet loci mundi, puta primæ vel ſeptimæ domus, medij cœli, vel imi, duodecimi vel ſexti loci, & pro natura ſigniferi duplici ſcilicet à configuratione ſtellarum & locis reſpectu punctorum cardinalium, vt ſæpius diximus, & maximè in capite præcedenti: Et à natura maleficæ, & affecti ſyderis & natura ſtellarum illis configuratarum. Propterea difficile eſt inuenire morbum ſimplicem, aut vitium propter tot cauſas, quæ principalibus commiſcentur. Tertium eſt, quod nos adiicimus plurimum referre, ſi domini locorum ad corpus pertinentium, id eſt, aſcendentis vel loci Lunæ, vel ipſa Luna in iis locis malè afficiantur à maleficis extra poſitis, aut ſi maleficæ in his poſitæ illas alibi conſtitutas malè afficiant: Dico autem ſeptimam & ſextam domum. Nam prima rationem habet patientis loci, id eſt, eius qui afficitur potius, quàm qui afficiat alium. Quamuis contingat etiam maleficas ibi poſitas nocere propter luminarium ab illis iacturam.

TEXTVS LIII.

Partes enim vniuſcuiuſque ſignorum loco horizontis affecto circumfuſæ, ſignificabunt corporis partem laboraturam, & vtrum vitium futurum ſit, an morbus, an potius vtrunque: aſtrorum verò naturæ, horum euentuum genera & cauſas aperiunt. Nam ex potiſſimis hominis partibus Saturnus præeſt auditui dextro, veſicæ, ſpleni, pituitæ, & oſſibus.

Iuppiter, tactui, pulmoni, arteriis & ſemini.

Mars, auditum ſiniſtrum poſſidet, renes venas ac pudenda.

Sol, viſui imperat & cerebro, cordi, neruis & deinde dextris omnibus.

Venus, in olfactum, hepar, & carnem dominium exercet.

Mercurius, ſermonem gubernat, & menti, rationique præſidet, linguæ etiam, felli & ſedi.

Luna, guſtui, & gulæ, ſtomacho, ventri, vuluæ, & ſiniſtris omnibus.

Videtur in his verbis quædam contradictio, quoniam primo dicit quod partes ſignorum ſignificant partes corporis laborantes: & etiam an ſint vitia, vel morbi, vel vtrumque, & poſt modum dicit iſtud de Planetis: Nam docet, quod Planetæ ſignificant ipſas partes & non ſigna. hoc ad Haly dat vnam reſponſionem bonam, dicens, quod intelligit Ptolemæus per partes ſignorum, quæ ſunt in horizonte, id eſt, in ſeptimæ vel primæ initio fines ſeu terminos. Velut in ſecunda natiuitate Iuppiter eſt dominus termini ſeptimæ domus, & Iuppiter ſignificat pulmonem & arterias ideò morbus erit in pulmone. Et ſimiliter in ſecunda natiuitate exemplari Haly, Sol afficitur à Marte & Cauda, & Sol ſignificat neruos, ideò habuit læſionem in neruis: & habebat pedem ſicut beſtiæ. Sed hæc reſponſio quamuis bona ſit, non videtur ſatisfacere verbis Ptolemæi: quia Græcè habet καὶ ἡ ἀστέρων φύσεις τῶν τε κακούντων, καὶ τῶν κακουμένων, id eſt, & aſtrorum natura malè effectorum & malè afficientium. Vnde videtur aliud velle, per (Et (coniunctionem ſignificare Planetas aliud partes ſignorum, ſeu terminos, qui vim Planetarum ſignificarent. Præterea ipſe exponit etiam de Sole & Luna, parteſque illis tribuit, ſed Sol & Luna non habent terminos, qui ſint partes ſignorum, ſed tota comprehendunt ſigna, ſed Ptolemæus intelligit per corporis partem in ſignis partes exteriores, ita vt Aries capiti, Taurus collo, Gemini brachiis, Cancer pectori, Leo à furcula pectoris vſque ad vmbilicum, Virgo ventrem inferiorem, Libra nates, Scorpio pudenda, Sagittarius coxas, Capricornus genua, Aquarius tibias, Piſces pedes. Per membra autem à Planetis ſignificata intelligit interiora & humores. Quantum verò ad diſtributionem ipſorum, quia Ptolemæus non fuit Medicus, melius erit iuxta rationem & experimentum, ita partes corporis Planetis attribuère.

Saturnus præ eſt auditui dextro, veſicæ, ſpleni, oſſibus, malancholiæ & pituitæ crudæ non naturali, carthilaginibus & ligamentis.

Iuppiter tactui, pulmoni, ſanguini, iecori & carni.

Mars auditui sinistro, renibus, felli, bili atque intestinis, & sedi.

Sol oculo dextro & cordi, & arteriis, sanguinique in eis contento.

Venus olfactui, gustui, semini & vasis seminariis, pudendis vtriusque sexus, ventriculo.

Mercurius neruis, menti, rationi, memoriæ, digitis, spiritui.

Luna cerebro, & oculo sinistro, & pituitæ naturali, & quando est plena luminibus, significat pituitam multam insipidam, & dulcem: Et si commisceatur Saturno acidam, quia multa difficile fit falsa aut amara: sed vacua luminibus paucam. Ideò si Marti commisceatur facilè amarescit vel fit falsa, Paucum enim à leui causa inficitur.

Similiter notandum est quod membra pleraque à duobus vel tribus Planetis gubernantur: Vt cerebrum ratione substantiæ à Luna ratione tot arteriarum à Sole, ratione spiritus & facultatum à Mercurio.

Explanator ignotus non malè tribuit membra iuxta temperamentum: velut pulmonem, quod sit aëreus Ioui, & ea ratione carni & tactui. Sed iecori & sanguini quod sit temperatus.

Quod verò dixit vitia simul & morbos, sunt velut carcinomata & fistulæ.

TEXTVS LIV.

Solent verò vitia plerunque accidere, cùm orientales sunt maleficæ, morbi è diuerso quando sunt occidentales. Separata enim sunt hæc duo, ac vitium quidem semel infligitur, nec constantes dolores affert, morbos verò, vel continuos, vel reciprocos.

Malus quantò potentior est tantò deterior: Orientalis autem potentior est occidentali, ideò malefica orientalis dat vitia, occidentalis autem morbos. Benè autem docet Haly Ptolemæum per hæc verba insinuare omne genus roboris & comparationem in illis superius descriptam.


TEXTVS LV.

Quantum ad accuratiorem minutiorum euentuum obseruationem attinet, sunt peculiaria quædam his considerandis schemata, ab euentibus crebris ex similibus configurationibus originem habentibus, annotata & collecta. Orbitates enim portenduntur, alterius quidem oculi, quando Luna solitaria in præfatis angulis reperitur, aut cum Sole congrediens, aut ei ex aduersum posita: Et cum in alterutra reliquarum ergo Solem configurationum, applicatur nebulosarum stellarum alicui in signifero conuersantium, vt iis quæ in Cancri constellatione sunt, aut Pleiadi, aciei quoque sagittæ Sagittarij, & aculeo Scorpionis partibusque Leonis circa Berenices crinem, item vrnæ Aquarij. Amplius quando Mars aut Saturnus ad Lunam in angulis sitam, & occidentalem ipsi orientales ascenderint, aut hi ipsi in centris constituti, Solem antecesserint. Si verò ambobus luminibus, siue in eodem signo, siue ex opposito, sicut diximus sitis configurentur, matutini quidem ad Solem comparati, ad Lunam verò vespertini vtrique oculo minitantur. Mars quidem à plaga, aut pulsatione, ferro aut vstione, cœcitatem inducit, & si Mercurio conciliatus est in palæstris & gymnasiis, aut ab hominum malorum incursibus. Saturnus verò per suffusionem, frigus, glaucomata, & his similia.

Tradita ratione generali, docet domo singularia. Et primo circa nobilissimam partem corporis, & operationem, id est, visum. Et explicat quatuor modos, seu potius tres, nam quartus est compositus ex secundo & tertio. Et primus modus est quadruplex: Primus est, vt Luna sit sola in ascendente vel septima domo, & applicet vni stellæ nebulosæ signiferi. Et numerat sex Pleiades Asinos, cuspidem Sagittarij, aculeum Scorpionis, vrnam Aquarij, & quæ in Leone sunt iuxta crinem Berenicis. Circa quod notandum est, quod quatuor sunt loci facientes vitia in oculis: Primus est nebulosarum stellarum: Secundus Lacteæ viæ: Tertius stellarum, quæ sunt naturæ Solis & Martis, vel Lunæ & Martis: Quartus stellarum occultarum. Præterea scias quod etiam in aliis angulis quandoque fiunt cœcitates, vt in figura subiecta patet. Nam cum dictum esset mihi, vidissemque puellam cœcam ambobus oculis prædixi necessarium esse, vt Luna multum affligeretur, oblata figura apparuit Luna cadens & combusta in angulo cum Ioue cadente combusto, & in angulo, & cum Mercurio, & cum stella occulta ex Zodiaco, & Iupiter erat in cauda sua, & Venus etiam impedita, & Saturnus in centro imi cœli dominus loci luminarium, & Iouis, & cum tribus stellis de natura Martis & Lunæ, quarum vna etiam est nebulosa, & omnes Planetæ in via Lactea & sub terra: ideò cœcitas erit incurabilis, quæ incepit à paralysi quarto anno cæcitatis, & processit ex dilatione pupillæ: Ideò erit breuis vitæ etiam, vel saltem morbosa toto tempore vitæ suæ. Sũt enim beneficæ impeditæ, & ambo luminaria impedita, & omnia in angulis & sub terra, & Saturnus dominus omnium in centro imi & cœli cum nodo. Est autem ex gente illustri. Secundus modus est quod Luna sit in quadrato dextro vel sinistro. Solis cum his omnibus & est peior. Tertius modus est si his stantibus Luna sit in opposito Solis: Et manifestum est, quod est adhuc secundo deterior. Quartus si fuerit coniuncta

Soli cum his, ſcilicet, vt ſit in vno illorum angulorum, & vadat ad vnam ſtellam ex his applicando, & hic eſt peſſimus.

Secundus modus principalis, quando Luna fuerit in altero iſtorum angulorum poſt Martem, vel Saturnum & eiſdem angulis.



Tertius modus quando loco Lunæ fuerit Sol, & ante ipſum Saturnus, vel Mars in angulo, tunc ſignificatur ex quocunque horum trium modorum cœcitas in altero oculorum. Nota quod per centra intelligit, vt aliàs dixi cuſpides angulorum, vt non intelligas fines ipſorum angulorum. Nam angulum vocat γωνιῶν, anguli autem ſummitatem κέντρων Græcè Ptolemæus.

Circa ſecundum modum poteſt eſſe triplex ſenſus: Primus eſt, vt Luna ſit poſt maleficas, ſicut etiam Sol: Venus aſcendat primus gradus Arietis, & Mars ſit in tertio gradu, & Luna in quinto, vel ſexto eiuſdem: Et hoc modo legit Haly: Et ſic non differt à modo Solis. Sed non videtur veriſimile, quia Ptolemæus facit differentiam inter modum Solis & modum Lunæ. Et etiam quia in verbis ſequentibus dicit quod maleficæ debent eſſe matutinæ ad Solem, & veſpertinæ ad Lunam: At ſic eſſent matutinæ etiam in comparatione ad Lunam. Præterea quomodo poſſunt aſcendere ad Lunam, nam neque motu diurno, cum antecedant ipſam Lunam, nec proprio cum Luna ſit velocior illis? Secundus ſenſus eſt, vt gratia exempli, Luna ſit in decimo gradu Arietis in occidente: Sit autem gradus occidentis, quartus Arietis: Et Mars ſit in oriente, in duodecimo gradu Libræ: Tunc Luna erit occidentalis à malefica, & tamen malefica aſcendet motu diurno ad ipſius Lunæ oppoſitum: quia Luna eſt propior angulo, quam malefica. Et iſte modus poſſet eſſe verus, quia ſtat cum litera & veritate rei. Tertius ſenſus eſt vt legatur Litera hoc modo (Amplius quando Mars aut Saturnus ad Lunam in angulis ſitum, & orientalem ipſi occidentales aſcenderint) vtpote quod Luna ſit in primo gradu Libræ, & aſcendat vigeſimaoctaua pars Virginis, & Mars ſit in tertio vel quarto gradu Libræ: Tunc Mars aſcendit ad locum Lunæ motu diurno: & poſſet etiam dici orientalis in comparatione ad Lunam non mutando literam: quia poſteriora ſunt propinquiora orienti quàm anteriora. Veluti ſi aſcendat decima pars Arietis, ſexta pars eſt propinquior orienti: Et dicitur magis orientalis quàm quarta pars: Et quarta quàm prima. Sed hoc modo oporteret capere orientale ſub alio ſignificato. Quidquid ſit, intellectus literæ Ptolemæi debet capi ſub tertio, vel ſecundo ſenſu, & non ſub primo: quia etiam ſub his duobus ſenſibus vltimus reſpondet experimento & rationi. Ratio autem talis eſt, ponamus Solem in primo gradu Arietis, Martem in vigeſima octaua parte Piſcium, & Lunam in vigeſima ſexta eiuſdem. Tunc dico quod Mars aſcendit ad Lunam motu diurno, quia proprio non poſſet eam attingere: Et Luna motu proprio vadit ad Martem. Et ita fit duplex mutuus concurſus, quamobrem Luna damnatur. Rurſus Mars damnat Solem, quia Sol motu diurno fertur ad locum Martis, & ita damnatur ab ipſo. Et ſi dicas quare requiritur diſpar ratio in Luna, & Sole reſpectu motus diurni: Nam in Lunæ motu diurno malefica fertur ad Lunam, & in Sole Sol fertur ad maleficam? Reſpondeo quod cum motus ab occidente in orientem ſit quædam retardatio motus diurni, ſic fit quædam colliſio: quia Luna motu proprio mouetur ad maleficam, & malefica ad Lunam motu diurno, & ideò breuiore tempore ſibi occurrunt, quare etiam maiore concurſu, quaſi colliduntur. In Sole autem cùm Sol ſit potentiſſimus non poteſt offendi, niſi à potente Planeta: Sed ſuperiores occidentales & prope Solem maximè ſunt debiliſſimi: Igitur ſi debent inferre cœcitatem, oportet ſint orientales ipſæ maleficæ à Sole.

Quartus modus eſt quando vterque oculus damnatur, oportet autem ambo luminaria eſſe in centro eodem vel oppoſitis, Reliqua ſunt clara, ſicut etiam illud quod Saturnus faciat iſta per morbos & ſenſum: Nam eſt frigidus & infert ſua mala paulatim: Mars calidus, & ideò violenter & repentè:

TEXTVS LVI.

Rurſus quando Venus conſtituitur in aliquo prædictorum angulorum maximè in occaſu cum Saturno congrediens, aut ei configurata, aut loca mutuo cum eo permutans, & ſupra eam Martis ſydus attollitur, aut ex oppoſito ferit, maribus quidem ſobolem negat, fœminis verò abortiones decernit, crudos partus ac fœtus laceros, maximè in Cācro, Virgine, & Capricorno, ac ſi Luna in ortu Marti ſe applicat. Quòd ſi Mercurius Veneri hoc modo configuretur cum Saturno, & rurſus Mars ſupra eam elatus ſit, aut ex aduerſum reſpiciat eunuchi aut hermaphroditi, & quorum genitales meatus concreti ſunt in lucem producuntur. His ita habentibus cum etiam Sol configu-

ratur

ratur & luminaria, vnáque Venus, masculina sunt, & Luna occidentalis, & ad eam maleficæ per proximè sequentes partes ascendant, mares quidem euirati nascuntur, & testium vitiis afflicti, præcipuè in Ariete & Libra: fœminæ verò, iufrugiferæ & steriles. Aliquando neque ab oculorum vitiis liberi sunt, qui ita nascuntur.

Exponit secundum singulare magnum quod ad sterilitatem pertinet, cuius sensus est: Si Venus fuerit in oriente vel occidente, sed magis in occidente, & Saturnus fuerit cùm ea vel in illius aspectu quadrato, vel opposito, vel commutet dignitatem, vt si Saturnus sit in Tauro, & Venus in Capricorno, & Mars super Venerem eleuetur, vel opponatur, significat vt in textu. Quid autem sit eleuari visum est superius.

Secundus casus est deterior, vbi omnibus his positis Mercurius, Veneri iungitur aut respicit, aut locum commutat. Quæ sequuntur clara sunt.

Tertius casus est, cum his omnibus positis luminaria configurantur, Veneri vno trium modorum dictorum in Saturno, & Mercurio, & Luna fuerit occidentalis, & ad eam ascendant maleficæ quod est super eam eleuari: Tunc hoc erit pessimum, & simul patientur, & in membris genitalibus, & in oculis. Manifestum est enim quod talis constitutio ratione luminarium offendit oculos & ratione Veneris genitalia. Itaque vtrunque complectitur detrimentum.

Notandum quod vt benè dicit Haly, si hæ constitutiones fuerint valde potentes, erunt post natiuitatem. Tempus autem cognoscetur ex quinque, robore constitutionis, quod facit celeriorem euentum, situ Planetarum ad mundum, & Solem, progressionibus, directionibus & diuisionibus ætatum, cum natura Planetæ vitium significantis congruentibus.

TEXTVS LVII.

Impedita lingua sunt & blæsa, ac balbutiente, quotquot Saturnum & Mercurium habent, in prædictis angulis congredientes cum Sole, maximè quando occidentalis etiam est Mercurius, & ambo cum Luna configurantur. His verò forte adiunctus Mars, soluere plerunque solet linguæ inuolutionem, posteaquam Luna illi obuiam fit.

Hic est textus, qui hæreticos in Astrologia ad fidem deducere posset, vnde mira fiunt Prognostica.

Sed nec omnia hæc, quæ sequuntur duo vitiorum genera solum eueniunt cum maleficæ & significatores in angulis fuerint, sed etiam si in sexto loco omnes vel alter eorum, id est, malefica vel significator ex sexto loco alterum respexerit quocunque aspectu, vel etiam si extra locum. Malefica ipsa ipsi sexto loco dominetur: Erunt tamen leuiora. Et inter hæc sextilis vix sentitur, sicut oppositio pessima est. Et hæc si in signis congruentibus fiant erunt deteriora: Velut in mutis signis pro læsione linguæ. Sunt autem muta signa Cancer, Scorpio, Pisces, rauca verò quadrupedum veluti Arietis, Tauri & reliquorum. Exemplum habes in genitura filij mei vltimi inferius.

TEXTVS LVIII.

Rursus si vel lumina ad maleficos in centris hærentes ascenderit, aut ex opposito ab ipsis impedita fuerint, maximeque Luna in nodis siue flexuris constituta, aut in signis obnoxiis, nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio, & Capricorno, vitia corporis eueniunt, gibbi, scilicet aut claudicationes, & luxationes, siquidem cum ipsis luminaribus fuerint maleficæ ab ineunte ætate & horæ partus. Sin autem in cœli fastigio fuerint, & supra luminaria eleuentur, eque regione ponantur, à grauibus periculis, nimirum præcipitationibus, aut latronum incursionibus atque quadrupedum. Si Mars hoc pacto elatus est ab igne, aut vulneribus tumultuosè illatis, aut latrociniis. Si Saturnus ex præcipitationibus, naufragio, artuum contractionibus.

Declarat quartum magnum vitium, claudes, gibbos, contortos, qui omnes fiunt maximè propter nodos, cum in ascendente, vel aliis angulis fuerint: maleficis adiuuantibus: fiunt enim impressiones magnæ cum ipsæ ad apices angulorum cum luminaribus ascenderint. Sed si in eadem parte etiam fuerint constituti, vitia erunt à natiuitate. Declarat etiam quod maleficæ in Medio cœli declarant talia accidentia contingere per terribiles casus quos declarat in textu. Sunt autem loci praui Caput, & deterior Cauda, & nodi Planetarum proportione respondentes Capiti & Caudæ, id est, sectiones vbi Planetæ eclypticam transiêre eundo ad meridiem & Boream: & quædam signa detruncata, quæ sunt Aries, Taurus & reliqua, quæ in textu ponuntur.

Inquit Haly ego prædixi gibbositatem, quæ durauit duodecim mensibus in natiuitate, in qua Luna erat iuncta cum Marte & capite Draconis in duodecima domo, qui erant in quadrato aspectu Solis cum Ioue, qui in tertia erant. Et temporis quantitas tot mensium quotus est numerus annorum reuolutionis Iouis: quia Iuppiter sub Solis radiis positus erat. Ego verò obseruaui frequenter Caudam maximè cum Luna, & persæpe cum aliis Planetis in angulis constitutam obliquos quoquomodo efficere. Itaque diligenter in-

ſpiciendum cum nodos Planetis iunctos in angulis inueneris.

TEXTVS LIX.

Verum enim verò vitia vt plurimum eueniunt in ſignis tropicis & æquinoctialibus Luna verſante. In verno quidem ſigno, potiſſimùm ex vitiligine: In æſtiuo ex impetigine. In autumnali ex lepra: In hyberno ex lentigine, & id genus aliis,

Hoc eſt quintum vitium, quod ad cutim pertinet ſolum & carnes, & leuius eſt cæteris. Eſt autem clara textus ſententia, modo per lepram intelligas ſquamoſam ſcabiem & profundam, non elephantiaſim. Significare poteſt & dominus aſcendentis damnatus hoc modo in autumnali ſigno, quemadmodum in noſtra genitura. Proportione autem reſpondent morbi temporibus. Leuiſſima eſt vitiligo, quæ ſolam cutem fœdat: grauior impetigo, quæ colorem pilorum mutat, profundius in carne hæret: deterior lepra autumno reſpondens, pruritum enim adducit.

TEXTVS LX.

Morbi verò accidere plerunque ſolent, quando in prædictis conſtitutionibus malefici configurantur modo contrario, videlicet veſpertini cum Sole, cum Luna matutini. In genere verò Saturnus ventres frigidos efficit, ſuperuacuis humoribus plenos, pituitoſos, defluxibus obnoxios, tenues, valetudinarios, diſentericos, tuſſientes & ægrè ſordes tuſſi eiicientes, colicos, leproſos, amplius fœminas ex vtero laborantes. Mars ſanguinem expuentes, atra bile detentos, anheloſos propter affectum pulmonem, ſcabioſos, & qui nunqam non vel in ſciſſuris, vel vſtulationibus, aut tectioribus corporis partibus laborent, fiſtulis nimirum, ſanguinis effluxibus, aduſtionibus etiam ac ſuccenſis, depaſcentibuſque vlceribus. Fœminas amplius præter hæc abortibus, aut fœtus mutuli & inchoati enixibus & corroſionibus ſolet inuoluere.

Debilioribus conſtitutionibus fiunt morbi) Ideoque cum maleficæ ante Lunam, (refugit enim Luna ob proprij motus celeritatem: vel poſt Solem (debiles enim ſunt) peculiariter verò Saturnus morbus facit longos frigidos, & ea membra afficit, quæ ſunt exanguia, & quæ tamen officio addicta ſunt, veluti ventriculum. Pulmones verò ob defluxiones, quia cerebrum lædit. Et vt vna regula omnia comprehendam, Iupiter & Venus Veri aſſimilatur, & temperatæ conſtitutioni, Mars Æſtati, Saturnus Hyemi, Mercurius Autumno. Vide igitur quinam morbi æſtate & hyeme vigeant, & tales vnicuique maleficæ tribues, quæ illi tempori aſſimiletur.

TEXTVS LXI.

Peculiares etiam aſtrorum configuratorum naturæ ad corporis partes peculiaria, quædam in morborum generibus efficiunt. Iuuat autem ad malorum vehementiam Mercurius. Saturni enim frigus intendit ei conciliatus, magiſque conſtanti motione incitat pituitæ defluxus, & humoris turbam, præcipuè circa pectus, ventriculum ac guttur. Marti operam nauat exiccando, vt in vlceribus ex denudatione & ſiccitate prouenientibus, incruſtatis apoſtematis, igni ſacro, lichenibus feris, ſiue ex nigra bile orientibus, comitiali, lepra & his affinibus.

Lichenes feras, vocat graues impetigines & forſan elephantiaſim. Mercurius enim in vniuerſum omnium ſex Planetarum naturam inducit: Et vt facilius mala eueniunt quàm bona, ita ad morbos promptior. Propriè autem impetum addit materierum fluxui propter motus facilitatem & tenuitatem ſubſtantiæ luminis. Et frequenter agitationem & perpetuam mutationem in morbis, quæ plurimum affligit: vt etiam in vexatione, hoc autem accidit ab illo ob multiplices illius motus.

TEXTVS LXII.

Similiter iuxta ſignorum variationes, eorum videlicet, quæ in angulis eſt dictis figurationibus circumfunduntur, accidunt quædam morbis propria. Cancer enim in primis, & Capricornus, Piſceſque & omnino quæ terreſtribus ſunt, & aquaticis ſimilia ſigna, vlcerum depaſcentium, ac ſerpentium calamitates infligunt, impetiginem, ſcrophularum, fiſtularum, lepræ & his ſimilium. Sagittarius verò & Gemini comitialem. Et quæ in poſtremis partibus ſignorum reperiuntur aſtra, extremis artibus morbos & vitia inferunt, per humorum, ſcilicet defluxus, vnde lepræ, & vniuerſim podagræ, & chiragræ oriuntur.

Hic ponit proprietates ſignorum octaui orbis, quæ deſcribuntur per ſtellas, ſicut prius ibi (Verumenimuerò vitia) proprietates ſignorum noni orbis. Itaque Cancer, Capricornus & Piſces faciunt depaſcentia vlcera,

&

& morbos iuxta cutim, tum quia animalia hæc naturæ sunt Mercurij, tum quia hærendo comedunt. Sagittarius verò & gemini comitialem propter naturam Iouis, & Mercurij mistam: Et etiam quia, vt dixi, Mercurius dominatur rationi & neruis, quæ ambo in comitiali morbo afficiuntur. Illud verò de corporis partibus pulcherrimum est & consideratione dignum, quod non à signis noni orbis, sed octaui indicia accipit: Vnde multi decipiuntur: Cuius exemplum demonstrabo in figura filij mei natu minoris.

TEXTVS LXIII.

His igitur ita constitutis si nullus beneficorum configurabitur, maleficis morborum authoribus, aut luminibus angulos occupantibus, insanabilia & grauia erunt, siue vitia, siue morbi. Idem coniectandum est, si configurati quidem sunt benefici, sed à maleficis supplosi in potestate constitutis. Si verò ipsæ beneficæ stellæ iuxta præcipuas configurationes positæ, supergrediuntur supra maleficas, quæ morbis, vitiisque occasionem dabant, tunc vitia decentia erunt, minimoque dehonestamento, morbi mediocres, beneque tractabiles, & nonnunquam facile curabiles, quando videlicet beneficæ stellæ, orientales sunt. Ac Iupiter quidem humanis auxiliis per opes & dignitates tegere vitia solet, morbosque mitigare. Cùm Mercurio etiam medicamentis & Medicorum consiliis: Veneris stella deorum prædictionibus & oraculis vitia quodammodo elegantia plausibiliaque efficit, morbos diuinitùs petitis curationibus mitigabiles: At si illi Saturnus congressus sit, non sine ignominiosa pœna & vulgò nota, aliisque id genus. Si Mercurius non sine subsidio & lucro ad ipsum ægrotum ex morbis & vitiis redituro.

Septem facit, tria pro vitiis, tria pro morbis, & vnum commune quod ad causam agentem pertinet. Cùm enim vitia sint insanabilia, morbi verò insanabiles, sufficit in vitiis vt tegantur, & honestiora reddantur. Morbi verò vt curentur conuenit: teguntur verò & curantur validioribus auxiliis, vt etiam validioribus causis fiunt deteriores. Itaque ab orientalibus stellis maiores procedunt vtilitates & à beneficis auxilia, velut à maleficis detrimenta. Ergo si nullæ sint beneficæ, nec morbi, nec vitia minus mitescunt: Si autem beneficæ supplodantur à maleficis, vtpote quod sint in illarum dignitatibus, scilicet maleficarum, beneficæ sub terra sint, & in cadentibus locis, auxiliabuntur quidem, sed valdè parum. Si verò beneficæ fuerint potentiores, maximéque si sint orientales, morbos quidem curabunt, vitia verò tegent. Reliqua sunt manifesta, nisi quod Mercurius cum per se sanare non possit, multum tamen Iouem & Venerem si bene sit dispositus, iuuat. De morbis quidem Ptolemæus fatetur, quod diuino prætextu, Astrorum autem auxilio, curentur: De vitiis nequaquam. Quamobrem Christi & Sanctorum miracula non infringit. His enim vitia curabantur non morbi, nisi de socru Petri, quæ febri curata est: Sed id inter mira non miracula refertur.

CAPVT XVII.

TEXTVS LXIV.

De qualitate animi.

DE iis igitur quæ corpori eueniunt sit hoc veluti simulachrũ quoddam considerationis. Eorum verò quæ ad animæ qualitatem pertinent, intellectus quidem & rationis contemplatio à Mercurij constitutione accipienda vbique est, morum verò & hebetiorum animæ actionum & à ratione secretarum, à luminaribus corpulentioribus, nimirum à Luna & astris illius, vel separationi, vel applicationi configuratis.

Differentiam rationis & intellectus si velis habere, quoniam ea ad Mercurium spectant, ab hebetioribus animæ qualitatibus, quæ à Mercurio pendent quales sunt prudẽtia, constantia, vrbanitas, simplicitas, comitas, musicæ petitia, curiositas, diligentia, grauitas, austeritas, pietas, superbia, liberalitas nitor, parcitas, inuidia, lætitia, impudentia, superstitio, morum compositio, facilitas, promptitudo, ineptia, patientia, fides, & talia multa, considerare oportet mores illorum in quibus maximum est discrimen constitutionis Mercurij & Lunæ. Et rursus eas in quibus Mercurius multum Lunam exuperat, & versa vice in quibus Luna multum Mercurium vincit, tum verò in quibus vtrique pares atque potentes, demum vbi vtrique pares atque imbecilles. Exposui autem plurima exempla in libris Astronomicis, Trapezuntij, Philelphi, Alciati, Petrarchæ, Facij Cardani parris mei, Corbetæ atque aliorum. Verùm in omnibus duo memineris obseruare: Vnum scilicet ne Planetam ipsum, sed locum eius, id est, non tam Mercurium & Lunam, quàm loci illius dominos obserues. Alterum vt hos locos & dominos ad ascendens ipsum conferas. Atque ne omninò in incerto vageris & vt præsentia magis

magis spectes, duas pro exemplo subieci. Harum altera sexta est suppositarum in fine geniturarum, vbi Luna in Sagittario est, & cum Scorpij corde & in Solis quadrato, & Veneris sextili, licet occidua, tamen his gaudet: at Mercurius contra combustus in aqueo signo cadens à domo, & exaltatione in Iouis quadrato. Itaque literarum penitus ignarus ad summam peruenit authoritatem, fortuna, vt dici solet virtutem comitante. At contra in duodecima genesi Mercurius iuxta anguli apicem, cum Venere à Sole liber & matutinus trigono radio Iouem aspiciens, illumque recipiens in suo trigono. Luna verò combusta cadens ab altitudine, ad Solem iens, in fine anguli, cum Australi nodo absque beneficæ testimonio vndequaque infœlix: Quid aliud decernebat, quàm in agendis vtrum minimè, vt ita dicam, aliis similem, sed ineptum. Vnde illi in iuuentute misera vita, in senectute morbosa, tota verò calamitosa, plena periculis & persecutionibus. At eruditio tanta vt etiam ipsis æmusis foret admirationi: Et mundum sanè ac seculum hoc nostrum illustrauit. Et ne quid ad maximum discrimen horum duorum sydenum, in genitura hac deesset, vnicus loci Lunæ dominus in vilissimo totius schematis loco fuit: Dominorum autem loci Mercurij vterque in centris angulorum, alter ascendentis reliquus occidentis, vt sic tota vita eruditione illustrissimus haberetur. Nec semiculorum quorundam more desipere. Verum enim verò qui vltimum corpusculi illius labefactati spiritum dies clausit, idem viditin summo sapientiæ culmine animum constantem atque illæsum.

Scire etiam decet Mercurium cum Soli iungitur aptos ad negocia efficere, quoniam tria sunt, quæ negocia ad effectum, vt ducantur, faciunt, vt secreto tractentur, & cum authoritate horum vtrumque facit Mercurius sub Sole, quia nec videtur & Solis vi fulcitur, quasi prope regem tertium est, vt prudenter id contingit ex aliis: at distans plusquam 20. partibus maximè verò 24. omnino ineptos, nam palàm & nullam cum authoritate, vnde infelices sunt in actionibus & plerunque pro fatuis habentur ostentantes se, nam Mercurius tam procul videtur, & à Solis quasi patrocinio recedit, iidem ad eruditionem aptiores, quoniam animum liberiorem eruditio requirit, vnde rarò in vtroque quisque præstat, sed quantò cautior eò imperitior, & quantò petitior eò incautior. Considerare etiam oportet si recedat Mercurius aut accedat, semper autem melius est generaliter, vt cùm longius distiterit accedat cum iusto propior Soli fuerit recedat. Nam processu ætatis tales proficiunt ea parte, qua peccant: nec tamen destituuntur, ab eò quod iam possident. Quibus ergo mediocriter aliter ab altero distat ad omnia apti sunt: sed in nulla parte tamen euadunt singulares. Considerare etiam oportet reliqua ab ortu & occasu directione retrocessu commistione ac illius statu, sed priora multiplici experimento comprobauimus.

Meminisse autem vbique oportet inerrantium stellarum de quibus superius egimus. Et si cum Planetis sint aut in locis principalibus, aut in positionis circulo cum dominis locorum Lunæ, aut Mercurij. Quodque ibi prætermissum est, scilicet an statum habeant, quæ sic constitutæ sunt stellæ: Voco autem statum cum eadem die in centris inueniuntur cum Sole, vel etiam Luna, voco centra lineas angulorum. Contingit verò hoc septem tantum modis vtiliter primus est cum stella videatur ante ortum Solis in oriente, vel si post ipsum constituta videri possit ab occasu. Secundus vt statim ante ortum Solis videatur stella in cœli medio, vel etiam si oriente Sole (at hoc debilius est) licet non videatur stella cœli centrum ad vnguem occupet. Tertius vt ante Solem orientem stella occidat statim, vel si simul quod minus est. Quartus, vt oriente Sole stella imum cœli obtineat ad vnguem. Quintus cum Sole imum cœli occupante oritur ad vnguem vel occidit. Sextus cùm occidente Sole stella cœli medium occupat, vel statim ab occasu, quod melius est. Septimus si occidente Sole stella ad vnguem imum cœli occupet. Hi modi non coincidunt, neque tamen plures imaginari posse non possunt, qui non coincidant. Nam cum ad statum diei referantur & ad potentiam, alij esse non possunt. Quòd si actu id contingat, vt scilicet Sol & stella in centris angulorum sint, erit hoc potentius ac firmius. Cæterùm & illud pro sententia Ptolemæi percipienda ac exemplis intelligendis obseruandum est, quod per animæ rationalis qualitatis intelligere debemus imaginatricem virtutem, memoriam, rationem, atque intellectum. Verùm ne Ptolemæi sententiam à nostra alienam esse credas, intellige Lunam cerebrum significare, atque eas vires, quæ magis ex sensibus pendent, & illis sunt propiores. Mercurius verò significat spiritum cerebri. Vt ergo quilibet Planeta suos habet effectus & animi qualitates, siquidem Saturnus perseuerantiam & pertinaciam. Iupiter probitatem & simplicitatem. Mars fortitudinem & iram, vnde crudelitas. Sol gloriæ amorem & ambitionem seu superbiam. Venus amorem & luxum. Mercurius prudentiam & vafriciem. Luna promptitudinem & instabilitatem. Hæ diuersis in partibus corporis fundamentum habent, vtpotè corde, iecore: non tamen ad actum deducuntur nisi cerebrum, & spiritus animalis hos effectus suscipiendo exerceat. At cerebrum, vt dixi, Lunæ: Spiritus animalis Mercurio subiicitur: Quamobrem locum Mercurij, & Lunæ in omnibus affectibus animi considerare oportet. Non tamen in singulis affectibus hi erunt principales, sed vt dixi, alios Planetas considerare decet. Velut in grauioribus doctrinis Saturnum, & Iouem in eloquentia. Venerem in decore & maiestate, & gloriosis facinoribus Solem.

Dubitatur quonam pacto Mercurius poterit dici malè affectus, cum in Alciati genesi peregrinus & Marti iunctus sit, in secunda genesi combustus, in octaua vespertinus retrogra

retrogradus & sub radiis, nec tamen vllus horum eruditionis fuit expers: Quinimo & in sexta genesi non deest ingenium, promptum, sagax, & illustre: Ptolemæus, vt dixi, non à Mercurij dispositione ingenij qualitatem venatur, sed domini loci illius. Quòd si modo lædatur, facit hoc in signis aqueis præcipuè Piscibus, Saturnique radiis infelicibus afflictus. Nec tunc præter eruditionem, quæ ex literarum studiis habetur quicquam negat. Nam retrocessum & combustionem ob consuetudinem non timet. Nec aliud præstat retrocessus nisi ingenij tarditatem, vt celeritas promptitudinem. Combustus verò studia disciplinarum negat, eloquentiam & historiarum cognitionem non prohibet. Itaque omnia potius ad loci dominum quàm ad ipsum Mercurium sunt referenda: Pati etiam parum videtur ob proprij luminis claritatem & siccitatem: Vt contra Luna, quod Solis lumine plurimum splendeat & humida sit, multum videtur affici. Eos verò qui ita afficiuntur stultos solemus vocare, quod à communi vsu deuient. Vbi verò Mercurius malè afficitur solum hebetes appellamus: at hebetudo parui æstimatur, cum frequens res sit. Quanquam viderim etiam non afflicta Luna, sed solo Mercurio: verum egregiè à Sole & malefica præcipuè Saturno stultos factos esse. Ob id etiam contingit quod cum Mercurius ingenio præsit, Luna moribus, plerosque stultos afflicta potius Luna quàm Mercurio fieri, cum tamen contrarium potius contingere deberet. Sed, vt dixi afflicta Luna nati à communi consuetudine declinant, & ob id stulti iudicantur. Mercurio autem laborante ingenium fit obtusum, segne, & turbulentum: hoc tamen cum non adeò sit conspicuum hominibus, verè stultos facit, non tamen ita videri.

TEXTVS LXV.

Cùm verò multiplices sint animæ motionum & variæ formæ, merito sanè & hanc considerationem non simpliciter, & temerè instituerimus, sed per multam ac variam obseruationem. Ac signorum quidem qui Mercurium & Lunam, & dominium in eos exercentia sydera circumsistunt, differentiæ multum momenti adferunt ad peculiares animorum dotes, & rationem habentium ad prædictorum astrorum genus, configurationes ad Solem & angulos, ac denique peculiaris vniuscuiusque syderis ad animæ affectiones procreandas natura.

Quod iam dixi constans est: scilicet non Lunam, non Mercurium inspiciendos esse, sed eorum locos: hic verò declarat quomodo istud sit obseruandum, atque id ex quinque. Primùm est locus ipse tam Mercurij, quam Lunæ: Secundum est dominus illorum locorum: Tertium est constitutio colligatorum, vt ita dicam Planetarum cum illis locis, vel cùm dominis eorum habitus ad Solem: Quartum habitus eorundem ad angulos: Quintum & vltimum peculiaris cuiusque syderis respicientis, vel coniuncti illis locis proprietas ac natura ad animæ qualitatem declarandam. Quæ omnia singillatim exponet.

Circa quòd notandum est, quòd vt dicebat Haly in commento, si Mercurius sit robustior Luna, anima rationalis vincet sensitiuam: & maximè si Mercurius sit in signis longarum Ascensionum, & Luna in signis breuium. Dico ego addendum esse, quod sit Mercurius in signis imperantibus, Luna in obedientibus, tunc enim omnibus numeris rationalis anima sensibili imperabit: contrariis causis sensibilis imperat rationali: atque id est, longè frequentius, adeò vt si videas in illis genituris iam adductis quantumuis sapientissimorum virorum, in omnibus fermè præterquam Erasmi & patris nostri Luna Mercurio dominatur. In nostra verò vehementius, quàm vellem: ob id enim odio habemur, quod cum aliis non sentimus. Causa autem cur tot homines sensibus pareant, tam pauci rationi, à Ptolemæo exposita est: Quia Mercurius rationi, Luna animæ sensitiuæ præest: at Luna plerunque validior est Mercurio, propter duas causas. Prima quia longè maior est corpore & validior lumine. Secunda, quia Mercurius propter paruam distantiam loci eius à Sole semper plerunque est sub radiis eius.

Ex his liquet Planetas in centro ascendentis, vel iuxta maximas circa animi affectus vires habere. Etenim vix fieri potest, quin in Mercurij loco, aut Lunæ aliquam habeant potestatem: Qua ascendenti communicata simul & ob anguli robur maximè animum afficiunt. Saturnus igitur cautos, Iupiter eruditos, Mars efficaces, Sol graues, Venus fœcundos, Mercurius promptos, Luna comes facit.

TEXTVS LXVI.

Signa igitur mobilia, vt generatim dicamus, publicolas mentes generant, ciuilium, forensiúmque negotiorum cupidas: Amplius, ambitiosos, diuinis vacantes, ingeniosos, agiles, indagatores, inuentores, benè coniectantes, refutatores, diuinatores, Bicorporea vero signa, varios, mutabiles, indociles, leues, permutationis auidos, neutiquam simplices, sed versipelles, amatores, musicæ studiosos, negligentes, obuios, ad pœnitendum pronos. Fixa, æqui obseruantes, ab assentatione alienos, constantes, firmos, intelligentes, tolerantes, laboriosos, rigidos, continētes,

illatæ

illatæ iniuriæ memores, cœpti operis persecutores, contentiosos, ambitiosos, seditiosos, cupidos, perfractos, non facilè flexibiles.

Locorum ipsorum naturam iam incipit declarare. Scientia & inuentio à mobilitate quadam ingenij proueniunt. Ideò mobilia signa ad linguas præcipuè discendas sunt aptiora. Communia ad conuersationem, quia homines sunt natura fallaces. Fixa ad magna opera, & ad regnandum, nam tales decet esse graues & minimè mutabiles.

TEXTVS LXVII.

Configurationum quæ orientales sunt, & apud horoscopum, maximè quæ in propria persona: Liberos simplices & præfractos, fortes, ingeniosos, & acutos, apertosque faciunt.

Hoc est tertium & quartum: stellæ quæ sunt orientales & maximè cum primum emergunt à terra, vt nobis Iupiter, quia sunt potentes, faciunt liberos & suis viribus confidentes. Eligit autē ex orientalibus in mundo solum quod est horoscopo proximum, vt in sequenti ex stationibus tantum primam. Comparat autem orientalem statum, quo ad Solem exortui supra terram: Sicut in sequenti stationem primam, stellæ medium cœli possidenti.

TEXTVS LXVIII.

Matutinæ verò stationes & cœli culminationes: Ratiocinatores, constantes, magnanimos, memores, cœpta vrgentes, immobiles, fortes, fraudis expertes, prudentes, inflexibiles, crudos, censores, negotiosos, scelerum vindices, scientiis idoneos.

Hic comparat stationem primam in qua adhuc Planeta est orientalis (loquendo de superioribus) ipsi cœli medio: nam vtrobique vt superius visum est Planeta vltimum robur acquirit. Sic in sequentibus angulum occidentis, vespertinamque visionem simul confert dicens.

TEXTVS LXIX.

Ortus verò stellarum in noctis exordio, & occasus: Instabiles, flexibiles, infirmos laboris impatientes, facilè concitabiles, humiles, viles, timidos, dubios, timidè audaces, obtusos, iactabundos, tardos.

Hic bifariam posset intelligi ortum stellarum in noctis exordio: scilicet cum in oriente emergunt oppositæ Solis, vel cum in occidente illum sequuntur; sed intelligit tantum de stellis tertij status, id est, quæ Solis oppositionem iam superauerunt. Hæ igitur occasui in mundo comparantur vtrinque debiles: Debiliores tamen ratione Solis quàm anguli occidentis. Ideò animam pessimè affectam nunciant. Neque tamen credas quod hic situs aliis in causis, adeò debilis sit. Sed in animæ qualitatibus validissimus exigitur.

TEXTVS LXX.

Vespertinæ stationes, & subterraneæ culminationes: amplius in Mercurio & Venere die quidem vespertini obitus, noctu verò matutini: Ingeniosos, & sapientes, non nimis memores, neque laborum, aut patientes, aut cupidos, occultorum perscrutatores, & inuisarum rerum indagatores, vt magicarum, mysteriorum, sublimium, mechanicarum, fabrilium, operum mirabilium architectos, rerum cœlestium & philosophiæ studiosos, aruspices diuinatores ex somniis, & his affines.

Hæc est quarta comparatio in qua imum cœli confertur vespertinæ stationi, id est, secundæ in qua superiores dirigi incipiunt. Et est status mediocris, quia stationes natura sua sunt validæ, sed secunda est debilior prima. Huic igitur comparatur status inferiorum, scilicet Veneris & Mercurij. In die vespertinum obitum in nocte verò matutinum, scilicet occasum: pro quarum intellectu tabulam hanc subieci ex decimotertio Magnæ compositionis, qua possis scire quando inferiores maximè tum superiores etiam videri possint, aut occultentur. Plurimum enim hoc interest cum Planeta exiens è radiis Solis sit in optimo statu, occultatus verò omnibus viribus careat.

Ortum igitur matutinum intelligit cum stella oritur ante Solem. Ortum vespertinum, cum stella Sole velocior, vt Venus & Mercurius relicto Sole apparent post illius Occasum. Occasum matutinum cum stella Sole velocior, quæ ante Solem apparere mane solebat absconditur, quoniam velocitate sua Solem comprehendit. Occasum vespertinum cum stella Sole tardior, à Sole superueniente occultatur. Manifestum est igitur ex hoc quod fixæ & superiores non possunt habere, nisi duos status, scilicet occasum vespertinum, ortumque matutinum, Rursus inferiores cum habeant quatuor status ob motum, qui quandoque velocior est motu Solis, ea ratione qua tardiores sunt habent ortum matutinum & occasum vespertinum, sed vt velociores Sole habent ortum vespertinum, & occasum matutinum. Primi igitur & communes superioribus sunt cum retrocedunt, aut Sole sunt tardiores: reliqui duo similes Lunæ sunt ortus vespertinus & occasus matutinus.

Pro

Pro Tabulæ igitur intellectu gratia exempli, dicamus quod Venus in initio Libræ (nam Tabula de hoc intelligitur, ſcilicet initiis ſignorum vt Ptolemæus teſtatur) habeat grad. 17. minut. 43. in occaſu veſpertino, & in ortu grad. 7. min. 49. ſolum: dices quæ differentia? Dico quod Venus dum tarda eſt, & verſus Solem tendit cum eſt proxima Soli 17. grad. 43. minut. quia Libra obliquè deſcendit & ipſa eſt in parte inferiore epicycli occultatus. Dum verò iuncta Soli in ſuperiore epicycli parte illum ſuperat velocitate motus, ſub grad. 7. minut. 53. apparet. Hoc autem maximè etiam contingit ob latitudinem.

Igitur Ptolemæus in hoc textu, quoad inferiores duos mediocres ſtatus, proponit vnum veſpertinum obitum, qui fit cum Planeta, vt dixi, tardior motu eſt, & matutinum occaſum, qui fit cum Planeta eſt velocior. Sed tarditatem die compenſat cum Planeta eſt ſupra terram, velocitatem nocte cum ſit ſub terra, vt Planetæ ſtatus fiat mediocris.

Rurſus in vtroque obſeruat, vt ſtella ex occaſu nullum recipiat detrimentum: De die orta poſt Solem etiam ſi non Sol illi propinquus eſſet videri nihilo ſecius poterat: De nocte ante Solem occidens etiam ſi Sol ab ea abeſſet non poterat videri: is igitur ſtatus medius erat. Quatuor igitur ſtatus ſunt

Tabula Ortus, & Occaſus Planetarum.

	Saturni				*Iouis*				*Martis*				*Ve ne ris*								*Mer cu rij*							
Sig-	Or.	M.	Oc	V.	Or	M	Or.	V.	Or.	M.	Oc	V.	Or.	M.	Oc.	V.	Or	V	Oc.	M.	Or	M.	Oc.	V.	Or.	V.	Oc.	M.
na.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.	G.	m.
♈	23	1	11	28	20	10	10	19	21	12	11	40	3	0	4	9	5	10	10	28	23	58	9	53	9	58	23	38
♉	21	57	11	44	19	6	10	29	20	8	11	48	6	16	4	16	5	5	9	40	22	15	10	15	10	4	22	19
♊	17	52	12	26	15	51	11	10	17	21	12	30	9	19	5	17	5	12	7	36	18	0	11	47	10	18	16	44
♋	14	2	14	2	12	48	12	46	11	33	14	33	9	50	8	23	5	36	5	59	14	4	15	34	12	22	12	30
♌	11	34	15	34	10	31	14	31	12	38	17	15	8	2	13	3	6	16	5	5	11	25	19	59	13	43	10	29
♍	10	53	16	53	10	1	16	13	11	46	20	5	6	38	18	2	7	22	4	54	10	21	23	13	18	1	9	59
♎	10	48	17	6	9	57	16	34	11	38	21	1	5	14	17	43	7	53	4	54	9	15	23	12	22	49	10	0
♏	10	53	16	53	10	41	16	11	12	48	20	19	5	28	13	47	8	20	4	55	9	44	22	1	20	1	10	19
♐	11	31	15	34	10	40	14	31	12	34	17	32	4	39	8	1	7	49	5	16	9	25	17	25	18	11	11	19
♑	14	2	14	2	12	46	12	48	12	45	14	45	2	42	4	8	6	55	6	35	9	36	12	10	16	54	14	5
♒	17	52	12	26	15	51	11	10	14	35	12	39	0	30	3	16	5	51	8	33	21	27	9	50	11	10	17	50
♓	21	57	11	41	19	6	10	29	16	25	11	49	0	24	3	38	5	22	10	16	19	15	9	43	10	11	21	46

inferiorum quorum peſſimus eſt: Die Occidentalis matutinus, & nocte Occidentalis veſpertinus: nam cum apparerent, apparere deſierunt. Orientalis verò veſpertinus in die, & Orientalis matutinus in nocte, fruſtrantur ſuo opere: tamen ſunt in expectatione. Optimus igitur eſt in die Orientalis matutinus, & in nocte Orientalis veſpertinus. Et quo Orientalis matutinus propter aſcenſum ſuperat Orientalem veſpertinum deſcendentem, tantum ab eo ſuperatur cùm Orientalis veſpertinus ſit velox motu, matutinus, autem

autem tardus. Ex his igitur ad mentem Ptolemæi facilè est deprehendere status inferiorum

Status inferiorum.

Die Orientalis matutinus.
Nocte Orientalis matutinus.
Die Orientalis vespertinus.
Nocte Orientalis vespertinus.
Die Occidentalis matutinus.
Nocte Occidentalis matutinus.
Die Occidentalis vespertinus.
Nocte Occidentalis vespertinus.

Planetarum: non tamen adeò, vt dixi superius, distinctos, vt sunt superiorum.

TEXTVS LXXI.

Quando verò in propriis aut domesticis locis fuerint astra, quæ separatim animis formandis præsunt, quemadmodum in principio huius operis discreuimus, illustria & non impedita, suis viribus suffulta & lucrosa decernunt sua omnia, potissimè cum ipsa astra vtrique loco dominantur, nimirum Mercurio qualitercunque configurata, à Luna separantur, aut ad eam se applicant. Sin aliter sunt sita & in locis alienis, quæ ex sua natura peculiariter animis imprimunt obscura, occulta & inchoata sunt.

Et hoc pertinet ad secundum genus, si quidem dominantium stellarum, quod quidem tria continet. Primum, vt talia sydera sint in propriis locis, velut domo, altitudine, trigono: vel in domesticis, velut masculinus in masculino signo, & diurnus in die: Tunc omnia quæ decernunt illustria sunt, non impedita, valida & lucrosa: sic quod qualitates animi sunt primum illustres, id est, valdè manifestæ, deinde non impeditæ, id est, non hæsitantes, neque contrariis permistæ affectibus & validæ, id est, firmæ: & quæ non mutentur & lucrosæ, quia cum illa animi libertate fœlix erit. Vix enim fieri potest, vt damnosa bonitas perseuerare possit: Vt verò perseueret conuenit, vt ingenuitas illa sit cum vtilitate: sicut videmus in mercatoribus qui ob fidem plurima tractant, indeque fiunt diuites. Homines enim singuli quærunt bonos, quamuis ipsi velint esse mali. Similiter & iurisconsulti ob iustitiæ opinionem ad magnos honores ascendunt. Tertium est quòd hæc omnia erunt maiora, imò maxima si his duabus conditionibus tres aliæ adiiciantur, scilicet quod dominentur vtrique loco principali, quod commisceantur Mercurio, scilicet vel commutatione dignitatum, vel mistione radiorum, vel vt sint in eadem longitudine, vel in eodem circulo positionis, vel in intuentibus, vel in imperantibus & obedientibus, vel quod tertius Planeta faciat translationem luminis ab vno ad alterum, vel quod Planeta ille sit iunctus, vel in eodem circulo positionis cum stella naturæ Mercurij: Istis enim octo modis commisceri dicuntur Planetæ: Vltimò quod idem Planeta Lunam ad se venientem excipiat, vel Luna defluat ab eo. Quòd si dominantis Planetæ fuerint in oppositis duarum primarum conditionum, id est, nec in propriis, nec familiaribus, erunt contraria pro illustribus obscura & occulta, pro non impeditis impedita & inchoata tantum, debilia quoque pro validis & damnosa ἀπελείωτα κ ἀσϖκοντα κάδισάν, id est, imperfecta & infelicia subsidiisve carentia.

Notandum quod cum maximè considerentur tria hæc ascendens, Mercurius, Luna, atque hic consensus robur natura dominatorum, & conditio illorum. Consensus efficit vt omnia compta sint, vbi non colligentur, vt stultitiæ opinionem præbeant, & si nonnulli excellant in sua arte, alij non, parum valeant in ciuilibus negociis quod autem bene dispositi sint ad robur ingenij & prudentiæ pertinet. Natura dominantium mores declarat stupidi, inertes, auari, crudeles, benigni, mansueti, lenti, iracundi. Dispositio illorum effectus, qui consequuntur & fortunam ac talia. Vnde etiam coniectari possumus fortunam eorum. Quis enim etiam ex rebus ipsis non intelligat malè periturum, ignauum, stultum, ac improbum & iracundum. Beneficas ergo præesse persæpe non expedit, sed maleficas potentes, & orientales, ac lætans commistos beneficis. In potentibus autem beneficas cum luminarium auxilio.

TEXTVS LXXII.

Quæ verò ab iis, qui his dominantur, aut elati sunt supra ea proficiscuntur valida, & his quibus insunt noxia sunt omnia, vt qui propter maleficarum stellarum commoda diuersoria mali sunt, dominantibus ipsis stellis facilè ad nocendum aliis, ac sine suo periculo, nec impediti, nec sine gloria, & lucro concitantur. Superatis autem his ab iis, quæ sunt alterius sectæ, siue familiæ non impunè aliis insultatur, & animaduersionem facilè incurrunt. Contra qui propter beneficarum stellarum ad prædicta loca familiaritatem boni & æqui sunt, si nullæ supra eas elatæ sint, gaudebunt & bene audient ob ea, quæ in alios conferunt beneficia, nec à quoquam contumelia afficientur, sed vtilis & fœcunda erit sua ipsis probitas. Deuictis verò his à stellis contrariis, qui sua mansuetudine & humanitate in aliorum sugillationem & contemptum vim, contumeliamque incurrunt.

Superiùs quadrifariam efferri Planetam super Planetam declarauimus: manifestum est

est autem quod facilius imperant, & dominantur debilibus Planetis, & his qui extra proprias sunt dignitates, & in dissimilibus locis. Dicit igitur eleuari Planetam aliquem super dominum aut dominos qualitatum animæ, & præcipuè cum ille dominus, aut domini fuerit imbecillis & extra propios locos aut consimiles, semper est malum. Et hoc sic probat: Si Planeta qui dominatur loco Lunæ & Mercurij fuerit maleficus significabit improbum, & qui aliis noceat quidem, sed tamen si nullus alius Planeta super ipsum eleuetur, hoc non solum ei erit impunè, sed etiam cum lucro & gloria. Ergo in hoc casu bonum est nullum Planetam super dispositorem maleficum eleuari: quod si eleuetur, ille quidem erit improbus, aliisque malefaciet, sed malefactorum pœnas dabit: eritque sine lucro & gloria talis improbitas. Quòd si dispositor beneficus fuerit, nec alius Planeta super ipsum eleuetur, probus erit ille natus, & probitas illa gaudium, & gloriam, & vtilitatem afferet: Sed si Planeta alius eleuetur super ipsum modo non sit benefica concors, erit quidem probus, sed probitas illa iacturam illi afferet, & contumeliam ac iniurias patietur ab aliis: Et ob id etiam contemnetur & paruipendetur. Omnia autem hæc, vt dixi, eò maiora erunt, quò Planeta dispositor fuerit imbecillior.

Animaduertendum quod si benefica eleuetur supra maleficam dispositricem, seu dominam morum & qualitatum animæ, ille dabit pœnas per iudicium & condemnatus à iudicibus: Et erit infamis apud omnes probos. Sed si malefica sit domina morum & super eum malefica alia eleuetur, tunc ille à malis præcipuè opprimetur, vel violentes, vel etiam falsis accusationibus, vel veris etiam, sed iniustè tamen ab illis. Vtpotè si fuerint & ipsi flagitij participes, & criminis conscij & coniurati. Ita quod semper in tali accusatione aliquid odij potius & sceleris, quàm amor iustitiæ, vel boni & æqui. Similiter si benefica præficiatur moribus, & malefica super ipsam eleuetur, contemnetur ab improbis, & calumnias ingerent in illum falsas, non tamen damnabitur iudicio, imò potius à bonis defendetur. Sicut in nostra natiuitate in qua illud omnino miraculosum fuit millies ab improbis pati calumniam, & ne semel quidem publicè accusari, nedum accusatum condemnari, quod meræ essent calumniæ. Id effecit, vt Mediolani ob probitatem principum, qui falsas accusationes non solum negligunt, sed talionis pœna rependunt, vt nemo cum tot inimicis, cum tot falsis apud populum insimulationibus, quibus ad annum vsque quadragesimum septimum laborauimus, ausus sit nos iudicio tentare præterquàm nebulo pessimus, qui nos de natalitiis propter inuidiam & auaritiam apud collegium medicorum, ne non reciperet spurium me natum esse, dicens accusauit, atque id tutò, quoniam collegium illud ius non habet vlciscendi periuros neque sceleftos, sed solum reiiciendi illos, qui aliqua in conditione deficiunt. Itaque solum sufficit mihi, vt irrita fuerit eius accusatio, quanquam multis annis me extra collegium detinuerint. At qui me detinuit maius peccatum habebat: ob idque miris modis vita tota excruciatus, demum & morte per desperationem mulctatus, sine vllo solatio vitæ & multo minore spe æternæ consolationis, non minus impietate in Deum, quàm scelere apud homines iamdiu cruciatur in inferno. Si verò benefica moribus præfecta alia benefica contraria natura super eam eleuetur, veluti si Iuppiter dominus sit morum in Capricorno vbi cadit, in septimoque loco. Venerem excipiat ex opposito, quæ in Cancro sit, atque in paucioribus gradibus, ipsa verò erit prope absidem, sitque diurna genitura vel nocturna nihil refert, tunc talis cum Iuppiter futurus sit retrogradus, etiam ob Solis distantiam, erit adeò in sua probitate deiectus, & ab omnibus in alienam trahetur sententiam, vt omnino pro inutili ab ipsis bonis etiam habeatur. Quemadmodum apud Papienses D. Ioannes Petrus de Curte Iurisconsltus quem cum nemo iure improbitatis accusare possit, tamen adeò bonus est & simplex, vt ab omnibus (quamuis integerrimis viris) omnino negligatur: interdictumque illi sit publicè paucis iam ante annis, ne quenquam laurea decoraret. Quod in flagitiosissimo etiam turpissimum esset: sed tam eneruis bonitas cum Reipublicæ adeò officeret, ad hæc præcepta publicos coegit magistratus, ne vnius dedecus vniuersam fœdaret academiam. Forsan diceres hoc ex imperitia illi contigisse: nequaquam: sed ob viri simplicem bonitatem. Neque enim adeò imperitus est, vt talem infamiam mereatur, & multi apud homines ob calliditatem non solum nihil tale passi sunt, sed à vulgo maximo in honore habentur: cum non solum imperitiores illo sint, verum valde plus & sine comparatione. Hæc volui subiicere vt sententiam Ptolemæi optimè intelligeres.

TEXTVS LXXIII.

Hæc igitur est in genere sumpta harum rerum consideratio, nunc singularia ab astrorum propria natura secundum eorum dominum pendentia, deinceps summatim percurramus quoad commistionem & contemperaturam eorum, quæ vniuersum deprehendi possunt, assequamur.

Saturnus igitur solus gubernationem animæ nactus, dominusque Mercurij & Lunæ, si bene situs fuerit respectu orbis & angulorum, efficit nimium corporis sui ac vitæ studiosos, rigidis sententiis, profundis meditationibus, austeros, suæ pertinaciter sententiæ adfixos, laboriosos, imperiosos, scelerum seueros vindices, superuacaneis infectos, auaros,

 violentos,

violentos, thesauros coaceruantes, inuidos Contra obscuro loco positus, sordidos, præparcos, abiectos, suis sententiis innixos, innidos, timidos, solitarios, maledicos, lugubri semper habitu, impudentes, superuitiosos, laboriosos, suorum liberorum & necessariorum negligentes, domosticis suis insidiantes, tristes, valetudinis suæ rationem nullam habentes. Si verò Ioui sit prædicto modo conciliatus & honorato loco constitutus, bonos, reuerentes maiorum natu, compositos, benè sentientes, allis commodantes, impigros, exacti iudicij, quæstuosos, magnanimos, liberales, temerè nihil inceptantes, familiæ suæ studiosos, mites, prudentes, patientes, philosophos. Si secus ineptos, furioso, formidulosos, superstitiosos, sacra versantes, incantatores, suspicaces, liberorum suorum osores, amicis destitutos, abditis locis latentes, infidos, ineptè elegantiam affectantes, virulentos, dissimulantes, imbecilles, ambitiosos, ad pœnitudinem pronos, fatuos, ac proinde tollerantes malorum & iniuriarum. Marti verò prædicto modo conciliatus, in prospera constitutione, reddit homines citta delectum multa inceptantes, ore libero, laboriosos, turbulentos, timidè audaces, rigidos, immisericordes, fastidientes aliorum, asperos, bellaces, temerarios, seditiosos, fraudulentos, insidiatores, implacabili ira, perturbationibus inhiantes, tyrannicos, cupidos, Reipub. aduersantes, contentiosos, illatæ iniuriæ memores, funditùs improbos, vehementes, intolerabiles, tumidos & inflatos, importunos, gloriosos, infestos, iniquos: impunitos, ab omni humanitate alienos, immobiles, pluribus sese negotiis implicantes, agiles tamē & artificiis idoneos, inuictos & omnino lucrosos. Si verò infeliciter situs est, raptores, latrones falsarios, flagitiosos; turpilucro incumbentes, incompositos à liberis & necessariis abhorrentes, contumeliosos, insidiatores, fures, periuros, crudeles, nefarios, maleficos, homicidas, incantatores, impios, sacrilegos, sepulchrorum effossores, ac planè improbos. Veneri conciliatus, prospereque constitus, efficit homines ingenio à mulieribus abhorrenti, ad senes verò propenso, solitarios, inamœnos in cōuictu, ac ambitione remotos formasa natiuo odio declinantes, inuenustos, inuidos, austeros, alienos à congressu, & conuictu, suis sententiis innixos, vates, religiosos, mysteriorum & oraculorum cupidos, sacrificos, diuinos, venerabiles, & verecundos, pihilosophos, fideles in conuictu, stabiles, continentes, ratiocinandi vi præditos, cautos, ad indignationem pronos, in reuxoria suspicaces & Zelotypos. Si infeliciter situs est, lasciuos, incontinentes, obscœnos, sine deliberatione plerunque agentes, impuros in congressu, immundos, fœminarum dolis expositos, ac maximé domesticarum, audaces, prorsus infames, procliues in Venerem, pulchra declinantes, obtrectatores, maledicos, temulentos, obsequiosos, nefariè in coëundo affectos, non in eo tantum, qui naturæ consentaneus est, verùm etiam præter naturam seniorum, ac vilium hominum, ac deinque bestiarum lege vetitos congressus appetentes, impios, Deorum irrisores, mysteriorum, sacrorumque prophanatores, infidos calumniatores, nihil non tentantes. Mercurio conciliatus, honorato loco positus curiosos efficit, sciscitādi auidos, iuris indagatores, rerum medicarum studiosos, arcanorum & eorum, quæ vulgò efferre religio est non expertes, miraculorum architectos, captiosos, in diem viuentes, agiles, procuratores, solertes, acutos, amarulentos, diligentes, sobrios, industrios, lucrosos. Contra infeliciter situs, nugones, iniuriæ illatæ memores, duri, animis, laboriosos, suorum osores, inuidos, tristes, noctiuagos, insidiatores, proditores, immisericordes, fures, magos, incantatores, machinatores, mala fide in negotiis versantes, offensatores, facileque impingentes.

Iouis verò sydus quando solum gubernationē animi nanciscitur infelici situ, efficit magnanimos, gratiosos, pios, reuerentes, hilares, humanos, magnificos, liberos, iustos, misericordes, affabiles, excogitandi vi præditos, liberorum & affinium studiosos, principatui & regno idoneos. Diuerso modo positum, similia veluti simulachra iam dictorum animis imprimit, obscurius & humilius

omni

omni, aut pro magnificentia, prodigalitatem. pro pietate, superstitionem: pro verecundia, timiditatem: pro veneratione, multitudinis existimationem tantum: pro humanitate, fatuitatem: pro amore pulchrarum rerum, luxuriam, seu voluptatis nimium desiderium: pro prudẽtia magna, cunctationem: pro libertate, responsandi, & quibusuis sine discrimine obloquendi assuetudinem: & id genus cætera.

Marti verò conciliatus honorata collatione asperos producit, pugnaces, militari ingenio, & ad res procreandas idoneos, dominos, nemini parentes, audaces, sponte se periculis obiectante, negociosos, ore libero, ad reprehendendum pronos, cœpta prosequentes, contentiosos, primatum nusquam non affectantes, prudentes, insidiantes, vincendi studiosos, magnanimos, ambitiosos, animosos, omne iudicandi arbitrium sibi sumentes, & hæc omnia feliciter. Si aduersa fuerit Iouis constitutio contumeliosos, siue discrimine vnicuique manus iniicientes, crudeles, irreconciliabiles, seditiosos, contentiosos, peruicaces, calumniatores, insolentes, cupidos, raptores, variabiles, leues, & quos crebro actorum pœnitet, temerarios, inconstantes, infidos, multo iudicio, cognitione nulla, turbulentos, insidiosos, faciles ad verbara, querulos, prodigos, nugaces, enormes & inconstantes.

Veneri conciliatus Iuppiter fœlici situ, puros, voluptuarios, pulchorum amantes, artificiosos, sciendi cupidos, musicos, cantores, leues, fraudi expositos, beneficos, argutos, minimè malos, pios, & deorum cultores, certaminum studiosos, prudentes, amatores, venustos, sed non sine maiestate quadam splendidos, gnaros, liberales, literarum studiosos, iudicio præditos, modestos ac honestos, erga rem veneream, contentiosos, æqui amantes, & honoris cupientes, ambitiosos, & vt vno verbo dicam, decenter & eleganter probos. Si minus feliciter situs est, delitiis operam omnem nauantes, effœminatos, saltores, muliebri & euirato, animo, sumptuosos, amatores, segnes, somnolentos, in venerem pronos, adulteros, ornatui nimis indulgentes, molles, ignauos, prodigos, ad cauillandum propensus, prope fatuos, affectuum impulsus non coërcentes, cultum & muliebrem elegantiam affectantes, muliebribus sententiis, sacris insistentes lenones, mysteriorum indagatores, fidos sanè & non improbos, gratiosos & affabiles, iucundo conuictu, & in occursationibus liberiores.

Mercurio verò fœlici statu conciliatus, literarum cupidos & linguarum, geometriæ amantes, mathematicos, artifices, concionatores, ingeniosos, sapientes, bonos, dapsiles, ciuiles & politicos, beneficos, quibus tuto aliquid mandetur, benè moratos, liberales, & qui turba delectentur, callidos, lucrosos, veluti principatui genitos, pios, deorum amantes, mira in tractando dexteritate præditos, pios erga liberos, & parentes, & necessarios, familiæ studiosos, eruditos, philosophos. in existimatione ob hæc constitutos. Si secus, fatuos, nugonos, in errorem procliues, contemptibiles, furore diuinatorio correptos, facrificos, vaniloquos, amarulentos, simulantes sapientiam, stultos, superbos, commentores, incantatores, incompositos, multa scientes & memoriæ tenacis, ad docendum habiles, miniméqne impuris cogitationibus obnoxios.

Martis sydus quando solum animi formandi munus nanciscitur in situ fœlici, generosos facit, animoque ad principatum propenso, diuitiarum cupidos, versipelles, fortes, multis sese periculis exponentes, temerarios, nulli parentes, sine discrimine inter homines agentes, peruicaces, acutos, audaces, fastidientes aliorum, tyrannicos, ad pugnam procliues, iracundos, ad exercitum ductandum idoneos. Sin aliter, crudeles, contumeliosos, sanguinis profundendi & tumultus concitandi cupidos, prodigos, vociferatores, percussores, temerarios, temulentos, raptores, infestos, immisericordes, perturbationibus obnoxios, furiosos, familiæ & domesticorum negligentes, impios.

Veneri conciliatus, in prospero situ amabiles, benéq; tractabiles sociorum studiosos, suauiter conuiuentes, lætos, lusui deditos, simplices & apertos, modestos, saltatores, amatores, liberorum amantes, imitatores,

voluptuarios, cultum corporis non ſpernentes, in venerea vitia pronos & ſalaces, ſed ſine incommodo aut damno, quique vitia ſua tegere norint, prouidos, reprehenſionem & iudiciũ, ſiue cenſuram aliorum non incurrentes, iuuenum amatores, maſculorũ æquè ac fœminarum, ſumptuoſos, iracundos, & Zelotypos. Si ſecus ſe habet, natos facit oculis emiſſitiis, ſegnes, procliues ad venerea, omnium ſecuros, cauillatores, adulteros. contumelioſos, mendaces, aſtutos, corruptores domeſticorum, & aliorum, vtque feſtiuos ad ſatisfaciendum cupiditatibus, ita facilè ſatiabiles mulierum, ac virginum conſtupratores, crebro ſe periculis obiectantes, callidos, immoderatos, inſidiatores, periuros, faciles ad lapſum, & dementiam interdum etiam ſeipſos ornare geſtientes, audaces, peruerſos, & inſolenter petulantes.

Mercurio conciliatus ſitu fœlici vehementes reddit in dicendo, militares ſtrenuos, agiles, indeſpectos, verſipelles, habiles, ſophiſtas, laborioſos, veteratores, lingua promptos, ad inuadendum faciles, doloſos, inconſtantes, ex inſidiis hominem adorientes, malis artibus imbutos, ingenioſos, deceptores, ſimulatores, inſidiatores, malè moratos, curioſos, malorum amantes, proſperè tamen agentes, & cum æqualibus, & ſimilibus facilè, iucundéque conuerſantes, amicè recipientes, ac omnino vt inimicis incommodantes, ita amicos prouehentes. Si aliter ſitus eſt, decoctores, alienorum vſurpatores, crudeles, periculis ſe exponentes, audaces, & quos non rarò actorum pœniteat, faciles ad verbera, immoderati motus, mendaces, fures, impios, periuros, irruptores, ſeditioſos, incendiarios, hiſtriones, infeſtos, latrones, ſepulchrornm effoſſores, truculentos, falſarios, mala fide rem tractantes, incantatores, magos, veneficos, homicidas.

Venus ſola animi gubernaculo præſidens, honorifico loca ſita, blandos, bonos, voluptuarios, omnibus expoſitos, cordatos, puros, ſaltandi ſtudioſos, affectatores, lætos, laboris fugientes, artium amantes, decentes, deorum mirè reuerentes, habiles, in ſomniis felices, pio affectu erga liberos & neceſſarios, beneficos miſericordes, liberales, lucroſos, ac denique Venereos. Sin aliter, ignauos, amatores, effœminatos, muliebres, timidos, præcipitabundos, in rem Veneream procliues, neque infames, neque claros ſed obſcuros & latentes.

Mercurio conciliata felici ſitu, reddit ad opificia manuaria prompto, animo philoſophico & ſcientiis apto, ingenioſos, opifices, poëtas, elegantes, bene moratos, voluptuarios, delicatos, lætos, ſapientiæ amantes, amicis amicos, pios, prudentes, varia machinantes, meditabundos, aptos mente, gaudentes officio, celeriter, atque adeò libenter diſcentes, idque ſine magiſtri opera, æmulatores optimorum, affectantes eorum, quæ pulchra ſunt, ore honeſto, gratiarum affatim plenos, ſermone amabili, moribus moderatis, probos, arena delectatos & paleſtra, iudicandi acumine non deſtitutos, magnificos. Quantum ad Venerea pertinet à mulierum conſuetudine abſtinentes, ad puerorum congreſſus propenſiores & Zelotypos. Si ſecus irruptores, machinatores, ore impudico, nunc harum, nunc illarum partium, peruerſis ſententiis, deceptores, perturbatores, mendaces, calumniatores, periuros, penitus peruerſos, inſidiatores, incompoſitos, inhoſpitales, falſarios, mulierum conſtupratores & puerorum. Amplius cultui corporis deditos, molles, infames, quique in ore ſint omni populo, omnibus ſe immiſcentes, interdum rectè iudicantes, interdum ſecus, turpia perpetrantes, & pro vario affectionum motu vnumquenque contumelia afficientes.

Mercurius ſine collega animum gubernans feliciter ſitus, ſolertes, ingenioſos, mentis vi præditos, multacum rerum peritia inſtructos, ad inueniendum idoneos, experientes, beneratiocinantes, coniectando ſcopum ferè attingentes, naturæ rerũ peritos. bonæ indolis, imitatores, beneficos, comtemplandi vi præditos, mathematicos, arcanorum conſcios & proſperè hæc omnia. Si aliter poſitus eſt, vafros, impræmeditatos, obliuioſos, impetuoſos, leues variabiles, ineptè elegantiam affectantes, inſipientes, facilè per errorem pecantes, mendaces, nullo diſcrimine vtentes, inconſtantes infidos, alienis imminentes

tes, iniustos & omnino mente labili & in errores seductili.

Notandum primo quod Ptolemæus semper in omnibus causis præterquam in Aphetis tria proponit & considerat, scilicet quod est, in quo est, & quod præest. Quod est, fermè quia iam est, parum aut nihil afficitur, seu benè, seu malè se habeat. Quod præest, summã habet authoritatẽ. In quo est, mediocrẽ. Exemplum in causa qualitatem animæ Mercurius & Luna sunt, quod est, id est, subiectum & res ipsa. Et ideò Ptolemæus parum curat: curat tamen aliquantisper an sint combusti, an validi, an Mercurius retrogradus, an orientalis, &c. Aliquid etiam facit: nam Mercurius velocissimus efficit maximè inconstantes, retrogradus hæsitantes, sub radiis absconditus, vt mihi, tractantes obscuriora & inutilia: Lucens autem quæ sunt in communi vsu & vtiliora: orientalis liberior: occidentalis dissimulator. Planeta verò qui præest maximam habet potestatem: Velut in genitura nostra Venus proculdubio primo, inde Saturnus, & Mercurius, & Iupiter, & Luna, & Mars. Sed id in quo est, est locus Mercurij & Lunæ, qui plus habet potestatis quàm Mercurius vel Luna, minus tamen quàm Venus, gratia exempli, seu dominus loci.

Notandum secundo quod vnum est generale in omnibus his tribus, scilicet substantiis, dominis & locis, vt inter se configurentur amico aspectu, vel alia ratione conuenienti: Et hoc est optimum quod possit esse: ita vt Luna Mercurio & dominis loci configuretur, fiatque commutatio dignitatem & etiam inter dominos.

Tertium est quod in dominis quando soli sunt considerat, quod sint bene dispositi, quò ad orbem, id est, quo ad angulos: nam de signifero & Sole, & comparatione ad alios Planetas superius locutus est. De conciliatione autem Solis ac Lunæ inferius loquetur. Hæc igitur quartum & quintum membrum superius adductum continent. Nam illa in quibus Planeta tam benè quàm malè dispositus conuenit, ad substantiam Planetæ pertinent: & ideò ad quintum membrum: in quibus verò dissident ad Planetæ situm in comparatione ad angulos, seu ad mundum, & est quartum membrum.

Rursus in mistionibus oportet considerare maximè duo, primum in conuenientibus quis superet aut superetur: Veluti si Saturnus cum Venere sit mistus, & Venus dominetur magis quàm Saturnus, & potentior etiam illo sit, tunc considera decreta Veneris separata, scilicet quando sola dominatur, & illa augebis: quæ verò sunt propria Saturno, minues. Alia verò quæ non sunt propria nec Saturno, nec Veneri, manent non adeò variata.

In eisdem considera mistionem ex tribus & quatuor Planetis satis diuersam à natura singularium. Considera etiam duas combinationes quas relinquit, nam fieri potest, vt tam primus quàm secundus dominus sint benè constituti, vel ambo malè, & has duas ponit: fieri etiam potest, vt primus sit bene positus, & secundus male: vel contrario modo, & has relinquit.

Rursus quando sunt duo domini, vel ambo possunt esse participes in ambobus locis fermè æqualiter, & hoc est melius: vel vt vnus dominetur plenè in loco Lunæ, & alter in loco Mercurij, & tunc istud est deterius, quia nisi Mercurius Lunæ configuretur tales erunt, valde incompositi in actionibus suis. Sunt igitur tres status, scilicet quando vnus solus Planeta vtrique loco simul dominatur, & hic facit mores sibi vndecunque consentientes, tam in bono, quam in malo. Secundus est cùm duo, vel plures Planetæ in ambobus locis dominantur: & tales habebunt mores mistos, non tamen varios in diuersis temporibus, sed eosdem semper. Tertius est cum ille qui habet dignitatem in loco Mercurij, non habet in loco Lunæ, & ille qui habet dignitatem in loco Lunæ, non habet in loco Mercurij: & talis status, vt dixi, facit mores valdè varios, inconstantes & incompositos.

Nota etiam quod Planeta dicitur solus dominari qualitatibus animi trifariam, vel quia non commistus aliis solus in ambobus locis plenè dominatur, velut si Luna & Mercurius orientales, Luna sub radiis latitante, Mercurio verò splendente sub Solis ortum in finibus Mercurij, Venere etiam latitante sub Sole, celebraretur coniunctio Lunæ ac Mercurij in Virgine, tunc Mercurius esset solus dispositor. Et generaliter hic modus fit quamdo Planetæ latitant sub Sole, & relinquitur vnus solus, dominus illorum locorum. Secundus modus est cum Planeta vnus solum dominatur in vtroque loco, & licet alij Planetæ vires maximas habeant singuli in singulis locis, nullus tamen habet vim in vtroque loco simul, tunc qui vim habet in vtroque loco simul, is est solus dominator, si alij non commisceantur illi, nec sint in ascendente iuxta centrum. Tertius modus est cum Planeta vnus dominantur in vtroque loco, nec deest alius qui etiam dominetur in vtroque loco, sed tamen parum dominatur, vtpote si sit solum secundus dominus trigoni vel finis, alius autem habeat carpentum in vtroque loco, tunc ille alius, qui habet carpentum in vtroque loco, dicetur solus dominus qualitatum animi. Et reliquus non exhibebit nisi vmbram quandam morum.

Notandum vltimò quod licet Sol & Luna possint sortiri dominum in vtroque loco, scilicet Lunæ & Mercurij, & significare qualitates animi, quia tamen significant solum qualitates animi valde communes, vt declaraui in præcedenti libro, ideò oportet accipere alium Planetam pro domino qualitatum animi. Quod si deesset quod raro tamen contingit (non enim fieri potest nisi omnes fermè Planetæ lateant sub radiis Solis in Ariete, vel Leone, vel Sagittario, vel in Tauro, Cancro & Virgine, Scorpione, Capricorno & Piscibus Luna extra radios Solis posita) tunc talis homo erit omnino rudis, agrestis, & simplex, quales fuisse refertur aureo sæculo.

TEXTVS LXXIV.

Cùm his ita constitutis, conferenda etiam erit Lunæ constitutio. Nam si in flexuris exciterit austrini & borei limitis, cooperatur ad mentis animique naturam, quod efficiat omnia variabiliora, & indolem plurium machinatricem, ac denique inconstantiorem. In nodis verò, acutiorem, magisque industriam & agiliorem. Amplius ascendens & aucta lumine, nobiliorem, illustriorem, ac solidiorem, liberiorémque: Si minuta lumine aut Solis iubare oppressa est, tardiorem, hebetiorem, & ad pœnitudinem propensiorem, obscuriorem & tectiorem quoque. Sol etiam ad partes vocatur quocunque tandem modo animæ gubernatori conciliatus infelici constitutioni, eoquod omnia reddat æquiora, rectiora, perfectioraque & plus dignitatis siue maiestatis præ se ferentia, magis denique pia. Infeliciter situs, neque hospitio receptus, humiliora, difficiliora, minus præ se dignitatis, minus maiestatis ferentia, simpliciora, seueriora, magisque cruda, intractabiliora, atque omnino correctu asperiora.

Hæc est comparatio luminarium ad qualitates animi, sed diuersa, in Sole enim requiritur quod gubernatori concilietur, in Luna verò cum dominetur qualitatibus animi per se, hoc non est necessarium: sed si præter id contingat, adhuc erit validius. Igitur considerat duos status oppositos, quorum primus est quod sit in ventre Draconis, vel in extremitatibus: Ventrem Draconis voco vbi maximam habet latitudinem Borealem vel Australem: Et cum ibi mutet motum suum, nam si sit ascendens fit descendens, & si descendat, paulò pòst ascendit: Et est valde remota à via Solis, ideò significat debilitatem cerebri & rationis: Quamobrem varietatem inconstantiam & dolum. Talia enim ab imbecillitate intellectus proueniunt. Est enim sapientis dictum omnis malus ignorans. Si verò in extremitatibus fuerit Draconis seu nodis: seu Capite vel Cauda, significat acutum intellectum & industriam ob robur: sed quia transmutatur de vna parte in aliam, id est, à septentrione in meridiem, vel à meridie in septentrionem. Et ibi multum acquirit de latitudine plus, quàm in omnibus aliis locis, adeò vt in vna die superet quandoque gradum vnum cum quarta parte latitudinis, ideò facit agiles & promptissimos ingenio. Promptissimi enim sunt responsis quicunque Mercarium habent velocissimum & orientem, id est, qui non lateat: tardissimi qui retrogradum & latentem vt ego habeo in genitura mea. Promptissimi verò ingenio & consilio quicunque habent Lunam in nodis. Promptissimi verò ad negotia & actiones quicunque Martem habent in primo orientis statu & in angulo. Promptissimi ad musicam & iocos, dicteriaque scurarum quicunque Venerem sic habent dispositam, vt de Marte dixi. Per hæc igitur habes reliquos status Lunæ, vt fuerit proximior nodis & ventri Draconis. Et quià Luna in nodis, vt superiùs visum est plerunque significat gibos vel claudos, & corpore læsos, & ibidem posita promptos & acuto ingenio, ideò tales gibbi & claudi, & strabi sunt prompti, & fallaces, & maximè quia hoc plerunque contingit ex commistione Lunæ cum maleficis: ideò bene dictum est in prouerbio: Caue à signatis à Deo. Secundus verò status Lunæ est, quod sit aucta lumine & ascendens, vel contrario modo. Quid intelligat per auctam lumine facilè est assequi, quoniam intelligit quando est iuxta oppositionem: tunc enim plus habet luminis quòd remittat in terram, licet in veritate minus habeat luminis in se, quantò magis est oppositioni Solis propinquior. Scriptum enim est in Opticis, quæ pater meus Facius Cardanus emendauit, quod quantò Sol propinquior Lunæ fuerit illius maiorem partem illuminat, validioribusque radiis. Sed quid intelligat per ascendentem, non adeò clarum est: Ego autem omnibus quinque modis quibus ascendere dici potest Luna intelligerem. Primus est vt ascendat in latitudine, id est, quod veniat à meridie versus septentrionem. Secundus quod ascendat in mundo generaliter, id est, ab ascendente vsque ad cœli Medium, & à septimo loco vsque ad imum cœli. Tertius quod ascendat, id est, sit in angulo: tunc enim semper ascendit ad centrum, seu lineam quæ initium anguli describit. Quartus vt ascendat ad Apogeum epicycli, id est, moueatur versus ipsum, non quod in ipso sit: quia tunc tardior est motu. Quintus quod ad eccentrici absidem ascendat, atque hunc modum (si modo vnum tantum Ptolemæus intellexit) veriorem esse existimo, quia is est status Lunæ à prima quadra ad oppositionem: tunc enim plena est iam luminibus & in singulas horas magis augetur, donec ad perfectam venerit oppositionem, & ascendit versus absidem eccentrici, quia dum Luna est in media quadratura (liceat mihi claro potius & vsitato vocabulo vti quam Latino) semper ipsa est in opposito absidis eccentrici sui seu perigeo. Cùm verò iuncta Soli vel opposita illi est in apogea eccentrici: concluditur igitur quod Luna est in optimo statu à prima quadra ad oppositionem, & maximè in quatuor vltimis diebus, qui sunt ante oppositionem. Tunc enim habet quatuor conditiones: Prima est quod abundat lumine copioso: Secunda est quod lumen augetur in dies & horas: Tertia quod superauit longitudinem mediam, & est in parte superiore eccentrici: Quarta & vltima quod in dies & horas magis ascendit in ipso eccentrico ad ipsius apogeum, quare est optimè disposita. Per contrarium igitur pessimè erit disposita in vltima quadra,

quæ

quæ est ad coniunctionem & maximè in quatuor vltimis diebus, qui sunt proximiores ante coniunctionem ipsi coniunctioni. Seu quatuor proximè antecedentes coniunctionem: hi enim sunt pessimi quatuor contrariis rationibus dictis inter omnes dies totius mensis lunaris. Iuxta hoc ergo ordinabuntur quatuor status luminares. Primus est & perfectissimus à prima quadra vsque ad oppositionem, & maximè quatuor dies vltimi illius. Secundus est quatuor dies primi post oppositionem, & quatuor vltimi ante primam quadram. Tertius est quatuor vltimorum ante secundam quadram, & tres primi post Lunæ visionem à coniunctione, id est, tres primi primæ quadræ incipiendo à tempore in quo incipit apparere. Quartus est ab vltima quadra ad coniunctionem, cuius deterior pars, vt dixi, sunt vltimi quatuor dies. Et ita si bene animaduertis verè sunt sex status potius, quàm quatuor iuxta Ptolemæi sententiam.

Circa quod notanda est vna regula palcherrima & generalissima, omnes Planetæ iuxta Apogeum eccentrici, & epicycli sunt puriores & meliores, non tamen robustiores: sed in opposito sunt robustiores & deteriores, præter Lunam ratione epicycli, quæ in opposito ab sidis illius non solum est robustior, sed etiam melior & purior: Est enim naturæ magis elementaris cæteris Planetis. Ideò cum sit velocior motu ibi & gaudeat, quasi natura elementari, & sit proximior terræ est robustior & melior: Cæteri verò Planetæ sunt robustiores, quantò terræ propinquiores: quia omne agens naturale tantò validius agit, quantò proximius est passo. Gaudent tamen & sunt puriores, & feliciores, & meliores, quantò magis appropinquant apogeis suorum eccentricorum & epicyclorum, quia magis appropinquant primæ Sphæræ, quæ est perfectio omnium.

Circa Solis decreta textus est clarus. Quod verò de Lunæ nodis pro Luna dictum est, intelligi vult Ptolemæus in aliis Planetis cum suis nodis: Et similiter de ventibus.

CAPVT XVIII.

TEXTVS LXXV.

De vitiis & morbis animi.

QVando quidem post animæ explicatam peculiarem naturam, proximè sequitur de præcipuis eius affectionibus seu morbis tractatio: In genere igitur rursus obseruare expedit Mercurium & Lunam, quo pacto habeant se ad inuicem, adque angulos, & malefaciendum idoneas stellas. Vt si ipsi inter se inconiuncti sunt, & apud orientalem finitorem à maleficis, aut malè affectis stellis supplodun tur, aut circundantur, aut ex opposito feriuntur, multorum animi morborum authores sunt, quorum temperatio & mistura, ex præcognitis syderum his locis conciliatorem propriis conditionibus intelligenda est. Bona initur pars mediocrium & minutiorum animi morborum explicata in præcedentibus est, & potest eorum intentio, aut remissio ex eorum authoribus maleficis stellis colligi.

Iam verò quid polliceantur astra, quæ sub radiis latent ex his manifestum est, nam non penitus nihil, velut Arabes existimant, sed in casu vitæ, vt superius visum est nihil possunt, nec nocendo, nec iuuando: in animi autem qualitatibus aliquid posse videntur: Faciunt enim hebetiores & ad pœnitentiam propensos: consilij quoque obscuri & tecti, aptique ad occulta tractanda. In filiis autem negat Planeta, qui sub radiis est. Igitur ex iis regula colligitur triplex hoc modo: Planeta sub radiis Solis in maximis rebus, vtpote vitæ, vel occidendi, vel filiorum, nihil præstat, neque potest. In cæteris autem quæ ad actiones pertinent nihil fermè, sed in his quæ iam sunt debiles significat effectus vt in qualitatibus animi & corporis. In corporis tamen temperatura & qualitatibus significat adustionem, similiter & in morbis. Præcipuè autem Mars.

Quod verò ad præsentis textus expositionem attinet facilis est intellectus, nam tria iubet considerare locum Lunæ & Mercurij, angulos, & maleficas: Cùm igitur ambo illa, scilicet Mercurius & Luna inconiuncta opprimuntur, in angulo à maleficis & maximè in orientali, deinde in occidentali, post in sexto loco, morbos animi significant, & maximè si vna malefica duos locos oppresserit, aut duæ maleficæ vnum, aut duæ duos, vel coniunctione, vel oppositione, vel quia circundent, vel quadrato quod est vltimum & minus malum.

TEXTVS LXXVI.

Verum enimuerò quæ insigni interuallo à mediocritate dissident, eam videlicet aut superantia, aut non attingentia, ac veluti morbosa ex omni parte, ac secundum vniuersam mentis constitutionem, hanc habent velut in tabula explicatam summatim considerationem. Epileptici plerunque fiunt, quotquot Luna & Mercurio nulla familiaritate cohærentibus, in orientali finitore, Saturnum perdiu, Martem verò noctu sustinent, intuentem prædictam figurationem. Furiosi verò, quando præter ea quæ dicta sunt, è diuerso Saturnus nocte, Mars die, figurationi dominatur, potissimùm in Cancro, Virgine aut Piscibus. Dæmonio plecti nascũtur & Lunatici, quando

quando ſic conſtitutæ maleficæ Lunam præhendunt ad Solis radios properantem, Saturnus quidem cum Sole congredientem, Mars verò oppoſitam, maximè in Sagittario & Piſcibus.

Oſeruandus eſt ordo quoniam comitiales minus affici exiſtimat, furioſos deteriores, dæmoniacos peſſimos. In comitialibus igitur tres conditiones requiruntur: quòd Luna & Mercurius non ſimul configurentur: ſecunda quod Saturnus de die, vel Mars de nocte ſint in aſcendente: tertia quod malefica, quæ eſt in aſcendente, vel aſpiciat Mercurium & Lunam, vel eleuetur ſuper illos, vel dominetur locis eorum. Manifeſtum eſt autem quod cum Mars ſit nocturnus, & Saturnus diurnus, minus malè agunt, quàm Saturnus de nocte & Mars de die. Nam Saturnus de nocte immenſam generat frigiditatem, & Mars de die caliditatem: Ideò ſolum facta commutatione habemus per tres eaſdem conditiones ſigna ſtultitiæ: quæ tamen augentur per Cancrum, Virginem & Piſces: quia talia ſigna, ſcilicet Cancer & Virgo ſignificant ſtudioſiſſimos, quia in Virgine geminatur virtus Mercurij, ob domum & altitudinem, & Mercurius ſignificant animam rationalem, vt dictum eſt, & Cancer eſt domus Lunæ & altitudo Iouis, & Luna ſignificat animam imaginantem & ſenſibilem, & Iupiter ſignificat cultum, & ideò Cancer ſignificat eos, qui excolunt propriè animam, & ſtudioſos diſciplinarum & rerum publicarum, ſicut Virgo potius rerum artificioſarum & minoris vtilitatis. Cum igitur corruptio accidit in his ſignis ſignificat ſtultitiam: ſicut ſtudioſi frequentius & magis inſaniunt, quàm cæteri. Et etiam quia iſta ſigna non ſunt fixa, neque ſanguinea, quæ duo maximè à ſtultitia remota ſunt. Similiter etiam Piſces, quia cum ſit domus & exaltatio beneficarum, corruptio quæ accidit in illo eſt maior, & maximè quia Piſces ſunt ſignum ſtultum & abſque ſenſu. Et ideò furor qui contingit à Piſcibus non eſt eiuſdem rationis cum furore, qui contingit à Cancro & Virgine: quia à Piſcibus contingit quidam ſtupor & amentia, à Cancro verò & Virgine inſania, & furor verus. Cauſa verò cur hi, qui boni ſunt magis inſaniant & frequentius, tum ſtudioſi, viſa eſt in problematibus noſtris. Dæmoniaci verò, cum ſit deterior affectio, indigent quarta conditione, ſcilicet quod Luna ſub radios Solis vadat ad coniunctionem, vel ad oppoſitionem. Si ad coniunctionem, cum ſit frigida deterius affligatur à Saturno, qui frigidiſſimus eſt. Si verò ad oppoſitionem cum calida ſit deterius affligitur à Marte. Mars enim calidiſſimus, ſimile autem ſimili iunctum facit furorem. Quod verò à Piſcibus & Sagittario magis cauſa eſt, quia dæmoniaci ſibi duplices eſſe videntur. Hæc autem ſigna bicorporea ſunt & ratione etiam carent, cum ſint oppoſita ſignis in quibus dominatur Mercurius. Iupiter quoque videtur corrupta natura eius adiuuare hanc diſpoſitionem, vt inferiùs videbitur: hoc autem facit vt exiſtimo propter ſimplicitatem, & fatuitatem quam propriè ſignificat cum malè diſpoſitus eſt: & quia diuinationes etiam oſtendit, & ſanguinem mouet, & religiōnis author eſt. Hic autem morbus maximè à religionis opinione ortum habet, nam philoſophi negant.

TEXTVS LXXVII.

Solæ igitur maleficæ prædictum admodum victoriam ſchematis nanciſcētes immedicabiles reddunt, quos diximus morbos fertos tamen, neque paſſim in populum fama diſperſos. Si verò conciliatis Ioue & Venere maleficæ in occidentalibus partibus ſint, beneficæ verò beneficis locis & angulis ſitæ, medicabilia quidem, ſed illuſtria nimis hæc vitia conſtituunt ac veluti publica exempla. Iupiter enim Medicorum opera ſanabilia ſignificat: Venus oraculis & deorum ſubſidiis.

Tria genera caſuum declarat. Primum eſt quando ſimpliciter luminaria à maleficis opprimuntur abſque alio auxilio: iſtud iam declaratum eſt. Secundum cum maleficæ ſunt in occidentali angulo, & benefici in orientali, vel in medio cœli. Hoc autem hic declarat. Tertium cum maleficæ ſunt in orientali angulo & beneficæ in occidentali, de quo in ſequenti textu. Nunc igitur proponit quod erunt illuſtria, ſicut & in ſequenti caſu propter beneficas. In primo autem erunt magis occulta hæc vitia. Sanatio enim propter eos, qui ſanauerunt palam facit perſæpe morbos, qui latebant. Quòd verò (Fertos) dixit quaſi occultos & latentes, ac à ferendo ſecum, vt puto, qui vertit Ptolemæum ſic appellauit.

TEXTVS LXXVIII.

At ſi contra maleficæ in orientali angulo conſiſtunt, beneficis ad occaſum reiectis, incurabilia iuxta ac illuſtria, maximeque omnibus in vulgata. Epilepticis continuitatem morbi afferunt, vociferationes, & mortis ſæpe terrores iniiciunt. Ad inſaniam & ſtuporem adiiciunt, in domeſticos incoërcitam licentiam, denudationem crebram & blaſphemias, hiſque cognata. Ad dæmonoplexiam aut cerebri auiditatem, bacchantium conſuetudinem, occulta paſſim prodendi morem, verberationes & his ſimilia exempla. Peculiariter verò ex locis, quæ figurationem comprehendunt, Solis & Martis loca ad inſaniam effi-

cacia

cacia in primis ſunt. Iouis & Mercurij ad comitiales. Veneris ad numinis adflatus & archanorum reuelationes. Saturni & Lunæ ad humorum copiam, ac dæmonoplexias, id eſt, dæmonum vexationes.

In primo genere, de quo ſuperiùs dictum eſt, nec illuſtria, nec ſanabilia, nec inſanabilia vitia portenduntur: In ſecundo illuſtria & ſanabilia: In tertio quod peſſimum eſt, quia maleficæ ſunt in oriente, atque ideò validæ, beneficæ verò in occidente, atque ideò debiles, illuſtria & inſanabilia non ſolum facit, ſed ſingulis morbis aliquid addit vt in textu. Præterea quatuor facit combinationes quarum tres ſingulæ augent morbos ſingulos: Solis & Martis inſaniam, Iouis & Mercurij comitialem, Saturni & Lunæ dæmoniacos: Quarta quæ eſt Veneris configuratio ad diuinationes, & archanorum reuelationes communis duobus morbis vltimis inſaniæ ſcilicet, & dæmoniacis: nam comitiales non diuinant. Cæterùm Sol & Mars inſaniam augent, furoreſque ac clamores & verbera, ob vehementem caliditatem cum ſiccitate iunctam. Saturnus verò & Luna dæmoniacos ob frigiditatem magnam, copiamque humoris crudi. Vnde talis morbus in vilibus potius, quàm in nobilibus, & in fœminis quàm maſculis ſæuit. Iupiter verò & Mercurius comitialem morbum magis excitant: quod cum ille ſacer dicatur ob occulta quadam proprietate oriri videtur, & diuina ira ſicut etiam recitat Hippocrates. Ideò magis conuenit iſte morbus Ioui & Mercurio: nam Iupiter diuinitatem quandam ſignificat, & Mercurius occultas cauſas. Mercurius quidem, quia fermè ſemper latet ſub Sole & propter varietatem motus: Iupiter verò diuinitatem refert propter beneficentiam & probitatem: Hæc enim duo propriè Deo conuenire videntur.

TEXTVS LXXIX.

Hi ſunt ferè morbi, qui circa vniuerſam agentis animæ conſtitutionem eueniunt, & ex his figurationibus colliguntur. Quæ ad eius partis, quæ affectionibus percellitur naturam pertinent, è potiſſimo genere æſtimata videntur, maximè circa maſculini, aut fœminini ſexus exceſſum, ac defectum iuxta vtriuſque naturam verſari. Iudicantur verò ſimili cum prædictis ratione, nimirum cum Luna Solem in Mercurij locum ſurrogantes, & Martis cum Venere ad illos configurationem.

Hi ſunt, qui dicti ſunt morbi rationalis animæ, nunc verò de his tractat, qui ad animam pertinent inferiorem, ita tamen, vt non credas hos ſolos eſſe morbos, aut vitia, quæ ad eam animam pertineant, ſed etiam gulam, iram, ac reliquas animi perturbationes: ſed tamen de his ſolum tractat, quæ vehementiores ſunt. Circa quod notandum eſt quod amor, & ira ſunt affectus maximi, qui animum perturbent: quoniam epicycli horum Planetarum maximi ſunt, & iuxta magnitudinem eorum fiunt affectus vehementes: Veneris quidem maximus omnium eſt, quamobrem amor plurimum poteſt, & homines obcœcat, inde Martis, vnde furor & ira. Quod igitur de amore Ptolemæus dicit pro Venere, idem de ira intelligendum eſt pro Marte, de timore, & auaritia pro Saturno: eſt enim auaritia timor quidam, Iupiter quoque facit, vt ita dicam nimis probos. Et ita per vnam regulam propriam de Venere quo ad amorem, Ptolemæus oſtendit nobis quinque regulas, quæ omnes affectus animi ſub ſe continent. Igitur dicit quod ſi pro Mercurio ſubſtituamus Solem, & ita pro Mercurio, & Luna obſeruauerimus Solem & Lunam: Et pro Saturno & Marte, Venerem & Martem, ita vt pro Saturno, Venerem obſeruemus, affectus animæ quæ procellitur, id eſt, ſenſitiuæ, & quæ intellectiuæ ſubiacet, circa amorem & concubitus deſiderium intelligemus.

Itaque hic non leuis dubitatio incidit: Cur ſit quod vitia animi ſuperioris, vt comitialis, inſania, dæmonium vbique inueniantur, generaliterque ſtellarum concurſibus ſubiaceant: Et apud omnes gentes aſtrorum decretis ſubiiciantur: non ſic concubitus nefarij: nam apud Germanos, Chriſtumque colentes vix vnum inuenias, qui puerorum concubitu delectetur: etiam ſi palam illud aſtra decernant? At verò apud Ægyptios Mahumetique cultores etiam ſi non id palàm atque conſtanter aſtra decernant, nihilo ſecius facilè his vitiis detinentur. Dico igitur cauſam eſſe quoniam anima ſenſibilis rationali ſubiicitur, idcirco talia vitia legibus ſubiacent: ſtultitia verò & dæmonium, & comitialis morbus cum vitia ſint animæ rationalis, ſubiacent ipſis aſtris, nec ab vlla vi poſſunt auerti, cum ſuprema vis ipſius hominis concuſſa ſit & afflicta. Quamobrem de prioribus quidem vitiis velut, & de corporeis, quod animæ rationali non ſubiacent abſolutè pronunciabis: de his autem quæ hic deſcribuntur, quæque ad Venerem pertinent, non ſimiliter, ſed alia quidem non omnino eueniunt, alia verò aliter, quoniam legibus & conſuetudinibus obediunt: Apud Germanos gratia exempli, puerorum concubitor propriis manibus ſe polluet aut cum alio talia patrabit vel cum ancillis, vilibuſque perſonis concumbent. Et vt breuiter rem abſoluam, morem gentis in talibus nouiſſe neceſſarium eſt.

TEXTVS LXXX.

His ita oculis expoſitis, ſi lumina ſola in maſculinis ſignis ſunt, mares naturam maſculinam ſuperant, fœminæ ad virilem nimium indolem, naturamque tranſeunt.

Luminaria

Luminaria sola faciunt affectus aut masculinos, aut fœmininos nimis, cum ambo fuerint in signis eiusdem generis, scilicet masculinis ambobus, aut ambobus fœmininis: sed hoc discrimen non graue erit. Si verò Sol in masculino, Luna in fœminino signo fuerint: hoc erit exactè secundum naturam. Si autem contrario modo, scilicet Sol in fœminino, Luna in masculino signo, tunc erunt similes naturalibus hominibus, non tamen adeò exquisitè tales: sed & quandoque magis masculi quàm oporteat, quandoque magis effœminati, & hoc si Mars in masculino signo fuerit, Venus verò in fœminino.

TEXTVS LXXXI.

Si verò Mars quoque & Venus, siue vterque siue alteruter masculini fuerint, viri ad conuenientes naturæ congressus procliues admodum fiunt, adulteri, incoërcibiles, nunquam non accincti ad turpem & illegitimam commiscendorum corporum voluptatem. Fœminæ verò coitus præter naturam instituti appetentes euadunt, salaces, oculis emissitiis, & quas tribades appellant, virilia sibi munia sumentes. Et si quidem sola Veneris stella mascula fuerit, clancularia hæc & latentia vitia significat. Sin etiam Martis, aperta: vt legitimarum vxorum loco habeant nonnunquam quibus cum commiscentur.

Per illegitimam Venerm intelligit stuprum, adulterium, incestum, & concubitum cum pueris, ac cum fœminis alieno modo, non tamen ipsi erunt extra naturam, id est, concubitum patientes. Fœminæ verò potius qualitate, quàm quantitate peccabunt, masculino modo se commiscentes: quæ vitia quandoque apud monasticas seu sacratas virgines regnare solent: sicut & masculorum concubitus apud monachos, non quidem omnes, absit, sed apud eos, illasque tantum quique non sponte, sed decepti, deceptæúe, aut à parentibus compulsi, compulsæúe, vi intruduntur. Piget me talia dicere, sed veritas me compellit. Cæterùm quod ad textum attinet, Venus sola si delinquat cum luminaribus, quia benefica est minora mala facit, atque ideò latentia & occulta: sed si Mars misceatur præter id quod malefica est, clamosus etiam est & petulans, & inuerecundus: ob id omnia spontè detegit. Maiora etiam prædicans quàm fuerint, turpitudinem omnem & flagitium non solum dedecori non esse existimans, sed laudi & gloriæ. At verò si inimicus fuerit facit ab inimicis accusari & æmulis: Reliqua nota sunt.

TEXTVS LXXXII.

E diuerso cùm luminaria in prædicta figuratione in locis fœmininis inueniuntur, fœminæ in iis, quæ sibi natura conueniunt modum sciunt, viri præter naturam ad fœminarum mollitiem & euirationem propendent. Cùm ad hæc Venus quoque fœminina est, fœminæ procliues in Venerem, adulteræ & salaces fiunt, venereamque operam & inconuenientes potissimum sexui suo congressus, neque vllo tempore, neque hominum vlli recusantes, turpe aut illegitimum sit, nihil pensi habentes. Viri verò molles & ad naturæ ignotas coitiones præcipites & concitatos, quique muliebres sibi partes congrediundo vendicant, occultè id sanè & tectè. At si Martis quoque stella effœminata fuerit, apertè ac liberè, & vrbana prorsus fronte, quæ diximus exercebunt, meretriciā illā & publicè prostitutorū turpē & execrabilē personā induti, vsque ad cōmunē populi indignationē & deuotionem infames.

Duobus verbis res constat, quatuor hi significatores, Sol, Luna, Mars, Venus, in similibus sexui nati signis immoderatam in quantitate libidinem efficiunt: non tamen inconuenientia, aut contraria sexui nati efficiunt. In contrariis verò sexui nati signis immoderantiam libidinis in quantitate non adeò augent, verùm ad contrarias sexui proprio commistiones incitant. Eo fit vt neque tribades tam frequenter cum puellis agere desiderent, nec pueri pati venerea sicut mulieres, aut sicut viri agere. Intelligenda quoque sunt ea, quæ hic dicuntur de perfecta ætate: nam vt dixi, puellæ, puerique persæpe in violentas dominas, aut dominos incidunt, à quibus flagrorum maximè metu, tum simplicitatis causa, alij etiam auaritiæ multa nefanda perpetiuntur absque astrorum indicatione, nisi subtili coniectura potius, quàm hac generali regula id depræhendere velis. Hoc autem discriminis interest, quod si astra consenserint iam adulti facti & liberi, & compotes sui in eisdem vitiis perseuerant: Si verò absque astrorum generali decreto hæc contingant, vbi adoleuerint & compotes fuerint sui, ab his vitiis abstinebunt. Docet enim Aristoteles in Moralibus hæc vitia maximè à pueritia contrahi, cum contigerit improbis dominis seruire. Et quæ cum cruciatu fiunt diurna consuetudine transire in voluptatem: quæ tamen non succedet si astra non consenserint. Verùm Ptolemæus de sua ætate, regione & lege intelligit: in quibus procliues magis etiam erant absque seruitute, violentiaque nec illa indigebant: Veluti & nunc Tuneti vt narrat Ioan. Leo in Africana historia, vbi mulieres passim, puerique nulla violentia, sed modica solus pecunia se prostituunt. Vt contra apud nos non eadem licentia in masculis. Verùm in fœminis magis apud Anglos & Gallos, quàm apud Italos atque alia ex ratione.

TEXTVS

TEXTVS LXXXIII.

Conferunt etiam orientales & matutinæ figurationes Martis, & Veneris, vt hæc omnia viriliora sint & illustriora, notioraque, occidentales autem & vespertinæ muliebria magis & tecta. Haud dissimiliter Saturnus his accedens, vt sint insolentiora, & impuriora hæc omnia, & cum maiori turpitudine, ac dedecore coniuncta. Iupiter verò vt decentiora, verecundia quadam velata & tutiora. Denique Mercurius hæc reddit vulgò notiora, agiliora, milleque modis varia, & cautius instituta.

Tres facit contrarias contemplationes orientalis ad occidentale: & orientalis significat actus masculinos, & ob id etiam maiorem imprudentiam: nam & masculi fœminis sunt impudentiores: & in Problematibus scriptum est cur pati magis, quàm agere turpius ducatur: faterique magis verecundentur: causa ex Astrologia clara est, quoniam orientales stellæ agere significant & palàm, occidentales autem occultè atque pati. Secunda comparatio est Saturni & Iouis: Saturnus facit omnia fœda & turpia: & impura, non tamen adeò palàm vt Mars, quia Saturnus frigidus est, Mars vero calidus. Iupiter autem omnia moderatiora reddit cum sit vndequaque vtilis & beneficus. Tertia comparatio est Mercurij, qui propter tot multiplices orbes, tamquam varios motus & humilitatem naturæ, abscondit, detegit, miscet, variat omnia: & nisi metus adesset satis palàm facere. Inuenit etiam mille modos insuitatos libidinum: eorum propriè author, qui olim Spintriæ vocabantur.

Sub prædictis autem comprehenditur amor, vt minor affectus stultitiæ à Venere, & ira à Marte, & signa amatoria sunt Aries, Taurus, Leo & Virgo. His imbecilliora Libra & Sagittarius dicit explanator. Iracunda Aries & Leo, & Sagittarius, & Cancer, & Capricornus. Cancri autem ira leuis & facilis.

Circa quod notandæ sunt duæ regulæ, quarum prima est Haly, scilicet quod omnes regulæ dictæ de morbis corporis aut vitiis, seu morbis aut vitiis animi, seu sanitate vtriusque, seu de vita, filiis, honoribus, diuitiis, atque aliis rebus, intelliguntur eodem modo in progressionibus seruatis tribus conditionibus. Prima est vt non repugnet natiuitati talis effectus omnino. Secunda vt directio significet talem effectum generaliter. Tertia vt adsit in progressione propria significatio talis effectus: tunc in illa progressione eueniet res significata, quæ rarò tamen erit perpetua. Exemplum, in nostra genitura non est repugnantia lucri: anno 51. peruenit Iupiter ad quadratum Solis & trinum Lunæ, & Sors ipsa per directionem etiam ad sextilem Solis, & oppositum Martis, & quadratum Lunæ, & significabat generaliter itinera propter ascendens, & bonum in rebus ad fortunam pertinentibus: eodem igitur anno Luna fuit prope Iouem, & Iuppiter in trigono Veneris, & Mars in quadrato Lunæ. Præstitit igitur iter illud prolixum & honoratum in quo fui cum Regibus & Principibus, & accepi multa dona ab eis: & propter quadratum Martis, & directionem ad oppositum eius partis fortunæ: Et quia Luna in natiuitate est in quadrato Martis, significat pericula ab aquis & ab hominibus, & maximè quia Luna est cum capite Gorgonis in vno circulo. Aliud exemplum: aliquis non habet indicia quod non possit esse dæmoniacus, contingit quod per directionem Solis aut Lunæ, aut ascendentis significatur morbus eo anno: in illo anno Luna cadit in septimam profectionis opposita Soli, & Mars eleuatur supra illam in eodem angulo: Tunc ille fiet dæmoniacus eodem anno & posset etiam mori ex illo morbo & sanari iuxta magnitudinem detrimenti. Quod si natiuitas repugnaret & reliqua maneant, incidet in magnum morbum illi affinem, vt conuulsionem vel iram. Si verò natiuitas non repugnet, sed directio desit, significans generaliter bonum, vel malum, tunc apparebit aliquid, sed erit exiguum. Si verò directio generaliter significet & genitura non repugnet, progressio autem sit contraria, vel reuolutio, erit sicut dictum est superius. Memineris etiam quod cùm directio & progressio in vnum contra natiuitatem consenserint, apparebunt eo anno quædam vmbræ talis effectus est, non autem ipse effectus, qui per directionem & reuolutionem significabatur.

Secunda regula in sciendo quemcunque effectum, dirige semper significatores positos à Ptolemæo in tali causa. Veluti volo scire statum animæ, dirige Lunam & Mercurium pro rationali, & Solem, Lunam pro inferiore anima, & primos duos ad Saturnum & Martem, & secundos ad Martem, & Venerem. Et ita pro morbis corporis Solem, Lunam & ascendens ad maleficas: Recordando quod Mercurius persæpe cum ab initio fuerit in aspectu inimico significatorum, aut dominus loci oppositi eorum, aut in aspectu amico maleficarum, aut dominus loci earum, aut ipsæ maleficæ dominæ loci eius, tunc ipse habet vim maleficæ. Et hæc regula de directionibus ad vnguem etiam est intelligenda de progressionibus.



LIBER QVARTVS.

DE IVDICIIS ASTRORVM.

CAPVT I.

Quod est Proœmium.

TEXTVS I.

QVÆ igitur genituram præcedunt illive connexa sunt, amplius ea quoque, quæ eam comitantur, cuiusmodi sunt vniuersæ animi & corporis constitutionis propria, hæc ferè sunt, quæ diximus. Eorum verò quæ aliunde accedunt & deinceps explicandorum primus est, de opibus & dignitate, existimatio neque nati sermo. Cohæret enim vt rerum possessio iis, quæ corpori propria sunt, ita honoris, quæ ad animum pertinet.

COMMENTARIVS.

QVatuor proposuerat superiùs tractanda: scilicet genituram antecedentia, vt parentes, & connexa vt sexum, ac numerum, concomitantiaque vt vitam, formam, mores, & de his omnibus tractauit simul & de his, quæ & præcedere possunt, & sequi velut de fratribus, nunc reliquum est, vt de his, quæ sequi tantum solent: verumtamen & de hac diuisione aliàs dictum est, dum doceremus ex Ptolemæo quadruplicem tractationem principiorum, vniuersalium, connexorum & succedentium, quæ fermè ad fortunam pertinent. Nam de primis tribus dictum iam est, de quarto autem in hoc libro iam dicemus.

Hic Haly docet oportere philosophum esse, qui rectè velit iudicare, generaliaque præcepta cognoscere, atque intelligere diligenter, aliter operam omnem frustrari. Idque rectè omnino dictum. Nec decere quenquam dubiis verbis polliceri aut prædicere, sed clarè atque perspicue & singulariter, quæ futura sunt. Itaque & generalia scire oportet, & in philosophia eruditissimum esse, nec hæc sufficient, nisi duo alia etiam cognouerimus, quorum primum est de consuetudinibus propriis gentium atque hominum, velut de ira Germanorum, Parthorum feritate, mercatorum bonis verbis, artificum mendaciis, talibusque innumeris. Secundum est vt sciamus quomodo homines generalibus effectibus subiiciantur: Nam multi occiduntur absque signis violentæ mortis: multi iuuenes moriuntur, qui ad senium peruenire debuerant: multi ditantur absque diuitiarum signis. Vt verò huius vltimi exemplum afferamus, nam de aliis supra locuti sumus, & de omnibus malis, dicamus de hoc velut, & de honoribus & magistratibus, atque aliis bonis quod certum est amicos non decerni ita à genitura, vt quis eos ab initio, qui futuri sint & quales dignoscere queat, constat autem quod amici principes & diuitias, & honores, & magistratus afferunt: Igitur contingit quod ex amicitia (quæ ex genitura deprehendi qualis futura sit non potest) homo natiuitate satis humili ad magnos status perueniet. Sicut contingit de Maximiliano Stampa, qui cum haberet infelicem genituram, quia tamen inter illam genituram Francisci secundæ Sfortiæ Ducis Mediolani fuit commutatio, factus est ditissimus, honoratus & potentissimus, in aliis rebus tamen infelicissimus, quia genitura talis erat & non fuit in aliis commutata. Et similiter quarta genitura, licet sit per se fœlix, eò tamen est felicior quò ascendẽs suum, & fortunæ partem alternatim cum parte & ascendente primæ commutat. Rursus genitura Ludouici Ferrarij per se egregia est, quoniã tamen Lunæ locus illi est, nobis ascendenti proximus, & Iouis loco, adiutus est à nobis. Et hoc est in quo plus habet Fatum, quàm Astrologia. Hæc autem commutatio cum Principibus pars est & similis ei, quæ est cum generalibus constitutionibus. Nota igitur quod si generales constitutiones debiles fuerint, exaltabuntur solum, qui bonas habent genituras & commutant loca principalia. Si verò validiores qui commutant, nec repugnantem bonnis habent genituram. Si adhuc validieres, qui præclares habent genituras & commutant in processibus. Si verò adhuc fuerint potentiores, qui bonas genituras habent omnes, etiamsi non commutent. Vltimo cum fuerint validissimæ constitutiones omnes eius loci exaltabuntur, vt in Mecha propter Mahumeti aduentum. Ita in cladibus & pestilentiis, omnes moriuntur quando constitutiones validæ fuerint admodum, quibus solum ascendens absque auxilio Apheta fuerit, etiamsi nullo modo cum cõstitutione concordauerint. Hæc igitur causa est cur, qui infelices habent genituras, modo non sint violentæ & biothanatæ, debent adhærere Principi, nam si concordauerint poterunt esse felices, si non concordauerint, nihilominus non fiunt deteriore conditione cum etiamsi non adhæsissent infelices futuri erãt. Contrario igitur modo, qui solum ascendens Aphetam habent, omnes calamitates generales vitare debent. Quod autem dixit (Eorum verò) declarat ordinem

dicenol

dicendorum hoc argumento: sicut tractatio de corpore præcedit tractationem, de animi qualitatibus, vt superius visum est, ita tractatio, de opibus tractationem, de honore: nam ita se habent opes ad corpus, sicut honor ad animum. Sicut enim opes exornant corpus, ita honores animum.

CAPVT II.

TEXTVS II.


De nati fortunis.

QVæ igitur possessionis sunt, à Sorte, siue parte fortunæ petenda, sunt tantum illa ob quam Solis à Luna distantiam ab horoscopo abiicimus, tam in diurnis, quam nocturnis genituris, propter eas quas, vbi de vitæ spatio egimus, causas attulimus.

Nulla res mortalibus tam in præcio vel olim fuit, vel nunc est, quàm opes. Vnde Astrologi non magis aliam ob causam consuluntur. Siquidem nil aliud verum esse bonum putant, & ideò de ea diligentius tractandum est, non solum ob id, quod in præcio habeatur, & quod professoribus maximè vtilis sit, sed quod difficillima. Cum igitur in omni prædictione necesse sit causas esse similes effectibus, opes autem vario modo proueniant. Multiplicem primo causam etiam in astris inuenire oportet. Aliæ ergo hæreditario iure ex lege habentur: vt patris opes, quibus nulla primum causa ex astris debetur. Aliæ ex hæreditate & voluntate testatoris. Tertio loco sunt, quæ ad honores & magistratus consequuntur, quæ & ipsæ proximæ sunt necessariis, & paternis, & securiores his, quæ ex voluntaria hæreditate proueniunt. Quarto sunt quæ ex arte vel mercibus assiduitate longa colliguntur, in quas fortuna multum potest. Quinto quæ ex consensu genituræ cum his, qui armis vel sacerdoti euehuntur. Quot enim videas nulla virtute vel industria vili progenie, qui tamen dominorum aut amicorum ingentibus successibus opes maximas sunt consequuti? Vt horum non queas numerum referre Sexto sunt casus vt thesauri inventio, nuptiæ, depositum. Atque hæc sunt præcipua. Diuidemus ergo diuitias in simpliciter necessarias, in necessarias ex supposito, in proximas necessariis: in laboriosas & fortuitas. Necessariæ simpliciter à parentibus habentur, in quibus sufficit vt Astrorum omninò non aduersentur. Et supposito necessariæ sunt, vt dixi, quæ ex administrationibus parantur, proximè necessariis, quæ ab amicis habentur, aut coniunctis orbis, aut qui ad maximam fortunam, & principatum euecti sunt. Laboriosæ ex artibus, & mercatura in quibus perpetua quidem successio desyderatur ad congregandas opes. Fortuita, vt dixi, sunt inuentiones thesaurorum, ruina vrbis stulta mulier, stultus socius. Cùm ergo necessariis simpliciter, vt dixi, sufficiat non habere ab dicationis signa: in necessariis ex supposito solum requiruntur causæ administrationes. In aliis tantò plus exigimus ex astris, quantò naturalis connexio debelior est. Iuxta hoc ergo omne immoderatum bonum diuitias significat. Et coniunctio quidem Iouis, cum Luna, & Venere, vel Capitis Draconis loco vnius eorum propriè ex amicitia principum, aut orborum egregias opes significat. Et Sol in occidente per magistratus, nam in oriente fouet vitam, & Venus in cœli medio per amicorum gratiam, & artem ac venustatem. Et Luna in ascendente per continuos successus facitque negociis accommodatos. Cùm verò mutuis se radiis erraticæ & ex angulis iunxerint tum mutuis potestatibus terribiles hoc reddit illos, vt quibus principatus quidam concedatur: atque ita per vim quandam hi sibi opes parant. Si verò Saturnus aut Mars, aut Mercurius in ascendente fœliciter fuerint constituti per latrocinia, ac scelera, ac fraudes abundè ditabuntur. Sin autem loca commutent Sors, Iuppiter, aut Luna, Sol ascendens, atque huiusmodi cum noua factione, aut principe nouo per illorum fœlicem fortunam ditabuntur pauperes fient, ob aduersam fortunam, Iupiter etiam in locis diuitias significantibus eas præstat per varios casus, atque successus.

Quæ autem sunt loca huiusmodi, non facilè est diiudicare seu vnus sit, seu plures, & si vnus quis sit, afferamus autem exempla ingentis fortunæ nostri temporis Alexandrum primo Medicen, qui ex priuato statu Florentiæ patriæ suæ dominium obtinuit, inde eo occiso anno 25. cum Luna ad quadratum Martis in cœli medio, & potentis, Solisque oppositum in septimo loco peruenisset, (sed hoc extra eam) Alter aliquanto maior successit duabus Italiæ regionibus principalibus subiectis Florentiæ & Senonum: qui iamdiu regnat cùm neutri, neque arma, neque legitima successio affuerit, sed fortunæ quidam & paucorum ciuium fauore. Ptolemæus ergo existimauit mobiles rei & illustris, ac post vitam primæ illustre, ac notabile debere esse principium, mutabileque: quare hoc munus Sorti delegauit. Hanc sic statuit, vt quemadmodum ante Solem defertur ascendens, quod etsi non constituit, sed regio potius illuminat, & illustrat ita Luna, quasi reflexo radio locum sibi antecedentem sub æquali distantia præfinit. Finge ergo Solem, ac Lunam in signifero non moueri, sed solo motu ab ortu in occasum, & nunc esse in oriente ambos, ferrique ad vndecimum locum, variabitur sanè orientis locus successione signorum, ibi tamen semper erit Sors cum ipso horoscopo: rursus ergo quilibet eorum motu proprio feratur, & Luna quidem celerius remeabit versus orientem, quàm Sol ob id ascendens, & ipsum quasi remeabit post se tantundem, quantò Luna celerius Sole, hic ergo locus semper ad aspectum Lunæ feretur, vt ascendens Solis quare illustrissimus ac varius semper: Hunc ergo


ergo opibus demandari Ptolemæus credidit, quoniam post vitam nihil nobis magis vtile necessarium eo modum est, aut honestum, vt quasi sint alia vita, quàm opes. Quot viuunt sine filiis, fratribus, parentibus vxore,



Reditus anni 1531.*hor.*9.*min.*44.

✱	♒	27.38	♀	♈	6.29
☽	♎	28.38	☿	♒	52.32
♄	♊	8. 2	☊	♎	13.24
♃	♎	24.30	✱	♉	22.56
♂	♐	29.57	*Cœli Med.*	♊	20.2

seruis, eruditione vlla, vel arte extra patriam sine ære, aut opibus qualibuscunque viui non potest. At etiam illæ maximè illustrant hominem, maximéque mutantur, & res familiarissima sunt: Soli ergo & Lunæ, qui vitam nostram gubernant, & qui illustrissimi sunt in cœlo, & quibus publica omnia commendata sunt, & eo modo vt nullibi consistant, sed variè omninò mutentur Sors, & opum dominium sunt concredita.



Reditus anni 1536.*hor.*13.*min.*56.

✱	♋	0. 3	♀	♊	0. 0
☽	♈	14.31.	☿	♊	16.40
♄	♌	21. 1	☊	♋	0. 9
♃	♈	12.10	✱	♐	26.40
♂	♌	29.43.	*Cœli Med.*	♈	22.6

Alij verò cum secunda domus primæ succedat, & vt vndecima amicos, qui honoribus, magistratibus, arti, potentiæque per decimam significatis postposita est, ita par est quod primum vitæ succedit tot causis succedenti ad vitam & corpus, scilicet secundæ domui concredi. Adde quod in singulis rebus, quæ longè magis simplices sunt multos significatores Ptolemæus constituit, & vt ad minus duos diurnum, atque nocturnum, vitæ quidem multiplices, vt palàm est parentibus Solem, aut Saturnum, vel Venerem, cum Luna fratribus Iouem, Venerem, Lunam, atque ita de aliis hac in causa, quæ tamen multiplex est solum vnum protectorem assignare absurdum videtur. Quòd si Sors impedita sit? vbi mihi cui sub radiis est, nec tamen multa lucra defuêre. Et si tam recepissem oblata, quæ alij anxij quærunt essem plenè ditissimus. Sed Ptolemæus vt dices, ex vno loco plures dominos facit non locum ipsum vbi sit considerat, vt infrà videbimus, adeò vt in octaua genitura exemplari non septimam partem Libræ, vbi est Sors ad vigesimam tertiam considerat, vbi est Venus, & Venerem ipsam, & Saturnum propter exaltationem, & Mercurium prius dominunt, & trigoni principaliorem. At cum isti diuersis modis se habeant, etiam variè affici posse hominem verisimile est: Sed,

Cecidit in Scyllam volens vitare Carybdim.

Dicent cum enim omnes fortunæ conciderint, quomodo omnes domini affici poterunt. Et si Saturnus ac Mercurius domini sint, & ambo sub Solis radiis, aliquando vt omnibus fermè semel, aut bis in vita euenire necesse est, omnia singulis, vel saltem peribunt. Quid absurdius cum multi perpetuò cursu maximè, qui per virtutem, aut hæreditatem, aut gratiam Principum, vel magistratus ad opes maximas per continua incrementa ferantur? Sed & ipse Ptolemæus inquit infrà: A fortunæ Sorte pro possessionibus, sed forsan exponi poterit, vt non locum nouum, sed dominos loci noui consideremus, vt si sors per directionem conueniat ex Piscibus in Arietem, & sexto loco in septimum vbi sint Solis radij ex Leone hoc nihil referre velit Ptolemæus. Sed quod ex dominis Ioue & Venere, Solem in posterum & Martem consyderemus. Et si Saturnus ibi inueniatur nihil vocat, sed si Soli, aut Marti aduersetur. Sed clarius ante, vt refugere non possit. Si verò & pars fortunæ in signis peregrinandi authoribus extiterit vitam omnem, & conuersationes actionesque vniuersas in peregrinationibus exequetur. At mihi & illud de dominio potius, quam loco intelligendum videtur. Vt in figura filij mei minoris Sors ipse est in decimo loco, & sub Sole, nec peregrinationem significat, ipse tamen à pueritia perpetuis iam octo annis peregrinatur, quod Mercurius sortis dominus in nono loco sit peregrinus, & inter Pleiadas. Ob hæc igitur atque similia malè valdè audit in fortuitis hæc disciplina maximè ob præcedentes genituras.

Tentandum est igitur vt veritatem rei aperiamus: dico ergo fortunæ partem primò esse considerandam, quæ sit in angulo, vel supra terram maximè in vndecimo vel nono loco, ab ipsa accipiemus significationem: Si autem fuerit sub terra præcipuè in tertio vel sexto loco, vel eius dominus principalis, vel

vel si duo sint cùm exaltationi finis, aut trigonus coniungitur impeditus & sub Solis radiis, primum locum obtinebit secunda domus, atque eius dominus dominiuè non prorsus neglecto sortis domino. At cùm Sors salua est, minimum quid potest ipsa secunda domus: quàm Ptolemæus ob id prorsus refugere, non potest quod sub terra sit, cum sortem ipsam quando sub terra fuerit respiciat. Verùm plerunque Sors validior est natura, quàm secunda domus primum ob amborum luminarium, & præcipuè Lunæ considerationem, secundum quod Sors non semper sub terram. Et ideò si sit casu imbecillis efficitur secunda domus sub terra semper est, ideóque natura est inualida. Idem duo quod semper secunda domus ab angulo absit Sors possit abesse, & fortuito extra ipsum reperiatur. Ob hæc omnia Ptolemæus secundam domum posthabuit sorti, non tamen omninò neglexit. Experimentum est ratum cum illa venit præferenda, contingit tamen vt in nostra genitura exponemus,

Nunc autem ad principale redeamus, secunda domus rarò dat diuitias magnas, cùm sit secundo loco: at Sors illustres dare potest, in prima igitur harum Sors optimè collocata est. Sed Ptolemæus videtur non curare hoc, quoniam ad actionem locus non facit, sed ad dominum refert. Equidem iuxta signiferum vt in Ægypto ob propinquitatem opera solum errantium inspectare, oportet, at apud nos, qui plurimum ab illis distamus locum obseruare necesse est. Forsan & aliquid facit quod loci, & Planetæ vt Caput, & Venus, Luna, quæ loco complicantur sub eodem domino sint, vt res redeat ad idem. Verùmduo obstant. Primum quod si non eodem in signo essent, nihil prodessent, contra quod esset dominus plurium locorum, non pertinentium ad sortem. Secundum quod non liceret eundem planetam esse malè affectum in vna causa, in alia autem benè quod fateri sæpius conuenit. Sed ad rẽ redeo difficile est coniectari locum nihil prodesse ad causam quandoquidem in fine libri nouos ingressus obseruare iubeat in loca Aphetica: an ergo proderunt aut nocebunt fortuita, quæ ab initio sunt copulata nihil proderunt aut nocebunt: id ergo tanquam clarum omisit hoc de dominis vt significantius in memoriam reuocauit. Cum ergo adeò validus esset sortis locus opus non habemus secundo domo, quanquam & in illa Iupiter sit loci, & iam dominus, & cum Mercurio sortis domino, vt quocunque te vertas felicissima sit, & in idem redeat. Ipse præterea locus sortis & dominus, qui & loci noni causam ostendit tantæ felicitatis, scilicet Pontificis potentiam. Vt autem videamus quomodo tractanda sit ratio sortis 19. anno Sors redibat ad Taurum in opposito Martis, vt nihil ex progressu nisi malum sperare oporteret. At per directionem peruenit ad Veneris sextiles radios hoc bonum, sed tantæ felicitati minimè comparandum cum Venus in duodecimo loco sit, & locus radiorum Veneri inimicus radiusque debilis. At cum nouam sortem anni quærimus ipsa Sors fuit in Geminis, in trigono Mercurij domini sui, & Iouis ac Lunæ, qui in trigono erant Mercurij & ipsi in loco sortis radicis. Et ipse natus è familia, quæ licet citra arma sæpius dominatione vrbis potita est. Sed quia regnum est dirigemus etiam Solem, qui peruenit ad trigonum Martis potentis, & per bellum, & vim dedit regnum. Sicut paulò pòst cum ascendens peruenit ad radios Martis quadratos, cum Sole infelici occidit ipsum.

Videamus modo sequentem, quæ conuenit ad vnguem cum priore, sed Sors est iuncta cum Venere, & Mercurio, & omnia sunt in angulo, & non potuisset dare nouum regnum, sed ratione propinquitatis ad priorem habuit, tum quia geneses ambæ concordabant, cum genesi Caroli Quinti Cæsaris, & Sol peruenit ad Venerem eo anno, & ita consecutus est regnum. Et verisimile est etiam quod ciuitas Florentiæ conueniat cum Scorpione aut Capricorno. Nam etsi Gauricus statuat eam sub Ariete, tamen origines vilium incertæ sunt: ipsæ verò indiligens admodum vt nil ei credendum sit, cum Andream Alciatum notissimum omnibus virum mortuum tradat, anno 1546 Ferrariæ, cum obierit Ianuario mense ni fallor anni 1549. in propria domo Papiæ: cum ergo ea die primum è Modiolano reuersus essem. Vtcunque sit, videntur ex experimento geneses hæ, cum ciuitatis origine conuenire.

TEXTVS III.

Videre igitur oportebit eos, qui signi hac ratione inuenti gubernationem sibi vendicant, vt valeant, an commodis & familiaribus in locis sint sicut in principio disseruimus. Amplius consulendæ sunt stellæ, quæ eius configuratæ sunt, aut supra eos euectæ eiusdem sectæ, aut contrariæ.

Non vt in animi qualitatibus semper stellas, quæ supra dominos loci eleuantur refugit, sed solum cùm contrariæ fuerint, quæ supra illos eleuantur. Causa est quia in animi qualitatibus immoderata omnia mala sunt, vt nimia bonitas aut improbitas: non sic in diuitiis, quia nullus excessus nocet. Oportet igitur & dominos loci, & qui supra eos eleuantur benè disponi, atque inuicem consentire. Quamobrem si eleuentur stellæ, quæ consentiant cum dominis Sortis etiam melius est, quàm si solæ sint, quæ dominantur. Et ob id rarò contingit, vt præclaro ingenio & liberali euadant ditissimi. In locis commodis igitur à Sole, à mundo atque familiaribus. Vt orientales à Sole in angulis, vel saltem secundo vel vndecimo loco, quod hi succedant alteri nobiliorum angulorum, alterum aspiciant amico aspectu in domo, altitudine vel alia propria dignitate.

TEXTVS IV.

Si validi sunt ij, quæ fortunæ Sor-

tem gubernant, diuites efficiunt, maximè si à luminibus testimonio familiaritatis corroborentur.

Diuitiæ splendorem magnum afferunt apud mortales, & ob hoc indigent, & iuuantur testimonio luminarium, non sic filiorum multitudo aut ingenium. Status igitur diuitiarum ex quinque rebus habetur. Prima vt domini loci Sortis sint à Sole orientales Secunda, vt in angulorum centris: Tertia vt in propriis dignitatibus: Quarta Planetæ, qui super ipsos eleuantur cum eis concordent: Quinta, vt domini loci Sortis cum Sole, vel Luna conueniant. De conuenientia autem superius qualis sit, & quot modis fiat dictum est. Planetæ igitur dominantes Sorti in angulis maiores dant diuitias, quàm in propriis dignitatibus: Sed eò minus stabiles, quò celerius ex angulo Planeta exit, quàm à propriis dignitatibus, etiam si finis extiterit. Loquitur autem hic propriè de diuitiis omnibus præterquam paternis: nam illæ in ceris regionibus ad filios necessariò deueniunt maximè natu maiores: & præcipuè Feuda vocata, vt arces. Quid si vbi primogenitus Feudis succedit, vt in Gallia, & Scotia natu maior habeat dominos Solis oppressos, secundus autem natu vel tertius illustres, & à luminarium consortio etiam firmiores factos: Dicemus legem humanam plus posse, quàm cœlestem in talibus, velut contraria ratione in his, quæ ad animum & corpus pertinent, cœlestem plus humana. Nihilominus primogenitus Feudi reditus pignori semper habebit datos, contra alter reditibus aliunde acquisitis affluet. Antequam tamen primogeniti conditionem superet aut æquet, non paruo tempore indigebit quantumuis felicissime natus. Nam & lex primo genitorum ad generales pertinet constitutiones.

Sortem igitur sub Solis radiis latere parum, aut nihil refert ad malum, sicut & cum Luna esse ad bonum, dominum autem plurimum, sub Sole tamen propriè, si benè fuerit constituta publica præmia & Regum dona pollicetur: sicut in Solis quadratis, & magis oppositis iacturam, & amissionem bonorum ob fiscum. Similiter sub Luna cum Sol in ascendente fuerit vitam robustam, & incrementa patrimonij ex contractatione cum hominibus decernit. Et si in trigono Lunæ, aut sextili fuerit bene collocata, & per rationes publicas. Velut in opposito eius aut quadrato in signis non familiaribus iacturas ex contrectationibus publicis & conductione. Sol enim administrationes & magistratus significat, Luna eos qui conducunt opera publica. Idem verò, & certis continget si loco Sortis illius domini ita fuerint collocati: Sed dices Ptolemæus vult quod dirigamus Sortem pro habentis euentibus diuitiarum, hic omnia tribuit dominis Sortis & non loco? Respondeo, oportet intelligere ipsum per ipsummet. Cùm vult, vt dirigamus Sortem ostendit debere tamen considerare dominos illius principaliter non locum ex hoc capitulo: Cùm hic dicit considerandos esse dominos, ostendit ex capite vltimo quarti libri, habendam esse ipsius loci considerationem. Vnde qui occurrunt in directione etiam radiis quadratis, aut oppositis, vt ibi docet sunt administratores loci. Attamen si ab initio fuerunt contrarij puta domini loci oppositi nocent. Qui verò nocent ab initio, vtpote si Sors sit in Scorpione, & Sol in Tauro paribus gradibus Sol non nocet Sortis & hoc bene nota, sed est illi inimicus, ita vt cum directione, vel processu, vel per ingressum deuenerit dominium Sortis ad Solem bona deuoluentur ad fiscum. Non ergo Sol nocet Sorte, quia ab initio radiis oppositis illam afficiat: sed quia cum radiis oppositis illam afficiat, vbi ad illum deuenerit dominium offendet illam, non quæ est in radice, sed directione vel processu, aut ingressu. Hoc autem tantum interest, quod si Sors afficeretur perpetuò, paupertas & detrimenta significarentur, sicut si domini malè afficerentur. Non affecta autem Sorte sic, sed solum inimicis Planetis in occursationibus detrimenta solum eueniunt non semper. Idem de beneficis.

Eadem verò regula, vt dixi, in processibus tenet. Sed etsi secundum locum & Iouem consideravis, multumque illis tribuas, non errabis. Aliter me nihil lucratum omnino fuisset necesse, cum tamen non tam parum sum lucratus, quam parum mihi ex lucro superfuit. Si igitur ad partem fortunæ respicias Venus, Mercurius & Saturnus in octaua genitura illi dominantur. Qui cùm sint concordes & in propriis locis, & absque maleficarum testimonio stabiles, & nunquam defuturas opes decernunt. Quia tamen absque testimonio luminarium, & in cadentibus locis omnes, paucas & minus quam mediocres. Et ita semper fuit.

TEXTVS V.

Verùm Saturnus diuitias largitur per ædificia, nauigationes, agriculturam. Iupiter per ea, quæ ipsi concredita sunt, per præfecturas, per sacerdotia. Mars per militiam & exercitus ductationem. Venus amicorum & fœminarum donis, & beneficiis. Mercurius per eloquentiam & negotiationem. Peculiariter autem Saturnus fortunarum Sorti conciliatus, si cum Ioue configuratus fuerit, hæreditates donat, maximè quando in supernatibus angulis hoc acciderit Ioue occidente in bicorpori signo, aut applicationem ad Lunam habente, tunc enim ad liberorum procreationem deducti alienorum hæredes scribuntur.

Quòd per se significant clarum est. Cùm verò nihil sit quod adeò & repentè, & multum diuites reddat homines, quàm hæreditates, ob id causam huius tam conspicua

rei,

rei, & ab hominibus deſideratæ docere voluit. Magnarum igitur opum & tardè venientium, ac cum multis difficultatibus, duos Planetas maximè diuitiarum ſignificatores cauſas eſſe docuit & tardos: hi ſunt Saturnus & Iupiter. Et quia per hæreditatem bonum hæredi, & malum morienti aduenit, Saturnus pro malefica, Iupiter pro benefico aſſumendus eſt, & hæc eſt prima conditi. Secunda quod ambo ſint in angulis ſuperioribus: quia hæreditates ſunt res magnæ & conſpicuæ præſertim integræ & locupletum, ideò vt ſint magnæ indigent locis potentibus quales ſunt anguli, & conſpicuæ indigent angulis ſupra terram, qui ſunt cœli medium & occidens. Occidens propter mortem eius, qui hæreditatem relinquit, cœli medium ob magnam felicitatem. In occidente Iouem, in cœli medio Saturnum conſtituit. Hæc enim eſt ars Ptolemæi, vt commutationem & participationem maximè obſeruaret. Cùm enim hoc ex concordia Saturni & Iouis prouenire deberet, oportet vt alter alteri cedat mutuo, vt etiam mortales in conſiliis facere ſolent. Quòd ſi omnino in talibus angulis non eſſent, ſed puta in vndecimo loco pro cœli corde: legata pro integris hæreditatibus, & in nono minora etiam ſignificaret: idem in octauo pro accidente. Id verò ad ſecundum pertinet neceſſarium. Tertium eſt, vt Iupiter in ſigno ſit communi, vel Luna illi applicet, vel ab eo ſeparetur. Hoc enim ſignificat duo in vnum coëuntia: Fit autem multis modis: vnum: Enarrat conſuetum Lacedæmoniorum tempore, vir infœcundus deligebat iuuenem, qui cum propria vxore concumberet, itaque filius natus duos habebat patres, legitimum non naturalem maritum matris. Et naturalem non legitimum, iuuenem à quo erat procreatus. Mortuo legitimo, naturalis cum filio ſuccedebat. Alius modus hoc tempore honeſtior: frater permittit fratri vt vxorem ducat, filiique & ipſe maiori in hæreditatem tum lege, tum conſenſu ſuccedunt. Alius modus duo contrahunt fraternitatem & eorum altero mortuo, alter ſuccedit. Vt Mediolani Marcus Antonio, Iacobo Baldouino, quos ambos nouimus. De aliis forſan etiam intelligit, qui adulterini filij à matribus coniugi ſupponuntur. Eodem modo alias mixtiones interpretaberis. E quibus eſt quod Saturnus, Marti commixtus eos facit Chyrurgos optimos, ſi bene diſpoſiti ſint, & eorum alter opificio præfectus.

TEXTVS VI.

Ac ſi quidem ſtellæ eiuſdem ſectæ cum ipſis gubernatoribus, gubernationis teſtimonia ipſæ contulerint poſſeſſiones illabefactatas conſeruant. Si verò ſtellæ contrariæ ſectæ eleuantur ſupra loca dominium exercentia, aut iis ſuccedunt labefactationem ſignificant futuram bonorum.

Iſtud totum declaratum eſt ſuperius. Si enim dominis opum maleficæ felices concordent: rapinis aſſiduis opes augebuntur. Si diſcordent à latronibus, furibus & publicanis diripientur. Si fortunæ cauſæ diſcordent iudiciis peribunt. Si auxiliabuntur iudiciis & fide augebuntur. Proprium autem eſt Marti & Veneri diſperdere opes. Mars per rixas & ludos, & venationes, ac dilapidationes: Venus ob luxum, ſcorta, delitias, incuriam, veſtes & talia. Saturnus Marte, & Mercurio facit Alchymiſtas. Qui tandem in monetæ adulterinæ fabricatores tranſeunt: plerunque pœnas dantes. Et ſcias quod Saturnus ſolus propriè paupertatis imò mendicitatis auctor eſt: vt Iupiter non ſolum diuitiarum, ſed opum & affluentiæ.

TEXTVS VII.

Cuius euentus tempus in genere accipere licet ex ſtellarum id efficientium ad angulos, & ſuccedentia loca annutu.

Annuunt ſiue innuunt tempus generale ſtellarum tam dominarum, quàm ſuper eas eleuatarum conſtitutiones ad angulos. In angulis in iuuentute, in centris ſtatim: in ſuccedentibus media ætate: in cadentibus ſerò & in ſenectute. Vnde etiam in cadentibus habentes fortunarum ſignificatores non omnino de diuitiis deſperare debent: Verùm cum etiam hæc ætas ſit breuis & inepta laboribus, in paucis admodum id contingit, & etiam plerunque parum. Itaque pauci ſunt, qui ſi ad ſummam ſenectutem perueniant, non videant variam in diuitiis fortunam. Idem verò dices de occidentalibus quartis & orientalibus mundi. Et rurſus de earum ſitu in comparatione ad Solem. Manifeſtum verò eſt quod pro propriis temporibus in Sorte profectionem, & directionem obſeruare conuenit, vt infrà docebit, non dominum illius: ita vt generalia tempora dominis, propia locis ipſis tribuantur.

Sed dices quonam pacto aliquis ex ſceleribus diues fiet: cum neque beneficæ ſcelera ſignificent, nec maleficæ bene diſpoſitæ? Sed velut cum Saturno Mercurius Architecturam, & cum Marte fabrilem excellentem. Malè autem diſpoſitus maleficus miſeriam nuntiat: nullus igitur locus diuitiis ex flagitiis comparandis relinquetur, cùm tamen plurimi ſic ditentur etiam in immenſum: Vt illud Iuuenalis.

Criminibus debent hortos prætoria menſas,
Argentum vetus & ſtantem extra pocula caprum.

Noſtra autem ætate non minus, quàm antiqua ſunt frequentes. Reſpondeo maleficas potentes & bene diſpoſitas hoc facere. Nec artem ſignificant, niſi dominæ ſint opificij. Cùm verò multitudo opum paratur, neceſſe eſt, vt dictum eſt, de hæreditate, beneficam maximè autem Venerem fauere, etiam ſi ſcelere id fiat: Nam malefica ſcelus, Venus autem acquiſitionem opum ſignificat. Quòd ſi nulla adſit benefica, maleficæ verò opificium non ſignificent, & ſint

extra proprias dignitates, validæ tamen in angulis, tunc puro scelere & à legibus vetito diuitias parabunt. Quamobrem tales diuitiæ rarissimè perseuerant, diuturnæve sunt. Vt cum furto, latrocinio, moneta adulterina, falsis testamentis, paratur res. Duobus verò modis res scelere paratur, & non à legibus punito, velut fœnore, iniustitia, seplasia, aliisque in tertio de sapientia, technis, dictis: vel cum maleficæ opificio non præsidentes fuerint validæ, & bene affectæ, sine fortunarum testimonio: vel cum validæ fuerint, & malæ dispositæ cum testimonio fortunarum. Maximè verò opes parabuntur si validæ & bene dispositæ fuerint maleficæ, cum fauore beneficarum. Maximè autem in diuitiarum acquisitione concursus, & in genitura, & in temporibus obseruare expedit.

Hæc igitur de opibus, quæ fortuna & variis casibus parantur: at locus, qui ex arte, aut peritia aliqua opes parandas declarat, est cui imperat significator artis, & maximè si ibi dominetur, & si illum cum potestate respiciat luminare temporis. Velut in nostra genesi par. 6. mi. 57. ♍, & est coæqualis, & vocantur intuentia vel obedientia, est enim in opposito Lunæ dominæ trigoni: & ita de aliis aspectibus. Quod verò accedat trigonus Iouis, bonum est & vtile non tamen illi potestatem dat.

CAPVT III.

TEXTVS VIII.

De Fortuna honoris & dignitatis.

QVæ ad dignitatem & ad hanc beatitatis partem pertinent, à luminarium statu, & satellitum astrorum accipimus, obseruantes eorum familiaritates, nam si in masculinis signis fuerint, ambo lumina & in angulis, siue alterum horum maximè conditionarium, & stipatim quinque erronibus erga Solem quidem matutinis, vespertinis verò erga Lunam, reges erunt qui nascuntur.

Septem genera status hominum, quasi extrema inuicem, quod maximè distent declarat: per ea reliqua omnia, quæ infinita sunt intermedia nobis insinuans. Nec comparando loquitur, sed simpliciter, ita quod etiam filius rustici hanc nactus genesim modo viuat ad regnum perueniet. Vt autem intelligamus veritatem huius rei, debes scire quod luminare in masculinis signis simul esse contingit secundum distributionem singulis quatuor hominibus, & cum hoc habere Venerem, & Mercurium orientalem singulis 16. hominibus. Sed de Saturno vt sit in primo statu cum hebeat quinque status singulis 80. hominibus. Sed igitur vt habeat tres superiores in primo statu singulis 2. M. hominibus continget. Vt verò fit in angulis continget ex 6. millibus vni. Igitur per statum Regium intelligit statum eius, qui præsit 3. millibus hominum. Nam cum de Luna, vel Sole loquatur ad dimidium numeri reducitur. Intelligit ergo per reges regulos, more antiquorum & Arabum, qui Reges faciunt atque appellant vnius oppidi dominos. Qualis sine numero sunt nunc in Africa & India.

Itaque Ptolemæus hoc in negotio maximè obseruat rerum ipsarum rationem. Cùm enim sub eadem non solum Saturni & Iouis coniunctione, sed etiam Solis & Lunæ innumeri nascantur, quorum varia est fortuna, rem hanc ad momentum transtulit. Nam qui in angulis sunt Planetæ plurimum possunt, quod res hæc breuissimo tempore duret. Eoque magis quo in validioribus angulis, scilicet ascendente & medio cœli: Et in eorum centris. Hoc autem vt rarissimum est, & in immensum augetur, & excrescit donec ascendente luminari in ipsomet fuerit centro, non ita facilè quenquam ad regnum magnum admittit. Ergo Ptolemæus hic per angulos simpliciter intellectos etiam Regulos decerni proponit. Quod si non in angulis solum, sed etiam in ceteris eorum fuerint ambo luminaria, tunc de magnis regibus intelliget. Atque ita sermo hic de primo statu omnium regum, qui tamen non sunt supremi, vt Rex Gallorum, aut Hispaniarum, vel Turca, vel Anglorum, vel Pannoniæ, & multo minus de Cæsare qualis est noster, est intelligendus. Pro regis nomine autem hic, si Principem dicas iuxta consuetudinem nostri sæculi, clarius rem percipies. Erunt ergo tales Reges, vt Comes Flandriæ, Dux Austriæ, Dux Mediolani. Rex Bohemiæ solius, & hi inter maximos huius status, vt etiam Rex Aragonum, Dux Florentiæ. Inter mediocres autem Reges huius status, Dux Ferrariæ, Dux Mantuæ. Inter minores, Princeps Bisignanæ, Princepsque Salerni, Dux Parmæ. Inter minimos autem comes Vgubij, Marchio Istonij. Iam igitur habes quid per Reges Ptolemæus intelligat, & quomodo: nunc modo causam sententiæ illius exponamus. Luminaria in hoc casu obseruat quod dignitates Regiæ omni hominum generi imperent: non sicut alij Planetæ sic & luminaria certo hominum generi præsunt, sed generaliter omnibus. Nam Saturnus infimæ plebi, Iupiter diuitibus & magistratibus, Mars militibus, & artificibus durioribus, Venus mulieribus & mollioribus artificibus, Mercurius studiosis. Quod verò in masculinis signis sint hoc facit vt efficaciores, & promptiores ad negotia obeunda euadant. Quo etiam docemur nihil tam facere ad honores & dignitatem retinendam quantum efficacia, & promptitudo in negotiis. Hæc autem vt ad regnum vtilia sunt, non tamen in aliis rebus adeò. Nam primum malos mores in Venereis præstat plerumque hæc constitutio, si modo Venus astipuletur, vt superius visum est. Facit & aliorum contemptores, & plerunque boni & æqui. Et nil curantes nisi

quod

quod ad magnitudinem sui status faciat, & explendum desiderium. Sunt enim tales immodici semper in cupiditatibus, & actionibus suis. Nocet etiam quo ad vitam Lunæ constitutio in signo masculino. Ita nihil est ex quaque parte beatum: multò minus Principum vita. De orientalibus verò Planetis à Sole, occidentalibus à Luna, rationem superiùs declarauimus. Similiter & de angulis. Ergo si in Regis filij genitura, quæ dicta sunt contingant, non solum Rex, sed maximus euadet Rex, & regnum suum tanquam ad id munus natus, summa cum facilitate tractabit.

TEXTVS IX.

At si satellites Planetæ vel in angulis ipsi fuerint, vel ad superiorem cœli cardinem configurati, magnam decernunt & stabilem potentiam, orbisque imperium: quæ quidem maior erit felicitas, si hæ configurationes dextræ fuerint.

Si per orbis imperium intelligas totius orbis, absurdum hoc erit, quandoquidem nevllus vnquam toti orbi imperauit: neque fieri posse, vt quisquam imperet in libris de Æternitatis arcanis demonstratum est: Sed nec de maiore parte, vt Cæsaris, aut Alexandri Magni, cum constitutiones hæ, quas hic Ptolemæus proponit frequentes sint, tales autem principes rarissimi. Quòd igitur antea diximus de regibus paruis, hic de magnis est intelligendum. Scilicet vt hæc constitutio Regem mundi, id est, qui titulos ferat totius aut maioris partis orbis significet. Quales, vt dixi, Cæsar, Turcarum Princeps, Æthiopum Rex, Rex Scytharum nostro tempore magnus Cham dictus, Rex Gallorum, Rex Anglorum, Persarum Rex Sophi appellatus, Cambaiæ etiam aliisque toto orbe celebres. Si tamen luminaria in centris præter id horum sint angulorum, fient tunc Reges maioris partis orbis, vt olim fuit Augustus.

Illud etiam animaduertere decet, quod Ptolemæi tempore Romani Imperatores orbis hoc modo erant principes, sed hoc à generali constitutione imperij Romani ortum trahebat. Quo fit vt verisimile sit Ptolemæum vidisse genituram Augusti & Tiberij, quam habuerat Thrasibulus Mathematicus, & C. Caligulæ, & Neronis, & Claudij, & Domitiani. His enim omnibus ab Astrologis prædictum fuerat imperaturos. Fuerant autem hi proximi ætati Ptolemæi & paulò ante illum. Credendum est igitur Ptolemæum obseruasse in illis hoc commune, quod dixit. Similiter & forsan in genituris regum Persarum Xerxis, Artaxerxis, tum Aegyptiorum Ptolemæorum, atque etiam Mithridatis Antiochiúe, & forsan Alexandri Magni. Non tamen absolutè de mundi regibus pronuntiasset sola ratione absque experimento fretus. Fuit enim Ptolemæus magnus supputator, & temporum, & motuum astrorum, iamque condiderat libros Magnæ compositionis, vt in Procemio huius libri apparet. Itaque dictum hoc de mundi regibus tamen ad centra angulorum tum ad constitutionem generalem illius ætatis referendum erit. Poterit enim iam maximum imperium in vnum coisse, & hæreditario iure transferri in successores, & tunc erit difficillimum alteri, qui ex ea familia non sit hoc obtinere. Poterit rursus non coisse imperium in vnum vt Nini tempore, & tunc erit difficilè, perfecit tamen hoc Ninus Assyriorum Rex, vt regnum maximè partis orbis occuparet. Sicut Alexander Magnus Persarum, quod iam vni familiæ tributum erat: licet Darius ille, quem Alexander vicit non fuerit è stirpe Xerxis, vel Artaxerxis. Vnde difficilius fuit Alexandro imperium illud occupare, quam Nino: nam à generali constitutione sub qua Persarum Imperium coaluerat, Alexander prohibebatur. Difficillimum autem est generalem constitutionem à priuati genesi, vt in secundo libro superius docuimus, superari. Quandoque autem imperium coaluit in vnum, nulla certa familia dominante, vt Romanum post extinctum Neronem, qui Iuliorum vltimus fuit, & tunc longè facilius est ex genesi imperium orbis assequi, vt Nerua, Traianus, Galba, Otto, Vitellius, Seuerus Alexander, Seuerus Afer, Maximinus, multique alij.

Sed iure meritò dices, cum eodem momento tot in orbe nascantur, multi erunt totius orbis domini, quòd & experimento, & rationi repugnat. Imò neque vnquam visum est duos, vel tres ad vnguem vnius ætatis, vel simul, vel altero alteri succedente maxima regna occupasse. Quod tamen necessarium esset vbi vera essent, quæ à Ptolemæo dicuntur. Respondeo quòd natura ordini vniuersi prouidit, raroque tales primum eueniunt constitutiones: Et eorum qui nascuntur tunc pauci supersunt, quod superiùs declaratum sit, eos qui in centris habent luminaria plerunque non nutriri, aut oblæsos esse vitiisque tum animi, tum corporis detineri. Vnde prohibentur à maximis non solum negociis sed sæpius etiam à mediocribus ac minimis. In eadem etiam regione non contingit fermè duos eodem momento nasci. Neque ego in vita vidi duos, qui eodem horæ momento nati essent, nedum postmodum duos tam claris genituris. Plurimi etiam ab infantia pereunt propter parentum, vt videbimus, geneses. Eorum verò qui tandem supersunt eodem momento geniti ob natalium discrimen, alij quidem momento obtinent regnum, vt Seueri Afri tempore Albinus, & Fescenius Niger: Et Galieni tyranni triginta, quorum quilibet nomen Cæsaris vsurpauit: Alij verò non per se assequuntur imperium, sed vices eorum qui possident, gerunt.

Quo verò ad textus explicationem attinet, difficilè videtur intelligere Planetas esse à Sole orientales, & in angulo cum Sole, & sub radiis non esse, nisi Sol in ipsius anguli extremo fuerit, quod vix verisimile videtur, cum tunc non validus esset, sed imbecillis. Respondeo quod primo hoc in occidētalibus Planetis à Luna nullam habent difficultatem:

Rursus

Rursus si iisdem in alio angulo præcedente fuerint, vt Sol in ascendente, satellites in cœli medio. Tertio contingere potest cum ipsi cœli medium respiciunt ex secundo loco vel tertio, Sol autem fuerit in imo cœli, vel satellites in duodecimo, Sol in ascendente. Neque vetat quin in regionibus finitoris obliquioris Sol sit validus in angulo, & in eodem vel quinque gradibus anterioribus: Planetæ & fixæ (nam & de his quando fuerint nobiles intelligimus) appareant orientales in primo statu, & validissimæ, tamen maximè ob latitudinem. Quæ autem sint validissimæ docuimus in libris astronimicis. Neque etiam vetat quin quando Planetæ sub Sole fuerint, licet sui ratione sint imbecilissimi viribus omnibus Soli traditis, regnum decernere non possint. Nam Sol vel Luna, vt initio huius capitis docuimus, regnorum possunt esse authores, non alij Planetæ.

Cur autem dextros radios sinistris præposuerit, non est vt putat Haly, quod generaliter sint validiores, cum superiùs sit declaratum inter Planetas radium dextrum esse imbecilliorem. Sed hic cùm loquatur de aspectu Planetarum ad cœli medium, ad quam defertur non proprio motu, sed firmamenti, constat dextrum sinistro esse validiorem: cum de radiis loquimur Planetarum ad domos, cum verò ad Planetas, vel fixas sinistri sunt præponendi. Superiùs dictum est, quod radij dextri contra successionem signorum tendunt, vt ex Tauro in Pisces, sinistri secundum, vt ex Tauro in Cancrum. Cùm igitur motu primi mobilis Planeta, qui est in Tauro in prima, vadat Piscium locum in vndecima, patet propositum. Vnde liquet Ptolemæum velle quod Planetæ in hoc casu validiores sint in duodecimo loco, quàm octauo, in primo, quam in septimo, in secundo, quam in sexto, in tertio, quam in quinto. Ex his enim locis cœli medium respicere contingit, licet non vbique gentium, nec semper.

TEXTVS X.

Si verò aliis ita habentibus solus, Sol in masculino, Luna verò in fœminino signo, & angulare alterum lumen solum extiterit, duces tantum nascuntur vitæ, necisque domini. Si ad hæc ne laterones quidem Planetæ angulares fuerint, neque cum angulis, aut configurati, magni tantummodo & natalium splendore conspicui, aut præfecturis, aut exercituum ductationibus, minimè verò ducatibus illustres. At si luminaria quidem in cardinibus non sint, cardinales tamen satellites Planetæ extiterint, aut cum angulis configurati, in illustrioribus quidem dignitatibus non constiuentur, in ciuilibus tamen hi promotionibus, & in sui generis vitæ mediocritate excellent. Si neque stipatrices stellæ cum angulis coniunguntur, obscuros homines & nullis honoribus promouentur. Extremæ verò abiecti & infelicibus animis nascuntur, quibus neutrum luminare in cardinibus, neque in masculino signo reperitur, neque stipatur à beneficis.

Declaratis duobus statibus principalibus, quorum præcedens est sublimis, & potentissimus nunc declarat quinque alios status. Nec in vlla alia causa tamdiligens fuit Ptolemæus, quam vitæ & hac. Vitæ quidem quòd ea sit omnium aliorum fundamentum: & etiam quod pulcherrimum de Astrologo exemplum præbeat. Honorum verò quod illis omnia bona succedant, diuitiæ, amici, gloria, coniugia nobilium, inde, insteriles fuerint, præclara soboles. Denique post corporis incolumitatem felicitas in humanis gloriæ comes est. Et quanquam Aristides & Phocion, & Camillus, & Cincinatus, & Fabritius, & Scipio maior, & alij multi honores adepti sint maximos, cum summa paupertate: constat tamen potuisse illos si voluissent omnino diuites esse. Phocion enim magna auri talenta, quæ salua authoritate accipere poterat, oblata ab Alexandro spreuit. Sic cuique horum occasio affulsit diuitiarum, sed illi gloriosius duxerunt tantos magistratus gerere in summa paupertate, quàm cum diuitiis. Non solum ob raritatem, sed quod hoc esset certum testimonium ingentis virtutis datos honores pauperrimis, & singularis innocentiæ pauperes abdicasse se à magistratibus summis. Tertius modus à secundo differt quod vnum tantum luminare habet in angulo, ac in masculino signo. Memineris verò, vt dixi, hic loqui Ptolemæum de his, qui propria virtute emerserunt: Vt Franciscus Sfortia primus, Castrutius, Iacobus Triultius, Hieronymus Moronus, Iacobus Medices, omnes præter secundum ciues nostri. Non de his qui concordia cum potentibus genituris creuerunt, vt Cosmas, Florentiæ Princeps, qui partim successione partim consensu genituræ suæ, cum Cæsaris genitura adeptus est regnum. Et Maximilianus Stampa consensu genituræ, vt diximus, cum genitura Francisci Sfortiæ secundi iam Principis Mediolani. Itaque te iterum monuisse volui quemadmodum de diuitiis feci: aliter vel in magnos incideres errores, vel falsò Ptolemæum damnares. Sicut enim contingit mori in magna clade multos, quorum genituræ longam vitam pollicentur. Et direpta vrbe euadere pauperes, qui dominos Sortis in cœli medio habent, Ita in constitutione communi genti, quæ recipit principes ex vna familia, contingit ex eadem causa, quæ est consensus genituræ, cum nonnulli illa constellatione non simplex, vt quidam crederent & egregiè rursus deciperentur, sed deductus per perpetuos concursus directionum, & progressionum ac reuolutio-

num in quibus continua successione fit commutatio locorum principalium, fieri quosdam principes, quorum genituræ vix mediocri fortunæ sufficere viderent. His igitur hoc contingit, vt si filij egregiis genituris suffulti succedant, regnum non minus, quam virtute partum roboratur & agetur. Si verò filij genitura patris genituræ similis est, eisdem artibus regnum retinetur quibus partum est, non tamen augetur. Quoniam iam deductio illa cum generali constitutione interrupta est. Si autem filij genitura discors sit parenti, vt Dionysij iunioris olim cum Dionysij parentis, & filiorum Pysistrati cum patre, & filij Periclis cum patre, & nostra ætate Ferdinandi filij, cum Alphonso patre Rege Apuliæ & Neapolis, & Ludouici Sfortiæ cum Francisci primi patris, semper regnum illud corruet, & filius eo priuabitur, etiam si pater non consensu, sed virtute parauerit. Quamobrem cum plurimi sunt filij, si Regnum habenti meliorem genituram, & magis concordem cum genitura parentis, & hora in qua regnum adeptus est pater, re vt alias dixi & potestatem non cæremoniis, tunc regnum illud proculdubiò in illa famialia seruabitur. Et hoc est quod Ottomannorum familia tamdiu seruat regnum illæsum, quod fortiori & promptiori, atque efficatiori pater filio relinquit. Id autem ex experimento dignoscit. Sunt etiam qui dicant peritos astrorum consulere. Nam ea gens, vt par est, astra diligenter obseruat vt audio. Quicquid sit si ea regula seruetur, regna nec transferentur, nec desinent. Quod si plures habeat pater filios, & primus adeptus regnum minus congruentem genituram regno habuerit, & minus efficacem (nam vt dixi clarum est sententiam Ptolemæi esse regnum efficacia constare) secundo aut tertio filio, tunc nisi concordent genituræ efficatioris, cum principis fratris genitura, regnum illud proculdubiò euertetur. Ideò tutissimum regnum est in quo hæres regni est filius efficatior, seu qui habet genituram, vt dixi, cum illis tribus conditionibus, congruentem, scilicet primi Regis genituræ, primæ horæ qua regno potitus est, & luminaria in signis masculinis & angulis, cum Planetis aliis orientalibus à Sole, vel occidentalibus à Luna, in angulis, vel cœli medium respicientibus. Et hæc omnia vt etiam Haly aduertit Ptolemæus inclusi in tertio libro in his verbis (Et plurimum valet in peculiarium provt vniuscuiusque conditio requirit casuum decretis) Et in secundo rursus ibi (Iam cum necesse sit summitti imbecilliores naturas valentioribus, &c.)

Text. 1. Text. 1.

Quartus ergo status est (vt ad ordinem redeam) cum vnum luminare est in signo masculino, & in angulo, aliud in fœmino & extra angulum. Idem fermè esset, sed paulò debilius, si quod est in fœminino signo esset in angulo, & quod est in masculino extra. Ex hoc patet causa quod effœminati, vt Sardanapalus, & Pathici, vt Heliogabalus, non sunt omnino idonei regno, quia tales habent ambo, luminaria in fœmininis signis, vt in præcedenti capite visum est. Et ego cognoui principem muliebria patientem, & certè viuus quod rarò contigit, regno exutus est. Et hoc est verum de regno quod solum propriis viribus, non alia authoritate, suffultum sit. Ex hoc etiam manifestum est, cur plus possit ad amissionem regni effœminata conditio morum, quàm auaritia vel crudelitas. Vt etiam nostra ætate in quibusdam vnum est.

Quintus status ad vnguem ad primam pertinet genituram, vbi nec Sol, nec Luna in angulo est, Saturnus tamen & Iupiter, & Venus in angulis. Hi ergo non nouum adipiscentur regnum, sed suam conditionem à parentibus relictam retinebunt, sutor, sutoriam, eques equestrem, Senator Senatoriam, Rex Regiam: Et in sui generis mediocritate excellent inter compares, scilicet sutor inter sutores diuitiis & authoritate præualebit: Rex inter reges sapientia, diuitiis, apparatu rei bellicæ, obedientia, regnique amplificatione.

Sextus status est eorum, quod ad honores non sunt apti, sed in suo genera sunt obscuri: atque quodammodo incogniti. Contingit hic cum neque luminaria, nec stipatrices stellæ in cardinibus fuerint. Tales enim omnino abiecti & humiles sunt inter suæ conditionis, vt dixi homines. Nec ex duodecim exemplaribus genituris ni fallor vllam excipere nossem huic congruentem statui præter nostram. Status enim vniuscuiusque describentur. Ex quo liquet non debere homines desperare, maiora quam pro astris expectentur, cum Ptolemæus hos status ad hominum existimationem ac cœcam fortunam referat, non ad eam quæ ex virtute oritur, gloriam tum etiam honores. Itaque cum ego repugnantibus astris nomen quidem inter eruditos essem consecutus, non tamen mihi pro tot laboribus, vel semel eligi ad vllum officium inter collegas collegij contigit: nec apud aliquem principem in aliquo esse gradu, cum tamen tot nebulones dignitates apud illos sint consecuti: Et qui omnino non solum imperiti sint & habeantur, sed etiam in opere infelices. Vt contra de nobis cuius doctrinam non solum fatentur, sed opera admirantur, & tamen consuetudinem, mirum certè dictu, non solum negligunt, sed abhorrent. Ita liceat nobis astrorum vim non solum fateri, sed admirari. Si ad causas inferiores referas, vix queas inuenire. Sunt maleuoli, sunt inuidi: nemini desunt obtrectatores, & qui verè habeant illis quod obiiciant, cum mihi non possint. Sunt aliis amici & qui laudarent, at nec mihi defuerunt. Quid igitur? ex astris hoc est. Quo factum est, vt æquo animo ista viderim semper tulerim: intelligens nec vitio, meo, nec aliorum crimine ista contingere, sed superum voluntate. Sed iam ad septimum statum transeamus.

Hic adeò miser est, vt etiam si in potentis viri filium incidat, eum adeò deprimat, vt omnino abiectus sit. Atque ideò ad vnguem primo & secundo contrarius, qui etiam mendicorum filios euehere possunt. Constat autem hic status ex tribus. Primum horum est, vt

vt vtrunque luminare ab angulis cadat. Hoc præcipuè ad corpus pertinet: tales enim plerunque morbosi sunt & debiles: & præsertim si in sexto vel duodecimo loco fuerint. Vnde ob hoc & ad labores inhabiles, & contempti habentur. Hoc verò & nobis nocuit cum minùs firma valetudine nec seruire Principibus possem, quibus boni species plus placet quàm bonum: & obsequium quàm artis excellentia. Facit etiam eos qui in assidua peregrinatione versentur & exules, quod etiam existimationi obest. Secundum vt luminaria sint in signis fœmininis. Hoc animum deiicit à magnarum rerum cogitatione nec finit prouincias magnas aggredi, redditque inefficaces, quo vitio ad gerenda negotia magna nihil est deterius. Facit etiam contemptos nec tales vt ab his aliquid magni iure possis expectare. Tertium vt luminaria à nullis stipentur beneficis, aut concordibus syderibus. Facit hoc vt ab omnibus deserantur & contemnantur, amicorum omnium præsidio destituti. pertinet hoc igitur ad fortunæ bona. Cùm igitur tales ex prima conditione bonis corporis careant: Ex secunda autem animi bonis: Ex tertia etiam fortunæ, meritò hi in extremo miseriarum sunt collocati. Suspiciet etiam quandoque ad septimi status constitutionem extrema quædam animi aut corporis calamitas, aut cæcitas innata, resolutio totius corporis, aut linguæ, amentia, aut immoderata peruersitas cum timiditate. Habes igitur septimi status non solum conditiones, sed & causas. Ita egregia aliqua animi conditio, ab extremis existimationis statibus aliquot, contraria ratione, liberat. Quod facilè, si vt oportet non tantum verba Ptolemæi, sed etiam causam & rationem illorum diligenter perscrutatus fueris, intelliges. Vnde etiam educatio plurimum potest in corrigendis, ac leniendis astrorum decretis: modò non tantum illi tribuas vt ex vno extremo in aliud posse tranferre speres. Verùm animi innata virtus, cum educatione plus satis potest. Et licet non verè, specie tamen quadam ad contrarios extremos status, & quasi per vmbram nonnunquam transferre solet. Non tamen tales sunt iuxta hos status duo digna animaduersione diligenti notanda sunt, quorum alterum est, quod luminaria significant ipsam dignitatem & statum: laterones autem eos, qui illus statui, atque existimationi suffragantur. Qui si in angulis fuerint potentes erunt, alibi debiles pro loci conditione: beneficæ, fidæ, maleficæ, inconstantes & quãdoque infidæ. Alterũ quod quilibet status comparandus est statui parentum hora natiuitatis, & ei qui per leges necessario ad filium ipsum post illorum obitum deuoluitur.

TEXTVS XI.

Hæc igitur in genere propositæ considerationis descriptio dignitatum, veluti excellentiam quandam constituit. Mediocres verò constitutiones, quæ infinitæ sunt, coniectari oportet de forma ipsa tum luminum, tum stipationis ipsorum propria variatione, deque satellitij dominio.

Generales constitutiones, tanquam terminos propriis finibus distinctos intelligit. Vt non sint excellentes hi termini per se singuli, sed vt spatiis manifestis ac magnis distinguuntur. Sed mediæ constitutiones sunt inter hos fines, inter quos cum sint septem termini, erunt sex spatia, quorum vnumquodque egregiam & manfestam habet latitudinem. Hi igitur intermedij status ex tribus cognoscuntur: Primus est modus, quo luminaria sunt disposita in centro anguli, in medio, in fine, in initio succedentis medio fine, in cadentis initio, vel medio in decimo, vel septimo loco, infra terram vel supra: Quodque sint in dignitatibus suis, Sol in igneis, Luna in aqueis, vel contrario modo Luna supra terram maximè nocte vel infrà: Luna in masculino, Sol in fœminino, vel contrario modo: quæ ordines non mutant, sed in eodem ordine eleuant, aut deprimunt. Secundus est ex qualitate satellitij beneficarum vel maleficarum, concordantium, aut contrariarum in suis dignitatibus, aut casibus potentium, vel debilium multarum aut pauciorum, dominantium locis lumarium, vel inimicarum congruentium situ & tempore, vel dissidentium. Tertius est, qui decernit qualitatem, & causam existimationis: Et hic sumitur à domino signi satellitij. Præponatur carpentum, inde qui respicit locum & dominatur in loco post dominus domus si nullus aspiciat locum satellitij ex dominis nec ibi carpentum habeat. Quod si dominus domus sub radiis Solis fuerit, dominum trigoni in honoribus, domino altitudinis iuxta Ptolemæi sententiam præponemus. Vltimo loco est dominus finis. Atque ita vbi plures dominarentur, atque respicerent, ordo statuendus est.

TEXTVS XII.

Nam hoc si constiterit circa beneficas, eiusdemque conditionis stellas maior ipsis dignitatibus authoritas, & constantia accrescit. Si verò circa contrarios, aut maleficos humiliora, & incertiora omnia.

Satellitij dominus si sit benefica & concordet cum satellitibus est primus, ac firmissimus status. Inde si concordet non sit autem benefica. Tertius cum benefica, quæ non concordet. Quartus si benefica discordet. Quintus si malefica non concordet. Vltimus & pessimus, cum malefica discordans dominabitur. Tunc enim omnia bona peruertet & turbabit, mala augebit.

Quærere igitur oportet secundùm regulas datas, qui sit robustiro & ex experientia velut in nostra genesi Venus, aut Mercurius, aut Saturnus sunt, satellitij Domini potius quam Iuppiter. Iuppiter tamen, vel quia sint

in angulo, vel alia ratione deprehenditur omnes dignitates præstare. Hoc enim experimento certò constat: sic etiam temporaneas dignitates, & potestates largitur suis temporibus, de quibus locutus non est Ptolemæus: sunt tamen necessaria: nam Marius humili loco & fortuna natus, septies consul, non paucioribus tribus duxit exercitus. Vnde ergo hæc varietas: an quia validæ potestates amisso satellitio procedant dominisque varij generis, quæ autem artis excellentiam sequuntur, vt in eruditis Iurisconsultis, & Architectis, vel Grammaticis transitum significatorum non luminarium ad corpora, vel radios beneficarum, aut luminarium: qui cursus ac recursus in huiusmodi viris eò frequentius accidit, quò eiusmodi dignitates sunt leuiores, & natura mutabiles.

TEXTVS XIII.

Futuræ dignitatis genus de stipantium astrorum peculiari natura coniecturabimus. Quandoquidem Saturnus satellitij præfecturam nactus ex opum cupiditate, & reconditis diuitiis, potentiam conciliat. Iupiter verò & Venus gratia donis, præmiis ac magnificentia. Mars expeditionibus, victoriis, subditorum terrore. Mercurius intelligentia, eruditione, cura, ordineque suarum rerum.

Verbum δορυφορούντων & κυρείαν τῆς δορυφορίας ἔχων magnam attulit ambiguitatem. Videtur enim à stipantium natura sumendum genus causæ dignitatis: Inde in sequentibus verbis potius à natura domini satellitij. Illud etiam difficillimum videtur, vt à natura satellitij, quæ pluribus conuenit necessario, atque diuersis: Qoniam non potest esse satellitium nisi plures sint Planetæ luminaria circundantes. Nec causa dignitatis à pluribus sumenda est, sed ab vno plerumque. Haly ob id more Arabum, & etiam quia iure merito hoc omnes torquere posset verè exposuit omnia concilians digniorem in satellitio, qui etiam illi præsit: Sed sæpe accidit vt qui præsit è satellitio non sit. Ob id igitur recipiendā Halysententiam existimo, vt qui præest è satellitio eligatur. Si nullus præsit: potentior in satellitio. Vltimo si omnes debiles extiterint: dominus satellitij. Vel si dominus satellitij sit, alter verò in eo potentissimus, vterque habendus erit. Exemplum in secunda genesi (nam vt bene Firmicus dixit Imperatorum & Regum geneses quoquomodo astris non adeò subiiciuntur: Et verè, quoniam etiam Regni initio subiacent, non tantum propriè genituræ: Idcirco fit vt de Regibus circa corpora & animos prædictio extendatur. Rex verò magnus augere potest & minuere existimationem, mutare non potest, quæ cum regno ipso coniuncta sit. Quanquam, vt dixi, ea maxima futura sit etiam præter regni ordinem, quia tamen non adeò conspicua est genesis vis in regibus propter regni maximam illustrationem eā silentio, nunc trāsmitto) Satellites sunt Iupiter, Mercurius, Venus, ex his Venus præficitur, nam est sublimis & in suo trigono orientalis matutina, Mercurius occidentalis vespertinus, & Iupiter in vltimo statu. Sed & Venus præest loco Iouis. In prima Saturnus est proximior Soli, Venus centro, vtrunque sumendū existimarem, æqui fermè authoritate. In tertiæ satellitio præest Sol, Mars, Iupiter, Mars Ioui commiscetur. Sol autem cum præsit illustrem facit natalibus, hoc est communi ratione. Ita intelligendum est quod Ptolemæus prætermisit. Nam si Luna præsit erunt velut cursores, ac tales qui vulgari comitate omnibus noti fiunt.

Animaduertendum est diligenter hic non de gloria, & dignitate loqui nisi ea, quæ à fortuna conceditur, nam consequens cuiusque artis excellentiam non in potestate fortunæ est: maximè quæ ad eruditionem sequitur: illa enim cum sit in nostra potestate non ex astris habetur. Veruntatmen est nomen quoddam solum, aut ad summum negocia illi committuntur, quæ ab excellentia peritiæ eius artis pendent. Et ita non repugnat in vltimo statu gloriæ hominem esse notissimum ob artis maximam peritiam toti orbi. Sunt ergo tria artis peritia, artis exercitatio, nomen ex arte, primum ex astris pendet, sed non ex hoc capite: secundum ex astris, & pendet ex hoc capite: tertium ex astris, sed peritia artis, quæ ex astris tamen oritur. Verùm si artis peritiæ, quæ hic dicuntur fœliciter adsint, gloria illius conduplicabitur. Et omnes illius opera vtuntur: Est etiam artis peritia, quæ ad exercitationem peruenit, & tota in nobis non est, cui astra dominantur. Vnde quoties audies ille longè peritior est, & artem melius intelligit, sed tamen curari malo à meo medico & defendi ab aduocato. Solum ergo peritia, quæ in nobis est, & nomen quid paritur ex ea non sunt sub hoc capite. Ex hoc apparet, quod qui adeò præstare debent in disciplinis maximè contemplatiuis vt sunt Arithmetica, Geometria, Musica, Astrologia, Philosophia, vtraque optica ponderum Magia, Theologia, oportet vt habeant luminaria cadentia, & sine absque significatore artis, aliter per celebritatem nominis distraherentur. Et tamen oportet vt habeant planetas concatenatos per bonos aspectus, & in dignitatibus suis, præsertim ♄, ☿, ♀, vel ♃, aliter deficerent eius necessaria.

CAPVT IV.
TEXTVS XIV.

De actionibus seu opificio nati.

QVis verò opificij moderationi præsideat è duobus colligitur: Sole nimirum & signo quod cœli fastigium obtinet. Videre enim oportebit stellam, quæ matutino primo radios Solis exit. Et eam quæ cœli culmini conciliatur, maximè quando Lunæ se applicat Et si idē Planeta vtroque iure potitur hoc solo vtendum. Sic si vtrunque neuter habet eo qui alterū habet,

contentum esse oportet. Si verò vnus proximè apparuerit, & alter medio cœli, aut Lunæ conciliatus sit vterque in consilium adhibendus est. Primas trmen partes tribuemus ei, qui plura ad dominandum suffragia adeptus est. Quemadmodum in prioribus diximus. At si nullus reperitur huic muneri idoneus, nec mane visus, neque in cœli culmine constitutus dominum medij cœli accipiemus vt officium, aut exercitium, studiumque nati cui vacare consueuit, quando scilicet commodum est cognoscamus. Solent enim ex huiusmodi con stitutione ociosi plerūque pronasci: Hac igitur ratione inuestigauimus, quænam stella actionibus, opificioque nati formando idonea sit.

Quinque partibus seu modis ars constat. Primus est notitia artis ipsius, secundum nomen ex hac notitia horum neutrum pendet ex hoc capite: sed secundum ex primo: cognita enim subtiliter arte necesse est nomen illius increbescere. Consequuntur enim se: Primum autem ex ingenio & patientia, quæ potius per Mercurij, & Saturni statum habentur, quàm alia ratione: reliqua tria sunt artis exercitatio, concursus hominum, multorum & potentium ad illum ob artem & fructus, qui ex arte colligitur hæc tria ex hoc capite colliguntur, quia ex quadam fortuna & naturali inclinatione pendent, cum corporis facili, & apta tractatione. Quocirca in his illustrem conuenit esse statum stellæ, quæ opificium decernit, quo homines vitam ducunt, existimationem retinent, & totum vitæ tempus in eo consumunt. Quod in nulla alia humana actione, aut adiuncto inueniri potest. Illustres autem stellæ status magis esse non possunt, quàm si nuper ante Solem oriatur pura, & syncera iam substantia, & omnibus conspicuæ, aut si cœli medium teneant. Quo fit vt talibus opificium assignetur. Vt quod magis moueat hominem ad studium illud. Quare stellæ, quæ sub radiis latent studia non opificia decernunt. Tales verò non adeò inclarent quamuis ea in disciplina celebres Mathematici, naturales Grammatici, & qui scribendo noua comminiscuntur, vt solent pictores, sculptores, medici & prioribus longè viliores. Quamobrem distinguere hic oportet. Nam si debeat, quis nomine exercitationis multum inclarescere, & simul scire necesse est, vt Planetam vnum opificij authorem habeat sub Solis radiis, alterum in primo ortu. Velut in quarta genitura Iupiter est in primō ortu, Mercurius autem sub radiis, vt ex tabula ortus & occasus adiecta videre licet. Qui verò Planetam sub radiis tantum constitutum habent erunt nec videbuntur. Quòd si in cœli medio, vel primo ortu author opificij extiterit, videbuntur quidem nec erunt. Cuius rei exemplum ponere superfluum existimo, cum nullibi copia horum desit. Et si vnquam aliâs, nunc etiam magis, vbi verissimum est illud Horatij:

Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Verùm si nullus Planeta sub radiis optimè collocatus fuerit, nec etiam in primo ortu, aut cœli culmine, nec sciet ille prorsus quicquam, nec exercebit. Ptolemæus igitur quatuor ordines eligendi officij dominum proponit: Primus cum idem fuerit Planeta radios Solis exiens, qui & in cœli culmine: Et eò magis si etiam Lunæ se applicuerit. Secundus cum vnus tantum Planeta, vel Solis radios exierit, vel in cœli medio fuerit: Ille enim efficax erit & solus eligendus, quia solus est. Tertius est cum diuersi Planetæ, diuersas ex his tribus habuerint conditiones, velut quod vnus primum de sub radiis Solis exeat, secundus sit in cœli medio, à tertio Luna defluat (Hoc enim est Lunæ illum se applicare) omnes eligemus: potentior tamen est primus, inde secundus, demum tertius vltimus est: Sed videndum est etiam ex his, qui in loco medij cœli, & Lunæ præter id plures habuerit dignitates, atque is præponendus est omnibus. Quartus est cum nec primo oriens Planeta est, nec in cœli medio, tunc enim eum, qui plus in eodem cœli medio potestatis habet accipiemus. Ex quo patet quod eum à Luna separatur Ptolemæus contemnit, quasi præponitque vicem gerentem eius, qui est in vertice (is est, qui cœli medio dominatur) ci à quo Luna separatur. Admonet autem nos quod tales quibus nec Planeta radios Solis exuit primum, nec in cœli est medio, plerunque vacui sunt ab exercitatione, Solis intenti studiis aut delitiis. At dices, Reges officiis & artibus carent, hi verò plus aliis vt in præcedenti capite visum est, Planetas primò orientes in angulis habent? Respondeo quòd oportet per officia & artes intelligere publicam actionem qua minus Reges carent, quàm alij. Quidam enim administrant ius vt Claudius Imperator: Quidam exercent se corpore & pugna, vt Maximinus: Quidam Musica, vt Nero: Quidam machinis conficiendis rei bellicæ, vt C. Cæsar: Quidam ociosi, vt Domitianus: Quidam pictura, vt Alphonsus Rex Aragonum: Quidam torno, vt Hercules Ferrariæ Princeps: Alij studiis, vt Antoninus Philosophus. Igitur exponit qui sint ociosi. Oportet autem consentientes artes dignitati tribuere. Ob id enim caput de dignitate statim subsequitur caput de opificio. Hic igitur sunt, quæ opificium & quantitatem eius significant & genus. Memento autem eum dici esse in matutino ortu, qui non plus distat à Sole triginta partibus, & antecedit illum, & videtur. Et si plures fuerint, eliges propiorem Soli, modò optimè cernatur. propriam autem quandam fortunam sic describit.

TEXTVS XV.

Quales verò futuræ eæ sint ex propria trium stellarum Martis & Veneris

&

& Mercurij, signorumque in quibus vagantur censendum est. Mercurius enim opificium gubernans, vt ita per exemplũ dicam, scribas efficit, grammaticos, à rationibus, doctores, mercatores, nummularios, vates, astrologos, sacrificos, ac omnino in litteris & interpretatione vel in datis & acceptis occupatos. Et si illi Satur. suffragatur alienorum bonorum moderatores, somniorum interpretes, in templis desidentes, ibique vaticiniis, veluti furore diuinitùs sint correpti victitantes. Si Iupiter, legumlatores, rhetores, sophistas cum magnatibus conuersantes.

Venus quando actiones regit efficit homines odoribus florum, aut vnguentorum, vino, coloribus, tinctura, aut aromatibus, aliisque id genus operam nauantes. Qui videlicet vnguenta vendat, texant corollas, hospites recipiant, mercatores pharmacopolas, textores, qui aromata distrahant atque pigmenta, pictores, vestiarios. Si illi Saturnus suffragatur mercatores rerum ad voluptatem fruitionem & ornatum pertinentium. Incantatores verò & veneficos, lenones, & hinc victum quæritantes. Si Iupiter, athletas, victores in certamine, honoratos, mulierum opera euectos. Mars verò cum Sole configuratus ignibus operantes efficit: coquos videlicet, fusores, vstulatores, æramentarios, fabros. Si sol abest forte: Per ferrum operãtes vt nauium compactores, fabros agricolas, lapicidas quinque lapideas, structuras ædificent, gemmarios, lignorum fissores horumue ministros. Et si Saturnus ipsi suffragatur, nautas & qui sentinam exhauriunt, cloacarum expurgatores, milites, coquos, qui balneis & lotionibus præsint. Si Iupiter, milites, calones, publicanos, hospites, publicos, portitores, victimarum cæsores

Omnis ars quadam cum fælicitate tractatur, nec tarditate tanta indiget, vt Iouis aut Saturni circuitus peragatur. Ob id à qualitate opificij decernenda, duo superiores Saturnus & Iupiter exploduntur. Sed & luminaria tum ob nobilitatem, tum ob communem naturam in secundo huius apertè explicauimus. Cum igitur quatuor Planetas è septem exemeris, iure merito tribus solis Planetis opificij qualitas est ascribenda. Hi sunt qui reliqui sũt, scilicet Mars, Venus, & Merc.

Opificiorum autem genera tria sunt, laboriosa, industriosa, voluptuosa & delicata. Laboriosa soli Marti conuenire poterant, qui est Planeta superior & magnæ molis & rudis. Ideo etiam à talibus opificiis sumuntur boni milites. Mercurius ob paruitatem. Venus ob mollitiem non poterat præesse agricolis, aut fabris ferrariis. Industriosis Mercurius præest: & maximè his quæ ad animam solum pertinent vt supputare, metiri, persuadere, mederi, disputare, & si quæ sunt affinia his, leuique labore perficiuntur: vt scribere, & docere. Hæc enim corpore licet perficiantur, maximam tamen partem in anima repositam habent. Mercurius verò animæ præest, vt visum fuit. Quæ verò mollia sunt, & delectant, Veneris sunt opera.

Rursus quia in opificiis est substantia, & quantitas, quæ determinatur à Planeta, vt dictum est primum exeunte Solis radios, aut cœli medium possidente. Est etiam qualitas quæ ab vno horum trium decernitur, contingit, vt quilibet Planeta ex his tribus commisceatur alteri, vel idem sit, & qualitatis, & quantitatis significator, atque substantiæ. Voco substantiam, quod quis velit opificium exercere. Relinquitur igitur vt si solus non præsit, vt alteri commisceatur non ex dictis tribus, nam mixtum fiet opificium aut multiplex. igitur Saturno & Ioui poterunt solum commisceri. Cùm igitur sint tres significatores, & quilibet solus aut cum Saturno, vel Ioui possit misceri, erunt nouem modi: Inde vnus cum Sol, & Mars miscentur, fient igitur modi decem simplicium opificiorum, qui positi sunt in textu. Nouem verò compositos infrà explicabit, vt sint in vniuersum 19. modi. Vnum præterea Ptolemæus insinuauit inter simplices, sed non explicauit, quem Haly exposuit, cum Venus ita aptè Lunæ sicut Marti Sol misceatur.

Dixit igitur in quadam genesi Venus fuit opificij significatrix in Libra, quæ est propria domus & exaltatio, ac trigonus Saturni. Et Venus iuncta fuit Lunæ debili, & ibat ad Saturni sextiles radios in fine signi & sexto loco. Quia igitur erat Venus, significauit texturam rerum pictarum, & ob Lunam lotionem talium, & ob Saturnum, & domus casum vilium. Et ita texebat & lauabat res pictas viles, & parui pretij. Eodem modo duos alios in compositis intelligere expedit, vt sint 11. simplicia opificia, totidem composita. Et postmodum mixta erunt tria alia simplicia, vt Mars, Saturnus, & Iupiter, & totidem composita, vt sint omnia 28. 14. simplicia, & 14. composita. Et post mixta ex tribus qualitatibus, scilicet Marte, Venere, Mercurio, Solis, aut cum Saturno, vel Ioue, vel vtroque. Et ita quatuor modis. Vt sint modi in vniuersum 32.

Quomodo autem misceantur, non dixit: Et Haly causam errandi dedit, quia ponit principalem significatorum vnum ex tribus, scilicet Martem, aut Venerem, aut Mercurium, inde commiscere videtur Saturnum, vel Lunam vt in exemplo: Sed neque Ptolemæus voluit, nec Haly dixit. Primus significator est generalis, vt mihi Mars, & in quarta genesi Iupiter & eu detius. Inde videre oportet quis ex tribus Planetis dictis alius

commiſcatur principali : in noſtra etiam ſi nullus commiſceretur, Mars eſſet ſignificator quia eſt vnus è tribus illis , tamen miſcetur Soli , Lunæ , Mercurio & Ioui. Iuppiter enim finis eſt dominus : Finis autem hac in cauſa plurimum eſt obſeruandus : quia eſt proprius & multum poteſt. Et in quarta Iupiter , Soli & omnino Mercurio commiſcetur. Atque ita in aliis.

Mercurius cum Saturno facit alienorum bonorum procuratores : & qui emunt etiam pro dominis : Seruilia enim hæc & ad opes pertinent, quæ Saturno conueniunt , & tamen cum induſtria & ſupputatione. Somniorum interpretes ob Saturnum , qui in anioribus ſtudet. Vnde etiam ſenes ſomniis plus operam dant. Deſidebant olim in templis vanatici. Saturnus enim mendaciorum author , præſertim Mercurio commixtus, hoc autem genus vatum fallaciſſimum, mendaciſſimum & inane. Hæc monſtra & ſuperſtitiones cum multis aliis pernitioſas, ſancta lex noſtra ſuſtulit. Venus per ſe hoſpites ſignificat , verſantur in popinis , ſunt blandi & bonorum morum. Veneficium præſtat mixtio Saturni cum Venere , ſi quid aliud. Sunt enim timidi ambo hi Planetæ,& ſuſpitione pleni,præſertim occidentales.Ideò quod vi non audent aggrediuntur dolo. Incantatoribus Saturnus fucum & mendacia ſubminiſtrat , Venus quid occultum , & vt eis credatur facit , & vt prodeſſe poſſint.Lenones , ſeruile & infame eſt officium ob Saturnum , cum mulieribus verſantur ob Venerem , ob id impudentiſſimum , ſpurciſſimumque hominum genus. Athletæ corporis , robore eximio pollent, & honorabantur olim : Cæterùm præter robur corporis eximium, nihil in anima boni. Ideò ab ambarum beneficarum mixtione proueniunt. Indulgent autem tales genio mirum in modum. Martem abeſſe oportet cùm non eſſent ſanguinolenti , nec crudeles, nec pro vita certarent , ſed deſides , & luxui dediti,pugnabant honoris cauſa. Iupiter robur illud egregium , Venus honores illos inanes,vterque voluptuariam vitam præſtabat. Exoleuit hoc genus hominum tam inutile. Mars gemmarios illos ſolum ſignificat , qui magnis laboribus truſatiles verſantrotas.Qui ſcalpũt ad Mercurium , & Venerem cum Marte pertinent. Vt enim labor non eſt exiguus & aſſiduus opus eſt Martis : vt egregia induſtria indiget , ad Mercurium pertinet : vt in pulchro & pretioſo ſubiecto varias , & formoſas mentitur imagines , ad Venerem. Cum Saturno non coqueos carnium, ſed aquarium in balneis. Calones facit Iupiter Marti commixtus , malè diſpoſitus. Sicut in omnibus duas differentias intelligere oportet & medium. Velut Saturnus cum Marte malè diſpoſitus cloacarum expurgatores , bene chyrurgos : nam vtrinque fœdam rem tractant: illi laniarum tetrimenta , hi ſaniem & pus. Sed hi cum honore & lucro magno, illi cum exiguo & omnino inhonorati. Calones igitur militum partes ſunt. Benè diſpoſitus igitur milites fecit.Cauponas etiam ſicut & Venus,ſed non adeò gratioſos. Venus enim hoſpites ſignificat(qui olim habebantur & nunc etiam apud Scotos ſolum) benignos : Emunt peregrini quod volunt,illi obſonant , panem & vinum tribuunt , confidentque ſimul in menſa cum hoſpite , commodo magno peregrinantium. Ob id hoſpitis nomen olim gratum & ſanctum , quod violare nephas erat. Caupones omnia tribuunt,pecunias exigunt. Genus hominum peſſimum , & infame.

TEXTVS XVI.

Rurſus ſi duo ſint , qui actionibus præſint atque viuendi inſtituto , vt Venus & Mercurius , negotioſum reddunt in cantilenis , muſicisque inſtrumentis , concentu , carmine. Ac potiſſimum cum loca ſua mutua permutant : Efficiunt enim cytharœdos, mimos,mangonesquiqueorgana muſica fabricent , fides trandent , ſaltatores , textores , qui etiam ex cera conficiant imagines,pictores.Quod ſi Saturnus rurſusipſis aſtipuletur,quod diximus , & muliebres ad hæc mundos diſtrahæntes.Si verò Iupiter,cauſidicos & à rationibus primos, Reipublicæ operam nauantes , puerorum magiſtros , multitudine præfectos.

Mars cum Mercurio ſimul imperium adepti officiorum, ſtatuarios efficiunt , armorum opifices , ſacrorum monumentorum , fuſores , luctatores medicos , chyrurgos , delatores, falſarios , maleficos , ſcalptores. Saturno verò illis adiecto , carnifices , alienarum veſtium direptores , raptores,latrones , abactores , malis artibus victum quærentes. Ioue autem loco Saturni , induſtrios , & agiles , vehementes , curioſos , aliena opera ſubeuntes , & inde victitantes.

Si autem Venus , & Mars officiis moderandis præficiantur , tinctores, vnguentarioſque producunt , qui æs, plumbum , argentum , & aurum tractent & fundant,agricolas,pyrrhicam ſaltantes,medicamentarios, medicos. Si illis Saturnus ſuffragetur ſacrorum animalium curatores, veſpillones, funerum deſignatores , quique nænias præcinant , diuinos , & vbi arcana ſacrorum luctus , & mactationes fiunt, verſantes.Si Iupiter,homines in ſacris verſantes,augures,ſacrificos,fœminarum cœtui præfectos , nuptiarum & connubiorum interpretes,& ex hisviuentes,voluptuarios iuxta ac temerarios, & proinde periculis obiectos.

Simplicibus opificiis declaratis addit nunc

mixtos

mixtos, Mercurius, vt dixi, significat industriam & Venus labores leues. Vt verò Venus clarior extiterit, musicos facit, si occidat, poetas aut saltatores, vel textores: Mimi & scurræ, & comœdiarum actores, scænicique viri omnes ex eodem genere sunt. Mangones olim erant, qui pueros expoliebant, vt ob formam ad flagitium venales haberentur. Cytharœdorum nomine omnes, qui instrumentis pulsant intelligit. Textores, pictores, plastici, & qui quomodò fingunt ad hoc genus pertinent, si leni labore id agant. Saturnus illis adiectus facit vestium muliebrium mercatores: nam Saturnus laboris leuis quippiam addit. Iupiter facit ludi magistros, imperium enim quoddam & sapientiam declarat, quæ sunt ludi literarij magistris communia. Vnde referunt iuniorem Dionysium, relicta tyrannide, ne tæderet vitæ, vt quomodo imperium exerceret, Corinthi aperuisse ludum. Eadem ratione præficit etiam multitudini. Marte autem Mercurio mixto cum malefica mediæ iungatur, fiunt plerunque mali, eoque magis si Saturnus se illis addiderit. Non sunt autem hæ artes, cùm artes omnes aliquid boni contineant, hi verò authores omnes mali sunt. Medicos igitur & statuarios efficiunt bene dispositi, & in locis beneficarum positi. Sic & fabros atque alios. Iupiter iunctus his loco Saturni vehementes efficit, quia tres Planetæ sunt omnes calidi masculini, duoque ex his robusti. Mars autem Veneri mixtus cum altera stella malefica sit, altera benefica, facit eos medicos, qui pharmamiscent, quos nos vocamus aromatarios. Vnde facilè si his Saturnus misceatur in veneficos degenerant. Et sua sponte etiam tales mali sunt. Quoniam Martis & Veneris natura dissimilis est, nec aptè miscentur. Olim cum sacrificarentur boues & alia animalia sacra talia vocabantur: nunc verò desierunt. Mixtio etiam Saturni, cum Venere facit diuinatores,&c, vt supra visum est vetitis & damnosis artibus deditos. Cùm Ioue autem cum duæ beneficæ vincant felices faciunt satis, vnde augures & sacrificos. Nullum enim genus hominum magis obseruatum, aut felicius extitit in quauis lege sacerdotibus. Hi igitur à Ioue, Venere ac Marte significantur. De Ioue quidem ac Venere causa clara est, & quod diuitias, & reuerentiam, & securitatem, & opinionem diuinitatis significent: vnde malè fecerunt, qui Saturnum illis miscuerunt, vnde paupertas & contemptus, quamobrem nullus ordo talis perpetuus, sed omnes eo diuturniores quo potentiores: Nam in talium constitutione beneficæ plurimum potuerunt. Sed de Marte causa est sacrificium, & mactatio animalium, & nunc loco eorum curant funera hominum.

Quod verò dixit loca sua mutuò permutant, tanti ponderis est hæc ratio, vt sine illa nihil in Astrologia veri possit haberi. Quamobrem regula hæc declaranda est, cuius cognitione profunda artis mysteria declarantur. Sciendum est igitur Planetas cùm se inuicem aspiciunt, aut iungantur necessariò esse ambos in propriis potestatibus, aut in communibus, seu trigonis, aut in mutuis dignitatibus, tuncque recipere se inuicem dicuntur, aut peregrinos, aut in casibus propriis, aut mutuis, aut in communibus casibus: quod est esse trigonis diuersis. Erunt igitur hi modi simplices & similes septem. Exemplum horum in propriis erunt Mars in Ariete, Iupiter in Cancro. In communibus Mars & Luna in Piscibus. Mutuò se recipient Luna in Virgine, Mercurius in Cancro. Peregrini ambo, Mars in Geminis, Luna in Leone. In casibus ambo, Mars in Libra, Iupiter in Geminis In casibus mutuis, Luna in Piscibus, Mercurius in Capricorno. In dissidentibus trigonis, Mars in Geminis, Saturnus in Virgine Dissimiles autem fiunt 21. modis, velut quod vnus si in proprio loco alter in opposito, velut Mercurius in Geminis, Saturnus in Leone. Sunt igitur modi simplices 28. Compositi autem simplices decem vt in propriis & communibus: Velut Sol in Ariete, & Iupiter in Sagittario. In propriis recipientibus, vt Iupiter & Luna in Cancro. In communibus recipientibus, vt Sol in Sagittario, Iupiter in Leone. In propriis & mutuò cadentibus, vt Luna in Cancro, Mars in Scorpione. In propriis dissidentibus, vt Mars in Ariete, Iupiter in Cancro. In dissidentibus & mutuis, vt Luna in Ariete, Sol in Cancro. Sunt prætera compositorum dissimilium modi 30. tres pro vnoquoque simplici: nam vnus aut alter deficit aut commutant. Veluti si ambo sint in propriis locis, vnus autem recipiat: vt Ioue in Cancro, Luna in Tauro positis, vel si ambo mutuo se recipiant, vnus autem proprio loco, vt Ioue in Tauro, Luna in Cancro, vel si vnus recipiat, alter in proprio sit loco, velut Iupiter in Piscibus, Luna in Sagittario. Erunt igitur modi compositi similes 10. dissimiles 30. Simplices similes 7. dissimiles 21. Horum itaque summa est 68. præter decompositos qui vix numerari queunt, vt Sol in Leone, Iupiter in Ariete, nam sunt in communibus ambo, & vnus etiam in propriis, & alter est receptus. Similiter Iupiter in Piscibus, Luna in Virgine: vnus est in communibus, alter in propriis, & alter etiam in alterius casu. Ita decompositus est modus Martis in Piscibus, Veneris in Cancro: Et Mercurij in Scorpione, Lunæ in Virgine. His ita expositis, vt scias horum decreta per capita, animaduertere debes quod Planetæ in propriis locis validi sunt. Et si vnus tantum sit alium superat & vincit. Et si in propriis locis se inimico aspectu intueantur, aut mutuo casu sint, inuictum malum erit hoc. In casibus suis Planetæ debiles sunt. Sed si alter eorum solum in casu extiterit, qui erit in casu resistit & impediet alium, etiam si ab illo recipiatur. Velut si Venus ex Cancro, Martem in Tauro positum respiciat, Mars Veneris decretis resistet. Quòd si mutuo se recipiant erunt firmi & expediti in decreto suo. Sed si vnus tantum recipiatur, qui recipitur fouebitur à recipiente, sed tamen obediet illi. Et erit receptus, velut seruus in domo domini sui. Sed si vnus sit in alterius casu, velut Sol in Tauro, Mars in Virgine Mars impediet

Solem, & Sol Martem, sed non tantum. Planetæ in communibus significant consensum, & præter id populi fauorem: Vt quasi res illa ab omnibus ad quos pertinet negocium illud, comprobetur. Si Planetæ sint in mutuo casu, erunt hostes, ideò vix consequetur quippiam boni per alterutrum eorum promissi. Si Planetæ sint in diuersis trigonis, discrepabunt media ad consequendum talem finem. Et iudicia hominum de eo erunt diuersa. Si solum vnus Planeta est in suo trigono, alius autem non, claudicabit res promissa, quia non vndique eadem habebit existimationem apud eos ad quos pertinet Peregrini difficultatem perficiendi, vel assequendi intentum arguunt. Atque ita de aliis. Exemplum in prima genitura, Venus est in communi dignitate & in suo casu, Saturnus peregrinus. Casus igitur proprius facit vt operationes Veneris sint debiliores, & hoc est bonum, quia non erit adeò lasciuiæ & voluptatibus deditus. Erit etiam satis hilaris, mansuetus, & blandus, quia Venus vincit Saturnũ ex trigoni dignitate. Quia tamen Venus cadit, & Saturnus est peregrinus, impediũtur aliquot promissa Veneris,& difficulter perficientur quædam promissa Saturni.

Dicit igitur Ptolemæus, quod si in mutuis fuerint dignitatibus, tunc euidenter, & firmiter suos effectus ostendent, & claros (intelligit) futuros eos in talibus artibus.

TEXTVS XVII.

Conferunt etiam signorum propriæ vires, in quibus gubernatores actionum & opificiorum Planetæ extiterint, non nihil ad operationum officiorumque variationem. Nam humanæ figuræ signa & operationes, & opificia, quæ arte, scientiaque constant, & ad hominum vsus instituta sunt, conducunt. Quadrupedia verò ad res metallicas, negociationes, ædificationes, artesque fabriles. Tropica & æquinoctialia ad res translatitias, ad interpretationes, ad rem geometricam, rusticam ac medicam. Terrestria & aquatilia, ad res aquaticas ac humidas, ad herbariam ac naualem. Amplius ad res funebres, ad salsamenta, ad piscatum.

Lib. 3. com. 9. Duo esse de quibus Apotelesmatum liber tractat, superius docuimus: Scilicet quod significat, & quod significatur. Quod significat, bifariam diuiditur: vel ratione substantiæ, & ita in quatuor, erraticas, inerrantes, figuras octaui orbis, & spacia noni. Vel ratione modi, & ita trifariam: in id quod significat, & id in quo est, & quod præest. Quod verò significatur, in tria diuiditur vt superius visum est: Qualitatem, quantitatem, & tempus. Additur verò modus ex secundo libro. Vt igitur hic habeatur ratio dictorum, sciendum quod absolutis duobus primis significatoribus, aggreditur tertium, scilicet loca noni orbis, nam de his signis loquitur, quæ spacio 30. graduum distinguuntur. Acquirunt tamen vim quandam iuxta similitudinem loci cum figuris, quæ illis suberant tempore magnæ coniunctionis capitum, Arietis & Libræ octauæ & nonæ sphæræ tempore Christi: Hoc autem fuit parum ante Ptolemæum. De humanæ quidem figuræ signis parua est dubitatio, cum humanos affectus, & studia circa homines significent. Quadrupedia humanæ naturæ sunt propiora cæteris, vt quæ sensum habeant integrum: ideò mechanicas significant. Sicut humana liberales Ex machanicis quatuor magis necessarias demonstrat, metallicam, fabrilem, ædificationem, negatiationem, sine quibus humana vita omnino constare non posset. Ex his tamen tropica & æquinoctialia sunt duo, Aries & Capricornus: vnum est humanum Libra, aliud Aqueum, Cancer, medium quasi significant inter liberales artes, & mechanicas, vt medicinam, geometriam, interpretationes, rem rusticam. Harum enim omnium initium est contemplatio, finis mechanicas. Terrestria & aquatilia significant, quæ sequuntur. Sed nihil vetat quadrupedia significare mechanicas artes, terrestria tamen quæ sunt Taurus & Capricornus, vt talia sunt etiam res aquaticas & humidas. Vel dic τὰ δὲ χερσαῖα, id est, fera & quasi humi repentia: Velut colubres & Scorpio. Nam & Arabes fera legunt, nos propius humi repentia. Quod verò dixit herbariam, quia herbæ ab humida terra nascuntur. Naualis & ipsa ad aquas pertinet. Similiter & piscatio. Salsamento quoque humido, atque in humidis fiunt. Sal enim aqua quædam congelata est, & in eam resoluitur. Deinde si non ad illa signa pertineret, quia olim & nunc mortui, & vestimenta, & lecti illorum, lauari solent.

Notandum circa hoc quod Ptolemæus diuisit artes in quatuor contemplatiuas, quæ debentur signis regiis, tropicis, scilicet & æquinoctialibus. Morales, quæ sunt practicæ, & ad humana hæc signa pertinent: vt magistratus, iurisprudentia, docere pueros, & mores instituere. Expolientes, quæ expoliunt opera naturæ: vt metallica, negociatio, ædificatio, fabrilis. Et hæc quadrupedibus conueniunt signis. Et quæ opera naturæ imitantur vt herbaria Et hæc ad aquatica signa pertinent. Sed omissis duobus primis membris diuisionis, quæ bene se habent, dicemus cum Galeno in libro de constitutione artis medicinæ, quod artes quædam faciunt, vel resarciunt, vt metallica, ædificatoria, & hæ ad quadrupedia pertinent: quędã facta à natura acquirere docet: vt venatio, piscatio, aucupiũ, lignorũ excisio, lapidum & metallorũ inuentio, & hæ ad aquatica animalia, & serpentes taliaque pertinent.

Lib. 3. com. 9. Text. 25.

TEXTVS XVIII.

Rursus si Luna propositum locum gubernet, à congressu cum Sole properans cum Mercurio, in Tauro,

Cancro

Cancro & Capricorno, vates facit, sacrificos, per peluim diuinantes. In Sagittario & Piscibus ex mortuis vaticinantes, & dæmonum prouocatores. In Virgine & Scorpione Magos, Astrologos futurorum consultos præscita edoctos. In Libra, Ariete & Leone diuinitiùs furore correptos, ex somniis coniectantes, coniuros, id est, adiuratores.

Ἐξορκιστάς. Coniuros vertit. seu eos dicas, quibusdam verbis expellere dæmones è corporibus hominum profitentur. Additis etiam nonnunquam suffumigiis & notis occultis, tum amuletis, scilicet his, quæ collo suspendi solent. Intentio verò eius est docere quod Luna est causa diuinationis, cum quatuor habuerit conditiones: Prima vt exeat Solis radios appareat iam tum: Secunda vt ad Mercurium vadat. Manifestum est autem occidentalem oportere esse Mercurium: Tertia vt Luna præsit cœli medio, vel loco Planetæ opificium significantis. Haly solum de cœli medio intelligit, & non de loco Planetæ præfecti officio: Quarta vt sint in signis conuenientibus: Nec ex his putat aliquod non esse præter Geminos & Aquarium. Igitur Lunam esse diuinationum parentem experimento didicimus. Et licet in genitura Caroli quinti Cæsaris hoc non significet, id contingit quod corpore non loco sit in ascendente: Ideò fortunam, non minores significet. Cur verò author sit diuinationis multæ sunt causæ: Est enim multiformis, & vi continens omnium stellarum vires, & noctis tempori præest: Et per se phanaticos significat. Nec verò solum cum hæc omnia affuerint diuinationis causa est, sed & si vnum ex his etiam deficiat. In Tauro igitur propriè facit vates, quia venus occultam diuinationem facit, & in Tauro Venus & Luna gaudent. In Cancro quod aqueum sit signum, per aquam: in eo autem Luna & Iupiter dominantur, à beneficis autem diuinatio procedit. In Capricorno verò quod Luna ibi trigonum habeat & Venus, & opponatur Cancro: Sed quia in Capricorno, Saturnus & Mars dominantur, significat immolationem, vnde aruspices. Ptolemæi autem tempore hæc experimento comprobabantur, quod frequens esset hoc genus hominum. In Sagittario & Piscibus, vt patri meo, necromanticos. Hoc experimento primo compertum est. Deinde vis Iouis cum naturæ Mercurij aduersetur, facit vt Mercurius ibi deiectus sit, & contrarium naturæ humanæ significet. Quare mortuos & dæmones. Sunt etiam signa bicorporea, ideoque duplicem mentem significant: hoc autem quomodo dæmones & mortuos referat, in libris de Rerum Varietate, de Subtilitate, deque Animi immortalitate demonstratum est. Rursus in Virgine quod ibi Mercurius solium habeat, & Luna gaudeat, nobiliorem scientiam diuinandi significant Planetæ. Hæc autem Astrologia & Magia est, vt alias docuimus. Sed in Scorpione quod Luna, & Venus ibi trigonum habeant, & Scorpio, Tauro, vbi Luna & Venus dominantur, opponatur. Ignobilissimum igitur diuinandi modum decernunt, vt de Capricorno, & Cancro diximus. Hic autem est vt futura sciant, & prædicant solo quodam animi instinctu. Tales enim pro stultis habentur, cum sine ratione loquantur. Cùm etiam plerunque fallantur. Vt de quodam carpentario paucis ante annis phanatico contigit. Qui si alium habuisset dominum præter Cæsarem mitissimum principem, poterat meritò plecti. Audax & phanaticus, & seditiosus sine ratione: demum successu rerum falsus omnino. Tales igitur Scorpij signum decernit. Diuinant tamen quandoque vt dixi, propter vim Lunæ & Veneris in eo & opposito signo. Sed in Libra facit eos, qui ex somniis diuinant propter vim Saturni & Veneris contrariam. In Ariete autem furore correptos ob vim Martis: Sicut in Leone exorcistes ob Solis potentiam, quæ natura Lunæ aduersatur. Ideò Luna dæmonis, Sol exorcistæ vim habet. Manifestum est igitur ex his, omnia hæc esse secundum naturam.

TEXTVS XIX.

Hac igitur via qualitatem, naturamque actionum, exercitiorumque ex horum commistura colligere oportet. Modum verò eorum & amplitudinem ex astrorum gubernantium vi. Nam orientalia cum sunt aut in angulis opificia sua authoritate, & fama minimè caritura pronunciant: occidentalia verò, aut à centris delapsa, hæc sub alterius manu, imperioque fore. Superata etiam à beneficis magna significant opera, illustria, lucrosa, inculpabilia, venusta: A maleficis verò, vilia, obscura, minimè frugifera, vtque in quibus error commissus sit. Impedit verò Saturnus tarditate & tepiditate: Mars calore nimio, temeritate, importunaque diuulgatione. Vterque autem ob vastationes seu euersiones.

Verbum περὶ τὰς ἀνασάσεις Gogaua vertit vastationes seu euersiones, Arabes habent multa mala tota vita sua. Qui sensus est magis ad rem literæ Græcæ conueniens, legatur autem (vterque) verbum coniunctim: id est, si Saturnus & Mars impediant. Com. 15. huius.

Postquam igitur declarauit naturam opificij & substantiam de quibus dictum est superius, modum hic subiungit, duplicem, vnum qui consequitur naturam opificij, quod verè artifex sit inclytus aut vulgaris, & hic sumitur à duabus qualitatibus Planetæ opificium gubernantis. scilicet quod sit orientalis & iuxta alicuius anguli lineam, aut in altero

horum deficiat vel vtroque: vt sint quatuor modi, duo extremi, totidem medij. Sed quid per astra gubernantia intelligat, an tres illos tantum dominos qualitatis, an omnes, substantiæ scilicet, an eos qui locis horum dominantur, quemadmodum in aliis causis distinguere solet dubium est: Aliis certè in causis quod solum essent tria genera. Quod est, in quo est, & quod præ est, nullam habebat dubitationem. Annectimus autem semper ei quod præest, & quod est, & in quo est, commune id quod super ipsum eleuatur, hac igitur in causa quinque erunt, quoniam dupliciter dicitur id quod est, commune, scilicet & proprium: commune verò quod eleuatur & supereminet totidem modis dicitur, scilicet quadrupliciter. Sed de communi solum loquitur ibi (superata etiam) relinquitur igitur vt de propriis intelligat. Hæc autem, vt dixi, trifariam accipi possunt, at non videtur de dominis substantiæ opificij intelligere, cùm illa iam supponat in angulo esse cœli medij, vel orientalia à Sole, quare non oportuit distinxisse de illorum statu orientali, vel occidentali, in centris vel ab his delapsis: Relinquitur igitur vt intelligat de dominis qualitatis, quos etiam præesse dominis substantiæ declarauimus.

Quando igitur Mars, vel Venus, vel Mercurius ille ex his, qui aspectu vel potestate loco Planetæ medio in cœli posito, vel primo orienti, id est, nouissimè ante Solem præest orientalis à Sole fuerit (intellige vel occidentalis à Luna) vel in anguli centro, erit ille egregius in suo opere verè: opposito modo contrarium decernunt. Hi verò qui super hos eleuantur Planetæ fortunam opificij declarant. Vnde manifestum est multos esse egregios in arte, qui tamen non lucrifaciunt, nec sunt illustres, nec carent reprehensione, iusta non dico, sed vulgari: Tales igitur venustate carent tametsi inclyti. Alij contra nihil scientes, gloriosi & venustè opus tractantes, & apud populum cum laude artem, diuitias ex ea acquirunt. Necesse est autem in omnibus quandam esse venustatem ad vulgarem opinionem. Et hæc si desit vili ars & artifex extimatur. Hoc autem discrimen exiguum est in artibus, quæ industriæ parum habent vt cerdonibus, maximum autem vbi plurimum est industriæ: velut in medicina, nam in ea imperitissimus maximè consequitur persæpe laudem, negligitur peritissimus, vt Galenus conqueritur. Saturnus igitur si quis alius Planeta impedit omnes artes, omnes disciplinas, & studia, si eleuetur super dominum opificij Orientalis quidem fructum eius tollit, occidentalis omnino inhabiles, desperantes & à discendo abhorrentes. Quod ego etiam obseruaui. Ita vt quidam, quibus Saturnus eleuabatur supra significatorem, officij omnino coacti potius ferrent verbera, quàm quod discere vellent. Deterior autem Saturnus est in septimo loco, inde in ascendente, inde in decimo, vltimo in imo cœli: Mars verò in decimo, inde septimo, post ascendente, inde imo cœli. Atque hic ordo est in omnibus fermè causis. His igitur absolutis ad tempus declarandum accedit dicens.

TEXTVS XX.

Tempus augumenti & decrementi in genere coniectandum est ex astris horum accidentium authoribus, ex eorum videlicet ad orientalem, & occidentalem angulum inclinatione.

Orientalis angulus significat initium vitæ, occidentalis finem, cœli medium vitæ ipsius constitutionem robustiorem vtpote à 30. ad 40. annum aut circa. Hoc autem in capite de temporibus euentuum exquisitè ostensum est. Huic autem capiti congruit pars tractationis de animi vitiis ac morbis, velutì sequentis etiam capitis vltimæ parti dum de illicitis agit congressibus sequentia.

Ex his omnibus colligitur dari quatuor genitura genitur arum: bonas, quæ bonæ videantur, vt cum luminaria & beneficæ in angulis fuerint. Bonas quæ malæ videantur, vt cum Planetæ ab angulis decidunt benefica tamen eleuatur super omnes. Velut in nostra genesi vbi Sol, Luna, Satur. Venus, Mercurius, decidunt non solum à centris angulorum, sed ab angulis ipsis, Mars quoque debilis est: Sed Iupiter super omnes eleuatur: vnde finem in omnibus rebus bonum decernit, cum difficultate tamen maxima quod sit retrogradus, & bona ipsa tenuia, quia est peregrinus: Qui si esset in primo statu & suis dignitatibus, egregia bona præstaret, cum tamen genesis egregiè mala videatur. Si Luna cum eleuetur supra Martem offensas, & vmbras periculorum decernit, cum tamen sit cum capite Gorgonis in eodem circulo. Quæ si cum illo constituta in quadrato Martis esset sub terra in loco Martis, Mars autem in loco Lunæ supra terram quamuis ab angulo cadens, capitis detruncationem pollicetur omnino, atque præstaret. Tantum interest nouisse quis Planeturum in congressibus superior sit. At malæ, quæ malæ videntur, sunt in quibus omnes Planetæ cadunt mutuisque radiationibus aduersis se conficiunt. Cæterū malæ quæ bonæ existimantur, in quibus luminaria sunt in angulis, cæterique Planetæ, sed malefica omnibus imperat locis illorum præposita, aut super omnes eleuatur. Deterius si vtrunque contingat. Pessimum si vtraque malefica, vtroque modo præposita sit. Atque hæc in omni genere euentuum.

Lib. 2. com. 6. Lib. 3. tex. 76. Lib. 3. à text. 80. ad finem.

In temporibus autem dignoscendis oportet significatoris opificij directionem, aut dominium inspicere, velut in nostra genesi. Mars significabat artem medendi, vbi peruenit ad terriam partem Cancri, in anni 25. & vbi erant trigoni radij Lunæ, per septem annos continuos addixit medicinæ arti, erat etiam finis loci Martis, & rursus à 41. ad 56. cum Mars præfuit tempori. Et rursus parum anni 57. & 58. cum Mars peruenit ad quadratum Iouis: Demum dum peruenit ad 40. partem Leonis, vbi sunt eius & Solis radij sextiles, declarauit curam, principatum, & fuit illa Cardinalis Moroni. Et manifestum est quod nil aliud superest, nam illa ad Saturni, & Veneris, ac Mercurij sextilem est, in ætate decrepita loco syluestri, licet ibi sit

cor

cor Leonis, nec credo perventurum ad eam ætatem, & radij sunt imbecilles. Non est ergo spes vlla ratione artis medicæ, sed obseruare oportet quando Mars erit orientalis, à Sole in dignitatibus propriis, & aspectu beneficarum velut anno 1567. sed erit res exigua. Anno 1569. & anno 1571. si vixero, anno 1573. Maximè aut 1575 sed vt dixi omnia minima. In pluribus aut infœlix 1566.68.70.72. 74. sed 73. mediocris. Munus autem profitendi à Venere, Mercurio & Saturno pendet. Sed neque in hoc post eam septem annorum conditionem, & est sextilis Lunæ, & quadratum Solis quicquam superest. Reliquum igitur est vt supersit conditio aliqua cum principe. Vtcunque sit fidere oportet potius acquisitis à 70. anno supra. Et hoc est vtilitas Astrologiæ.

CAPVT V.

TEXTVS XXI.

De coniugio.

PRoximum est his, vt de coniugio agamus. In legitima igitur viri cum fœmina coniunctione ita coniectandum est. Si de viris agitur ad Lunam respiciemus vt affecta sit. Primum quidem quando in orientalibus quadrantibus reperitur, viris in adolescentia matrimonium decernit. Aut post ætatem consistentem iuuenculam ducet mulierem. Si in occidentalibus tardè contracturum matrimonium, aut tempestiuè quidem, sed cum vetula. At si radiis oppressa fuerit, Saturnoque configurata, prorsus vxore carebit.

partes ex quibus domus componitur, inquit, Haly Boethij authoritate, quatuor sunt: Diuitiæ, vxor, filij, ac serui. Cùm igitur de propriis omnibus iam tractauerit, de quibus ab initio proposuerat, reliquumque esset, vt de coniunctis ageret, egerit autem de diuitiis, relinquitur tractatio de vxore, inde filiis atque seruis. Quibus peractis ad quædam transit propria quidem corpori & animæ, que tamen quasi extra naturam ac fortuita, vt itinera & Mars: inde de temporibus agit. Pro his autem omnibus atque aliis notanda est regula generalis.

Regula iudiciorum.

Cùm tibi proposita fuerit genitura, considera hæc septem principalia. Primùm locos & Planetas congruentes vnicuique rei. Velut pro vxore Lunam, pro diuitiis Sortem Pro animi qualitatibus Lunam & Mercurium. Secundum potentiores Planetas secundum substantiam: Et sunt hoc ordine Sol primus, inde Luna, Iuppiter, Saturnus, Mars, Venus, & Mercurius. Tertium illum qui dominatur locis principalioribus, hunc vocant Arabes Almuten genituræ. Quartum potentiorem, id est: propiorem centro anguli nobilioris. Quintum an qui dominatur, aut potentior est sit benefica, vel malefica. Sextum dispositionem illorum in mundo, id est quod ad Solem & proprium eccentrici Apogeum: item quoad Lunam & latitudinem, & in quo loco sit, scilicet vbi dominetur, vel in Solio, vel loco peregrino, aut casu. Septimum commixtionem cum Planetis, quibus modis fiat, & qui qualesque sint. Quibus consideratis diligenter vide Planetam aut Planetas, qui super alios eleuantur secundum quatuor modos superiùs declaratos, & si talis Planeta est beneficus, & bene dispositus secundum mundum, & potestatem in loco habet super quem eleuatur, tunc hoc est optimum & gloriosum in hac causa vel causis. Quod si maleficus sit contrariæ qualitatis aut loci, & bene dispositum secundum mundum, hoc est pessimum in hac causa, vel causis declaratis à natura Planetarũ super quos eleuatur. Quòd si beneficus aut maleficus sit malè dispositus secundũ mundũ, maleficus minus nocebit, beneficus autem minus iuuabit. Quòd si maleficus dominatur in loco super quem eleuatur: erunt magis perpetua & frequentia damna, quæ inferret, minora tamen: Sed si aduersetur, erunt maiora & frequentia. Si peregrinus magna quidem, sed non adeò frequentia. Gratia exempli si qui maleficam habeat eleuatam super dominum opificij, & loco illi præsit, ille negligetur in ea arte & contemnetur: Si sit peregrinus maleficus comparatione loci super quem eleuatur habebit nonnihil eximationis & vtilitatis, non tamen magnæ, & multa illi contingent infortunia. Si autem locus super quem eleuatur malefica fuerit casus eius: tunc rara quidem, sed maxima contingent infortunia: Existimationem tamen retinebit & lucrum consequetur. Hæc autem minuuntur & augentur mixtione. Exaltatio & potestas secundum genituram, id est, appropinquatio centris angulorum semper suspecta est in maleficis non ita secundum mundum, id est, eccentrico vel ratione loci vbi dominetur, vel latitudinis aut ratione Solis, aut Lunæ. Ergo si idem Planeta super õnes eleuetur, ille erit fœlix aut infœlix in omnibus, nisi ratione temporum. Nã in his cõtingit varietas propter diuersas comparationes.

His uisis cum res coniugij maxima sit & communis, alteri luminarium ascribi necessario debet propter secundum modum regulæ prædictæ. Sed cùm Sol significet masculos, & masculus masculo coniugio copulari non possit, oportet vt in masculorum coniugiis Lunam consideremus, vt in fœminarum Solem. In his verò prius tempus considerat, quoniam oportet coniugium celebrari, quam vt dterminetur de qualitate eius, qui vel quæ coniugio copulatur. Trifariam igitur contingit hoc esse, aut vt copuletur in iuuentute, aut senectute, aut nunquam. Hæ autem

autem regulæ non tenent vbi plures vxores simul haberi possunt, vt apud Christianos: Nec vbi nepharium est non nubere, vt apud Iudæos: Sed in quibus omnino liberum est vtrunque, vt olim apud gentes omnes, & nunc apud eos, qui se vocant Euangelicos. Ad alios tamen adhibita solerti ratione applicari poterunt: Vt quod Mahumetanus cœlebs erit cum omnino Luna damnata fuerit: aut Christianus nubet, cum ab vtroque Planeta libera fuerit. Luna quibus modis orientalis, aut occidentalis dicatur, visum est superius. Et inferius etiam docebit.

Notandum etiam quod Saturni impedimenta in actionibus naturalibus sunt frigiditas, in propriis segnities, in communibus auaritia. Martis autem impedimenta in communibus ira, in propriis festinatio inconsulta in naturailbus autem non per se impedit. Atque hæc contingunt cum supra alios eleuantur.

TEXTVS XXII.

Ad hæc si in signo vnius figuræ, aut vni alicui stellarum applicans si reperta fuerit vno coniugio contentum esse demonstrat. Si verò in bicorpori, aut multiformi signo, aut pluribus stellis in eodem signo applicet, sæpius coniugium iterabit.

Tempore explicato, numerum decernit: Sensus est, vna vxor habebitur, cum Luna in signo fuerit vnius figuræ, seu vni applicet Planetæ, seu nulli. Plures, cum vel in signo bicorporeo, vel multiformi vni seu applicet pluribus, aut nulli, sed etiam Planetæ, aut signo figuræ vnius, pluribus fuerit Luna in Planetis, aut saltem duobus, autem applicet quæ significantur vxores. Hic duæ aut plus. de notanda & dubitationes. autē contingunt

Notandum quod pro numero Planetarum habebimus numerum vxorum, vt si in bicorporeo signo sit. Et duobus applicet Planetis, tres habebit vxores: & si quatuor applicet Planetis, & sit in signo vnius figuræ, quatuor vxores decernit. Notandum rursus applicationem esse debere ex eodem signo, non Luna signum commutante. Dubitationes autem quas reliquit tres sunt.

Prima si in signo duorum corporum vni tantum Planetæ applicet, duas ne an vnam vxorem significabit. Respondeo quod licet ex primis verbis vna videatur significari, in sequentibus tamen docet quod duæ. Igitur debet numerus Planetarum adiungi numero figurarum signi, & ab hoc aggregato detrahatur vnitas si detrahi possit: Et relinquitur numerus vxorum. Sed si nulli sint Planetæ numerus figurarum signi docet numerum vxorum. Si verò adsit vnus Planeta cui Luna applicet, non auget numerum decretum à signo, sed facit vt firmius numerus ille custodiatur.

Secunda dubitatio est, an applicatio illa ex eodem signo sit intelligenda corpore tantum an etiam aspectu. Videtur Haly sensisse de vtroque. Et non solum de Planetis, sed fixis cum fuerint in eadem longitudine & latitudine. Et breuiter dico quod numerus est incertus: Sed coniectura sic assequemur. Considerabimus primo an vnam, aut plures vxores sit habiturus: Item quo tempore an in iuuentute, an senectute. Facilius enim plures habebit, qui in iuuentute, quàm senectute copulabitur. Tertio vitæ longitudinem mariti & etiam vxoris. Quarto stellas quibus corpore Luna applicat in eodem signo, seu errantes, seu non, dummodo corpore illis iungatur. Illas etiam errantes quibus applicet radio exquisitissimè, maximè si fuerit quadratus radius, & Planeta ille Lunam recipiat.

Tertia dubitatio est an verba illa, aut multiformi, debeant legi alternatim, aut vt sint præcedentium expositiui. Velut dicamus multiformi, id est, bicorpori, aut multiformi, id est, multiplicis corporis, ac plurium quàm duorum: Et videtur quod intelligit de vero multiformi, quia fuisset occasio decipiendi. Ergo ita intelligit etiam de signis extra Zodiacum, quandoquidem quæ intra illud sunt, sunt tantum bicorporea. Multiplicia igitur sunt velut Centaurus, & Auriga, Bootes, Hercules. atque Hydra.

TEXTVS XXIII.

Cæterùm si astra quibus Luna applicat, seu loci propinquitate, seu testimonio, fuerint bona, bonas vxores ducet: Si mala, malas. Nam si Saturno applicuerit, erunt laboriosæ & tetricæ: Si Ioui, venerabiles & familiam gubernantes: Si Marti, audaces & rebelles: Si Veneri, formosæ, gratiosæ, hilares: Si Mercurio, sagaces, & acumine præditæ. Amplius Venus cum Saturno, Ioue aut Mercurio, victui quæritãdo vtiles, coniugis amantes & liberorum: cum Marte, animosas, instabiles, variabiles.

Quid de profunda vetustatis caligine talia vindicarunt, certè egregia laude digni sunt. Estque boni viri officium vertendo sensum pro sensu reddere, etiamsi falsissimus sit. Ob id tamen expositor ea lege non tenetur, sed quæ admodum absurda sunt vitare debet. Licet igitur legatur

Quod est amplius Venus cum Ioue, vel Saturnus cum Mercurio, nos tamē quia nullū hæc habent verba sēsū, cōgruenti oratione vertimus vt in textu habetur. Hoc etiam in explicatione maritorum, dum Venerem aliis rursus comparat Planetis, perspicuum est. Sed de Luna agat, quid attinet vt Venerem comparet. Nisi esset quod Venus in coniugibus vtrinque multa placat, etiam si inuicem diffideant natura. Ob id igitur astrum cui Luna applicat aut Sol, coniugis propriam naturam ostendit: Cui verò Venus,

naturam

naturam illius vt ad coniugem se habebit. Multi enim boni natura sunt, aut bonæ, cum coniuge tamen mali aut malæ. Aliqui etiam licet pauci vel aliquæ mali malæve natura sunt, cum coniuge tamen quiete viuunt, seu ob Veneris dilectionem, seu morum similitudinem.

Declaratur autem ex hoc textu quod applicationem etiam radio admittit dummodo testimonium præbeat. Præbet autem si in loco dominetur. Mulierem autem bonam intellige vt hominem pictum, non simpliciter, sed cum adiectione. Manifestum est autem, & hoc gentibus contingere. Nam apud Belgas viri quiescunt, mulieres negotia tractant. Apud hos igitur & horum similes Saturnus Lunæ ab initio consuetudinis commixtus fuit. Neque verò dubium est tam beneficas, quàm maleficas iuxta status diuersos magnum discrimen etiam in eodem astro efficere. De astris autem agit hic quemadmodum diximus, non tantum de Planetis.

TEXTVS XXIV.

In mulierum autem coniugio spectare oportet Solem. Is enim repertus in quadrantibus orientalibus, eas significat vel in prima adolescentia nuptui dari: vel post ætatem consistentem, cum adolescente matrimonium contrahere. In occidentalibus verò tardè nubentes, aut maturè, sed cum seniculo. Et in signo vnius formæ, aut cum Planeta vno matutino deprehensus, semel tantum nubentes: in multiformi aut pluribus matutinis configuratus, sæpe coniugium iterantes. Ac si Saturnus hoc modo Sole configuratus sit compositos maritos habebunt, ac commodos & industrios. Si Iupiter, venerabiles & magnanimos. Si Mars, immorigeros, strenuos, à liberis & vxore alienos. Si Venus, iucundos & formosos. Si Mercurius, victui consulentes & agiles. Venus autem cum Saturno ignauos facit, & Venereis frigidos. Cùm Marte calidos, ad congressum procliues, adulteros. Cum Mercurio liberorum amantes.

Si omnia quæ in hoc capite dicta sunt, de vxoribus ex Lunæ statu in tribus proximis sectionibus, ad maritos referantur, ex Solis statu in mulierum genituris, plana erit sententia. Hoc solum interest, quod in Sole matutinos Planetas considerat loco vespertinorum à Luna. Nam & in Luna, & Sole considerat Planetas quibus applicant, an matutini sint, an vespertini, seu quo ad Solem, seu quo ad genesim ipsam. Præterea eadem ambo etiam de Luna animaduertit. Ex hoc alius dissoluitur scrupulus, nam cum Saturnum dixerit in Lunæ applicatione significare eos, qui vxorem non ducunt, postmodum subiecerit, Lunam illi applicantem significare maritos frugi, intellexit Saturnum solum efficere cœlibes, cum Luna fuerit sub Solis radiis in mulieribus, quemadmodum in viris cùm fuerit à Sole occidentalis: aliter coniugium minimè impedit. Cur verò prætereat coniunctionem Veneris cum Ioue in maritorum qualitate decernenda cum in vxorum non prætererit, causa est quoniam liquet ex dictis illos futuros bonos, moderatos & modestos: cum docuerit Saturni, & Martis vires hac in causa quasi esse contrarias.

TEXTVS XXV.

Orientales quadrantes hoc loco accipimus, cum de Sole agimus antecedentes, & signum signiferi ascendens & occidens. Cum de Luna à nouilunio, & plenilunio eò vsque vbi Luna diuidua est. Occidentales autem his oppositos.

Commune omnibus Planetis est, vt quod est ab initio cœli medij vsque ad orientem: Et ab initio imi cœli, vsque ad occidentem pro orientalibuss Occidentales intelligit his oppositas, Et vt magis talibus initijs proximæ stellæ fuerint, eò magis orientales erunt. Sicut contraria ratione in occidentalibus. In comparatione autem eorum ad Solem tam à coniunctione ad oppositionem Solis, quàm ab illius oppositione ad coniunctionem, vniuersum vitæ statum censet contineri. A coniunctione quidem postquam peracta est humidum recens infantis, donec omnino in oppositione sit totum absolutum. Et rursus ab oppositione humidissimam infantis naturam, quæ in senio exarescit vt sub coniunctione instante, Planeta. Ob id igitur primæ, quartæ, & à nouilunio, & à plenilunio significant dimidium primum ætatis vsque ad 35. annos, vel circa: reliquæ vltimum dimidium. Non intelligo nunc de dimidio exacto numeri annorum: Sed per primam ætatem eam quæ augetur, per secundam quæ minuitur. Sicut & in his quemadmodum, & in Sole dictum est ratio habenda sit partium vtriusque, penes maiorem & minorem distantiam Lunæ à Sole. In inferioribus autem cum ad oppositionem non perueniant, tota etiam vita à coniunctione ad coniunctionem cum Sole continetur. Verùm quæ fit dum Planeta est retrogradus oppositionis in superioribus vicem gerit. Vera coniunctio est cum Planeta est velocissimus. Cùm igitur à coniunctione radios Solis exit, infantiam & pueritiam refert, facitque ad discendum promptos. Cùm in maxima elongatione, validos & robustos, atque perfectos. Cùm redeunt ad Solem & iuxta illum sunt, senibus assimilantur, ideò prudentes sunt. Cùm sub Sole nullum statum habent, sed totos se Soli dedunt. Tales maximè humana ob id sapiunt. Porrò vt dictum est totus status, qui est à coniunctione quæ fit dum

dum Planeta retrocedit, alio statu prioris coniunctionis deterior est. Innuit ergo duos status, quo ad mundum communem omnibus Planetis, & quoad Solem communem omnibus Planetis Præter Solem.

Regula prima.

Notandum quod in voluntariis quædam ita decernuntur, vt omnino quasi necessaria videantur. Velut si quis habeat Lunam in Cancro, in cœli medio Liberam à Sole, & Saturnum in tertia domo, ille proculdubio nubet. Rursus si Luna sit in septimo loco sub radiis Solis in Leone cum Saturno, pronuntiabis illum proculdubio vxore cariturum. Atque in his voluntarium quasi in necessitatem Fati transit. Ita vt viderim quosdam tempore, quo vxorem ducturi erant adeò rapi ad hunc effectum, vt de nulla alia re cogitarent. In aliis intermediis, qui longè plures sunt, his, caue ne tibi contingat quod olim Apollini. Tenebat quidam, tentaturus oraculum, sub digitis caput passerculi, ipsum autem in manu abditum, interrogans Apollinem, an quod in manu teneret viuum esset, an non? Respondit dæmon vti volueris, intelligens ipsum, qui interrogabat vtrouis modo respondisset ostensurum oppositum. Ita in talibus decet Astrologum imitari oraculum, nec velle se sapientiorem illo ostendentem, artem ipsam prodere, sed in manifestis tantum euidentibus, aut quæ à voluntate non pendent clarè & determinata sententia respondere. Ita ego interroganti in simili causa amico nostro Andreæ Vessalio respondere non erubui.

Regula secunda.

Rursus nec illud credendum est, solum eos vxore carituros, qui Lunam sub radiis coniunctam, aut configuratam Saturno habent: Neque etiam omnes. Sufficiet enim quandoque Saturni coniunctio malè dispositi absque Sole: quandoque Luna sub radiis proxima visioni in Cancro, quamuis Saturno configurata admittet vxorem. Consideranda etiam est familia: in nostra nemo, solis sacerdotibus exceptis, qui ad legitimam peruenerit ætatem, vxore caruit. Cùm etiam sacerdotes valdè pauci fuerint, neque vllus tamen monachus. Quod igitur de Medicis Galenus pronuntiauit, id nos, & magis necessario dicemus de Astrologis: Scilicet oportere illos sse eruditos & natura prudentes. Cùm autẽ hoc in omnibus, id maximè in his veritatẽ habes, quæ à volũtate libera pendẽt.

TEXTVS XXVI.

Omnino verò constantes & diurni coniuctus permanent, quando in vtriusque coniugis genitura luminaria contigerit configurata esse concorditer: Hoc est quando inter se ipsa triquetra, aut hexagona radiatione se respexerint. Et maximè cum huc mutua receptio accesserit. Multoque magis quando quæ viro Luna est, fœminæ Sol fuerit. Dirimuntur verò leui occasione matrimonia, aut coniugum animi diffident, cum prædictæ luminarium conditione), vel in signis incõiunctis acciderint: vel sint ex opposito, aut quadrato.

Miram artem regulamque nobis his in verbis insinuat Ptolemæus, quam plerique ignorantes, dubitant de Astrologiæ scientiæ veritate. Dicunt enim si regula incidit in caput vnius, illumque interficit, quomodo fieri potest, vt hoc in genitura illius cernatur, cum casu regula tunc ceciderit. Rursus qui veneno à coniuge interimitur, quomodo potuit præsciri, cùm factum non sit ipsius, sed coniugis: Propterea Ptolemæus nobis in hoc secundo hic insinuat esse Fatum, atque concursum quendam quem Astrologus nescit: & si nouit, tantum casu nouit. Idemque de amicis atque inimicis. Consensus igitur atque dissensio non ex propria genitura sciri poterunt, sed ex consensu geniturarum mariti atque vxoris. Sed talis consensus à Fato pendet: Neque vt dixi, electio temporis quicquam proficit, quoniam ex primo animi motu, non ex electione sumenda est. Quod si quis vxorem eligat videtur forsan aliquid proficere: Sed rarissimè contingit, vt genitura & reliqua conueniant: fiatque eligendo imparem Astrologus ridiculus. Dici enim solet. Si bene vis nubere, nube pari. In aliis verò casibus, Anæreta similis est hosti, qui hominem occidere decreuit, vbi hoc animo firmauit occasionem expectat: Ea oblata perficit quod decreuerat. At dices ergo non exquisitè momentum mortis sciri potest? Respondeo quod non in omnibus: Veruntamen in plerisque concursus causarum externarum coincidit cum concursu causarum Anerætæ, quæ sunt potissimæ, directio, progressio, & loci Planetarum.

Apponit autem tres gradus concordiæ: Primus cum Sol in viro, & Sol, vel Luna in fœmina, aut Luna in vtrisque, fuerint in locis se respicientibus trigono, vel hexagono aspectu. Secundus cum in viro Luna, in vxore Sol, eodem modo disponuntur. Tertius, si cum hoc alter alterum recipiat. Dirimuntur matrimonia re vt apud Iudæos, & Mahumetanos, vel solum animo, & vt dicunt tori separatione & cohabitatione, vt apud Christianos, cum luminaria fuerit in signis quadrato, vel opposito se respicientibus, aut etiam inconiuncta signa vidisti in primo libro. Hæc verò & ad amicos transferri possunt.

TEXTVS XXVII.

Deinde si concordes luminum cõfigurationes, beneficæ stellæ aspexerint, iucundos, blandos, & vtiles, conuictus significant. Si maleficæ: contentiosos, inuerecundos, inuidos.

Simili

Similiter in discordi statu luminarium, beneficæ iis suffragantes, non penitus conuictum rescindi permittunt, sed redintegrant, placant, & conseruant coniugale illud blandum, & natura nobis inditam in comparem propensionem. Maleficæ autem non sine contumelia, & execratione conuictus perturbant & demoliuntur. Si quidem Mercurius cum eis solus extiterit, vociferationibus, impropriis, & accusationibus inuoluit. Si Venus, adulteriis, incantationibus & his similibus.

Quatuor status explicat coniugum: primus cum luminaria vtriusque genituræ conscenserint, & beneficæ illa aspexerint, maximè eleuatæ & receptæ, & hic est optimus. Pessimus cum luminaria dissenserint, & maleficæ supra illa eleuantur. Duo sunt mali status medij, scilicet cum luminaria quidem consentiunt, sed maleficæ respiciunt & prædominantur, & hi viuunt absque suspitione diuortij, sed tamen in perpetua contentione & miseria. Alter status medius est cum luminaria dissentiunt, cum aspectu beneficarum, & tunc de diuortio agitur attamen reconciliantur, & quietius prioribus viuunt. Pessimo statui, atque etiam duobus mediis Mercurius commixtus, cum si author sermonum & linguæ significatu, ideò meritò adiungit aliis malis vociferationis & reliqua. Venus maleficis commixta iam exuit beneficæ naturam, & vicem agit sacchari cum veneno miscetur, ob id igitur causam dissidij ostendit, adulterium, incantationem, & talia. Intelligit per adulterium non solum vxoris, sed etiam quandoque rarius concubitum viri cum aliena: seu sit incestus, seu concumbat cum pueris, & ita de aliis. Et postquam locutus est de legitimo coniugio, loquetur modo de quadam cohabitatione flagitiosa, quæ multis modis fit.

TEXTVS XXVIII.

Quæ verò alio quouis pacto coniugia contrahuntur reiicienda sunt in vtrouisgenere in astrum Veneris, & Martem, ac Saturnum. Congredientibus enim illis cum luminibus, cum familiaribus, necessariis atque affinibus siue consanguineis conuictus decernuntur. prout Venus erga alterutrum affecta fuerit. Si enim erga Martem cum coniuge iuuene, qandoquidem in mutuis signorum trigonis alternatas habent altitudines: Erga Saturnum autem cum seniore: nam in mutuis trigonis rursus vicissim domus possident. Vnde Venus cum Marte planè amatorias affectiones producit. Quibus si Mercurij stella accedat non sine diuulgatione. In promiscuis & familiaribus signis Capricorno, & Piscibus fratrum, & cognatorum coniugationes decernuntur. Et Luna si in virorum genituris ad hæc accurrat, significat cum duabus sororibus, aut consanguineis congressum. Si verò in mulierum generali constitutione Sol, duobus fratribus aut cognatis.

Vt Luna & Sol coniugia legitima significant, ita Venus conuictus, qui ex amore procedunt. Quocirca nil mirum plus scorta diligi plerunque sex vxoribus, aut maritis. Amor enim scortorum à Venere est, quæ immodicam decernit cupiditatem, coniugum à luminaribus, quæ vt docui superiùs communem vitam significant. Venus igitur maleficis commixta conuictus declarat illegitimos & absurdos: quoniam ipsa cum vtraque illarum cõmutat dignitates. Venus enim in Piscibus altitudinem habet, Pisces autem Martis trigonus, & Mars in Capricorno vicissim, Venus autem domina trigoni Capricorni, Venus rursus habet domum in Libra, Libra autem Saturni trigonus, Saturni autem domus Capricornus, qui est trigonus Veneris: Igitur commutatio hæc vicissim concordiam significat atque conuictum. Maleficarum autem natura nihil legitimum. Ob id maleficæ commixtæ luminaribus & Veneri talia monstra decernunt. Luminaribus autem solum, vt dixi, vxores aut maritos prauos: soli quoque Veneri concubitus absurdos non conuictus, vt superiùs visum est, dum de animi vitiis loqueremur. Quamobrem caput illud vidisse pro his, quæ hic dicuntur, multum præstat.

TEXTVS XXIX.

Cùm Saturno rursus Venus fortè reperta, omnino lenes & stabiles hos conuictus efficit: accedente verò Mercurio vtiles, concurrente Marte instabiles significantur, noxij, nec sine mutua inuidia, & æmulatione.

Ex duobus natura contrariis fit melius vnus per sæpe, cum substantia dissident, vt ex lateribus & luto. Non lateres inuicem coeunt, non firmiter lutum. Saturnus quoque & Venus in eodem signo gaudent, scilicet Libra. Mercurij quoque cum Venere mixtio vtilis est, cum Marte autem Venus inutiliter miscetur, quod solos concubitus vterque decernit. Cæterùm vterque à constantia, à prudentia, moderatione, eruditione, fide, iustitia, ac bonis moribus alienus est: nisi quod Venus suauitatem affert. Ob id igitur mixtio Martis & Veneris omnino inutilis. Sed neque aliæ probantur, cum Saturno enim Venus mixta, licet conuictum firmum reddam, omnia tamen sordida erunt, & cum Mercurio puerilia. Prius igitur docuit naturam conuiuentium, hic modum, posterius

autem scilicet in sequenti, ætatis rationem, dicens.

TEXTVS XXX.

Ac si illis concorditer configuratus fuerit, cum æqualibus matrimonium contracturum. Si tamen orientalior ipsis fuerit, cum adolescentioribus: at si occidentalior, cum prouectioribus.

Intelligit comparationem Veneris ad maleficas, cùm enim fuerit illis commixta non potest esse orientalis si illi sint occidentales, nec occidentalis si illi orientales. Vel igitur illis iuncta est vna & tunc copulabitur coæquali ætate, vel orientalior, & sic minori, vel occidentalior, & sic seniori.

TEXTVS XXXI.

Si verò in promiscuis signis sint Venus & Saturnus, scilicet Capricorno aut Libra, cum affinibus congressurum. In horoscopum & cœli culmen quando dicta configuratio incidit, Lunaque concurrerit, viros facit cum matribus, matrumùe sororibus, aut nouercis rem habere: fœminas cum filiis, aut filiorum fratribus, aut filiarum maritis.

Signa communia Veneri & Marti, diximus esse Capricornum & Pisces: nam in Piscibus Venus habet altitudinem, Mars trigonum, in Capricorno autem Venus trigonum, Mars altitudinem. Similiter Capricornus & Libra communia sunt Veneri atque Saturno. Venus in Libra habet domum, Saturnus trigonum: in Capricorno Venus trigonum, Saturnus domum. In his igitur significantur congressus affinium. Quòd si his accesserit vt alter in Capricorno in ascendente, reliquus in cœli medio in Libra, aut ambo in altero illorum signorum, in vna harum domorum, Luna quoque affuerit, quæ matres & filios significat, tunc hos congressus nephandos omnino pollicetur. Decima matres, & prima ipsos natos, aut natas significat. Impelluntur autem ad hæc licitos concubitus abhorrentes. Familiare autem hoc fuit Persis.

TEXTVS XXXII.

Sol si concurrat & maximè cùm occidètales fuerint Planetæ, matres cum filiabus rem habentes, aut filiarum sororibus, aut filiorum vxoribus: Fœminas verò cum patribus, aut patruis, aut vitrico.

Vt Luna matres, sic Sol patres, vt superiùs visum est. Et vt Luna filios matribus, ita Sol filias patribus significat, hoc in casu tantum. Ideò conuersio duplex vtrinque Solis cum Luna, & masculorum cum fœminis. Fratres filiorum priuignos intelligebat in præcedenti textu, velut in præsenti sorores filiarum priuignas ex vxore, vt in præcedenti priuignos ex marito. Nam priuignus ex vxore vitricoinutilis est, vt priuigna ex marito nouereæ. Credendum est autem multa experimenta Ptolemæum in talibus habuisse, postquàm in describendo ea tam diligens fuit. Sunt autem quasi monstra morum, & iuris gentium, aut ciuilis, sicut alia superius dicta naturæ. Ob id ad artis confirmationem scripta.

TEXTVS XXXIII.

Quando prædictæ figurationes in signis vnius generis non extiterint, in fœmininis autem locis & personis, efficiunt omninò ad venerea propensos & accinctos, & tam ad agendum, quàm patiendum omni ratione paratos. In quibusdam etiam figuris flagitiosè obscœnos vt in prioribus posterioribusque partibus Arietis, & Suculæ: in posterioribus Leonis, & facie Capricorni.

Per genus non intelligit masculinum, aut fœmininum sexum, quia repugnaret sequentibus verbis. Sed intellexit opposita, quæ solum sunt similia in sexu & contraria in natura. Item quæ in sextili à contrariis Planetis dominantur, vt Capricornus à Saturno & Marte, & Pisces à Ioue & Venere: Item Cancer & Virgo, & rursus Virgo & Capricornus, & sint ambo fœminina signa, vt dixi (Et personæ) Per personas non intelligit natos, nan dicit ad venerea patienda, & vult ergo vt sint occidètales, & fœmininis Planetis vniti, & in quartis occidentalibus à cœli medio ad occasum, & ab imo ad ascendens. De partibus signorum intellige octaui nō noni orbis. Obscœnos intelligit, irrumatores, fellatores, masturbatores, spintrias. Et vt ferunt de quodam nostro ciue, qui cum puero concubuit, prædicando, irrumando & in auribus, vt ille fatebatur. Plurimum autem veteres tribuebant figuris octaui orbis, quas recentiores obseruare desierunt, cùm tamen multum possint.

TEXTVS XXXIV.

Verùm si hæc figuratio in duobus prioribus angulis inuenitur orientali nimirum, & medij cœli, prorsus detegit hæc flagitia, & in publicum profert: In posterioribus duobus occidentis nimirum & cœli imi spadones efficit, & eunuchos steriles, genitalibus meatibus concretos.

Orientales anguli magis declarant facta, sed occidentales, & imum cœli cum sint debiliores

liores magis lædunt, & ob hæc nata detrimenta in aliis. Vtpote ascendens significabit cicatricem in facie: cœli imum claudicationem altera manifestior & fœdior, reliqua damnosior: ita in flagitiis. Deterius est esse eunuchum natum absque testiculis, esse castratum ab homine, scilicet spadonem, vel habentem virilia & esse sterilem, quia meatus seminis sint concreti, quàm talia vitia & flagitia circa venerea diuulgari. Infamia enim talium tempore transit, apud multos non creditur, ab aliquibus pro licentia accipitur, multi dissimulant metu, alij similitudine peccati: Sed si non sint in angulis quid erit? dico standum erit decretis præcedentis textus. Erunt enim flagitia absque magna infamia & læsione membrorum genitalium. Aliter frustra proposuisset generalem significationem.

TEXTVS XXXV.

Mars autem accedens mares abscisis genitalibus, fœminas quas tribades vocant, atque omnino priuum quiddam in venereis habentes.

Si Mars constitutioni declaratæ in duobus præcedentibus testibus accesserit violenta, hæc decernit causam in masculis ex ferro, in fœmininis verò tribades, & masculinos mores indutes significat. Quasdam obstructas, vt fuit olim vxor Paxini Varadei bibliopolæ.

TEXTVS XXXVI.

Quæ verò sit hominum in congrediendo, viris affectio & natura à Marte colligitur. Is enim à Saturno & Venere separatus, adiutus verò à Iouis suffragiis verecundos, & puros efficit in re Venerea explenda, & naturalem tantum vsum spectantes. Cùm solo Saturno forte repertus, pigros, frigidos. Ioui autem ac Veneri configuratus, agiles & cupidos, temperantes tamen & se refrenantes infamiam fugientes. Cum sola Venere absente tam Ioue, quàm Saturno, segnes, ignauos, vndequaque voluptatem captantes.

Quatuor Comparationes facit, Martis cum Ioue, Saturno & Venere, Solis item cum Ioue & Venere simul. Sed vltima quàm facit cum sola Venere tam apud Arabes quàm Græcos legitur hoc modo (Cum sola Veneri aut Ioue absente Saturno) sed nos satis mentem Ptolemæi perspectam habemus. Mars igitur efficaciam concubitus significat, quia vt visum est in præcedenti libro Mars præest pudẽdis. Sed nos volumus quod renibus, vnde fit tensio membri: Et appetitus concumbendi. Ideò qualis Mars, talis affectio.

Dato enim quod membro virili præesset, non decerneret de qualitate concubitus. Sed vis illa ratione & experimento Veneri tribuenda est. Quod verò dicit ignauos & segnes non ad Venerem credas (sunt enim promptissimi ad eam) sed ad negotia: Et luxui ex toto deditis, & inutiles. Sed verò Ioui, & Luna Veneri, quasi similis est.

TEXTVS XXXVII.

Et si hic quidem Planeta vespertinus est, ille matutinus, natus tam marium, quàm fœminarum congressu capietur, non tamen supra modum erga vtrumque sexum affectus. Si ambo vespertini sunt ad fœminarũ concubitum solum erunt procliues. Atque adeò vt si fœminina sint signa ipsi subagitentur. Si matutinus vterque puerorum tantum concubitu flagrãtes. Quod si signa masculina cum hoc fuerint, in masculis nullum ætatis discrimen habebunt.

Quis dubitare potest hoc in textu, quin priori de Venere sola Marti congrediente, locutus sit. Si igitur vterque sit orientalis significat solum subagitare masculos, quia orientales Planetæ vt visum est masculini sunt. Quod si præter id sint in signis masculinis, adeò masculos amabunt, vt nec ætatem puerilem requirant. Superius declarauit hanc propensionem ex luminarium locis & Marte ac Venere, sed non commixtis, hic ex mixtione Martis cum Venere, absque luminarium testimonio. Si verò ambo sint occidentales ad fœminas erunt procliues. Sed si cum hoc erunt ambo in signis fœmininis etiam absque luminarium testimonio, ob mixtionem non solum effœminatos, sed eos qui maritos etiam ducent significabunt. Antiquitùs hoc vitium viguit nam Nero nupsit Doriphoro: Est & illud Martialis pulchrum,

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
Qua ratione viro nubere virgo solet.
Præluxère faces: Velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est, nondum tibi Roma videtur,
Hoc satis: expectas nunquid & vt pariat?

Idem Nero loco coniugis Sporum puerum habuit, & Domitianus Earinum. Hoc igitur maius est etiam, quèm quod dixit in capite de animi vitiis ac morbis. Nam coniugum loco sunt talia scorta. Quod verò dixit (Non tamen supra modum erga vtrunque sexum affectus) Est figura dicendi cùm omnis concubitus, masculinus sit supra mõdum & contra legem. Nec quod quis diligat tantum fœmineum sexum concubitus causa, debet dici supra modum erga fœmineum sexum affectus. Quasi moderatum sit vtrunque sexum hac causa diligere. Sed vult intelligi sub hac sententia verba illa, quæ breuitatis causa ita scripsit (Sed neutrum sexum afflictim amabunt) Hic est sensus. Vt intelliga-

cum omnibus absque discrimine rem veneream exercitaturos. Quod maximè militibus conuenit ob furorem, petulantiam, & licentiam peccandi, tum etiam necessitatem.

TEXTVS XXXVIII.

Ac si Venus occidentalior est: cum vilibus hominibus seruis, aut alienigenis congredientes. Si Mars, cum eminentioribus se ac dominis viri.

Supple congredientur. Nam Mars in genitura virum, Venus fœminam significat. Planetæ orientaliores, nobiliores significant, quia robustiores & in meliore statu: occidentaliores & viliores. Si igitur Venus est occidentalior Marte, coibit cum ignobilioribus se fœminis vir: si orientalior, cum nobilioribus.

TEXTVS XXXIX.

In fœminarum verò genituris Venus consulenda est: Ea enim Ioui, aut Mercurio configurata, prudenter pureque venerea tractantes. At absente Ioue, Mercurio configurata, procliues quidem & venereorum cupidas, cautas tamen, & paulò pigriores, plerunque etiam turpitudinem fugientes. Marti, soli configurata aut congressa, salaces & ad venerea concitatas. Segniores si his Iouis stella accesserit.

Quemadmodum Mars quod masculinus sit opus congressus in masculis gubernat, ita Venus in fœmininis. Igitur cum Ioue moderationem præbet ob integritatem & prudentiam: cum Mercurio vero ob verecundiam & astutiam. Propterea subiunxit (At absente Ioue) Quasi dicat solus Mercurius non tam puras & modestas facit vt Iupiter, nisi etiam legas (Ea enim Ioui & Mercurio) pro (Ea enim Ioui aut Mercurio) Id est igitur quod solus Mercurius facit malas, sed ita vt solum cupiant videri non esse bonæ, cum Iuppiter facit bonas. Quod dixit (Paulò pigriores) intelligit ad cupiditatem non solum cautas, sed ob cautionem pigriores. Plerunque etiam turpitudinem fugiunt, non quia oderint, sed quia sunt adeò cautæ, vt nec velint se credere ei cum quo concumbunt, ne quandoque illis possit obiicere. Nam cautio ad externos refertur. Hæ verò adeò sunt cautæ, vt nec amatori, nec coniugi se credere velint in obscœnis agendis, tametsi illa vt plerunque fœminarum mos est auidè expetant. De Marte haud dubium est, seu iuncta, seu aspiciens, vel in vno circulo. vel magno, vel paruo, seu imperantibus aut intuentibus, aut positionis circulo. Sed Iupiter hæc omnia mitigat bene positus: aut si sit debilior, saltem tegit.

TEXTVS XL.

Ac si Mars sub radiis extiterit: cum seruis congredientes obscurioribus & alienigenis: Sin autem Venus sub radiis latuerit: cum superioribus aut dominis meretricum, aut adulterarum consuetudinem miscebuntur.

Mars masculum significat, si fuerit igitur sub radiis & Venus libera, mulieri viliori se coniungetur, ideò seruis aut obscurioribus, aut aduenis, nam hi ciuium numero non habentur. Contra Venus sub radiis, Mars liber, significant virum fœmina nobiliorem, ideoque commisceri dominis aut superioribus. In fœminarum igitur genituris radiorum Solis ratio habenda est, ad Martem & Venerem: Sed in virorum quis sit orientalior horum Planetarum.

TEXTVS XLI.

Si in locis aut figuris fœmininis fuerint Planetæ, ad patiendum solum procliues: Si verò masculinis, etiam ad agendum.

Turpia committunt mulieres etiam patiendo, vt quæ admittunt viros aliis in partibus quam deceat. Hoc tamen fœmineum totum est: Sed si Planetæ in masculinis fuerint figuris, tam in zodiaco quàm extra, vel locis (qui nam sint, dicti sunt) tribades erunt, superequitabunt viros, & manibus illos pollui cogent.

TEXTVS XLII.

Saturni stella prædictis figurationibus conciliata si & ille effœminatus fuerit insolentis, ac pudendæ libidinis author est. Si orientalis & virilis vituperio, & reprehensioni ob venerea flagitia obnoxios. Iouis benigno sydere rursus quod solet ad decentiorem harum affectionum formam iuuante, Mercurij ad celebriorem diuulgationem & reprehensionem.

Cum iam mala est constitutio libidinum significatrix, adueniens Saturnus fœmininus libidinem auget: adeò vt non solum flagitiosa, sed & fœda committantur. Sed virilis, id est, orientalis auget ob claritatem, famam scelerum. Ex quo declaratur quod effœminatum existimat, cum occidentalis extiterit. Atque hæc per se clara. Verùm quid continget vbi Saturnus Marti in virorum genituris: aut Veneri in mulierum cum Ioue positis, aut bene saltem constitutis congredietur. In virorum quidem haud dubiè semper aliquid frigiditatis, & ob id dedecoris ostendit. In mulierum verò genituris Saturnus, cum Venere positus impedimenta circa

venerea

venerea & exiguam coeundi voluntatem affert. Illud omnino non prætereundum quod ratio & experimentum docet: Quanquam Saturnus præcipuè hæc, impedimenta afferat, si in virorum genituris Marti, in fœminarum Veneri commisceetur, etiamsi contrario modo contingat impedimentum nõ leue: Viris quidem Veneris, fœminis Martis commixtus (Iouis benigno) Iuppiter & Mercurius conueniunt, quia æqualiter à Sole distant, sed vario tamen modo: nam vt modo Iuppiter est temperatus, ita Mercurius ancipitis naturæ. Ita eadem ratione Mars & Venus, propinquissimi enim Soli sunt etiam calidissimi: Et vterque maxima versatur epicyclo. Sed tamen Venus humida & benefica, Mars siccus & maleficus. Pari ratione Saturnus & Luna conueniunt, quod vterque à Sole maximè distat, vterque ob id etiam frigidissimus: Sed tamen Lunæ frigiditas pinguis, vt ita dicam, & humida, & benefica, Saturni tabifica, sterilis & malefica. Iuppiter igitur omnia hæc mala mitigat, præstatque consensum mutuum, & ob id etiam tegit. Est enim constans Planeta atque beneficus. At Mercurius inconstans, quod quatuor habeat apogæi æquantes & linguæ præest, vnde omnia detegit, & in publicum prodit, cum infamia & metu legum. Nec non cum minoribus suppliciis, vt quendam vidimus coria deaurantem, qui quod cum muliere anu etiam præpostera Venere vsus esset, circumductus per vrbem flagellis cedebatur.

CAPVT VI.

TEXTVS XLIII.

De Filiis.

CVm coniugij locum proximè sequatur liberorum, considerare oportebat Planetas cœli fastigio, aut succedenti loco, qui est boni dæmonis, coniunctos aut configuratos: Sin minus eos qui locis oppositis: Lunam etiam & Iouem, & Venerem pro filiorum largitoribus assumere; sicut Solem, & Martem, & Saturnum pro orbitatis authoribus. Mercurium prout configuratus illis fuerit promiscuum: Et largitorem cum fuerit orientalis, & recusantem, cùm fuerit occidentalis.

Hoc est tertia domus pars, quàm Ptolemæus considerat. Atque in ea velut in cæteris illud animaduersione dignum, quod omnia participant inuicem, velut & in rebus ipsis. Quales enim pater ac mater plærunque filij etiam tales. Et qualis filius tales parentes, non autem ex toto similes, sed in parte. Id etiam in diuitiis, honoribus atque aliis, vt quemadmodum inquit Anaxagoras, omnia in omnibus sita sint, atque cõmixta. Igitur in filiis habendis decimus locus, qui etiam matri tribuitur est considerandus. Ille idem tribuitur etiam fratribus atque sororibus. Quicunque igitur fratres habent multos, & matrem robustam etiã natura filios habent plures & sospites; sicut & contra habentibus contrarium euenit. Non tamen generaliter hoc euenit, sed qui paucos habuerit fratres vt Iacob, multos poterit habere filios: Duodecim enim suscepit. Et qui multos habui fratres, sine filiis mori poterit vt Absalon. Luna igitur sorores, matres, filios, vxores, ingenium, moresque significat. Et quandoque etiam alia. Cum Ioue quidem & Venere filios, Sed sorores quidem cum duodecimo loco, matrem cum Venere, vxores per se, ingenium cum Mercurio, mores cum ascendente & domino loci proprij. Si igitur communis significator validus extiterit alius imbecillis, erunt similia quæ per illum significantur: Si autem contra dissimilia. Gratiâ exempli dictum est, quòd Luna significat filios cum Ioue & Venere, cum decimo autem loco sorores. Si igitur Luna validissima sit, decimus verò locus & Iuppiter ac Venus imbecilles, erunt pauci filij atque sorores. At verò si infœlix Luna. Decimus verò locus validus, Iuppiter & Venus debiles, multas habebit sorores, paucos filios, sicut contra si Iuppiter & Venus decimo loco fuerint potentiores: Quòd & in præsenti loco alia ratione ostendit: cum enim 11. locus particeps sit 10. 11. etiam obseruat in dandis filiis. Duo igitur proponit, Planetas datores, & loca in quibus dant. Datores Iuppiter, Venus, Luna, humidi omnes: Saturnus, Mars & Sol, orbitatis authores atque omnes sicci præter Solem, qui calissimus est. In ipsis igitur locis decimo, aut vndecimo largitores dant, vt orbitatis authores negant. Magis tamen in decimo, quam vndecimo propter regulam probabilem, quod omnia principalia potentiora sunt his, quæ talia sunt ob illa. Sed si non sint in illis configurati ambobus nõn vni tantum dant, vt in primo loco, qui respicit decimum de quadrato, vndecimum de sextili: & in secundo loco, qui decimum de trino respicit & vndecimo de quadrato. Aliter si ad vnum tantum locum referas omnes genituræ pollicebuntur filios simul & orbitatem. Nam omnis domus aut decimæ, 11. configuratur. Quòd si neque Planeta vllus in primo aut secũdo loco fuerit, neq; etiam in septimo loco, vel octauo videndũ est, an in quinto, vel quarto loco sint: Hi enim decimo & vndecimo opponuntur: Hi igitur dabunt vel prohibebunt. Obseruatum etiam est, quintum locum præcipuam in hoc habere virtutem, adeò vt Arabes illum tantum obseruari iubeant. Sed nos Ptolemæum sequimur, multum tamen experientia loco illi tribuentes. Quod autem dixit (Mercurius prout configuratus & reliqua (duo nos docet: alterum quod Planetæ orientales potius significant filios quam occidentales: Et occidentales orbitiatis magis sunt causæ, quam orientales. Dico quoad Solem & hoc magis: Et quo ad mundum dum, sed hoc minus Reliquum est vt intellgamus

Mercurium etiam dare filios: Qui cum sit Planeta ingenij largitor facit ingeniosos, & maximè cum Soli propinquus extiterit, tunc enim facit etiam probos. Tales igitur cum Mercurius sit Planeta per se imbecillis, & sub Solis etiam radiis vitam non habet. Ob hoc solet dici quod Poëta, immodicis breuis est ætas & rara senectus. Et vulgus hoc nouit quod cum puerum vident ingeniosum valdè, illius vitæ timent. Causa igitur est quoniam tales sunt à Mercurio. Viuunt tamen aliqui ex his vel quia Mercurius robustus est, aut quia beneficæ iungitur erraticæ, vel fixæ, vel à benefica erratica fouetur. Hoc autem quod hic declarat commune est in genitura viris ac mulieribus. Propriè autem loquitur de filiis, qui ex coniugio suscipiuntur in masculorum natiuitatibus: cùm aliorum adeò incertus sit numerus, vt quidam centum filios susceperint. Sufficit igitur in his docere, qui sint prolifici aut steriles. Numerus autem incertus est, & ex reuolutionibus annorum nati habetur.

TEXTVS XLIV.

Largitores igitur ita à siti simpliciter, ac solitarij vnicum filium decernunt. In bicorporeis autem & fœmininis, item in fœcundis signis, vt Cancro, Scorpione, ac Piscibus duas aut plures. Et dum masculini sunt ob signa masculina, & ad Solem configurationem marem: effœminati verò fœminam.

Duo nos docet numerum & sexum his verbis quorum vtrunque à duobus sumitur: imò primum potius & secundum à tribus. Numerus igitur primum à numero Planetarum solitarij vnum & paucos, cùm aliis iuncti plures: Signa vnius corporis vnum, bicorporea duos, vel plures: Et hoc à forma signi. A qualitate, fœcunda plures aut duos saltem, sterilia vt Leo, Virgo vnum. Sexus à sexu Planetæ: Iupiter masculos, Venus fœminas pollicetur. A signi in quo est sexus: Et ab habitu Planetæ ad Solem orientales masculos, occidentales fœminas.

TEXTVS XLV.

Superati à maleficis, aut in sterilibus signis reperti puta Leone, Virgine, largiuntur quidem, sed non sat pulchrè, nec constanter, nec diuturnas proles. Sol autem & maleficæ obtinentes imperium in dicta loca, si in signis masculinis, aut sterilibus fuerint eisque beneficæ suffragentur concedunt quidem, sed valetudinarios, vitiis corporis impeditos, ac breuis vitæ.

Declarat quartum membrum diuisionis. Nam omnes qui nascuntur, aut omnino carent sobole, orbique sunt, aut habent exiguam, aut multam, aut imbecillem, & morituram. Orbos dixit, cum in locis filiorum Planetæ violenti fuerint, multa cum sobole, cum plures filiorum largitores, vel in signis bicorporeis, aut fœcundis, pauca cum in sterilibus: nunc declarat quibus modis debilis, aut breuis vitæ soboles procreetur. Duobus modis id contingere affirmat, vel cum beneficis, maleficæ dominantur, idque non tam malum, nam robusti natura multis conflictantur aduersis, vel cum dominantibus maleficis in locis filiorum suffragantibus beneficis nascuntur filij vitæ fundamento interiore carentes: vtpote ab infœlici & contrario sydere geniti. Hi igitur vt par est omnino sunt imbecilles & breuis vitæ.

TEXTVS XLVI.

Quando vtraque conditio rationem habet ad signa prolifica datorum liberorum reiectiones significantur: aut omnium, aut multorum, aut paucorum, pro imperio suffragantium vtriusque sectæ Planetarum: quos vel plures, vel potentiores, vel orientaliores, vel dignioribus angulis sitos, vel elatos supra cæteros, vel angulis succedentes inuenerimus.

Hoc est quintum membrum cum largitores filiorum fuerint in locis debitis, & in signis fœcundis & eis dominantur maleficæ, sed suffragantur eis beneficæ, & sunt maleficæ, & beneficæ in signis fœcundis, tunc abdicant filios. Non enim possunt occidere, quia sunt in fœcundis signis. Et intelligit per vtramque conditionem quod maleficæ dominentur, & beneficæ suffragentur.

Vt sit vna regula talis, si largitores sunt in locis filiorum, & beneficæ dominantur, tunc si in sterilibus sunt largitores vnum significant filium, in bicorporeis duos, in fœcundis plures ac sospites. Si verò Sol & maleficæ sint in locis filiorum, negant filios. Quòd si largitores sint in locis filiorum, maleficæ autem & Sol dominentur in signis sterilibus, vel masculinis cum suffragio beneficarum, aut si largitores superentur à maleficis breui superfuturam prolem dant. In hoc casu vltimo moriuntur in infantia, in præcedente morbosi non transeunt iuuentutem aut parum. Si autem loco sterilium signorum fuerint maleficæ & beneficæ suffragantes in fœcundis, facient abdicari.

Quòd verò dixit (omnium aut multorum, &c.) Intelligit quod si vni largitori malefica, dominetur alteri benefica, habebunt filij hi diuersos exitus vt patet. Et iubet obseruari multitudinem largitorum & impedientium, & suffragantium, & robur, & statum quoad Solem, & quoad mundum.

TEXTVS XLVII.

Si igitur dictorum ſignorum dominatores orientales fuerint, atque in propriis locis, claros & illuſtres liberos dant. Si occidentales & in locis ſectæ alterius, humiles, viles & obſcuros.

Non à largitioribus, ſed à dominatoribus fortunam ſumit. Vt enim dominatores ſunt extra & alieni à largitoribus, ita fortuna filiorum alia eſt à filiis.

TEXTVS. XLVIII.

Et ſi conueniunt cum horoſcopo & parte fortunæ, amabiles, parentibus, venuſtos, gratioſos, bonis parentem hæreditario iure fruentes. Si inconiuncti ex aduerſo ſiti, rebelles, odioſos, noxios, nec parentum bonis ſuccedentes.

Explicauit antea quæ ad eſſentiam filiorum pertinebant, numerum, robur, vitæ diuturnitatem: in præcedenti textu fortunam: hic habitum ad parentes: Sicut in ſequenti inter ſe. Quid intelligat per verbum conueniunt, ſequenti oratione intelligitur, cum priori opponatur. Conuenire igitur vocat vt ſint in eodem ſigno, vel aſpiciente, trigono vel ſextili, vel in obedientibus & imperantibus, vel in aſpicientibus ſeſe. Quod etiam in ſequenti textu clarius erit. Sic non conuenire dicuntur, quando in oppoſitis ſignis, aut inconiunctis fuerint. In quadratis declarabit quod medio modo ſe habebunt, modo enim conuenient modo diſſidebunt. Quid autem ſit maius oppoſitio an coniuncta ſigna, hæc quidem minus conueniunt illa magis diſſidet: Propterea deteriora in filiis ſunt oppoſita ſigna, quo ad verbera & odium, inconiuncta quo ad abdicationes & priuationes hæreditatis. Ita melior eſt trigonus aſpicientibus ſe ſignis, aut imperantibus & odedientibus. Cumque plura ſigna vni conueniat quàm diſconueniant, (nam Arieti gratia exempli conueniunt Gemini, Aquarius, Leo, Sagittarius, Virgo & Piſces: Media ſunt Cancer & Capricornus: diſconueniunt tantum Libra, Taurus & Scorpio.) manifeſtum eſt in genere plures filios parentibus eſſe acceptos, quàm odioſos. Ex gradibus contingit oppoſitum, ita raro fit vt ad vnguem filij parentibus conueniait.

Quòd verò dixit amabiles, venuſtos, & gratioſos: intellige parentibus, non ſimpliciter: eſt enim illorum fucata quædam gratia & bonitas, cum malis parentibus conueniunt. Nam probitas illorum pendet ex genitura propria. Cùm tamen placent parentibus ſunt obedientes, nec ex toto mali, plures etiam boni. Hoc eſt quod probantur filij parentibus obſequentes. Signum enim eſt conuenire dominos largitorum, ſeu locorum in quibus ſunt largitores cum horoſcopo & fortunæ loco. Contrarium in odedientibus. Cùm verò accipit fortunæ partem, intelligit quòd conuniunt in rem familiarem, hoc autem parentibus gratum, ſicut conuenientia cum horoſcopo eſt ex animo. Et ſcias quod leges locorum multum poſſunt & mores hominum: generaliter tamen filij parentibus grati ſunt lege naturæ. Hoc autem eſt quia conueniunt, vt diximus geniture parentum cum genituris filiorum. Et Haly hoc docuit his verbis. Aſpexi pro filiis, & inueni Iouem in decima, in tertia parte Capricorni iunctum quaſi Saturno, & Lunam aſpicientem & ſignificauit quod haberem filios & filias & potius filias quam filios, quia Iuppiter & Luna erant in ſigno fœminino. Et quod non viuerent, quia Saturnus erat Ioui iunctus in decimo loco. Et quia Iuppiter erat orientalis ſignificauit vnum filium & duas filias, & omnes obierunt. Erat autem gradus aſcendentis maſculi circa gradum Saturni in mea natiuitate & propter hoc mortuus eſt cito. Et erat gradus aſcendentis vnius fœminæ in Piſcibus, in ſextili Iouis & trino Lunæ meæ natiuitatis, & Sol ſignificator vitæ in Capricorno. Alterius quoque fœminæ aſcendens fuit in Capricorno. Et hoc eſt mirabile, quoniam manifeſtum eſt quod natiuitate concordant inuicem, vt etiam illi quorum ſunt natiuitates. Et ſingularia iunguntur generalibus, vt prouinciæ legi & ciuitati ac familiæ. Illud idem oſtendi ſuperius in genituris meorum filiorum. Ex quo patet quod plus poſſunt ſignificatores in geniruris, quàm concordia, Nam in natiuitate Haly erant ſignificatores mali pro vita filiorum & concordia cum puellæ primæ genitura, quæ tamen mortua eſt: in noſtra contigit oppoſitum, nam filius primus & filia habent horoſcopum in oppoſito loco duarum maleficarum, & filius Lunam iuxta locum Saturni, & fœmina Lunam in loco propinquo quadrato Martis: Et minor natu, Solem in loco Martis mihi, Lunam in quadrato Martis, aſcendens in quadrato Saturni & Martis, & tamen, licet ægrè, ſuper vixerunt. Quia loca filiorum erant ſalua in mea genitura, & genituræ erant ſatis potentes per ſe & mediocres. Et cum hoc contingit, filij erunt morboſi, tamen ſuperuiuent. Quòd ſi genituræ ſint malæ & concordent inuicem, tunc viuent ſani aliquandiu, inde repentè moriuntur.

Vxor tamen mea ter abortiuit, ex perfectis autem natis nullus mortuus eſt, Cùm hoc contingit, ſignificat patris genituram pro filiis bonam eſſe, matris autem pernitioſam. Nam cum filij ſunt coniuncti matri, & genitura ſua eſt mala pro illis, pereunt. Cùm autem liberati ſunt à ventre matris, plus poteſt patris & ipſius filij propria genitura, ideò ſuperuere poſſunt: Sunt tamen neceſſariò debiles. Et ita per contrarium ſi patris genitura pro filiis mala ſit, matris autem bona: non abortiunt matres, ſed nati filij cito pereunt. Quod ſi filij & patris genitura vitales non ſint pro filio ipſo, mater verò imbecillis, ab ortu perit mater & filius. Si autem mater genituram habeat pro filiis con-

ſtantem, ex naturali partu perit filius. Atque ita de aliis.

TEXTVS XLIX.

Sic quando mutuam habent inter ſe figurationem concordes donant fraternis animis mutuas operas tradentes. Si inconiuncti ſunt aut oppoſiti, inimicitiarum cupidos & mutuo ſibi inſidiantes.

Conuenire vult non largitores inter ſe, ſed dominos locorum cum ipſis locis mutuo: Id eſt, dominos largitoris vnius cum largitore alterius. Et ſimiliter dominos largitorum inter ſe. Conuenire igitur dominos largitoris vnius fratris, cum largitore alterius, eſt veluti ſi dominus largitoris vnius conueniat cum horoſcopo alterius. Quandoquidem largitores in noua figura erigenda vicem horoſcopi obtineant. Exemplum in noſtra genitura, largitor duorum filiorum natu maiorem eſt Iupiter, cuius loci dominus eſt, Venus & Luna. Largi-

Largit.	Domini.	
Iupiter	Venus	Luna
Venus	Saturnus	Venus

tor filij natu minoris Venus, loci domini Saturnus & Venus. Cùm igitur comparaueris Iouem Saturno & Veneri, & Venerem Veneri & Lunæ, inuenies dominos largitorum largitoribus conuenire. Conuenire dicuntur Planetæ quadriam, vel natura vt Sol Saturno, vterque enim modeſtus eſt: vel qualitate, vt Sol Marti, vterque enim calidus eſt maſculinus, vel loco, ſi vnus ſit in alterius dignitate, vel aſpectu amico, cum ſunt trigono, aut ſextili iuncti. Quia tamen Saturnus & Venus ſunt in Geminis, & Libra, qui ſunt Tauro inconiuncti, non erit extrema neceſſitudo inter inter eos. Hic enim maximè conſiderat duos extremos modos, vt validiores.

Quod ſi præter id, quod ſigna largitorum & dominorum ſint inconiuncta aut oppoſita inter ſe, aut mutuo maleficæ, & Sol ſine angulis maximè, alienæ maleficæ iungantur, vel cum ſtellis naturæ Solis, aut Mars cum ſtellis naturæ Lunæ, tunc erunt odia exitialia. Vnde Papinius de Polynice, & Eteocle Oedipi filiis:

Dum videt hæc dicens greſſus admouit & arma.
Ceu templis decus, & patriæ laturus ouanti.
Arma etiam ſpoliare cupit: Nondum ille peractis.
Manibus vltricéque animam ſeruabat in iras.
Vtque ſuperſtantem pronumque in pectora ſenſit,
Erigit occultè ferrum, vitæque labantis.
Reliquias tenues ſuppleuit: & enſem
Iam latus frater fratris ſub corde reliquit.
Ille autem viuis ne? Et adhuc manet ira ſuperſtes.
Perfide? Nec ſedes vnquam meriture quietas.
I mecum ad manes. Illic quoque pacta repoſcam,
Si modo Agenorei ſtat Gnoſia iudicis vrna,
Qua Reges punire datur. Nec plura locutus.
Concidit. Et totis fratrem grauis obruit armis,
Ite truces animæ, funeſtáque tartara læto,
Polluite: & cunctas Erebi conſumite pœnas.

Sed vt ab antiquis exemplis recedamus, vidimus nos nobilem ſecuri percuſſum ex familia Gribellorum, quem ferebant tres proprios fratres occidiſſe, cum de duobus ſatis conſtaret. Dixit autem non inimicos, ſed inimicitiarum cupidos: Tales enim ob conuictum videntur potius inimicitiarum cauſas quærere, quam habere, cum ex paruis rebus ſibi ſuccenſeant. Rarò enim manere inimicitias inſinuat, cum fratres inimicos eſſe, res ſit, quaſi abſurda & naturæ repugnans.

TEXTVS L.

Quæ minutiora ſunt iterum quiſpiam coniectabit vſus ſingulorum, qui liberos pollicentur aſtrorum horoſcopo, ex reliqua collocatione non ſecus, ac in genitura conſiderationem in genere inſtituens.

Statues vnumquemque locum largitoris pro horoſcopo, & reliquos Planetas in domibus iuxta horoſcopi naturam inuentis collocabis, iudicabiſque de illis vt ſuperiùs do qui de parentibus. Ex quo patet quod Sors debet accipi à nono aſcendente loco largitoris, non ab aſcendente patris. Nam aliter omnium filiorum eſſet eadem diuitiarum conditio. Præſtat autem ſcire diligenter in filiorum cauſa Sortis conditionem, quod ab ea proficiſcatur conuerſatio omnis atque vitæ ratio.

Ex hoc patet quod multos habentes ſoſpites filios ſunt generaliter felices. Nam habent beneficas in locis potentibus nec impeditas. Rarò etiam dum multi ſunt filij inter ſe exitiales inimicitias exercere ſolent, quoniam non poſſunt eſſe tot niſi ſignificatores ſint in concordibus ſignis, & humidis abſque victoria maleficarum. Signa enim quæ odia pariunt ſunt fixa, & maximè Leo & Aquarius: Hæc etiam ſterilia ſunt. Inde Gemini, Virgo, Scorpio & Aries: nam in his beneficæ non dominantur. Omnia autem ſterilia plus moderato, præter Scorpium.

Vt autem videas, quæ dixit Ptolemæus vera eſſe, ſubiungo duas geneſes, quarum alterius natus ad hanc vſque diem ex eadem vxore 6. ſuſcepit filios ſoſpites, alterius 16. viuuntque vtrique parentes nobiles, nec ſenes. Qui ſex habet alios eſt habiturus. Alius nobilis 15. habet, huic tres ſuperiores ſunt in Cancro. Cætera ignoro: Dubitatione dignum eſt, cùm nō poſſint eſſe plures quatuor

largi

largitoribus filiorum, quomodo possint oriri tot filij? Respondeo quòd fit multiplicatio per signa bicorporea & per congeminationem, veluti. planeta vnus in bicorporeo duos, duo quatuor, & tres octo. Iupiter etiam & Mercurius duos per se quasi significant. Ideò qui habent multos filios, congeminant Planetas vt in natiuitate Geminorum. Et quibus plures nascuntur filij, iisdem etiam sæpe Gemini.

Cœli Med.	♋	6	
Ascendens	♎	5	
Sol	♌	9	9
Luna	♋	7	56
Saturnus	♊	5	17
Iupiter	♓	28	44
Mars	♋	26	33
Venus	♍	23	
Mercurius	♋	22	
Caput	♊	4	17

16 filiorum
1500. die 29. Maij, hor. 14. Hor.

Cœli Med.	♈	11	
Ascendens	♌	21	
Sol	♊	16	54
Luna	♋	1	11
Saturnus	♉	29	11
Iupiter	♓	26	29
Mars	♋	21	16
Venus	♋	21	40
Merucurius	♋	11	10
Caput	♊	7	11

Sed dices saltem, qui comprehenduntur sub vno largitore eandem fortunam habebunt? Iidem enim loci & domini. Sed dico quod diuersis temporibus significabunt, & ratione huius erunt valde diuersi. Quod si tempora non varientur, respondeo quod hæc est causa cur gemelli plerunque sunt similes corpore, moribus & casibus. Et illa in quibus differunt sunt valdè pauca, nec possunt dignosci ex genituris parentum, sed propriis.

Vltimò dubitatur cur non dixerit Ptolemæus quicquam de tempore filiorum suscipiendorum? Dico quod hoc docuit in vltimo capite huius cum dixit (A cœli fastigio liberorum procreationes) vult quod ex directione cœli medij quotiescunque peruenit ad largitores vel eorum radios, significatur filius. Sed nota triplicem differentiam: Prima, pro generatione oportet, vt solum processus & ingressus parentum inter se concurrant. Anno 1534. cum cœli medium peruenisset ad trigonum Veneris, & Mercurij, & Iupiter per ingressum esset in 23. parte Capricorni cœli medio radicis, & in loco Veneris, & Mercurij radicis, Mercurius & Mars, genita est puella, quæ sequenti anno nata est. Secunda differentia, in prolificis genituris vbi cœli medium peruenerit ad corpus, vel radios prolifici, absque impedimento singulis annis nascetur filius, aut filia. Tertia differentia, in his qui non sunt valdè prolifici, cœli medium applicans radiis largitoris tunc dabit filium, aut filiam cum largitoris locus per processum applicuerit loco directionis in cœli Medio, vel vndecimo loco, & alius largitor oppositum locum per ingressum possidebit. Ita vt sint quatuor locus radij largitoris in cœli medio, vel vndecimo loco, idem locus ad quem directio peruenit cœli medij, idem locus ad quem vnius ex largitoribus, imò persæpe ipsiusmet processus perueneri: Et locus idem vel oppositus ad quem peruenerit idem largitor, vel alius per ingressum. Ex quo patet, quod dixi, quod in prolificis propter mixtiones multorum Planetarum, ac radiorum cùm sint in similibus partibus numero necessariò contingit, vt fermè singulo anno largitorum loci per processum ad loca filiorum perueniant. Concordia verò genituræ filij cum restitutione anni patris, est quod Luna persæpè in filij genitura est, in sui opposito restitutionis anni ipsius patris, vel loci largitoris.

CAPVT VII.

TEXTVS LI.

De amicis & inimicis.

Beneuolarum igitur affectionum & contrariarum, quarum has quidem medias, & diurnas appellamus amicitias, seu inimicitias, illas verò minores & temporaneas societates, aut contentiones examinatio nobis sit hæc. Quando igitur quæ ex his præcipua sunt, & maxima inquirimus, obseruare oportet in vtraque genitura præcipua loca, Solis, videlicet & Lunæ, & horoscopum, partemque fortunæ. Nam si in eadem signa inciderint, aut loca mutuo permutauerint, aut omnia, aut plura, maximè quando vtriusque horoscopi 17. partibus inuicem distiterint, amicitias constituunt synceras & insolubiles, nec vllis offensionibus expositas. Si in coniuncta sint, aut mutuo opposita inimicitias maximas & diuturnas: Si neutrum accidat, sed tantum in locis configuratis extiterint, si hexagonis, aut trigonis minores amicitias, si quadratis minores conciliant inimicitias: vt interdum in amicitia occurrant silentium, & si multas quando maleficæ hasce configurationes transeunt, in contentionibus reconciliationes, & beneuolentiæ vicissitudines, per beneficorum ad configurationes ingressum.

Ita superi malè perdant eos, qui rebus vanis

nis ob lucrum vel ambitionē, aut derisionem intendentes, nouas & inutiles dierum obseruationes nobis tradiderunt, cùm satis sit vel minimæ parti rerum vtiliū satisfecisse. Qualis hæc tractatio amicitiæ & inimicitiæ, quas non ex propria sola genesi Ptolemæus venatur, sed ex concursu cum aliorum genituris. Inquit enim respiciens ad id, quod iam antea diximus (res humanas, vel natura, vel vtilitate, vel conuersatione stare) si luminaria, vel horoscopi, aut fortunæ pars in eisdem signis fuerint, & maximè 17. partibus haud magis distantes, qui terminus est radiorum Solis, & etiam Crepusculi matutini, aut loca commutauerint stabiles & inconcussas, ac diuturnas amicitias pollicentur, μέσοις, id est, medias, scripsit artificiosè quod nemo sincerè amat, sed amare videtur. At pro μέσοις, μεγάλοις scribendum, id est, magnas vt legit Haly. Si verò loca horum principalium in coniunctis signis, aut oppositis fuerint alter alteri, erunt inimicitiæ stabiles & diuturnæ Quod si in locis configuratis minora vtraque erunt, diuturna tamen. Nam præsupponit generaliter eas futuras amicitias aut inimicitias perpetuas, quæ nobis à natiuitate sint ingenitæ. Velut & breues, quæ ex processu locorum & Planetarum inuicem concurrentium contingunt (Silentium) cum vnus alterum non alloquetur: Simultas cum tacitè se inuicem oppugnant, & contradicunt insidiantes sibi, non in vita, sed in diminutione authoritatis (Per beneficorum ad configurationes ingressum) Puta in genitura Sol vni sit in Libra, alteri in Cancro: Iupiter ingrediatur Libram, & Venus Cancrum, tunc illi reconciliabuntur. Sed sic iure dices omnibus erunt inimici & amici perpetui? Non tamen ita est vt quibusdam malis mendicis aut miseris, velut de Timone fertur, euenit. Verùm causa est quod in horum genituris loca sint opposita, aut inconiuncta. Erunt autem opposita his, quibus Luna in opposito Solis extiterit, nam his fortunæ pars etiam ascendenti opponetur: itaque quicunque loco habebit principalia, cum vno horum concordantia, habebit cum reliquis contraria, aut inconiuncta.

Sed nunquid eadem iisdem, vt Sol Soli, Luna Lunæ? An sufficit vnum horum cum vno iunctum coniunctum habere, aut dissidem? videtur quod eundem oporteat esse ob duas causas, prima quod non essent eodem iuncti amicitiæ genere, sed diuerso: Secunda quod quilibet nimis numerosos amicos haberet ac inimicos: Si locorum diuersorum coniunctio, aut disiunctio sufficeret.

Sed vel sic quilibet etiam plures haberet, aut amicos veros & perpetuos, aut exitiales hostes quam videamus? Respondeo quod oportet primo concurrere patriam, & consuetudinem, & familiarum consensum, & fortunam, & congressus Planetarum à quibus vt nouæ creantur, quæ iam non erant amicitiæ, ita iam factæ dirimuntur his congressibus.

Veruntamen Ptolemæus non hoc vult docere nos hic, quinam sint, quibus plures sunt amici, vel inimici, aut pauci, aut si constantes, aut inconstantes: sed iam præsupponit personas ipsas, vult autem inquirere an illæ sint amicæ nato, vel inimicæ, aut dolosæ, in amicitia constantes, aut inconstantes. At verò generaliter id nouit quod prudentes, fortes, potentes, nobiles, opulenti plures, & meliores, & magis constantes, ac potentiores habent amicos vt contra, qui omnibus his carent. Et patientia plurimum cum possit ad amicitiam, ex huiusmodi cognoscere oportet. Non igitur ex astris hoc generaliter petendum est, sed quomodocunque conueniat, aut non conueniat.

TEXTVS LII.

Cùm amicitiarum & inimicitiarum genera tria sint, aut enim ex instituto & electione libera, ita in se inuicem affecti homines sunt, aut vsus necessitatisque gratia, aut denique voluptatis iniuriæve causa, quando omnia aut plura ex dictis inter se familiariter conueniunt, ex omnibus his speciebus amicitia conflata est, quemadmodum quando dissident, odium. Quando sola luminarium loca ex delectu libero, quod est beneuolentiæ genus optimum & firmissimum, sicut contra odium acerrimum & cui credere nihil opporteat. Sic si fortunæ sortes conueniant vsus necessitatisque gratia contrahitur. Quando horoscopi, voluptatis & contumeliæ.

Clarius Aristoteles hæc describit, dicens, amicitiæ genera tria sunt propter honestum, vtile & voluptatem: ab honesto, vt viri fortes, qui se diligunt, aut sapientes, aut ex naturali quadam inclinatione, aut quia sit prudens vterque, aut morum, vel artis præsertim excellentium similitudine: sic inter Apellem, & Protogenem pictores intercessit amicitia: Et in administratione reipublicæ. Hoc genus à concursu Solis cum Sole, & Lunæ cum Luna fit, vel vicissim commutatis locis. A Sole inqnam propter honestum magis, à Luna autem naturalis potius amicitia gignitur. Odium similiter ex horum contrarietate, vel quia alter alterius gloriæ inuidet, vel naturali quadam inimicitia dissident. Fiunt autem in his lætales inimicitiæ & odia internicia, quib. dicit Ptolemæus nihil credere oporteat, scilicet, etiamsi consentur induciæ, aut pax simulata sequatur. Propter vtile, mercatores inuicem, iurisconsulti, cognitores, aromatarij & tonsores cum medicis, magistratus cum Principibus, procuratores, dispensatoresque cum nobilibus, milites cum ducibus, serui, Proxenetæ, vectores idque generis. Ex odio verò quicunque impediunt hæc, aut inimicis inseruiendo lucrum impediunt. Atque in hoc genere sunt artifices artis, vt Hesiodus inquit, figulus odit figulum, hi tales ex parte fortunæ, seu Sorte in vtraque genitura accipi debent.

Ex

Ex voluptate, quæ fit ex concubitu prima est: Inde à luxu potationibus & conuiuiis, item à ludo, à musica, mimi, histriones, aretalogi, coqui, & eius generis, vel ab iniuria vt maledici, susurrones inuidi, detractores, contemptores, irrisores, delatores, accusatores, insimulatores, & qui scômatibus alienam lædunt existimationem. Hi omnes ab horoscoporum configuratione decernuntur. Cùm verò multa ex his conueniunt, erit multiplex & firmior amicitia: Si disconueniunt maius odium & inexplicabile. Si autem quædam conueniant, quædam dissideant erit amicitia & odium simul. Sicut contingit qui habent seruoa-desides, quos amant ob consuetudinem diuturnam, & odio habent ob vitia. Porrò longa cohabitio ad genus amicitiæ primum, scilicet ob naturæ consensum, referri debet.

TEXTVS LIII.

Obseruare autem conuenit locorum configuratorum supplosiones, stellarumque ad hæc aspectus. In quibus enim genituris inciderit configurationis superatio, siue in idem signum, siue in proximè succedens, illis præcipuæ partes in amicitia tribuendæ sunt, aut odio. In quibus verò fuerit aspectus stellarum meliorum illis ex amicitia vberiores fructus, ex inimicitia damna grauiora decernuntur.

Duo verba βελτίων, quod est meliorum & καθυπέρτερησις, quod vertit supplosiones magnam difficultatem, atque obscuritatem in Ptolemæi verbis pariunt. Hoc idem verbum vltimum superationem dum reperitur vertit. Sensus igitur est: duo sunt obseruanda in his, quæ ad amicitam, aut inimicitiam pertinent: loca illa principalia, quæ quatuor esse diximus, & inter illa videndum quod sit potentius ex concordantibus locis, aut pugnantibus, seu in eodem signo, seu respectu sequentis, tunc ille erit causa amicitiæ, vel odij principalis. Exemplum, in octaua & nona genitura Luna est in eodem loco & significat amicitiam ob præstantiam. In eodem signo Casanato sunt radij Mercurij fœlices, tum Mars ac Veneris & Sors: Mihi infelices Martis, & felices Iouis, ideò significatur quod principalis causa amicitiæ & vtilitatis erit potius atque fuit Casanato erga me, quàm mihi erga Casanatum. Quod autem dixit (vel in sequenti signo) dixit ob hoc quod per directionem locus principalis ad illud signum peruenit tempore iuuentutis, quo maximè prodesse possunt amicitiæ. Si igitur tale signum fœlix fuerit, quod ad principalem peruenit locum, cum peruenerit ille erit vtilis alteri & principalis causa amicitiæ. Ideò plerunque ob id contingit quod, qui quærunt amicitiam alicuius illi sunt vtiliores, quàm is cuius quæritur amicitia ei à quo quæsita fuit. Secundum obseruandum est quod beneficæ respicientes locum principalem in amicitia, decernunt vtilitatem maiorem ab altero in cuius genitura non aspiciunt locum talem: Et hoc est quia locus ille est, cum fauore beneficæ vni, alteri non: In inimicitia accidit contrarium. Nam qui habet beneficam aspicientem, & magis obnoxius contumeliæ, quia est magis pacificus, ideò dicebat ille: Dat veniam coruis vexat censura columbas. Hoc autem magis erit euidens, cum in inimicitia benefica fuerit debilis, in amicitia autem potens.

TEXTVS LIV.

In temporaneis autem societatibus & contentionibus animum aduertere oportebit ad motiones syderum in vtraque genitura: Hoc est quieus temporibus sydera vnius genituræ ad loca syderum alterius promoueât. Hoc enim modo contingunt amicitiæ & inimicitiæ imbecilliores & ex parte: Quæ tamdiu durare solent donec separentur. Interdum verò consque donec superueniens aliud sydus, decretum illud interrumpat.

Tria genera amicitiarum innuit: vnum quod est firmum & ab ineunte ætate, quod ex concursu locorum principalium contingit in genitura: Secundum quod est infirmum, nec omninò perpetuum, contingit autem dum Planetæ mutuò loca alterius ingressi fuerint. Puta si ego habeo Iouem in quarta parte Tauri, & alius Martem in tertia parte Sagittarij, decima die Aprilis 1556. contraheremus amicitiam: Quia tunc Iuppiter ingreditur tertiam partem Sagittarij, & Mars Tauri. Idem etiam fiet vbi duo Planetæ mei ingrediantur loca alterius simul. Hoc autem magis in annuis conuersionibus, licet hoc non dixerit Ptolemæus Tertium genus est maximum quod Ptolemæus censuit ex his duobus esse manifestum: cùm scilicet ambo hæc concurrunt, & quod in genituris loca principalia conueniunt, & fiunt mutui ingressus Planetarum: Tunc enim maximæ res ab his patrantur in hoc casu. Manifestum est autem quod & euentus docet, ex Ptolemæi verbis, amicitias esse plerunque fortuitas. Cùm verò tempus harum amicitiarum & inimicitiarum) Nam quod de vno dixi de altero intelligi volo) duret donec separentur: Separatio autem fit, vt dictum est in distantia 17. partium, & hoc vltrò citroque, quas Saturnus quandoque vix toto triennio superat, manifestum est diuturniores amicitias temporaneas intra hoc tempus finiri, similiter & inimicitias. Quæ autem excedunt, aliquid habent cum genitura. Saturnum quoque diuturniorum amicitiarum & inimicitiarum esse parentem. Post has quæ à Ioue. Breuissimè à Luna. Quæ verò ex concursu horoscoporum, intra paucas horas finiuntur: ideò earum non meminit Ptolemæus.

TEXTVS

TEXTVS LV.

Saturnus igitur & Iuppiter subeuntes mutua loca, amicitias gignunt per conspirationes: agriculturam, aut hæreditarias successiones. Saturnus, & Mars per rixas, insidias, easque vltroneas. Saturnus & Venus coniuctionem per affinitates citò labescentem & euanescentem. Saturnus & Mercurius, affinitates & conuictus conciliant per largitiones, munera, mercatura, aut arcanorum communicationem. Iuppiter verò & Mars dignitatum, & gubernationis caussa. Iuppiter & Venus hominum publica munera, eaque sacra obeuntium, cultus, scilicet diuini, oraculorum & his similium. Iuppiter & Mercurius conuersationes disserendi, discendiùe & philosophandi causa instituit. Mars & Venus amorum, adulteriorum aut ocij ignaui gratia, instabiles tamen, & non rectissimè institutas. Mars verò & Mercurius inimicitias, & vociferationes, & lites, literarum & pharmacorum occasione. Venus autem & Mercurius conuictus ob artis eiusdem studium, aut canendi, aut literarum communicationem, aut fœminarum causa.

In omnibus his vna est regula generalis, quod societas esse debet eorum causa, quæ vtrique Planetæ conueniunt. Saturnus & Mars cum Venere parum conuenientes amicitias instabiles reddunt. Mars & Mercurius vix admittit amicitias. vt Iuppiter & Venus inimicitias.

TEXTVS LVI.

Magnitudinem igitur & paruitatem, intentionem & remissionem, societatum, aut contentionum, ex comprehensorum locorum ad præcipua quatuor loca comparatione iudicare oportet, nam in angulis, aut sortibus fortunæ, aur circa luminaria si occurrant, euidentes significant, & vehemẽtes affectiones mutuas: Sin ab his destiterint obscuras. Commoditatem verò ant incommoditatem illis ex societate maiorem, ex astrorum inspectantium prædicta loca ad bene maleùe faciendum propensione.

Duo in hac parte docet magnitudem ac firmitatem societatis ex Planetarum permutantium propinquitate ad loca quatuor principalia Solis, Lunæ, horoscopi & Sortis. Pro ascendente verò etiam reliquos angulos docuit comprehendi quòd ibi Planetæ maximam vim habeant. Secundum est damnum aut vtilitas ex amicitia, vel inimicitia, & hæc contingunt ex beneficis, aut maleficis Planetas commutantes inspicientibus. Hoc autem sæpe declaratum est.

Notandum quod in hoc casu inimicitiæ fiunt ex commutatione ad loca opposita, sicut amicitiæ ad mutua, vtpote si quis habeat Martem in quinta parte Geminorum, & ego Iouem in quarta parte Tauri, & contingat eodem tempore Iouem in mea genesi ingredi quintam partem Sagittarij, & Martẽ quartam partem Scorpii, orietur inimicitia ex eo tempore inter nos. Quandoque etiam ex commutatio propriorum, vt Martis cum Mercurio ob naturalem inimicitiam Planetarum. Sunt enim contrariæ penitus naturæ. Mars enim nihil vult rationi obsequendo, Mercurius cuncta: Mercurius dolo, Mars vi agit Vterque siccus, vterque malus.

Notandum præterea quod Venus est propriè significatrix dilectionis, & Saturnus odij. Si igitur contingat in vna genesi vnum ex quatuor locis principalibus esse in dignitatibus, & alter habeat in eodem gradu Venerem, se mutuo. Et magis ille, qui habebit locum principalem diliget, eum qui habebit Venerem, quàm diligetur. Exemplum, ego habeo Lunam in duodecima parte Piscium, in dignitate Veneris, quicunque igitur habebit Venerem in eodem gradu, valde prope, erit mihi amicus intimus. Et ego plus eum diligam, quàm ille me. Per oppositum, si quis habeat oppositum alicuius ex locis principalibus in dignitatibus Saturni, & alter in tali opposita parte Saturnum, inimicitia sagent capitales. Exemplum, si quis habeat Sortem in sexta parte Arietis, quicunque habuerit Saturnum circa sextam partem Libræ, erit inimicus magnus alteri, qui habuit Sortem in opposito loco in Ariete. Et primùm est nobis cognitum ratione & experimento: huius autem secundi ratio est pariter manifesta.

CAPVT VIII.

TEXTVS LVII.

De Seruis.

DE seruis & eorum erga dominos animo beneuolo, aut maleuolo ex signo mali genij iudicandi modum accipimus, & ex iis qui locum hunc signiferi intuentur, tam secundum genituram ipsam, quam secundum accessus, aut oppositiones. Maximè vt gubernatores huius partis signiferi conuenienter præcipuis genituræ locis, aut repugnantur configurati fuerint.

Hæc

Hæc est quarta domus pars serui. Nil autem refert, seu seruos, seu famulos dicas, hoc enim discrimen à legis instituto pendet. Vtrorumque autem quod ad astra pertinet ratio eadem est. Serui enim olim in dominorum potestate erant, nunc famulis vtimur quibus libera est conditio & solam operam seruam præstant. Par autem erat horum naturam ex mali genij loco accipi. Cùm enim principales partes domus sint dominus, vxor filij, serui, & res ipsa: Dominum significat horoscopus, & illius existimationem Sol, Luna vxorem, 10. & 11. filios, Sors rem seu opes, reliquum est igitur vt seruos 12. significet. Nam Ptolemæus accipit quicquid est à cœli medio, vsque ad horoscopi finem pro cœli parte validiore, quod in his Planetæ non secus, quàm Sol dum ad nos accedit ascendant nostri habita ratione. Sunt igitur domus quatuor 10.11.12.1. Et præter has Solem, Lunam & Sortem. Itaque principalia loca sunt septem. Par autem erat locum seruorum præponi loco amicorum: Et ita fert rerum conditio. Sed quia serui sunt ignobilissimi, secutus existimationem communem, primùm de amicis egit antequam de seruis. Hoc verò vult vt per præcedens caput etiam seruorum conditionem intelligamus. Et per ea quæ ibi dicta sunt cognoscamus de seruis, qui nobis erunt diuturni, aut temporales, itaque sententia textus hæc est.

Seruorum conditio & erga dominos affectus habetur ex duodecimæ domus signo, aut signis & locis, qui hunc aspiciunt: præcipuè verò sexto, inde octauo atque secundo tam secundum ipsam genituram, id est, Planetas ibi hora natiuitatis constitutos, quàm etiam Planetas, qui hæc loca ingrediuntur. Vtpote si Mars ingrediatur signum sextæ domus, habebit eo tempore seruum infidum & malum. Si Iupiter signum duodecimæ, habebit seruum, aut famulum fidelem, bonum & frugi. Si Venus, gratum amabilem & iucundum. Et si gubernatores huius duodecimi loci fuerint in præcipuis locis genituræ, serui domino imperabunt. Si in deiectis, negligentur ab illo. Si in septimo loco, aut in opposito domini horoscopi, ipsi aduersabuntur. Si in opposito Solis detrahent existimationi eius, & ita de aliis.

Cùm verò Principum serui etiam amicorum loco habeantur, & quorum loci principales conuenientes, vt Sortis, vel horoscopi eleuantur super alium hi dominantur amico, vel signum subsequens, necesse est inter tot seruos, & amicos Principis vnum inueniri cuius nutu omnia agantur. Et ita quilibet Princeps vnius ex familiaribus consilio agitur. Is vt fuerit prudens, aut fœlix, aut contrario modo fortunam Principis circumagit. Et quia hæc fortuna plerunque ex fixis stellis pendet, ideò tales plerunque sunt ambitiosi, immoderati & malorum morum. Quibus si erraticæ non subscribant prauus plerunque exitus succedit. Illud etiam obseruaui eos, qui Libram habebant in ascendente sponte inseruire mihi, quod Libra signum sit sextæ domus, & in eo beneficæ. Per idem si seruus in horoscopo habeat signum decimæ domini, imperabit domino. Hoc tamen nondum obseruaui.

CAPVT IX.

TEXTVS LVIII.

De Peregrinatione.

QVæ verò ad peregrinationem spectant colligimus ex luminum amborum erga angulos statu, magis verò Lunæ.

Par erat motum illum & habitationem sequi luminarium statum ob illorum potentiam. Tum maximè quod ex peregrinationibus conditio, & existimatio hominis persæpe mutatur. Proposuit autem Lunam, quia ipsa significat qualitates animi naturales, vt inconstantiam, desiderium nouas regiones videndi & talia. In angulis luminaria sunt quasi firma, in cadentibus velut homo cum pede vno super Sphæra stans, nam non potest sic diu quiescere.

TEXTVS LIX.

Occidens enim hæc aut ab angulis decidua, peregrinationes, locorumque mutationes indicat, quod propemodum, etiam Mars aliquando præstat, siue occidens & ipse, siue ab angulo, qui vertici incumbit decidens, quando luminaribus ex opposito, aut quadrangulo loco situs est.

Planetæ in occidente parum videntur, & ob id etiam rem, quæ diu non videatur significant, hominesque aut breuis vitæ, aut peregrinantes diu vitamque procul à patria agentes: nam & qui moriuntur, & qui in aliena morantur regione non videntur ab amicis & ciuibus. Luna igitur in septimo loco, vel etiam Mars mortem in iuuentute significant, aut peregrinationem. Quia, vt dixi, peregrinatio est mortis vicaria: Significant & mortem repentinam, Mars quidem ob propriam naturam, quæ violentam mortem affert, violenta autem mors plerunque etiam repentina est, Luna quod in eo centro subitò abscondatur. Violentas igitur & repentinas mortes malè collocati hi Planetæ in hoc angulo significant: vbi bene, moram extra patriam diuturnam. Sed in cadentibus ab angulis cum locus ille non occidat, quemadmodum septimus, vt suprà docuimus, nunquam mortem minatur, sed peregrinationes, nec adeò perseuerantem absentiam, vt in septimo loco significant. Septimus enim locus angulus est. Assumit autem in Marte ex decedentibus tamen, qui sunt quatuor 12. 9. 6. & 3. solum nonum, quod hi qui sub terra sunt non possint tantum promouere animum vt ad peregrinandum inducant. Tertius tamen locus (quia vt sæpe dictum

dictum est apud Ptolemæum oppositorum eadem est ratio, vt supra visum est 12. & 6. ad seruos, quamuis 6. supra morbos, 10. & 4. itemque 11. & 5. ad filios, horoscopi ad moram in patria, occidentis ad peregrinationes) significat breuia itinera 12. cum seruos significet, vt dictum est, non assumitur. Solùm igitur septimus & quasi ad moram extra patriam, nonus ad longas peregrinationes: Tertius ad breues sunt assumendi. Et in his Sol, Luna, & Mars Sol quia significat hominis totum statum & existimationem, Luna quia animam & valdè velociter mouetur, & Mars quia præest animi impetui. Non tamen id potest nisi luminarium alteri ex opposito, vel quadrato configuretur. Par enim est disiunctum, aut amicum illis non agitare mentem Est autem peregrinatio à quodam mentis æstu: quem vel sublata causa, vel voluptate inuisendi nouas regiones, leuamus: vel si inuiti peregrinemur vt in exilio, æstum illum augemus.

TEXTVS LX.

Si verò & pars fortunæ in signis peregrinandi authoribus extiterit, vitam omnem & conuersationes, actionesque vniuersas in peregrinatione exequuntur.

Quatuor loca principalia esse docuimus Solis, Lunæ, Sortis, horoscopi, horoscopus non potest esse in septimo, vel nono loco, relinquitur vt assumamus Sortem. Si igitur Sors cum Luna, vel Marte sic posito, vt diximus fuerit in septimo loco, vel nono, cùm Sors, cum Luna se habeat, vt horoscopus ad Solem, perpetua itinera, aut moram extra patriam declarabit. Erit autem hoc diuitiarum causa.

TEXTVS LXI.

Benefici igitur hæc loca intuentes, eísve succedentes, honorificas præstant & lucrosas perfectiones, reditusque celeres & expeditos. Malefici contra laboriosas, damnosas, & periculis obnoxias, & impeditos reditus, nusquam tamen omittere conuenit temperandi decreti rationem, secundum authoritatem vniuscuiusque inspectantium, quemadmodum in prioribus disseruimus.

Loca sunt Lunæ, vol Solis, vel Martis, vel Sortis, cùm in septima, vel nona, vel tertia domo fuer nt, vt dictum est. Sed quod dicit (Nusquam tamen &c.) Arabica Haly translatio clarior est, scilicet, quod hæc omnia temperamentum sortiuntur ex stellis, quæ his aspicientibus commiscentur. Hic textus videtur velle intelligere robur, aut debilitatem succedentium, seu aspicientium, non Planetas aut stellas, quæ aspicientibus commiscentur. Est enim καὶ ἐπικράτησιν, iuxta victoriam & excessum, scilicet, vt dixi, aspicientium vel succedentium inter se. Succedentes enim stellæ vt in textu, multum faciunt. Id est vt superiùs quæ in signo sunt subsequente.

TEXTVS LXII.

Ferè autem ad orientalium quadrantum directis locis, si luminaria reperta fuerint versus ortum, & meridiem itinera instituuntur. In occidentalem verò, aut in ipso occasu, septentrionem versus & occidentem.

Dubitatur quomodo in orientalibus quadrantibus possint esse luminaria in hoc casu, cum solum in septimo & nono loco itinera significent, qui partes sunt quadrantis occidui? Deinde quomodo solum luminaria accepit cùm sint quatuor, vt visum est superiùs itineris significatores Sol, Luna, Sors, & Mars? Ad hoc facilè respondemus dicentes Solem & Lunam esse principales, & sub eorum ratione intelligi debere Sortem & Martem. Vel quod hi duo significatores statum luminarium sequuntur. Ad aliud dicimus etiam 12. locum in Luna & Sole itinera significare: vt superiùs docuit: non tamen in Marte. Eadem ratione & tertium. Quadrantes orientales sunt, vt visum est ab horoscopo ad angulum cœli medij, & ab occasu ad angulum imi cœli: occidentales ab imi cœli linea ad horoscopi initium, & à cœli Medij initio ad occasum. In orientalibus igitur ad ortum & meridiem, in occidentalibus & in ipso occasu (vt intelligamus occasum, licet sit angulus & superius à decidentibus locis separatum tamen sub generali quadrantis ratione comprehendi) ad occidentem & septentrionem. De oriente & occidende clara per se est ratio, sed de septentrione & meridie non ita Dico igitur quod septentrionem orienti adiunxit, & meridiem occidenti, quoniam cum Planeta est supra horizontem, seu finitorem, ascendens est in oriente, & ascendit ad locum meridiei: igitur isti duo loci sunt affines. Et similiter cum descendit à liena medij cœli peruenit ad occidentem, & quia tunc est in occidente manifestà, igitur vt orienti succedit meridies, ita occidenti septentrio: igitur quadrantes occidentales habent rationem occidentis & septentrionis. Debet autem legi disiunctim hoc modo: si quadrantibus orientalibus ad orientem vel meridiem, si in occidentalibus ad occidentem vel septentrionem. Aliter nullus iret ex Italia in Hispanias, quia sunt positæ ad occidentem & meridiem, nec ex Gallia in Germaniam, quia positæ sunt ad septentrionem orientalem.

Sunt præter hæc consideranda in Luna, & Marte latitudines, & ascensus ac descensus, Borealis latitudo iter ad Boream, item Planetæ ascendentes significant, vt descendentes vel habentes latitudinem Australem ad Austrum. Sed Ptolemæus non posuit regulam, nisi omnibus quatuor significatoribus

communem,

communem, Sol autem & Sors ascensu, & latitudine omni carent.

TEXTVS LXIII.

Ac si vnius figuræ sint, quæ itineribus causam dant, signa siue illa ipsa, siue gubernatores horum Planetæ, rarius & non nisi quando commodum est iter, significat. Si verò duum corporum aut formarum, continuum multoque tempore.

Hoc clarius est, quàm quod mereatur expositionem: nam Sol aut Luna, aut Sors, aut Mars, quicunque itineris significator extiterit, & domini loci eius in quo est significator, si fuerint in Geminis, Virgine, Sagittario, vel Piscibus, iter diuturnum & continuum significant: In aliis verò signis rarius, & non nisi commodum.

TEXTVS LXIV.

Iuppiter igitur & Venus domini constituti locorum & luminum, quæ perfectionem significant, non solum periculis nullis expositas, sed placidas etiam peregrinationes decernunt, aut enim à præfectis earum regionum, aut amicorum causa legati proficiscuntur, fauet aëris constitutio, & sine indigentia opibus affluunt. His si Mercurius accedat sæpe numerò propter iam dictam felicitatem adiumenta, & dona accumulantur. At verò Saturnus & Mars luminaria occupantur maximè si mutuo sibi opponantur, inutilia hæc omnia & periculis inuoluta ingentibus: in humidis reperti signis, per difficiles nimirum nauigationes & naufragia, aut per inuia desertaque loca: in fixis verò per præcipitia & tempestates ventorum. In tropicis & æquinoctialibus per inopiam rerum necessariarum, & affectâ valetudine: in humanæ figuræ signis per latrocinia, & insidias, & regum violentiam: in terrestribus, per ferarum inuasiones aut terræ concussiones. Mercurio accedente per ea, quæ in sublimi fiunt, & accusationes periculosas, verò per reptilium, aliorumque venenatorum ictus.

Hic vt in sequenti capite docebit non solum Zodiaci signa, sed quæ extra illum sunt intelligit. Humida signa à proprietate accipit, non à quadrantibus: Eruntigitur vt Cancer, & Pisces, & Scorpio. Humidum enim inutile continent & aquas significant. Sic Delphin & Argo, extra signiferum. Fixa sunt quatuor, vt docuimus Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. Sed cur fixa significant præcipitia & ventos, humida verò deserta. Humida cum significent mare, & lacus & flumina, & hæc non habitantur, inquit Haly, similitudine quadam significant omnia loca deserta. Fixa significant terram & rupes, & ideò præcipitia & ruinas: Et venti sunt causa ruinæ. In signis tropicis & æquinoctialibus, quæ sunt Aries, Cancer, Liber & Capricornus, quia hæc mutant aërem faciunt morbos, & corrumpunt aquas, ideò significant inopiam necessariorum. Experimur enim quod signa æquinoctialia corrumpunt aërem, & tropica maximè faciunt abundantiam, aut penuriam aquarum à quorum vtroque fit sterilitas frugum & fructuum. De signis humanis clara est causa: Quæ sint, dictum est in primo libro. Extra Zodiacum tamen sunt Perseus, Auriga, Cephæus, Andromeda, & alia etiam, vt in supplemento videre potes. Vel apud Ptolemæum, vel in Sphæra. Terrestria sunt, quæ terram gradiuntur, vt Aries, Taurus, Leo, Scorpio, Sagittarius Capricornus, & extra Zodiacum serpentes, magnus scilicet, & ophyuchi, & lepus, & canes. Ideò significant feras insultantes, & quia in terra perpetuò manent etiam terræ concussione. Sed Mercurius accedens per tempestates aut fulgura, quia ipse est ventorum author: Et per accusationes, hæ enim sermone fiunt, Mercurius autem est sermonis author (Et per reptilium aliorumque venenatorum ictus) id est, cùm fuerit in signis ferarum: feras enim minores significat Mercurius, quæ non nocent homini nisi veneno, ideò cum damna significat, venenosa etiam animalia significat, cum paruis tantum præsit non magnis.

TEXTVS LXV.

Peculiaris horum decretorum ratio, quæ vtilia, quæque noxia sint, ex differentia eius quod causam dat, locorumque causam compræhendentium, opificiorum & possessionis, valetudinis & dignitatis, iuxta horum, quæ prima est præcipuaque constitutionem accipienda est,

Si velis scire propriam causam iacturæ, aut vtilitatis, vide locum, qui est causa itineris: vtpote in nostra genitura omnia quatuor dant causam itineris Sol, Luna, Sors & Mars. Sol propter honorem quandoque ob partem, Luna ob desiderium videndi regiones, & propter vxorem, aut matrem, Sors ob lucrum, Mars ob negocia & maximè bellica, & res graues. Dabo igitur exemplum de Marte, vt intelligas de aliis. Mars fuit dominus loci decimi, & ipsum aspexit Sol, & fuit in dignitatibus Mercurij, qui est sub qualitate & conditione Veneris ex toto, cum sit in domo illius applicans mutuo congressu illi, & ei iuncta. Significat igitur duo magna itinera, alterum occasione discendæ eruditionis, & fuit Patauium, & ad Saccese oppidum, in

in quo ſex annis perpetuis artem medicam exercui: Et hoc ſignificabatur à Marte commixto, Veneri & Mercurio : Reliquum à Marte commixto Soli occaſione medendi principem, & hoc fuit in Scotiam, vt ſuo loco docebimus. Senſus igitur textus eſt: Si velis ſcire differentiam & naturam propriam euentuum bonorum, & malorum in itineribus, ſcies ex duobus, ex cauſa itineris, ſeu illius proprio ſignificatore, ſeu ſignificatoribus ſi plures fuerint, & locorum qui configurantur huic principali loco, aut ſi non ſint qui configurentur, qui imperent: Si enim comprehendunt & principalis dominus, aut configuratus ſiue vno verbo ex his, qui comprehendunt principalior, ſeu principaliores cauſam demonſtrabit ſecundum ſignificatum ſuum. Nam ſi dominabitur Sorti, erit cauſa opum: ſi loco Solis, cauſa dignitatis: ſi Medio cœli, cauſa artis propriè. Idem continget ſi aſpiciat tales ſignificatores, licet non dominetur illis. Et quia contingere poteſt vt ſint plures comprehendentes locum itineris, qui habebunt diuerſa ſignificata, dicit aſſume ex his principaliorem, id eſt, qui magis illum locum habet in ſua poteſtate, vel propter exactiorem aſpectum, vel quia maiorem in loco illo habeat dignitatem.

TEXTVS LXVI.

Temporum verò quibus maximè ſignificationes apparent ex figuratione incurſus temporum ſuccedentium. Et hæc quidem hactenùs explicata ſunt.

Intelligit tempora eſſe ſumenda ex directionibus, quæ explicata ſunt hactenus, id eſt, in capite de vita. In his conſiderandi ſunt incurſus, ſcilicet quo tempore eueniant. Nam cum ſint duæ generales temporum venandorum rationes, directio & ſitus ſignificatorum, reſpectu mundi & Solis. Itinerum tempora ex ſitu reſpectu mundi non licet inuenire, cum plerunque ſignificatores, vt viſum eſt ſint in occidentali parte, ſcilicet ſeptima, vel nona domo. Perit igitur & ratio ſumpta à ſitu quoad Solem: relinquitur igitur ſola directio. Incurſus loci ſunt, loci dominorum locorum principalium, & loci alij principales. Et tūc oportet obſeruare, qui Planetæ ea loca aſpiciant, vt in capite dicto. Propterea dixit (Et hæc quidem hactenus explicata ſunt) Id eſt, non ſolum incurſus tempora te docui, ſed quæ cum illis incurſibus ſunt conſideranda. Illud ex hoc nobis fit manifeſtum, plurimos ſignificatores plurima itinera ſignificare, quoniam ſæpius ſignificatores per directiones aſcendenti occurrent. Contrarium continget cum ſignificatores pauci fuerint.

Solùm dubium relinquitur cur nonus locus cum ſit cadens, tamen vehementem affectum ſignificet erga itinera? Videtur enim quod imbecillis locus nihil magnum poſſit promittere. Ideò altius hæc quæſtio eſt repetenda: Nam anguli ſunt robuſti, vel quia nullum faciunt angulum, cum regione vt horoſcopus & occidens: Vel quia rectum, vt cœli Medium & Imum. Rurſus loca alta plus influunt quàm humilia, exemplo lapidum qui iaciuntur: nam vt ex altiore loco ita vehementius percutiunt. Et ideò 11. domus 10. & 9. plus poſſunt, quàm 8. vel imum cœli quandoque plus quàm 7. Quæverò ſuccedunt domus adhuc multum poſſunt, quia ad angulos motu firmamenti ſtellæ & ſigna, quæ in eis ſunt accedunt. Sed quæ ab angulis cadunt, partim quod angulum minimum faciunt, vt 12. ſupra regionem tropici hyemalis inſtar, & ad imitationem cum Sol ibi minimum poſſit, partim quod finiant poteſtatem anguli vt mors in animalibus, & finis magiſtratus parum poſſunt. Nonus tamen locus quod ſublimis ſit non ſolum in itineribus, ſed etiam in vita poteſt, & pluſquam octauus, quamuis ille ſuccedat angulo & hic cadat. Locus igitur hic validus eſt, & ſolum decimi comparatione debilis eſt. Itaque Planetæ non poſſunt quod in decimo loco, & homo agit, quæ ſunt minora decretis à cœli medio, & itineri accingitur. Propterea qui iter agunt omnia alia negocia relinquunt. Erga nona domus valida eſt, ſed in nullo quòd à decima poſſit ſignificari.

CAPVT X.

TEXTVS LXVII.

De Morte.

CVm reliqua ſit ex omnibus de mortis genere contemplatio, primùm ex iis, quæ de vitæ ſpacio docuimus, conſtare oportet: Vtrum ſecundùm radiorum ductationem interemptio, an ſecundùm dominantis ſyderis occaſum accidet. Nam ſi iuxta radiorum ductum & occurſationem eueniat interfectiò; locum occurſus in conſilium adhibere pro mortis genere coniectando oportet. Si verò iuxta occaſum, illum ipſum occaſus locum. Quales enim fuerint ſiue ij, qui dicta loca ſequuntur, aut ſi nulli ſequantur, qui primi aliorum ad ea feruntur, tales nimirum è vita deceſſus futuros opinandum eſt, quorum natiuis ſignificationibus, vt varietatem illam euentuum complectamur, configuratorum aſtrorum, locorumque interemptoriorum peculiares ſignificationes coniungemus, tam pro ſigniferi, quàm finium natura.

Sententia hæc talis eſt: conſidera locum Anæretam, qui per directionem Aphetæ occurrens mortem indicat, vt ſuperiùs

declara

declaratum est, siue is sit Planeta, seu locus occidentis: & quales fuerint Planetæ ordine signorum illis succedentes aut si nulli sint tales, qui antecedunt, proximus, & hi genus mortis principaliter decernunt. Post naturam loci interimentis & Planetas, qui loco succedenti, aut antecedenti si succedens desit configurantur. Et etiam iuxta naturam signorum ipsorum tum finium in quibus principales mortis significatores inueniuntur: Exemplum in septima genitura Apheta fuit Luna, Anæreta 22. pars Libræ aspiciens nonam Piscium, qui est locus Saturni. Dicemus igitur quod mors erit principaliter ex natura Mercurij, qui succedit loco interficienti, & hoc est primum & principale. Secundùm est locus interimens pars 22. scilicet Libræ: Deinde Planetas qui configurantur Mercurio, & est Luna, quæ est in imperanti cum eo & in Anæreta considerat naturam signi & finium. Natura signi ad locum pertinet, finium autem ad Planetas. Velut in exemplo dato loci sunt 22. pars Libræ, & 24. eiusdem & 2. pars Virginis. Et in loco Anæretæ considerabimus naturam Libræ, & naturam Mercurij domini illius finis. Non considerat Planetas configuratos Anæretæ, quoniam idem esset author mortis & modi semper: at hoc non est verum, igitur Anæreta alius est à significatore qualitatis mortis: Et est pulchra ratio, & efficax. Nec considerat dominos signorum, quia cum mors sit res quædam propria potius competit proprio domino loci, id est, finis, quàm signi, id est, domus, aut exaltationis, aut multominus trigoni. Nec considerat locum succedentem, aut aspicientem, quia est debilis cum quatuor habeat significatores ante se. Quorum primus est locus succedens, seu Planeta vel radij eius, vel fixa aut antecedens, qui fertur ad Anæretam motu proprio Planetæ iuxta signorum ordinem. Secundus dominus finis Anæretæ. Tertius signum Anæretæ. Quartus Planeta vel est stella configurata loco succedenti, aut antecedenti significanti mortis qualitatem. Et hos significatores omnes vocabimus Piothanatos, id est, qualitatem mortis decernentes.

Considerare decet in morte Planetas, qui loco promissoris configurantur per partem, & maximè si præsentes sint, & beneficæ præsint, liberant ab exitio: Sin autem inimicæ aut contrariæ natura loci, & alienæ ab horoscopo, & eius domino mortis genus magis deprauant.

TEXTVS LXVIII.

Saturnus igitur morti præfectus, obitus efficit post diuturnos morbos, & tabes, & humorum deflexus, & febres, per lienis aquæ intercutis, colicas, vteriúe affectiones, & quotquot ex frigoris multitudine constant. Iupiter verò ab angina & peripneumonia, apoplexia, & conuulsioni bus, capitisque doloribus, & stomachi, & quotquot à pulmonis peruersa constitutione proueniunt. Mars à febribus continuis & tertianis, & repentinis plagis, & renum affectionibus, sanguinisque excretionibus & defluxu, abortionibus & partu, sacro igne, & pestilentibus morbis, quíque per inflammationem & feruorem eueniunt. Venus per stomachi, & hepatis affectiones, impetigines, & dysenteriam mortem infert. Amplius verò per vlcera, pustulas, & fistulas, & adhibita pharmaca, ac denique quotquot humore nimium increscente, aut corrupto nascuntur. Mercurius per insaniam & amentiam, & ex atræbilis copia proficiscentes lapsus, per quæ comitiales morbos, & tusses, & crebras expuitiones, & quotquot siccitate copiosa, & corrupta constant.

Textus hic per se clarus est, sed tamen quædam intelligere oportet. Primum quod hæc natura Planetarum conuenit, & succedenti loco Anæretæ seu antecedenti, & domino finis Anæretæ aspicienti succedentem locum Anæretæ.

Considerandum etiam quod longè plures morbi esse possunt, sed per genera hic ponuntur: Saturnus frigidos, melancholicos, crudos & ideò longos, & qui cum liene communicant. Iupiter sanguineos, & qui cum iecore, & pulmone consentiunt. Mars à bile calidiore & febres, & qui cum felis vesica participant. Venus à pituita & humido, & qui cum ventriculo rem habent. Mercurius mixtos, varios, in constantes, occultos, & qui cum cerebro patiente fiunt.

Præterea hæc omnia ita intelligenda sunt, vt discrimen membrorum animaduertas superiùs positum, vbi de Planetarum significatis super membra agitur.

Est etiam considerandum hic Ptolemæum agere de morbis, qui ad mite mortis genus hominem agunt principaliter, inde etiam ad alia genera mortis posset traduci, sed non ex intento. Rursus cum constet Iouem, & Venerem non esse Anæretas, non loquitur hic de Anæretis, vt dixi, sed de præsidentibus fini Anæretæ, vel succedentibus illi, aut aspicientibus succedentia loca. Et si quis dicat cur ergo non connumerauit luminaria cum ipsa possint succedere, & præ esse Anæretæ vel aspicere succedentem locum? Respondeo quod luminaria non significant vllam qualitatem propriam, vt visum est in secundo libro, sed solum mortem illustrem, & claram de qua in sequenti textu agit.

TEXTVS LXIX.

Miti igitur hoc moriendi genere è vita discedimus, cum mortis authores in propriis domesticis-

suæ naturæ suæ conuenientibus locis reperiuntur à nullo superati, qui maligniorẽ illustrioremque exitum reddere possit. Violenta verò atque conspicua morte decedimus, cum aut vterque maleficus imperat interemptorio loco, aut per congressum, aut per radios quadrangulos oppositosúe: aut alteruter eorum amboúe Solem, aut Lunam aut vtrunque luminare malefico affecerint: vbi mortis quidem malitiam ab eorum congressu constitui putabimus.

Quatuor mortis genera intelligis, mitissimum cum quis absque violentia, & strepitu quasi naturaliter morbo aliquo decedit, de quo in superiore textu tractauit. Et ob id dixit (Miti igitur hoc moriendi genere) non miti igitur moriendi genere, vt doceret, nos per (hoc) verbum quod in superiore textu de naturali quasi & miti morte egerat. Hoc igitur contingit cum Piothanati non superabuntur neque dominio nec radiis quadratis, vel oppositis à contrariis stelis maleficis, nec etiam luminaria ambo. Hoc verò non ita percipitur sicut si intelligamus quot modis violenta mors fiat. Hoc verò nũc docebimus.

Secundum mortis genus est violentorum, primum cum vterque maleficus, vel Mercurius sub alterius vice imperat Piothanato primo illi aduersus & inimicus, aut iungitur illi, aut eum quadrato, vel opposito pulsat radio, hostili natura non amica, scilicet quod non sit dominus loci: Et tunc si mors violenta, sed non publica tamen. Intellige non amica cum iungitur, non cum aspicit. Nam cum malefico aspectu respicit, etiam si dominetur loco, interficit crudeliter.

Tertium est violentum & publicum, cum malefica vna ambo luminaria, vel Piothanatum & luminare, vel duæ maleficæ luminare vnum, vel singulæ singulum, vel vna malefica Piothanatum altera luminare pulsauerit: vt fiant quinque modi. Et cum dico pulsauerit, intelligo vel quod dominetur, nec aspiciat bono aspectu, nec iuncta sit, & quod eleuetur super eum locum quem pulsat: vel quod aspiciat ex quadrato, vel opposito & sit superior. Ita vt tres conditiones in primo modo, & duæ in secundo intelligantur generalium, quorum alteruter semper est necessarius vnicuique ex quinque modis significantibus tertium mortis genus, quod est violentorum secundum.

Qartum genus, violentorum autem tertium est, cum corpora eorum exponuntur dilaceranda auibus & canibus, de quo dicemus in fine capituli. Et circa has tres vltimas mortis violentæ differentias obseruare, oportet morem regionum & legum, in quibus mors contingit. In Gallia enim plerique exponuntur, in Italia non ita: Apud Germanos etiam, & Turcas crudeliora sunt mortis publicæ genera pro eisdemmet peccatis, quam apud Gallos, aut Italos. Modi etiam alij aliis in locis occidendi: in Anglia, Gallia & Italia frequens laqueus, apud Germanos rota, apud Turcas palus. Sunt etiam conditiones hominum considerandæ, nam principes rarò nisi securi percutiuntur, non laqueus, multò minus rota vel palus adhibetur. Miserorum hæc sunt supplicia, potius fortunæ quàm sceleri debita. Namque si ad scelera respicias, multi sunt Principes quibus si iure æquo res ageretur, non mille pali, aut rotæ, aut ignes sufficerent, & tamen vix etiam simplici morte mulctantur.

TEXTVS LXX.

Magnitudinem verò à luminum testificatione. Genus verò ab astrorum reliquorum intuitu & signis, quæ à maleficis occupantur.

Luminaria faciunt, vt dixi, claras mortes & illustres, scilicet publicas, & quæ in conuentibus hominum celebrantur: Et hæc est, magnitudo, vt dixi.

Genus dicit (rursus) quia genera mortis mitis iam explicauerat ex astrorum reliquorum intuitu, scilicet ad Piothanatum, vel locum luminaris, vel maleficas alterutrum respicientes. Et similiter ex signis, imò potius figuris tam intra zodiacum, quàm extra in quibus Piothanatos, vel luminare malè affectum, vel malè afficiens malefica inueniuntur. Et nota quod magis si in angis extiterint maleficæ hoc faciunt, vel si luminaria, vel Piothanati in cadentibus fuerint. Nam cum in cadentibus fuerint luminaria & Piothanati, faciliùs super ea maleficæ eleuantur. Cum verò cadentes Planetæ vt in priore capitulo & maximè luminaria, moram in alienis regionibus nato significent, eò fit vt longè plures in aliena patria, quam in propria morti publicæ exponantur.

TEXTVS LXXI.

Enimuerò Saturnus Solem quadrangularibus radiis præter conditionem feriens, in fixis quidem à multitudine obrutos, aut strangulatos suffocatosúe curat, ita si occidat, Lunæque succedat. In feralibus verò signis, à feris interimendos, ac si Iupiter suffragetur, & ipse maleficio imbutus, in locis publicis, aut celebribus, interdum ad bestias damnatos. In occasu vtriuis luminarium oppositus, in carceribus vitam finientes. Configuratus Mercurio, potissimè si id circa serpentes, qui in sphæra sunt, aut terrestria signa eueniat, à morsu venenatorum morientes, his verò si Venus accedat veneficiis & fœminarum dolis. Quod si in Virgine, & Piscibus, aut aquaticis signis Lunæ configurantur in aquis suffocandos, circa Argo

nauem

nauem etiam naufragiis succumbentes. In tropicis Soli congrediens, aut oppressos, aut Marte vice Solis, à ruina opposios, quod si cœli medium obtineat, ac alto præcipitandos.

Ne quid intactum relinquamus tota hæc particula, quæ ex his verbis habet initium) violenta verò atque conspicua(tranferri potest, vt intelligamus Planetas, qui eleuantur maleficos non super Piothanatum primum, ib est, succedentem loco interficienti, sed supre ipsummet locum interficientem. Inter has expositiones, quæ sit verior exemplo præclaro 11. genituræ inferius edocebimus. Nũc ad textus interpretationem accedam.

Inquit igitur (præter conditionem (quia oportet interemptorio loco, id est, Piothanato infestum esse, hoc enim superius visum est. Seu loco interficienti propriè qui sensus magis arridet, seu succedenti, aut antecedenti. Proponit igitur 11. casus, qui quasi per tabulam subiiciuntur. Dixit quadrangularibus radiis, vt intelligamus de oppositis multò magis intelligendum esse. De trigonis aut hexagonis nequaquam.

1 Saturnus Soli in fixis, lapidationem, aut suffocationem igne vel aqua.

2 Saturnus Soli in ferialibus, à feris dilaniandos.

3 Saturnus Soli cum Ioue imperante Anæretæ, vel quadrato respiciens Saturnum, expositos publicè feris.

4 Saturnus Soli, aut Marti in tropicis iunctus oppositus, ruina opprimendos.

5 Saturnus Soli, aut Marti in tropicis iunctus, aut oppositus in cœli medio, ab alto præcipitandos.

6 Saturnus Mercurio iunctus oppositus, aut ex quadrato in serpentibus, aut terrestribus, venenatorum ictu.

7 Saturnus Mercurio, vt est & Veneri congrediens, ex veneficio, & fœminarum dolis.

8 Saturnus occidens & Lunam sequens Arabes legunt præcedens, suffocatos igne vel aqua.

9 Saturnus Lunæ in aqueis signis, aut Virgine configuratus, aquis suffocandos.

10 Saturnus Lunæ in Argo configuratus naufragio mergendos.

11 Saturnus in occidente seu Soli, seu Lunæ oppositus, mortem in carceribus nuntiat.

Nunc verò subiicienda sunt, quæ ad amplificationem prædictionis & textus pertinent Nam verisimile non est primum solum his modis violentam mortem Saturnum inferre: nec etiam omnes, qui istis modis moriuntur sic necessario Saturnum habere collocatum. Tria igitur requiruntur vt Saturnus sic occidat. primum vt infestus sit loco mortis, aut domino eius: Secundum vt sit in quadrato, vel opposito luminaris, aut Mercurij saltem, ita tamen vt Mercurius sit dominus loci mortis. Tertium non est generale, sed tamen vt plerunque sit in occidente, ne angulo cœli medij.

Obseruandum, quod Saturnus maximè offendit in occidente, quia occidens habet vim septentrionis vt visum est: frigidum & læthiferum, & hæc est natura Saturni: ideò nullo in loco Saturnus tantum offendit quantum in occidente: Sicut nullo in loco Mars quantum in medio cœli: hic enim locus meridiei vicem gerit & est calidus, & siccus, & natura Martis similiter est calida & sicca ideò ibi furit Mars, & maximè quia est in sublimi. Ideò hac ratione par est Iouis vim in oriente confirmari & quasi ibi Planetam illum gaudere.

Obseruandum etiam est cum dicit congressum intelligi debere coniunctionem, quadratum, aut oppositionem, sicut exposui in sexto modo, vbi textus dicit (configuratus Mercurio) pro eodem autem accipio congredi & configurari. Sed præter id intelligitur quod sint etiam in intuentibus gradibus, non dico signis, aut imperantibus, & obedientibus, & maximè quod Saturnus sit in imperante, alius Planeta, qui afficitur in obediẽte. Et si nõ sit gradus exquisitus, sit valdè propè, vt in septima genitura Saturnus aspicit Mercurium. Sed vterque est secundum naturam loci mortis, qui est in Libra.

Tertio diligenter aduertendum, quod alia est ratio mortis naturalis, alia violentæ: in morte naturali sicut contingit ei, qui famem patitur, aut venenum iam sumpsit, ipsa perficitur statim, vt causæ interimentes Aphetæ occurrunt, cum consensu tamen exitus annorum & reuolutionis stellarum, vt superiùs habuimus. At in violenta morte contingit secus, sed fit vt in eo, qui vult aliquem occidere, expectat centies occasionem, quæ cùm euenit, inuadit & occidit: & quando non occidit, sed vulnerat tantum, quandoque etiam ille effugit. In astrum quod debet perimere violenter, est paratum in omnem occasionem, ideò infligit pericula, & metus in eo genere sæpius, antequam occidat Fuit paucis ante annis tabellio quidam, qui bis suffocationis periculum incurrit, vbi cum plures alij essent nemo periculum subierat, tertiò post aliquot annos suffocatus est, vbi etiam multi transierant, imò seruus suus ante eum & absque damno & periculo. Ita homo potest faciliter fati genus præsentire cum viderit pericula manifesta in eo & damna etiã. Caueat tamẽ quia idẽ significator multa genera mortis significat, quæ nobis videntur valdè diuersa, & tamen inter se sunt affinia, vt strangulatio, suffocatio in aquis, & à ruina. Item ruina & casus ab alto multum differre videntur, & tamen sunt affinia, sicut etiam cum his ictus à machina procul. Similiter venenum, morsus canis rabidi, & veneficium inter se. Et item casus ab equo, & ab alto, & morsus canis inter se, non tamen casus ab alto & venenum. Et ita oportet bene considerare affinitatem horum generum mortis, quæ etiam mutatur vt dixi, iuxta reditus Planetarum & fines annorum.

Ex hoc patet quod illi, qui dicunt si Saturnus fuerit in tali loco talique signo in opposito talis Planetæ, vt Albubathar & Haly Abenragel, & alij Arabes, natus morietur ex tali, vel tali morte, vel honores habebit,

aut diuitias, aut contumeliam patietur, nihil dicunt: quia oportet vt adsit radix, scilicet vt Planeta ille dominetur loco significanti talem rem, de qua pronuntias.

Veruntamen est quod Saturnus in occidente, vel Mars in medio cœli congrediens aliquo quinque modorum, aut eleuatur super luminare, vel Planetam, adducit magna inconuenientia propter tres causas: Prima est quod vix fieri potest quod ille Planeta cui malefica congreditur, non habeat aliquod dominium vt ita loquar, in illa genitura & ita inficit, & euertit quod ab illo significatur: Secunda quia in directionibus occurrit quandoque locus significator opposito loco, vel quadrato talis Planetæ & ita offenditur res significata per significatorem illum: Tertia quia Planetæ superuenientes & natiuitates filiorum, & parentum, & talia vt vxoris, cum occurrunt, & potissimum inimicorum, & amicorum, euertunt multa significata, & inducunt lites & discordias.


Amplificatio verò contingit, quia in primo modo etiam fiet capitis amputatio, quæ est loco suspensionis: Et ictus machinæ, & sagittis configi, & in cruce poni olim, quæ cōsuetudo abolita est ob Seruatoris reuerentiam. In tertio modo cum abolitus sit hic mos Romanorum, & Barbarorum, & meritò non solum ob crudelitatem, sed etiam quia non par est humanam naturam ferinæ subiici, etiam in damnatis. Sed loco eius erunt vltima supplicia lacerari à quatuor equis, qui mos adhuc in Gallia viget: insui rotæ, vt apud Belgas & Germanos: infigi palo vt apud Turcas. In secundo est cadere ab equo, morderi à rabidis canibus & lupis, licet non dilacerentur. In quarto modo est etiam ictus machinæ, casus arboris, vt contigit fratri Petrimartyris Publicani, & qui sub terra viui sepeliuntur, & qui casu obruuntur. In quinto casus in foueam, ex equo, ex curru. In sexto acu pungi, vt multos sic vidi perire, vulnerari ense imbuto lætali veneno. In septimo comedere cicutam casu, vel apium Sardonicum amentes & lymphatici. In octauo cadere in puteum, in foueam, obrui cœno, obrui nimbis nocte superueniente, vt in fuga quandoque contingit. Suffocari in domo nona, ex fumo carbonum, à nutrice. In nono propter vini etiam copiam hausti. In decimo in cymba, super ponte, in pugna nauali. In vndecimo mori in carcere pedore, & squalore, vel præcipitio, vel veneno, vel in edia, vel in imo turris, vel ob tormenta, vel ob metum. In exilio proscriptum, relegatū, ad insulas desertas vel in solitudine.

Amplificatio à causis est quod ille cui pater suspendio periit sufficiet, vt habeat Saturnum malè dispositum in occidente Solem aspicientem, etiam si non sit in signo fixo. Vel quod sit in signo fixo ibi & succedat Soli. Et ille qui habuerit Saturnum in quadrato Solis, & Lunæ coniunctorum, licet non si in occidente, sed tamen sit gratia exempli in loco inimico, vtpote in Capricorno vbi Luna cadit, & Sol, ac Luna in Ariete vbi cadit Saturnus, in carcere morietur. Sicut contigit Francisco Gadio, cui Saturnus in Capricorno fuit in sexta, & aspexit Solem & Lunam in nona coniunctos in Ariete. Iudicabis etiam ex fixis quandoque loco maleficarum, cum fuerint naturæ earum & valdè magnæ, scilicet à prima magnitudine vsque ad tertiā.

Ideò dico quod oportet considerare conditionem nati, quia vt dixi, magni viri haud facilè suppliciis horrendis plectuntur, & plerunque veneno, vel occultè in carcere, vel ad summum capitis amputatione. Considera etiam locum in quo morietur, & genera suppliciorum consueta illi ciuitati, aut regioni, & mores etiam nati, & ita satis propè rem iudicabis.

Vt autem melius rem intelligas de morte violente, quæ decernitur à Saturno, & est communior, scilicet suffocatio ab aquis, apposui genituram certam Leonharti Casanti Besuntini fratris eius, cuius est nona genitura exemplaris in fine libri posita. Fuit autem nobilis filius medici egregij Ioannis Casanati Hispani, & vt dixi, frater medici Guillielmi Casanati. Igitur in fine anni

Suffocati aqua natando.



Motus latitudinis.

♄	Stans	M	D	2	13
♃	Vel.	S	A	0	53
♂	Tar.	M	A	5	52
✱	Tar.				
♀	Tardis.	M	A	5	13
☿	Retr.	M	A	3	34
☽	Med.	M	D	4	42

29. cum esset extra patriam natando voluptatis tantum causa, interiit. Causa mortis est quoniam solus horoscopus fuit Apheta, & erat quadratus radius Saturni sub Ioue infelici: Et eo anno peruenit ad horoscopum in Virgine, quæ vt vidisti in textu submersionem significat, vt etiam in tertio Ptolemæi exemplo: Mercurius igitur fuit dominus primi Piothanati, id est, secundæ partis Virginis & secundi, id est, loci Iouis. Fuit igitur Iuppiter infœlix cadens ab altitudine & Mercurius dominus locorum mortis in sextili Lunæ, ex signis longarum ascensionem, & Saturnus in prima statione vbi plurimum mali infert. Stans etiam Planeta multa

multa mala facit, & nunquam cessat impedimenta afferre, cursu auctus magna. Sol quoque fuit cum Cauda Leonis stella procellosa. Finis anni præcedentis mortem, habuit Saturnum 28 45. ♐, Iuuam 7.12. ♓, Martem 18.19. ♍, Venus 16.54. ♌, Mercurium 5.12, ♎, Lunam 25.42. ♒, Sol in loco genituræ, Caput draconis erit in 23.11. ♏, Iupiter igitur ad oppositum loci proprij peruenerat, & ascendens ad 13. partem ♐ vbi Saturnus erat. Animaduertendum est etiam quod in genitura Mars, Venus, Mercurius, & Luna magnam & ferè eandem habuerant latitudinem meridionalem. Hora autem qua mortuus est inter sextam & septimam, à meridie diei 15. Iulij extra patriam. Planetarum loca: Saturnus 12.7. ♑, Iupiter 19.51: ♈, Mars 6.18. ♉, Sol 2.15. ♌ Venus 16.52. ♍, Merc. 3.18. ♌, Luna 6. 50. ♐, Caput 6,19. ♏, Saturnus igitur fuit in loco processus Solis eo anno. Et Sol iunctus Mercurio domino loci interficientis. Et Luna iuxta oppositum Saturni radicis. Ex quo patet veritas dictorum Ptolemæi, sed oportet vt altissimè eruantur.

TEXTVS LXXII.

Martis verò stella Soli præter conditionem, aut Lunæ infensa tetragonis oppositisve radiis, in signis humanæ figuræ in seditionibus, aut bellis interficiendos tradit, aut sibi ipsi qui manus inferant: fœminarum verò opera interimendos quando Venus illi testificatur. Quando verò Mercurius, à piratis aut latronibus, aut maleficis hominibus. In mutilatis & imperfectis signis, aut circa caput Medusæ, decollandos aut mutilandos. In Scorpione, & Centauro vstionibus sectionibusve, aut medicorum reuulsionibus è vita decessuros significant. In cœli medio imoue crucibus affligendos maximè circa Cepheum & Andromedam. In occasu horoscopo oppositus viuos comburendos: in quadrupedibus verò ruina, aut distractione vitam cum morte commutantes. Quod si & hic Iupiter testificetur simul prauitatem indutus, illustri rursus mortis genere decedunt, condemnatione nimirum, & ira principum ac regum.

In hac parte ponit nouem status à Marte quos illustrioris doctrinæ gratia hic subiicio.

1 Mars Soli vel Lunæ tetragonis, aut oppositis radiis configuratus in signis humanis, seditione, belloue, aut propria manu.

2 Mars alterutri eorum vt supra in humanis cum testimonio Veneris, fœminarum causa occidendos.

3 Mars vt supra in humanis cum Mercurij testimonio, à latronibus, vel piratis, vel maleficis.

4 Mars vt supra in mutilatis vt iuxta caput Medusæ, mutilandos, aut capite plectendos.

5 Mars vt supra in Scorpione, vel Sagittario vstionibus, sectionibus aut medicorum reuulsionibus.

6 Mars vt supra in cœli medio vel imo crucibus affigendos, maximè circa Cepheum & Andromedam.

7 Mars vt supra in occasu, viuos comburendos.

8 Mars vt supra in occasu, in quadrupedib. distractos, aut ruina oppressos.

9 Mars vt supra si ei malè dispositus Iupiter testificetur, illustri mortis genere perituros denuntiat, ob iram Principis, aut Regis.


Vsque ad quartum modum præsupponitur, quod Mars sit in signo humano: & causa effectuum cum à similitudine sumpta sit clara est. In quinto Scorpius, & Sagittarius sunt signa sicca, & autumnalia & malefica. Medicorum quædam salutis causa parantur, quæ tamen malè cedente auxilio, pernitiem afferunt. Nero etiam medicos vocabat, qui secarent venas, vt perirent. In sexto modo crux & suspendium è sublimi fiunt, ob id Mars in cœli medio & imo hæc significat, vt & rotarum supplicium, quod damnati suspensis rotis in aëre pendeant. Et supplicium Turcarum quod fit cum ferreis vncinis quibus pendent damnati in aëre. In septimo existimarem non simpliciter in occasu, sed in Scorpione vel Sagittario, gratia exempli, nam & in Leone. Non enim sine signorum discrimine exquisita supplicia significari possunt, cum hæc inquisitio sit artificiosa. In octauo clara est ratio distractionis cum ab equis, qui inter quadrupedes numerantur fieri soleat. Sed de ruina causa est, quia quadrupedia, vt dixi, terrestria etiam vocantur quod terræ incumbant, ruina verò est terrenorum vt lapidum & cementorum. In quocunque autem modo si Iouis testimonium iungatur, vt quod sit simul dominus cum Marte, vel quod Marti configuretur, vel sit in eodem positionis circulo, significat mortem ob iram Principis, aut Regis, quæ semper est illustris ob mandatum Regis vel Principis, plerunque etiam crudelis. Horum causa genituram subiicio, quam habui à præclaro viro Gemma Phrysione dico, & Mathematico egregio, dum Louanij essem.

Hic de hæresi accusatus iuxta annũ 1537. eripuit se periculo, & exulauit, postmodum anno 1547. obiecit se apparitoribus sponte, vnde captus & morti adiudicatus, dum viuus cremaretur, constans perstitit.

Constat quod Sol erant significatar vitæ, etiam quod fuisset in nona vel procul ab initio decimæ, & quod in annis 37. peruenit corpus Saturni inimici Soli, quia erat in opposito altitudinis eius, ad Solem. Et quod Saturno Anæretæ succedebant radij quadrati Iouis infelicis in Capricorno. Est autem

Capricor

Capricornus ſignum mutilatum, vt etiam Taurus & Virgo, vnde talia ſignificant mortes truces, & cum diuiſione corporis, & amputatione membrorum vel vſtione. Et quod Luna erat infœlix in 12. loco & in Libra: Et quod Solem aſpexit Mars de quadrato ex propria domo, & in angulo, & domus erat ſignum fixum, & alienum à Sole. Et fuit cum Marte nodus, qui ſignificat dilacerationem corporis, ideò neceſſarium erat, vt occurſu Saturni interficeret. Occaſio autem fuit ex rebus legis, propter Saturnum. Et Mars fuit iuxta tres ſtellas lucidas, frontis Scorpij locum regalem, & cum aliqua earum etiam in imo circulo poſitionis, & ſunt de natura Martis, & parum Saturni.



Motus latitudinis.

♄	Vel.	S	D	2	6
♃	Retr.	M	D	0	15
♂	Vel.	M	A	1	35
☊	Tar.				
♀	Med.	M	A	2	37
☿	Retr.	M	D	3	47
☽	Tar.	M	A	1	47

Ex quo patet quod Ptolemæi ſententia eſt vera, nam Mars eſt in Scorpione & Scorpio ſignificat combuſtionem. Et tamen oportet intelligere rem ſubtiliter, nam Mars hic non eſt in occidente, nec damnat Piothanatum: & ita videtur quod deſint duæ conditiones, & tamen ſit combuſtus viuus. Ideò, vt dixi, oportet animaduertere, quod Ptolemæus docuit, & in ſequenti capite, docebit, quod oportet ipſam artem perfectè cognoſcere. Et iſtud non poteſt doceri, niſi ei qui diu & efficaci ſtudio in libro ſuo verſatus fuerit. Nam loco harum duarum conditionum deficientium, ſunt aliæ quinque, quæ non erant neceſſariæ, & tamen augent effectum. Prima Luna in 12. loco, quæ ſignificat malam famam & multos hoſtes gratuitos, infœlix in ſigno maſculino, & finibus Martis. Secunda Iupiter retrogradus, & cadens altitudine, quadrato radio Saturnum Anæretam malè afficiens. Hic indicabat iudices infenſos. Tertia erat locus Solis in Leone & cœli culmine, quod ſignificat magnas calamitates vt alias docuimus, & Leo ſignificat ignem. Quarta tres ſtellæ regiæ iuxta Martem ex illius natura, quæ ſignificabant viuum comburendum. Quinta erat nodus cum Marte malè affecto, qui ſignificat diros cruciatus, & lacerandum corpus illius.

Dico igitur quod obſeruaui nodos cum maleficis, & propriè cum Marte vbi ipſe ſit ſignificator mortis, vel alius cum quo ſit nodus, mortem cum laceratione membrorum ſignificare. Et ſimiliter cum luminaribus. Ob hæc igitur quæcunque dicta ſunt de vitiis, & morbis corporis ſuperius, huc transferenda ſunt. Ita tamen vt cum conditionibus propoſitis intelligantur.

TEXTVS LXXIII.

Coniuncti verò mutuo malefici atque ita oppoſiti in aliqua dictarum conſtitutionum, plus faciunt ad mortis malitiam, quæ cuiuſmodi potiſſimùm euaſura ſit ex principe interemptorij loci gubernatore cognoſcitur multis concurrentibus, & in genere, & in magnitudine acerbitatis, quando vterque ad interfectoria loca rationem aliquam habet. Tales verò etiam ſepultura orbati deſeruntur, abſumuntur autem à feris aut auibus, quando in ſignis eiuſmodi figurarum malefici reperiuntur, nec vllus beneficus ſupra terram exiſtit, qui interemptricibus locis occurrat.

Virtus geminata multò plus habet roboris. Malefici igitur iuncti & luminare ac Anæretam oppugnantes duplicatis viribus agunt: Ob id magnitudo hæc cum ſit conſpicua, nec tamen facilè homo multis mortis generibus poſſit mori, reliquũ eſt vt qualitatem mortis in hoc caſu ex domino loci interemptorij præuideamus. Nam tria Ptolemæus præſupponit interemptorem, qui radiis vel corpore Aphetæ aduerſatur, & hic iuxta directionem tempus mortis oſtendit. Oppugnantem locum interemptorium maleficam, & hæc ſeu hæ ſi ambæ ſint vt hic ſupponitur, oſtendunt quòd violenta mors futura ſit, & dominum loci interimentis, qui quaſi iudex declarat qualitatem mortis, quæ potius pertinebat ad maleficam ſi vna tantum extitiſſet, quæ locum Anæretæ loci oppugnaret. Hoc autem dicit tantum verum eſt cum maleficæ non ſolum plures fuerint, quæ oppugnent locum mortis, ſed etiam viribus pares. Aliter mors erit iuxta decretum ſuperioris vi maleficæ. Tales igitur ob magnitudinem praui influxus, deſeruntur in paribulis, ſi nulla benefica ſupra terram auxilietur, nam tunc auferuntur poſt tempus & ſepulturæ tradentur. Quod ſi benefica non adſit, & maleficæ fuerint in ſignis quadrupedum vel auium, deuorabuntur corpora à ſimilibus animalibus. Pari ratione ſi in Piſcium ſignis & mors ex naufragio abſque

abſque benefica ſupra terram aſpiciente, à Piſcibus deuorabitur.

TEXTVS LXXIV.

Peregræ moriuntur quorum interemptricia loca occupantes Planetæ ab angulis deciderint. Maximè cum Luna etiam accurrit, aut tetragonis oppoſitisùs radiis dicta loca intuetur.

De morte tria quæruntur, tempus & hoc habetur in capite de vita: Qualitas, & hæc in hoc capite ſuperiùs edocta eſt: Et locus, qui in præſenti textu docetur. Dicit igitur quòd hi moriuntur in aliena patria quorum Planetæ ſuccedentes loco Anæretæ, vel domini ſecundi Piothanati fuerint in cadentibus locis. Et maximè cum locum Anæretæ & Piothanati Luna occupauerit quadratis, aut oppoſitis radiis. Circa quod notandum quod ego in hoc toto capite per Anæretam non Planetam interficientem intelligo, ſed locum in quo radij interficientes cadunt. Gratia exempli ſi locus mortis fuerit mihi decima Cancri, in quam cadunt radij trigoni Lunæ, & quadrati Solis, & intuitus Saturni, tunc hic non appellabo Anæretam Saturnum aut Solem, ſed voco Anæretam decimam partem Cancri. Et vbi extenderetur ad initium Leonis vbi ſunt radij quadrati Iouis, non voco hic vt ſuperiùs in Capite de vita Anæretam Iouem, ſed Leonis initium.

Demonſtratio verò huius textus ſic habetur: quo tempore Anæreta peruenit ad Aphetam homo moritur: Quo tempore luminaria vel Sors, vel aſcendens occupantur à Planetis ab angulo decidentibus, vt in præcedenti capite, homo extra patriam moratur: Sed in quibus Planetæ ab angulis decidentes occupant loca interemptoria, in his eodem tempore locus interemptorius ad Aphetam peruenit, & Planeta ab angulo decidens ad principalem ſignificatorem, igitur quo tempore moritur, eodem tempore erit extra patriam. Et ita extra patriam morietur. Significat & Planeta occupans locum interemptorium, locum mortis. Qui cum ab angulo decidat, ſignificat fore extra patriam.

Sed vt diligentius res habeatur, innuit Ptolemæus quod debeas præfinire primo tempus mortis. Quo habito vide eo tempore ſignificatores itineris ſi indicent iter: ſi non, morietur in patria: Si ſic, vide ad quam regionem erit iter, & quàm diurnum, & coniectabit tamen ex arte tum ex locis, qui ſunt in eo itinere celebrioribus, & etiam iuxta ſtatum, ſeu exiſtimationem hominis vbi inuenietur ea hora, & habebis locum mortis. Inde conſidera an mors erit naturalis, an violenta tantum, an etiam publica. Si naturalis, poterit mori in villa & in vrbe, ſed hoc ſignificant teſtimonia luminarium cum loco interemptorio: nam ſi affuerint, morietur in vrbe, & ſi ſint Solis erit mors in metropoli regionis, quia erit cum funere ſplendido, & hoc non poteſt ita bene fieri in parua vrbe, vt in principali, & multò minus in villa. Si verò fuerint ſigna mortis violentæ, non tamen publicæ, erit mors in itinere aut villa, non in vrbe, quia non tam facilè abſque mandato publico homines in vrbibus vexantur, ſicut extra à latronibus. Conſiderabis etiam ſi ſit iter per aquas, naufragio peribit. Quòd ſi luminarium teſtimonium adſit, erit à piratis. Si verò ſit mors publica decreta, conſidera cauſam & mores hominis, & genera ſupplicij conſueta illi regioni, & coniectaberis qua morte ſit periturus. Hæc non tam ſubieci propter hoc quod hic tractatur, ſed vt ſit exemplum in omnibus, quæ prædicere cupis, vt de magiſtratu, contentione, itinere, & talibus.

Scundo vt intelligas quod nulla eſt via prædicendi præter hanc, quam hic tradidit Ptolemæus. Et quod illi qui conantur redigere prædictiones ad capita, vt Arabes, Firmicus, & Pontanus, & alij recentiores facilitati ſtudentes, agunt velut ſi quis volens domum ædificare omnia tigna in vno loco per ordinem diſponat, alio tabulas omnes, alio totam calcem, alio ſabulum, alio lapides, & alio clauos & vincula ferrea, alio tegulas, tunc is videbitur ſanè pulchram rem feciſſe & ordinem ſeruaſſe, ille tamen ad domum ædificandam nihil prorſus: Ita qui deſcribunt, Saturnus in tali loco hoc ſignificat, & Iuppiter hoc aliud, nihil ad prædictionem conferunt, ſed omnia ſunt vana: Sed opportet ſcire radicem commixtionis, omnium tempus, modum, ordinem, locum: ita oportet ſcire commiſcere ſignificata in ſingulis. Saturnus enim in Ariete in aſcendente quandoque ſignificabit ſtatum corporis, quandoque animi mores, & quandoque vitæ ſpatium, quandoque fortunam, quandoque amicos, ſtatum vxoris, dignitatis, filiorum, qualitatem mortis, peregrinationes, &c. Et ſi quis dixerit ego ordinaui tabulas inter ſe, & clauos ac vectes, lapides & reliqua, & non facta eſt domus, igitur ars conſtruendæ domus nulla eſt. nónne prorſus ridebitur non ſolum ab ædificatore, ſed etiam ab ipſo vulgo, ita ſi tu dicas libri Aſtrologorum paſſim mentiuntur dicentes, quod ſi Saturnus fuerit aut Iuppiter in tali ſigno, aſpectu, domo, &c. nato talia, vel talia contingent, cum quandoque contingant quandoque non, igitur ars prædicendi per aſtra vana eſt. Nónne & tu dignus es riſu ſicut & prior.

At dices hæc via eſt valde difficilis. Quid miraris ô bone vir: hic eſt enim liber Dei optimi maximique, ſcilicet cœlum: Et eſt ſicut liber minutiſſimis ſcriptus literis, in quo aliqui aliqua legunt, vt Ptolemæus & nos, qui illum interpretati ſimus ad vnguem ne vel vna ſyllaba præterita, aliqui parum valde, alij etiam minus, quidam minimum & plurimi nihil. Vel quia ſeducuntur ſtudio deſiderij, vel quia non ſunt periti in philoſophia, vel quia carent iudicio profundo, vel quia non ſciunt principia Theoricæ Aſtrologiæ, motus, & magnitudines, ſitum, &c. vel quia non ſunt ſtudioſi in hoc libro quantum oportet, vel quia non planè illi adhibent fidem, aut quia decepti ſunt à genitura falſa, aut

aut quia etiam in vera non omnia contingunt sicut prædicebatur. Quia vt bene dixit Auerroës, contingunt monstra in omni arte, vel quia non sunt experti longa exercitatione circa minutiora & propria suæ regioni. Quæ cum parua sint, videntur tamen hominem in magnos errores ducere. Cùm hic tradantur solum generalia omnibus regionibus. Persea venenum est in propria regione, in Aegypto suauis est & tutò manditur. Ita vna stella oriens Mediolani ex inerrantibus habebit effectum quendam mirabilem, quem non habebit dum oritur in Germania. Vel quia non exquisitè supputare norunt, aut vtuntur instrumentis non exactis, vel carent illis. Ergo horum necessariorum, que sunt nouem, nihil deesse oportet.

Vt autem vnum pro omnibus sufficiat, exemplum, dixit Pontanus, Firmicum sequutus, Grammaticus Grammaticum, & imperitus artis imperitiorem: Dominus genituræ est dominus signi succedentis loco Lunæ, seu signo in quo Luna est dum homo nascitur, quod ita per absurdum est, (licet conetur friuola transplantationis similitudine, confirmare, (vt nihil possit esse absurdius. Et quamuis videatur habere quædam Ptolemæi dicta, vt in capite de Particulari tempestatum consideratione, vbi dicit obseruandum esse tempus post tres dies: Videtur enim innuere quod Luna tunc sit in sequenti signo: Et in capite de forma Nati, vbi dicit succedentes orientali parti & etiam Lunæ errones obseruandos: Et in capite de Amicis, vbi docet obseruandum signum sequens. Sed hæc omnia nos exposuimus quomodo sint intelligenda, & quod ad Lunæ signum sequens non pertinent. Ostendo igitur quod opinio illa est falsa, mala, impudens. Nam cum homo habeat mutationem manifestam in ortu, oportet vt vis sit in signo in quo est Luna, aliter esset principium à tempore in quo non est aliqua mutatio. Deinde non conuenit quod Luna faciat duos oppositos effectus: vt mihi cui Luna est in Piscibus huic succedit Aries contrariæ naturæ comparationem dominorum. Et ille cui Luna est in Geminis signo calido, humido, humano, inde succedit Cancer signum mutum siccum, & ab humanitate alienum. Et ego essem naturæ Martis, cum nihilominus. Ira verò est quia Luna est in trigono Martis, & in eius quadrato. Adeò quod si regula illa esset vera, necessarium foret, vt essem totus ex natura Martis. Rursus vis illa in genitura est actu, vel potentia: Si actu, esset Lũa in signo sequenti: si potentia, magis esset concors quilibet signum cum sequenti, quam cum tertio, vel quinto signo, vel septimo, quod est contra omnem rationem naturalem.

Itaque ob talia reiiciemus omninò librum centiloquij attributum falsò Ptolemæo, cùm dissideat adeò ab illius sententia, vt nihil magis. Primò facit scientiam naturalem sortilegam, dum interrogationibus subscribit. Deinde regulas facit absolutas, quas omnino vitat Ptolemæus: Et est ac si faceret tabulas simplices pro motu Planetarum, cùm necesse sit illum haberi ex medio motu, & æquatione, quæ prouenit iuxta quantitatem vocati centri, eòquod ad illud omnia referuntur. Et etiam quia sumitur ex Apogeo, vt circulus ex centro: Et Apogæum etiam variatur. Præterea habet singularia multa repugnantia his, quæ dixit in his libris, imò ferè omnia. Ideò manifestum est quod liber non est Ptolemæi, sed alicuius, qui quæsiuit lucrum esurientibus Astrologis, cum infamia & ruina totius artis. Repugnat legi Christianæ, repugnat bonis moribus, nihil habet conueniens cum doctrina Ptolemæi. Et quid mea retulisset si fuisset vtilis arti saltem, quamuis etiam non fuisset Ptolemæi, quin illum exposuissem, cum vix sit 18. pars huius libri. Quare dico cauendum esse ab omnibus aliis libris, nisi quis velit legere commentaria Haly, & Firmicum ob linguæ candorem, memoriam vetustatis. Sed tamen nunquam recedat ab hac profunditate sententiæ Ptolemæi: alter seipsum & totam artem vituperabit.

Vt verò ad rem de morte reuertar: qui moriuntur ex morbo contracto, ex casu equi, vt Galeaz Capra, & qui ex timore & similibus causis, habent maleficas, vt in morte violẽta dominantes succedenti loco aut assencientes, &c. Sed procul: morte: ideò talis mors est media inter naturalem & violentam. Qui etiam moriuntur ex medici errore, moriuntur ex occulta violenta morte, & ideò absque luminariũ testimonio. Cognoscitur mors naturalis, & quæ ab interemptorio loco solum procedit, quia tales subitò prostrantur, nec videtur aliquid prodesse, sed recta ad mortem tendunt. Vbi quandam videris luctam, tunc est ex genere violentæ mortis, vel propter errorem ægri, vel medici, vel astantium, vel epotum venenum, vel timorem magnum conceptum, vel collisionem, & talia. Hi igitur qui quasi recta moriuntur, & cadit virtus statim, & nullum auxilium iuuat, & subitò grauantur, quibus Apheta est debilis, & in loco alieno à natura sua, absque testimonio beneficæ, vel maleficæ, in loco interemptorio, sed solum succedit, aut antecedit. Si verò Apheta validus fuerit, aut successerit malefica contrariæ qualitatis, fit mors difficilis vel violenta.

Si verò luminaria testificentur absque maleficis loco qualitatis mortis, erit mors splendida, naturalis. Naturalis igitur quietæ & splendidæ habes duo exempla pulcherrima ab Erasmo, in dialogo cui titulus est Funus.

CAPVT XI.

TEXTVS LXXV.

De temporum diuisione.

ENarrata à nobis summatim in singulis generibus contemplandi ratione, ad eas vsque tantum, quæ sicut in initio proposuimus vniuersaliũ partiũ sunt tractationes. Reliquũ sanè fuerit

fuerit ad eundem modum, quæ etiam in temporibus distinguendis videre oportet, adiicere idque & naturæ consentaneæ, & nostræ particulari, quam proposuimus explicationi.

Hoc caput est perfectio artis, & vtilissima ac præstantissima totius operis pars. Si enim cognouero me futurum diuitem, inde pauperem, hoc est infœlicissimum: Si post paupertatem, diuitem, felicissimum: si semper diuitem mediocre. Igitur cognoscere me futurum diuitem nihil est, nisi cognoscam tempus quando ero. Et ita de morte atque aliis. In eo igitur declara primum vnum generale, quod est.

TEXTVS LXXVI.

Omnino igitur in vniuersis geniturarum capitibus propositum nobis est prius quoddam & antiquius, veluti Fatum, aut ipsi regioni peculiare cui reliqua quæ in genituris singulatim explorantur subiacere oportet: quemadmodum quæ ad corporis formam & animorum constitutiones attinent, morum item & consuetudinum diffidentia. Itaque par est naturæ obsequentem iudicem primas vbique potioresque causas comprehendere, vt ne quemadmodum in genituris præfari solent Æthiopem, verbi gratia, candidum aut leuibus capillis: Germanum verò aut Gallum nigrum faciat & crispum. Aut hos quidem mites & literarum artiumuè studiosos, Græcos verò immanes & ineruditos, neúe contra mores ac leges Italo decernat sororis matrimonium, cum hoc apud Ægyptos, aut Ægyptio matris, cùm apud Persas fas sit. Prorsus igitur proponere oportet vniuersalis Fati rationem, deinde singula aucta minutaúe accomodare.

Quod proposuerat in præcedenti textu nunc docet, scilicet vt naturæ rerum, id est, rebus ipsis, quæ natura constant, consuetudine, legibus, accommodata doceat. Simul etiam particulari rerum explicationi, id est, vt hoc caput omnibus aliis inseruiat: Doceatque quando vxorem ducet, quando amicitias iniet, quando suscipiet filios, itinera aget, atque ita de aliis omnibus. Quare hoc agat est manifestum, docuimusque antea. Sed cur consentanea naturæ videtur frustra repetere, nam hoc superiùs in primo libro declarauit: Nec decet in tanta breuitate præter solitum quicquam repetere. Id igitur non solum vtiliter, sed etiam necessariò factum est. Cùm enim singularia non sint nisi moderatio generalium, vt visum est, ita dicit diuisiones temporum polliceri nequeunt quod in genesi non promittitur. Hoc docuit quia plerunque necessarium esset in multis annorum circuitibus, & multis genituris quædam magnifica contingere, quibus elati magna prædicamus, quæ tamen non euenient. Monet igitur nos omnia tam mala, quàm bona ad genesim esse referenda. Cuius exemplum præclarum habebis in nostra genesi, vbi directiones & reuolutiones egregiæ admodum, quod in aliis maximum decreuissent, mihi etiam maximum pro genituræ qualitate, præstiterunt. Ita contraria ratione in magnifica genesi, aut infelicissima, minima quæque magnos effectus, iuxta rationem genituræ, pariunt. Secunda causa est propter superuenientes constitutiones generales belli, pestis, naufragij: in quibus homo malum experietur, quo tempore bonum expectabat, iuxta diuisionem temporum. Tertiam causam (quia alias duas superiùs explicauerat in secundo, & tertio libro) subnectit.

TEXTVS LXXVII.

Ita quoque in temporibus partiendis ætatum, in vnoquoque decreto quid cuique conueniat prima ratio habenda est, ne ex vulgari & simplici exploratione per inscitiam prædicamus puero nuptias, virilesúe operationes, & decrepito seni liberorum procreationem, aut hisce iuueniliora: Sed in vniuersum, quæ de temporum partitione tradentur, prout ætas postulare videbitur, interpretabimur.

Hæc est tertia causa erroris quam ponit Ptolemæus, & est propria diuisionibus temporum, vt non prædicamus, nisi consentanea ætatibus. Ergo in vniuersum tribus modis in diuisionibus temporum aberramus iudicando, vel quando res non conuenit ætati, vel genituræ, vel casui seu generali constellationi. In omnibus tamen cum fuerit significatum hoc valde potens, eueniet aliquid aut vmbra talis rei: adeò quòd in quibusdam casibus cum reuolutiones bonæ multæ sibi succedunt, & inuicem consentientes, in rebus fortunæ multum faciunt, vt in diuitiis, honoribus, & amicis. In lædendo etiam bonam valetudinem: non tamen possunt in rebus animi, vel corporis magnam mutationem facere.

Quòd si res non benè cadant (inquit Haly) cum illud præuideris ex syderibus, poteris æquiùs tollerare, & promissa etiam augere: & ita in vtroque casu non parum iuuat præscire futura quo tempore ventura sint. Et quicunque, dicit, magis est studiosus veritatis, quàm diuitiarum aut honoris, poterit magnum fructum ex tali scientia colligere, & etiam res in melius mutare.

In vniuersum igitur oportet considerare constitutiones generales, veluti si quis iturus sit ad bellum ex diuisione: Et bellum futurum sit

ſit exitiale valde, ex minima occaſione indicabimus, quod morietur in illa expeditione. Et ſimiliter tranſituri, gratia exempli, ex Gallia in Angliam tempore tempeſtatis ſuffocantur ob tempeſtatem, quæ eſt generalis clades in certa parte maris, ſi plures naues ſubmergantur. Et quæ euadunt, euadunt ob conſtitutionem nauis & naucleri bonam. Sed ſi contingat caſu illam nauim tantum perire multis euadentibus, tunc hoc erit ex praua conſtitutione nauis & gubernatoris eius, non ex calamitate vniuerſali. Et conſtitutiones generales fortuitæ vincuntur à ſpecialibus, & maximæ bonæ à magis, ſed quæ ſunt ſecundùm naturam vincunt eas. Vnde decrepitus poteſt ducere vxorem, non tamen generare filium, & ſi ſignificetur forſan filius, vel filia illi generabunt nepotem.

TEXTVS LXXVIII.

Eſt enim acceſſus vnus, idemque in omnibus ad ea, quæ pro temporis viciſſitudine vniuſcuiusque naturæ humanæ conueniunt, qui ex ſimilitudine, & ordine accipitur ſeptem ſtellarum errantium, initio ſumpto à prima ætate & à viciniſſimo nobis orbe, nimirum Lunæ, vt extrema in vltimum deſinant, quem Saturni nominamus. Ac reuera naturam reſpondentis ſibi erronis, affectionemque vnaquaque ætas refert, quæ obſeruare conuenit, vt inde ſummariam temporum conſtitutionem colligamus, ac ſingularia deinceps diſcrimina ex geniturarum peculiaribus decretis, inueniamus.

Quatuor diuiſiones temporis vitæ humanæ in hoc capite proponit: primam in ſeptem ætates, quæ in præſenti textu initium habet. Secundam per directiones, quæ fit in partes finibus correſpondentes cuius initium eſt ibi (Sint igitur) Tertia per annos & menſes, ac dies ex ſignorum commutationibus ibi (Annos verò reiicientes) Quarta in partes inſtabiles magnitudine & initio per ingreſſus Planetarum in præcipua loca: Eius initium eſt ibi (Reſpiciendum etiam).

Dicit igitur pro hac prima parte, quod diuiſio per ſeptem ætates in omnibus hominibus eſt eadem ad vnguem, nec penes illam inter homines eſt aliquod diſcrimen: omnibus enim hominibus primi quatuor anni Lunæ dedicantur, & decem proximi, ſequentes Mercurio, & octo ſuccedentes Veneri: Et ita de aliis. Deinde dicit quod ſeruatur ordo in aſtris, qui & in ætatibus, quia primo occurrit Luna, inde Mercurius, poſt Venus, Sol, Mars Iupiter, Saturnus. Demum adiicit quod vnaquæque ætas habet conuenientia Planetæ dominanti: vt primi quatuor anni Lunæ ſignificata retinent, abundantiam humidi, ſubita incrementa, variam & inconſtantem valetudinem, & ita de reliquis Planetis ætates gubernantibus.

In quolibet igitur Planeta ætatem gubernantes, illa duo vltima explicat: ſcilicet quòd ordo eius eſt aſcendendo, velut ordo ætatis ſibi correſpondentis. Et quod natura ætatis conuenit naturæ Planetæ ætatem gubernantis. Additur vltimò cauſa numeri annorum. Scilicet cur Luna regat quatuor annis, Mercurius decem, Venus octo: Et ita de aliis. Et ſemper hæc cauſa ſumitur à tempore motus Planetæ, vel in paruo circulo, vel in eccentrico, vel in elongatione à Luna. Et inquit.

TEXTVS LXXIX.

Nam ad primores ferè quatuor annos pro ſui quadriennij numero, infantilem ætatem Luna gubernans efficit in illa corpuſculi humiditatem & imbecillitatem, itemque ſubita incrementa, alimoniæ liquiditatem valitudinis inconſtantiam, & in mente inchoata & inemendata omnia, quæ ſingula reſpondent iis, quæ Lunares effectiones cenſentur.

Proximum decennium quo puerilis ætas compræhenditur, moderatur, qui proximum Lunæ orbem obtinet, Mercurius, pro viginti annorum ſuorum dimidiatio numero, incipit animum ad intelligentiam, rationemque componere, ac veluti fingere, diſciplinarumque ſemina, & elementa inſerere, morum ſtudiorumque peculiares conditiones patefacere, animoſque doctrina, & inſtitutione primiſque ex ercitiis excitare.

Veneris verò ſtella adoleſcentem tertiamque ætatem ſortita ſequenti octennio, quod illi iuxta circuitus ſui ſpatium tribuitur, ſeminales meatus mouere incipit, ac implere, & ad venereos congreſſus ſtimulare, quo maximè tempore inſania quadam, & intemperantia agitantur, miſeroque cupidine efferueſcunt, & in errore ac cæcitate apertis etiã oculis verſanur.

Quartam ætatem & mediam iuuenilem, videlicet gubernans, medij orbis dominus Sol, annis vndeuiginti, dominium ſuique iuris vſum animo concedit, rei etiam familiaris & exiſtimationis cupiditatem iniicit, vt & vitæ ſuæ modum habere deſideret, & puerili vanitate & inconſtantia, peccatiſque amotis, ſeſe ad iuris, pudoris & honeſtatis amorem recipere.

Poſt Solem Mars virilem ætatem ſibi vendicat, quintus ſcilicet, pro circuitus ſui ſpatio annis quinque & decem,

decem, hic vitæ tristitiam, & malitiam adducit, curis ac doloribus animum simul & corpus afficit, sensum nimirum iam instillans, & cogitationem ætatis deflorescentis, & instigandas memorabile aliquod inceptorum operum, ante obitum laboriosè perficiendum.

Iupiter deinceps senilem ætatem nactus, iuxta peculiarem circuitus rationem annis duodecim laboriosum illud & turbulentum, ac periculis expositum viuendi genus declinare paulatim iubet, & decentius officiosius, quietiusque capessere. Amplius nihil præcipitanter agere, alios admonere & consolari, honoris tunc maximè, & laudis, & liberalitatis studiosus esse cum pudore & grauitate.

Extrema verò Saturni stella extremam & confectam ætatem sortita est vsque ad id quod superest vitæ, cum refrixerint ac impeditæ sunt corporis animique motiones ac vires, & in concitatoribus cupiditatibus, & voluptatibus natura languida, neruis destituitur, vita iam conuulsa misera, & infirma exposita offesis, & ad omnes morosa promotus, ac virium ignauia.

Reuolutio Lunæ in paruo circulo completur in quatuor annis, & vocatur, motus inæqualitatis vt habetur in quarto Magnæ compositionis à Ptolemæo: Et non desunt, nisi pars vna & 52. minuta ad complementum integræ reuolutionis. Et est quod si Luna sit nunc in summitate epicycli, hinc ad quatuor annos non deerit quippiam notatu dignum, quin sit in summitate epicycli: ideò anni Lunæ in ætatibus sunt quatuor & primi, quia ipsa est, quæ primo occurrit ascendenti ab elementis ad supremum cœlum. Mercurius similiter, (vt in nono Magnæ compositionis habetur) in annis 20. reuertitur ad eundem locum epicycli, vt non desit nisi pars vna, & minuta sex ad perfectum circulum. Igitur anni inæqualitatis sunt 20. Sed quia est Planeta debilis valde non regit nisi pro medietate, & sunt anni decem. Venus vt ibidem habetur, in octo annis reuertitur ad locum proprium, nec est differentia, nisi 12. minutorum in paruo circulo: igitur quoad motum inæqualitatis res clara est in tribus inferioribus. Mars similiter, vt ibi habetur, in annis quindecim ad proprium locum in epicyclo reuertitur: Est tamen differentia partium 7. minutorum 7. Sed hæc in circulo signorum vix faciunt differentiam vnius partis, plerumque autem vix mediæ partis. In Ioue & Saturno aliam rationem secutus est. In Ioue reuolutionem in circulo magno, quòd sit Planeta potens, magnus valde & tardus. In Saturno reliquum vitæ, quia licet regat solum triginta annos, nihilominus quicquid superest supra illos triginta annos adeò est mancum & debile, vt ad vitandam confusionem, Saturno tribui possit. Maximè quod rarissimi excedunt illos triginta annos, qui terminantur ad 98. vitæ nostræ. Et etiam quia actiones, quæ vltra id tempus contingunt, nullius sunt existimationis. Reliquum solum est, vt videamus cur Sol habeat 19. annos? Et clarum est quod non possumus illi dare annos reditus in paruo circulo, cum illo careat. Nec in eccentrico, essent enim vel vnus vel quatuor quod non conuenit tam potenti Planetæ: Propterea damus illis annos comparationis ad Lunam, in 19. annis, enim Luna videtur ad idem redire fermè & in circulo signorum, & in comparatione ad Solem: ita quod si hoc anno in calendis Iunij, sit Luna in 28. parte Aquarij, & distet à Sole secundum ordinem signorum partibus 248. In calendis Iunij 1572. erit, & in calendis Iunij 1534. propè fuit hunc locum & distantiam à Sole. Quia igitur Sol cum nullo Planeta magis communicat, quã cum Luna, dederunt illi annos reditus eius in comparatione ad Lunã.

☽	4
☿	14
♀	22
☉	41
♂	56
♃	68
♄	Vsque in finem.

Et in his omnibus mens Ptolemæi est, quod quo ad ætates, cum sit quasi vis epicycli, aut eccentrici non astri, parum aut nihil refert quod hi Planetæ sint benè vel malè dispositi. Ita quod ego qui habeo feliciter positum Iouem, & malè positam Lunam, non propter hoc est, necesse vt anni, qui erunt à 56. ad 68. qui sunt sub Ioue sint meliores annis quatuor primis qui fuerunt Lunæ. Hoc autem in præcedenti textu docuit. Nihil igitur superest pro huius textus explicatione, quam vt annos hos in tabula à latere collocemus, & doceamus similia speranda in ætatibus, qualia à Planetis eas decernentibus. Veluti in senio morbos longos.

TEXTVS LXXX.

Sint igitur hæ temporum singulares inclinationes iuxta naturæ generalem & communem statum in hunc modum expositæ: particulares verò ex genitura inquisitiones, quemadmodum prius proposuimus, iterum ac summatim à præcipuis progressionibus constituemus, idque ab omnibus, non veluti in vitæ spatio perquirendo ab vna tantum, sed ab horoscopo pro his, quæ corpori eueniunt, & peregrinationibus, à fortunæ sorte pro possessionibus, à Luna, pro animi morbis & coniugio, à Sole pro dignitate & gloria. A cœli fastigio ad reliquas & partiliores vitæ rationes, nimirum actiones, amicitias, liberorum procreationes cognoscendas.

Hoc ſanè pacto iiſdem temporibus non idem erit beneficus horum dominus. cùm multa ferè eueniant ſub iiſdem temporibus contraria, vt, ſi cui morte neceſſarij hæreditas accreſcat, aut aliquis lecto decumbens dignitatem conſequatur, & per motionem aut priuatos liberos ſuſcipiat, quæque eiuſmodi accidere ſolent.

Neque enim eadem eſt ratio corporis & animi, fortunarum & dignitatis, & familiarium bonorum aut malorum, vt neceſſe ſit ex omni parte felicem aliquem aut infelicem eſſe. Sed acciderit fortaſſe & illud, quo tempore planè beati aut calamitoſi ſumus, quando in omnibus aut pluribus Apheticis moderationibus conueniunt occurſationes beneficorum omninò, aut contra maleficorum, id quod raro vſu venit propter humanæ naturæ imbecillitatem ad extrema vtraque perferenda: quam ita comparatam eſſe apparet, vt tempetaturam poſtulet bonorum & malorum. Loca igitur Aphetica ad hunc modum diſcernimus.

Sol ſignificat gloriam & dignitates, vt magiſtratus, & reliqua.

Luna verò animam & illius conditiones, ac vxores.

Aſcendens, & quæ cum corpore fiunt, veluti peregrinationes.

Sors diuitias cuiuſcunque generis.

Cœli Medium filios, actiones, & amicitias.

De omnibus clarum eſt, quia ſunt propria ſignificata, niſi de peregrinationibus ab aſcendente, & de amicis à cœli medio: Nam vt viſum eſt iſta videntur ab aliis ſignificari, vt à Sole, Luna, Sortéque. Reſpondeo quod aliud eſt ſubiectum in peregrinatione & eſt aſcendens, aliud cauſæ & ſunt Sol, Luna, Mars &c. Cùm igitur per directiones ſubiectum cauſæ iungetur ſequetur effectus. De cœli medio dico quod amici non ſunt amici homini, ſed fortunæ & dignitati plerunque: Propterea ſumit illos à cœli medio. Qui tamen ſunt ab aſcendente, id eſt, voluptatis cauſa debent etiam ab aſcendente ſumi. Præterea in capite proprio ſumit amicos, & inimicos ex comparatione geniturarum inuicem, ſed hic ſumit tempus ſolum à genitura nati.

Circa peregrinationes, Haly aliam reddebat cauſam, dicens, quod ſumuntur ab angulo occidentis, quia verò occidentis deſcenſiones ſunt æquales aſcendentis aſcenſionibus, ideò dixit ab aſcendente ſumi debere peregrinationis tempora. Atque ex hoc infert non ſolum hæc quinque loca debere dirigi, ſed ſingularum domorum initia & loca omnium Planetarum. Sed in hoc non eſt ſequutus Ptolemæum, qui tantum hæc quinque loca dirigenda conſulit & meritò. Nam hæc ſunt ſubiecta omnium bonorum & partium domus. Bona enim quædam animi, quædam corporis, alia fortunæ. Bona animi à Luna decernuntur, corporis autem ab aſcendente: Fortunæ principaliſſima à Sole gloria & dignitates, mediocria à Sorte, minima à cœli medio. Rurſus coniunctorum vt filiorum, & vxoris à cœli medio & à Luna, igitur cum nihil deficiat ſufficiet hæc loca direxiſſe. Quod ſi dicas adeſſe præterea parentes, ſeruos, fratres, qui non continentur ſub his? Reſpondeo quod vel vis quærere de ſtatu illorum, & in hoc Ptolemæus iubet te erigere figuram priuſquam dirigas, & tunc diriges etiam in illis aſcendens Solem, Lunam, Sortem, & medium cœli: Vel vis quærere an habebit: vt in filiis & ſufficiet abſque directionibus quærere ſignificata, in capitib. propriis vt ſuperius te docuit Ptolemæus. Ex quo patet quod quando dirigit cœli medium pro filiis, ſolum dirigit ad ſciendum quo tempore filios habebit, non pro ſtatu filiorum dignoſcendo.

Præterea illa ratio ſeptimi loci non conueniret cœli faſtigio pro amicis. Sed cauſa erroris fuit, quia non diſcernunt ſubiectum à forma & cauſa. Cauſæ enim poſſunt eſſe plures & omnes Planetæ diuerſorum effectuum? ſubiecta tamen non poſſunt eſſe niſi hæc quinque, quæ cauſis illis occurſare per directiones ſolent.

Quòd autem dixit (Hoc ſanè pacto) intelligit quod quinque poſitis ſubiectis non eſt neceſſe, vt omnium euentuum ſit vnus dominus. Sed idem poterit eſſe felix eodem tempore in coniugio, & infelix in filio: Vt legitur de Catilina, qui vt haberet vxorem diuitem, veneno proprium ſuſtulit. Et ita eadem domus fuit funeſta morte filij, & læta tædis coniugalibus. Hoc etiam eo magis quod cauſæ & promiſſores reſpectu eiuſdem ſubiecti poſſuut eſſe plures: Vt in Luna pro anima quæremus dominos loci: Et pro coniugio Planetas ad quos vadit. In animæ qualitatibus habitum eius cum aſcendente, & Mercurio in coniugio cum Venere: Et ita de aliis.

Subiungit vltimo naturam humanam non poſſe perferre, nec multa mala ſimul ingruentia, nec multa bona: Innuens hunc ordinem quem tradidit ordini rerum congruere: Vt in vniuerſum regulam generalem tradendi artem oſtenderit, ſcilicet congruentem rebus ipſis & euentibus.

Notandum diligentiſſimè quod hæc ſunt ſignificata perpetua horum quinque locorum principalium. Sunt præterea alia vt ſignificatornm velut vitiorum, aut morborum, quia omne tale ab initio per directionem ad actum peruenit. Velut ſi Luna à Marte obſeſſa cum ſtella nebuloſa ſignificat cæcitatem ab ortu per directionem Lunæ ſic diſpoſitæ, Mars occurrens cæcitatem ex eo tempore vſque ad vitæ finem producet. Quod verò ita ſit, liquet, nam in capite de Vita, cum Apheta, inquit, occurrerit maleficis, & non conſeſerint Planetarũ reuolutiones, aut non omnino fuerint validi Anæretæ, morbi magni ſignificãtur. At conſtat non ſemper aſcendens Aphetam eſſe, imò rarius.

Igitur

Igitur vult singula, quæ significant generaliter in natiuitate directa propriè super illud significare: Et hoc est quod innuit superius per ea verba. Prorsus igitur proponere oportet vniuersalis. Fati rationem, deinde singula, &c. Et ibi: Primas vbique potioresque causas.

TEXTVS LXXXI.

Occursantes verò non solum interemptores quemadmodum vbi de vitæ spatio quæritur, sed vniuersos accipere oportet, atque ita non corpore tantum, aut radiis oppositis quadrangularibusve obuiantes, verum etiam trinis ac sextilibus.

Hoc est secundum quod docet, scilicet post subiecta, quæ sunt quinque promissores. Hi sunt, dicit, qui occurrunt corpore, aut radiis quibuslibet. Sed nota quod ex his quidam sunt principales, & sunt qui ab initio conueniunt cum loco qui dirigitur, velut Mercurius cum Luna in causa qualitatum animæ, similiter domini loci. Similiter qui locum aspiciunt aliquo radio, vel sunt in intuentibus, vel obedientibus, aut imperantibus. Non principales sunt, qui occurrunt, sed ab initio nihil habent commune. Dicit autem suscipiendos in aliis causis à vita omnes etiam qui amici sunt. Nam in vita tametsi aliquid iuuent beneficæ occursantes, nihilominus non sunt dignæ consideratione, nisi quæ interficiunt, prometienda vitæ longitudine: Ideò in aliis causis omnes occurrentes consideramus. Circa hoc notandum est, quod sunt tria genera subiectorum, seu significatorum, secundùm naturam, vt horoscopus corporis, Sol dignitatis: quædam electionis, & sunt Aphetæ, qui semper sunt vnus ex quinque: sed variantur iuxta potestatem maiorem aut minorem. Nam Luna in 11. loco Apheta est. Si tamen Sol in 10. desinit esse Apheta: quædam verò per commutationem, velut Saturnus in nocturna genitura, dum ponitur in ascendente in figura patris, fit Apheta.

Mota tamen erat difficultas de Mercurio, qui cum significet rationalem animam deberet esse vnus ex significatoribus, & ita essent sex? Respondeo quod effectus Mercurij in mutationibus temporum non sunt euidentes, nisi cum homo insanit. Hoc autem rarò contingit, & rarius sine detrimento Lunæ: Ideò est prætermissus à Ptolemæo. Si tamen quis velit illum dirigere, non prohibetur. De cæteris quod non possint esse significatores, nisi, vt dictum est, in erectione nouæ figuræ, quæ à priore extracta sit, satis abundè docuimus, & causam etiam cur non possint esse, adiecimus.

TEXTVS LXXXII.

Ac primùm sanè tempus in singulis moderationibus illi dabitur, qui Apheticumlocum corpore occupat vel radiis. Quòd si nullus fuerit, asciscemus proxime antecedentem ad eum vsque, qui proximè succedentem aspicit partem, deinde hoc vtemur vsque ad proximum, atque in aliis similiter, assumentes in gubernandi communicationem terminorum dominos Planetas. Atque iterum partibus interiectis annos tribuimus secundum eam, quæ ab ascendente summitur moderationem, tot videlicet, quot sunt eius regionis ascensionum tempora. A cœli Medio, quot sunt tempora cœli culminationum, à reliquis verò quod ratione propinquitatis ad angulos, ascensionum aut descensionum, culminationumve tempora accipimus, sicut cum de vitæ spacio ageremus, definiuimus. Hunc igitur ad modum generales temporum arbitros creabimus.

Tria in præsenti textu docet, primum quisnam sit promissor, seu dispositor cuiusque partis, ab Apheta incipientis (Nunc Aphetam vocat quemcunque significatorem ex illis quinque ab ἀφετη, quæ est dimissio) Et dicit si in loco Aphetæ sit Planeta, vel radius Planetæ, ille erit promissor, largitor & dominus eorum, quæ ab illa parte decernuntur. Si non sit ibi Planeta aliquis nec radius, accipies eum Planetam, qui ante eum locum est, vel cuius radij ante sunt. Exemplum, mihi oritur septima pars Tauri, vbi nullus est Planeta, nec radius, ante tamen, id est in quarta parte Tauri est Iupiter, ideò dico quod Iupiter gubernat vitam à septima parte Tauri, vsque ad duodecimam vbi sunt radij sextiles Lunæ. Postmodum ab ea parte vsque in finem Tauri, cum nullus Planeta succedat nec radius, gubernat Luna. Quod si nullus Planeta, nec radius sit ante locum Apheticum, gubernabit solus dominus finis, vt postea docebimus. Quòd si rursus sint duo Planetæ, ante vel radij duo vel Planeta vnus, & radius alterius, tunc proximiorem Aphetæ pro gubernatore eligemus. Quòd si ambo sint in eodem gradu eligemus vtrumque prælato, tamen eo qui corpore ibi præsens est ei, qui radios mittit. Radiorum quoque diuersitatem inspicere oportet: & naturæ similitudinem aut repugnantiam. Maleficus enim & naturæ loci repugnans, & ex aduerso positus gubernabit quidem, sed vt tyrannus & dominus iniquus: Contra beneficus & loco congruens, & corpore præsens, aut radiis amicis locum aspiciens, gubernabit vt Rex, vt pater. Quòd si multum distet, qui succedit Planeta, vt in nostra genitura à sextilibus radiis Lunæ, qui in 12. partem perueniunt Tauri, vsque ad 12. Geminorum, vbi est corpus Martis, & rursus radij Lunæ quadrati intercedunt partes 30. aut saltem 29. vsque ad 11. Geminorum vbi cadunt radij trigoni Solis, tunc Luna nihilominus gubernabit

gubernabit omnes illos gradus, vſque ad 11. Geminorum: vbi tunc Luna deſinente, Sol gubernabit, inde paulò poſt Martis gubernationi Luna commiſcebitur, quia radij illius trigoni Martis corpori ſuccedunt. Sed vt dixi, quia in eodem gradu ſunt, & corpus validius eſt radio, miſcebimus Martis & Lunæ gubernationem ſimul, donec ad corpus Saturni directio peruenerit. Interim autem gubernatio Martis & Lunæ, Solis, aliquid commiſcebitur propter magnam Solarium radiorum propinquitatem. A duodecima igitur Tauri parte ad 11. Geminorum, vt dixi, gubernabit Luna Sed variè eas partes. Nam à duodecima Tauri vſque ad 24. plus poterit Luna, quàm dominus finis, quia tanta eſt magnitudo Lunaris luminis, & quantò plenior fuerit eo maior. A 24. in finem Tauri, cum Luna in Tauro altitudinem habeat, æquales fermè erunt vires Lunæ, cum domino finis illius partis. Ab initio autem Geminorum ad 11. illius partem propter longinquitatem radiorum ſextilium, & mutationem ſigni vbi Luna nullam habet poteſtatem finis dominus maiorem habebit vim quam Luna. Ita hoc exemplo reliqua intelliges.

Secundum eſt quod dominus finis ſemper debet aſſumi, vt ſocius cum gubernatore, qui corpore vel radiis dominationem ſuſcepit. Ratio quare non dominum domus, aut altitudinis, aut trigoni accipiat, ſed ſolius finis, clara eſt, quia oportet naturam dominij congruere naturæ rei & temporis, cum igitur tempus diuidatur in minutiores partes congruunt his domini finium non alij.

Tertium eſt quod docet quantum temporis his partibus correſpondeat: Et dicit tantum quantum ſunt aſcenſiones propriæ illius loci ſumptæ iuxta modum declaratum in capite de Vita. Circa quod notandum eſt, quod licet gubernator ſi ante Aphetam vtpote in octaua genitura Iupiterante aſcendens, tamen directio debet inchoari à loco Aphetæ, & non à loco gubernatoris. Et ita dabimus primum annum ſeptimæ parti Tauri, vbi eſt horoſcopus, & non quartæ vbi eſt Iupiter qui eſt gubernator.

Quod ſi quis dicat cur eſt quod pleraque tamen ex his ante tempus adueniunt, vt etiam ante nouilunium mortes ægrorum & pluuiæ, & ita de aliis? Cauſa eſt quincuplex, prima quia ſubiectum eſt, quandoque ita præparatum vt effectus accidat ante perfectionem cauſæ. Veluti quidam ægri ſunt ita debiles, vt non poſſint expectare perfectam Lunæ coniunctionem. Et aër eſt quandoque ita humidus, vt ante coniunctionem perfectam pluat. Ita dico de directionibus exitium aut felicitatem pollicentibus: quoniam quandoque ante exactum occurſum promiſſoris perficiuntur. Secunda cauſa eſt robur maximum quandoque directionis vel coniunctionis: Vt de igne magno, qui etiam accendit ea quæ procul ſunt, nec ipſum tangunt. Tertia eſt ſocietas aliarum coniunctionum, vel occurſuum, vel ingreſſuum, atque aliarum cauſarum, quæ effectum ante tempus accelerant. Quarta eſt media coniunctio & aduentus corporis Planetæ ad locum ante centrum, vel luminis ante corpus. Quinta eſt conſtitutio generalis ſuperiùs dicta. Veluti Planeta velox natura, motu auctus, orientalis à Sole, & in mundo. Contrariis ad vnguem cauſis effectus poſt directionem differuntur.

TEXTVS LXXXIII.

Annuos verò reiicientes annorum multitudinem ab ineunte ætate à ſingulis Apheticis locis iuxta ordinem ſignorum ſingulorum eum aſſumentes, qui ſigno dominatur, in quo ſubſtiteremus. Idipſum in menſibus præſtabimus adiicientes iterum à menſe natali præteritorum menſium numerum, à locis annui dominij ſecundum ordinem ſignorum, dies viginti octo. Ita dies etiam à natali abiiciemus, à menſtruis locis pro vno ſigno dies duos & trientem.

Hæc eſt tertia temporum diuiſio in annos & annorum partes, quam ponit Ptolemæus capiendo in ſingulis Apheticis primo in triginta gradus, & eum qui ſigno dominatur faciemus dominum eius anni. Et ſi fuerint duo ſigna, iuxta partes eorum. Gratia exempli horoſcopus eſt mihi 7. pars Tauri, primus annus habebit à 7. parte Tauri ad 7. Geminorum. Et ita primis 9. menſibus, & 18. diebus præerunt Luna & Venus pro partibus 24. Tauri, reſiduum anni gubernabit Mercurius pro ſex partibus initij Geminorum. Sequenti anno gubernabit Mercurius menſes nouem, dies 18. reliquum Luna cum Ioue. Tertio anno Iupiter & Luna menſes 9. dies 18. reliquum Sol, nam procedet à partibus 7. Cancri, ad 7. Leonis. Ita perfectis 12. ſignis 13. anno reuertetur res ad iuirium & Venerem cum Luna. & 7. partem Tauri vſque ad 7. Geminorum: & hic circuitus durat vſque in finem vitæ, ex ſingulis quinque Aphetis.

Similiter ab eodem principio anni dicamus gratia exempli, quinquageſimi primi noſtri incipientis cum profectio perueniſſet ad 7. partem Cancri diuidit totum annum in 13. partes æquales, quibus præficit totidem ſigna & dominos, & hoc vt procedendo 13. ſignis ſequenti anno peruenitur ad ſignum ſequens tam in anno, quàm menſe. Exemplum, vt dixi, anni quinquageſimi primi ſignum annum eſt Cancer, idem eſt ſignum primi menſis: Leo ſecundi: Virgo tertij: Libra quarti: Scorpio quinti: Sagittarius ſexti: Capricornus ſeptimi, Aquarius octaui: Piſces noni: Aries decimi: Taurus vndecimi: Gemini duodecimi: Cancer tertij decimi: Leo quartidecimi, qui & initium eſt ſequentis anni. Et ita vides menſtruam proceſſionem ex vno in aliud ſignum detuliſſe annum dominatum per vnum ſignum. Cùm ergo diuidatur annus in 12. menſes fit, vt vnus menſis dies contineat 28. & horas duas, & minuta 17. Sed Ptolemæus prætermittit horas

horas & minuta, quia parum erroris adducere poterant: & etiam quia facilè occurrebant conſtruenti tabulas.

Eadem ratione diuidendo menſem dierum 28. per tredecim partes, prodeunt, dies duo & ſextans, fermè. Sed textus dicit triens non ſextans. Græcus codex habet ἡμισὺ, quod eſt dimidium, & non trientem aut ſextantem. Haly vidit hunc errorem & putat legendum ſextantem. Si ſequamur eum, qui vertit, eſſet vt 28. dies diuiderentur per duodecim ſigna tantum, & ita exirent dies duo cum triente. Tertia opinio eſt quod diuiſio per menſes ſit in 12. & totidem ſigna, & tunc prodibunt 30. dies pro menſe. Et rurſus menſis per 12. ſigna diuiſus habebit dies duos & dimidium vt Græca litera habet. Ita oportet à textu Ptolemæi abiicere illa verba (Dies vigintiocto) & forſan ſunt additi ab aliquo qui ſuo modo illum interpretatus eſt. Hoc igitur habet difficultatis tertia expoſitio. Secunda verò non ſeruat eundem ordinem, quia ex ſignorum menſium ordine conſtat ordo ſignorum annuorum: Sed non ex ordine ſignorum dierum conſtabit, ordo ſignorum menſtruorum. In prima oporteret pro ἡμισὺ legere ἑκτημόριον quod eſt ſextans, at hoc multum differt. Similis dubitatio emergit cur reuolutiones annorum in his non potius ſecutus ſit, quæ ſunt iuxta ordinem rerum ipſarum & cauſarum quàm hos proceſſus. Ideò dico quod fuerunt tres cauſæ huius, prima quia iſte debuit aſſimilari directionibus, eò quod ſit diuiſionis temporum modus quidam: igitur etiam debuit fieri per proceſſus, non per reuolutiones. Secunda quia debuit hic proceſſus eſſe æqualis, ille verò qui fit per reuolutiones magnam recipit inæqualitatem, ideò non eſt conueniens. Nam propter aſcenſiones regionis aſcendens, quandoque tranſibit ex Virgine ſolum in Libram, & quandoque ex Aquario in Cancrum. Tertia quia in his tribus diuiſionibus temporum obſeruat ſemper ordinem Planetarum, vt omnes Planetæ ad gubernationem aliquo modo aſſumantur. In prima diuiſione per ætates ſecundum ordinem quo mundum conſtituunt. In ſecunda iuxta ordinem finium. Hic iuxta ordinem ſignorum. Si procederet per reuolutiones nullus eſſet ordo in Planetis, ſed idem Planeta ſæpius, aliquis nunquam aſſumeretur in circuitibus duodecim annorum & menſium, & in vno menſe. Præterea reuolutio fit cum motu proceſſus abſque motu. At Ptolemæus in vita non obſeruat niſi duos motus, primum cum homo naſcitur & conſtituitur figura principalis, & ſecundum ſuperuenientem de quo loquetur, in quarta diuiſione temporum, igitur reuolutio non poteſt eſſe principalis cauſa diuiſionis temporum in tertio modo. Et ſi quis obiiciat vt ex noſtris libris editis, olim exempla quibus confirmantur reuolutiones, reſpondeo ſi ſanè intelligantur illa pertinere ad quartam diuiſionem, de qua in ſequenti textu agitur. Ptolemæus verò adhuc duas alias diuiſiones propoſuit ſecundam & tertiam, vltra illam & potentiores illa, igitur hæc via eſt melior vt ſequamur quadruplicem temporum diuiſionem, quam vnam aut duas tantum, vt nos fecimus dum ſcriberemus libros de Iudiciis aſtrorum. Et cauſa fuit quod nos deſperabamus ob expoſitorum inopiam, & difficultatem textus Ptolemæi, & confuſionem maximam in arte ſcribentium, aſſequi illius ſententiam. Modo cùm aſſecutiſſimus eam auxilio diuino exactiſſimè & præter omnem ſpem, eam tradimus etiam aliis perfectiſſimè. Et eò melius acquieſcendum illi eſt, quod exiſtimandum ſit Ptolemæum, vt ipſe teſtatus eſt ſuperiùs, accepiſſe exempla & opinionem hanc ab Ægyptiis, qui, vt teſtatus Diodorus Siculus in ſecundo Rerum antiquarum, ex peritia aſtrorum ſolebant futura prædicere, Credendum etiam illa egregia Thraſybuli Mathematici, de Tiberio Sullæ eius filij, de Caligula, & Nerone, Aſcletarionis, de Domitiano, & de ſeipſo, non fuiſſe ignota Ptolemæo viro diligentiſſimo & locupletiſſimo: Quod ſi nota fuerunt haud dubiè illorum viam ſecutum eſſe neceſſe eſt, quæ adeò euidentibus prædictionibus fuerit confirmata. Quamobrem & illa hæc quam tradit non aliena eſſe debet ab ea. Impudentis enim ac ſcelesti viri fuiſſet vnum ſcire & aliud ſcribere. Quinimò etiam qui ſecuti & egregias prædictiones ediderunt, vt de Gordiano Imperatore neſcio quis, & de Iacobo Picinino, Franciſcus Maria Ferrarienſis, & de Paulo tertio Pontifice maximo Paris Ceresarius Mantuanus, hanc viam ſecuti ſunt, cum nulla alia eſſet in vſu ante nos: & etiam Ptolemæi vt par eſt ſtudioſi eſſent. Vnde conſtat nos etiam his inniti debere, quæ hic ordine certo à Ptolemæo traduntur: Illud intelligentes quod poſt ſubiunget Ptolemæus, eo ordine quo diuiſiones ponuntur, eo etiam robur ſignificationum accipi debere. Ita vt certiſſima ſint, quæ dominis ætatum decernuntur ſuis temporibus. Certa admodum etiam quæ à dominis directionum & finium ſignificantur, Certa etiam quæ à dominis proceſſuum annualium, & menſium atque dierum. Demum minus firma quæ ab ingreſſibus Planetarum in loca congruentia, aut diſſidentia promittuntur. Et tamen ea adeò valida eſſe vt his ſolis nos confiſi, multas præclaras ad hanc diem in genituris prædictiones ediderimus. Quid igitur Ptolemæum hac in parte ſequenti euenturum ſit facilè intelligis.

Verùm dices, Ptolemæus quidem has diuiſiones qualiter fieri debeant edocuit: ſignificata quoque primæ, quæ per ætates fit tanquam manifeſtioris, & quibus minus opus eſſet ob facilitatem declarauit: Sed de his duabus, ſcilicet ſecunda & tertia diuiſione, non eſt locutus. Reſpondeo quod ex præcedentibus cognoſcuntur. Sunt autem quinque ſi rectè colligantur, ex quibus euentus dignoſcere licet. Primùm eſt quòd directio aut profectio perueniat ad beneficam, aut maleficam, aut mediam, & ſumitur hoc à natura Planetæ: quemadmodùm in vita & in decretis generalibus maleficæ offendunt, beneficæ iuuant: ita in proceſſibus & directionibus. Non tamen directio tantum quantum generalis & natalis conſtitutio: & minus proceſſus quàm directio. Secundùm eſt conſtitutio Pla-

netæ hora qua ſuſcipit dominium quod ſit orientalis, à Sole auctus lumine & motu, in ſuis dignitatibus bene configuratus Lunæ & beneficis, hæc enim bonum, contraria malum ſignificant. Tertium quod Planeta, qui dominium recipit in natali figura ſit amicus, & propitius illi cauſæ, hoc enim bonum. Sicut ſi ſit dominus oppoſiti Aphetæ, aut oppoſitus domino Aphetæ malum. Quartum quod talis dominus proceſſus, vel directionis hora geniture fuerit fœlix. Quintum & vltimum quod obſeruemus in toto decurſu dominij ſui cum occurret beneficis, aut configurabitur Aphetæ natiuitatis, aut ipſe erit potens, cauſa illa iuuabitur: cum fuerit in coniunctis debilitabitur: & ſimiliter cum erit ſub radiis Solis, aut retrocedet, aut oppreſſus à maleficis, aut cadens. Haly verò credit quod Ptolemæus ſponte hæc occultauerit: Sed non ſolum inuidioſum eſt, verùm etiam ſtultum, tradere artem & illius præcipuam partem occultare. Deinde ea tradere, per quæ intelligantur ſcripta ab illo, & fiat quaſi aliena laus.

Circa hos tres modos diuiſionis diligenter obſeruandum, Ptolemæum vitaſſe confuſionem, & dominos proceſſuum, & directionum obſeruaſſe, & non ſolum ipſa loca, & locum Aphæticum principalem hora genituræ. Exemplum, vt dixi, anno quinquageſimo ſecundo horoſcopus peruenit ad Cancrum, Tauri pars ſeptima eſt Apheta, & dominos conſiderat ſeptimæ partis, non Tauri, ſed Cancri, Lunam & Iouem principaliter: poſt dominos loci genituræ, id eſt, ſeptimæ partis Tauri, & locum proceſſus, id eſt, ſeptimam partem Cancri. Ita vt in diuiſionibus temporum, ſeu per proceſſus, ſeu per directiones, cum ſint quatuor, locus natalitius, dominus loci natalitij, locus proceſſus, dominus loci proceſſus: primam authoritatem ſortitur dominus loci proceſſus, ſecundam locus natalitius, tertiam dominus loci natalitij, locus autem proceſſus quarto loco habetur. Et hæc pro intellectu non ſolum præcedentium, ſed & ſequentium. Verùm dices nonne ſufficiebat Ptolemæo dicere, quod tota figura ſingulo anno per vnum ſignum procedebat, quaſi per viam reuolutionis, ita vt figura reuolutioni ſimilis erigeretur? Reſpondeo quod non, ob duas cauſas: prima ob inæqualitatem domorum: Secunda quia non vult quod procedant, niſi illa quinque loca principalia, non omnia.

TEXTVS LXXXIV.

Reſpiciendum etiam eſt ad ingreſſus in præcipua potiſſimum loca, neque enim parum momenti habent in temporum decretis maximè Saturni generalium, Iouis annuorum Martis & Solis, Veneris & Mercurij menſtruorum, Lunæ diurnorum.

Hæc eſt quarta temporum diuiſio, quæ quaſi fortuita eſt, cum Planetæ ingrediuntur præcipua loca, id eſt, illa quinque dicta: nam eorum ſignificatum tamdiu durat, quantum Planeta ille integrum ſignum permeare poteſt. Ob id Saturnus generalem habet temporum partem id eſt duos annos & dimidium & quandoque tres, quia tantundem in vno ſigno manere poteſt. Et hæc eſt cauſa quod paucæ infelicitates diutius durant: & maximè peſtis, quamuis à deliquiis ſignificatio principalis ſumatur. Eadem ratione Iupiter habet annos, anno enim manet in ſingulo ſigno. Mars, Sol, Venus & Mercurius menſes: nam Mars non implet ſpatium duorum menſium in vno ſigno generaliter, ad ſummum quandoque octo menſium: reliqui tres vno menſe ſignum ex ordine peragrant, ideò præponuntur hi quatuor Planetæ menſibus. Eadem ratione Luna cum in vno ſigno paulò plus duobus diebus maneat, dierum ſpacio præeſt. Hæc igitur eſt ratio diſtributionis fortuitæ temporum iuxta ingreſſus, & deambulationes Planetarum in quinque locis principalioribus, & per loca principaliora, non intelligit natiuitatis, ſed ad quæ peruenerunt per annuos, vel menſtruos proceſſus.

TEXTVS LXXXV.

Ac quemadmodum generalium temporum arbitri potiores ſunt ad decretum abſoluendum, ita particularium conducunt, aut reluctant, per conuenientia & aduerſitate naturæ ſuæ, tranſitus verò augmenta, & decrementa euentuum adducunt.

Comparat inuicem hæc tria: generalium temporum diſpoſitores, & propriorum & tranſitus: Nam generales diſpoſitores plus poſſunt in abſoluendo effectum: Domini verò propriorum conducunt, ſcilicet plurimum, aut reluctantur: tranſitus autem tantum augent, aut minuunt.

Notandum quod licet hi reditus ſemper aliquid tamen longè plus faciunt in finibus annorum, quàm in alia parte anni. Et ita de menſe & diebus. Et plus in initio anni quam menſis, & menſis quam dierum, per ſignum ſignificatorum: vt capite de vitæ ſpatio superiùs viſum eſt.

Notandum rurſus quod mutationes ſignorum in annis concordant, cum reuolutione Solis & motu Iouis. Et menſes dierum 28. horarum duarum minutorum 17. cum reuolutione Lunæ. Eſt enim medius inter menſem reuolutionis Lunæ, qui eſt dierum 27. cum tertia & menſem coniunctionis Lunæ cum Sole, qui eſt dierum 29. cum dimidio. Et ſignorum ſpatium quod continet dies duos & ſextantem, vt dictum eſt, cum ſpacio quo Luna in ſigno vno permanet.

TEXTVS LXXXVI.

Nam ſummariam qualitatis rationem & temporum prorogationem Apheticus locus, & generalium temporum

porum arbiter, vnà cum finium domino designat, quòd familiare est vnum quodque sydus, iis in gẽitura locis quorum ab initio gubernationem sortitum est. Sed bono ne sint an malo eorum, qui temporibus præsunt naturali, & mista propensione ad bene maleùe faciendum colligitur, & eorum familiaritate, aut inimicitia, quam ab initio susceperunt.

Quinque erant ab initio proposita, quæ nobis euentus prædicerent: Scilicet constitutio genethliaca & quadruplex diuisio temporum: quarum prima quæ per ætates fit cùm sit omnibus communis, & per se clara omittitur, reliqua duo prima in præsenti textu edocet, scilicet generalem constitutionem & tempus, à directione sumptum. Cùm verò tria fermè in qualibet re supponantur, vt in secundo libro docuit, genus rei, tempus & qualitas: Veluti in coniugio hæc tria quæruntur an nubet, quando nubet, an fœlix erit coniugium. Et ita de aliis præterquam de morte. Sed & in illa mortis author quæritur. Verùm mors per Aphetam non decernitur, sed Anæretam. Inquit igitur genus rei decernitur per locum Apheticum: Prorogationis tempus, id est, quousque procrastinabitur generalis arbiter temporis, id est, promissor in directione. Speciatim autem dans finis: hoc autem in secunda diuisione est explicatum. (Eo quod) Subdit causam quare assumendus sit Apheticus locus cum finium domino, scilicet succedentium, & temporum generalium arbitro, quia dicit, licet Apheticus locus sit per directiones mutatus, tamen semper participat cum domino temporis illius. Exemplum, quando directio signi Geminorum peruenerat ad horoscopum, tunc dispositiones horoscopi (& fuit in iuuentute) erant mixtæ ex natura finium in Geminis & Martis, gratia, exempli, & Saturni natura qui ibi erant & Tauri quod fuit ab initio in ascendente. Quod verò dixit (Naturali & mista) Intelligit quod tria debemus considerare in temporum significatoribus, naturalem dispositionem benefici, vel malefici mixtam, id est statum eius tunc, & cum quibus commiscetur: Et idem hora natiuitatis.

Notandum quod ex hoc colligitur vna regula pulchra, scilicet quod effectus promissus per directionem, non potest differre, nisi per tot annos quot sunt hi, qui respondent numero partium finis, quæ super sunt post radius Iouis peruenit ad ascendens, & fines directionis locum. Exemplum, per directionem in fine annorum quinquaginta sextilis Martis in Cancro sunt, ab initio eius vsque ad initium septimæ partis, radij verò sextiles Iouis cadebant in quartam partem Cancri, & Iuppiter fuit dominus loci Lunæ iter significantis, & iuxta cadebant radij quadrati Solis, & trigoni Lunæ, & omnes iter significarunt. Dico igitur punctum itineris est quarta pars Cancri, tamen vbicunque contingat concordia progressus signorum ab initio Cancri, vsque ad initium septimæ partis Cancri, ibi erit itineris significatio. Ponamus igitur quod in eo statu ascendant, cum primis sex partibus Cancri partes quinque, minuta 18. quibus respondent anni quinque cum triente. Cùm igitur ex directione debuisset contingere in fine anni quarti horum, qui fuit quinquagesimi mei finis, & ita contingit ad vnguem, tamen potuit contingere per annos quatuor ante vel sexdecim etiam menses post tempus in quo contigit: Quia tantum extendebantur fines Martis ante, & post punctum in quem cadunt radij promissoris. Et hoc est quod voluit Ptolemæus.

TEXTVS LXXXVII.

Quibus verò temporibus magis elucescet decreti vis significatur ab annuorum, & menstruorum signorum cum obnoxiis locis configuratione, & secundùm ingressus astrorum & Solis, Lunæque radiationes ad annua, & menstrua signa. Nam si conuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum in ambulationes conuenienter illis configurantur pro re proposita, bonum. Si inconuenienter & præter conditionem opposita quidem, aut quadrangula figura in transitibus, malorum authores sunt, aliter verò configurata, non ita.

Reliqua duo membra diuisionis temporum, quæ ad propria tempora pertinent, id est, ad annum, mensem, diem & horam effectus, vt de Domitiano aliàs retulimus, in præsenti textu declarat: Dicens quod tale tempus dignoscitur ex duobus, scilicet annuorum, & menstruorum intellige tu & diurnorum signorum, id est quæ habentur in tertia temporum diuisione, & superiùs declarata sunt à nobis, ad obnoxia loca intelligit bona & mala, non mala tantum: pro obnoxiis locis maleficarum & beneficarum, & luminarium, & Sortis, & cœli Medij, & ascendentis intelligit loca. Sed tamen in his tribus vltimis radijs non tantum possunt, vt in ipsis Planetis. Nam si gratia exempli, agatur de comparatione ad ascendens in octaua genitura inconiuncta illi signa sunt Gemini, Sagittarius, Aries & Libra: Quoties ergo profectio ad aliquod horum signorum peruenerit, nusquam afficietur, in trigonis & hexagonis signis bene se habebit. In oppositis & quadratis malè. In malis autem vtpote cum mihi Saturnus & Mars Geminos possideant, & Gemini, & Virgo, & Pisces, qui sunt in quadrato, & Sagittarius, qui est in opposito, malum afferent: Leo autem & Aries, qui sunt in sextili, & Libra & Aquarius, qui sunt in trigono non nocebunt. Hoc est quod dixit (Aliter autem configurata non ita)

ita.) Non prætereundum puto quod ignotus explanator, nos in hac causa docet, scilicet temporum annorum, & partium illorum significata, propriè pendere ex tribus, scilicet significatoribus promissoribus, & finium dominis. Atque hæc de processibus annorum, mensium, & dierum.

Quod ad ingressus verò attinet, vult ingressus Planetarum configurari bene si bonum debent significare, & malum, si malè. Exemplum, si anno quinquagesimo primo ascendens peruenit ad Cancrum, & Saturnum fuisset in Capricorno, omnia mihi aduersa contigissent. Si autum ibi fuisset Iuppiter, optimè: id est, si fuisset in Cancro. Et ita inspicere oportet vbi erant luminaria, quorum alterum in Libra, & ideò aduersabatur: reliquum in Leone iunctum Ioui in secundo loco: Et hoc iuuit in causa diuitiarum & incolumitatis corporis. Et hoc semper verum est, sed magis in initiis annorum & mensium, vt aliàs dixi.

Et circa hoc est notandum quod ego obseruaui sæpius, & est quod si in initio anni,) idem de mense dico (loca principalia per ingressus, & maximè Luna cadant in locis maleficarum in genitura, vel fiat reditus quasi per circuitum malus, tunc eueniet eo anno mors, vel infortunium ex genere significati loci principalis, quem Luna aut Planeta alius significator constituit. Velut in genitura Io. Pauli Sfortiæ, Luna fuit inter Pleiadas, & Iuppiter iunctus Marti in Sagittario, & peruenit ad annum in quo Luna fuit rursus inter Pleiadas & Iuppiter iunctus Marti, in Aquario in quadrato Lunæ, & mortuus est eo anno. Et similiter in genitura Francisci Sfortiæ secundi videbis, exemplum, casus Lunæ in loco maleficæ eo anno quo mortuus est. Et hæc omnia intellexit Ptolemæus sub ingressibus astrorum in loca obnoxia à natiuitate, & loca Aphetica annua aut menstrua, vel diurna processus.

Sed dices igitur ex hoc sequitur quod singulis duodecim annis homo ad eadem perueniet. Ita quod si quis habuerit morbum in tertio anno habebit, in 15. & 27 & 51. & si quis habuit dignitatem anno 50 habebit, & 62. & 38. habuisse oportuit, itemque 26. Et sic de aliis quod non solum falsum, sed & absurdùm esse videtur. Hoc tamen ita contingere necesse est, si admittamus omnia loca principalia singulis duodecim annis ad eadem signa non solum sed & signorum partes reuerti: Et quod vt se habuerint hæc signa ad loca natiuitatis bona malaue, congruentia aut diffidentia, ita bona aut mala sequi. At hoc certum est singulis etiam duodecim annis reuertentibus locis principalibus ad eademmet signa, eodem modo illa configurari ad loca genituræ: Ptolemæus verò concedit omnia hæc, igitur necessarium erit euenire, vt dixi, eadem statis quibuscunque temporibus. Propter hoc Arabes hac in causa Ptolemæum deseruêre, alia commenti absurda & falsa. Vt verò ratio Ptolemæi perspicacissima intelligatur: Sciendum hoc, quod omnia quæ hic fiunt, à cœlorum motibus & constitutione pendent: Et quod, vt superius dictum est, omnia quæ in cœlo inæqualia esse videntur ad æqualitatem referuntur, igitur cum reuolutio Solis inæqualis sit, non poterit euentus rerum in annis ad illam referri, sed ad directiones & processus per signa. Ex hac tamen æqualitate, quæ est raditus ad signa eadem singulis 12. annis, & comparatione ad genethlica loca consurgit magna diuersitas. Videndum Si quis loca processuum compararet locis directionum protinus consurget diuersitatis in circuitibus 12. annorum. Sed non est. Consentaneum hoc rationi, quia esset multiplex diuersitas. Dico igitur quod Ptolemæus vult quod ad hoc vt sequatur effectus vt primum significetur à significatore generali in natiuitate, qui illum venturum esse promittat. Inde per directiones & ætates venabimur tempus. Et si contigerit sub illo tempore directionis ætatis, & finis congruentium processui, quem Arabes vocant Alynthiam, peruenire ad signum congruens, eo anno sequetur effectus validus, & absque impedimento, & maximè si Planetæ cum hoc, loca hæc processuum ingressi, fuerint fauentes significato: vel etiam Sol, aut Luna solum respexerint. Quod si nullo possint esse talia signa, quæ faueant huic causæ, vtpote quod in bono impediantur à maleficis ibi positis, aut respicientibus quadrato opposito vel aspectu: Vel in malo impediantur à beneficis illis positis, aut aspicientibus trigono, vel sextili aspectu: tunc oportebit quærere magna diligentia opportunius signum in ea causa: Quòd si eo inuento Planetæ contrarij significati ibi ingrediantur, vel etiam Sol aspiciat, aut Luna ex opposito, vel quadrato aspectu, tunc impedietur negocium illud quamdiu Planeta ille locum eum corpore, aut radiis obsidebit. Ex hoc patet quod hinc ad 12. annos res talis non reuertetur, quia directio necessario erit mutata & forsan ætas: & dato quod ista omnia reuerterentur ad idē, non idem effectus reuerteretur post 12. annos: quia ingressus Planetarum, & luminarium variatur, igitur & effectus. Nam si idem numeros per duos diuersos multiplicetur, aut addatur duobus diuersis numeris, necessario cōflabuntur duo numeri diuersi magis, quàm si duo & duo numeri ex toto diuersi iungantur, aut multiplicentur, vt in multiplicationes 3.& 8. & 4. & 6. in addtione 3. & 8.& 4. & 7. nam multiplicando 3. in 8. vel 4. in 6. vtrobique fit 24. & addendo 3. & 8. & 4. & 7. fit 11. vtrobique. Sed manente vno numero, idem nunquam proueniet. Igitur Ptolemæi inuentio effectui respondet. In his tamen circuitibus contingent persæpe quædam similia, sed propter varietatem initiorum, ætatum, & successuum quæ ex ingressibus pendent, diuersa omnino existimabuntur. Manifestum est etiam ex his quod initia annorum quippiam simile cum finibus habebunt. Et scias quod in hoc textu, & alio superiùs explicato, tota fermè non solum ars, sed & artis exstimatio, & difficultas, reconditæ sunt.

TEXTVS

TEXTVS LXXXVIII.

Ac si iidem & temporum, & introituum domini fuerint Planetæ, illustris fit & minimè mediocris decreti natura, siue illud bono, siue malo fuerit. Multo verò magis cum non solum temporis quod gubernant nomine causarum generi præsunt, verum ab initio secundum genituram.

Quòd in rebus manifestis diffusiùs loquatur Ptolemæus, quàm in obscuris, plurimi admirari solent cùm non intelligant in obscuris non potuisse, vel hanc obscuritatem sermonis effugere, vel immensam longitudinem, cùm mediocris prolixitas maiorem breuitate obscuritatem paritura esset. Nam quibusdam membris diuisionis explicatis, alia & peculiari ratione, quam tota rei substantia maior longè confusio emersisset. Duo igitur capita rerum attingit, quorum quodlibet habet duos modos: primum in præsente textu, & est cum domini ingressuum, id est, signorum in quæ Planetæ ingrediuntur, aut finium fuerint, id cum dominis signorum processus in singulis causis, puta vel vitæ, vel diuitiarum, vel animi: Et multò magis intelligit si sint eadem signa, tunc sequentur illustres non solùm euidentes effectus. Alter modus maior est hoc, cum præter dominium loci ingressus & processus, fuerint etiam domini illius significati in genitura, id est, loci Aphetæ rem eam significantis. Et de hoc habes exemplum clarissimum in genitura octaua anno 51. nam Luna significauit iter, & ascendens peruenit per processum ad sextam partem Cancri, & per directionem ad quartam partem Cancri: quibus ambobus locis Luna præest. Ideò significauit iter magnum & diurnum.

Vt verò in eiusmodi rationem quandam certam inuenias id, quod sæpe expertus sum, te docebo, animaduerte singulos dies fœlices, aut infœlices, & ex qua causa, tum verò quisnam Planeta, aut locus affligatur, & tum in illa causa toto anno præcipuè, obseruabis inuenies que, cum validus fuerit eo anno, ac fœlix, prosperè res procedere si infortunatus, & imbecillis infœliciter. Eoque magis cum in genesi eidem negocio præfuerit, nec velit minima quæque timere, aut obseruare, sed euidentes tantum excessus, sed & in causis præcipuis. Vnaquæque enim genitura tria aut quatuor habet obseruatione digna. Velut in genesi Alexandri Medices, de qua superiùs egimus, quis poterit loci Sortis ad fœlicitatem & Martis, tùm ad seipsum, tum ad Solem configurationis pro violento exitu obliuisci, & 28. Leonis partem non obseruare. Tum verò secundo loco eos, qui afficiunt, communem autem vtrisque sydus atque locus.

TEXTVS LXXXIX.

Omninò verò beati aut miseri sunt, quibus, vel vnus locus ab omnibus, aut pluribus Aphesibus occupatur, aut si hæ differant, eadem tempora omnes plurimasve obuiationes similiter beneficas, aut maleficas complexa sunt.

Hoc secundum caput illustre ob concursum: Et hoc similiter habet duos modos quorum primus est quod quando quatuor ex quinque Aphetis superiùs dictis, scilicet Sol, Luna, Sors, ascendens, vel loco ascendentis cœli Medium, in eadem parte vnius signi fuerint, tunc tali nato aduenient omnia bona simul aut mala. Et hoc est validissimum. Similis huic sed paulò imbecillior est, quando singuli Aphetæ sua loca seorsum habuerint, sed casu euenit vt eodem tempore omnes, aut saltem maxima pars obuiat malis radiis ac maleficis: Aut simul omnes, aut maxima pars beneficis, tunc illi nato euenient simul plura bona aut mala. Velut contingit Iob (quanquam illud fuit supra naturam) vt breui diuitiis omnibus, & filiis, & sanitate priuatus fuerit. Et his quibus domus corruens vitam cum bonis, & familia tota aufert. Patet igitur quod in primis duobus modis declarat rem illustrem magnitudine, sed in vno tantum genere: Insequentibus autem illustrem non propter rei magnitudinem, vt in reliquis præcedentibus, sed concursu multorum bonorum aut malorum.

TEXTVS XC.

Hic igitur nobis est temporum contemplandorum modus, genera verò decretorum suis temporibus euenientium congerere hoc loco omittemus, ob illum quem nobis scopum proposuimus cum astrorum efficientia generatim perspecta, partilioribus euentibus accommodari iusta ratione possit, si Mathematici causam eruditè cum ea quæ ex temperatura nascitur, comparemus.

Si memor es eorum, quæ in secundo libro scripsit, in futuris quæri solent quatuor, locus, tempus, genus & modus. Verùm in tertio docuimus genus in publicis rebus admodum in genituris priuatorum transferri oportere. Ita vt sit sensus, quæ verò speciatim vnicuique homini tempore directionis, & processuum, & ingressuum decernantur, omittam scribere, quod iam sit per se notum, quia ex decretis generalibus iam superius his quatuor libris descriptis pateant, modo has considerationes Mathematicas cum his, quæ ex temperatura vniuscuiusque

oriuntur,

oriuntur, comparemus. Sed dices nonne etiam temperatura habetur ratione Mathematica, vt superiùs visum est? Respondeo quod licet hæc temperatura etiam ex astris haberi possit, nihilominus non tam exquisitè, vt Ptolemæus suadeat vt cùm rem præ manibus habere possis, altius eam exquiras: nec quicquam habeas tutum cui inniti possis. Consulit igitur vt sensibus percepta compares his, quæ à genesi ac dependentibus ex illa decernuntur: Vtarisque commodè his quæ notissima iam habes in omni prædictione.

Iam ergo explicuimus dicta Ptolemæi docuimusque, quæ ad dignoscenda futura quantum homini licuit pertinent. Reliquum est vt Deo gratias omnium bonorum authori agamus. Nec pigebit ea adiicere, quæ quanquam suprà dicta sint, non tamen adeò ordinatim, neque perfectè, scilicet quod ad rectè prædicendum septem maximè sunt necessaria: primum vt genesim habeas quam exactissimam, & si fieri potest aliquibus experimentis comprobatam quod si non propriis, quia nuper natus sit fieri non potest, vt vel ex nascendi modo, aut casibus parentum, aut fratrum id non coniicias. Aduertes etiam vt docet Ptolemæus hic fortunam & ingenium. Secundum vt tabulas exactissimas habeas declinationum cum rectarum ascensionum, & obliquarum ab vno altitudinis gradu vsque ad regionis tuæ gradum ac minutum altitudinis, necnon iuxta eadem horariorum temporum atque positionum ex tabulis primi mobilis fabricatas, nam cum his & Ephemeridibus Prutenicis, & Sphæra solida ob stellas fixas consequens intentum. Tertiū vt præter generalia quæsita contentus sis quatuor aut quinque insignioribus euentibus, nec putes tibi acta diurna ibi conscripta habere. Quartū vt seligas concordi ratione loca bonæ, malæque fortunæ, tam vitæ quam diuitiarū, & honorū, itinerum, vxoriæ rei ac filiorū. Tum verò existima futura euidenter cum directiones his locis, & & plurimis (nā plurima simul euenire necessarium semper est) cum processibus, atque redditibus concordabunt. Quintum vt scias quæ negligenda aliter non solum in errores, sed in desperationem ex confusione peruenies. Sextum vt vtilium quæ principalia, & an vnum, aut alterum, aut ambo, aut quando vnum, quando alterum, hoc enim maximè necessarium. Septimum in quibus maximè contingant dubitationes: & sunt quinque domorum diuisio antiqua, & noua directio per meridianos iuxta proportionis, aut circulos positionis reditus, an processus significatorum electio. Et loci mutati, aut mutati ingressibus comparati.



DE



DE SEPTEM ERRATICIS STELLIS LIBER.

DE SATVRNO.

SATVRNVS altiſſima Errantium ſtellarum eſt, proximáque ſtellato orbi, inditio eſt quod tardiſſimè omnium mouetur, & quod eum proximus fuerit alteri Erraticæ oculus deprehendit ipſum eſſe illa altiorem. Minor eſt aſpectu quauis alia præter Mercurium : vnde, cùm ſit ſuperior aliis vt dixi, à quauis obumbrari poteſt etiam præterquam à Mercurio. Poteſt etiam intercipi alio modo, non admiſſis radiis ſolaribus, ſeu per Iouem, ſeu Martem, nam Venus, Mercurius & Luna : id efficere non poſſunt cùm cùm ſint parui & nimis ab eo diſtantes, vt vmbra illorum ad eum non pertingat. Eſt autem coloris plumbei & obtuſioris luminis quouis alio Planeta. Id contingit partim natura propria, partim ob raritatem ſubſtantiæ eius. Maximus enim eſt omnium erraticarum exceptis Sole ac Ioue, vt cuius corpus globum terræ & aquæ contineat (vt ferunt) nonageſies ſexieſque. Dimeties autem illius ad dimetientem globi terræ & aquæ quadruplus cum ſeptunce, vt ſcilicet quinquagintaquinque ad duodecim. Alij dicunt dimetientis ad dimetientem eſſe tantum quadruplum cum dimidio, corporis verò vt XCI. ad vnum. Circuitus eius fit in annis XXIX. diebus CLVII. horis XXII. Minutias non apponimus, cùm quod ad finem noſtrum nihil referant, cum quia vix ſciri poſſunt. Reſoluit pariter in parua Sphæra in anno vno & diebus XIII. ſpatium ob id retroceſſus quamuis ad vnguem definire non liceat eſt prope dies CXI. Cùm enim circa abſidem retrocedit ſunt dies fermè CXLV. cùm circa oppoſitum CXXXIII. Eſt autem abſis illius in Sagittarij partibus XIII. minutis XXXIX. Dico autem quod Sol & Saturnus propè abſides ſuos ſint : hoc enim facit ad longum retroceſſum, Solis quidem quia Saturnus mouetur tardè in Sphærula ſua. Saturni verò quam in eccentrico, contra in perigæo ſi ſit vterque Planeta ſui eccentrici celeriter retroceſſus abſoluetur. Latitudo eius meridiana maxima eſt partium III. minutiarum II. cùm fuerit Borealis. Auſtralis autem partium III. minutiarum V. Omnes enim erraticæ præter luminaria & Venerem magis inclinantur, in latitudinibus ad Meridiem, quàm ad Septentrionem, Venus & Luna æqualiter. Sol autem ne vtrobique Ecliptica diſcedit, locus quo ſecat Ecliptica ad nos veniens noſtra æſtate eſt pars IX. Leonis : quo tranſit ad meridiem circa Capricorni finem. Venter Borealis circa finem Libræ, venter Auſtralis, circa Tauri initium. Tranſitus à meridie in ſeptentrionem, & à ſeptentrione in meridiem fit à tredecim annis ad quindecim : ideoque ſuperiores videntur, ſicut & Luna motum latitudinis habere fermè ſimilem & æqualem motum quem cum longitudine habent. Videntur etiam capita eorundem velut, & in Luna motu contra ordinem ſignorum, quo fit vt celerius redeant, quàm ſit tempus circuitus. Domus illius Capricornus & Aquarius oppoſitæ domibus luminarium. Altitudo ſignum totum Libræ, ſed præcipuè pars eius XXI. Trigonus Geminorum Libræ & Aquarij, quod in eo ſint, domus eius & altitudo opponaturque trigono Solis, quo circa & carpentum eius eſt in Aquario toto. Ibi enim domus & trigonus, natura illius humida, fines autem vt in tabula ſcribuntur. Fertur gaudere in duodecimo loco, ſcilicet vt interprætor quod ibi ſit ſupra terram, & ab angulis procul, nec ſublimis, nec in malefica domo qualis eſt octaua. Horum igitur omnium cauſa vt ſub oculis repræſententur, melius & etiam ſi error in littera accideret, vt melius poſſit corrigi eamque in tabula ſic expoſui,

SATVRNVS ♄.

Circuitus magnus, An. 29. D. 157. H. 22.
Circuitus paruus, An 1. D. 13.
Retroceſſus tempus, D. 140.
Latitudo Max. Merid. eſt 3. M. 5. Bor. Gr. 3. Min. 2.
Caput ♌ 6. 11. Cauda, ♑ à Gr. 20. ad 30.
Venter Bor. ♎ finis. Auſt. ♉ initium.
Tranſitus latitud. ab annis 13. ad 15.

Domus ♑ & ♒ Altitud. ♎ 21. Gr. & tota.

Trigonus ♊, ♎, ♒, Carpen. totus ♒. Et primi sex Gr. ♎. fines.

Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.
♈	à 26. ad 30.	♉	à 23. ad 27.	♊	à 25. ad 30.	♋	à 27. ad 30.
♌	à 12. ad 18.	♍	à 29. ad 30.	♎	pri. 6.	♏	à 25. ad 30.
♐	à 22. ad 26.	♑	à 22. ad 25.	♒	à 26. ad 30.	♓	à 29. ad 30.

Gaudium eius XII. Domus.

Notandum circa hos fines quod secutus sum opinionem Ægyptiorum, qui alios volet legat in Ptolemæo supra. Numerus etiam debet intelligi in vtroque termino, vt cùm in Tauro à 23. Gr. ad 27. Gr. intelligo, quod & vigesimus tertius & vigesimus septimus gradus sint Saturni, & eadem ratio habebitur in singulis Erraticis, aliis cùm fines eorum ascribentur. Præterea vt cognoscamus absidem Sphærularum in omnibus planetis exceptis luminaribus, & vbi iunguntur cum Sole, & sunt velocissimi. Sed inferiores duo Venus & Mercurius, & reliqui etiam scilicet superiores cum velocissimè retrocedunt sunt in opposito Solis tunc. Inferiores autem Soli coniuncti sunt, cùm sunt in abside. Luna verò est dissimilis verisque nam vt dixi superiores sunt, solùm in abside, cum sunt, soli iuncti & velocissimè mouentur, Luna cum est soli iuncta vel in eius opposito,

Natura eius est calida, & humida quoniam Astra omnia eiusmodi sunt, vt ostendimus in Physicis, verùm calor eius non est tantus vt possit conseruare diu hominem, sed conuenit naturæ planetarum, & ideò cùm fuerit bene dispositus iuuat ad sationem, ablaqueationem, insitionemque arborum, quod si esset vt dicunt, frigidus & siccus obesset etiam illis, cum omnis vita consistat per calidum & humidum. Cum ergo fuerit calidior & humidior, tantò erit magis propitius naturæ humanæ, & aliorum animalium sanguineorum. An verò tueatur animalia exanguia? dico quod sic præcipuè sicca, nam & illa indigent tutelaribus astris, & quod nam conueniet illis præter Saturnum? nam Luna proculdubio tuetur pisas & ranas, & Cancros & similia exanguia. Sol autem sanguinea, tum Erraticæ naturæ mediæ & Iupiter, & Venus, & Mercurius orientalis facient vtriusque, Cùm ergo inter animalia exanguia, qua sicca sunt veneno sint prædita, vt demonstraui in libris de Subtilitate. Erunt omnia genera serpentum, qui, non sunt calidissima, vt vipera, Scorpio, aranei sub eius dominio, quæ autem erunt calidissima vt regula Armenus, & eiusmodi sub Marte. Et postquam præest omni planetarum generi inerit author non illis veneni aliter omnes plantæ essent venenosæ, sed commictus Marti calidorum venenorum vt Napelli, & Euphorbij, & Mercurio malè disposito frigidorum, velut cicatæ & aconiti, nam & Mercurius ad caliditatem vergere potest, ipse verò malè dispositus (sicut Sol & Iupiter malos homines) gignit plantas fœtidas & prauas, vt cotilem & solanum insanum, & si misceatur Lunæ sic parit herbas quæ oriuntur in aquis, & sunt grauis odoris, ac parum salubres, & mixtus Veneri producit nympheam, cuius flos maximè luteus bene olet, auersatur tamen Veneri, & facit steriles: permixtus autem Soli aut Ioui aut Veneri, aut Mercurio benè disposito, & ipse boni status generat rosas, lilia, spicam, roremmarinum, violas purpureas. Has propriè cum Luna, bug'ossum, betam, mala medica omnis generis, præest etiam metallicis & maximè occidentalis: & ideò cum Sole aurum, cum Luna argentum, per se plumbum nigrum, cum Ioue æris genera, cum Venere plumbum album, cum Marte ferrum, cum Mercurio reliqua metallica inter quæ venena plura connumerantur.

Cùm ergo calidus sit & humidus, sed minus quam humanæ naturæ expediat, primùm illud terminandum est, an adueniens ad nos seu per transitum æquinoctij circuli, seu per latitudinem augeat calorem & humidum, comparatione habita ad humanum genus, cuius causa & contemplatione hæc quærimus, an potius minuat? an vnum augeat, aliud minuat? & quomodo? Et hæc quæstio non est generalis, sed pro calore conuenit Soli Saturno & Lunæ, & pro humido Saturno & Marti, & pro vtroque Saturno & Mercurio occidentali. Secunda quæstio est quia constat quod Mars & Sol, imò etiam Iupiter & Mercurius exsiccant, quomodo id efficere possunt cum sint humidi? neque enim idem est de humido, quod de calore. Calidus enim planeta potest refrigerare minus calefaciendo, sed non potest siccare minus humectando, & non conuenit quæstio nisi planetis supradictis, non Veneri nec Lunæ quia nunquam siccant. Tertia est an erratica magis agat in abside epicycli atque eccentrici, an in opposito. Et non intelligo nunc cum est ibi coniuncta soli sed propè, & ratione solius altitudinis. Quarta est an erratica magis agat dum retrocedit, aut dum stat, aut velocissimè mouetur? nam certum est quod extremis debentur validissimæ operationes, aut imbecillissimæ. Quinta an erratica magis excalefaciat, an exsiccet soli coniuncta an per se? Idem dico de humectatione & refrigeratione? Et hæ tres quæstiones sunt communes omnibus erraticis. Sexta est quas qualitates acquirat stella in abside vel opposito eccentrici, vel Sphærulæ, & est communis omnibus erraticis, nisi quòd Sol supponitur carere Sphærula. Septima est an

planeta

planeta motu ad Boream, vel ad Austrum efficiatur, calidior an frigidior, ficcior an humidior? Octaua an planeta malus fit deterior in suis dignitatibus an oppositis locis, nam constat quod in altero horum est extremum, non cùm est in neutro horum. Inde ex hoc liquebit an malefica loci quem impeditura est, dum loco præest, plus obsit quàm si aduersetur, aut omninò nec dominetur, nec contratria natura sit seu potestate.

Initium igitur omnium an Solis exemplo accipere oportet: licet enim diuersa natura sit & quædam habeat, quædam autem non habeat, nihilominus modus actionis perspicuus est. Primùm quod vbi erectior ad capita nostra seu per proprium motum, seu per diurnum eò est efficacior in operando. Secundùm quod à conuersiore potentior videtur, quam vsque ad illam velut post tropicum æstiuum in calore & post meridiem dum est in nono loco qua cum accedit ad initium Cancri, aut ascendit ad culmen cœli & similiter ad bruma, & post noctis medium magis augetur frigus quam dum ad ea loca accedit. Tertium est quod mutatio fit dum velocius mouetur iuxta declinationis rationem, ideoque circa vtrumque æquinoctium. Vernali quidem pullulant plantæ omnes & quæ non sunt oriuntur, velut herbæ caducæ. Et consideremus quod si applicetur ferrum calidum ferro ignito, calidum calidius redditur, ignitum extinguitur. Etiam si quis quærat quod abit illa caliditas inducta per ferrum? iure meritò dubitabit, & tamen res sic se habet. Dicemus ergo quod si Saturnus non esset in cœlo, aër retineret caliditatem, quam habet à Sole & aliis astris, & si esset sub polo Antarctico nihil obesset, aut valdè parum, & si sub circulo Antarctico & sub cronico Capricorni etiam magis: ergo quantò plus appropinquabit nobis, vtpote sub circo Cancri adhuc magis: ergo in motu ad nos refrigerat, & hoc non potest ratione caloris additi, sed quia constringit aërem, nec recipiat calorem Solis. Et hæc mutatio erit euidens & maxima post tropicos, sed in æquinoctiis maior mutationis varietas erit. Et vt in Sole post tropicum Capricorni inualescit frigus, ita vbi ♄ ab illo discesserit vel à ventre meridionali, id est, post initium Tauri frigus mitescet. Et siccat Sol cùm peruenit ad æquinoctij circulum, arbores frondescunt & florent, & herbæ oriuntur, & animalia turgent in Venerem, & hominum natura robustior euadit & exhilaratur, & morbi longi mitescunt, ita è diuerso cùm Saturnus peruenerit ad Arietis initium, vel ad nodum Borealem (sed hoc est minus) scilicet ad Leonis initium frigus augebitur, arbores mittent frondes, herbæ interibunt, animalia & homines tristabuntur, & tempus fiet inæquale. At verò si Sol perueniat ad æstiuum circulum, tunc flores in herbis fient, fructus in arboribus calor augebitur, nox fiet breuissima: ita cum Saturnus ad Cancrum peruenerit frigus augebitur, plantæ morientur aut foliis priuabuntur, & dies reddentur, tum etiam noctes obscuriores. Quòd si dicas igitur Saturnus non est amicus plantis cùm aduentu suo noceat eis. Dico quod peculiari ratione prodest illis, vt tum impedit operationem agentis naturalis id est, caloris Solis, prohibet mutationem. Sicut Sol est bonus & vtilis, putrefacit tamen quæ alioquin essent bonæ vt contra frigus inimicum naturæ conserua tum. Pisces in Germaniæ ad annos, vt de Stoffi manifestè videmus. Vt ergo Sol ad Libram descendit omnia tristantur, fiunt tempota inæqualia, morbi læthales aut longi: ita in discessu Saturni seu per Libram, seu per Capricornum ob latitudinem omnia in melius commutantur, & tempus fit æqualius.

De humido verò est alia ratio: velut enim Sol Oriens humectat quia radiis rectis illud tangit quorum proprium est humectare, & gignere, Occidens autem siccat quoniam illud irradiat lumine reflexo, vt in naturalibus commentatiis ostendi, & caloris ignei est omnia interimere & destruere, ita reliqui omnes Planetæ humectant Orientales, & radiis rectis, vt si ascendat ad Orientem, & sint orientales à Sole. Ideò Saturnus & Mars, & Sol, & Mercurius non solum reliquæ erraticæ humectant. Saturnus tamen & Mercurius occidentalis refrigerando siccant: sicut aqua dum fit glacies, & corium dum gelascit siccantur: contraria ratione Sol & Mars, & Mercurius orientalis imo etiam Iuppiter ipse post tempus siccant. Venus autem & Luna nunquam, quia sunt longè humidiorqs; quàm calidæ, ideò cum per quantamcunque moram non possint calefacere hominem vltra mediocre illius temperamentum, igitur nunquam poterunt exsiccare. Reliqui cum sint calidi possunt calefacere, & calor fit ac conseruatur per motum: igitur per longam calefactionem motu aucto succedet siccitas, & ob id Iuppiter quamuis humidus parit serenitates. Sed in Sole & Marte, & Mercurio etiam absque diuturna mora paritur siccitas. Demonstratum est enim quod radij refracti exsiccant, cùm ergo tales planetæ fuerint occidentales in mundo, & etiam à Sole exsiccabunt. Ipsi tamen primis suis radiis humectant, velut cùm statim prodierint è Solis radiis, & fuerint in cardine Orientis aut paulò antè, & magis Mars quam Saturnus. Et ideò quamuis vtroque modo exsiccatio fit per accidens in erraticis humectatio per se, plus tamen potest id quod est per accidens quàm id quod est per se, cùm accidens fuerit, quasi coniunctum modo agendi, vt caliditas ex lotione aquæ frigidæ & nigredo in coruo. Ex quauis ergo occasione Saturnus & Mars siccant, & Sol ob caloris vehementiam: vnde etiam fœtuum generationi aduersatur. Iupiter non procedit nisi ad serenitatem, eò quod in calore vix excedit temperamentum.

Tertia quæstio videtur difficilis, quia planeta quantò est altior eò remotior atq; id minus agere posse videtur, & Sol in abside videtur etiam minus calefacere. At si actio astrorum est

est vibratio quædam & eiaculatio dubium non est, quin ictus non sit maior ex longinquo, & etiam stella tum est potentior: Accidit enim magis ad orbem & si sit prope absidem parui orbis est aucta motum. Est & alia dubitatio, quoniam ac in libro de Proportionibus demonstrauimus, nihil est eccentricum in mundo, igitur quæstio prorsus nulla erit, Omissa hac quæstione quoniam non sumimus fundamentum ex supposito, dico quod in abside epicycli erratica mouetur velocius præterquam in Luna, eccentrici autem tardius, & videmus quod impressio caloris est minor & temperatior, ideò & in cæteris. Siccitas enim augetur post æstiuum solstitium. Ioannes Eschuidus Anglius tribus Ptolemæo quod voluerit vt in abside Planetæ plus mutent aërem & idem dicit Linconiensis, & quod Luna bis est in abside tempore coniunctionis,& oppositionis cum Sole,& cum mare magis crescit,in quadratis autem est in opposito,& tunc mare parum crescit, & vocant nautæ aquam mortam. Sed istud videtur sequi luminis Lunæ magnitudinem. Et cum Planeta est in abside, absque dubio est potens magis, non tamen calefacit, aut refrigerat magis, imò est temperatus iuxta naturam suam. Eschuidus autem seu Esheuidus, vult quod quilibet Planeta dum ascendit à longitudine magna ad Apogæum sit magis naturæ suæ similis, Saturnus frigidior & siccior, Iuppiter calidior & humidior. Mars autem calior & siccior. Sed hoc contingit ei quoniam non potuit comparare planetam Lunæ iuxta Solem. Ipsa enim discedens à Sole est calida & humida, & post ad oppositionem vsque calida & sicca, inde frigida & sicca, demum cùm accedit ad eum frigida & humida. Cùm ergo non liceret comparare planetam ad Apogæum eo modo, quia lumen per accessionem, ad illum parum aut nihil variatur, coactus est comparare iuxta qualitates quoniam videmus quod Sol auget calorem vsque ad Apogæum, sed non siccitatem, neque etiam calorem vt pòst: & hoc contingit ei fortuitò, quia idem est fermè locus Apogæi & tropici Cancri. Ideò dico quod ex ascensu minuitur qualitas & impressio fit maior propter tarditatem etiam motus in eccentrico, in epicyclo autem cùm velocius moueatur maiorem efficit varietatem. Causa igitur erroris prima fuit hæc: altera est quoniam non distinxerunt inter mutationem & incrementum qualitatis. Sol enim cùm est in initio Arietis mouetur bifariam velocius & tertio modo mediocriter, motu quidem diurno velocissimè, quia per circulum magnum, in declinationem Borealem seu Australem velocissimè, nam in singulos dies penè minutiis primis viginti sex. Motu autem proprio quasi æqualiter cum sit prope mediam longitudinem, ideò calorem parum auget, maximam tamen efficit varietatem in generatione omnium, & non potest dicere quod ob calorem, quoniam etiamsi frigus sit, pillulant tamen arbores intra se, adueniente postmodum calore, fundunt germina, eadem de seminibus, vt ventos corpora hominum mutat. Idem ergo dicendum est de motu, qui si augetur fit mutatio maior si non, non: cùm ergo qualitates sequantur robur planetæ & rectitudinem, & varietas motus, & sint tres causæ diuersæ, oportet etiam inuenire effectum tertium,& est quod elatus planeta fit temperatior, humilis magis remotus à temperamento: descendens amittit ascendens acquirit temperamentum. Rursus subtilius distinguendo colligendoque ea quæ iam proposuimus, dico quod planeta quanto natura altior & tardior, eò potentior & syncerior in abside eccentrici velut Saturnus, Ioue, Iuppiter, Marte, contra inferiores tres, quo humiliores, eo robustiores quoniam eius eorum est comparatiua vt superiorum absoluta, velut magnus ignis ex se potens, paruus autem ob propinquitatem, vt & si parum crescat, elongetur autem paulò magis minus multo agat. Inferiores ergo alti in eccentrico & superiores in Perigæo imbecilliores sunt, & actiones efficiuntur mistas non synceras. Et hoc est quia superiores natura sunt alti & tardi motu, & ita in Apogæo sunt altiores & tardiores, & inferiores celeres, & humiles natura, & in Perigæo humiliores, & etiam cereriores excepea Luna in hoc, & in contrariis locis contrario modo se habent. In propriis autem locis perficiuntur propria opera, & ideò vocantur, tunc potentiores quoniam calor ille, puta Iouis est alterius generis quam Veneris,& licet sit imbecillior in Apogæo, tamen melior est, est aptior ad generationem illius rei, puta hominis aut palmæ, aut elephantis, aut honoris quam in Perigæo, licet tardius illud opus perficiet. Erit ergo in Apogæo superior planeta & quanto altior potentior, quo ad perfectionem operis & syncerior imbecillior, tumquod tempus quia qualitas est temperatissima sed minor. Inferiores autem gaudens in Perigæo eccentri præter Lunam quæ mutat naturam: Et hoc quoniam celerius syncerius & absolutius opus suum perficiunt Manifestum est ergo quod Sol vt medius ita etiam in hoc medius est & vtriusque particeps.

Quartæ quæstionis dubitatio magna ex parte pendet ex tertia, cũ enim planeta omnis dum est retrogradus, sit in imo sui epicycli, sit sit calidus erit calidissimus, & si humidus humidissimus, & sicut prunna in manu velociter mota aut glaties vix sentiuntur, tardè magis:immota magno efficiuntur cruciatu ob vehementem impressionem, ita dico de planetis qui velocissimè mouentur, nam qualitatem quidem remittunt, calidam præcipuè frigidam, atque humidam, nam de sicca forsan non est simile, & mouent ventos. Cùm enim motus ille velox fit secundum Philosophum qui breui tempore magnum locum pertransit, necesse est vt magna mutatio contingat facta etiam magna mutatione locorũ Dubiũ modo est an stantes, an retrogradi magis excalefacient, an siccẽt, aut refrigerent, & si vera est ratio prior, oportet vt in quocũque genere qualitatis planeta qui stat, augeat impressionem

ſionem: videtur tamen Mars magis calefacere & Venus humectare retrograda quam ſtans. An quia retroceſſus ſit longè diuturnior, quam quies. Hæ forſan quod planeta qui retrocedit cum ſit ſemper prope Perigæum magis imprimat ob propinquitatem. Et quamuis hoc ſit figmentum, vt dictum eſt, fieri tamen poteſt, vt ſit aliquid quod pro portione ei reſpondeat. Ptolemæus in primo Apoteleſmatum ex tribus ſumit robur ex configuratione cum Sole à loco in ſuo orbe, & à comparatione loci iuxta motum diurnum, à Solis configuratione vt ſint orientales à Sole, & hoc intelligitur vt primum videri cœperint: augetur tamen hic effectus vſque eo donec optimè videri cœperint: & tum manent vſque quo tardior fiat velociſſimo motu, nam quod amittunt ob diſtantiam & motus remiſſionem, compenſant mora ſupra locum in ſtatu illo, id eſt, dum oriuntur vſque quo Sol oriatur, nam tunc amittunt vim. Et ideò ſi inueniantur in ipſo ſtatu, id eſt, vt Sol ſit infra orientem & ipſi ſupra adhuc, hoc eſt validius, & breui effectum producit in ipſo nato vel parentem eius, aut in mundo. Et quoniam planetæ celerius videntur, vt Iuppiter Marte, Mars Saturno, ideò etiam maior aliquanto diſtantia requiritur in Saturno, quam in Luna Ioue & Venere, quos tamen abſcondit ad 15. gradus adeò quod initium roboris. Saturni erit poſt 17. partem diſtantiæ à Sole. Et ad hoc facit ratio regionis & aſcenſio recta vel obliqua ſigni in quo eſt, quod habeat latitudinem magnam aut paruam, aut nullam & locus in eccentrico, & confirmatur eius uis abſque dubio & augetur vſque ad 20. partes. Et dicitur orientalis propriè eum ſtatim exit radios Solis. Et verè ſcilicet robuſtiſſimus ad 20. partibus vſque ad 45. quia tunc optimè cernitur, & eſt in alio ſigno à Sole & velociſſimè mouetur, communiter autem vſque ad primam ſtationem. Sed comparatione ad ſuum orbem vt intendatur motus, id eſt, ſit maior non quod in dies augeatur Iſtud enim eſſe non poteſt vt ſit Orientalis à Sole & motus intendatur, imò neque in inferioribus. Dum enim eſt orientalis remouetur ab abſide epicycli igitur mouetur tardius. Maximus itaque motus Saturni eſt, cum eſt cum Sole & eſt minutorum 8. in ſingulos dies: ſed tunc latitat ſub eius radiis, cùm autem diſteterit per 17. partes, adhuc mouebitur per ſeptem minuta cum dodrante fermè & vſque ad 60. partes mouebitur plus 5. minutis in die. Cùm ergo motus ſuus naturalis ſit minutorum 2. maximus 8. erit medius in incremento 5. minuta, quoties ergo exceſſerit illa dicitur intendi motu non quod augeatur in dies, ſed quia tum eſt motus ſupra dimidium incrementi. Habebit ergo ſeptem ſtatus vſque ad ſtationes imbeciliſſimum ſub Sole valdè imbecillem orientalis à 17. partibus. ad 20. valiſſimum, à 20. partibus, ad 45. validum, à 45. gradibus, ad 40. mediocrem, à 60. gradu diſtantiæ, à Sole ad 83. vel circa cum mouetur in ſingulos dies 2. minutis tantum aut non multo plus, debilem valde ad 37. parte ad 104. vel propè inde mediocrem rurſus in ſtatione, ſed ad modum breuem. At à ſtatione prima ad retroceſſus medium ſeu oppoſitionem in ſuperioribus imbecillem valde, poſt autem etiam malum, validior aliquanto, ſed malus in ſtatione ſecunda, & eo validior contraria ratione quo accedit ad Solem atque peior, vt à 45. gradu, ad 20. maximè, poſſit & maximè oſtendat, demum fit innocens, quia vt ita dicam vis eius emoritur à 20. ad 17. partem nullas habet vires, & quas habet innocendo per Solem experitur. Dubitabit quiſpiam autem quomodo velocior motu potentior ſit, cum minus imprimat vt ſæpè diximus. Sed hoc ad mutationem & occultas actiones non manifeſtas qualitates referri vt dixi debet. Quod verò de angulis & altitudine in comparatione ad locum reſtabat adeò per ſe manifeſtum eſt, atque ibidem declaratum nulla indigeat adiectione. Saturnus igitur atque alij planetæ in primis ſtationibus iuuant ſapientiam, quoniam conſilium autem quiete. Dum autem velociter mouentur robuſtiores dicuntur, quoniam ad omnes actiones ſunt efficatiores. Actiones enim motu conſtant, ideò aliqui conſilio non actione valent alij contra, alij vtroque, alij neutro: nam retrogradæ erraticæ neque conſilio, neque actione accommodatæ ſunt, niſi ſi quid diuinitus agendum eſt. Contraria enim ſapientia diuina aliquo modo humanæ, atque in dæmoniacis & occultis rerum naturæ perſcrutandis. Habent enim vim quandam quaſi à communi diuerſam, in cæteris non niſi calamitates, impedimenta, moras & difficultates ſignificant, atque promouent. In qualitatibus tamen manifeſtis plurimùm poſſunt quia radios Solis plurimos ad nos tunc remittunt velut & Luna manifeſtè in illius oppoſitione.

Quam verò qualitatem erratica Soli iuncta augeat aut minuat, nunc quærendum eſt. Eſchuidus vult primùm quod Planetæ omnes cùm fuerint valdè iuncti Soli, vt non diſtent ab eius centro plus 16. minutis, ita vt ſint ſub eius corpore tunc totam exhibent cum ipſi Soli, & ita Saturnus & Mars plurimum obſunt, Iuppiter & Venus iuuant, Luna partim iuuat, partim abſenſentia ſua obeſt & ob naturam Soli contrariam Mercurius vt ſe habuerit, ſed extra corpus Solis boni Planetæ & mali debilitantur, ideò talis coniunctio nocet Ioui, & Veneri, & Lunæ: minus malos reddit Saturnum & Martem Tertio dicit quod in ſimilibus qualitatibus non multum afficiuntur, ſed potius confirmantur vt Iuppiter in calore Saturnus, in ſiccitate Mars in vtroque. Dico ergo quod quæ dicemus de frigiditate Saturni in minuendo calore Solis, eadem erunt intelligenda de humido Veneris in minuenda ſiccitate eiuſdem, & de Saturni ſiccitate in augendo, ſiccitatem Solis, & caliditate Iouis, & in Marte de vtraque qualitate. Conſiderandum eſt igitur poſtquam Saturnus & propè Solem, & procul mi-

nuit calore illius, in aëre, sed diuersa ratione: nam dum propè est minuit impediendo actionem Solis. Procul autem in minuendo impressionem ex parte passi, vt res reducatur ad hoc: an glacies pedis magnitudine, si non dissolueretur ab igne sex pedum plus impediret, caliditatem ignis, prope ignem constituta, an procul. Et manifestum est quod per totum aërem, vbique sub Sole, sed tamen minori impedimento quam faceret extra radios. Extra radios autem plus impedit vbi est potens: Ergo dicamus quod in octauo vel sexto loco plus impedit sub radiis, quàm liber, & magis refrigerat in nono vel decimo, vel ascendente, plus liber quam sub radiis. Et ita dico de Septentrionali ac Boreali, quo ad declinationem & latitudinem. Nota etiam regulam generalem quod planetæ motu diurno mouent auras à parte in qua sunt, motu per signiferum ab opposita.

Quas verò qualitates acquirat seu augeat, aut minuat stella prope absidem, aut eius oppositum tam in eccentrico quam epicyclo coniectabimur, ex hoc quod inferiores omnes, scilicet, etiam Luna quantò magis accedunt ad Apogæum, seu eccentrici, seu epicycli, eo fiunt calidiores & sicciores, sed in epicyclo sicciores, quoniam magis appropinquant Soli, in eccentrico autem calidiores. Contraria ratione humiliores cum in Perigæo atque frigidiores, & epuli quidem humidiores, quoniam in Apogæo sicciores. At quia Venus & Mercurius tum sub Sole sunt, ideò non humidiores, sed sicciores euadunt, non tamen ideò calidiores. Luna verò humidiore multò fit, cùm in abside epicycli fuerit, Soli opposita ob distantiam & luminis multitudinem viribus, tamen occultè humidior est, in quadris maximè prima, imo tum ad summum humidi incrementum peruenit, cùm sit in Perigæis. Saturnus verò & reliqui superiores in Perigæo sunt, Soli propinquiores in eccentrico: ergo tantò calidiores & sicciores, humidiores & frigidiores, sed nō adeò cum lumine implicantur, in epicyclo sunt enim in opposito Solis. At in Apogæis, eccentrici quidem humidiores & frigidiores ob distantiam maiorem à Sole: in epicyclis autem sicciores ob propinquitatem & directum situm, non tamen adeò calidi ob motus celeritatem & altitudinem. In motu autem qui ad latitudinem consideremus, quòd ea quæ secundùm vnam rectam lineam mouentur, magis incalescunt & siccantur, adeò vt accendant sæpe ignem. Et Venus quidem quæ maximè temperata est, multum in latitudinem mouetur, scilicet, partibus vtrinque septem cum tertia Iuppiter duabus paulò plus vterque tamen in vtramque partem æqualiter fermè recedit. Sed Mars Australior non parum quàm Borealis. Videtur igitur planeta in motu ad latera, fieri qualis & Venus eiusmodi ad nos, & Borealis quidem frigidior, & siccior Australis, aut calidior & humidior, & cum multum discedit à Solis via maximè inæqualis. Si verò ad vnam partem magis adhuc inæqualior vt Venus Lunæ, Luna Mercurio, Mercurius Saturno, Saturnus Ioui, qui omnium est æqualis maximè erraticarum præter Solem, vt Mars maximè inæqualis, & ad calidum declinans, quia multò magis fertur ad Austrum quam ad Boream. Non est autem Auster eo modo humidus vt in ventis, quoniam semper manet sub Zona torrida, aut maxima ex parte. Venus autem Australis per mare transit, antequam ad nos veniat, antea autem siccus est. Cumque Planetæ ad nos venientes calefaciant & humectent, ad Austrum verò tendentes vt par est illos siccare, ita par esset vt refrigerarent, non autem humectarent. Sed calor hic & frigus, & humidum dicuntur secundum manifestam vim, non autem vt ad naturalem calorem comparantur. Sol enim vt accedit ad nos vim viuificam auget, vt recedit à tropico statim quamuis calorem augeat maturet fructus, & fruges corpora tamen debilitantur, & loco generationis interitus sequuntur, & licet maturescant fructus in arboribus, non tamen florent & folia siccantur. Ergo calor hic tendentium ad Austrum erraticarum manifestum est ad generationem autem minimè salutaris & idoneus. Sed quemadmodum recessu in signiferi circulo cuncta tristantur & languet, aliena vt homines in Saturno ob siccitatem propria vt Planete etiam magis velut ob siccitatem & destituta defensore sydere.

An verò Planeta sit deterior in propriis locis, an dominus, an oppositi loci potius cùm malus fuerit: idque propositum est octauo loco. Dicemus itaque quod si Saturnus fuerit in Aquario & Luna, in Leone maximè oberit: primum quoniam malefica quo potentior est magis obest, potentior autem est Saturnus in Aquario quàm Capricorno, & in Capricorno quàm Geminis, & in Geminis quàm in Virgine, & in Virgine quàm Leone: cùm maximè quoniam naturæ eius commiscetur, domino loci quem tum possidet. Si igitur bonum polliceatur aut sit significator dubium non est quin præstet esse validum quàm imbecillem. Sin autem obfuturus & alioquin potens magis oberit in contrariis locis ob inæqualitatem naturæ, si imbecillis minus obseruare etiam oportet in quorum potestate si beneficarum minus oberit, si maleficarum & secus potens etiam magis oberit, quàm si in propriis locis sit. Semper autem plus oberit cùm contrarij loci dominus fuerit, quoniam non mitescit. Si ergo Iuppiter in Aquario sit, & Saturnus in Leone bifariam minus oberit, & quod minus possit, & quod propositius sit ipsi loco ideò etiam omnibus stellis qua in eodem inueniuntur: hæc omnia si singillatim consideraueris, inde in vnum coniungas rectè poteris diiudicare, quoniam non oportet confundere, Potestas enim aucta sēper ad nocendum reddit efficaciores, proprius autem locus aut radius efficit, vt minus velit efficere, quod verò alter ei dominetur minuit illius potestatem, & ei qui dominatur accessionem facit, vnde illius naturam contemplari oportet.

tet. Demum si loco dominetur quem hostiliter aspicit quandoque in contrario loco est. & quandoque non, & si in contrario loco aut aspicit loci dominum & tunc oportet considerare sit potentior, cùm vterque in alterius sit potestate. Si verò alius deterius est, impedit enim hostiliter illum cui ob locum dominatur. Saturnus igitur natura masculinus est, atque domiuus, maleficus potius quàm beneficus, actionesque si non impedit, retardat, vnde in consulendo bonus est, nisi quod timidior est, quàm par sit, conuenit studiosis, & inuentatoribus rerum, & dolis: illa enim perseuerantia indigent. Et

Maximi.	Maiores.	Medij.	Minores.
265.	57.	43.	30.

occultationem, & vt clanculum fiant, eius anni feruntur vt à latere descripsimus fœdus est ob inertiam, & impotentiam similis naturæ tamen timidus, suspitiosus, sordidus, laboriosus, sed inefficax, prudens tamen Soli & Lunæ aduersatur, sed Solem solum impedit, Lunam verò etiam euertit, & præcipuè vacuam luminibus, & magis illi iunctus, quam in opposito, quæ omnia contrario modo in Marte se habent ad luminaria comparato. Adeò verò sæuit, vt si quando illi iunctus fuerit, ad insaniam extremam perducat. Narrabo autem, quòd mihi contigerit anno M. D. XLVIII. die vigesima quinta, Maij hora XIII. eram cùm Hieremia Somaripa Laudensi discipulo meo, qui postmodum euasit in egregium Medicum, qui negabat Astrologiam esse veram, cùm forte fortuna quidam nunciauit iuuenem se suspendisse, cum ergo queramus quisnam sit, ex hoc intelliges artem esse veram:nam si ita est oportet Lunam vacuam esse damnatam à Saturno, quæsiuimus fermè ostiatim donec domum illius inuenimus, quod factum Hieremias tanquam parum decorum mihi repræhendebat, præstiti ego in proposito, sciscitatusque à patre non haberet tempus natiuitatis, ille quamuis in luctu attulit librum obsoletum, in quo erat tempus descriptum, quale in figuræ medio vides: statim pagillari postulato illud exscripsi, attulique domum comitante Hieremia, ibi ergo figuram, ostendo illam ne vel vngue quidem differre ab his quæ præposueram, adeò vt ille admiraretur. Et quamuis Iuppiter trigono opitularetur Lunæ, ipse tamen erat inimicus, & ascendenti, & loco Lunæ, & retrogradus, & cum Arcturo. Omnes etiam Martis quadrato, & Mercurius cum vigiliis operatur insaniam. Cùm ergo Mercurius ad quadratum Martis perueniisset, & ascendens ad quadratum Solis se suspendit. Erant autem erraticæ in reditu anni & loca principalia, cùm in hora qua se suspendit, fuit autem XXIV. Maij, M.D.XLVIII. hora XX. horologij, hoc modo.

In reditu Mercurius fuit in loco Saturni infelicis, & prope Lunam, & Luna in opposito Martis per ingressum. Hora casus Luna applicuit Saturno, & forsan fuit cum eo, quia hora XXII. abscondit se. Fuit autem filius pauperis & habitabat iuxta fo-

Reditus.				Casus		
♄	♑	17		♑	16	
♃	♈	13		♈	14	
♂	♓	26		♈	2	
✱	♊	5 6		♊	12	33
♀	♋	11		♋	20	
☿	♊	16		♊	9	
☽	♍	30		♑	6	
Ascen.	♒	12		♌	12	

rum. Memento autem quod in casus hora Sol ibat, ad locum infelicem ab vtraque malefica & à Luna.

Dico præterea quod Saturnus maxime est infœlix in septimo loco & duobus circundantib. cum scilicet 6. & 8. in 6. quia est oppositus in gaudio suo. In octauo quia est locus tenebrarum, in septimo quia cùm sit vitæ inimicus, est in loco vbi eam oppugnat ex aduerso & è directo. Et Saturnus est deterior in cadentibus ab angulis, quia significat morbos insanabiles, vt Mars in angulis violentas mortes, & vt Saturnus ad septimam ita Mars ad decimam. Sunt vtrique in pessimo loco, & vt Mars in septimo, ita Saturnus in decimo. Hic enim impedimenta maxima affert ille pericula magna, non tamen semper perdunt. Et Almansor existimauit quod malefica quæ aspicit significatorem, vt vtar verbo vsitato cùm fuerit retrograda, & cadens à sua dignitate in loco in quo est & peregrina, nam potest cadere à loco & non esse peregrina, vt Mars in Cancro, & in loco contrario suæ naturæ efficit morbos insanabiles. Et non est contrarium his quæ dicta sunt, nam non efficit insanabiles quia cadens & peregrina, sed quoniam si esset in angulo, & dignitatibus suis interficeret, nuc minus nocet. Et hoc est verius de Saturno quã Marte, & retrocessus dubio procul addit ad prauitatem. Et cuidam nobili Genuensi Saturnus fuit in Virgine, & in vndecimo loco in opposito Solis, & factus est surdus in iuuentute ex vtraque aure, & mansit surdus toto tempore vitæ suæ.

Dico etiam quod si Saturnus dominetur eo modo quo Ptolemæus docet, vt de Ioue infra declarabimus, fueritque in Ariete & cum latitudine boreali, significat calorem vehementem & noxium, si etiam fuerit eo modo in Scorpione significat illud idem, & etiam in Geminis, sed cum latitudine Australi. In Piscibus autem quomodo vis calorem significat, & in Cancro ventos calidos, speciatim autem, Saturnus cum fuerit in Ariete erit mors in iuuenibus, cedes, & bellum, & præcipuè in tempore meridiei, & orientalis flatus ventorum multus cum aspera commixtione aëris & accidat vehementer calor, & corruptio in aëre cum diminutione annonæ. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat vehementiam caloris, & parum boni, & si fuerit meridionalis significat vehementiam frigoris, & nimium gelu, & multum roris. Et Haly in quodam tractatu

quem composuit de essentia planetarum, de subradiis planetarum dicit: Saturnus in Ariete sub radiis facit pluuias & nebulas multas, in hominibus quoque facit morbos ex destillatione. Cùm autem fuerit vespertinus facit ventos frigidissimos, & cum matutinus bonam commixtionem ostendit, cum quiescit tonitrua & fulgura significat. Et secundum Albumasarē cum fuerit Saturnus æquidistans Tauro significat multas cædes, & morbos, & debilitatem feminum niues & pluuias assiduas: vehemens frigus & mutationem aëris à suo calore & corruptionum messiam. Etsi fuerit latitudo eius septentrionalis significat bonam commixtionem aëris, & si fuerit meridionalis significat paucam temperantiam aëris. Et dicit Haly Saturnus in Tauro sub radiis bonam commixtionem & bonum tempus significat. Vespertinus autem siccitates, matutinus aut orientalis bonam conditionem & sanitatem: stans autem vmbrosus & tenebrosus efficitur. Et secundum Albumas. si fuerit retrogradus significat cogitatus qui aduenient Regibus & mortem hominis excellentissimi, & præcipuè in meridie cum diminutione redditųum. Item dicit Albu. quod Saturnus cum fuerit æquidistans signo Geminorum significat multam mortem in hominibus. Multas niues & vehementiam aquæductus propter eas assiduum flatum ventorum & multitudinem pluuiarum & corruptionem agriculturæ. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat terræmotus, & ventos validos, & si fuerit meridionalis significat siccitatem aëris vehementiam caloris & paucitatem pluuiarum. Et dicit Haly Saturnus in Geminis sub radiis siccus est prorsus: vespertinus aridus etiam, matutinus bonæ temperaturæ, stans morbos facit: Et dicit Albu. cùm fuerit illic retrogradus significat reges dissipare census suos. Et dicit Albumas. cum Saturnus fuerit æquidistans Cancro significat ægritudines in hominibus propter flatus & destillationes tusses, & plures ægritudines in senibus & abundantiam sanguinis, & significat multas pluuias & gelu & aquas. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat inuolutionem rerum, & inæqualitatem earum & si fuerit meridionalis significat multas pluuias. Et dicit Haly Saturnus in Cancro sub radiis obscuros dies facit, & validos ventos & procellas in mari: vespertinus mare aptum reddit ad nauigandum, matutinus vel orientalis erit bonus & bonæ temperaturæ stans infirmitates diuturnas hominibus inducit. Et secundum Albu. si fuerit illi retrogradus significat mortem quorundam nobilium. Et dicit Albumas. Saturnus si fuerit æquidistans signo Leonis significat multas infirmitates venire mulieribus, & febres tertianas & quartanas & mortem earundem, & multa bella & præcipuè in parte oriente in cessantem flatum ventorum calidorum paucitatem pluuiarum vehementis siccitatis & fortè succedet interitus hominum. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat inuolutiones rerum & inæqualitatem earum, & si fuerit meridionalis significat multitudinem pluuiarum. Et dicit Haly Saturnus sub radiis in Leone destillationes significat, turbationes ex copia humidi, & in aëre siccitatem: vespertinus ariditatem facit: matutinus siue orientalis bonam temperaturam & salubrem annum. Stans autem siccitatem efficit: Et secundùm Albu. si fuerit illic retrogradus significat corruptionem aëris, & mortalitatem & vehementiam ventorum & calidorum in diebus ventosis. Et dicit Albumas. cùm fuerit æquidistans signo Virginis significat corruptionem aëris & mediocritatem pluuiarum. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat bonam aëris commixtionem, & si fuerit meridionalis significat illud idem. Et dicit Haly quòd Saturnus in Virgine sub radiis nocens est, & infirmitates hominibus infert: Vespertinus difficultates aëris, matutinus siccitates. Stans morbos hominibus infert. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrogradus significat populum esse implacabilem regi suo. Et dicit Albu. cùm Saturnus fuerit æquidistans Libræ accident hominibus dolores cordium, & ventrum & magnitudines febrium cum incessante flatu ventorum, dierum calidorum venenosorum & bonam commixtionem aëris, sed paucitatem panis & vini. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat multum flatum ventorum, & fortem: si fuerit meridionalis, significat mortem & morbos in hominibus. Dicit Haly Saturnus in Libra sub radiis infirmitates occultas infert: Vespertinus inæqualitatem aëris, matutinus frigidos & siccos ventos. Stans autem quartanas febres inducit. Et secundùm Albu. si illic fuerit retrogradus significat multas ægritudines hominum longas, & præcipuè in ore & auribus, & intemperie corporum. Et dicit Album. Saturnus cùm fuerit æquidistans Scorpioni, significat æqualitatem temperaturæ corporum hominum & mortem in his & præcipuè iuuenibus & multiplicantur in senibus ægritudines, cùm vehementia frigoris hyemis & nubibus destruentibus messes. Etsi fuerit latitudo eius septentrionalis, significat vehementiam caloris: & si fuerit meridionalis significat multitudinem pluuiarum & humidi. Et dicit Haly, Saturnus in Scorpione sub radiis, frigidum aërem facit: Vespertinus tamen congelationem, matutinus ventorum frigidorum & septentrionalium est significator, stans facit obscuros dies. Et secundùm Albumasar. si fuerit illic retrogradus significat multos rumores terribiles & siccitatem aëris cum conturbatione hominum. Et dicit Albu. Saturnus cum fuerit æquidistans Sagittario, accident hominibus bubones cum vehementia dolorum oculorum, cædes in oriente, angustiæ mulierum, locusta & mors in auibus, cùm bona aëris commixtione. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, signat flatum ventorum. Et si fuerit meridionalis, significat stabilitatem paucam rerum & velocitatem permutationis eorum. Et dicit Haly, Saturnus in Sagittario sub radiis, pluuias & nebulas significat: Vespertinus siccitatem, matutinus frigiditatem & congelationem: Stans infirmitatem hominibus facit, Et secundum

dum Albumas. si fuerit illic retrogradus, significat penuriam annonæ. Et dicit Albuma. Saturnus cùm fuerit æquidistans Capricorno, significat destructionem maximam rerum præparatarum, multitudinem pluuiarum cum terræmotibus, cerruptionem agriculturæ & redditus hæreditatum : propter multas aquas & copiam humidi. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat multam niuem & multum gulu & vehementiam frigoris, superabundantiam quoque humidi. Et si fuerit latitudo eius meridionalis, significat hoc idem. Et dicit Haly, Saturnus in Capricorno sub radiis, Boreales ventos cum obscuritate aëris: Vespertinus frigiditatem, matutinus frigidum Boream : stans verò obscuros dies facit. Et secundum Albu. si fuerit illic retrogradus, significat multam conturbationem hominum & rumores cum dissipatione pecuniarum, & erunt homines misericordes. Et dicit Albumasar. Saturnus cùm fuerit æquidistans Aquario significat mortem in hominibus multis, cum multitudine pluuiarum & inundationum assiduum flatum ventorum, terræmotus, panis & vinis detrimentum. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat destructionem arborum. Et si fuerit meridionalis, significat multitudinem nubium, & pluuiarum. Et dicit Haly, Saturnus in Aquario sub radiis, hyemen facit duram : Vespertinus tumorem in mari & fluminibus, Matutinus pluuiam & hyemalem aërem, stans frigus & glaciem. Et si fuerit retrogradus, illic significat niues cadere & vehementiam frigoris. Et dicit Albumasar, Saturnus cùm fuerit æquidistans signo Piscium, significat mortem in hominibus, perturbationem inter eos, vehementiam caloris & frigoris temporibus suis, paucos redditus & fructus. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat multitudinem flatus ventorum. Et si fuerit meridionalis, significat multitudinem pluuiarum & augmentum fluminum. Et dicit Haly, Saturnus in Piscibus sub radiis, significat niues : Vespertinus est pluuiatus, Matutinus bonam commixtionem facit:Stans inæqualitatem significat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrogradus, significat mortem nobilium.

Si autem eleuetur super alium planetarum, vtpote super Iouem (dixi autem quod Planeta super planetam dicitur, eleuari cùm respicitur se seu iunguntur, seu sunt intuentibus se, seu Saturnus fuerit in imperante Iupiter in obediente secundum quantitatem graduum luminis quod est in Saturno, vt dixi in commentariis partium decem, & cum hoc Iupiter super quem debet eleuari Saturnus, non sit in propriis dignitatibus, tunc quadrifariam dicitur eleuari, vel si Saturnus dominetur loco Iouis, & eo magis si sit in propriis dignitatibus, vel ratione motus primi, vt sit in loco sublimi, vt in nono, decimo & vndecimo, vel in angulo, Iupiter autem cadenti aut humili, vel ratione Solis quod sit orientalis, vel ratione suorum orbium quod sit iuxta absidem. Eccentrici vel auctus lumine, & motu vt superius declaraui, vt sint quatuor sed priores duo validiores, & duæ conditiones necessariæ. Est enim quandoque respiciunt, & non tamen eleuatur vna erratica super aliam aut mutuo, aut parum, aut Apheta eleuatur super eum qui respicit : & tunc si parum eleuetur perinde est ac si nihil : si eleuantur mutuo etiã mutuo impedient se, sed concorditer, vbi malus si qui eleuatur, secus erit bonum : si autem Apheta eleuetur, super promissorem erit optimum & robustior erit. Si enim malefica fuerit impediet, quidem, sed postmodum gloriosius obtinebit, & maiorem consequetur siccitatem. Constat sanè in natura genesi cùm sint sex erraticarum aspectus, nullam tamen ex eis super alteram eleuari.) fueritque in Ariete erit siccitas mulia, pluuia pauca, pauca annona & messis multa. Si verò in Tauro erit siccitas nimia aëris in pluribus climatibus, cùm augmento messis. Si verò in Gemini erit paucitas pluuiarum & aquarum, cùm multis bestiis aquæ, ranæ & similia. Si verò in Cancro erit paucitas pluuiarum, & aquarum multæ belluæ aquæ & ranæ, & similia multi latrones. Si verò in Leone erit mors inter homines : lupi paucitas, pluuiarum cum siccitate & superfluitate aquarum marium. Si verò in Libra erunt multæ ægritudines ex tussibus, & multo labore, & pluuia multa. Si verò in Scorpione, erit mors hominum & abundantia, & serpentum, & scorpionum cum paucitate pluuiæ, cùm multo flatu ventorum. Si verò in Sagittario, erunt infortunia in pluribus climatibus : multa bella in Babylonia, & mors Regis eius, & rumores terribiles. Si verò in Capricorno, asini cariores erunt, & oues morientur : paucitas humorem & diminutio aquæ fluminum. Si verò in Aquario, erunt angustiæ hominum & siccitas fluminum. Si verò in Pisce, erit mors in pluribus climatibus, paucitas Piscium multæ, paruæ aues vt passares, multæ locustæ cum superfluitate pluuiarum, niuium & aquarum. Si autem super Martem in Ariete erunt multæ ægritudines, multi venti calidi cum turbatione aëris, & multo puluere. Si verò in Tauro, erit siccitas nimia, cum fame & mortem hominum : frigus vehemens cum mora eius. Si verò in Gemini erunt inimici, & in fortunia in multis terris, locustæ flatus calidi, paucitas rerum. Si verò in Cancro erunt inimicitiæ inter homines, multæ locustæ, superfluæ pluuiæ, & quæ diu durabunt. Si verò in Leone, erunt magni venti, calidi tempore suo, & paucitas annonæ & messis. Si verò in Virgine erit destructio magnæ partis terræ, cum vehementi & durabili frigore, præcipuè temporibus conuenientibus, cùm impedimento arborum. Si verò in Libra, erit odium inter Reges, temperantia aëris cum paucitate frigoris. Si verò in Scorpione erit destructio nimia in pluribus climatibus, cum siccitate aëris. Si verò in Sagittario, erunt bella inter reges, mors in quibusdam climatibus, cùm multis ventis calidis tempore suo. Si verò in Capricorno erit, valor asinorum, vehemens frigus & longum. Si verò in Aquario erit vehementia frigorum & calorum tempore suo. Si verò in Pisce, erunt

multi Pisces, & aues paruæ cum vehementia caloris aëris, & multis pluuiis, & tonitruis, & fulguribus. Si autem super Solem in Ariete erit superfluitas pluuiarum, cum ventis mediocribus. Si verò in Tauro, erunt multa bella inter Reges, paucitas rerum & annonæ, cum siccitate aëris. Si verò in Gemini, erit vehementia caloris. Si verò in Cancro, erit mors in pluribus climatibus cum siccitate aëris. Si verò in Leone, erunt multæ locustæ, superfluæ pluuiæ, sed non irratiles. Si verò in Virgine, erit siccitas aëris. Si verò in Libra, erit siccitas multa, & fames in pluribus terris, cùm superfluitate pluuiæ tempore suo, & mors puerorum. Si verò in Scorpione, erit multa mors in pluribus climatibus, cum vehementi calore tempore suo. Si verò in Sagittario, erit mors bestiarum & guerræ in pluribus climatibus, ventus assiduus, cum paucitate messis. Si verò in Capricorno, erit siccitas aëris. Si verò in Aquario, erit mors mulierum, cum siccitate aëris. Si verò in Pisce, erit siccitas aëris. Si autem super Venerem in Ariete, erit renouatio Regis, bella & mors in hominibus, cùm mediocritate pluuiarum. Si verò in Tauro, erit mors mulierum, & paucitas pluuiarum. Si verò in Gemini, erit mors mulierum, & paucitas pluuiarum. Si verò in Cancro multi morientur, & aër erit æstuosus, & squalidus ac siccus. Si verò in Leone, erunt destillationes, & difficultates spirandi, & suffocans aër. Si verò in Virgine, erit copia pluuiarum & humidi. Si verò in Libra, bonum est humano generi, licet futuræ sint locustæ, cum paucitate pluuiarum. Si verò in Scorpione, erunt magnæ ægritudines hominum, in pluribus regionibus, cum paucitate humidi. Si verò in Sagittario, erit mors mulierum Regum, cum paucitate pluuiarum, & bono esse messis. Si verò in Capricorno, erunt paucæ aquæ, paucæ pluuiæ, maria etiam minuentur, asinorum præcium crescet. Si verò in Aquario, erit timor mortis siue Regis, cum paucitate humidi. Si verò in Pisce, erit mors prægnantium, cum superfluitate pluuiarum, cum multis tonitruis, & cum magno frigore.

Si autem super Mercurium in Ariete erit, multitudino bellorum & mortalitas, pluuia superflua, & ventus mediocris. Si verò in Tauro, significat illud idem super Venerem, cùm multis inundationibus, & charitate annonæ. Si verò in Gemini, erit mediocritas ventorum salubrium, & vtilium ac fœcundorum. Si verò in Cancro: erit mors in pluribus climatibus ex magnis febribus, cùm paucitate pluuiarum, & mediocritate caloris. Si verò in Leone, erit mors, in hominibus suffocationes, cùm vehementi frigore tempore suo. Si verò in Virgine, erunt pluuiæ superfluæ, & multæ inundationes, cum multo frigore. Si verò in Libra, erit multa siccitas & fames in pluribus climatibus, cum superfluo & assiduo flatu ventorum. Si verò in Scorpione, erit mors in pluribus climatibus, cum paucitate pluuiarum & multis aquis. Si verò in Sagittario, erit mors bestiarum guerræ multæ, ventus multus, cum paucitate messis. Si verò in Capricorno, erunt multæ pluuiæ, & multi vermes, & multum frigus. Si verò in Aquario, erunt Bubones Carbunculi & pestis, pluuiæ multæ, cùm frigore, & tonitruis eorum. Si verò in Pisce, erit multitudo auium & piscium, cum inunsiatione fluminum, & aër humidus, & tenebrosus.

Si autem super Lunam in Ariete, erunt bella, multa superfluæ pluuiæ, sed tamen vtiles. Si verò in Tauro, erunt paucitas pluuiarum & aquarum, & paucitas annonæ. Si verò in Gemini, erit paucitas pluuiarum. Si verò in Cancro erit mors in pluribus climatibus, cum magnis febribus, & cum paucitate pluuiarum, & aquarum. Si verò in Leone, erit suffocatio aëris, cùm multitudine locustarum, & fœcundis pluuiis, & abundantibus. Si verò in Virgine, erunt multæ pluuiæ, & similia. Si verò in Libra, erit multa siccitas, & fames in pluribus regionibus, licet aër sit bonus ac temperatus. Si verò in Scorpione, erit paucitas pluuiarum, & aquarum. Si verò in Sagittario, erit mors in pecudibus, pluuiæ humidum abundans, cum penuria segetum. Si in Capricorno erit paucitas humidi, & aquarum. Si in Aquario, erit oppressio in terra Armeniæ, cum paucitate pluuiarum & aquarum. Si verò in Pisce, erit paucitas aquarum. *Lib. 2. Tex. 16.*

Præter hæc addenda sunt, quæ ex Ptolemæo sumuntur dum de regionibus agit: & de proprietatibus Planetarum. Colligemus & ea quæ dicit de forma corporis, & animi qualitatibus. Et similiter quibusnam præsit, vtpote patri, & auo, & refert etiam seruos, & senes. Præest homini ab initio anni LXIX. vsque in finem, vitæ etenim temperatura hominis tunc est fermè similis temperaturæ Planetæ refrigerato & siccato corpore. Et ideò si fuerit orientalis, cùm & in locis in quibus gaudet, & angulo aut succedenti eleuatus, vt etiam in nono loco atque in aspectu amico Solis, aut Iouis, aut Veneris, aut Mercurij orientalis, valde aut Lunæ plenæ luminibus producet æuum firmum cum admiratione. Ex membris autem vt in tertio Apotelesmatum habetur, atque hæc dicta sint de singulis Planetis, nunc verò de defluxu & applicatione agamus. *Tex 45. eiusdem. Lib. 3. Tex. 47. Tex. 73. eiusdem.*

Defluxiones omnes & applicationes quamuis ad singulos planetas referri possunt tamen ad solam nunc Lunam traducuntur: inde etiam vice Lunæ, vt post dicemus ad Mercurium fiunt, ergo defluxiones Lunæ à Saturno quinque ad cæteros planetas singulæ, & vna in inane totidem quoque applicationes, scilicet, cùm ab aliis planetis veniens, aut ex inani Saturno ipsi applicuerit, siue ergo in vniuersum duodecim. Voco autem defluxionem à Saturno quoties Luna ab illo discedens, nec plus distans signo ab eo, id est, vt sit in eodem signo, vel si sit in alio non remotior decem gradibus, quantum est lumen eius inde applicat alteri, cùm in eodem signo fuerit, aut sub illius radiis si in sequenti, & vtraque harum cùm sit bifariam, bifariam quoque diuiditur, scilicet à corpore vel radio, & ad corpus seu radium. Et vacua *Tex. 53.*

cum

cum vel defluit ab alio, & non inueniens radium, neque planetam toto sequenti signo si adhuc sub radiis eius est in illo, aut si iam exit & aliud est ingressa signum, nullum aliud cui obiet inuenerit. Quod si Luna iam exit è radiis Saturni in Ariete: in Tauro autem occurrit alteri planetæ, tunc si neque sub radiis illius est, per inanè dicitur ferri, in eodem namque signo, namque inanis dici potest, seu sub radiis sit, seu non, modò inter duas planetas constiterit. Cùm ergo iam radios vnius exierit & aliud signum ingrediens non occurrent alteri, vacua est cursu: potest ergo esse vacua applicatione, defluxione & vtroque modo. Si in signo in quo est Luna Planeta, vel eius radius affuerit necessario applicat aut defluit. Respectu planetæ qui in alio signo est applicare aut defluere, dici non potest, nisi cum illius planetæ radij ad communem signorum terminum pertingunt. Dicimus etiam gradus intuentes & imperantes, seu obedientes esse eiusdem generis, & eisdem limitibus definiri quibus etiam corpora eorum aut radij.

A Saturno igitur defluens Luna, si se Iouis stellæ coniunxerit: vel ad Iouem feratur, si crescens fuerit faciet locupletes, copiosos datos, nobiles magnis populis, vel magnis ciuitatibus propositos: aliis hæreditates maximas, aliis thesauros, aliis maxima dona largitur. Si verò fuerit minuta luminibus nihil tale decernit: sed facit procuratores, curatores aut quib. priuatarum rerum tuitio tradatur, & qui peregrinis negotiationibus immorentur, aut gubernatores, aut naucleros, aut vectigalium conductores reddit: & quorum actus circa aquam vis conditionem exerceant, vt ex istis artibus parua illis substantia conferatur. A Saturno defluens Luna ad Martem si plena luminibus, valetudines & vitia decernit, & prima iuuentute facit inserire. Si verò minuta luminibus matri longè ac maximè ægritudinis tormenta decernit, & quibusdam facit eam viciis obligari, Sed & malè mortis eidem matri discrimen impingitur, & assiduè vomens sanguinem pereat, & ipsos facit qui nati fuerint miseræ orbitatis languoribus fatigati, aut parentes eorum perpetua dissensione dissociari: sed & paternam & maternam substantiam varia lautatione dilapidat, & assidua illis vulnera ferri infligit, & tales decernit ægritudines vt curandi gratia opus sit, faciet etiam absconsarum artium, assiduos labores, aut longè ægritudinis laboribus demersos vitæ munus implere, aut biothanatos variis generibus interire: aut enim submersi fluentibus, aut incensi deperiunt, aut laqueo se suspendunt, aut gladio se extingunt. Si à Saturno defluens Luna feratur ad Solem maxima infortunia, & maximas decernit calamitates. Facit enim insanos, lunaticos, caducos, hydropicos, elephantiacos. Sed hæc infortunia pertinaci assiduitate perpetuat vsque ad vltimum diem vitæ, vt istis calamitatis laqueis implicentur. Si Saturno defluens Luna Veneris se stella coniungat, si crescens fuerit, faciet magnos nobiles & potentes, felices, locupletes, & diuites, & magnæ quidem potestatis, sæuos, lipidinosos, & qui ex istis graui pulsentur infamia. Si verò fuerit minuta luminibus prauas amorum decernit illecebras, aut impuris, & impudicis facit libidinibus implicari, aut turpes actus assidua continuatione decernit. Sed nihilominus facit hos eosdem quærentes, & habentes maximas substantiæ facultates, & quibus penuriarum præsidio, & felicitas, & potestas maxima comparetur. Si à Saturno defluens Luna Mercurij se stellæ coniunxerit, si crescens fuerit, facit obscuros, & absconsos, & tacitos secretarum, & illicitarum literarum conscios, aut cœlestibus religionibus occupatos, aut peritis computationibus interpretantes siderum cursus: facit etiam negociationibus præpositos, vel liberalium artium publicos magistros: facit oratores eloquentiæ splendore fulgentes, aut medicos cunctorum testimoniis adornatos. Si verò fuerit minuta luminibus, aut sonum vocis impedit, aut aures obtundit, sed & corpus eorum qui sic habuerint misera fatigatione destillat, facit melancholicos, ictericos, spleneticos, phthysicos, hydropicos, pleumaticos, & angusto meatu, cum acerbo doloris incommodo collectum vesicæ emitti humorem.

Quòd si à Saturno separetur Luna, & in inane feratur, facit omni morbo destitutos, melanchonicos, suspirioræ, plenos, calidos, hæmorrhoidarum incommodo laborantes, tristes, timidos, parui iudicij, solidarios, cogitabundos, simplices, vanos, dolores, imbecilles, fatuos ab vxoris & filiorum amore alienos, destillationibus cuiuscunque generis obnoxios, pauperes, tardos, ignauos, sordidos, qui exiguis rebus moueantur, fœdos, rudes, agrestes, præter omnia contumaces. Maximè autem ante senectam hæc videntur grauiora, nam in ea non adeò videntur, à communi consuetudine alieni esse. Minuuntur ac fermè commutantur hæc mala, si Saturno stella in optimo fuerit statu & Luna ipsa luminibus plena, pro sortilegis & inanibus necromanticis, præstigiatores efficiet. Cùm tamen etiam crescens, & plena luminibus fuerit, patrimonium dilapidat, aut à parentibus seiungit, aut morte illios subtrahit, peregrinationibusque longis implicat. Sin autem vacua peculiariter omnia morborum genera efficit, quæ frigore possunt procreari, proprieque circa ventrem ventriculumque, & artus dolores graues, grauiter spirantes atque spleneticos.

Semper autem etiam in eleuationibus erraticarum, & in defluxibus, & applicationibus, & quibuscunque aliis, quæ aliquid decernunt per consensum duarum erraticarum, siue etiam per se erraticæ aliquid significent illud absque deceptione vlla est obseruandum, vt si planetæ in angulis fuerint, maxima detrimenta afferant, mortes publicas, aut inter tormenta cædes Principum damnationes, excidia domorum, necem filiorum, & quæcunque ab hominibus inter maxima mala connumerantur. Si verò in succedentibus mediocria mortem, priuationem honorum, in perpetuum exilia, carcerem, tormenta, mulctas graues, & publica dedecora

dedecora. Si in cadentibus minima mala, morbos, iniurias, infamiam, calumniam publicam, dedecoraque non tamen publicè illata fugas, impedimenta, populares rumores, contemptus, repulsas, insectationes, licet longas, timores, contumelias, vexationes, dolos domesticorum, furta, supplicationes in bonis eadem ratio obseruanda est. Si enim in angulis erraticæ fuerint:magistratus perpetuos, imperia diuturna, aut sæpe repetita, gloriam conspicuam, honores,opes ingentes, sobolem claram, vitam longam & sospitem, vires integras, concubitus promptos, & cum illustribus fœminis gaudiaque præclara. In succedentibus magistratus diuturnos, sæpe repetitos, collegiorum cooptationem perpetuam, & iuxta conditionem hominis famam magnam, honores, inter ciues opes, sobolem honestam. Vitam aut longam, sed non adeò firmam, aut firmam, non adeò longam gaudia, concubitus cum mediocribus ômniaque stabilia, & cum facilitate, aut si cum labore, cum egregia victoria. Sed si in cadentibus, erunt omnia misera, aut interrupta, aut neglecta ab hominibus. Primùm quidem circa honores laudabitur & negligetur, aut homines illius opera vtentur & vituperabunt. Ex dignitatibus fungetur necessariis, in aliis nil magnum, simul & diuturnum. Continuetur in magistratu, & obseruabitur in priuata vita, non erunt facta nomini, aut nomen factis correspondentia, breuis vitæ si salubris, aut mediocris, si morbosæ, aut si longe morbis insanabilibus subiectæ perpetuo, si profitebitur & discipulos habuerit stipendium erit exiguum, si magnum stipendium, pauci discipuli. Si fuerit Iurisconsultus, aut plures causas tractabit, sed exiguo lucro, aut si magno exiguas, filios aut paucos, aut imbecilles vel miseros, si fuerint plures, gaudia interrupta, nihil splendidum prorsus & honoratum. Si pro erudito habeatur, & scripserit non tamen populari fama laudabitur pro meritis, vixque quicquam rotundum emittet, sed semper aliquid deerit. Quòd etsi splendidæ stellæ erraticis in hoc casu associentur in eadem causa ad magna quidem perueniet, sed non perseuerauit in illis,pleraque etiam erunt magis in spe, vel in potestate sua, quàm in possessione, & vt vno verbo omnia complectar, tales aut erunt mediocres in omnibus, aut si excedere, & excellere voluerint, erit vita illorum fluctuabunda, modo in summo, modo in imo: quoniam illorum constitutio cœlestis, non patitur magnum aliquid, quod amplexentur possint continere.

Si à Ioue defluens Luna ad Saturnum feratur, & sit crescens, vel plena luminibus, faciet ab extraneis adoptari, vel ipsos alienæ sobolis patres, aut minorum tutores, vel procuratores, alij expositos vel subtractos filios, post multum temporis spatium inuenire coguntur, erunt aquosis semper atque humidis actibus implicati, aut assiduis peregrinationibus errantes, aut peregrinarum mercium gratia nauigantes, vt ex ista conuersatione vitæ illis præsidia quærantur. Si verò minuta luminibus à Ioue defluens, ad Saturnum feratur, aut exponi faciet, aut onus seruitutis imponit, aut infortunium miseræ captiuitatis indicit, aut alia vitia, aut valetudines facit, vt omnis vita eorum graui acerbitate confecta citò finem incurrat, quòd si nocturna fuerit genitura & Luna minuta luminibus, à Ioue defluens ad Saturnum feratur, facit quolibet genere biothanatos interire. A Marte defluens Luna si plena vel crescens ad Saturnum feratur, faciet tardos, pigros, & qui ad nullos actus possint proficere, & qui nihil ex his quæ desiderant consequantur. Matrem verò aut viduam reddit, aut vitiis, aut valetudinibus implicatam: sed hanc eandem malæ mortis finem pertinet, ipsorum patrimonium assiduis lacerationibus dissipat, facit eos etiam variis vitiis implicari. Si verò deficiens lumine & à Marte defluens ad Saturnum feratur fames, ægritudines, valitudinesque decernit, fecit lunaticos, hæmoptoicos, claudos, paralyticos, gibberosos, ogigos, eroncos, aut si nihil horum fuerit, facit biothanatos. Quorundam verò matres aut patres pro signorum qualitate, aut vitiis oppressos vt perimit, aut facit biothanatos interire. A Sole Luna defluens feratur, & sit diurna genitura patrimonium dissipat, parentes diuidit, & ipsis miseræ orbitatis indicit incommoda, sed processu temporis maximam ipsis decernit substantiæ facultatem, & magnarum felicitatum tribuit augmenta, & multorum fundorum dominia largitur. Si verò per noctem decidens Luna ad Saturnum feratur, orbitates decernit, & patrimonia minuit, & malarum peregrinationum decernit incommoda, facit etiam grauia vitia, & graues valetudines, aut periculorum grauium, & violentorum casibus implicari.

Si à Venere defluens Luna ad Saturnum feratur, si sit crescens, aut plena luminibus, & sit nocturna genitura, aut prouectæ ætatis dabit vxorem, aut publicam mulierem,ad consortium thori genialis adducit, aut ex affinibus aliquam sortitur vxorem, vt præsidio coniugis,honoris principem locum & incrementa seruitutis, & promotionis insigna consequatur. Si verò à Venere minuta defluens Luna in diurna genitura ad Saturnum feratur, facit pessimis, libidinum, cupiditatibus & vitiosis voluptatibus deditos, & qui ex libidinosis actibus crebra pulsentur infamia, erunt sanè turpes, erratici & seruili defectione miseri: Locatores meretricum, aut certè lenones. Si verò mulieris sit ista genitura, erit publica meretrix, & quæ vitæ subsidium in publico constituta loco pudoris iactura quærat corporis. Si verò à Venere defluens Luna in nocturna genitura feratur, minuta luminibus ad Saturnum aut steriles, aut eunuchos, aut archigallos, aut hermophroditos faciet,aut certè tales;qui muliebria pati miseræ libidinis cogatur ardore, erunt sanè oligochronij, aut biothanati. Si verò à Venere defluens Luna minuta luminaribus,per diem ad Saturnum feratur,faciet vitiosos, & debiles, & quos malignus semper humor infestet, circa aquam tamen dabit actus: sed qui miseris laborum

conti

continuationibus defatigatur: aut enim ex aliis puteis, quotidiano opere aquam leuare coguntur, aut iubentur assiduè lacunas, cloacasque purgare, aut erunt hortulani, sed miseri, aut nautæ, aut aquarij, aut piscatores, aut vinatores, sed hos actus signorum frequenter qualitas mutata dabit. Faciet enim bubulcos armentarios, equarios, pastores, & qui iumentorum stabula purgare, vel mundare iubeantur, sepulchrorum etiam plerumque facit custodes, aut pollinctores facit, qui sepeliendorum hominum curam cunctorum iudicio consensuque suscipiant: sed hæc pro locorum vel signorum varietate decernit, de qua varietate etiam in aliis apotelesmatibus plenissimè diximus.

Si à Mercurio defluens Luna plena lumine ad Saturnum feratur, & sit diurna genitura, aut balbos facit semper, aut surdos, aut verba eorum tardo sono vocis impedientur. Habebunt autem actus. aut ex rationibus, aut ex magisteriis, aut ex negociationibus aut ex peregrinationibus, aut ex verborum interpretationibus, & qui secreta cœlestia semper insinuant: alij verò carceris custodiarum curam tuitionemque suscipiunt, aut ex istis actibus vitæ illis subsidia quærantur. Si verò per noctem à Mercurio defluens Luna plena lumine ad Saturnum feratur? faciet circa aquam semper assiduis laboribus fatigari, operarios sempiternis laboribus deditos, & qui corpus suum ad opus aliquod locare consueuerint laboriosis humeris, ac dorso vitæ subsidia quærentes, alios in custodia constituit, alios intrudit in carcerem, alios publicis iudiciis opponit, alios damnari, alios squalore carceris, & publicarũ custodiarũ oppressos sortibus coinquinatos ac deformes facit interire: præsertim si in maleuolarum stellarum signis fiat ista coniunctio.

Si verò à Mercurio defluens Luna minuta lumine ad Saturnum feratur, facit mendicos, pauperes, panis obsitos, & miseræ egestatis calamitate demersos, alios seruire in templis facit, alios vagari compellit, facit plerunque lunaticos, aut sacrarum valetudinum vitia decernit, facit caducos, & misera commotione dementes. Si verò à Mercurio per noctem defluens Luna minuta lumine ad Saturnum feratur, aut exponit, facit aut squalorem miseræ seruitutis imponit, aut onus acerbæ captiuitatis incidit, etiam maximas valitudines, aut vitia decernit, aut in prima ætate temporis perimit, aut facit aliqua ratione damnari, quod si nihil horum fecerit facit biothanatos interire.

Si autem plena luminibus & inanis Saturno se applicet Luna, matri viduitatem, & mulierum assiduos dolores decernit, ipsos facit in templorum conuersationibus detineri, & patrimonium eorum variis lacerationibus dissipari: sed rursus procedente temporis cursu proprio labore aliam facit sibi patrimonij substantiam quærere.

Si verò deficiens & minuta lumine Saturno iungat, parentes faciet, aut degeneret, aut seruos, aut miseræ infelicitatis squalore demersos, quorundam autem matres, aut debilitas premet, aut certè faciet biothanatos, interire ipsis in annis minoribus constitutis. Sed & ipsos facit aut vitiosos debiles, aut oligochronios, aut malo quodam exitu intereuntes, præsertim si in ista coniunctione in necessariis genituræ locis fuerit inuenta, & si in horoscopo, partili ratione iungatur.

Dico ergo quod Saturnus benè dispositus, significat diuitias ob quinque causas. Prima quia significat domos & fundos in quibus maximæ diuitiæ consistunt.

Secundò quia decernit labores, & præcipuè agriculturam ex qua diuitiæ, opes comparari solent.

Tertiò quoniam significat parcitatem & auaritiam, ex qua cumulari solent diuitiæ. Soli enim auari euadunt diuites.

Quartò quia efficit dolores & rapaces, horum autem est congregare pecunias & augere eas atque d cati.

Criminibus debent hortos Prætoria mensas.

Argentum vetus, dicebat ille: Demum significat mortuos, ex quibus solent aduenire hæreditates quibus promptissimè dicantur homines, ac valdè, vt nulla via facilior & frequentior.

Præterea Saturnus horoscopi dominus facit, homines prudentes inuidos, ambitiosos, taciturnos, macilentos, pallidos, turpes, varos & labia magna, dentes malè positos, & plerunque os fœtidum, pectoris angusti maliciosos, infidos, pauci cibi, multi potus, cautos & verè timidos quærulos, odiosos, non multum erga vxorem affectos, minus circa filios, & cùm cæteris auaros, tum maximè erga illos, fœnori & agriculturæ operam dant, & circa aquas libenter versantur. Capillos habent asperos, & pilosi sunt, calor etiam illorum & cutis fuscus. Pro aliis semper malos pro se ipsis etiam sæpè cum plerunque sint infœlices, contempti & male audiant. In angulis constitutus facit primos nasci, sed in septimo subiectos violentis casibus efficit, & improbos in decimo honores, & bona retardat vltra XXX. primos annos, in quarto loco deuastat omnia stabilia bona, nocturnus auget mala, bona minuit. In ascendente deterior est, aliis ob vitia propria. In secundo loco, aut octauo magna detrimenta affert multosque labores, & ab inuidia proteretur. Verùm in octauo deterior est pro morte spem tamen affert hæreditatum, si Ioui aut Veneri complicetur. In tertio loco noxius est fratribus, in nono author est sapientiæ sed fucatæ & superstitiosæ. In 10. & vndecimo negat gaudia & filiis plurimum obest. In sexto decernit morbos insanabiles, non solùm corporis, sed & animi. In duodecimo improbitatem summam, & quandoque ob id vincula, minus tamen malus nato eo in loco habetur.

Per se solus tamen quantumuis benè dispositus boni nil significat, nisi malorum priuationem, & hoc satis est in humana vita, significat ergo constantiam quoniam animi motus inquietos prohibet. Et significat labores, quia non gaudet voluptatibus neque otio tametsi natura sit iners: & facit diuites, dum amet luxuriam, prodigalitatem

& timet de paupertati, & facit prudentes, nec hoc verè : sed quia continent iram & voluptatem. Et eius facultas ac potestas erat, qualis Romanis tribunis olim : qui nil decernere poterunt, sed solùm intercedere, impedire, prohibere, vt credere fas sit eo regnante, illud magistratus genus à Plebe ipsa fuisse constitutum. Ineptus est ergo prorsus ad hæc quatuor, gaudia Venerea generationem,& celeritatem negotiorum,vnde horam nam qui potest esse significator. Est autem ponderosus planeta & grauis. Et eius vis est magna, quia vibrat quasi ex alto, præcipuè cùm fuerit in abside eccentrici : & est erratica confusionis erroris fœditatis, & occultorum domina.Et motus eius proprius tantum spatij superat, quantum Luna quoniam propositio ambitus cœli eius ad ambitum cœli Lunæ est, fermè qualis temporis ad tempus. Et cùm fuerit malè dispositus, & potens, & inimicus est sentina malorum, & doctrina quàm tradimus in hoc libro est diffinitiua: compositiuam autem & resolutiuam docimus in commentariis præteritis, tum etiam aliis.

DE IOVE

IVppiter secunda errantium stellarum, atque sub Saturno posita iisdem rationibus depræhenditur, de quibus supra dictum est, maximus est aspectu præter dico luminaria Veneremque, à qua tamen parum vincitur, duo ex planetis, nam ex inerrantibus dubio procul vincitur à Syrio Clara enim & fulgentia sydera in nostro hemisphærio sunt, Sol primùm, deinde Luna, post vterque Canis, & Iuppiter, & Venus. Referunt in parte australi præter hæc sex, tres esse insignis magnitudinis, atque his maiores, quæ apud nos videntur, non tamen splendidiores, neque adeò nitidos, & vt sic cum ad præsentem tractationem, minimè sint necessaria prætermittenda duxi. Liquet autem quòd nulla ratione obumbrari potest, nisi à Sole & Luna, cum Venere, sed non fit vt quemadmodum Luna eclipsetur, sed vt Sol, id est, non lumine destituatur,sed nobis tantùm interceptus appareat. Est verò lumine plenus clarus ac nitidus, tanquam similis Veneri vt nisi quis Astrologus sit, vix vnum ab altero distinguere queat. Vnde datam illins substantiam esse reor puramque & quasi ex natura Solis maximus præterea errantium, Sole excepto quippe cuius globus centies & octies terræ,& aquæ machinam contineat. Dimetiens ergo dimetiente maior quadrupla & dodrante. Alij dicuntur nonagies sexies tantum, vt sit dimetientis Iouis ad globi dimetientem quadrupla cum septunce, sit trifariam potentior est Saturno corporis magnitudine propinquitate atque luminis & Sphæræ densitate circuitus eius in annis vndecim, diebusque trecentis, & vndecim horisque viginti tribus, quo fit vt cùm difiniât dies quinquaginta tres,& horæ septem, ad perfectum circuitùm, in duodecim annis necessaio antecedat, partibus quatuor, cum triente motusque diurnus sit, propè quinque minutorum. Reuoluitur autẽin parua Sphæra in vno anno & triginta quatuor diebus. Spatium verò retrocessus vt dixi vix definire licet, est tamen propè centum viginti dies, absis illius in Virginis viginti tribus partibus, & quinquaginta tribus minutis, quo fit vt cum circa illum fuerit diebus circiter centum viginti septem retrocedat, cum verò in opposito circiter centum sexdecim, aut paulò minus. Dictum est autem de his in Saturno, verum latitudo australis quidem partium est duarum, minutorum octo, Borealis partium duarum, & minutorum quatuor, vt videatur circulus eius potius ad Austrum, quàm ad Boream inclicatus, quòd commune est etiam aliis vt supra declaratum est. Caput eius circa vigesimam sextam partem Canceri. Cauda verò iuxta vigesimam sextam, Capricorni circuitus latitudinis pene duodecim annorum. Domus illius Sagittarius & Pisces, altitudo Cancer totus, præcipuè quintadecima pars. Latitudinis Borealis venter, seu vbi maxima est latitudo circiter quintam partem, Scorpij Australis iuxta vigesimam quintam partem Arietis. Trigonus eius Arietis, Leo, Sagittarius, cùm tamen in aqeo domum vnam habeat & altitudinem, sed quia plurimum conuenit cum Sole, non ita tamen cum Marte Trigonum illud sortitum est, ob id carpentum eius in Sagittario est. Fertur gaudere in vndecimo loco,fines autem quales à latere descripsimus.

IVPITER ♃.

Circuitus magnus,An.11. D. 311. H.25.
Circuitus paruus, An. 1. D. 34.
Retrocessus tempus, D. 120.
Latitudo Max. Merid. Gr. 2. M. 8. Bor. Gr. 2. Min. 4.
Caput in ♋ partibus 26. Cauda, in ♑ partibus 26. Borealis venter ♍, 5. Aust. vent. ♈, 25.
Transitus latitudinis, annorum 12.fermè.
Domus ♑ & ♓ Altitud. ♋ 15.
Trigonus ♈, ♌, ♐.
Carpentum ♐, & à 20. ad.26 ♋. fines.

Sig. Gr.	Sig. Gr.	Sig. Gr.	Sig. Gr.
♈ Pri. 6.	♉ à 14. ad 22.	♊ à 7. ad 12.	♋ à 20. ad 26.
♌ Pri. 6.	♍ à 18. ad 21.	♎ à 15. ad 21.	♏ à 20. ad 24.
♐ Pri. 12.	♑ à 8. ad 14.	♒ à 14. ad 20.	♓ à 13. ad 16.

Natura eius est calida & humida, simpliciter, in comdaratione autem ad humanum genus temperata, non quod ipse sequantur temperamentum hominis. Quid enim

absurdius

absurdius excogitari posset, sed quod humana natura ad illius instar temperamentum sortita sit: vnde animalibus exanguibus exitio est, & plantis, quæ natura frigidæ & siccæ sunt. Namque quædam Plantæ vt in naturalibus à nobis dictum est, sunt similes naturæ hominis adunguem: sicut & animalia, verùm hoc solo differunt, quod non refracta sunt in eis elementa. Et ea ratione significabit plantas odoratas & temperamento proximas, elephantem inter animalia: ille enim est mitis longæuæ vitæ prudens & magnus. Ex metallis æs, sed de his nihil certum affero, quæ verò ad quæstiones generales pertinent superius visa sunt. Dubio procul enim est quòd cum sit author serenitatis & temperiei, & claritatis aëris, & adueniens ad nos, seu per longitudinis motum, seu latitudinis, seu cum dominatur tranquillitatem serenitatem, puritatemque aëris decernit, sed & ventos, qui ea in regione temperiem procreant, atque salubritatem, eius anni maximi sunt 427. maiores 79. medij 52. minimi 12. color candidus est, lumen eius seu radij ad duodecim gradus extenduntur.

Iupiter igitur natura masculinis atque diurnus actiones humanas benè dirigit consiliique boni author est, beneficus, in omnibus præbens vitam firmam incolumitatem, patientiam, ad labores munditiem, lucra, honores, magistratus, amicitiam Principum, decora, administrationum, gratiam, inter ciues securitatem, lætitiam, iucunditatem, amicos, filios, vxores probas: opes quàm multas, gratiam, religionem, ceremonias, in exercitu principatum, fidos, seruos, & ancillas, celeritatem, in absoluendo, iocos, conuiuia, gemmas, vasa, argentea & aurea, optimus est quanto potentior. Differt in hoc à Venere quoniam in Ioue, quæ ad voluptatem & iunditatem pertinent omnia moderata efficit.

Cùm igitur Iupiter fuerit dominus loci in prima mutatione, ex trigono in trigonum, quæ accidit post nongentos sexaginta annos, & proponunt orbem magnum annorum 3958. scilicet reditus mutationis quatuor trigonorum. Cùm enim trigonus vt dixi mutetur in 989. seu in quadruplo redibit coniunctio orbium, & Iupiter si fuerit in Ariete, significat vehementiam caloris. In principio quartæ autumnalis, & eò magis cum fuerit latitudo eius septentrionalis. Et cùm fuerit Iupiter in Tauro, aggrauabitur calor in quarta autumnali. Item cùm fuerit in Cancro, erit similiter multus calor in quarta autumnali. Et si fuerit ibidem latitudo eius septentrionalis, significat vehementiam caloris & multitudinem ventorum calidorum venenosorum. Item cum fuerit in Virgine, significat vehementiam caloris in quarta autumnali. Item cùm fuerit in Libra, significat calorem in fine quartæ hyemalis, iuxta ver. Item cùm fuerit in Scorpione, & fuerit eius latitudo septentrionalis, significat vehementiam caloris. Item cùm fuerit in Sagittario aut Piscibus, significat idem scilicet vehementiam caloris in quarta æstiuali. Atque hic notanda Sunt duo primùm quæ sint diuisiones annorum, & sunt duplices generales in temporibus, & sunt reditus quidam, & speciales quæ fiunt in suas partes & plerunque in quatuor. Primus ergo reditus appellatur annus magnus, & est 36000. annorum, & redeunt Astra inerrantia ad primùm locum, & eius partes sunt, dimidium in 18000. & quartæ 9000. Secundus est coniunctionis orbium, & est reditus Saturni, & Iouis coniunctorum ad principium Arietis, & fit in annis 3958. & est quadruplum circuitus maximè coniunctionis, quæ fit in initio Arietis per Saturnum & Iouem, & differunt coniunctio orbium, & coniunctio maxima, quia coniunctio orbium fit fermè circa idem punctum, & etiam quod est euidentius initium sumit à principio Arietis: in coniunctione autem maxima fit mutatio ad trigonum igneum aliquando in alio signo, quam in Ariete, & credo quod alius esset appellare coniunctionem orbium triplum coniunctionis maximæ, id est, annos 2970. quia in eo tempore redit coniunctio Saturni & Iouis, ad trigonum igneam & principium Arietis ex signo aqueo, primùm quod ad Arietem patet, quia sunt tria signa, ergo post tres reuolutiones maximæ coniunctionis redibit, ad idem signum, quod autem ad initium patet, quia exit ex fine Cancri, aliter non exiret si non iam esset in fine. Ergo non poterit peruenire nisi ad principium Arietis, & non vltra, & hæ sunt regulæ directæ à Dialectica per Mathematicam habemus, ergo iam annum magnum, & eius partes coniunctionem orbium, & maximam coniunctionem cuius partes sunt, coniunctiones maiores scilicet, transmutationes ex trigono in trigonum, post ducentos quadraginta annos, & post has habemus coniunctionem magnam, quæ fit singulis viginti annis permutando signum, & hoc est quintum, & sextum est coniunctio media Saturni & Martis. Septimum est coniunctio maior, scilicet Iouis, & Martis, octauum est eclipsis Solis, Nonum est eclipsis Lunæ, decimum est coniunctio luminarium, & hominum horum, præsertim coniunctionis maioris mediæ minoris eclipsium & coniunctionis luminarium, & anni magni est diuisio per quartas. Remanet modò vt doceamus secundùm scilicet, dominum in his & eum qui eleuatur, & dominus est duplex vnus loci coniunctionis, aut luminaris affecti, si sit Luna, aut in anno magno si posset sciri, cùm redit ad initium Arietis, sed hoc est impossibile, Et secundus dominus est anguli subsequentis, in eo tempore & hoc non possumus scire, neque in anno magno, neque in coniunctione orbium, nec maxima, neque in maiore, nec magna, nec media, nec minore, sed solùm in reliquis tribus scilicet, in deliquiis luminarium, & in coniunctione eorum atque illarum partibus, & ita in oppositione & quadratis solum. Et propter hoc quærimus in tempore palmarum septem maximè dominum loci coniunctionis, & eum qui superior est ex his qui coniunguntur, adeò vt in deliquiis, & in coniunctionibus luminarium consideremus, tria primùm illum qui eleuatur

ſupra reliquos planetas, ſecundùm dominum loci deliquij, aut coniunctionis, aut oppoſitionis, aut quadrati. Tertium dominum anguli ſuccedentis & inter hos maiores vires habet tertium, deinde ſecundum, deinde primum, in reliquis autem ſeptem pr mis conſiderabimus, ſolùm duos & præcipuè in, ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto & ſeptimo. Primùm quis eleuetur ſuper alium, hic enim habet longè magis robur, deinde dominum loci, & in domino loci primas vires habet dominus finis, & poſt ipſum dominus trigoni, poſt altitudinis demum domus, at ſi ſit carpentum ſine fine erunt duo domini, principales dominus carpenti & dominus finis. Demum quis eleuetur ſuper alium, & erit ille qui eſt proprior abſidi ſui eccentrici ex illis duobus qui coniunguntur, & ſi vnus eſſet dominus, finis eſſet potentior, non tamen idem eſt de aliis dignitatibus. Nam quo ad mundum, & quod ſit orientalis illa ſunt paria vel parum differunt. Tertia conditio eſt quod ille qui eſt, in latitudine Boreali dicitur, ſuperior ei qui eſt in auſtrali. Quarta & vltima eſt quod ille qui eſt velocior curſu eſt, potentior tardiore, & hic planeta ſtante, & ſtans retrogrado, hæc differentia tametſi puſilla ſit in coniunctionibus ſuperiorum inter ſe, magna tamen eſſe poteſt in coniunctionibus trium ſuperiorum, cùm tribus inferioribus, & trium inferiorum inter ſe. Quæ autem huc ſpectant debent accipi vt à ptolemæo ſcripta ſunt. Iupiter ergo cùm fuerit æquidiſtans ſigno Arietis, ſignificat ſanitatem corporum hominum, & forte erunt multi planctus & infirmitates, & dolores capitis, & magis in quarta autumnali, & ſignificat vehementiam caloris, in principio eius, & in fine eius vehementiam frigoris, in quarta hyemali, pluuias multas, & inundationes, & humiditates, argumentum quoque panis, & plantationes arborum & vninearum. Et cum fuerit latitudo eius ſeptentrionalis, ſignificat vehementiam caloris, & multitudinem ventorum, calidorum, venenoſorum. Et cùm fuerit meridionalis, ſignificat vehementem aëris frigiditatem. Et dicit Haly, quod Iupiter in Ariete ſub radiis facit pluuias. Veſpertinus autem nebulas ſpargit: Matutinus ſeu orientalis ſerenum aërem. Stationarius verò efficit tonitrua, & abundantiam fructuum ſeni. Et ſecundùm Albumaſarem, ſi fuerint illic retrogradus, ſignificat nocumentum in omnibus rebus ſuper quas ſignificat Iupiter. Et dicit Albumaſar, Iupiter cùm fuerit æquidiſtans ſigno Tauri, mortem nobilium, dolores etiam oculorum paucitatem auium, vehemens frigus & nocens, multas pluuias, terræmotus in initio quartæ hyemalis, & multas niues in medio eius: Eritque quarta æſtiualis temperata, & forte augmentabitur calor, & ſiccitas, in quarta autumnali cum multitudine panis & vini, cuùm diminutione arborum, & erit anguſtia, & aduerſitas nauigantium in mari. Et ſi fuerit eius latitudo ſeptentrionalis, ſignificat bonam aëris commixtionem. Si fuerit medionalis, ſignificat permixtionem, commixtionis eius, & paucam æqualitatem eius. Dicit Haly, Iupiter in Tauro, ſub radiis mediocritatem anni ſignificat: Veſpertinus hymbres, Matutinus vel orientalis abundantiam fructuum & paſcuæ. Et ſecundum Albumaſ. ſi fuerit illic retrogradus, ſignificat commotionem inimicorum ſuper Reges. Et dicit Albu. Iupiter cùm fuerit æquidiſtans ſigno Geminorum, ſignificat hominibus multos dolores oculorum, & præcipuè pueris, & mulieribus, & multum mortem in eis, & mortem in beſtiis, & erit quarta autumnalis temperata, & paucum nocumentum eius, aſſiduum, flatum ventorum occidentalium, augmentum panis & vini, & præcipuè in parte occidentali, & forte erit diminutio meſſis, & pluuiarum, & tamen cum hoc incrementum aquarum fontium. Et ſi fuerit latitudo eius ſeptentrionalis, ſignificat flatum ventorum & temperantiam eorum. Et ſi fuerit meridionalis, ſignificat æſtatem valdè calidam, & multitudinem ventorum, calidorum, & venenoſorum, & ſiccitatem aëris. Et dicit Haly, Iuppiter in Geminis ſub radiis bonam commixtionem ſignificat, & veſpertinus ſanitatem, & matutinus vel orientalis. Secundùm Albumaſarem, ſignificat multas pluuias, & vehementiam frigoris. Et ſecundùm Haly, cùm fuerit ibidem firmus, ſanitatem deducit. Et ſecundùm Albumaſ. ſi fuerit illic retrogradus, ſignificat multos rumores, & terribiles & bellum. Et dicit Albuma. Si Iupiter fuerit æquidiſtans ſigno Cancri, ſignificat morborum multitudinem in hominibus, & fortè ſanabuntur in quarta autumnali, cum multo calore & vehementi frigore, & præcipuè verſus orientem, & multitudinem pluuiarum, & nebularum, & niuium in quarta hyemali. Et ſi fuerit latitudo eius ſeptentrionalis, ſignificat vehementiam caloris, & multitudinem ventorum & venenoſorum: Et ſi fuerit meridionalis, ſignificat illud idem. Dicit Haly, Iupiter ſub radiis in Cancro, tranquillum mare ſignificat, & abundantiam Piſcium: veſpertinus bonam commixtionem, matutinus ſeu orientalis bonam conditionem, & ſanitatem ſignificat, Stationarius ſignificat facilitatem in rebus. Et ſecundùm Albumaſ. Iupiter cùm fuerit illic retrogradus, ſignificat contriſtationes regni ex parte aliquorum nobilium. Et dicit Albu. Iupiter cùm fuerit æquidiſtans ſigno Leonis, ſignificat ferociam Regnum, & dolores accidere hominibus ventos validos, & multas pluuias, & multum frigus in quarta autumnali, paucitatem calorum in quarta æſtiuali, & vehementiam frigoris in medio eius cum augmento fontium. Et ſi fuerit latitudo eius ſeptentrionalis, ſignificat multitudinem flatus ventorum. Et ſi fuerit meridionalis, ſignificat aërem humidum. Et dicit Haly, Iupiter in Leone ſub radiis, admirabiles ventos ſignificat: Veſpertinus bonam commixtionem, matutinus vel orientalis felicitatem oſtendit: ſtans verò diminutionem infirmitatum facit. Et ſecundùm Albu. Iupiter cùm fuerit æquidiſtans ſigno Virginis, accidet hominibus dolor capitis, dolor epatis, & erit annus vehemens

vehemens super prægnantes, cum temperantia aëris in quarta vernali, & bonitate aëris quartæ æstiualis, & vehementia in quarta autumnali, significat multas pluuias, & niues, & vehementia frigoris in quarta hyemali. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat bonam aëris commixtionem. Et si fuerit meridionalis, significat temperantiam pluuiarum, & vtilitatem earum. Et dicit Haly, Iupiter in Virgine sub radiis, significat abundantiam rerum: Vespertinus bonam commixtionem, matutinus significat infirmitatem: Stans significat bonam sanitatem & omne gaudium. Et secundùm Album. si fuerit illic retrogradus, paucitatem pluuiarum, cum bonitate, & temperantia aëris ostendit. Et dicit Albumaſ. Iupiter cùm fuerit æquidistans signo Libræ, significat mortem boum, & temperantiam aëris veris, & declinationem eius ad frigiditatem, & in quarta æstiuali, significat pluuias destruentes panem, cum multitudine tonitruorum, & coruscationum, & multas niues, in principio quartæ hyemalis, vsque ad mediam eius cum caliditate aëris in fine ipsius. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat assiduum ventorum flatum cum vtilitate corporum. Et si fuerit meridionalis, significat multos dolores, venturos hominibus, & præcipuè in oculis & corde. Et dicit Haly, Iupiter sub radiis in Libra, significat aëris bonam complexionem: vespertinus significat sanitatem, matutinus infirmitatem expellit, stans bonum tempus facit & firmat. Et secundùm Albumaſ. cùm fuerit illic retrogradus, significat infirmitates capitis, & infortunia prægnantium, & pluuiam multam, in principio hyemis & medietas eius mista, cum flatu ventorum, cum temperantia quartæ vernalis, & multas herbas in quarta æstiuali cum diminutione aquarum. Et dicit Album. Iupiter cum fuerit æquidistans Scorpioni, significat sanitatem corporum hominum, cum multis pluuiis destruentibus in omnibus partibus, & vehementiam frigoris in principio quartæ venalis, vsque ad medietatem eius: deinde superaddet & condensabitur aër, & multiplicabuntur nebulæ, cum vtilitate vinearum, & agriculturæ, & bona plantatione arborum Et si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat vehementiam caloris: & si fuerit meridionalis, significat humidum aërem. Et dicit Haly, Iupiter in Scorpione sub radiis, frigidam pluuiam significat: vespertinus bonam temperaturam, matutinus bonum tempus, augmentum Piscium, stans tranquillitatem & quietem. Et secundùm Albumaſ. si fuerit illic retrogradus, significat paucitatem pluuiarum, cum multis ventis proficuis. Et dicit Album. Iupiter cùm fuerit æquidistans Sagittario, significat multos morbos capitis, & præcipuè in quarta autumnali, & mortem in bestiis, & præcipuè in bobus, multas pluuias, frigus mediocre in principio hyemis, & magnitudinem illius in medio ipsius, & niues, & destructionem panis & fructuum, cum vehementia caloris in quarta æstiuali, & perseuerantia ventorum orientalium. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat flatum ventorum, & iuuamentum eorum. Et cùm fuerit meridionalis, erit valde vtilis hominibus. Dicit Haly, Iupiter in Sagittario sub radiis bonam conuersationem, & bonam conditionem significat: Vespertinus pluuias multas, Matutinus serenum, stans vtilis est hominibus in hominibus. Et secundùm Albumaſ. cùm fuerit illic retrogradus, significat iustitiam regum, cum gaudio plebis, cum multitudine pluuiarum, & bonam temperantiam aëris æstatis, & multas herbas. Et dicit Albumaſ. Iupiter cùm fuerit æquidistans Capricorno, significat mortem nobilium & sanitatem corporum hominum, multas pluuias, ventos assiduos in quarta vernali, cum paucitate caloris in quarta æstiuali multitudinem ventorum orientalium, cum diminutione fructuum, panis & vini paucitatem & copia humidi. Et dicit Haly, Iupiter in Capricorno, sub radiis humidum aërem significat: Vespertinus pluuiam, matutinus tranquillitatem in mari & in fluminibus, stans aquarum multitudinem significat. Et secundùm Albumaſ. si fuerit illic retrogradus, significat commixtiones, quæ aduenient regibus & plebi. Et dicit Albumaſ. Iupiter cùm fuerit æquidistans, significat mortem nobilium, & multos dolores hominibus, & præcipuè iuuenibus, mortem auium, & luporum, multitudinem pluuiarum & niuium, cum vehementia frigoris in quarta vernali, & erit quarta æstiualis multorum ventorum, & orientalium præcipuè, & multiplicabuntur pluuiæ, & venti in quarta autumnali, & erit initium hyemis pluuiarum multarum, & multorum ventorum & humidi, cum destructione panis, in hora qualitatis, vel complementi arborum & vinearum, cum multa nauium submersione in muri: & si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat siccitatem aëris: & si fuerit meridionalis, significat multas nebulas, Et dicit Haly, Iupiter in Aquario, sub radiis temperiem significat, vespertinus multam pluuiam: matutinus multas infirmitates. Stans confert ad incrementum omnium rerum & efficit pluuias. Et secundùm Albumaſ. si fuerit illic retrogradus, nocet regibus & morbos in eis efficit. Dico eiusmodi sunt remota, & sunt ex eis propter quæ Astrologia inanis existimatur à naturis. Idem etiam dicit, quod Iupiter cùm fuerit æquidistans Piscibus, significat multa damna hominibus, & præcipuè iuuenibus, & mulieribus dolores, etiam in parentibus, ventos frigidos, assiduosque in quarta vernali, & vehementiam caloris in quarta æstiuali, bonam aëris commixtionem in quarta autumnali: pluuiarum, quoque niuium copiam, in quarta hyemali multos ventos, in medio eius & niues in fine eius cum hoc quod pluuiæ corrumpent arbores, & messes, & præcipuè vineas & oliuas. Et cùm fuerit latitudo eius septentrionalis, significat flatum ventorum, & iuuamentum eorum: & si fuerit meridionalis, significat multitudinem pluuiarum cum augmento fluminum. Et dicit Haly. Iupiter in Piscibus sub radiis, facit augmentum piscium;

vespertinus bonam complexionem, matutinus tranquillitatem in mari & fluminibus: Stans bonam & temperatam pluuiam significat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrogradus, significat res futuras, deteriores, & fructus, & carnes.

Si autem Iupiter eleuetur super alium planetam, eo modo, quo in Saturno diximus, siquidem supra Saturnum & fuerit in Ariete, erit exaltatio regis super populum, pauci inimici, eius rumores terribiles, mendacia, fœcunditas aëris, venti tempetati in messe, & profectus in eis. Si verò fuerit in Tauro, erit multa cædes, & mors inter reges, destructio multorum climatum, fœcunditatem mulierum, & pluuiarum paucitatem aërem, tamen humidum multam messem. Si verò in Gemini erit mors multorum magnorum virorum, & nocumentum in pluribus terris: cum aëre humidiore. Si verò fuerit in Cancro erit siccitas magna in Armenia, fœcunda messis, fructus vberes in quibusdam terris, cum flatu ventorum humidiorum. Si verò in Leone, erit mors regum,& potentium, & multorum hominum: odium inter eos, bonitas aëris & ventorum, cùm fœcunditate messium. Si verò fuerit in Virgine, erunt multa bella,& morbi,& mors in hominibus aër siccior, & ventus & prouentus copiosus seminum. Si verò fuerit in Libra, erunt bella & multæ cædes,cum destructione quarundam regionum, multa siccitas pluuiæ, & pulchrum esse messis.Si verò fuerit in Scorpione, erunt seditiones & discordiæ in pluribus climatibus, combustio in eis cum superfluitate pluuiarum. Si verò in Sagittatio, erunt multa bella inimicitiæ, & odia inter homines cum multis pluuiis, & temperantia aëris. Si verò in Capricorno, abundabunt lupi, & feræ, & etiam locustæ aër siccior, messis copiæ. Si verò in Aquario, erit fertilitas multarum regionum, cum multis niuibus, & aquis, & inundationibus hominum, & salute eorum.Si verò fuerit in Pisce,erit siccitas multa, pisces & paruæaues cum superfluis pluuiis. Si autem supra Martem & fuerit in Ariete, erunt multæ infirmitates,& dolores cum magno frigore. Si verò fuerit in Tauro, erit destructio in pluribus regionibus,multa nix in tempore congrueti. Si verò fuerit in Ariete, destructio graminis in viridariis cum siccitate. Si verò fuerit in Cancro, erit mors inimicorum regis, multi latrones, copia magna latronum, aquæ multæ cum augmento Tigris & Euphratis, & magnorum fluminum iuxta partem in qua fuerit constitutus. Si verò fuerit in Leone, erit mors inimicorum & principum,cum vehementia frigoris. Si verò fuerit in Virgine, erit destructio census mercatorum, & bonitas rerum,venti multi temporibus congruentibus. Si verò fuerit in Libra, latrones capient census mercatorum, & multæ nubes. Si verò fuerit in Scorpione,erit mors in filiis regum,cum fertilitate regionis, & paucitate pluuiarum. Si verò fuerit in Sagittario, erit mors plurium nobilium combustiones, cum multo frigore tempore suo. Si verò fuerit in Capricorno, erit mors luporum, vermium, mors auium, aquaticum, cum multis nebulis, pluuiis & aquis. Si verò fuerit in Aquario, erit bellum & gaudium illud, & lætitia cum paucitate pluuiarum & aquarum.Si verò fuerit in Pisce, erunt multa miracula, & pauor in hominibus, cum salute postea caliditas aëris & siccitas.

Si autem supra Solem & fuerit in Ariete, abundabunt pluuiæ fœcundæ. Si verò fuerit in Tauro, erit siccitas aëris,cum multis ventis calidis. Si verò in Gemini, erit siccitas aëris.Si verò in Cancro, hominum multitudo peribit, miracula in terra, flumina commodè se habebunt. Si verò in Leone, erunt pluuiæ salutares earum. Si verò in Virgine, erit siccitas aëris, cum paucitate pluuiarum. Si verò fuerit in Libra, erit siccitas aëris nimia. Si verò in Scorpione, erit siccitas aëris. Si verò in Sagittario, erunt multæ pluuiæ,& inuatio earum. Si verò in Capricorno, erit temperantia aëris. Si verò in Aquario, erit siccitas aëris, & aëris obscuritas, & aquarum excessus, vndequaque érit copia piscium & paruarum auium. Si verò fuerit in Pisce, erit siccitas aëris.

Si autem supra Venerem & fuerit in Ariete, erunt multa infortunia,infirmitates & mors, cum terræmotu in pluribus partibus. Si vero fuerint in Tauro,aër erit humidus & Europa multa damna patietur.Si verò in Geminis, erit mors prægnantium, pauca pluuia cum multis messibus Si verò in Cancro, erit copia humidi cum salute messium. Si verò in Leone, pleræque vrbes & regiones pace, & fœcunditate gaudebunt, erunt tamen terræmotus. Si verò in Virgine, erunt multi lupi, & pauca pluuia. Si verò in Libra, erunt bella, & terræmotus, & proficiet messi. Si verò in Scorpione, bella & cædes, ac seditiones abundabunt. Si verò in Sagittario, erunt multa prælia & cædes terræmotus, cum frugum tamen copia. Si verò in Capricorno, erit annus bonus, mors auium, & boum, & piscium, & auium paruarum, & terræmotus cum paucitate pluuiarum. Si verò in Aquario, erunt pauci dolores in pluribus regionibus, cum multis aquis & aëre obscuro. Si verò fuerit in Pisce, erit omnino salus ciuium, mors prægnantium, pisces multi, multæ aues, & aquarum incrementum.

Si autem super Mercurium & fuerit in Ariete, erit mors militum, multæ pluuiæ,ventus assiduus, & vtilis tonitrua & corruscationes. Si verò fuerit in Tauro, erit salus hominum, & copia alimentorum, cum multis pluuiis & paucis aquis. Si verò fuerit in Geminis, erit ventus calidus. Si verò in Cancro erunt infestationes seruorum, ad reges mendacia, & diluuia, destructio quorundam climatum, pluuia multa,cum paucis nubibus & tonitruis, impedimentum in paruis. Si verò in Leone, erunt multæ pluuiæ, venti & tonitrua, corruscationes,terræmotus, cum pauco nocumento & destructione. Si verò fuerit in Virgine, erit multa superfluitas, & ventus assiduus. Si verò fuerit in Libra, erit salus in pluribus regionibus, & consecutio bonorum, & ventus assiduus. Si verò fuerit in

Scorpio

Scorpione, erunt multa bella, & multæ tristitiæ, & pluuia superflua tempore suo. Si verò in Sagittario, erit pluuia & ventus superfluus, multa tonitrua & corruscationes, niues vtiles, & temporibus conuenientibus, aderunt tamen terræ motus etiam. Si verò fuerit in Capricorno, erunt multi vates, vehemens frigus destruens, pluuia superflua cum augmento messium. Si verò fuerit in Aquario, Rex superabit inimicos suos, multi terræmotus, & nubes, & pluuiæ & frigus. Si verò fuerit in Pisce, erunt multi pisces & paruæ aues, pluuia multa & frigus vehemens.

Si autem super Lunam & fuerit in Atiete, erit fertilitas anni cum multis pluuiis. Si verò in Tauro, erit multa fertilitas, & salus hominum, cum mediocritate pluuiarum. Si verò fuerit in Gemini, erit superfluitas aquarum & pluuiarum. Si verò fuerit in Cancro, erit pauca pluuia & humiditas. Si verò fuerit in Leone, erit prosperitas aëris. Si verò in Virgine, erit superfluitas pluuiarum. Si verò fuerit in Libra, erit pauca humiditas, & siccitas aëris. Si verò fuerit in Scorpione, erit pauca aqua & pluuia. Si verò in Sagittario, erit constitutio humida mediocriter. Si verò fuerit in Capricorno, erit humida valdè & abundantia aquarum. Si verò fuerit in Aquario, erit humida constitutio. Si verò fuerit in Pisce pluuia pauca.

Manifestum est autem quod velut in Saturno, quæ proportione respondent, ipsi Ioui vsque ad defluxiones addere oportet. Si igitur Luna à Ioue defluens feratur, ad Martem & si nocturna genitura, & crescens Luna sit, Martis societati iungatur, facit magnos potentes, ciuitates vel regiones maximas suis viribus obtinentes: sed cum sollicitudinibus, & cum periculis istius decernit potentiæ potestatem, non erunt tamen hi sine vitio ac valetudine: sed existant tales qui facile cuncta patiantur, præsertim si in principalibus genituræ locis Mars fuerit inuentus quod si in deiectis locis Marte constituto, sic ad eum Luna feratur, ignitas artes decernit, sed & ipsos facit humiles, & abiectos, & valetudines, & vitia, & malo mortis discrimina frequenti ratione decernit. Si verò per diem Luna à Ioue defluat crescens, & stellæ se Martis associauerint faciet expositos, seruos miseros, onere mendicitatis oppressos, vitiis ac valetudinibus implicatos, & quorum seruitus captiuitati sit similis, & qui vitam violenta morte deperdent. Si verò Luna deficiens in nocturna genitura à Ioue defluat, & feratur ad Martem claros faciet, & si Mars in principalibus genituræ locis fuerit inuentus, & Luna minuta luminibus in nocturna genitura à Ioue defluens feratur ad Martem, faciet iudices, duces, & quibus summum potestatis credatur imperium. Quòd si in deiectis genituræ locis Mars fuerit inuentus, & si sic vt diximus ad eum feratur, Luna faciet milites athletas, aut qui ex igne & ferro quærant sibi vitæ subsidia, aut medicos chirurgicos facit. Si verò per diē deficiens Luna & à Ioue defluens feratur, ad Martem paternum & maternum patrimonium dissipat, & parentes in prima ætate eius perimens onus extremæ mendicitatis imponit, aliis vitium acerbi doloris infligit, facit interdum seruos, interdum captiuos, plerunque biothanatos, præsertim si succurrente Luna Mars in cardinibus genituræ fuerit inuentus, vel si in anaphoris, vel cataphoris sit, tunc enim quæ diximus, erunt cum his locis constituta Marti Luna societate si coniunxerit. Si à Ioue Luna defluens feratur, ad Solem paternum & maternum patrimonium varia dilaceratione dissipat ipsos à parentibus alienabit, aut in longinqua peregrinatione constituet, alios exules, alios fugitiuos facit, aliis seruitutem, aliis onus captiuitates imponit, præsertim cùm in domo Saturni, vel Martis Sol, vel Luna fuerit inuenta. Si à Ioue Lunæ defluens adferatur ad Venerem, si sit crescens vel plena luminibus, facit parentes nobili potestatis auctoritate præfulgidos, & qui fuerint maximam potentiam consecuti sed alienati à suis tunc qui natus fuerit cogitur, & citò eum orbatum parentibus facit: sed nihilominus etiam ipsi potentiam gloriam, nobilitatemque decernit, sed hæc omnia pòst processu largitur ætatis: & ab vxoribus maximè felicitatis decernit augmentum, facit etiam ipsos venustos, gratos, lepidos, & quibus ex gratia, vel venustate potestas maxima comparetur. Si verò à Ioue defluens ad Venerem feratur minuta luminibus, & sit in principalibus, vel necessariis genituræ locis infinita felicitatis incrementa decernit, & erit nimium fœlix, in cuiuscūque genitura sic fuerit inuenta: decernit enim honores potentias, fasces prætextas, & magnificæ potestatis insignia, & quibus à parentibus hoc dignitatis meritum conferatur, & in primo ætatis gradu positis potentissimæ dignitatis ornamenta decernit, & vxori, mulieribus diuitiarum & felicitatis, facit incrementa conferri. Si à Ioue defluens Luna ad Mercurium feratur plena luminibus, facit tetricos, iudices, bonos, benignos gloriosos. Erant enim aut exactores fiscalium præstantiorum, aut religionibus propositi, aut iuris interpretes, ex quibus occasionibus maxima illis felicitas, & diuitiæ magis conferantur, vt ipsa felicitas per omne vitæ spatium perseueret. Si verò minuta lumine à Ioue defluens feratur ad Mercurium ex literis vel ex disciplina aliqua, aut ex horreis, & ex negociationibus faciet vitæ substantiam vel subsidia querentes, & quidam hæreditates aliquas consequuntur, alij inueniënt, alij commendatas sibi res abnegant, vt ex ista perfidia patrimonij sibi præsidia comparent. A Ioue defluens Luna si ad nullū feratur, & per vacuum cursus suos dirigat, si sit plena luminibus, faciet ex sua perfectione peregrinos, & pauperes, & qui processu temporis omnia felicitatis ornamenta deperdant. Si verò sit minuta luminibus, expositos captiuos, & quos vita seruitutis onere deprimatur, & quidam erunt vitiis valetudinibusque implicati, alios oligochronios facit. Rursus si Luna Iouis applicuerint stellæ, & crescens lumine ei se societate coniūxerit, vel ad Iouem feratur, faciet felices, gloriosos,

diuites, multorum & magnorum fundorum, & latissimarum possessionum dominos, sed sic habentes etiam futura prædicunt, aut propria animi diuinitate, aut deorum monitu, aut exoraculis, aut cuiusdam venerabili disciplina. Si tamen in ista coniunctione Lunam positam de quadrato, vel diametro Martis stella non viderit, minuentur hæc omnia in maximo vitæ discrimie. Si verò ista coniunctione fuerit minuta luminibus. faciet adoptari, vel expositos antea, postea parentibus reddi, per semetipsos sibi patrimonia quærentes, & reddit tales qui gradatim, & processu temporis crescant, & qui habeant alicuius gloriæ potestatem, sed hæc tunc complentur, si sic Lunam positam Mars, de diametro vel de quadrato non viderit; quòd si sic Lunam positam Mars qua diximus respexerit radiatione, faciet expositos sempiterno seruitutis onere reprimi, aut ab ancilla matre, aut debiles faciet procreati, aut ipsi certè fiunt parte quadam corporis debiles, & miseros infelicitatis onere prægrauati, præsertim si istam coniunctionem Mars in diurna genitura respexerit, vel Saturnus in nocturna, sed Saturnus tunc cum minuta deficiet Luna.

Si à Marte defluens Luna plena vel crescens lumine ad Iouem feratur, in opportunis genituræ locis facit duces, ducentes exercitum, potentes, imperiosos qui sint omni ratione terribiles, & qui prouincias ciuitatesque potentiæ suæ potestate possideant, erunt sanè diuites, locupletes, pecuniosi, & qui omnia quæque volunt facillimis rationibus consequuntur, & qui sint in omnium certaminum conflictatione victores. Si verò sit minuta lumine, & sit à Marte defluens ad Iouem feratur, faciet publicis quibusdam certaminibus destinatos, sed qui semper præconio bonitatis ornentur, aut, gloriosos milites facit, & his assidua felicitatie incrementa decernit, & hos eosdem crebris honorum promotionibus latè patriæ, & variis facit generibus gloriosos latentia tamen vitia infligit, & frequentibus faciet valitudinibus implicari. A Sole defluens Luna si feratur ad Iouem, & si diurna genitura à parentibus fortunæ, & felicitatis largitur insignia, quidam regiones aut ciuitates maximas obtinebunt: erunt tamen vltra modum beneficio felicitatis ornati Si verò per noctem à Sole defluens ad Iouem feratur, faciet semetipsos sibi fecultatum substantiam comparantes, & qui sint assiduis peregrinationibus dediti: sed hoc in prima iuuentute decipit, in processu tamen temporis ætatis gloriæ commendationes bonas, & idoneas decernit sibi subsidij facultates. Si à Venere defluens Luna ad Iouem feratur, faciet magnos, potentes, & nobiles, & ciuitatibus præpositos: quosdam verò facit præsidio mulierum, subleuari, erunt sanè grati, venusti amatores mulierum, & qui venustatis gratia omnia quæ desiderant consequătur. Si verò defluẽs à Venere minuta lumine ad Iouẽ feratur, de mulieribus dabit subsidia facultatum, & reddit tales quibus à prima ætate parentibus felicitatis, & gloriæ, gratia conferatur, aliis hæreditates dabit, aliis lucra maxima inuenire compulit, aut in templis honorata decernit officia. Si à Mercurio defluens Luna ad Iouem feratur, facit magnos, potentes, quibus Imperatorum literæ ac secrera credantur, aut qui regias opes, regiosque thesauros, fidei tutatione custodiant, & qui in regia domo iubendi, vel disponendi habeant potestatem facit, plerunque magistros nunciosque Regum: sed & neocoros aut prophetas, facit aut Principes sacerdotum, aut ex istis honoribus, aut ex his occasionibus maxima illis felicitatis conferantur insignia, aut vt ex his actibus potentium, diuitiarum, incrementa conquerant. Si verò à Mercurio defluens minuta lumine Luna ad Iouem feratur, aut rationibus præponit, aut ferioris, negationibus facit esse præpositos, aut facit actores, & talis quibus publica vel fiscalia instrumenta credantur, aut ponderibus publicis, aut fiscalibus facit priuatarum litium iudices, aut ex his actibus maxima facultatum incrementa decernit, & felicitatis largitur insignia, aliis hæreditates, alios res depositas, & absconsas inuenire compellit, apud alios res commendatæ remanent, & apud eos sine fraudis vitio perseuerant, vt in istis rebus gloria, & substantiæ illis magna felicitas comparetur.

Peculiariter autem Iuppiter significat sacerdotes, viros iustos iudices, magistratus, nam reges propriè decernit Sol, & Luna populum, & mistionem vtriusque Sol cum Luna. Et significat omne bonum quod est in vita, quia omne bonum consistit in moderatione, & ipse significat temperamentum, & moderationem quia est remotus ab omni excessu, & ideò significat virtutes, quoniam virtutes sunt mediæ inter vitia, vt Poëta ille dicebat,

Virtus est medium vitiorum vtrinque redactũ.

Et sanitatẽ quoniam sanitas consistit in bona temperie, & consilium ac prudentiam, quia illa consistunt circa bonam temperiem affectuum, & etiam quia est moderati motus vnde neque impetu res agit, vt Mars, & Mercurius, neque adeò segniter vt occasio prætereat vt Saturnus. Et etiam potens magnus & densi luminis, & grandis aspectu. Et est patiens quia sapiens, & etiam quoniam potest ferre labores, & reliqua incommoda. Et præbet opes, quoniam efficit patientem laborum, prudentem, blandum, & fidum vt ei credatur. Et significat ætatem à 56. anno ad 68. & vxores quia significat prolem, & commodam vitam, hæc autem habetur cum vxore proba, & antiqui eius nomine præposuerunt Deum cunctis quoniam viuet. Et quando significat pluuias vt cum Venere, aut Luna significat tranquillas, significat etiam cibi amatorem, & bonum colorem, efficit autem nobilem, gloriosum, honestum, ornatum lætum, simplicem, beneficum, moderatum, in verbis minimè fœtidum in ambulando quietum ac lentum non præcipitis incessus. Carnosam haud multum pinguem conuiuiis delectatur.

Si malè diſpoſitus fuerit erunt vitia ſimilia virtutibus, belluo, adulator, ſegnis, feret iniurias & dedecora, prodigus. In aſcendente diurnus præbet magnam poteſtatem, nocturnus primum inter fratres vt ſit naſcatur, aut alios occidendo. In ſecundo multum opibus fauet, adeò vt ſacerdotia aut hæreditates impartiantur. In quarto loco bonam fortunam cum Principibus præſtat, tum etiam magiſtratus, die quidem quod diurnus ſit, noctu quod cum Sole: nam in tertio leuibus itineribus atque frequentibus vitam recreat, ſed & fratres aut coniunctos bonos, & iucundos præbet. In quinto noctu paulò minus quàm in vndecimo interdiu præbet felicitatem naturæ congruentem: nam moderatam vim habent hi loci, & orientales ſunt atque puri. In angulis enim quandoque magis vincitur à natura loci quam vincat, in cadentibus debilitatur à natura loci, in occidentalibus quadrantibus, non adeò gaudet, quare vndecimus & quintus locus maximè propitij ſunt, illi velut, & Veneri ea ratione in ſexto loco, de die aut duodecimo de nocte, niſi Sol ipſam non latentem ſequatur, hos quidem per calumniam à iudicibus damnari, facit illos morbis & ſeruitute atque laboribus implicare: eſtque ſanè eorum geneſis ac ſi tam benigno ſydere prorſus deſtituta foret. In ſeptimo ſi in Geminis fuerit corporis molem immodicam præſtat. Cæterùm felicem reddit & bonæ conuerſationis ac lætum, opes autem in ſenecta magis præſtat. Sed in octauo eadem penè quæ in ſecundo pollicetur, lites tamen & contentiones adiicit, præcipuè in nocturna genitura. In nono autem loco præbet ſacerdotia pauperibus, ſacerdotum patrocinia, & in locis proprij ſomnia vera, in contrariis, falſa. Et præſertim noctu vnde etiam ſuperſtitioſos efficit decimo in loco eadem fermè: ſed illuſtriora ſi non nocturnus fuerit quæ in quarto, & certè cum publica negotiæ præbet, & ex negotiis vtilitatem. Hæc autem omnia efficaciora in omnibus cum præfuerint locis, & vt etiam præfuerint diſtinguendum.

DE MARTE.

SVnt præter hæc in ſuperioribus planetis duæ comparationes, ad Solem quarum vna eſt, quod dum planetæ centrum epicycli eſt, ſub centro Solis ipſa ſtella eſt in abſide media ſui epicycli. Altera quam vocant Periodicam reſtitutionem, eſt quoniam Sol quot ambit circulos ſigniferi totos cum modica portione, tot ſtellæ in ſuo epicyclo additis reuolutionibus in Eccentrico. Igitur Saturnus in quinquaginta ſeptem reuolutionibus, epicycli in duabus eccentrici peractis, & portiuncula vtriuſque in annis 59. die vno, horis 18. qui dies & horæ partes ſunt temporis, quibus Saturnus ſuperat 57. integras reuolutiones, vt Sol in 59. reuolutionibus die vno, horis 18. tanto plus progrediatur in integris reuolutionibus, quantum eſt motus in vna die, & horis 18. Et ſimiliter Iupitrr in annis 71. diebus 4. & deunce deficientibus perficit 65. reuolutiones in epicyclo, ſex in eccentrico, & Sol loco ſuo totidem reuolutionibus deficientibus diebus & parte diei ſupra ſcripta. Similiter & Mars in 37. reuolutionibus epicycli, & 42. eccentrici progrediatur, quantum Sol in 79. annis, diebus tribus & ſexageſimis 13. ſcilicet, per tres gradus & decem minuta. Sed & Venus in octo annis quinque, facit reuolutiones in epicyclo diebus 2. & ſexageſimus 18. deficientibus octies redit ad ſuum locum in eccentrico cum reſtitutio, hæc re conſtet non numero, cum ſint 13. reuolutiones collectæ, non octo, ſed tamen reditus idem, quoniã tantum deficit ex reuolutione in epicyclo, ex quinta perfecta quantum Soli ad vltimam reuolutionem complendam in eccentrico. Similiter in Mercurio fiunt 145. reuolutionibus die vno & 31. in epicyclo reditus, fit cum 46. reuolutionibus in eccentrico in 46. annis & die vno, in Sole in totidem annis qui 46. perficit reuolutiones & vnum gradum. Quorum cauſa duas Tabellas expoſuimus, quarum vna oſtendit loca reuolutionum, & tempora vt à latere vides in prima.

	Epicyc.	D.	H.	M.	eccent.		Eccen.	D.	H.	M.
♄	57	1	18	0	2	☉	59	1	18	0
♃	64	360	4	0	6	☉	70	360	4	0
♂	37	3	4	0	42	☉	79	3	4	0
♀	4	362	18	0	8	☉	7	362	18	0
☿	145	1	1	0	46	☉	46	1	1	0

In ſecunda conſtat in ſuperioribus quod motus in eccentrico, & epicyclo in ſingulis diebus, cuiuſlibet Planetæ medij iuncti æquãtur, & perficiuntur medium motum Solis in die. Appellabimus igitur hos annos, ſcilicet reſtitutionum ſolatium, velut in Saturno 59. in Ioue 71. in Marte 79. In Venere octo, in Mercurio 46. in quibus Planetæ remeant ad idem velut in noſtra genitura 24. die Septembris anni 1501. Saturnus fuit in Gr. 31. min. 28. Geminorum retrogradus, ſed ſecundum prutenicas tabulas in gradibus 20 minutis 45. Ideò anno 1560. die 26. Septembris erit in eodem loco in principio retroceſſus, ergo eadem fermè euenient, quæ ad Saturnum pertinebunt, in anno 1560. quæ in anno primo 1561. quæ in anno ſecundo, & ſecundùm menſes, & dies, & in anno 1568. quæ in anno 1509. vtpote morb. longus, ſed alterius, & qualitatis, & magnitudinis propter comparationem Saturni ad reliquos planetas, & ſi quis hanc proprietatem

tem animaduertat, videbit eam esse magnæ considerationis, & in Mercurio idem continget, anno 1547. & vt in anno 1520. ita in anno 1567. Contuli autem me ad gymnasium, & in anno 1521. cœpi profiteri, & ita in anno 1568. augebitur gloria nominis, & ita in anno 1525. Præpositus sui scholaribus. Ideò in anno 1571. si vixero erit mihi quædam potestas cum honore sed parum vtilis, Venus autem singulis octo annis redit

	G.	M.	2.	3.	G.	M.	2.	3.		Gr.	M.	2.	3.
♄	0	2	0	33	0	57	743		☉	0	59	8	16
♃	0	4	59	14	0	54	9	2	☉	0	69	8	16
♂	0	31	20	36	0	27	41	40	☉	0	59	8	16.
In Eccentrico.					In Epicyclo.					In orbe suo.			

fermè ad idem, & ita in anno 1551. perexi in Scotiam, anno 1559. contuli me ad Gymnasium, anno 1543. perexi Bergamum, ac ibi fui per aliquot dies; & in omnibus fuere lucra satis manifesta. Fui enim addictus muneri profitendi, tum primùm & anno 1519. contuli me in Gymnasium vt studerem, & anno 1511. aufugi Papiam ex Patria cum matre propter metum Heluetiorum, & anno 1527. contuli me Patauium ex Saccensi oppido, & anno 1535. fui ascriptus inter Professores Papiæ, sed non recepi conditionem, tametsi Senatus tribus mensibus expectauerit, an vellem mutare propositum, adeò pertinaciter hæserat in sententia, sed ego detentus fui metu belli imminentis, anno etiam 1503. (intelligo semper inchoantem, tum etiam finem habentem in sequenti) redij in patriam ni fallor, nam lactatus fuit extra patriam, & eo vsque educatus, hæc igitur non fortuito contigerunt; neque solùm quia Venus esset in reditu anni in eodem loco & in eodem statu, sed quia singuli dies respondent singulis diebus, per totum annum ea conditione vt supra, & quod Venus est domina loci ascendentis non solum, sed loci Lunæ, loci partis fortunæ, loci Solis, loci medij cœli, loci coniunctionis præcedentis natiuitatem & loci proprij. Sed in Ioue & Marte, quoniam tempus est, nimis longum comparatione vitæ humanæ, ideò ista debetur referri ad reliqua indicia velut vrbium aut regnorum, & similiter illud idem ostendemus in Luna in singulis decem nouem annis, vt sint reditus obseruandi per singulos octo annos quouis tempore conferendo ad præterita, & in comparatione ad singulos dies, vel valdè prope scilicet, non vltra quatuor & singulis decem nouem annis, & 46. & 59. Ex quo patet quod cum medij môtus planetarum sic sumpti sint æquales motui medio Solis, ergo ex communi animi sententia erunt, etiam inter se inuicem æquales.

Cùm ergo hac restitutio sit à die natiuitatis, & toto anno perseueret per singulos dies, vt dies diei correspondeat, palam est eam esse potentissimam maximè in domino geniture, quem Arabes Almutem vocant, vt mihi in Venere: post in domiuo ascendentis, inde loci luminarium & medij cœli post partis fortunæ, Et est generalis omnibus erraticis præterquam Mercurio vt sic causæ diuersæ sint effectuum. Et in Sole non est nisi per se, ita vt sit causa restitutionis aliorum, & vt possint reficere eosdem effectus aut similes. Ideò reducentes ad quinque circuitus demptis ex hoc numero Sole, vt qui per se nil efficiat, sed sit solum causa aliorum vt possint, & debeant hoc facere: neque res parua est, aut mediocris reliquos quatuor planetas toto anno per singulos dies, eundem seruare habitum ad Solem, quem habuerunt in anno prioris circuitus: & dempto Mercurio vt dixi, qui caret hac restitutione per circuitum. Iupiter verò & si habeat restitutionem quia tamen est longior pro vita humana, quam vt possit conferre quinque: nam vt patet in tabula est annorum 64. & ideò esset prorsus comparare decrepitum infanti, ob id data est ei restitutio non quo ad Solem, sed quoad profectionem ascendentis, vt singulo & partibus illius, sic prope locum in quo erat in præcedenti anno, & in quo fuerat ab initio tempore natiuitatis, & hoc efficit vt homo eisdem anni temporibus non solum ob Solem, sed etiam Iouem eodem modo quasi se habeat lætus tristis alacer segnis. Et in circuitu postmodum duodecim annorum non solum ad eundem locum orbis, sed etiam signiferi reddit. Vt si mihi fuit in natiuitate, in prima & in initio Tauri in principio, secundi anni erit etiam in prima, sed in Geminis, & in principio tertij in prima & in Cancro, sed ibi etiam erit profectio ascendentis, scilicet in Geminis, in secundo anno, & in Cancro in tertio, & in secundo mense tertij anni erit in Leone, in tertio mense in Virgine. Et ibi erit profectio ascendentis, & ita erit perpetuò mihi in ascendente, alteri in secunda, alij in octaua, semper singulis annis, & mensibus anni, & diebus mensis, & etiam horis, & est mirabile, & res magnæ considerationis. Sed in capite duodecim annorum non solum erit in eadem domo & Mundi situ, sed signo eodem, & hoc per totum annum, & menses, & dies anni correspondentes, & ita mensis Augusti 1568. habebit magnam similitudinem, cum mense Augusti anni 1556. & finis mensis, vt hodie tertio Calendas Septembris, cum illa die, non tamen erit similitudo in his qui non significant per Iouem, velut anno 1509. mense Augusti laborabam in extremis, non tamen illud significabat, imò non prorsus anno 1521. mense Augusti. Et in medio mensis Septembris anno 1555. laborabam morbo, non tamen significauit quod mense Septembris 1567. deberem

berem ægrotate, quia morbus non significat per Iouem, multo minus significabatur in mea genesi per illum: Et ita de aliis, Circuitus ergo est solum de re significata, & tractione non exitu. Hæc igitur est via inueniendi circuitus singulorum bonorum, atque malorum per significatores, & vicissim inueniendi significatores per circuitus. Velut mihi in anno 26. contingit promoueri ad Lauream Medicinæ, in 29. cooptari in collegium Medicorum in 51. accersiri ad curationem Pontificis B. Andreæ, & in 62. eligi in Professorem Medicinæ à Bononiensi Senatu, ex quibus quatuor fuit lucrum innumerorum aureorum, imò totius pecuniæ ex arte parte & circuitus est per 12. annum. Et licet iuerim anno. 51. in Scotiam electio tamen Medici, & litteræ transmissæ sunt, anno 50. meo vt ratio constet. Ergo tum Iupiter & ascendens fuerunt in Geminis, in secundo loco vbi radij trigoni Solis. Et Veneris etiam & Mercurij, & quadrati Lunæ, & corpore Martis, & Saturni dominorum medij cœli, ideoque ex his tria fuerunt, extra patriam & cum itinere. Et similiter anno 33. ætatis reliqui munus medendi. Plebis sacci & non lucratus sum Gallaratæ toto anno 30. aureos, anno 45. omissi, munus profitendi Papiæ, & ita amissi circiter 220. coronatos, & existimationis multum, & anno 57. filius meus natu maior duxit vxorem indotatam, & euertit totum patrimonium meum ex hoc facto. Et ita anno 69. priuabor & contra, contra omnem spem, rationem & consuetudinem, ne credas hoc naturali coniectura me scribere profitendi medicinam munere, & lucro 1400. coronatorum in singulos annos ob Iouem ergo hæc sunt, qui cum ascendente prouenit ad Capricorni initium vbi sunt radij quadrati Solis, & Veneris, & Mercurij, & Sextiles Lunæ inimicæ, & radij trigoni Iouis cadunt, ante & antequam redeat annus, & Iupiter ad locum, & etiam sunt infelices, cum tam Iupiter, quàm Luna cadunt in Capricorno. Et quia Capricornus est signum medij cœli, & medium cœli cadit, in ea diuisione significat tamen exercitationem modicam, aliquando cum iactura vt anno 1534. aliquando cum lucro insigni vt in sequentibus omnibus 1546. 1562. 1570. Est ergo Mars tertius in ordine planetarum descendo naturalibus, & siccus ardens maleficus nocturnus masculinus aspecta minor omnibus planetis præter Saturnum, & Mercurium ruber, fuscus cuius proportio corporis ad corpus terræ, & aquæ est velut quindecim ad octo, atque ideò dimetientis ad dimetientem fermè sexquiquarta. Vnde liquet quod altitudo Solis exigua est in cõparatione ad altitudinẽ Saturni, quæ ferè est vt 13. ad vnam quandoquidem Mars, cùm sit eam prauus Saturnum magnitudine superare videatur, cùm Saturni dimetiens quadruplus sit cum septunce, neque igitur mirum est si tam prauus habeatur, cum proportio dimetientium sit minor sub tripla ad eam, quæ est altitudinis. Nihilominus lumen eius lumine Saturni minus est, est enim duntaxat partium 7. minutorum 30. Anni maximi eius 284. magni, 61. minimi, 15. circuitus in eccentrico, annus vnus, 321. dies, horæ 22. circuitus in paruo circulo anni duo & 50. dies lumen partes 7. minuta 30. absis in 15. parte, & minuto 28. Leonis latitudo australis maxima part. 7. min. 7. Borealis autem par. 4. min. 21. altitudo eius in 28. parte Capricorni dominus est, & tam de die, quàm de nocte primus erigoni aquei, vnde liquet carpentum eius esse Scorpionis signum: tum verò primos septem gradus, in Cancri autem primi septem gradibus licet, in toto signo deiiciatur magnam vim habet, vt propriè efficiet naufragia termini retrocessus à 72. diebus vsque ad 82. caput eius circa 16. partem Geminorum & cauda circa 16. Sagittarij. Verum in hoc consulere oportet ephemerides propter velocitatem varietatis horum velut etiam de ventre est, tamen venter Borealis anno 1570. in octaua parte Virginis mirum, tamen quoties reflectatur, & reciprocet modo in septentrionem, modo in meridiem, & quàm longissimis spaciis temporum perueniat ad ventrem maximè meridionalis latitudinis, quàm diximus esse boreale, multo maiorem, gaudet in sexto loco, cum sit nocturnus & Saturnus, altera malefica in duodecimo gaudeat morbos tamen & ibi per se generat.

Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.
♈	à 21. ad 25.	♉	à 28. ad 30.	♊	à 18. ad 24.	♋	pri 7.
♌	à 25. ad 30.	♍	à 22. ad 28.	♎	à 29. ad 30.	♍	pri. 7.
♐	à 27. ad 30.	♑	à 26. ad 30.	♒	à 21. ad 25.	♓	à 20. ad 28.

Propriè Lunam plenam luminibus ex opposito si exceperit, facit furiosos, vt Saturnus vacuæ si iungatur fatuos, & Soli malè iungitur, vt Saturnus eidem infeliciter opponitur, & Mars Venere gaudet, ac ei quasi spontè cædit, vt Saturnus Ioui, & Saturnus Lunæ plenæ oppositus parum nocet, & Mars vacuæ si iunctus fuerit.

Mars vbi dominus fuerit orbis magni, & in Geminis calidum aërem, & quietum, si tum fuerit vespertinus efficit calidissimum, quia occidente Sole calorem retinet, & ita non permittit refrigerari aërem, & idem dico de Venere, quia facit pluuias, & Saturnus frigus, & ideò dies in æstate, cum sic Mars se habuerit, erunt calidissimi, quia noctes non frigerabuntur, & erunt æstuosæ, & ergo magis dies. Sed si in Gemini steterit calidus, & siccus, & ideò in natura genesi (omnia enim ad idem referenda sunt) significat calidam, & siccam intemperiem membrorum quibus Mars dominatur. Et similiter si steterit aut retrocedat in Cancro, & latitudinem habuerit borealem, significat calorem,

calorem vehementem. Et in Leone cùm fuerit sub radiis Solis, sed ita distingue si omnino latuerit Solis calor accendetur, velut ignis in quo sit ferrum candens. Est enim calidior alio. si autem orientalis propè visionem fuerit, ab aurora calor incipiet & totus dies erit valdè calidus, nox tamen erit frigida, verùm si orientali proximus visioni noctes non refrigerabuntur.

Mars fuerit dominus eodem modo quo de Ioue dictum est, & fuerit æquidistans signo Arietis, & hoc est quod dicimus in Ariete significat interfectionem accidere in partibus orientis, & multudinem dolorum oculorum, & multos ventos, cum paucitate pluuiarum, & si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat siccitatem aëris, & si fuerit meridiana significat temperantiam aëris. Et dicit Haly, tractans de essentia planetarum sub radiis, quod Mars in Ariete sub radiis, serenum significat. Sed vespertinus contrarium, matutinus vel orientalis turbationem temporis, stationarius fulgura, & tonitrua significat. Et secundùm Albumasarem si fuerit illic retrogradus significat, multos dolores, & multa nocumenta aduenire. Et dicit Albumas. Vbi supra Mars cum fuerit æquidistans signo Tauri, significat interfectionem inter ciues partis septentrionalis, & meridiei multos dolores, cum mortis mulierum coniugatarum, & militiam rerum venerearum mortem, & boum, & multitudinem ciuium, & abundantiam pluuiarum & vehementiam tonitruorum, & corruscationum, & nebularum, & paucitatem victus, & abundantiam aquarum, & si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat multas infirmitates variolarum. Et si fuerit meridiana, significat molitiam commixtionis aëris. Et dicit Haly, Mars in Tauro sub radiis tempus sine vento facit, vespertinus rerum, matutinus siue orientalis ventos mouet, stationarius desiccat aëre. Et secundùm Albumas. cùm fuerit illic retrogradus, significat nocumentum aduenire bestiis, cum morte eorum. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans signo Geminorum, significat multos dolores aurium in hominibus, & variolas, & morbillos, & interfectionem in septentrione, cum multo latrocinio, & erunt nocumenta hominibus, præter tonitrua & corruscationes, vehementia frigora. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis significat multitudinem terræmotuum, & si fuerit meridiana significat caliditatem aëris, & quietem eius. Et dicit Haly, si Veneris Mars sub radiis, infirmitatem significat hominibus: vespertinus est calidissimus, matutinus vel orientalis contrarietatem in hominibus operatur: stationarius calidus & siccus efficitur. Et dicit Albumas. cùm fuerit illic retrogradus significat multas ægritudines variolarum, mobillorum. Et dicit Albu. Mars cùm fuerit æquidistans Cancro, significat interfectionem in parte orientali, vel occidentali, & multiplicantur in hominibus ægritudines, & infirmitates pectorum, & quotidianæ, & tertianæ febres, & dolores gutturis & cadent inter Principes contrarietates, & erit pauci-tas pluuiarum cum vehementia caloris. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat caliditatem aëris, & si fuerit meridiana significat illud idem. Et dicit Haly, Mars in Cancro sub radiis combustionem, vespertinus infirmitates, matutinus lites inter homines: Stationarius caliditatem & siccitatem significat. Et dicit Albumas. cùm fuerit illic retrogradus significat corruptionem aëris, & vehementia caloris cum flatu ventorum venenosorum. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans signo Leonis, significat bella in parte orientis cum expansione mortis, & præcipuè puerorum pro nimio dolore ventris, & significat charistiam in bestiis, & paucitatem pluuiarum, & panis, & præcipue in parte orientis. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat flatum ventorum ex ferocitate venenosorum, & si fuerit meridionalis significat siccitatem aëris. Et dicit Haly, Mars in Leone sub radiis infirmitates Imperatoris significat, vespertinus ardorem, matutinus vel orientalis extinctionem eius significat, stationarius significat infirmitatem. Et secundùm Albumas. si fuerit retrogradus significat, quod cadet inuidia & odium inter Romanos. Et dicit Album. Mars cùm fuerit æquidistans Virgini significat multas infirmitates oculorum, & multam interfectionem, effusionem sanguinis in parte meridiei, & mortem mulierum, cum destructione aëris, & eius siccitate, & multis terræmotibus, & multitudine panis & vini. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat paucas pluuias. Et cùm fuerit latitudo meridionalis significat malitiam complexionis aëris. Et dicit Haly, Mars in Virgine sub radiis infirmitates in hominibus facit vespertinus suffocationem, matutinus lites & contentiones facit, stationarius siccitatem aëris ostendit. Et si fuerit illic retrograda significat siccitatem aëris. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans Libræ, significat salutem & bonum in hominibus, & erunt multi latrones, & timores, & rumores, terribilis mors, & infortunia in hominibus propter bubones, & specialiter in parte meridiei, cum paucitate pluuiarum nebularum, ventorum. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat multitudinem ventorum, incessanter, & si fuerit meridionalis significat temperantiam aëris. Et dixit Haly, Mars in Libra sub radiis siccum aërem facit, vespertinus pluuiosum, matutinus turbationem & tonitrua facit: stationarius verò aridus & siccus. Et secundùm Albumas. si illic fuerit retrogradus signficat mortem subitam quorundam nobilium hominum. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans Scorpioni significat multos dolores, ardorem in hominibus, & bubones, & ægritudines & præcipuè in iuuenibus, & illud erit in septentrione, cum multis latronibus, erit frigus vehemens, in quarta autumnali, & hyemali & æstiuali, cum multa siccitate aëris, & nocebit pani, vino, arboribus & messibus. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat multam siccitatem & paucitatem pluuiarum, & si fuerit meridionalis significat temperan-tiam

tiam aëris. Et dicit Haly, Mars in Scorpione sub radiis tranquillitatem in mari significat: vespertinus & matutinus significat ventos, stationarius significat trãquillitatem & quietem facit. Et secundum Albumas. si fuerit illic retrogradus significat infirmitatem accidere regi, propinquitatem perditionis. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans Sagittario, erit mors in parte occidentis, cum multa interfectione, & cum ægritudinibus, & vehementi tussi, & doloribus oculorum, & erit quarta vernalis, mali aëris corrumpentis, cum paucitate pluuiarum, & multiplicabitur frigus in quarta hyemali, & exinde erit corruptio annonæ, scilicet panis & vini, vel cum multis plantarum plantationibus. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis significat multum flatum ventorum, cum siccitate & pauca humiditate eorum, & si fuerit meridionalis significat altercationem quarundam rerum & conuersionem earum. Et dicit Haly, Mars in Sagittario sub radiis sine humiditate, vespertinus infirmitates & pestilentias. Matutinus vel orientalis vehementiam caloris significat, stationarius verò malum & infortunium. Et secundum Albumas. si fuerit retrogradus significat malum, & infortunium, & malum aduenire militibus regis. Et secundum Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans Capricorno, significat multam mortem, & multa infortunia ex parte meridiei, & præcipuè in iuuenibus, & mulieribus paucitatem pluuiæ, & siccitatem aëris, cum multis redditibus hæreditatum & paucitate fructuum. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat destructionem commixtionis aëris, & si fuerit meridionalis significat illud idem.

Et dicit Haly, Mars in Capricorno sub radiis nutrit, vespertinus bonam commixtionem, matutinus dies hyemales per loca facit, stationarius tranquillitatem & perfectionem inducit. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrogradus significat mortem nobilium, cum cogitationibus, & mœroribus hominum & multas pluuias. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans Aquario, significat mortem regum orientis, cum multis infortuniis hominum, & superabundantiam pluuiarum & casu niuium, & asperam commixtionem aëris, & cum multitudine panis & vini, & cum multo bono, & paucitate eorũ in parte orientis. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat siccitatẽ aëris, & si fuerit meridionalis significat illud idẽ.

Et dicit Haly, Mars in Aquario sub radiis, significat ariditatem, vespertinus absentiam ventorum, matutinus motionem eorum, stationarius nocumentum in mari. Et secundum Albumas. si fuerit illic retrogradus, significat malam inobedientiam plebis erga regem. Et dicit Albumas. Mars cùm fuerit æquidistans piscibus, seu signo piscium, significat interfectionem multam inter reges, & magnates, & amissionem regni, & dignitatum eorum, febres tertianas & quotidianas in parte meridiei, & occidenti charistia bestiarum, & abundantia pluuiarum & niuium, cum bona aëris commixtione. Etsi fuerit eius latitudo septentrionalis significat multos ventos, & si fuerit meridionalis significat multas pluuias. Et dicit Haly, Mars in Piscibus sub radiis raritatem piscium significat, vespertinus ariditatem, matutinus fulgura & tonitrua, stationarius inæqualitatem in corporibus & in rebus significat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrogradus significat permutationem & accidentia accidere hominibus, & paucum conplementum eius in quo speratur ex operibus & rebus.

Si Mars super Saturnum eleuetur & sit in Ariete, erunt multi venti, & pluuiæ, bonus aër æstatis. Si fuerit in Tauro, erit mortalitas, siccitas & combustio in hominibus, & terræmotus. Si verò fuerit in Gemini, erunt multa bella, multæ ægritudines, & mors in eis, pluuia tonitrua & corruscationes. Si verò fuerit in Cancro, erunt multi inimici in gentibus, multæ locustæ, pluuia mediocris & pauca aqua. Si verò fuerit in Leone, erit magna siccitas, cum forti vento, & multo puluere. Si verò fuerit in Virgine, erit magnus calor, & frigus magnum temporibus suis, corruptio locustarum, & plures redditus fructuum. Si verò fuerit in Libra, erit pugna inter reges, mors quarundam mulierum regum, multitudo herbarum & pluuia pauca. Si verò fuerit in Scorpione, erunt bella, & destructio in plurib. climatibus, locustæ nociuæ in messibus pluuiæ, tonitrua, & corruscationes. Si verò fuerit in Sagittario, erunt multæ ægritudines, in pluribus climatibus, ventus incessans, cum multo puluere, & vtilitate annonæ. Si verò fuerit in Capricorno, erit multitudo asinorum, & ouium cum vehementia caloris, & frigoris tempore conuenienti, & cum durabilitate eorum. Si verò fuerit in Aquario, erunt paucæ aquæ, cum multis pluuiis. Si verò fuerit in Pisce, erunt infortunia, in pluribus climatibus, & multi pisces, & paruæ aues, pluuiæ superfluæ, tonitrua & corruscationes.

Si verò super Iouem & fuerit in Ariete, erit mors in hominibus pluuia pauca. Si verò fuerit in Tauro, erit destructio ciuitatum, mors quorundam magnatum multæ pluuiæ, corruscationes & tonitrua. Si verò fuerit in Gemini, erit nimia mors in hominibus. Si verò fuerit in Cancro, erunt bella, deprædationes, & combustiones in multis terris, cum multis pluuiis, & augmento Tigris & Euphratis, multæ inundationes tempore suo. Si verò fuerit in Leone, erit pluuia pauca, detrimentum aquarum in puteis, & in aliis locis. Si verò fuerit in Virgine, erit combustio cum superflua pluuia corruscatione, & tonitruo, & augmento aquarum fluuiorum. Si verò fuerit in Libra, erunt rumores & odia inter homines malitia mercationum, cum multis tonitruis pluuiis, & corruscationibus. Si verò fuerit in Scorpione, erit mors in pluribus climatibus pauca pluuia, & detrimenta aquarum fluminum & Piscium. Si verò fuerit in Sagittario, erit mors diuitum, cum pauca pluuia. Si verò fuerit in Capricorno, erunt multa capti in pluribus climatibus mors auium, pluuia pauca, vehemens frigus, cum paucitate aquarum &

fluminum. Si verò fuerit in Aquario, erit mediocritas aquarum incrementum plantarum. Si verò fuerit in Pisce, erit gaudium in multis regionibus, reges interficere sese, dominantium mulierum super viros, pluuiæ superfluæ, & corruscationes.

Si verò super Solem & fuerit in Ariete, erunt bella iniuriæ, mendacia, iudicatio hominum: calor paucus, bona complexio, quartæ æstiuali, multæ corruscationes, & venti. Si verò fuerit in Tauro, erit multus calor & siccitas aëris. Si verò fuerit in Gemini, erit caliditas & siccitas aëris. Si verò fuerit in Cancro, erit siccitas aëris, & vehementia caloris. Si verò in Leone, erunt multæ corruscationes. Si verò fuerit in Virgine, erit siccitas aëris, & humiditas pauca. Si verò fuerit in Libra, erit temperantia aëris declinans ad calorem, & siccitatem, multum frigus, & ventorum fortitudinem arbores eradicantium. Si verò fuerit in Scorpione, erit siccitas aëris & eius caliditas. Si verò fuerit in Sagittario, erunt multæ corruscationes. Si verò fuerit in Capricorno, erit siccitas aëris. Si verò fuerit in Aquario, erit vehemens calor. Si verò fuerit in Pisce, erit siccitas aëris.

Si verò super Venerem & fuerit in Ariete, erunt bella, mors, bubones, combustiones, multa horribilia prosperitas mulierum, impraegnatarum, cum peste ex siccitate aëris. Si vero fuerit in Tauro, erit mors, ægritudines, mulieres parient filias, magnus calor, in quarta æstiuali. Si vero fuerit in Gemini erit contrarietas virorum cum mulieribus, mors impraegnantium paucitas rerum & humiditatis. Si vero fuerit in Cancro, erit mors mulierum impraegnantium pauca humiditas, cum vehementi calore. Si vero fuerit in Leone, erunt combustiones, infortunia, constitutiones, mendatia, terribiles, rumores, in plurib. terris, cum locustis, & pluuia pauca. Si verò fuerit in Virgine, erit mors regum, & puerorum ex mulieribus, & multis altercationibus locustæ, & vehemens calor. Si vero fuerit in Libra, erit nocumentum & combustio cum pauca pluuia. Si vero fuerit in Scorpione, erit mors mulierum, regum, humiditas pauca. Si verò in Sagittario, erit superfluitas pluuiarum. Si verò fuerit in Capricorno, erit aborsus prægnantium cum euasione mulierum, mors ouium vehemens calor tempore suo. Si verò fuerit in Aquario, erunt pugnæ, angustiæ & locustæ in multis regionib. siccitas, & charistia annonæ, pluuia pauca cum diminutione aquarum. Si vero fuerit in Pisce, erit prosperitas multarum regionum, & homines multum vti benè adorantibus, multi pisces, & paruæ aues.

Si autem super Mercurium & fuerit in Ariete, erunt bella multa cum paucitate pluuiarum, & imbrium vehemens calor paucitas aquæ fontium. Si vero in Tauro, erit destructio in pluribus climatibus, multæ pluuiæ, & nubes, vehemens frigus in quarta autumnali, & hyemali. Si vero fuerit in Gemini, erit mors filiorum, Regum bella, interfectiones, pauores, destructio ecclesiarum & census, pluuia pauca & multus census. Si verò fuerit in Cancro, erit interfectio filiorum regum. bella & destructiones multorum regnorum, destructio palliorum regum, vehemens calor tempore suo. Si vero fuerit in Virgine, erit effusio sanguinis destructio multarum terrarum, cædes magnatum, multitudo latronum, & iniuriarum seruorum erga dominos, delectatio sapientum, multum annonæ. Si vero fuerit in Libra, erit mors filiorum regum orientalium, bellorum occidentalium, paucitas pecorum, destructio ecclesiarum, pluuia pauca, nebulæ, tonitrui. paucitas aquæ in fluminibus. Si vero fuerit in Scorpione, erit mors hominum, & boum, & ventus incessans. Si vero in Sagittario, erunt interfectiones & effusio sanguinis, multæ rapinæ & dolores hominum, multæ nubes & pluuiæ. Si vero fuerit in Capricorno, erunt in hominib. multæ causæ infirmitatis, mors, bella, capti charistia asinorum, mors ouium, paucitas auium, & florum in principio, quartæ vernalis, multæ in fine niues. Si vero fuerit in Aquario, erunt bella, captatio & mors in pluribus climatibus, multi lupi, pauci boues, pluuiæ humiditatis, & aquæ paucitas charistia annonæ. Si verò fuerit in Pisce, erit dispositio regis à regno, multa incommoda cum bellis, impedimentum medicis interfectio multa animatorum fertilitas in parte occidentis pluuias super aquæ flumine charistia annonæ.

Si autem super Lunam & fuerit in Ariete, erũt multa bella & captiones, mors nimia lupi, charistia quadrupedum cum humiditate pauca. Si vero fuerit in Tauro, erunt multa bella, in pluribus climatibus, & mors renouatio regnorum lupi, cum precio bestiarum. Si vero fuerit in Geminis, erit mors regum, multa cædes, & bellum in pluribus climatibus, siccitas aëris, humiditas pauca. Si vero fuerit in Cancro, erit mors regum, & bella, & captiones, in pluribus climatibus, & mors lupi charistia ouium, humiditas pauca & siccitas aëris. Si vero fuerit in Leone, erunt bella, interfectiones in pluribus climatibus, multi lupi, charistia boum, & camelorum, & huiusmodi animalium, siccitas aëris, & pauca humiditas. Si vero fuerit in Virgine, erit pluuia superflua cum multis humiditatibus. Si vero in Libra, erit paucitas animalium trahentium onera cum multitudine inimicorum. Si vero fuerit in Scorpione, erunt bella, & captiones in pluribus climatibus, rapacitas luporum & valor bestiarum onerum, & tonitrua, & corruscationes. Si vero fuerit in Sagittario, erit paucitas pluuiarum. Si vero fuerit in Capricorno, erit discordia nobilium, expensæ, pecuniarum earum multa bella in pluribus climatibus capti, & mors lupi, caristia boum, & asinorum paucitas pluuiæ & aquæ. Si vero fuerit in Aquario, erit pluuia pauca. Si vero fuerit in Pisce, erit mors hominum præcipuè regum nobiliumque, lupi multi, & pauci boues, & huiusmodi animalia cum pauca pluuia.

Defluxus autem Lunæ ab eo sic accipiendi erunt, si à Marte feratur ad Solem maxima vitia valetudineque decernit, & breuitatem temporis tribuit: & facit biothanatos interire.

interire, & generaliter maxima decernit infelicitatis in commoda, quosdam verò sic posita facit in extra aëris, & in peregrinis finibus interire. Si à Marte defluens Luna feratur ad Venerem, & sic crescens, vel plena luminibus facit adulteros libidinosos, amatores & Veneris semper cupiditatibus deditos, frequentibus periculorum casibus implicatos, exercebunt autem artes pigmentorum, & aromatum, aut lapidum, & margaritarum, & fiunt frequenter ex ista Lunæ societate tinctores, metalli & cuiusdam comertia tractabunt & fiunt pro signorum, & locorum qualitate caupones, vt ea quæ ad victum vel potum sunt, necessaria fomosis, & publicis mercimoniis præparent. Si verò à Marte defluens minuta luminibus, sic feratur ad Venerem efficaces, beatos, felices faciet: sed diuites his sanè mulieres sollicitarunt, & auferunt locupletes, sed in alieni viris vxores ex quibus comparabuntur illis maxima felicitatis insignia, nam per has mulieres honestantur maximo dignitatis ornatu: præsertim si sic nocturna genitura sit, faciet laboriosos & variis operibus inherentes, & qui ob res venereas frequenti pulsentur infamia, & quos semper promiscuæ libidinis nota sollicitent. Si à Marte defluens Luna ad Mercurium feratur, plena lumine in nocturna genitura milites faciet, & athletas gloriosos interdum alios publicis, & gloriosis officiis præponi, sed erunt maligni malitiosi, & quorum cupiditas ad omne facinus per dies singulos crescat: Erunt enim aut carnifices, aut spiculatores, & quibus deferendi licentia publica committatur authoritas. Si verò per diem ista se Lunæ societate coniungat, & sit plena lumine decernit, miseræ damnationis incommoda, vt sententiam iudices subire cogantur, & fiant ex ista damnatione biothanati. Si verò minuta lumine in diurna genitura, à Marte defluens ad Mercurium feratur infinitis immersum cupidiatibus decernit, facit enim crassatores, latrones, sed qui in isto deprehendit facinora seuera iudicantis animaduersione plectantur, alij præmuntur cadentium ruina tectorum, alios à rectæ vitæ cursu mittit ad insanias. Si verò minuta lumine fuerit in nocturna genitura, faciet carceris præpositos, custodiarumque custodes, & qui ex hoc officio patrimonij sui substantiam comparent: erunt sanè amatores nauium, & athletarum, & qui quadrupedia animalia assiduis officiis prosequantur, habebunt sanè vitia & assiduis periculorum incommodis decernunt. Si à Marte defluens Luna ad nullum feratur, sed per vacuum cursus suos dirigat, & sit plena luminibus patrimonium dissipat, & parentes in primo ætatis gradu perimit, aut vitium aliquod, aut malæ mortis discrimen impinget: ipsos verò aut ex altis præcipitant locis, aut à quadrupedibus pericula, aut maxima illis vitia valitudinesque decernit, alios facit publica morte biothanatos. Si verò minuta lumine à Marte defluens ad nullum feratur, aut à genere suo alienari, & separati facit, & patrimonia eorum variis lacerationib. dissipat, aut dat laboriosas artes, & circa semper ferrumque versantur, aut miseros milites facit.

Si etiam Luna Martis applicuerit stellæ, & crescens lumine Martis se societate coniunxerit, vel ad Martem feretur, & sit nocturna, facit calidos, periculosos, violentos, sed qui frequentibus soleant rationib. decipi, & quorum vita sit maximis periculis mancipata efficaces, tum & omnia complentes, aut armis dedicatos, aut athleticis certaminibus deputatos præsertim, si in primis genituræ locis fuerint constituti erunt, tum vitio laborantes, matres verò eorum aut debilitas ante perimit, aut facit biothanatos interire. Si verò diurna fuerit genitura, & sic se Marte Luna coniunxerit omni faciet partes corporis amputatos aliorum oculis nocet, aliorum stomachum, latentium, vitiorum, continuationem Luna debilitat: quosdam oligochronios, biothanatos facit. Sed hæc omnia secundùm propriam naturam signorum facit atque decernit, & secundùm cardinum diuersos exitus, & secundùm anaphoras cardinum, & secundum ea signa, quæ aliena esse ab horoscopocietatibus diximus, decretorum diuersa varietas inuenitur. In his enim signis quæ alimenta esse societatum horosco: dixi, id est, in sexto ab horoscopo, vel in duodecimo loco. Si crescens lumine Luna, se Marti coniunxerit matrimonium minuit, parentes separat, vel interemptis parentibus orbitatis, faciet miseriis fatigari. Aliorum corpus ferri laceratione conciditur, aliis talia nascuntur vulnera, vt nulla redi quæant, nisi ignitis sanati cauteriis, largitur autem artes, quæ aut ignem tractent semper, aut ferrum, alios milites facit, sed qui sempiterno onere militiæ decernantur. In quinto verò loco vel in vndecimo si ab horosc. vel in secundo, vel in octauo, vel in horosc. constituta. Si per diem ad Martem feratur Luna vitia laterum, & paruum vitæ spacium decernit, & biothanatos facit. Si verò fuerit in nocturna genitura, & minuta luminibus ad Martem feratur, & his scilicet, in quibus docuimus locis, magnos, potentes, terribiles, efficaces facit, qui maximas ciuitates potestatis alicuius licentia subiungent: præsertim si in primis cardinibus genituræ, sic fuerit inuenta. Si verò per diem principalibus genituræ locis, sic fuerit inuenta paternam substantiam dissipat, scilicet & parentes ipsos debilitat, aut biothanata morte perimit, artifices autem publicos, aut milites facit, sed valetudinibus, aut vitiis implicatos, aut frequenter maxima pericula, & violentæ mortis decernit exitum. A Sole si defluens Luna feratur ad Martem, & sit diurna genitura, parentes eius celeri morte prosternit, vt sic ipse orbitatis onere deprimatur, pereunt autem parentes ex ista coniunctione frequenter biothanati, & ipsis qui nati fuerint decernit, vitiosas, luminum cœcitates, aut facit eos amputata parte corporis debiles, aut in prima eos perimit ætate, vel si nihil horum fecerit, facit biothanatos interire. Si verò per noctem à Sole defluens Luna feratur ad Martem, facit violentos crudeles, & qui periculosa semper facinora committant,

committant, aut facit vitiis, & valitudinibus implicatos: actus tamen publicos militiaque decernit, aut athletas, facit gloriosos pariter, & præsertim si Mars & Luna in necessariis genituræ locis fuerint inuenti. Si verò in deiectis locis fuerit, ista coniunctio sine alicuius bonæ stellæ testimonio patrimonium minuit, orbari parentibus facit, humiliat vitam, vitia valetudinesque decernit, aut certè biothanatos facit interim: actus verò ex igne, aut ex ferro, aut ex metallo facit, aut tales certè qui sempiterni laboris continuationibus deterantur.

Si à Venere defluens ad Martem feratur, in diurna genitura, & sit Luna crescens vel plena luminibus amoris, alicuius instinctu, miseræ calamitatis decernit exitia, & ob hoc graue periculorum discrimen indicit, vt ad custodiam carceris, & ad damnationis crimen accedant, & qui propter hoc biothanata, morte depereant, alios facit expoliari, alios subiugari, alios facit misero onere captiuitatis adduci pro locorum scilicet potestate. Si verò a Venere defluens Luna in nocturna genitura, feratur ad Martem, facit homines potentes, & terribiles, qui regiones maximas suis virtutibus ac potestate subiungant: præsertim si in horoscopo, vel quinto ab horoscopi signo, aut Mars fuerit, aut Luna, nam si in cæteris locis fuerit, ista coniunctio, aut artificiosos facit, aut athletas, aut milites, sed qui assiduis periculorum casibus implicentur. Si verò à Venere defluens minuta lumine in diurna genitura, feratur ad Martem patrimonium misera, laceratione dilapidat, & ipsos facit deiecta humilitate miseros, & vitia valetudinesque decernit, alios facit exules, alios in fugam vertit, alios onus seruitutis imponit, alios in primo vitæ cursu perimit, facitque plerunque biothanatos, mulierum causa, vel propter amoris alicuius illecebras: ob hoc enim insidias pericula damnationesque decernit. Si à Venere defluens Luna feratur ad Solem parentes acerba dissensione dissociat, & ipsis onus diræ orbitatis indicit patrimonij, & vitæ decernit angustias, impuros facit, & qui miseris amorum amplexibus implicentur: sed cùm primùm iuuentutis tempus exierint, processu temporis augmenta patrimoniis, & quicquid desiderauerint facilè consequantur.

A Mercurio defluens Luna, si feratur ad Martem in diurna genitura, & sit Luna crescens, vel plena luminibus, facit irreligiosos, periurios, fallaces, & quorum malitia ad omne facinus per dies singulos erunt, effractores, fures, & qui templa sacrilego furore semper explicent, erunt latrones, homicidæ, & ad neces hominum semper armati, sed in his comprehensi facinoribus custodiæ vinculis carcerisque traduntur, & gladio senera iudicis animaduersione plectantur, aut à quolibet genere ob hæc facinora biothanata, morte depereunt. Si verò sit nocturna genitura, & à Mercurio defluens Luna plena, vel crescens feratur ad Martem, facit duces, ac tribunos milites, sed terribiles & tyrannicis potestatib. sublenatos, vel defensores, aut præsides ciuitatum, aut qui nunquam iustarum potestatum licentia perseuerent, & quia vario genere semper offendant, quorum alij vertantur in fugam, alij in exitum dantur, alij biothanati intereunt: præsertim si in principalibus genituræ locis Mars & Luna fuerint inuenti. Si verò in deiectis genituræ locis à Mercurio defluens, Luna in nocturnis genituræ locis plena lumine, feratur ad Martem paricidialium scelerum facinora decernit: aut enim filios paricidali perimunt, furoris amentiæ, aut illos ad fraternas neces furor, præposteræ cupiditatis impingit, aut parentibus paricidale infertur exitium, aut affines suos iugulant, aut auersi coniugales affectus genialentorum sanguine laniare coniugis pollunt, aut omnifariam vario furorum instinctu, paricidali grassantur insania, sed hæc pro locorum ac signorum varietate decernuntur, mors verò eorum violenta erit semper & afflicta: aut enim propter seruos, aut propter personam in custodiam redactas, aut propter damnatos homines graue illis periculorum discrimẽ infertur, & propter hoc damnati publica morte depereunt. Si verò minuta lumine in diurna genitura, à Mercurio defluens feratur ad Martem, facit falsarios maleficos, & effractores, fures, aut latronum conscios, aut receptores, ex quibus criminibus, aut in custodia constituuntur, aut seuera animaduersione damnantur, alij fiunt publici carnifices, & quibus publicè animaduersionis officia credantur, aut exceptores personalium causarum fiunt, vt officia pertractent, vt adiutores fiunt, huiusmodi hominum damnatorum, aut carceris publici fiunt, ex ista coniunctione custodes. Si verò minuta lumine à Mercurio defluens, Luna feratur ad Martem in nocturna genitura, aut milites, custodes armorum, aut athletas, aut quibusdam certaminibus destinabit efficaces, terribiles, famosos, & quorum officium ad omnium celeberrimorum notitiam, ore perueniat, quod si in horoscopo vel quinto, ab horoscopi loco Mars, vel Luna constituta fuerit, ista coniunctio faciet eos violentos, quodam genere mortis extingui. In cæteris enim genituræ locis vitia valetudines pericula, & laboriosos actus, & assiduas vigilias, aut violentæ quædam decernit, sed hæc omnia sicut frequenter diximus, ex signorum diuersitate variantur. In signis enim tropicis constituto Marte, si à Sole vel à Mercurio defluens, Luna in maleuolarum stellarum signis constituta, feratur ad Martem per diametrum vel quadrat, aut si sit illi vicina, aut partili societate coniunxerit, faciet pellarios, coriarios, callicarios, coquos, fernarios, ex igne vel ferro artes suas officiaque complentes. Si verò in Veneris signis ista coniunctio fuerit, facit linteones, tinctores, plasias, aut tabernarios. Si verò in Mercurij aut Martis domo fuerit, ista coniunctio, amatores annorum, aut palestræ facit, & publicorum negociorum officia tractantes. Si verò in domo Martis fuerit ista coniunctio, tribunos, duces, ac magnarum legionum præpositos, aut ciuitatum vel prouinciarum præsides facit.

facit. Si verò in domo Saturni, fuerit ista coniunctio, grauia, & misera, vel scelera decernit officia: aut enim tortores, aut carnifices, aut delatores facit, aut bestiarum venatores, & marsos tales, qui aspides venari consueuerunt, agrestium pecorum vel bestiarum magistros faciet, alios piscatores, aut aucupes, alios ex puteis altissimis assiduo labore aquas leuare compellit: alios agrestium locorum vel hortorum operarios facit, alios naucleros, naupecos vel gubernatores, alios fructores, alios lapidarios, alios pollinctores facit, aut per ipsos sepulturæ semper officia tractantes. Si verò in domo Martis fuerit ista coniunctio, multiplici genere decreta variantur.

Mars igitur ruber est, seu quod aëri quippiam eius substantia admistum habeat, seu quod peruia sit eius substantia, & ob id radiis Solis illustrata, vt ignis refert, quandam speciem, nec mirum sit cur scintillet: non enim ob distantiam cum propior sit Ioue, multosque magis Saturno: sed quod igneum est scintillat, aut forsan scintillandi modus alius est: alio enim modo scintillat quod ignis formam refert, alio modo quod moueri videtur. Anni quibus præest sunt ab 41. ad 56. annis, scilicet quindecim anni enim minoribus singuli præsunt, planetarum præter Mercurium, quia sunt nimis multi. Ea enim ætas est multi laboris decrescens, tum etiam in qua quod malefica regat multi pereant. Efficit autem inuictos & qui nullis rationibus subigantur, immobiles, contentiosos, audaces, periculosos, violentos, quique facilè rationibus falsis decipiantur; multum cibum facilè concoquunt fortes æquales, corpore malæ conuersationis, rubris, capillis, oculis, sanguinolentis, imperiosos, quique sibi vindicent potestatem artes, ex igne exercentes, inuidos, rapaces, contumeliosos, crudeles, libidinosos, circa vxorem & filios, tum etiam amicos, parum propensos, admodumque iracundos, & qui facilè in furorem vertantur. Vnde pulchrè poëtæ finxerunt. Herculem occidisse filios atque vxorem: talis enim eius natura est, pessimè in septimo & decimo loco collocatur, vbi Solem aut Lunam luminibus plenam exceperit, tum maximè in propriis locis constitutus aut luminarium. Sic enim publica damnatione perdit aut exustos ignibus necari, aut excruciatos lacerari, aut cum minimum nocet à latronibus multis confodi vulneribus, atque id in diurnis genituris, nam in nocturnis mitior est. In horoscopo autem Mars si fuerit inuentus, facit de die callidos, audaces, furiosos, peregrinos, & prodigos, vt postmodum nec iis indigeant instabiles, quoque mendaces, & prauorum morum. In quarto hæc eadem, sed & de filiis aduersatur, sobolemque denegat, facit etiam mulieribus obnoxios, & præcipuè malis laboriosos quoque & variis morbis afflictos facit, & insanos, & lunaticos, & carcere sæpe detinebuntur, aut in seruitutem rediguntur. Deteriora etiam in septimo loco, facit enim homicidas, sceleratos, proditores, tortores, carnifices, cum Iupiter aut Venus auxilio fuerint. Quod si horoscopus nō in Martis dignitatibus constiterit violentam quidem mortem tollit breuis tum vitæ facit. Ibi autem propriè significat eos quorum corpora publicè lacerentur, rotis inseruntur, ignibus torrentur & absumuntur, & qui in carcere tormentis necantur. Sed in decimo horum loco facit, inefficaces, proscriptos, exules, relegatos, fugas, plerunque mortem in peregrinis locis parumque honestam. Sed si fœminina sint signa erunt omnia in omnibus locis mitiora, nisi sit Scorpius, & si noctu, &c. Verum quandoque noctu in horoscopo, vel cœli medio si Iupiter, aut Venus aut Mercurius, in quorum dignitatibus fuerit, faueant, præstat magnam potestatem, per Iouem collatam à Principibus per Venerem populi fauore, per Mercurium industria, dolo, eloquentia quadam. In succedentibus autem locis similia hæc erunt, tum mala, tum bona, atque eiusdem fermè generis, sed minora, & violenta nisi in octauo, nam & ibi facit violentam mortem, si luminaria in angulis fuerint, cùm ad eum directione peruenerint, maximè si locus aduersetur vt in Tauro, Cancro, librave, hoc vi hominum. Taurus quadrupedibus, aut ruina, Cancer aqua, facit & cæcitates: præstat miseriam, calamitates timores turbulenta omnia, & impedita, tristitiamque ac confusionem. In secundo æstus animi inopiam omnium, & impedimenta plurima, tum verò extra patriam forsan meliorem fortunam orientalis auget hæc. Sed vt dixi nocturnus, & in fœminino signo minora mala facit, cùm tamen nihil boni in his locis significare possit. In quinto autem atque vndecimo adhuc hæc minora erunt, verùm & patrimonium dilapidabit. Si tamen in fœminino signo atque nocturnis adhuc hæc minora erunt mala, nonnunquam etiam bona periculosa autem est qualiscunque Martis mistio, cum Sole aut crescente Luna, si fortunarum aliqua quasi sequestra non interuenerit: velut & Saturni cum Luna fuerit vacua. Melior tamen est in vndecimo loco quàm quinto. In tertio autem vel nono efficit parum pios & Deorum cultores, in tertio etiam conscios facinorum oculorum, vt in nono superstitionis plerunque, sed in cæteris satis felices, tum quod in his locis parum obsit, tum quia eorum decretis congruentia significat, vt itinera peregrinationes, labores & similia, sed in sexto ac duodecimo loco morbos significat, aliquando etiam vitia vt gibbositatem claudicationem. Verùm in duodecimo deterior est, namque insidias struit à seruis facitque vt illi, & contemnant & lædant. Spargunt de illis infames voces, & ipse variis mentis æstibus detinebitur, & etiam ab ancillis detrimenta patietur, & vitam ducere seruilem cogatur. Erunt tamen hæc minora quanquam superius dicta sunt affecerint. Potestas beneficarum genitura nocturna signum fœmininum.

DE SOLE.

Sol quasi Solus meritò dictus quippe qui non solum cuncta astra magnitudine, quod

quod ad aspectum nocturnum attinet indicat, sed etiam pleraque quæ in orbe octauo posita sunt, non tamen omnia. Syrius enim cum longè altior sit, quàm ipso aspectu est minor, Sole maior est non parum. Est autem Syrius maxima stellarum lucidarum, quæ in cœlo visuntur, nam non lucidarum tres sunt, canopi, circa anatarcticum polum, quorum vnus etiam videtur in Alexandria. Quocirca dubitare expedit, cur cum cœlum à perspectissimo & sapientissimo conditore factum sit, seu ab æterno, seu aliquando, seu omnino ipsa per se sit æternum, quod tamen esse non potest, quia corpus, quomodo tam inordinatum, & imperfectum esse videatur, Luna quidem maculas habet inde lactea via tota, quasi nubilosa & nubilosæ in cœlo stellæ, & hebetis luminis quales asini in Cancro sunt, & obscuriores aliæ, & canopi de quibus dictum est, tum verò ordo nullus, neque altitudinis, neque distantiæ inter ipsas stellas, non triangulum perfectum, non quadrangulum, nedum circulum, aut rectam lineam, aut verum piscem, aut auem, aut animal aliud quadrupes, aut serpentem, aut hominem vnquam delineare possis ad vnguem. Sed si quid coneris effingere, vel mutilum, vel obtortum, & omnino informe videatur. Aries tam refert Arietem quàm quisuis alium vllum, Taurus medius est, & tam refert Taurum quàm aceruum castanearum in cinere fortuito positarum humiles, altæ, magnæ, paruæ, paucæ, multæ, lucidæ, obscuræ, nulla forma, nullaque figura conspicuæ, vt quisuis alius quemadmodum dixi potius, quàm Taurum referant. Ergo non ob hæc probabilia argumenta existimare oportet, quicquam potuisse deficere, aut primam causam, seu mundi animam illius ministram in vllo potuisse delinquere. Constat enim haud dubiè omnium erraticarum consensum quendam esse cum motu Solis, quem si Ptolomæus accumine ingenij singulari, non deprehendisset, diceremus motus illos inter se coniunctos esse. Eadem ratione ita debemus statuere, de his quorum causæ nondum à nobis deprehensæ sunt, aliud suppositum statuere oportet, scilicet ordinem esse in perfectione nec necessarium esse, vt quod minus perfectum est, imperfectum habeatur. Imperfectum enim trifariam dicitur, & semper comparatiuè vel perfectionis ratione, sicque simpliciter absurdè dicitur: nam omnia sic imperfecta dicerentur, comparatione summi boni quod solum perfectum est: vel comparatione speciei, vel generis vt talpa vermis. Et Æsopus inter homines, hac ergo ratione speciei, non est in cœlestibus, nisi vt sunt partes in materia, materia autem diuersa est, quoniam sic expediebat, ratione generis erat planè necessarium, atque hoc modo dico nullam stellam esse nubilosam, nisi comparatione ad oculum nostrum: inter se tamen vnam altera illustriorem esse, vt foret mundus corpore, vt imago perfecta incorporei quantum fieri posset. Figuram autem esse rem non propriam, sed comparatione ad naturam esse ordine optimo dispositas, vt non debeamus ob nostram ignorãtiam suspicari malum de diis, vt faciunt Peripatetici, qui cùm omnia se scire profiteantur, orbem tenebris ignorantiæ obscurarunt. Ita veritas apud homines tot habet hostes, vt nihil sciamus. Sunt primùm Philosophi hi qui toties deprehensi in errore non cessant impudenter, non pro scientia neque amore Aristotelis sed pro pecunia, & ambitione contendere, sunt Principes multi, & milites, & imperiti omnes, & alij etiam quorum studium non aliud est, quàm opprimere veritatem. Sed illa tamen scintillat perpetuò in hunc mortalem, & corporeum mundum ex immortali & incorporeo. Ergo fidere debemus, & illi alacriter inhærere cogitantes, quantula portio minimæ sit fallacis, huius humani orbis ad infinitum veracem incorporeum, & immortalem tum etiam cœlestem. Dico ergo quod spacia & magnitudines stellarum disposita sunt, pulcherrimè quo ad conditionem naturæ non figuram fortuitam, quæ nulli est vsui, neque est principium operationis. Homo enim non habet figuram illam, quam habet vt placeat oculis nostris, sed vt commodam operationibus suis. Vnde ob consuetudinem post modum placet oculis nostris. Et hæc est causa erroris, nõ enim homo formosus est quia huius figuræ, sed quia qui optimè se habent, huius figuræ sunt, & talib. assimilatur, quos ob consuetudinem probamus, quæ consuetudo à multitune eorum pendet, sic & Canopi in cœlo clariores sunt, quàm apud nos Sol, non tamen quantum Canicula, aut Sol in cœlo. Videtur autem cœlum stellarum esse Sole ab ipsa terra decies & octies remotius, & ob id multi contingunt errores circa visionem astrorum.

Sed iam de ipso Sole agamus eius diameter est quincuplex, cum semisse à globi terræ diametrum, hoc enim demonstratum est à Ptolemæo, sed & corpus ad corpus 166. pauloque maius triente, altitudo verò à terra 1120. ad semidiametrum terræ sicut Lunæ, quinquagies semel altitudinis ergo Solis à terra, ad Lunæ altitudinem vicies semel, cuius lumen densum, purum, efficax, nitidum sub omnia astra, quæ nobis cognita sint. De motu eius variè circumferuntur, quòd autem proximum est veritati, est quod circumfertur in diebus 365. horis quinque minutis 56. iuxta Copernicum, iuxta alios circiter 48. tantum semperque inambulat, sub ecliptica linea, absis eius in Cancri prima parte ex 41. minuto latitudinem nullam habet, ergo anni eius maximi 1462. maiores 120 medij 39. minimi 19. quocirca etiam custodit florem iuuentutis, in qua vires corporis maximè valent, & animi, incipitque à 23. vsque ad 41. nihil enim perfectius hac ætate robusta incolumis virtute decora florida, domus aëris vnica Leo, in quo & carpentum altitudo 19. par Arietis, totusque Aries carpentum, aliud trigonus igneus, in quo die primas partes obtinet, scilicet Aries, Leo, Sagittarius, fines nullos obtinet, & nullum epicyclum, nunquam retrocedit, ob id calidus vehementer temperatus in humido, & sicco, neque calor eius noxius est, si non re-

frangantur

frangantur radij vt videmus in cauis, speculis, masculinus atque diurnus vt qui dici author sit. Reges significat & potestates, tum magistratus, & honores facit homines, plenos fidei, sapientes humanos, compositos, religiosos, parentū amatores, efficaces, dignos quibus honor habeatur, pudicos sed non admodum vxoribus, & filiis gratos, aut iucūdos, ambitiosos, puros, mundos, nitidos, gemmis ac vestitu, sumptuoso gaudentes, in sermone raros, facie leonina, capillo flauo, moderatos, atque ob id in pueritia pulchros, & gratiosos, post consistendi tempus, tamen corpulentos, alios tamen efficit exiles, & attenuatos gratos principibúsque & iustos in iudiciis, non multo cibo gaudentes. Cumque dominus fuerit orbis magni, eo modo quo dictum est de Marte aut coniunctus domino orbis magni, efficiet calores magnos, & maximè in Leonis signo, & quantum ad mutationem signorum, cum læditur operatio eius, aut fuerit malè dispositus, vel maleficæ eleuentur super eum erit iactura in hominibus, & maximè regibus, & magistratibus, & in terra nascentibus, tum etiam in animalibus & maximè iuxta naturam signi in humanis, affligentur magis homines, & in aquis, & terreis & quadrupedibus, quadrupedia, & cū multum afficitur significat pestilentiam, vel aquarum abundantiam & præsentia eius significat, calores, & oppositum frigora, & quadrata eius mutationes, & est author vitæ omnium sanguineorum & omnium planetarum, quæ non in vmbrosis locis facilè oriuntur, & planetæ qui ei iunguntur vim propriam amittunt, & creditur quod qui non distant à centro eius plus sexdecim minutis, quia diameter eius 32. minutorum, vt sint in corde eius quòd plurimum possint, sed hoc est vanum, imbuit tamen vires illorum manifestè & potenter, & planeta cùm exit radios eius, & apparet oculis nostris, & stellæ etiam fixæ magnas vires habent, & mundum mutant, & iuuant natos, aut obsunt plurimum, siue ex oriente appareant, seu in occasu vespertino, vt Luna semper & Mercurius, & Venus sæpe, & ipse renouat annum, & mutat quatuor tempora ad eius similitudinem, ac per portionem significata, cæterorum planetarum sunt referenda, & in æquinoctiis variatur multum tempus propter magnum incrementum declinationis, & insolitis propter longam stationem in eodem situ, cum qualitate iam potenti, & propter longitudinem nimiam dierum, aut noctium, & Sol propriè significat omnia publica, quæ proficiscuntur à lege, vel à natura, vt sunt mores ciuiles, & naturales actiones & significat læsiones, circa oculos & ex igne.

Cùm verò eleuetur supra Saturnum & fuerit in Ariete, erunt multæ pluuiæ, multæ messes, cum prosperitate vtrunque & fortasse minuentur herbæ. Si verùm fuerit in Tauro, erit multa fames in hominibus, & augmentum fructificationes arborum, cum humiditate aëris. Si verò fuerit in Gemini, erit bonitas aëris & tempererantia pluuiarum. Si verò fuerit in Cancro, erit diminutio aquarum, & mediocritas pluuiarum. Si verò fuerit in Leone, erunt multæ locustæ augmentum herbarum, cum superfluitate pluuiarum & humiditate. Si verò fuerit in Virgine, erūt pluuiæ & mediocritas earum. Si verò fuerit in Libra, erunt pugna inter Reges, mors mulierum, multi inimici, multitudo herbarum, cum superfluitate pluuiarum. Si verò fuerit in Scorpione, erunt bella inter reges, multi bubones, & mors in hominibus, multa humiditas in horizonte. Si verò fuerit in Sagittario, erunt bella inter reges, superfluitas pluuiarum. Si verò fuerit in Capricorno, erunt multæ infirmitates, & mors in hominibus cum multis pluuiis. Si verò fuerit in Aquario, erit humiditas horizontis. Si verò fuerit in Pisce, erit humiditas aëris.

Si autem super Iouem & fuerit in Ariete, erunt pluuiæ pauca. Si verò fuerit in Tauro, erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Gemini, erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Cancro, erit humiditas aëris & rorores eius. Si verò fuerit in Leone, erit pluuia pauca in pluribus terris. Si verò fuerit in Virgine, erunt pluuiæ temperatæ. Si verò fuerit in Scorpione, erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Sagittario, erit siccitas aëris, & mors in pluribus climatibus. Si verò fuerit in Capricorno, erit humiditas horizontis. Si verò fuerit in Aquario erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Piscibus, erit humiditas aëris.

Si autem super Martem & fuerit in Ariete, erunt multa pugna, & vindicta hominum calor magnus in quarta æstiuali, multæ corruscationes, venti validi, Si verò fuerit in Tauro, erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Geminis, erit multa cædes hominum, & querelæ & vindictæ eorum inter se. Si verò in Cancro, erunt multæ pluuiæ. Si verò fuerit in Leone, erunt paucæ pluuiæ. Si verò in Virgine, erunt humiditates mvltæ. Si verò in Libra, erit iniuria, mundana bella, vindicta in hominibus inuicem, humiditas aëris, & vehemens calor tempore suo. Si verò fuerit in Scorpione, erit humiditas aëris horizontis. Si verò fuerit in Sagittario, erit malum esse nobilium, cum superfluitate pluuiarum. Si verò fuerit in Capricorno, erit humiditas horizontis. Si verò in Aquario, erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Pisce, erunt superfluæ pluuiæ, tonitrua & corruscationes.

Si autem super Venerem & fuerit in Ariete, erit siccitas aëris. Si verò fuerit in Tauro, erit siccitas aëris. Si verò fuerit in Gemini, erit humiditas pauca, Si verò fuerit in Cancro, erit siccitas aëris. Si verò fuertt in Leone, erunt multæ pluuiæ. Si verò fuerit in Virgine, erit superfluitas pluuiarum. Si verò fuerit in Libra, erit multa nebula, & paucæ pluuiæ, cum superfluitate pluuiarum. Si verò in Scorpione, erunt paucæ pluuiæ. Si verò fuerit in Sagittario, erit siccitas aëris. Si verò in Capricorno, erit siccitas aëris. Si verò in Aquario, erit siccitas aëris, Si verò in Pisce, erit siccitas aëris.

Si autem super Mercurium & fuerit in Ariete, erunt multæ pluuiæ, ventris incessans. Si verò fuerit in Tauro, erit bellum in-

ter ciues venti multi, pauca pluuia, detrimentum herbarum, inundationes fluminum, Si verò fuerit in Gemini, erunt venti & multitudo ventorum, calidorum, venenosorum. Si verò in Cancro, erit multa mors hominũ, cum superfluitate pluuiarum, & vehementi calore tempore suo, paucæ aquæ, & corruptio fluminum Si verò fuerit in Leone, erit minima mors in hominibus, cùm vehementi calore & durabilitate eius. Si verò fuerit in Virgine, erit apparitio scientiæ & sapientiæ, cum paucitate humiditatis eius. Si verò fuerit in Libra, erunt detrimenta scriptorum & villicorum. Si verò in Scorpione, erit humiditas superflua. Si verò in Sagittario, erit mors, quorundam regum, destructio ciuitatum, quæ sunt super littora maris, pluuia superflua, ventus multus. Si verò fuerit in Capricorno, erit pluuia mediocris, inundationes mediocres. Si verò fuerit in Aquario, erit pluuia incessans, prosperitas redditurum, & inundationes fluminum Si verò fuerit in Pisce, erunt multa volatilia, & pisces, inundationes fluminum, humiditates mediocres.

Si aut super Lunam & fuerit in Ariete, erunt corruscationes, tonitrua & fulmina. Si verò in Tauro, erit humiditas pauca. Si verò in Gemini, erit paucitas aquarum. Si verò in Cancro, erit humiditas pauca. Si verò in Leone, erit paucitas humiditatum. Si verò in Virgine, erit humiditas pauca. Si verò in Libra, erit aduentus nunciorum, cum multis rumoribus, terribilibus, & bona complexio aëris. Si verò fuerit in Scorpione, erit aquarum & pluuiarum paucitas. Si verò in Sagittario, erit humiditas pauca. Si verò in Capricorno, erit humiditas pauca. Si verò in Aquario, erunt tonitrua corruscationes & fulmina. Si verò fuerit in Pisce, erit humiditas, multa tonitrua, & corruscationes.

Si à Sole defluens Luna feratur ad Venerem, & sic diurna genitura, faciet steriles, & qui sobolem generare non possint, & qui difficile coniugabilibus compulentur affectibus, aut enim steriles, aut anus aut ancillas, & ipsas nihilominus steriles vxores ducunt, ac puerorum turpes, ac miseros coitus sedantur, ex qua causa filiorum illis soboles in perpetuum denegetur, erunt sanè pro posteris amorum vitiis obligati, aut imparis, aut turpibus cupiditatibus dediti, seruilibus semper studiis, & seruilibus artibus occupati. facultates nimias comparantes, & per semetipsos vitæ sibi subsidia maxima quærentes, & qui felicitatis augmenta processu temporis consequantur. Si verò per noctem à Sole defluens Luna feratur ad Venerem multas decernit vxores, facit communes gratos, acceptos, & magnos actus, & magnis actibus se immiscentes, & magnas decernit facultates, erunt nobiles gloriæ splendore fulgentes, facit autẽ imperiosos, potentes, diuites, & quibus maxima felicitas cõferatur: præsertim si nullum Deorum Saturnus quadrata, vel diamentra radiatione pulsauerit, tunc autem hæ felicitates, & hi honores decernuntur, si in necessariis genituræ locis fuerit ista coniunctio. Si à Sole defluens Luna ad Mercurium feratur, & sit diurna genitura, facit inuita & in actibus periculosos, & moribus malis, & sacrilego semper errore præposteros, & diuinitatem negantes: sed hic etiam commendatas res sibi abnegant.

Si verò per noctẽ à Sole defluens Luna ad Mercuriũ feratur, facit publicos tabelliones, ex quibus literis quærant, vitæ subsidia, erunt tamen ex hoc studio in suis ciuitatibus ornati, & qui omnibus eiusdem negocij vires, cùm eorum iudiciis præferanter, frequenter tamen si eos Iuppiter trigonica radiatione respexit curam ciuitatis euitionemque suscipiunt: erunt autem difficilium literarum, aut Sophiæ cuiusdam inuentores, aut cœlestibus religionibus dediti, & quibus diuinitatis secreta credantur, aut absconsarum, aut illicitarum literarum actibus inhæreseunt, alij absconsas res inueniunt, aliis confertur hæreditas, si tamen alieni ab his fuerint Mars, Iuppiter & Saturnus.

Sol in parte horoscopi constitutus difficiles fratres dabit, in masculino autem signo constitutus in domo sua, aut in altitudine sua, & beniuolæ stellæ radiatione coniunctis, beniuolis protectus, magnæ nobilitatis larbitur insignia. Si verò maliuolæ stellæ Sole in horoscopo. constitutio propè radiis accedat oculorum aciem, ex maxima parte desiderat. Sed quare diximus, cum maximas decernere felicitates omnia debemus specialiter explicare, cum Saturno in horosc. cardine partiliter constitutus, in his in quibus diximus partibus, per diem imperatores fauet ac Reges, quod si ius eius leuiter, fuerit impedita consulares, faciet proconsulares, & dat ordinarios consulatus. Si verò Mars sic Solem positũ, sicut diximus aspexerit, vel si cum eo positus fuerit cum maxima inuidia & cum magnis periculis, & impedimentis, & magnis pugnis, aut difficultatibus ducatus, imperia, potestatesque decernit. Si verò Sole in horosc. per diem in his quibus diximus signis partiliter constitutio, alium Iuppiter cardinem geniturо possederit: Mars verò in medio cœli fuerit partiliter inuentus, in masculino scilicet signo, Luna etiam in aliquo sit genituræ cardine plena lumine vel in aphoris cardinum, cùm qui natus fuerit toto orbi faciet imperare, aut in tali potestatis administratione constitutus potestas eius: licet non sit dominus ac Rex, per totius orbis tamen spatia dirigatur.

Si verò Mars in medio cœli fuerit, vel in occasu sic Sole & Ioue, sicut diximus constitutis. Luna verò cum Marte vel in medio cœli, fuerit inuenta pleno scilicet lumine, vel in octauo genituræ loco eos, qui si nati fuerint Duces, aut Reges, aut administratores biothanatos facit, aut aliqua ratione captos mala, faciet morte prosterni: secundùm naturam scilicet signorum atque substãtiã, faciet autem interdum depositũ, ab honoribus suis, ab omni potestate deiici. Sed & si Mars cum Luna non fuerit, sic sicut diximus coniunctus, & Solus in cardinibus genituræ fuerit inuentus, vel in cataphoris, vel in anaphoris eorum Sole in horoscopo, sicut antè diximus constituto nihilominus, qui nati fuerint Duces,

Duces, vel Reges, vel administratores, captiuos, biothanatos faciet, vel cum summo dedecore à sua potestate deponi. Sed etsi Sol in parte horoscopi fuerit inuentus. Si Saturnus pariter medio cœli possederit, simili modo reges, duces & potentissimos administratores facit. Si sic Sole posito ac Saturno, Mars in secundo ab horoscopo, vel in octauo fuerit inuentus, & Luna plena luminibus in aliis cardinibus fuerit inuenta, vel in secundo ab horoscopo loco, vel in octauo cum Marte, eos qui nati fuerint Reges, vel Duces, vel administratores, biothanatos facit, & exules & captiuos.

Si verò Sol Solus in parte horoscopi, fuerit intuentus in quibus diximus signis: hoc enim te meminisse conuenit, & Mars in anaphora Lunæ fuerit inuentus. Luna in cæteris cardinibusvel in anaphoris cardinum constituta, eos qui nati fuerint Reges, vel Duces, vel administratores, simili modo biothanatos faciet, vel cogit eos isto honore priuari. Si verò Sol in parte horoscopi fuerit inuentus, & Luna in cæteris cardinibus genituræ, vel in anaphoris, vel in cataphoris cardinum fuerit inuenta, & Mars se nulla illis radiatione coniunxerit. Si verò Iouis stella, aut cum Sole in parte horoscopi constituta, aut in cæteris cardinibus inuenta, vel in anaphoris, vel in cataphoris cardinum, hi qui nati fuerint reges, totius orbis gubernacula possidebunt, euertentes alias ciuitates, alias subleuantes. Si verò sic positus Mars, Solem, Lunam, Iouemque, respexerit, aut cum ipsis positus, aut in cardinibus inuentus, aut in anaphoris, aut in cataphoris cardinum constitutus, malas mortes faciet his quibus diximus. Sed & vitia & valetudines decernit, secundùm naturam signorum, & secundùm has corporis partes, quas diximus signis esse diuisas valetudines, & vitia decernuntur, & casus mortium. Si verò sic his omnibus collocatis sicut diximus, Saturnus in anaphoris eorum, vel in cataphoris cardinum fuerit inuentus, imperium quidem tantum quantum diximus non habebunt, nihilominus tamen maximos potentia viros, ac famosos iudices faciet, aut magnarum legionum propositos, aut tribunos: sed efficaces, terribiles, sed non perseuerantes, in his dignitatibus ac potestatibus, sed vt captiuos eos faciet, aut in exilium agi aut facit biothanatos interire. Placitè verò Sol in signo horoscopo constitutus faciet ingenuos nobiles, sed placitè Sole in signo horoscopo constituto. Si Iupiter & Venus, & Mercurius in cæteris geniture cardinibus fuerint constituti: magnos viros faciet, & quibus parentibus maxima bonorum fœlicitas comparetur, & qui à prima ætate in rebus bonis ac prosperis crescant: ita vt sint semper ab incursu paupertatis alieni. Sed sic omnes positos hos Saturnus de trigono respexerit, vel de hexagono, vel etiam si pariter fuerit constitutus perpetua fœlicitas illis decernitur. Sed si sic omnes positos, id est Solem in signo horoscopo Iouem, Venerem, Mercurium, in cardinibus, Saturni verò in trigono, vel exagono, aut loco cum ipsis constitutum, Mars hac ratione respexerit: autem cum ipsis constitutus, aut hos omnes de quadrato respexerit, aut de diametro, & huic stellarum commixtioni coniunxerit, faciet maximos iudices, potentes, habentes vitæ, & necis potestatem, sed fures, rapaces, & qui res alienas auro rapiunt, cupiditatis instincta. Sed nihilominus hos eos post maximam deprecationem, vel post maximas rapinas, velpost immensa facinora, exules facit aut biothanatos. Si verò Sol nocte in horoscopi signo fuerit, inuentus sordidiores genere facit procerari. Quòd si per noctem Solem in horoscopo constitutus Saturnus, aut Mars respexerint, per quadratum, aut per diametrum, aut similiter cum eo fuerint, & ille se illis quacunque radiatione coniunxerit, maiores quidem fratres perimit. Sed & ipsius vitæ atque omnem patrimonij substantia, etiam actus omnes prouersione dissipat. Sed semper in omnibus cardinibus geniture, sed constitutus maiores fratres omnes debilitabit, aut qui sic habuerit inter omnes fratres primùm facit nasci. In secundo loco Sol ab horoscopo constitutus, faciet ipsos semper patrimonia quærentes, & omni vita suaues, ac bonos: sed hos eosdem languidos facit, & paruæ vitæ, & variis faciet contrarietatibus impediri, & qui semper sint in vita sua varia, terroris, trepidatione solliciti.

Si verò in hoc loco constitutus Sol, cum Venus, ac Iupiter bona radiatione respexerint vel de trigono, vel de exagono, vel cum ipso fuerit, collocati bonorum aliquid repentinum dabit, & felicitatis incrementa non modica. Nam iacentes homines & abiectos, ad publicum faciet incremento dignitatis adduci, sed hoc ei magno labore, & cum maximo impedimento decernit, & cum matrimonij iactum voluntaria. Vnde quicquam sic Solem habuerit constitutum, nihil appetat, ad nullam rem adeat cum sciat se sic posito Sole in omnibus actibus impediri. In tertio loco Sol ab horoscopo constitutus, patri malam mortem decernit, & ipsos qui sic eam habuerint inualidos faciet, sed in consiliis bonos ac graues faciet, aut procuratores ciuitatum, aut rationes publicas tractantes, aut fisco præpositos, aut fisci patronos: si bona se ei Iupiter, & Mercurius radiatione coniunxerit, sed vxorem ac filios tardius consequenter. Si verò in tertio genitura loco positus sit, in domo sua vel in domo Iouis, vel in domo Veneris, vel in domo Mercurij, vel in altitudine sua, vel in altitudinis Iouis, vel Veneris, vel Mercurij, facit religiosos deorum cultores, qui simulacra deorum, & per se facta religiosis conuersationibus dedicent, & qui fabricationibus templorum iussu principum, vel iudicum præsint. In aliis verò signis sicut diximus positus, facit in templis ignobilia officia, aut seruile aliquod ministerium. Si verò in tertio loco ab horoscopo constituto Sole Saturnus, aut Mars aliqua se ei radiatione coniunxerint, vel si cum eo fuerint, faciet periuros, perfidos, & crebris ab hoc denotationibus miseros, ganeones, & qui sordida, & absconsa loca semper sectentur, & qui contra diuinitatem irreligiosa proferant

rant verba, sed assiduis animi fatigationibus æstuantes. In quarto loco Sol ab horosc. constitutus, si in loco positus Martis & Saturni aliqua fuerit radiatione pulsatus, patri primo mortem decernit, & generis totius euersionem, atque patrimonij facit totius labem. Ipsi verò qui sic eum habuerint interpellationes, & molestias plurimas,& contrarietates, & impedimenta ex maxima parte decernit.Sol bonam senectutem faciet, ita vt in hac ætate constituto lucra maxima conferuntur: sed erit circa affectus vxoris instabilis. In quinto loco Sol ab horosc. constitutus faciet amabiles, honoratos, qui omnia facile consequantur, & quibus cuncta amicorum præsidio conferantur. Sed si sic Sole posito præsens in eodem signo, se Veneris stella sociauerit, vel de exagono coniunxerit coronarum largitur insignia, & prætextarum veste decorabit, sed & à populo honores, qui sic Solem habuerint maximas conferuntur. Quod si maliuolæ stellæ cum Sole in eodem loco fuerint, nihil mali poterant decernere, nec perpetrare propter loci naturalem bonitatem, sed solum filiis nocebit. Si verò in eo loco Solis fuerit inuentus, minoris erunt hæ quas diximus felicitatis, & sic nocebit filiis, & indicat perpetuas orbitates, aut ex cane filiorum maxima doloris tormenta patiatur. In sexto loco Sol ab horosc. constitutus multa mala decernit, semper nocebit, & graues ac longas ægritudines faciet. Quod si sic Mars in horosc. fuerit inuentus, actus quidem publicos faciet: sed infligit ei frequenter vulnera ex ferro, patrem autem faciet, aut mala morte interire, aut cito mori, aut aliqua ratione damnari: sed & omnem substantiam variis faciet generibus deperire. In sexto loco Sole posito. si in decimo ab horoscopo loco, id est, in medio cœli nulla stella fuerit inuenta. Nam si in sexto loco constituto quacunque stella decimum locum, id est, medium cœlum possederit, faciet locupletes, diuites, affluentes, & quibus paterna successione maxima felicitas comparatur. Si verò in sexto loco Sole posito, nulla in medio cœli stella fuerit constituta. Iupiter verò & Venus, cum eodem Sole in sexto fuerint inuenti, quicquid malorum decretum fuerit mitigatur, & tota infelicitatis impeditur improbitas. In septimo loco Sol ab horosc.constitutus, maxima vita,& valetudines decernit: præterea si sic Solem positum Mars & Saturnus aliqua radiatione respexerint,vel si cum eo fuerint collocati: secundùm enim naturam maliuolæ stellæ, quæ cum ipso fuerint collocatæ, indicit vitia & ægritudines, si Mars, caliditas & ignitas. Quod si Luna cum eo vel in septimo loco Sole constituto Luna in horosc. vel in medio cœli partiliter, fuerit collocata magnos, potentes, nobiles faciet, & quibus comittantur maximè potestates: præsertim si fuerit in domo sua, aut in valitudine sua, aut in domo Iouis constitutus, & si locus fortunæ partiliter, & compotum diligenter inuentus, in aliquo cardine fuerit collocatus. Si verò sic Sole & Luna constitutus, sic etiam fortuna loco collocato. Iupiter aliquam geniture cardinem tenuerit imperatores, reges faciet, sed bonos beniuolos, faciet etiam duces, potentes & administratores, fortes, temperatos, efficaces, prouincias & ciuitates subiungantes. Quod si his omnibus Sole, scilicet, & Luna, & Ioue, & loco fortunæ sicut diximus, positis Mars, & Saturnus, in secundo aut in octauo ab horosc. loco fuerint constituti amiserint imperia, & ex honoribus, aut administrationibus suis, cum dignitatis iactura deponuntur, & aut ab inimicis gentibus, aut ab aduersariis, atque æmulis opprimuntur: faciet etiam vt ipsi sibi manibus suis inferent mortem, sed & captiuos facit, hos eosdem est aut exules. Si verò in septimo loco genitura, vel in quocunque alio cardine collocato Sole, & Mercurius se in eodem loco positus iunxerit, vel matutinus, vel vespertinus literatos faciet, qui maximam ac variam literarum sententiam consequantur. Si verò sic Soli ac Mercurio positus Saturnus se coniunxerit, maliciosos faciet, maleuolos, pessimos, & qui velint difficilium literarum notitiam habere, vel qui easdem literas ipsas difficiles faciant. Si verò per noctem fuerint inuenti Sol, & Mercurius, & Saturnus lapidarios faciet, aut pollicitores, aut funerarios,aut quibus sepulchrorum cura, aut custodia mandetur, faciet etiam armentarios, bubulcos, pastores, equorum domitores, equarumque pastores, porcarios & his similia, secundùm naturam potestatemque signorum. Et si in nocturna genitura Sole, & Saturni constitutis septimo loco, sed & Mercurius, & Venus eodem fuerint inuenti, vel in duodecimo, vel in sexto & Saturnus constitutus cum ipsis fuerit,eunuchos faciet, & mulieres viragines, & quæ se nunquam virili coitu iungant, vel si se aliquando viro coniunxerint nunquam concepturus, aut editus partum. Si verò sic his positis Mars se aliqua radiatione coniunxerit & cum ipsis fuerit inuentus hermaphroditas faciet, in quibus duplex se natura coniungat. Quod si in his omnibus constitutis Luna se aliqua radiatione coniunxerit, vel si cum ipsis fuerit inuenta, archigallos facient, & qui virilia propriis sibi amputent manibus facient etiam lenones, & qui meretrices velint procurationibus suis elocare. Sed in sexto loco cum Sole constituto, hæc eadem faciant si nulla stella in medio cœli constitura, istius malitiæ soluerit atrocitatem. Nam si qua in medio cœli fuerit inuenta his omnibus sic inuentis in sexto loco constitutus omnia, quia diximus mitigantur.

In secundo verò loco genituræ vel in quinto, vel in vndecimo, si Mercurius cum Saturno fuerit inuentus, Sole cum his in eodem loco constituto maliciosos facit, maliuolos, pessimos, in omnibus actibus faciet, aut aduocatos, aut iurisperitos, aut scribas, aut exceptores, aut ortorum præpositos,aut aquarum distributores. Quòd si sic his positis in his, in quibus diximus locis Mars se aliqua societate coniunxerit, vel si cum his fuerit inuentus erunt homicidiis, publicis præpositi, & exceptores earum sententiarum, quæ de hominum captibus præferantur, aut carnicularij, aut commentarienses, sed quibus

quibus cura committatur, aut clauicularij, aut carceris custodes, & quibus publicarũ catenarum vincula committantur, aut præpositi carnificum, aut carnifices, & qui damnatos homines flagellis lacerare consueuerint, & cætera his similia. Si verò his omnibus sicut diximus in his constitutus, Iuppiter & Venus aliqua se raditione coniunxerint, vel si cum his fuerint inuenti, nihil quidem eorum facient quæ ante diximus: nulla enim Sole decernunt, cum Ioue verò & Venere, facerdotios faciet, uictimarios, & qui sacris præsint, vel qui pecora sacra, aut sacris aut religonibus destinata pascunt, vel qui in templis aliquo funguntur officio, aut qui de templis maxima munera consequantur. Sed hæ omnes stellæ quas diximus, etiam in duodecimo loco partiliter constitutæ hæc eadem simili ratione decernunt, sed hiipsi homines tardiores, sed & his omnibus in quibus fuerunt collocati, & glorias habebunt & principatum. Sed in vndecimo loco constituti homines si alia stella, sicut antè diximus in medio cœli fuerit inuenta, hæc eadem simili ratione decernunt. Quòd si in septimo genituræ loco, vel in quocumque alio cardine, solus Sol cum Marte fuerit inuentus, vel in 2. genituræ loco. vel in 5. vel in 8. vel in 11. dabit ex igne & ferro, & quæ ex aliqua duritia fabricentur. Sed in cardinibus Sol & Mars, pariter constituti perpetua hæc artificia decernunt, In octauo Sol ab horoscopo constitutus patrem citò faciet interire. Si verò cum eo Mars aut Saturnus fuerint inventi, aut de diametro ei oppositi aut de quadrato coniuncti, facient alienos deliros, ac cardiacos, aut frenaticos: sed secundùm naturam signorum hæc valetudinum vitia decernuntur. Si verò in octauo loco posito Sole in diametro Luna fuerit constituta, nondum soluta coniunctione, sed plena lumine, sed & si cum de synodiaca in octauo loco fuerit inuenta. Saturnus verò & Mars per diametrum, vel simili constituti pariter, vel si se illis quadrata radiatione coniunxerint, valetudines, & debilitates maximas faciunt. Nam caput malitiosis humoribus onerant, & ex humorum statiua perseueratione qui circa caput collecti fuerint, facient caducos & lunaticos, aut assidua interceptione deficere, faciunt etiam aliena ver-verba proferre, humores aliorum graui iactura debilitant: aliis maculas, lepras, neptegines: phtysim, hydropen, alios elephanticos, faciunt, alios claudos, alios gibbosos, alios paraliticos, aliorum maximas partes amputent corporis: Sed hæc secundùm differentias signorum, atque naturam omnium decernuntur. Nam similia faciunt in secundo inab horoscopo loco, & in & in, 12. & in 8. sicut diximus constituti. Quòd si sic omnibus sicut diximus, positis Iuppiter & Venus aliqua radiatione se coniunxerint, vel simul cum ipsis positi, vel si trigonia eos radiatione respexerint, vel si Lunæ se coniunxerint hæ omnes valetudines quas diximus, tales erunt vt mederi & curari possint: sed si sic beniuolis stellis collocatis Iouem scilicet, Venerem maliuola stella coniunctionem Lunæ venientis excœperit: vitium quidem atque ægritudo perpetua erit. Sed & diuinitatis alicuius prouidentia valitudinis accerbitas mitigatur. Quòd si his omnibus sicut diximus collocatis Mercurij se coniunxerit stella, aut cum ipsis posita, aut in exagono collocata valitudines istas quas diximus, aut remedio aliquo, aut cantationibus compescet, aut mitigabit, aut ob neferiam his remediis, ab incursu valitudinum liberentur, præsertim si Luna, Ioui se crescens, aut Veneri imminuta luminum coniunxerit. Quòd si in ista stellarum dispositione quam exposuimus, Lunæ semper Mercurij stellæ se coniunxerit, & vt cum eodem collocato è beneuolis stellis vel de trigeno, vel de exagono radiata fuerit ad deos confugiunt, & illic manebunt ab ipsis remedia postulantes. Quòd si Luna se Mercurij stellæ coniunxerit, sic Sole Saturno & Marte, sicut diximus, positis. Iuppiter verò & Venus in aduersis & deiectis locis fuerint inuenti, insanos, lunaticos, & dæmoniacos faciunt, & qui ex his vitiis perpetuis calamitatibus implicentur, ita vt biothanata morte depereant. In nono loco Sol ab horoscopo constitutus fabricatores facit, vel cultores deorum, Diuinorum simulacrorum, vel ornatores deorum, vel fabricatores templorum, aut hymnologos, & qui laudes deorum, cum iactantia & ostentatione decantent. Ex quibus rebus gloriam & honores habebunt faci autem si Sol positus patrem felicem: Sed & ipsi & patri eius varias vitæ mutationes multiplicesque decernit & si beniuola stella sic Sole posito in anaphora medio cœli fuerit inuenta, & in peregrinis locis constitutus augmenta felicitatis maxima consequentur.

Si verò in hoc loco maliuola stella fuerit inuenta, multa incommoda in peregrinatione patietur, & peregrè cum dolore morietur. In decimo loco Sol ab horoscopo constitutus partiliter in diurna genitura, id est, in medio cœli in domo sua, aut in domo Iouis, aut in ea parte in qua exaltatur, faciet Reges, quibus à patre tradatur imperium, aut duces quibus hoc honoris simili modo paternis tractatus honoribus conferatur, aut administrationes, aut consules & proconsules, sed quibus hoc ex parte dignitatis moritò deferatur.

Quòd si sic Sole posito Mars alium genituræ possederit cardinem, regna, ducatuss administratus, consulatus, proconsulatus, per pericula, & per pugnas, sed per inuidiam consequentur. Quòd si Sol in medio cœli in his signis in quibus diximus partiliter fuerit inuentus, Mars verò in occasu, id est, in septimo genituræ loco fuerit constitutus, & Luna in alio cardine genituræ plena luminibus Martem respexerit, id est, aut in horoscopo posita, aut in medio cœli facit eum, qui natus fuerit siue Rex, siue Dux, siue consul, siue proconsul, siue administrator, exulem, captiuum.

Sed & Sol sicut diximus in medio cœli si fuerit collocatus, Mars verò in secundo horoscopi loco, vel in nono fuerit constitutus, & Luna per diametrum vel per quadratum

Martis

Martis exceperit radios, vel cum ipso pleno fuerit lumine constituta, similimodo hos eosdem quos diximus, biothanatos, exules captiuos facit. Quod si sic Sole sicut diximus posito Mars alienus ab his locis fuerit quæ diximus. Iuppiter verò in cardinibus fuerit inuentus, aut in cataphoris & Luna aliquem genituræ possederit, cardinem plenamque se luminibus Iouis radiationibus coniunxerit, hos eosdem reges, aut diues faciet, potestatem suam per spatium totiut orbis extendere.

Placitè verò Sol in eo signo constitutu sin quo est medium cœli parentes faciet honestos: præsertim si sic Solem positum, beniuola stella aliqua radiatione respexerit. Adminuuntur autem hæc, si sic positum Solem maliuolum sidus impediat, sed generaliter Sol in omnibus cardinibus partiliter, cum Mercurio constitutus, litteratos faciet, disertos & variis literarum studiis oratores, vnde varij actus, & maxima quædam decernitur disciplina. Erunt autem isti qui sic habuerint Solem & Mercurium, si se illis coitus stella enniunxerit, literarum gratia & magisterij cum regibus constituti. Sed hæc etiam Mercurius facit si longè à radiis Solis fuerit inuentus, & si sic eum positum in inuia Martis ac Saturni, Iuppiter & Venus bona radiatione respexerint. In vndecimo loco Sol ab horosc. constitutus, felices facit, nobiles, & quorum patres maximo honoris splendore decorentur, sed processu temporis augmenta felicitatis, & dignitatis accipient. Hæc autem maiora erunt omnia si sic positum Solem Iuppiter, aut simul cum eo collocatus, aut trigonica radiatione respexerit, aut si Venus cum ipso matutina fuerit inuenta, aut si exagono matutina respexerit. Nam hæc omnes dignitates amicorum illis gratia conferantur. Si verò Sol in vndecimo loco genituræ fuerit inuentus, & maliuolæ stellæ cum ipso fuerint, aut aliqua illi radiatione coniunctæ, nihil quidem actibus, neque laboribus impedierit, sed solum filiorum loco acerbi decreti perseuerantia nocerit. In duodecimo loco Sol ab horoscopi, constitutus ignobiles, ac frequenter seruos, captiuos faciet, & patris etiam mortem, & totius patrimonij iacturam decernit, etiam vitam & ægritudines graues: sed & si beniuola stella cum Sole in eodem loco fuerit inuenta, nihilominus maximas ignobilitates faciet. Si verò maliuola stella in hoc cum Sole fuerit inuēta perpetuas ægritudines maxima decernit, vitia, & perpetuas & seruitutes.

A Sole defluens Luna si ad nullum deferatur, sed peruacuum cursus suos dirigat pauperes faciet, infelices, peregrinos, etraticos, & qui seruilibus semper actibus immorentur alios ad actus affectantes quod aggressi fuerint, vario facit genere desperationis amittere, sed processu temporis huius infortunij genus mitigatur, & præsidentium calamitatum ex aliqua parte miserum mutatur, exitium deposito paupertatis onere paruum illis vitæ subsidium comparatur & aliquos actus affectare compelluntur. Si à Venere defluens Luna feratur ad Solem parentes acerba dissensione dissociat, vt ipsis onus diræ orbitatis indicit, patrimonij & vitæ decernit angustias impuros facit, & qui miseris amoris amplexibus implicentur, sed cum primum iuuentutis tempus exierint processu temporis augmenta patrimonij, & quicquid desiderauerint facilè consequantur.

Si à Mercurio defluens Luna ad Solem feratur, aut mente captos, aut lingua impeditos, aut surdos efficit, aut pauperes, & miseros egestatis squalore depressos erraticos semperque peregrinos, & qui nunquam sedem domiciliumque constituant, sed hæc infortunia processu temporis temperantur, expleto tempore iuuentutis parua illis variis actibus vitæ præsidia quæruntur. Si Luna feratur ad Solem & ei se partiliter radiatione coniungat, in qualicunque schemate faciet, periculosos, miseros, deiectos à miseris facultatibus omni vita humili conuersationis deiectione prostratos, interdum facit spatos, & qui assiduis valetudinum vitiis contrahantur, alios facit caducos, aliis alienationum decernit incommoda, aliis plerunque decernit insanias. Propriè autem huiusmodi hominibus cæteri obsequi naturali quodam instinctu non dedignantur, fauet autem sensibus & homines minimè superstitiosos efficit, verùm solidi iudicij.

DE VENERE.

AN Venus supra Solem sit seu Mercurius, an infra à multis dubitatum est, sed & nos, an sit vnum omnium cœlum, & aliqua ratione scilicet Solis, Veneris & Mercurij à nobis, vt pro nunc in discussum relinquitur: illud satis sit, & pro constanti habeatur, ita horum trium vnum esse motum, nunquam ex infinito etiam annorum cursu, quicquam adiiciendum sit, vni eorum, quod non alteri aut detrahendum. Est igitur circuitus eius annus, paruus autem in anno vno, & 219. diebus, anni eius maximi 41. maiores 82. medij 42. minores 8. absis idem qui Solis in prima scilicet parte & quadragesimo minuto, Cancri domus eius Tauris, & Libra altitudo vigesima septima pars, Piscium carpentum in Tauro & Piscibus, die noctu autem, vtroque autem tempore octo primis partibus & in Piscium duodecim, primis trigoni duo sunt Principalis, ♉, ♒, ♑. In his enim signis in die primas obtinet partes noctu, postremas alter est ♋, ♍, & ♓, in hoc in die postremas obtinet partes, seu secundam authoritatem noctu nullam maxima eius latitudo, tum Borealis, quàm Australis est septem partium, & 22. minut. caput eius, nunc est circa quintam partem Leonis, anno 1568. quarta die Augusti, Cauda verò circiter nonam partem, Sagittarij circa vndecimam Nouembris, eiusdem anni, quare cum motus eius, tum frequenter varietur non est vt locum perfiniamus, sed velut in Mercurio, & Luna queramus cum in Ephemeridibus, velut & vtrunque ventrem, sæpius tamen reflectitur transitque ex meridie in septentrionem, & vicissim ex septentrione in meridiem, multis-

que

que annis circumagitur antequam perueniat ad alterutrum: existimo autem non in capitibus & cauda, sed vt verisimilius est in ventribus vim maximam esse ergo cum Soli nullam habent latitudinem, neque Borealem, neque Australem, sed perpetuò sub eclyptica deferatur, maxima latitudo est Veneris vt dictum est in vtramque partem post Martis, deinde Lunæ reliquorum omnium minor videntur, tamen qui Copernicum secuti sunt, minorem Veneri quamque dicta est in vtramque partem statuere. Latitudinem in Marte enim summam sex partium, & minutorum in Venere sex partium, & 22. minutorum in Mercurio quatuor partium & 5. minutorum, quibus constitutis cum de Sole nulla

Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.
♈	à 7. ad 12.	♉	pri 8.	♊	à 13. ad 17.	♋	à 8. ad 17.
♌	à 7. ad 11.	♍	à 8. ad 17.	♎	à 22. ad 28.	♍	à 8. ad 11.
♐	à 13. ad 17.	♑	à 13. ad 21.	♒	à 8. ad 13.	♓	pri 12.

sit de Luna, quod quinque sit partium de Saturno, & Ioue paruum sit discrimen, Veneris ventrem Borealem statuemus circa 24. partem Piscium, anno domini 1563. circiter septimam diem Martij, exquisitius autem post annos octo, scilicet 1571. iuxta 21. partē Piscium, quinta die Martij, venter autem Australis circa 24. partem Libræ, anno 1556. circa septimam diem Octobris & similiter in anno 1546. circa eandem partem sub fine Septembris, facta est maximè Australis, non tamen quantum prius idem contigit, anno Domini 1548 prima die Octobris, dum Venus esset in vigesima quinta parte Libræ maxima eius distantia à Sole est circiter partium quinquaginta duarum, plerunque tamen quinquagesimam non attingit dies retrocessus, circiter dies quadraginta lumen eius partium 8. meritò verò veluti admodum fœlici syderi duos trigonos tribuit Ptolomæus eius forma eximia est, vt quæ certis in locis etiam Iouem magnitudine superet, verè tamen est solum vigesima octaua pars globi terræ & aquæ, scilicet vt dimentiens eius sit, tertia pars dimetientis globi candida est admodum, & lucida quod indicium est, seu recipiat lumen à Sole quod esse non potest, esset enim falcata semper, velut Luna cum Soli propior est, seu ex imo reluceat, vnde etiam vires illi eximiæ sunt, præcipua verò claritatis luminis eius argumenta duo sunt, sunt, primùm quòd vmbram efficiat velut Luna, & maximè è cubiculis inspecta obscuris, sed & sola in die quandoque videtur, & nos vtrumque experimentum vidimus, refert etiam dantes illam dum parti obscuræ Lunæ superesset vitam dum lucidè occultatam quod argumentum, non tam esset claritatis luminis eius, quam maximæ raritatis corporis Lunæ, quod ratio ipsa non patitur, & quanquam nos alias id admisisse propter viri authoritatem visi simus. Nequaquam tamen esse potest, finge enim Lunam non esse densiorem nebula adhuc non poterit tanta cum crassitudine parua esse Veneris lumini, alterum igitur duorum si ille non deceptus est, aut non ei data verba sunt, scilicet vt vel ex diuersitate aspectus deceptus fuerit, cùm Venus altior Luna supponatur quasi ei immineret nondum interposito Lunæ corpore, & maximè ob latitudinem Veneris Borealem videretur, vel concedente aspectus diuersitate, licet in eadem longitudine latitudineque, vel vt latitudo id poteretur, ex aspectus autem diuersitate interposita lucidiore parte, Luna obumbraretur. Quod si omnino sic visam Venerem è regione corporis Lunæ, quod est alterum propositum fateamur, Venerem sub Luna positam dicere oportet, quòd tamen perabsurdum est, namque Venerem esse super Solem non nulli confessi sunt: planetā aliquem Luna inferiorem esse nemo ad hāc vsque diē dicere ausus est, adeò vt si quisquam nunc etiā verè dicere posset, nemo in fidem sit adhibiturus.

Hæc igitur si domina fuerit horoscopi in ipso nato eadem præstabit in corpore, & illius forma, quæ in omnibus negotiis, atque euētibus præstitura esset, vbi toti figuræ præesset, scilicet locis omnibus principalibus, ergo per se facit homines iucundos aliisque gratos, venustos, libidinosos, pios, iustos, fidos, candido corpore, oculis pulchris, ac fulgentibus humidisque, & qui facilè ad fletum inclinentur, vnde etiam misericordes sunt, capillis pulchris, roseo, colore faciei, pauco cibo, multo potu gaudetur, nobiles, mundos, mansuetos, & qui plurimum musica delectentur, sed & gemmis, & figuris pulchris, atque odoribus: deiecta verò facit pictores, tinctores, musicos, verùm si multum fauet, & Mercurius habeat felicem præclaros, efficit oratores, in principalibus autem locis, & cum Ioue, aut Sole, aut Marte, consentiens magistratus, præfecturas, legationes, regulos etiam duces belli, & regum vice prouinciis præfectos, aureisque insulis ornatos facit, præbet etiam fœcunditatem, & sobolem, veruntamen si malè afficiatur, vitia circa pudenda efficit, cùm Marte mutilationes, & hemorhoidas, cum Saturno vlcere sordida, & ad Veneros actus impotentiam, cum Mercurio ramices & herniam. Gaudet vt dixi in quinto & in septimo loco, cùm Sol fuerit in Occidentis angulo, aut propè ea tamen lege, vt Sole statim decumbente ipsa occidentalis videatur, tum enim in die est & vices Lunæ gerit, & nocturna simul eadem tamen fermè patitur, quæ Luna iuncta maleficis, aut opposita orientalis, & in die Marti iuncta, occidentalis verò & in hoc te Saturno opposita maxima detrimenta affert, quorū maior pars ex vitiis animi atque flagitiis originem ducit.

Igitur in horoscopo constituta per noctem facit elegantes, admodum in moribus eloquentes amicos, Regum & Principum, & quibus

quibus magna negotia credantur. At verò in septimo fœlicem reddit senectutem, & occasione mulierum etiam bona decernit, minora tamen in die, nisi eo modo, quo diximus fuerit constituta. In decimo autem loco & præcipuè orientalis grandem gloriam, atque fortunam, vsque ad regium habenas præstare potest, & per Solem quidem regum voluntate, & consuetudinibus occultis, & gratia priuata. Marti verò per exercituum præfecturas atque victorias, Ioui per opinionem prudentiæ, sanctitatis per electiones, ac dignitates collatas, in quarto verò loco diuitias præbet, & morigeras vxores, veruntamen si vel minimum inficiatur, vitia præbet circa libidines, & iacere omnia cogit, ob flagitiorum cupiditatem, efficitque steriles, & nihilominus cum his omnibus gratos principibus, sed similis conditionis hominibus: in secundo autem loco facit homines satis elegantes, & veruntamen cōcubinarum amatores, & sordidæ, Veneris ingeniosos tamen & iucundos artifices, quorum opera gratiam quandam retineant: eadem ratione, in octauo vxores cum difficultate præstat, & aut vitiatas, aut viduas, aut degeneres, vel steriles, vel deformes, & omnino aliqua labe notatas, prodest tamen ad hæreditates habendas: in vndecimo iucundam afficit iuuentam, sed postmodum fluxilem exhibet in sequenti ætate fortunam quemadmodum est eorum, qui vel in pueritia per formam, vel in adolescentia per musicam in delitiis vixere, non tamen prorsus à quadam gratia illos expoliat, sed & in quinta similia largitur, & quandoque maiora quoniam nocturna est, verùm oportet eò in statu Lunam supra terram esse, atque potestatem exhibet etiam in his locis filios persæpe, sed vel nothos, vel neglectos, vel nimis fluxa vita: in tertio verò loco si cum Ioue, aut Luna, aut Mercurio bene posito commertij aliquid habuerit, præstat ex sacris & opinione, bonæ vitæ emolumenta, at cùm Saturno & Marte, si consenserit eisdem causis, miseram ducent vitam, aut in aliquas graues calamitates incident: in nono verò loco maiora hæc erunt, mala minora, bona erunt autem dæmoniaci, fatidici, interpretes somniorum, vani, superstitionibus dediti, quod si cum Saturno vel Marte congrediatur igne, vel laqueo pœnas dabunt, steriles, sordidæ. Veneris & filiorum quos habuerint minimè amatores, criminibus etiam obiicit, eiusmodi viros, & falsis accusatoribus: at si bene constituta fuerit Ioue, Saturno, Mercurio propitiis, aut duobus ex his saltem eos efficiet, qui magna negotia tractabunt, præerunt sacerdotiis, occulta intelligent, per somnia diuinabunt, non aliis quidem, sed sibi ipsis, aut principibus quibus cari erunt, & vt ad vnguem, alij in cacodæmone, ita hi in eudæmone vitam constitutam habere videbuntur, erunt autem diuites & potentes: in sexto verò loco ignobiles dat vxores, aut omnino nata aliqua fœdas, morbos etiam circa pudenda, erunt autem fœlices in arte, qui sic nati fuerint, idque proprium quod si in duodecimo eadem ratione infœlicia, ac difficilia exhibet connubia, quædam verò illegitima lucra, non sine infamiæ labe, per impuram libidinem præbere solet, in cæstu adulterio atque deterioribus causis.

Si Luna feratur ad Venerem, & Venus partiliter radios Lunæ venientis exceperit, si & crescens Luna se coniunctioni Veneris applicuerit, faciet parentes nobiles, & maximæ potestatis, potentia sublenatos, sed qui nati fuerint à parentum affectibus separatis, citò onus, miseræ orbitatis, indicit, erunt sanè noti semper & nobiles, & qui semper in omni actu proficiant, & qui omnia quæ desiderant facilè consequantur, & qui potentiæ maximis honoribus fulgeant, plena vetustatibus & gratiæ, sed omnia incremnta processu temporis consequantur.

Si verò Luna deficiens sic feratur ad Venerem magnos actus, honores maximos, & magnæ potestatis decernit insignia, & quibus à potentibus, & à prima ætate magnæ fœlicitatis conferantur augmenta, sed hoc facit assiduis infirmari rumoribus. Sed & semper Luna in omni ortus suæ figuratione, si feratur ad Venerem, facit præposteris annorum vitiis, implicatos, & qui ob hoc assiduis pulsantur infamiis, impuros, libidinosos, & circa amores mulierum, & modica semper cupiditate flagrantes, & quos ad nefarios, coitus, iniusta cupiditas, semper incendat: aut enim sorores suas semper stuprant, aut sororum filias, aut vxores filiorum, aut vxores priuilegiorum, aut cum nouercis suis coëunt, aut concubinas patrum latante cupiditate corrumpunt, aut patruis per illos similis irrogatur iniuria: præsertim si istam coniunctionem Mars de diametro respexerit. Nam si sit diurna genitura & Luna in cardinibus genituræ, posita sic feratur ad Venerem, Mars verò in occasu, vel in medio cœli fuerit inuentus, ob hoc facinora, quæ diximus gladio facit interire. Si verò in mulieris genitura, sic Luna feratur ad Venerem, erit inuido stridore semper impatiens, & quæ ad promiscuas libidines, prauis cupiditatibus erigatur, & quæ incæstarum, & illicitarum cupidinum vota concipiat, & impuris semper libidinum cupiditatibus æstuet: aut enim cum fratribus, aut cum filiis coit, aut cum filiis fratrum, aut patrueles suos, illecebris suis captos, ad genialis iniuriam, thori priuignos, præpostero adducit cupiditatis ardore, aut affines suos sibi stupro agnitos iungit, alias viragines facit, præsertim si in tropicis, vel in erraticis signis, vel in duplicibus, vel in squamosis Venus constituta, si ad eam Luna sicut diximus, pergat ipsa quoque in signis similibus constituta, sed hæc fortiori concitatur ardore: si istum cursum Lunæ Mars, vel Saturnus quadrata, vel diametra ratione respexerit, vel si Venus iisdem cœperit radiationibus intueri fortiora, hæc autem mala si Venerem, vel Lunam in Saturni, vel Martis domo sic, sicut diximus, constitutas sine opportuno testimonio Iouis, Mars vel Saturnus quadrata, vel diametra radiatione respexerit, & sit plena luminibus. Si verò à Mercurio defluens Luna plena luminibus feratur, ad Venerem aut aromatum pigmentarios facit, aut colorum, aut medicamentorum, aut preciosorum

lapidum

ſapidum repertores, aut ſpecioſas tunicas arte ſua facientes, aut organarios, aut pantamimos, aut qui ſe ad omne genus ſalutationis affectent, aut qui alios dulci voce delectent, ſed mediocres in vita, & qui neque abundant facultate, nec neceſſariorum anguſtia deprimantur; ſed his ipſis augmenta facultatum proceſſu temporis conferantur, in venereo coitu intemperantes facit, & vitij quibuſdam ſemper implicatos, & qui aſſiduis ob hæc pulſentur infamiis.

Si verò minuta luminibus in nocturna genitura, à Mercurio defluens feratur ad Venerem, diuites, potentes, imperioſos magnos, & quibus regionum, vel ciuitatum maximarum eicitio credatur: præſertim ſi liberata à Solis radiis Luna in horoſcopi loco fuerit inuenta, & ſi Venus ſimili modo à Solis radiis liberata in his, in quibus diximus locis curſum Lunæ venientis exceperit. Si verò in cæteris genituræ locis fuerit, iſta coniunctio, honeſtos, multa negocia, agentes faciet, & qui propriis viribus patrimonij ſibi ſubſtantiam quærant. Si verò per diem minuta lumine ad Venerem feratur, in medio cœli, vel in decimo ab horoſcopi loco fuerit, iſta coniunctio, ſacri certaminis, palmas, coronaſque largitur, aut ſacris certaminibus, facit eſſe præpoſitos, aut templorum fabricatores, aut ſimulacrorum conſecratores facit, aut certè neocores, aut Principes ſacerdotum, aut magna in templis officia tractantes. Si verò in cæteris genituræ locis fuerit, iſta coniunctio mediocres in facultatibus facit, & qui artes metallicas exercere conſueuerunt, facit plerunque coriarios, aut qui aromata, mercari conſueuerunt, facit etiam eos pollitores præcioſarum gemmarum, vel qui gemmis ex vario pigmentorum genere, aliam ſpeciem coloris appingant, aut tornatores, ſculptores ſimulachrorum, aut fabricatores efficiet, aut in templis ſacra carmina, præcantantes, aut tibicinis templorum faciet, & qui habent rerũ cœleſtiũ notionẽ, vel qui ſciunt ſecreta cœleſtia, vel qui res abſconſas, & abditas facili ratione perdiſcant, vt ex his occaſionibus vitæ illius ſubſidia quærantur.

A Venere defluens Luna ſi feratur, ad Mercurium ſi ſit creſcens, vel plena luminibus defenſores, vel procuratores, facit nobilium fœminarum, & qui mulierum præſidio ordinem aliquem promotionis accipiant, erunt autem & tinctores, vel margantarij, aut armorum inuentores, muſici frequenter inclyti, & medici, aut athletarum principes, & magiſtri, ſed libidinoſi, & aſſiduis amorum cupiditatibus ſubditi, grati tamen & circa Venereos coitus amabiles. Si verò à Venere defluens minuta lumine ad Mercurium feratur vitia, impuritates, valetudineſque decernit: actus verò varios multipliceſque facit, aut oratores, aut tortores, aut plaſtas, aut ſculptores faciet, aut pigmentarios, aut colorum repertores, aut pharmacopolas, aut popinarios facit, & qui alienarum voluptatum, & delectationum curam ſollicitudinemque ſuſtineant.

A Venere defluens Luna creſcens lumine ſi ad nullum feratur, ſed per vacuum curſus ſuos dirigat faciet paſſiuos in coitu, & qui nunquam in vxorum amoribus perſeuerent, ſed qui ſemper inceſtis delectantur amplexibus: ſed hos eoſdem facit nudos, pauperes, & qui humeros ſuos laboribus ſubijcientes, quotidianæ quærent vitæ ſubſidia. Si verò ſit minuta luminibus vitioſos, turpes, pauperes, & aſſiduo facit onere, miſeriarum prægrauatos, aut artibus & actibus inhoneſtis applicat ſemper & miſeris.

Circa generalia verò Venus cum domina orbis magni fuerit, & in Ariete, vel Cancro, vel Leone, vel Piſcibus, calorem aëris ſignificat, ſed & in Leone ſub radiis Solis aëris æſtum oſtendit, in Aquario verò veſpertina calorem, & ventos decernit, inſuper Venus, cùm mundo præfuerit ſignificat, gaudia, honores, principatus, & feſta, & pompas, coniugia filiorum multitudinem, diuitias, munditiem, actus Venereos, ſed neque fœdos, neque turpes, & aërem clarum æqualem, cum ventis temperatis, & humidis iucundos dies ac ſerenos, roridas noctes, incremẽtã plantarum, multitudinem ſegetis, & fructuum herbarum agreſtium paruum prouentum, non ſerpentes, non animalia venenoſa, neque abominanda, neque plantæ maleficæ, neque læthales aquæ fluuiorum claræ, & abundantes, ſi in ea alluuione tamen piſcium multitudo optima, quæque abundabunt arbores, herbæ & flores, adorati panni præcioſi, & gemmæ, & veſtes pulchræ, & omnia decora, iucunda, grata, vtilia, ſanitas magna, & morbi quicunque fuerint breues, leues, mites, & pluuiæ ſine tonitribus, & fulguribus, aquis abundantes & largè, ſed breues, & quas ſerenitas exquiſita ſubſequatur. Et ſi ipſa fuerit æquidiſtans ſigno Arietis ſignificat, ſiccitatem cum diminutione pluuiarum, & inceſſantem flatum ventorum, & bonam commixtionem aëris, & ſi fuerit latitudo eius ſeptentrionalis ſignificat, caliditatem aëris, & ſi fuerit meridiana, ſignificat vehementiam frigoris, & quando elongatur ab auge, ſcilicet Solis, ſignificat motionem exercitus. Et dicit Haly, de tempore pluuiarum in tractatu de externa ſub radiis, quod Venus in Ariete ſub radiis ſignificat, vehementiam venti, veſpertina ventum ſignificat, matutina ſeu orientalis tonitrua & pluuias. Et ſecundùm Albumaſ. ſi fuerit retrograda ſignificat, multa tonitrua, & corruſcationes, fortes, grandines, & tempeſtates. Et dicit Albumaſ. Venus cùm fuerit æquidiſtans à Tauro, ſignificat multitudinem nubium, & pluuiarum, & tonitruum, & corruſcationum, cum ſiccitate aëris. Et ſi fuerit latitudo eius ſeptentrionalis ſignificat, bonam aëris commixtionem, & ſi fuerit meridionalis ſignificat illud idem, & quando elongantur ab auge ſua ſignificat apparentia boni & ſalutis in hominibus. Et dicit Haly, Venus in Tauro ſub radiis tonitrua ſignificat: veſpertina ſerenum aerem, matutini vel orientalis bonam conditionem, ac velocitatem ſignificat. Et ſecundùm Albumaſ. Venus cùm fuerit retrograda, grandines, cum vehementia tonitruorum, & corruſcationum ſignificat. Et dicit Albu. Venus cùm fuerit æquidiſtans

distans signo Geminorum, significat humiditatem aëris, & corruptionem eius, & si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat flatum ventorum: & si fuerit meridionalis significat siccitatem aëris. Et quando elongatur in longitudine sua longiori, scilicet à Sole significat, infortunium in magnatibus, & angustias, & tristitias. Et dicit Haly, quod Venus in Geminis sub radiis nimis desiccat, vespertina & ventosa, matutina vel orientalis bonum tempus significat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat caliditatem, & siccitatem, & siccitatem aëris. Et dicit Albumas. Venus cùm fuerit æquidistans signo Cancri, significat bonam commixtionem aëris, multum flatum ventorum: & si fuerit eius latitudo septentrionalis significat vehementiam caloris, & si fuerit meridiana significat illud idem. Et quando elongatur a longitudine sua longiori, scilicet à Sole, significat detrimentum aduenire regibus, & nobilibus, cum motu exercituum. Et dicit Haly, Venus in Cancro sub radiis temperiem absque vento, Vespertina bonam complexionem, matutina siue orientalis serenum facit. Et secundùm Album. si fuerit illic retrograda significat detrimentum, quorundam mulierum regum. Et dicit Albumas. Venus cùm fuerit æquidistans Leoni, significat multas infirmitates per variolam, & calorem aëris, cum pauco flatu venti, & forsan erit aëris complexio bona. Et si fuerit eius latiudo septentrionalis significat ventum, & caliditatem eius, & si fuerit meridionalis significat bonam aëris commixtionem. Et quando elongatur à longitudine sua longiori, scilicet à Sole significat quod consequentur reges, aut quædam mulieres eorum detrimenta. Et dicit Haly, Venus in Leone sub radiis ardorem facit, Vespertina iumentorum infrenites, matutina bonam complexionem facit. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat angustiam euenire regibus, & cogitatus, & tristitiam. Et dicit Albu. cùm Venus fuerit æquidistans Virgini, significat aëris commixtionem, & forte declinabit ad frigus & siccitatem. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis significat bonam complexionem aëris, & si fuerit meridionalis significat illud idem. Et si elongatur in longitudine sua longiroi, scilicet à Sole significat, mortem nobilium, cum multis infirmitatibus hominum. Et dicit Haly, Venus in Virgine sub radiis, significat siccitatem, vespertina bonam complexionem, matutina humiditatem præstat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat ægritudines mulierum, Et dicit Albu. Venus cùm fuerit æquidistans Libræ, significat sanitatem hominum, cum bona complexione aëris, & frigiditate eius, & superabundantia. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis significat ventos siccos, & si fuerit meridionalis significat infirmitates, ex parte morbili. Et si elongatur in longitudine sua longiori, scilicet à Sole significat, mortem mulerum regum, conturbationes, & rumores terribiles, in hominibus. Et dicit Haly, Venus cùm fuerit in Libra sub radiis humida erit, & vespertina bene complexio nata matutina erit humectans. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda, significat detrimentum aduenire mulieribus regum. Et dicit Albumas. Venus cùm fuerit æquidistans Scorpione, significat vehementiam frigoris, & multum ventum, & forte erit bona complexio aëris. Et si fuerit latitudo septentrionalis significat siccitatem aëris, & si fuerit meridionalis significat multitudinem pluuiarum, & cùm elongatur in longitudine sua longiori à Sole, significat detrimentum nobilium, & effusionem sanguinis. Et dicit Haly, Venus in Scorpione sub radiis sine pluuia est, vespertina pluuiosa: matutina & multarum pluuiarum. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat commotionem, cum multis rumoribus terribilibus. Et dicit Albumas Venus cùm fuerit Sagittario, æquidistans significat bonam complexionem aëris, & aliquando donabit ad superfluitatem humiditatis, & aliquando ad superfluam siccitatem. Et si fuerit septentr. significat incessantem flatum ventorum, & si fuerit meridionalis significat aëris alterationem, & humiditatem eius. Et quando elongatur à longitudine sua longiori, scilicet à Sole aduenient, Regibus ægritudines. Et dicit Haly, Venus in Sagittario sub radiis pluuiosa erit, vespertina ventosa & frigida: Matutinam bonam conditionem significat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat inuidiam regum. Et dicit Albumas. Venus cùm fuerit æquidistans Capricorno, significat multam mortem, cum multitudine pluuiarrum, & fontium, & cum bona complexione aëris. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis significat multos ventos, & si fuerit meridionalis significat multas pluuias. Et quando elongatur à longitudine sua longiori, scilicet à Sole significat detrimentum quibusdam nobilibus præcipuè senibus. Et dicit Haly, Venus in Capricorno sub radiis gelida est, vespertina frigida, matutina pluuiosa. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat tristitiam, angustiam hominum Et dicit Albumas. Venus cùm fuerit æquidistans Aquario significat bonam aëris complexionem, multum ventum, cum multitudine pluuiarum & nebularum. Et si fuerit latitudo septentrionalis significat siccitatem, & paucitatem pluuiæ, & cùm fuerit meridionalis significat multas angustias. Et quando elongatur à longitudine sua longiori, scilicet à Sole significat multas inundationes, & redundationes fontium, & accidit nauibus submersio in mari. Et dicit Haly, Venus cùm fuerit in Aquario, sub radiis fit nebulosa, vespertina, calida & ventosa, matutina pluuiosa & caliginosa. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat ægritudines hominum propter humiditatem. Et dicit Albumas. Venus cùm fuerit æquidistans piscibus significat vehementiam caloris, cum vehementi humiditate, & forte erit bona complexio aëris Et si fuerit eius latitudo septentrionalis significat ventorum flatum incessantem, & si fuerit meridionalis significat multas pluuias. Et quando elōgatur à longitudine sua longiori, scilicet à

Sole

Sole significat detrimentum diuitum, & nobilium. Et dicit Haly, Venus in piscibus sub radiis serenum tempus significat, vespertina aquosa, & ventosa, matutina bonam complexionem significat, & gramina, & fructus nutrit bonum. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrograda significat, conturbationes, susurrationes, & rumores, terribiles, & tristitias, & timores contingere hominibus.

De sublimitate autem sic se habet, si Venus eleuetur super Saturnum, & fuerit in Ariete, significabit ventos Boreales assiduos, & multas aquas. Si vero in Tauro erunt, infortunia, siccitates, & charistia in multis climatibus, pluuia multa & paucitas annonæ. Si verò in Gemini nihil sic significat. Si verò in Cancro, erit prosperitas pluuiarum, locustas multum destruere segetes. Si verò in Leone nihil significat. Si vero fuerit in Virgine, mors in hominibus, pluuia, & humiditas reparatus earum. Si verò in Libra, erit pugna regum inter se, multæ herbæ cum multis pluuiis, & humiditatibus, & vento mediocri. Si verò in Scorpione, erit mors mulierum regum, cum pauca pluuia, & bonitate messium, Si verò in Sagittario, erit mors in reptilibus, & muscæ cum multis pluuiis. Si verò fuerit in Capricorno nihil significat hic. Si verò in Aquario erunt ægritudines hominum ex tussibus, multæ aquæ, cum mediocritate fluminum. Si verò in Piscibus, erit vehemens frigus, pluuia superflua, multæ corruscationes & tonitrua.

Si verò eleuetur super Iouem & fuerit in Ariete, erit pugna & his multa inter viros, & mulieres suas, cum pluuiis multis augmentum, fluuiorum magnorum, vt Tigris & Euphratis. Si vero fuerit in Tauro, erunt multæ commistiones in omnibus regionibus, & infirmitates, potentia mulierum super virum, & pauca temperantia suorum. Si vero in Gemini, erit esse mediocre mulierum prægnatarum, tenebrosus aër cum multitudine humiditatum, & pluuiarum. Si vero fuerit in Cancro, erit mors Regum, & magnarum cum pluuia, humida, superflua, diminutio aquæ maris. Si vero fuerit in Leone, erit mors Regum, quorundam feruor inimicorum super reges, quosdam cum pugna, & morte quorundam ciuium. Si vero fuerit in Virgine, erit mors in pluribus regionibus, pluuia multa, semina cum paucitate aquarum maris. Si vero in Libra, erit prosperitas mercationum, multæ febres, ægritudines melancholiæ, & charistia annonæ, & destructio messis, & pluuiæ multæ. Si verò fuerit in Scorpione, erunt angustiæ quorundam Regum, mors in pluribus climatibus, cum pluuia multa. Si vero in Sagittario, erunt mendacia multa, terribiles rumores & pugna cum morte iuuenum, & superfluitate aquarum, & augmentum Tigris & Euphratis. Si vero in Capricorno erunt pestilentiæ, & casus in hominibus, mors in omnibus, pluuia pauca tempore suo paucitate annonæ. Si vero in Aquario, Reges interficient filios suos, siccitas in pluribus regionibus, cum pauca pluuia, & detrimento aquarum, cum paucitate annonæ. Si vero fuerit in Pisce, erunt bella & mors mulierum, detrimentum volatilium, cum multis humiditatibus & messibus.

Si vero eleuetur super Martem & fuerit in Ariete, erunt ægritudines & præcipuè febres, in omni terra magna pugna hominum combustione, in pluribus terris cum multis pluuiis & tonitruis. Si vero in Tauro, erit dominatio virorum, & destructio mulierum, multationem plurium exercituum, pugna in multis terris, multæ aquæ & pluuia superflua. Si vero fuerit in Gemini, erit odium & lis inter plures homines, mors mulierum & multæ pluuiæ. Si vero in Cancro, erit mors & cædes filiorum regum, mors Regis, maxima destructio plurium regionum, & combustiones in terris, multæ locustæ cum humiditate, & superfluitate inundationum. Si vero fuerit in Leone, erit nimia inimicitia, & odium inter homines, cum multis pluuiis tonitruis & corruscationibus. Si vero in Virgine, erit pugna regum, & interfectio mulierum, & commistiones, & nocumentum in pluribus regionibus, superflua pluuia cum vehementi calore. Si vero fuerit in Libra, erit mors quarundam mulierum regum, multa bella cum humore superfluo. Si vero in Scorpione, erit mors filiorum regum, cum pluuiis superfluis. Si vero fuerit in Sagittario, erit superfluitas aquarum, & pluuiarum multi rores. Si vero in Capricorno, erunt multæ combustiones, & multæ rebellationes cum pluuia superflua. Si vero fuerit in Aquario, erit nimia combustio in pluribus regionibus pluuia, cum multis locustis. Si vero in Piscibus, erit multa mors in hominibus, multa pluuia, & aqua superflua.

Si verò eleuetur supra Solem & fuerit in Ariete, erunt tonitrua, corruscationes, multæ pluuiæ. Si verò in Tauro, erit mors mulierum, temperantia pluuiarum & ventorum. Si verò in Gemini, erit humiditas aëris. Si verò fuerit in Cancro, erit multa pluuia. Si verò in Leone, erit rectificatio aëris & venti calidi. Si verò in Virgine, erit pluuia superflua. Si verò in Libra, erit humiditas multa & superfluitas pluuiarum. Si verò in Scorpione, erit pluuia superflua. Si verò fuerit in Sagittario, erit humiditas multa. Si verò in Capricorno, erit multa humiditas & vehemens frigus. Si verò in Aquario, erit humiditas. Si verò fuerit in Piscibus, erit humiditas.

Si verò eleuetur supra Mercurium & fuerit in Ariete, erunt nubes & ventus mediocris. Si vero in Tauro, erit multa mors & instabilitas hominum, & commistio inter eos paucitas pluuiarum, tonitruum, corruscationum & annonæ. Si vero fuerit in Gemini, erit salus & gaudium, in multis terris, & augmentum possessionum, multæ causæ virorum contra mulieres, pluuia pauca, multa tonitrua, corruscationes & superfluæ inundationes. Si vero in Cancro erunt multæ pluuiæ, & nubes, corruscationes, tonitrua & magnus calor in tempore suo. Si vero fuerit in Leone, erunt multæ ægritudines militum, & nobilium ex cursibus, & mors, ex si potẽtia mulierũ, pluuia pauca, calor, vehemẽs tonitrua, & corruscationes tẽpore suo. Si vero in

Virgine, erit scientia & sapientia multa, cum multis pluuiis, ac tonitruis corruscationibus, & augmentum fluminum, Si verò in Libra, erunt bella & deprædationes, pluuia superflua, multæ aquæ, & inundationes fluminum. Si verò fuerit in Scorpione, captio pecorum, in pluribus terris multæ pugnæ, pluuia superflua, tonitrua, & corruscationes superfluæ, terræ motus, & multa inundatio aquarum. Si verò in Sagittario, erunt multa bella in ciuitatibus, & regionibus, & melancholia in hominibus, superflua & tonitrua. Si verò fuerit in Capricorno, erit victoria inter Reges, latrones & pauores, in pluribus terris charistia asinorum, & camelorum, frigus vehemens tempore suo, pluuia pauca, pestes & tonitrua. Si vero fuerit in Aquario, erunt Guerræ & pluuiæ mediocres, cum tonitruis & corruscationibus. Si vero in Piscibus, erit prosperitas hominum, & iustitia iudicantium, cum multis vaticinatoribus.

Si verò eleuetur super Lunam & fuerit in Ariete, erit pluuia, & humiditas multa. Si vero in Tauro erit humiditas, & res pauca. Si vero fuerit in Gemini erit humiditas pauca. Si vero in Cancro, erunt multæ pluuiæ & superfluæ humiditates. Si vero fuerit in Leone, erit pluuia & humiditas pauca. Si vero in Virgine, erit pluuia superflua, & multa humiditas. Si vero fuerit in Libra, erit temperantia aëris, & pluuia pauca. Si vero in Scorpione, erit humiditas & pluuia. Si vero fuerit in Sagittario, erit humiditas multa. Si vero in Capricorno, erit humiditates pauca. Si vero in Aquario, erit generatio humiditatum. Si vero fuerit in Piscibus, erit tranquillitas aëris, pisces multi, & paruæ aues, multa pluuia, tonitrua, corruscationes & humiditates.

DE MERCVRIO.

CVm venus & Mercurius adeo parui sint, tum verò Mercurius etiam ad oculum, adeò vt propter propinquitatem Solis, etiam vix dimidio anni videri soleat, verè autem sit minima stellarum tam errantium, quod dubium non est tamen inerrantium, cum si tam paruæ essent, & adeò Soli starent videri omnino non possent. Est enim proportio eius ad globum terræ, vt sit eius 22. mi. pars scilicet, vt dimetientis terræ & aquæ globi ad Mercurij dimetientem sit viginti octupla, & tamen propinquissimi Lunæ conspiciantur, vt etiam Iupiter, imò melius cernantur, nec quicquam depereat luminis sub ipsa Luna, cui Mercurius iunctus est fermè, cum ipsa in duplici Apogeo, ille verò trifariam in perigeo sit constitutus, vt pene se tangant, constat in eis Solis vim substantiam, ac lucem esse, quasi vt dixi partes illius sint, quæ cùm circumambiant certè interrantium adeò illi loco proxima tametsi maxima, tamque linea altior tam plenè cernitur, quin magis hebetetur, nam de Cane maiore experiri non licet, cum adeò semper à Luna ob latitudinem ad meridiem distet. Sunt igitur Venus & Mercurius, quasi duæ partes & semina Solis non solum comites illius, atque ideò tam efficaces atque potentes. Sed Venus maior solidior atque benignior, quippe Mercurius tametsi fulgidus sit, & nitidus plumbi erat vt ita dicam, nec candidus est, vt Venus de luce tamen nihil remittit, ob id Venus tota benigna hilaris, liberalis, plena firmaque est. Mercurius verò varius vafer mutabilis, sed acutus animæ & rationi magis videtur accommodatus cuius anni maximi seruetur 450. maiores 76. medij 48. minores 20. circuitus vt dixi idem, cum Sole & Venere parui tamen circuli dies 116. Retrocessus autem tempus dies circiter 24. Absis in prima partis Libræ minuto 55. vt computant latitudinem Australem, aliquanto maiorem referunt Borealem, siquidem hanc partium 4. minutorum 5. illam partium 4. minutorum 13, caput & caudam, atque ideo etiam ventrem discere oportet ex Ephomeridibus propter illorum veloces mutationes tempus transitus, à 40. circiter diebus 55. quoniam è varia multum ob frequentem retrocessum, cùm enim celeriter mouetur etiam citò transit eclypticam mutatque latitudinem rarò 40. diem, & paucis diebus superans, nonnunquam in 36. parum à Sole recedit, cum ad summum 26. partibus nonnunquam antequam fuerit accidentalior 20. partibus retrocedit, & antequam sit orientalior iisdem progreditur, vt appropinquet Soli magis quo fit vt ob id frequenter retrocedat. Ideoque à retrocessu parum læditur vt à radiis Solis ob siccitatem multum contra Venus à retrocessu multum ob magnitudinem retrocessus, & amplitudinem parui circuli à Solis radiis parum quòd valde humida natura sit. Domus Mercurij, Gemini & Virgo, idem signum & præcipuè pars 8. eius pro altitudine habentur. Vnde ibi carpentum, sed nescio qua ratione fines ad 7. vsque partem tantum extendant, altitudinem in sequenti statuant, omnino in primis septem partibus Virginis plurimum potest, quòd vbi domus altitudo & fines sint. Trigonus ♊, ♎ & ♒, vnde illi carpentum aliud in Geminis ob trigonum, maximè autem in initio vbi sunt fines illius prout in Tabula descriptos, vides in trigono tamen suo in die postremas obtinet partes ob

Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.	Sig.	Gr.
♈	à 13. ad 20.	♉	à 9. ad 14.	♊	pri 6.	♋	à 14. ad 19.
♌	à 19. ad 24.	♍	pri.7.	♎	à 7. ad 14.	♏	à 12. ad 19.
♐	à 18. ad 12.	♑	pri 7.	♒	pri. 7.	♓	à 17. ad 19.

Saturnum, sed in nocte primus habetur. Regit vitæ nostræ tempus quocunque est à quinto anno ad quartum decimum, qua in ætate pueri & ad mores ac disciplinas instituun

instituuntur, cum verò sint tria genera errantium, stellarum, beneficæ, maleficæ, & Principales, quæ sunt Sol, & Luna, Mercurius vicem singularum subit, & priorum quidem manifestum est, at luminarium Luna Solis vicem subit ob lumen, & ipse Lunæ ob motus varietatem. Id verò accidit cùm Sol & Luna, prorsus viribus exuti fuerint maximeque sub terra. Mercurius autem iuxta longitudines medius. Veluti si Luna iuncta fuerit Soli sub terra, & in tertio aut sexto loco, aut iuxta finem secundæ, vel quintæ domus & Mercurius orientalis in primo cardine, aut occidentalis in septimo. Et similiter si emerserit ex oriente cum Sol fuerit in secundo loco, & tamen Lunam quouis loco sub terra fuerit, nam etiam si sit in prima debilis erit, quia statim fertur ad Solem. Quibus autem sic Mercurius vices luminarium agit videbitur mirabilis ingenij, sed alienorum morum à communi vsu & plerunque erit infœlix, cumque fuerit cum pleiadibus, aut hyadibus, aut Orionis cingulo, non erit immunis à stultitia, & habebit ingenium mentemque turbidam, cumque homo ratione præsit animalibus cæteris, qui Mercurium habuerit locique eius dominum non parum consecutum sicut boni malique, etiamsi vniuersos alios planetas contrario affectu maximè autem alios bene dispositos nihil ei, aut valdè parum profuturos lumen eius ad 7. partes circumquaque extenditur. Igitur planeta hic si ascendenti præpositus fuerit efficit corpus modicum. gracile faciem pallidam, oculis paruis & pulchris puerile quid referentibus modici cibi, atque potus negociatione gaudentes solicitos parcos diuitiarum congregandarum cupidos haud luxuriosos, vel libidinosos armatos, sed non sumptuosos rebus suis intentos diligentes. Facilè autem hi si malè afficiatur corripi solent comitiali morbo insania lunaticique efficiuntur, morbisque contagiosis corripiuntur impetigines, vitiligines, elephantiases, lepras, dæmonia vocata perpetiuntur, inanibusque artibus operam dant necromantiæ diuinationi, neque veræ, neque legitimæ, chymicæ & à communi lege seorsum deuiant miras fabulas sibi confingentes, alias sibi narratas credunt, alias ipsi narrant, semper in chymeris, & vanis cogitationibus versantur, libenterque audiunt commenta de dæmoniis ac spectris. Hic subit me admiratio cum Ptolemæus huiusmodi effigies, & delineamenta corporum dominis ascendentis tribuat, ex corporum autem qualitate studia & ingenium, atque mores ipsi proueniant, cum ingenium & mores à dominis locorum Luna, ac Mercurij aspiciat quasi tria sint principia in nobis dominus horoscopi, tanquam corporis loci Mercurij, tanquam rationalis animæ, & loci Lunæ tanquam sensilis ac naturalis. Propterea consensum in hoc respicit horum locorũ & meritò, sed illud dubitatione dignum, si quis natus sit cuius horoscopo, vt nunc diximus, Mercurius præficiatur an aliquid tum significet. Videtur enim mirabile quod is eiusmodi merum non sit particeps, quod si sit nō vt ipse, neque enim præfectus est loco proprio vt supponitur, neque vt præficitur ascendenti. Hic enim nihil virium habet in hac re, habet autem & ratio id docet, quoniam corpus mercuriale habet, nisi inconnexa, si physionomia, & experimenta id attestantur.

Præterea dicit Apponensis ex Firmico Mercurius si dominus genituræ fuerit, faciet cordatos, ingeniosos, ingenij boni modestos, & arcana artium scire cupientes. Quod si Veneri conciliatus sit & in propriis dignitatibus faciet etiam Poëtas & Oratores. In Lunæ autem domibus facundos, & familiare sermone multitudini gratos. Si verò in Saturni dignitatibus Veneri, vel Ioui conciliatus faciet, religionibus deditos, sactis præpositos, Mathematicos, quoque Astrologos, iustos, pios, erga coniunctos, & amicos, fidos & propensos nihilominus parcos. Sed si his etiam Mars interponatur, dat magistratus & administrationes. Sed si à Saturno in nocturna præcipuè genitura pulsetur, insidias accusationes popularem inuidiam, & per cula decernit. Verùm si Mars in septimo loco super excellat maximè ex propriis in alienas dignitates super eleuetur, ei Lunaque simul luminibus plenam excœperit. Publicè comburetur aut suspendetur. Dicemus ergo dominum ascendentis tantum posse super mores, & ingenium quantum corporis natura illud significare potest, vt præparatio, & vt res coniuncta, vt sint tria loca Ascendens, locus Lunæ & Mercurij, & hæc propriè significant cum suis dominis qualitates corporis morum & ingenij, sed diuersa ratione bifariam, prima quoniam in ascendente cum domino eius, sumitur locus quia locus principalis, & stellæ quæ sunt in eo sunt, in tertio ordine significatorum, qui non significant nisi vt sunt ibi, in reliquis duobus locis dominus, & Luna, vel Mercurius, quia sunt principales, & non locus ipse, qui dependet à planeta qui ibi est. Secunda quod corpus præparat animæ, vtpote acumen memoria habitam potentiam, quæ plurimum refert nec conuertitur. Et ideò à Mercurij loco neque à Mercurio nihil prorsus habemus supra corpus, nec à Luna vt morum significatrice, sed vt est particeps ascendentis in significando statu corporis. Neque est mens alta Ptolomæi & vera. Dicemus ergo in nostra genitura primus significator est, Venus & Luna, vt ascendenti dominantur, & Luna per se vt corporis statum significat adeò vt plus quasi possit Luna quam Venus. Secundus significator ascendens & est Taurus, & Pisces in quo Luna non vt ascendentis domina, sed vt corpori per se præficitur: ideò in hoc secundo significatore si quis animaduertat conuersa ratio obseruanda est ascendentis, vt præbet vim Veneri, vt causa, & loci Lunæ, vt recepit quasi symptoma vim ab ipsa Luna. Tertius est planetarum qui sunt in ascendente, vt Iuppiter vel inerrantium, velut syderis Arietis stellæ, & figura, & quæ commiscentur Veneri, & quæ commisceretur etiam Luna, & loco eius per corpus non per radios, & ita obseruabimus Iouem, qui est in ascendente & Mercurium, qui est cum Venere. Locum autem

Veneris nequaquam, nec Martem quia licet per radios pulset Lunam, significare potest super vitia corporis, aut breuem vitam non super figuram naturalem.

Mercurius ergo in angulorum quouis potissimum ob robur loci & etiam quia ascendens, vt dixi super mores & ingenium significat, & tunc etiam dominus loci ascendentis, & Mercurij necessario vnus est, facit geometrus, & similes à rationibus, à libellis, à secretis, & oratores, causidicos, aduocatos à Saturno amico, Sole vt sit ab eo orientalis, à Ioue administrationes recipit, velut etiam à Venere. Diurnus ad actiones nocturnas ad contemplationem melior.. Sed si Mars cum his aut sine his quadrato radio, aut opposito, aut etiam sextili, sed ex hostili loco, & superior efficiet, vt omnia hæc ad malum dirignatur, & sint scelerum magistri, vt etiam maximis calamitatibus opprimantur. Idem etiam de trigono velut si Mars fuerit in Piscibus, Mercurius in Cancro, aut si Mars in Sagittario, Mercurius in Libra. Ad hæc duo enim exempla oppositissima etiam aliorum radiationes aptabis, tum quod trigonus est, per signa breuium ascensionum & sextilis longarum, & in vtroque casu alteruter est opposito dignitatis alterius: & noctu quidem magis affligunt mala, hæc in die sunt euidentiora noctu malignior spiritus, die scelera grauiora. Hæc eadem in decimo loco, sed si non præsit ascendenti eadem circa fortunam, non tamen tanta circa mores, aut sapientia, aut probitas, aut flagitia è diuerso, atque malignitas. Tum verò multò plus potest orientalis quàm occidentalis, & à Ioue in diurna genitura, magis in nocturna à Venere vbicunque fuerit, velut etiam à Sole & Luna iuuatur, & in nocturno magis læditur à Saturno, vt qui à temperamento magis recedat, vt à Marte in diurna si radiis quemadmodum dixi per se, aut non per se pulsetur inimicis. In quarto igitur eadem, sed occulta magis, & minora etiam vt accusarores, delatores, carceris custodes, fodinarum præfectos, rusticos, sapientes, chymicos, necromanticos, vt in patentioribus concionatores, & sacerdotiis, ac potestate ecclesiastica ornatos, aut afflictos provt ratio prædictorum postulat. In septimo autem locutus ibi omnes planeta inualidi affligatur. Nam Saturnus & Mars pessimè collocantur, ob id quod oppositis radiis ascendens pulsatur, Luna & Mercurius quia occidunt, Venus etiam nisi valdè sit occidentis gradui iuncta (tunc enim quasi particeps solaris vis cuius vt dixi, est pars bona significat, circa vxoriam si in propriis fuerit dignitatibus, & tamen vel sic facit luxuriæ, & voluptati atque ignauiæ perpetuò implicito, & inefficaces turbida semper mente, ob assiduam cogittionem libidinum) efficit multa mala æstuant virginum & puerorum cupiditatibus infames coniuges, latrones & etiam propriarum vxorum. Et hæc per se afflictus autem à Marte vel Saturno phtysicos, exules, fugitiuos, laqueo vitam finientes, & generaliter breuis vitæ atque miserrimæ; si quid autẽ ibi omnino planetæ potentes præstant boni sero præstant. Sed & mali serius mala, sed non adeò. Nocturnus etiam minora incommoda decernit, est enim occidentalis ideò morbos vitiorum loco significat. In succendentibus autem domibus pro natura suorum angulorum minora, tum bona, quàm mala decernit. In secundo tamen loco cum ad horoscopum non pertineat contemptores studiorum, & literarum & omnium animi bonorum facit: idque longè magis orientalis Manifestum est autem quòd huiusmodi nati mali erunt, tum quia omnis ignorans malus, tum quia iudicij peruersi. Pariter in octauo malitiosi stultique ob antecedentem septimum angulum, pari ratione in vndecimo melior, quam in quinto & iuxta rationem anguli. In reliquis autem domibus cum cadant duos obseruanda sunt, & in hoc, & in planetis alij quod mistam habent naturam quasi æqualiter ex subsequenti angulo ob propinquitatem, & ex antecedenti ob motum, quo ad illum, & secundùm illum fertur, & quod tamen in vtroque sunt imbecilles, tum ratione loci, tum ratione repugnantium, qualitatem angulorum inter quos sunt, & à quibus circumdantur. In tertio igitur & duodecimo loco oriẽtalis meliora præbet, vt in nono ac sexto occidentali: atque in sexto & duodecimo nocturnus, in tertio & nono diurnus aptior est, & magis bonus, malus autem minus Si etenim id duodecimo fuerit loco, & occidentalis, erit etiam diurna genitura, itaque nihil efficacis significat, sed obscuram rationem, cogitatione malitiosas & rudes. Considerare autem expedit domorũ proprietates, velut medicus in sexto optimus erit. Fortunam enim prudentiamque maximam præbet in eo negotio, in peregrinationibus & cursoribus. In tertio pro familia, in duodecimo pro peritia legis in nono. Gaudet autem vt dixi, in primo loco, & maximè in his quinque gradibus, qui ex duodecimo sumpti ad primum referuntur, & quanto propior orienti fuerit, modo totus emerserit & propriè cum sub eclyptica est: oportet autem orientalem esse atque videri, tunc enim ingentia bona præstat, & non pro ratione differentiæ metiri oportet effectus, neque enim idem in omnibus, sed in hoc omnia in vnum conueniunt, tales autem conspirationes in vnum quæ pro proprietatibus sunt scire oportet. Hi enim & bello ad regnum, ex sacerdotio ad principatum, atque ita in singulis, vtpote per Iouem ad summas opes, ope sola ingenij perueniunt.

Cùm verò tres inferiores sæpius coniungantur, tum inter se, tamen cæteris planetis maximè autem Luna, quæ in vno anno plusquam octuaginta peragit coniunctiones, in singulis autem mensibus saltem sex, Mercurius longè pauciores facit: si tamen circuitus Mercurij qui in vno anno perficitur ad Lunæ circuitum, qui in viginti septem diebus, cum triente comparetur, multò plures perficit Mercurius, quàm Luna ob frequentes retrocessus. iungitur enim in suo circuitu Mercurius cæteris planetis vicies & quater, aut circa à quo numero si dempseris 13. Lunæ coniunctiones, supererunt adhuc 11.

vt bis saltem singulis eorum copuletur. Veruntamen Soli & Veneri sæpius, reliquis tribus tantum semel in vno circuitu, qui proximus est quantitati anni iungatur. Horum causa de illius coniunctione, tanquam frequenti cum cæteris erraticis, agendum est, nam de Luna superius actum est, nunc verò quod ad Mercurium attinet Lunam ei comparabimus. Si igitur à Mercurio defluens Luna ad nullum feratur, & per vacuum cursus suos dirigat, & sit plena luminibus, faciet Grammaticos & Oratores, Medicos, Musicos, & qui commutatione solertiæ testium sciant syderum cursus, aut fœnoris, aut negotiationis officia tractantes, ex quibus occasionibus gloriam & substantiam de processu temporis consequuntur. Si verò fuerit minuta luminibus, ab humoribus vitia decernit, vt ex aquis graue periculorum discrimen indicit, aliorum mentibus nocet, aliorum obligat linguas, aliorum auribus nocet, sed hos omnes faciet alienos à literis, facit alios vaticinari: sed in templis alios ad templorum custodias sempiternas addicit, alios ministros facit, seruosque templorum. Si Luna ad Mercurium feratur, & ei se cursus sui radiatione coniungat, & sit plena luminibus, faciet cordatos, ingeniosos, oratores, summæ eloquentiæ, fulgentes: præsertim si Mercurius in opportunis genituræ locis in signis suis, vel in partibus suis fuerit inuentus, & cum Iupiter trigonica radiatione respexerit: tunc enim literarum merito & eloquentiæ splendore maxima illis conferentur insignia. Hi enim populi leues animo sunt, & turbulentos seditionibus concitatos, eloquentiæ suæ potestate compescunt, & furentes animos, & perditi furoris indignationibus concitatos orationis suæ possint licentia mitigare, scient computos, scient musicam palæstricam semper exercebunt, & cœlestium ac diuinarum disputationum secreta cognoscent, ex quibus occasionibus gloriæ substantia, & maximus illis decernitur principatus. Si verò ad Mercurium sic positum tali testimonio Iouis feratur Luna, faciet rationibus præponi, fisci semper aut populi, vel certè tales reddit quibus res deposita, vel à peregrinis rationibus credantur, faciet etiam his pecuniarum actus assiduis conuersationibus credi. Si verò deficiens Luna ad Mercurium feratur, faciet malignos, malitiosos, sceleratos, instabiles, cupiditatis errore dubios, & qui omnia consilia multiplicent, erratica semper dubitatione suspendat, & qui actus suos assidua commutatione conuertant, & qui res sibi creditas abnegant, vel absconsas publicare desiderent, & qui commissa sibi consilia publicent, his delationibus deferant, imposteros malitiosa semper cupiditate fallentes, aut qui cum effractoribus, aut cum furibus conscientiam iungant, vel certè ipsi erunt fures, aut effractores, erunt sanè corpore debiles, languidi, vitiosi, & quos semper malitiosis humoribus ægritudo comparata debilitet.

Circa verò principales & proprias coniunctiones, trium inferiorum duo esse obseruanda dixi, & tertium quòd Soli, Veneri & Mercurio conuenit. Propterea singula per exemplum in Mercurio explicabo, primum igitur est natura planetæ, cui iungitur per se, vel comparata ad Mercurium, per se beneficis bonum, maleficis malum, cum Sole exuritur, cum Luna ob fœlicitatem motuum mentis multa mala significat, tamen non est infœlix nato hæc coniunctio, sed potius his qui cum illo negocia tractant, per comparationem quoniam Mercurius nulli bene iungitur: luminaribus quidem & maleficis propter cuius dictas ac notas, sed beneficis etiam non quoniam domus eius sunt oppositæ domibus Iouis, & altitudo sua Veneris altitudinis. Et ideò iunctus Veneri dat amores fœdos, puerorum & rerum, & puerilium, & parui momenti, & musicæ nimium: & Ioui loco iustitiæ inducit amorem ambitionis, & tectam auaritiam, & loco prudentiæ calliditatem. Iuuat tamen maximè vt dicemus, secundùm quod obseruare debemus est, vt consentiant naturæ, & ideò cum nullo magis conueniat, quàm cum Saturno, quoniam conueniunt in trigono aëreo ♊, ♎, & ♒, & vterque habet ibi dignitates proprias Mercurius domum, Saturnus domum, & etiam altitudinem, & ita vterque captatũ. Ergo in his signis si fiat coniunctio ita, vt in ♊ fiat in finibus Saturni, aut in Libra, vel Aquario in finibus Mercurij erit potens, non tamen bona, nisi in illa causa puta sapientiæ: in cæteris nimis obumbrat talis coniunctio vires aliorum planetarum, optima quæ sint in Tauro, nam hoc signum est ex trigono domorum vtriusque scilicet, Virginis & Capricorni, & non est casus alicuius eorum. Et similiter locus in cœlo velut in angulis succedentibus & cadentibus, & in prima pertinet plurimum ad corpus & animum, in decima ad fortunam & dignitatem. In quarta ad diuitias, in septima ad coniugem & inimicos, & hæc duo vt dixi, conueniunt etiam Lunæ, sed tertium est magis patens, & proprium Veneri & Mercurio, & est vt consideres: gratia exempli Mercurium, quoniam habet quinque status, vnum quando est sub Sole, & tunc nihil potest aut facit, & reliqui quatuor diuiduntur, quia vel est in superiore parte parui circuli vel inferiore, & in vtroque orientalis à Sole aut occidentalis, & hoc dignoscitur quia sic oritur, ante Solem est orientalis, à Sole si occidit post Solem, est occidentalis. Si ergo est orientalis à Sole, vel occidentalis & motu auctus est in suprema epicycli parte, si tardus motu, aut retrogradus in inferiore. Considera etiam quod ab initio quartæ, per primam vsque ad culmen, decimæ tota illa medietas ascendit, à culmine decimæ, ad initium quartæ procedendo per septimam tota illa medietas descendit. Igitur his intellectis si Mercurius est orientalis à Sole, seu supra, seu infra, & in medietate ascendente est bonum & similiter, si in medietate occidentali à Sole, & in mundo bonum, sed non adeò: malum autem si occidentalis á Sole, & in medietate cœli ascendente pessimum, si à Sole fuerit orientalis, & in medietate cœli descendente, & hoc est primum. Secundum Si Mercurius fuerit orientalis: & in suprema parte tunc cum sit velocissimus omnium præter

ter Lunam, si Lunæ iungitur est malum, quia Luna tendit ad combustionem in cæteris, cum Sol eos superauit, ergo erunt ambo orientales, & aucti cursu, ergo erit optimum. Erit enim ille alter planeta quasi purgatus: sin autem in inferiore, & iam occurrit per motum tardum & retrocedendo, siquidem Lunæ idem dicendum est: præparat enim ad combustionem & est status pessimus, in aliis iam necessario superauit antea illum, igitur non est secunda coniunctio & est imbecillior prima, & quasi vmbra primæ. Ille tamen planeta est purus & validus, sit sit aliquis ex superioribus (nam de Venere idem vt dixi statuendum est, quod de Mercurio) erit ergo bona & debilis. At si sit in parte occidentali & superiori erit valida, quia est velox motu & altus, sed mala quia ille alter planeta post hoc occurret. Soli ideò est impurus & debilis, erit ergo mala & potens: sed si fuerit in parte inferiore necesse est, vt iam occurrerit antè illi planetæ, cum erat in parte superiore, & vt sit planeta ille imbecillis & impurus, & erit secunda coniunctio, mala quidem sed imbecillis & quasi imago primæ. Velut in nostra Genesi Mercurius retrocedendo iungitur Veneri, seu potius Venus Mercurio, & ipsa velocis motus, Mercurius autem retrogradus quare ipse erat in parte inferiore epicycli, & illa in superiore: cum essen ergo ambo occidentales, erat potens comparatione Mercurij, quia potenti iungebatur vt sit prima coniunctio, nam quæ præcesserat fuerat in Leone, dum essent ambo orientales à Sole, & inter vnam & aliam, & dicitur prima coniunctio orientalis, & est debilis comparatione ad Mercurium, fuit autem Venus valde potentior, quia ibi habuit etiam finem præter altitudinem. Mercurius autem trigonum sed principalem. Ideò talis coniunctio fuit bona ob hoc, & etiam quia inferiores non sunt imprimi, nisi cum sunt sub radiis Solis, non cum redeunt ad Solem. Venus tamen fuit purior quia recedebit à Sole, sicut si fuisset orientalis & tarda cursu, tunc enim est in inferiore parte epicyli & pura. Mercurius autem non fuit exquisitè purus, sed in superioribus planetis, cum iunguntur vt Mercurio, aut Veneri fit aliquando reciprocatio ex occidentali prima, ad orientalem secundam & maximè in Martem ob velocitatem motus ipsius velut anno 1573. ex 23. Aprilis in 21. parte Tauri, ad 15. Iulij, in 18. parte Cancri, ex orientali autem coniunctione non potest fieri, quoniam Sol cum Mercurio tantum progrediuntur, vt per retrocessum non possit redire ad coniunctionem, ergo raro duæ coniunctiones & nunquam tres esse possunt. In Ioue etiam & Saturno difficilius: oportet autem esse valde occidentalem planetam, vt possit interim donec Sol accedit, ad ipsa Mercurius retrogredi. Fingamus Solem etiam in initio ♈ Mercurio in 25. parte Arietis, & ibidem Iouem, aut Saturnum regredietur, Mercurius versus Solem, & iungetur illi in 23. diebus, eo autem in tempore Sol progredietur 23. partibus: igitur ista coniunctio fiet, in 23. parte Arietis aut circa. Saturnus autem & Iupiter, cum sint maximè directi, erunt vltra 26. partem Arietis. Saturnus parum Iupiter multum. Cùm ergo Mercurius sit velocior Ioue, & multò magis Saturno congredietur, iterum illis dum est orientalior Sole, quia iam Sol superauit illos. Manifestum est igitur quod Solis coniunctio, cum Mercurio necessario interponitur inter vnam coniunctionem & aliam, & quod secunda multis modis est validior prima. Et cum sit rarior euentus, est maioris significationis, raras enim causas rari affectus subsequi solent. Coniunctio autem Lunæ cum Mercurio, vel Venere occidentali est validior, quàm orientali, quia Luna gaudet semper, vt sit Occidentalis à Sole. Venus autem & Mercurius, etiam aliquando gaudent, cum sunt in superiori parte epicycli: ideò in hoc consideranda sunt reliqua, quæ faciunt ad bonum statum, aut malum, nam iuxta illud erit bona, vel mala, & valida etiam ratione Lunæ semper, ratione autem Veneris aut Mercurij, si fuerint in superiore parte epicycli, id est, aucti motu, secus imbecillis, liquet autem ex hoc fermè contrarias esse comparationes Mercurij, & Veneri inter se, & ad superiores, & etiam ad Lunam vt sint tres modi.

His constitutis dicamus quod si Mercurius & Saturnus in horoscopo coniunguntur, in diurna genitura absconsores pecuniarum, faciunt aduocatos, aut iurisperitos, aut scribas sed languidos & qui citò deficiant. Si verò per noctem in hoc loco fuerint constituti, seruos aut captiuos ex liberis facient, & tradent eos potentibus viris captiuitatis causa seruituros. Si verò in fœminino signo in horoscopo, scilicet Saturnus & Mercurius, partiliter in nocturna genitura fuerint inuenti, facient eunuchos, vel viros sine semine, qui coire non possint, turpes, infames, impudicos, cinædos. In secundo loco ab horoscopo Mercurius cum Saturno partiliter constitutus in diurna genitura faciet herbarios, medicos, & per quos hominibus sanitas comparetur, sed diuites etiam & famosos in actibus suis, erunt autem pro qualitate signorum frequentes oratores, aut potentum virorum. Si verò per noctem in hoc loco fuerint inuenti, facient mendicos, nudos, insanos, aut templorum seruos, frequenter etiam facient accusari, & in custodia constitui, lugubres tamen semper & sine filiis, & aliqua corporis parte debiles, aut quibusdam vitiis implicatos. In tertio loco ab horoscopo Mercurius cum Saturno partiliter constitutus, faciet vrnatores, aquas ex altis puteis leuantes, hortulanos, actores modicarum villarum, aut pollinctores, & funerarios, aut custodes mortuorum cadauerum, aut sepulchrorum faciet ianitores. In quarto loco Saturnus & Mercurius partiliter constituti, id est, in medio cœli faciet illicitarum & absconsarum artium magistros, aut earum conscios, & quiquotidianam vitam ex malis artibus quærant. Sed quidam sic habentes Mercurium cum Saturno, aut in custodia erunt, aut aliqua ratione damnantur, sed omnes actus secundùm naturam qualitatemque signorum, & secundùm rationem certarum stellarum

inueniuntur. In quinto loco ab horoſcopo Saturnus & Mercurius, partiliter conſtituti facient, eos qui ſi nati fuerint frequenter mutare, domicilia & annonæ; aut frumento rum aut locorum quorundam præpoſitos, aut gemmarum, aut margaritarum, aut aromatum, aut metallorum præpoſitos, facient etiam & ſacrorum cultores. In ſexto loco & in duodecimo ab horoſcopi loco, Mercurius & Saturnus partiliter conſtituti, eadem ſimili ratione decernunt. Si enim per dies in his locis fuerint inuenti, multarum doctrinarum ſcios facient, abſconſarum artium doctrina pollentes, & qui omnia quæ in rebus humanis ſunt velut ſcire, malitioſos ſanè & inuidos, & qui vitiis, aut valitudinibus implicentur. Per noctem verò in ſexto & in duodecimo genituræ loco partiliter conſtituti facient falſarum literarum auctores, ſceleratos, malicioſos, maliuolos, maleficos, & qui ſemper maximis malis, & neceſſitatibus implicentur. Sed in his locis ſuppoſitos Mercurium & Saturnum ſiue per diem, ſiue per noctem, Mars aliqua radiatione reſpexerit, aut per quadratum, aut per diametrum, ſine euitabili malo implicatos, homines publicæ mortis faciet animaduerſione puniri. In ſeptimo loco ab horoſcopo, id eſt, in occaſu Mercurius & Saturnus, partiliter conſtituti hæredes mulierum, & magnarum facultatum deſiderij, æſtuantes facient, atque amatores mulierum. Si verò per noctem in hoc loco fuerint inuenti, in omni conuerſatione vitæ miſeros facient, qui maximis debitis obligantur, vitioſos tamen ac debiles, erunt autem maligni, malitioſi, quidam tamen accuſati in cuſtodia publica conſtituuntur. In octauo loco ab horoſcopo Mercurius cum Saturno partiliter conſtitutus, proceſſu temporis patrimonij & honoris augmenta decernit, alij verò mortis alienæ cauſa patrimonia conſequuntur, valetudo tamen illis erit, aut de veſicæ calculo, aut de ventris vitio per noctem. Per noctem verò in hoc loco partiliter conſtituti, pauperes, proſcriptos, languidos, aut ruginoſos facient, quibus humores facient ex damno repetendos. Si Luna minuta luminibus ad Saturnum feratur, aut ad Martem plena. In nono loco ab horoſcopo Mercurius cum Saturno partiliter conſtitutus prophetas, aut veſtitores diuinorum ſimulachrorum, aut baiulos diuinarum cæremoniarum facit. In decimo ab horeſc. loco Mercurius cum Saturno partiliter conſtitutus, id eſt, in medio cœli alienorum patrimoniorum hæredes faciet, aut maximarum rerum inuentores, erunt interdum ſcribæ, aut actores, aut maximorum virorum procuratores, ſed ſi ſic eos poſitos & ſtella fortuna eos viderit, diuino ingenio faciet oratores, vel oratorum artium magiſtros, aut Grammaticos, aut his omnibus poteſtatibus, alicuius auctoritate præpoſitos, aut magiſtros ſtudiorum, aut magiſtros cenſuali cœleſtis reſcrutari, alij computos exercent, alij difficilium literarum aut inuentores, aut magiſtri erunt. In vndecimo loco genituræ Saturnus & Mercurius, ab horoſcopo partiliter conſtituti, hæc decernunt, quæ illos in quinto loco decernere diximus. In duodecimo loco genituræ Mercurius & Saturnus ab horoſcopo partiliter conſtituti, quid decernant ſextus genituræ, locus manifeſtus explicauit.

Mercurius cum Ioue partiliter in horoſcopo conſtitutus in diurna genitura, faciet claros, glorioſos, ciuitatibus præpoſitos, aut maximarum ciuitatum decem primos iuridicos, & qui prouinciis, aut ciuitatibus iura reſtituant; ſed qui iuſtis ſemper gaudeant cauſis. Si verò per noctem ſic fuerint inuenti procuratores, aut actores, aut negociorum præpoſitos: ſed magnorum ac potentum virorum niterdum facit ſcribas, rationibus, menſis, apothecis, negotiationibus præpoſitos, argutos verò ingenioſos, & quibus ex bonitate ingenio felicitas maxima conferatur. In ſecundo Mercurius & Iuppiter partiliter ab horoſcopo conſtituti, in diurna genitura facient hæredes alieni patrimonij ab extraneis adoptatos, fundorum multorum, & depoſitarum ſpecierum dominos, & quibus proceſſu temporis augmenta fœlicitatis maxima conferantur. Si verò per noctem in hoc loco partiliter fuerint inuenti ſtultiores facient, & quibus non ſit perpetua felicitas, & quos vitæ curſus ſæpiſſime ratione decipiat. In tertio loco ab horoſcopo Iuppiter & Mercurius partiliter conſtituti magos facient, ſed præclara ſemper bonitate pollentes, hymnalogos, aut deorum baiulos, aut cuſtodes templorum, aut qui religionibus homines incitent, & conſerent, & qui deorum monitu futura prænoſcant, aut ſacris certaminibus facient præpoſitos: hæc in nono loco ab horoſcopo Iuppiter & Mercurius decernunt, partiliter conſtituti. In quarto loco ab horoſcopo Mercurius & Iuppiter partiliter conſtituti, ex inuento cantuali & organi, facient aut curatores, aut tutores minorum, ſed qui mulierum curam tutionemque ſuſcipient. Quid verò quædam caſu inuenient, alij latentium theſaurorum vias norunt, ex quibus maxima illis fœlicitas comparatur. In quinto loco ab horoſc. Mercurius & Iuppiter partiliter conſtituti, & per diem, & per noctem eadem ſimili ratione decernunt. Plures enim poteſtates proceſſu temporis conferuntur, erunt autem in omnibus actibus feliciores, & quid volunt facilè conſequantur: hæc eadē in vndecimo genituræ loco pariter conſtituti decernunt. In ſexto loco ab horoſcopo Mercurius & Iuppiter partiliter conſtituti, per noctem & per diem, eadem ſimili ratione decernunt, ſi in matutino ortu fuerint inuenti, facient enim in omnibus negociis faciles rationales, aut cauſis aliquibus, vel certaminibus diſcuſſionibuſque, aut rationibus, aut negociationibus, aut quibuſdam religionibus præpoſitos, aut ex eorum redditibus facultates habebunt maximas: præſertim ſi ſic his collocatis in decimo ab horoſcopi loco aliqua ſtella fuerit conſtituta. Sed ſi Luna ſic feratur, vt his ſe ſua radiatione coniungent, & in decimo ab horoſcopi loco conſtituta, erunt diuites, affluentes multarum pecuniarum, aut multi auri domini, & qui poſſeſſionum fructus maximos conſequantur

sequantur felices. Beati & qui regum actus sua intercessione disponant, exactores regiarum annonarũ, vel pecuniarum fiscalium, prouinciis ciuitatibusque præpositi. Si verò diurna genitura ex sexto loco Ioue & Mercurio constitutis nulla stella in decimo ab horoscopi loco fuerit, inuenta mediocres, vitæ patrimonio & actibus faciet. Si verò per noctem sic fuerint inuenti reddunt negociorum interpretes & piscatores, aut augures, aut sculptores, aut laboriosis semper actibus impeditos, aut seruilia officia facientes, aut in talibus partibus positos, quæ grauibus odoribus, & grauibus sint sordibus squallidis, aut fullones, aut coriorum confectores, aut calegarios, aut lauarios, aut his similes. In septimo loco ab horoscopo constitutus partiliter Mercurius cum Ioue, id est, in occasu & per noctem & per diem, eadem simili ratione decernit: facit enim à mulieribus felicitates maximas conferri, & faciet publicis muneribus præpositos, & populorum & ciuitatum principes, aut decem primos longioris vitæ, & bonæ senectutis, & bonis consiliis ac moribus, qui bonas res desiderent semper, sed in nocturnis genituris minuunt, si sic Mercurium positum cum Ioue Saturnum de diametro, vel de quadrato respexerit, vel si cum ipsis fuerit inuentus. In octauo loco ab horoscopo, Mercurius & Iuppiter partiliter constituti in diurna genitura, si fuerint inuenti mediocres in vita facient, & qui ex quibusdam inuentionibus vitæ sibi præsidia comparent. Quorundam enim infamant iuuentutem, sed processu temporis mediocriter substantiæ incrementa decernunt. Si verò per noctem in hoc loco fuerint inuenti, aut inueniunt aliquid vnde habeant maximum vitæ subsidium, aut hæreditas illi non modica conferetur, & processu temporis maximis fœlicitatibus subleuantur, vitiosos tamen tempore & languidos facient. In nono loco Mercurius & Iuppiter constituti, hæc decernunt, quoniam tertio loco genituræ constituti decernunt. In decimo loco ab horoscopo Mercurius & Iuppiter constituti partiliter, magnos actus, & magnas administrationes, & magnas decernunt potestates pro mensura genituræ. In vndecimo loco ab horosc. Mercurius & Iuppiter constituti hæc decernunt, quæ decernere illos in quinta diximus loco. In duodecimo ab horoscopi loco Mercurius & Iuppiter partiliter constituti, si Mercurius matutinus extiterit, facit scribas Regis, aut Senatus, aut notarios & exceptores principum, aut ciuitates maximas tuebuntur, sed qui magna & frequenter offendant, & qui nouissimo vitæ tempore infœlicitatis onere prægrauentur, aut qui biothanata morte depereant, si sic positi in nocturna genitura, in diurna etiam genitura, quantumcunque in his actibus & in his officiis perseuerant, & non frequenter offendunt. Vespertinus verò in hoc loco cum Ioue constitutus tardiores actus, & sinistrum fatum dabunt, quidam verò popularibus actibus, aut laboriosis implicabuntur.

Si in parte horoscopi Mercurius & Mars partiliter fuerint constituti, in diurna scilicet genitura, anaphoricos, cardiacos fauent, & oligochronios, & infœlices, aut occasione mulierum, aut ex amoris illecebris, aut absconsis scripturis, aut de maleficiis, aut de falso damnari eos facient, & facient biothanatos interire. Si verò per noctem in hoc loco partiliter fuerint inuenti, facient magnos magnarum religionum præpositos, duces, aut prænuncios, aut protectores, aut felices imperatorum, administratores maximos, quibus ex euentu pugnarum maxima felicitas conferatur. Si verò sic per noctem positos Mercurium & Martem Saturnus de quadrato, vel de diametro respexerit, faciet periculosos & qui sæpissimè decipiantur, nam in omnibus impediuntur actibus. Sic enim constitutus Saturnus inertes, & sine arte faciet homines, & qui omni felicitatis onere prægrauentur. In secundo loco ab horosc. Mercurius cum Marte partiliter constitutus, in diurna genitura, natus exponi faciunt & si nutriti fuerint, faciunt aliqua ratione fugitiuos, facient frequenter exules interdum etiam captiuos faciunt, plerosque ex proscriptione, enudari quosdam tamen ex grauibus valitudinibus, aut fortibus vitiis implicant, alios biothanatos facient si Lunam plenam radiauerint. Per noctem verò si sic fuerint inuenti, facient malæ mentis malitiosos, obscuros, timodos & audaces, & qui in omnibus actibus decipiantur, sed actus eorum faciunt multiplices. Erunt enim aut publicani aut vectigaliarij, aut curiosi quosdam mente insanos, aut frenaticos facit. In tertio ab horosc. loco Mercurius & Mars partiliter constituti facient, aut ex segniciis, aut ex feriatis actibus vitæ habere substantiam: erunt autem tales vt futura prædicant, & qui semper conuersentur in templis, sed omnibus qui negociantur terribiles, & si nihil sciant, vel si nihil agant existunt, & qui processu temporis habeant fœlicitatis augmenta. In quarto loco ab horosc. Mercurius cum Marte, id est, in medio cœli partiliter constitutus pigros, humiles, in omnibus actibus, & in omni fortuna faciet, & cum affinibus assiduè exercebunt inimicitias, vt per ipsos parentibus, vel affinibus maximè semper inferantur insidiæ: erunt etiam fideiussores, & ex hac re maximis periculis quassabunt, & ad humilitatem paupertatemque deuenient. Quid cum illis contigerit illicitarum quarundam artium auctores erunt, vel sequestres, vel conscij in quibusdam comprehensi maximis periculorum laqueis implicantur, & damnationis animaduersionum plectantur. Alij in his calamitatibus constituti, magnæ ac longæ ægritudines inuersionibus opprimuntur: præsertim si Lunam sic positi de diametro, vel de quadrato viderint. Si in quarto genituræ loco Mercurius, & Mars & Luna per noctem fuerint inuenti, facient præpositos, tribunos, duces, potentes, administratores, sed biothanata morte pereuntes. in quinto loco ab horoscopo Mercurius & Mars partiliter constituti, fortes viriles, athletas, inuictos in omnibus certaminibus reddunt,

reddunt, sed qui ad varia loca domicilij gratia conferantur, & quibus de publico, aut de fisco iunctus, & annonæ maxima conferatur, sed in omni certamine superiores & terribiles aduersariis suis faciunt. In sexto loco & in 12. ab horosc. Mars & Mercurius partiliter constituti, hæc eadem simili ratione decernunt. Nam si per diem in his locis fuerint constituti, valetudines & vitia maxima decernunt, faciunt autem & in custodia constituti, & carceris habere notitiam, & ex quacunque accusatione damnari: aut enim appetuntur, aut deferuntur, aut falsis criminum conuentionibus oblegantur, à seruis enim & per seruos, aut seruilibus hominibus, aut ab his qui sunt criminis alicuius causa in custodia constituti appetuntur, aut deferuntur, & cum maximis tormentis, & cum maxima violentia & atrocitate depereunt: præsertim si in his constituti, loci Lunam plena ex aliqua parte prospexerint. Si verò per noctem in sexto vel 12. ab horosc. loco Mercurius cum Marte fuerit constitutus, facit multis debitis, aut multo vsurarum onere implicatos, & æstus animi vel interceptiones fecient, reddũt etiam pigros in omnibus actibus, & decernunt maximas accusationes & graues inuidias, sed quæ vt à seruis, aut propter seruos patiantur, alij cruciatores erunt seruorum, vt eos aut fame, aut plagis, aut tormentis, aut assiduis operum exactionibus defatigent. In actibus verò nunquam perseuerabunt qui in his locis Mercurium cum Marte habuerint constitutum, qui ab vno actu ad alium actum transferunt. In septimo loco ab horoscopo, id est, in occasu Mercurius cum Marte partiliter constitutus, si per diem in hoc loco partiliter fuerit inuentus, eos qui sic eum habuerint, mulierem aut vxorem suam manu propria interficere compellunt, aut propter mulierem, aut propter vxorem, aut propter amoris, cuiusdam præposteras cupiditates, semetipsos, aut alios interficient, aut propter talem aliquod amissum facient, in publica custodia, aut in carcere constituti, & ex ista accusatione damnari: sed generaliter quicunque missus est, Martem habuerint homicidia, & mortes in ipso pro signorum qualitate complentur, aut enim carassatores erunt, aut latrones, aut siccarij, aut piratæ, aut his similes & in his facinoribus comprehensi per seruatus sententiæ animaduersione plectuntur. In nocturna verò genitura sic positi, facient eos mulieribus iniustis actibus circumscribi, aut virginibus iungi, & ab his filios suscipere, & semper magnis vitiis inuolui. In octauo ab horosc. Mercurius cum Marte partiliter constitutus, si per diem sic fuerit inuentus, faciet nihil tale, sed nihil est eis quæ cupiunt consequi possunt & periculosos, & qui omne patrimonium funditus amittant. Quidam verò erunt insani ac furiosi, alij in custodia coniiciuntur, aut damnabuntur, & finiunt frequenter ratione biothanati. Si verò per noctem in hoc loco fuerint inuenti, de malis partibus, vel de malis officiis facultates sibi aliquas comparabunt, & per dies singulos malis ac nefariis actibus crescent: erunt fures, aut effractores, aut qui commendatas sibi res, aut fidei suæ creditas, obstinatis soleant, cupiditatibus obnegare, aut nefariorum facinorum inuentores vel executores: faciunt enim aut tortores, aut carnifices, aut proditores suorum, & ex istis artibus fortunarum ac facultatum sibi maximas substantias comparantes, sed mors eis cum violentia, aut cum quibusdam tormentis grauibus proueniet, aut moriuntur grauis insaniæ vitio laborantes. In nono loco ab horosc. Mercurius cum Marte partiliter constitutus, iniustos, irreligiosos, periuros faciet, sed cum isto mentis errore nihilominus ministros deorum, sed & hos ipsos deos quibus seruiunt spoliantes atque nudantes, qui templorum dominos ad prædam suam sociant: sed hæc maxime faciunt, si longè à radiis Solis inuenti fuerint, aut in suis inuicem signis, aut in suis inuicem partibus, aut in domo Solis arte hæc erunt. Si sic eis positis Luna, sed de quadrato, vel de diametro coniunxerit plena luminibus. In decimo loco ab horoscopo Mars & Mercurius partiliter constituti miseros, & inefficaces homines faciunt, delectabuntur autem assiduis nauigationibus & amatores erunt palestrarum, & qui vitam suam potentibus viris, aut regibus cuiusdam vitij vendant. Erunt cum macula ac vitio secundum qualitatem substantiamque signorum, sed semper Mercurius cum Marte partiliter constitutus in actibus publicis, aut in administrationibus, aut in occupationibus constituit, sed nunquam in ipsis actibus longa temporum continuatione perseuerabunt: aut enim impediti aut accusati admouebuntur, & frequenter iudiciis applicabuntur, & falsis interdum accusationibus opprimentur, ex quibus infortuniis ita eorum patrimonia dissipantur, vt graui onere vsurarum quatiantur, sed & sponsione, aut fideiussione aliqua grauibus damnorum, vel condemnationum generibus opprimentur. Si verò Iupiter Mercurio ac Marti partiliter positis aliqua se testimonij societate coniunxerit, aut si cum ipsis partiliter fuerit inuentus, magnos in omnibus actibus faciet, quibus multa negocia credantur, & qui simili modo & amittant substantiam pariter & quærunt. Si verò his Venus aliqua se radiatione coniunxerit, vel si cum ipsis pariter fuerit inuenta, faciet exactores imperatorum, qui annuas fiscalium præstationes repetunt, discursores rationales, & qui magna negocia tractare consueuerunt. Sed Mercurius cum Marte diuersa & multiplicis actuum, aut administrationum genera decernit, nam varietas hæc peruenit secundùm qualitatem substantiamque signorum. In Mercurij enim domo vel in Mercurij partibus constituti, faciunt amatores palestræ, vel athletas publicis certaminibus destinatos. In Martis verò signis aut in partibus constituti, pugnaces, armatores, armorum milites, venatores, libenter nutrientes feras vel ferarum præpositos, nuncios vel veridarios Regũ reddunt. In domo verò Veneris aut in partibus constituti, faciũt linteones, textores, tunicarũ, plumatarios, tinctores,

tinctores, aromata, aut gemmas, aut margaritas aliqua ratione tractantes.

In Iouis verò domo vel in partibus constituti, præpositos, tribunos, regiones aut ciuitates aliquas obtinentes. In domo Saturni vel in partibus constituti, scelerata ac facinorosa officia tractantes, facient enim tortores, carnifices, interfectores, delatores, proditores.

In Solis verò & Lunæ domo errarios, ferramentarios, statuarios, pelliones, coriorum confectores, ab igne aut ferro vitæ subsidia quærentes. Immutatio enim signorum diuersorum negociorum actus decernit.

In vndecimo loco Mercurius cum Marte ab horosc. partiliter constitutus, faciet perire semper in pugna, alios amatores palastræ faciet, alios armorum, sed fortes & consiliis, & qui ex omnibus actibus fœlices semper processus accipiunt. In duodecimo loco ab horosc. Mercurius & Mars constituti, maxima infortuniorum, & maxima calamitatis exitia decernunt. Nam qui sic Martem & Mercurium habuerint falsi crimen incurrunt, aut omnibus facinoribus malæ conscientiæ societate iunguntur, aut debitorum graui fœnore semper oppressi, cum iactura pudoris ad publica iudicia pertrahuntur, vt prauo cupiditatis ardore, si & religiosa fidei commertia polluentes, commendatas res abnegare conantur, vt ex ista perfidia, vel ex præcedentibus criminibus publicè contra illos sententiæ discrimen iniungat.

Mercurius cum Sole per diem partiliter constitutus in horosc. faciet reges, duces, potentes. Si verò in hoc loco fuerint partiliter inuenti, parum degenerem & ignobilem faciunt, erunt autem in artibus publicis, sed absconsis & miseris, secundum naturam qualitatemque signorum. In secundo loco ab horosc. sed cum Mercurio partiliter constitutus, augmentum patrimonij decernit, & aliquorum actuum ptincipatum. In tertio loco ab horosc. Sol & Mercurius constituti faciunt haruspices, somniorum interpretes, Medicos diuinos, augures, Astrologos, Mathematicos, & qui semper futura prædicant, sed quorum ars atque institutum ad omnium notitiam præferatur. In quarto loco ab horosc. id est in medio cœli partiliter Mercurius cum Sole constitutus, faciet ignobiles, & absconsarum aut illicitarum artium peritos, sed honestos & graues. Quum si sic positi fuerint in quarto loco geniture considerandum est, maximè in quo sint signo constituti, & qui sit eius signi dominus, periculorum est enim maximè si hi taliter positi in Saturni domo fuerint inuenti.

In quinto loco Sol cum Mercurio ab horosc. constitutus partiliter faciet nobiles, & qui omnia facilè perficiant, sed periculosos, & qui non habeant perpetuam fœlicitatem, & qui multos facili ratione decipiant. In sexto loco ab horosc. Mercurius cum Sole partiliter constitutus, laboriosos, pigros faciet, & quorum patres nesciuntur, orbos parentibus, tardos in actibus, & qui nihil consequi possint, si nulla stella in decimo ab horosc. loco fuerit inuenta. Si vero in decimo loco ab horosc. stella aliqua fuerit inuenta, diuitiarum ingenuitatis, & gloriæ insignia conferuntur, præsertim si beniuola stella in decimo loco fuerit inuenta. In septimo loco ab horoscopo Mercurius cum Sole partiliter constitutus, id est, in occasu: si per diem in hoc loco fuerit inuentus, faciet eis qui sic nati fuerint maximas res potestatesque committi, sed ipsos biothanata morte faciet interire. Si verò per noctem in hoc loco partiliter fuerit constitutus, faciet multa perpeti mala, laborantes, & quotidiano opere alimenta quærentes, & malis semper ac sordidis actibus occupatos. Erunt enim vetes aut sordidæ, aut squalidæ, aut graui odore, ex quibus artibus vigiliæ perpetuæ ab operationibus exigantur, quales sunt confectores coriorum, fullones, lanarij, pictores, coqui, & his similes, ipsos tamen facit othomaticos, & prima ætate vitiosos. In octauo loco ab horosc. Mercurius cum Sole partiliter constitutus faciet homines debiles, vitiosos, & qui facili ratione decipiantur, sed in hoc loco constituti, biothanatam mortem faciunt, & decernunt frequenter insanias. In nono loco ab horosc. Mercurius cum Sole partiliter constitutus, faciet exorcistas & qui laborantes domorum incussione homines remediis liberent, vt his artibus maxima illis vitæ substantia conferatur.

In decimo loco ab horosc. id est, in medio cœli cum Sole Mercurius partiliter constitutus, in his quibus gaudet signis, vel in quibus exaltatur, per diem totius orbis dominos faciet, at multis & maximis prouinciis potestatis, meritò propositos, præsertim si Iupiter eis bonum testimonium commodarit. In vndecimo loco ab horoscopo Mercurius cum Sole partiliter constitutus, in processu ætatis fœlicitatis augmenta decernit. In vndecimo loco ab horoscopo Mercurius cum Sole partiliter constitutus, pauperes, infœlices seruos facit, & qui semper in peregrinatione depereant.

Mercurius & Venus in horosc. partiliter constituti, in diurna genitura faciet scutarios, & protectores imperatorum, vel qui proprio ex cubitu, saltem principis seruant, aut qui per pecunias, & thesauros regios suis iubentur dispositionibus gubernare, & quibus huiuscemodi admirationum officia credantur: faciet enim musicos, choricos, & qui musicos modos facient, aut certè publicos magistratus, aut oratores, aut Grammaticos, aut legum inuentores, aut qui in numeris præsint. Si verò per noctem in horosc. partiliter fuerint inuenti, faciunt acutos, ingeniosos, & qui omnia quæcunque agere voluerint facilè consequantur. Erunt autem aut coronati, aut propositi sacerdotibus, aut sacrorum simulacrorum baiuli, & qui processu temporis augmenta dignitatis accipiant. Facient autem cuiusdam harmoniæ peritos, aut literis regis præpositos, sed quorum oratio ac sermo plenus sit leporis & gratiæ. In secundo ab horosc. loco Mercurius & Venus partiliter constituti in diurna genitura, facient multa negotia tractantes,

&

& qui in nobilibus actibus occupentur, sed in ipsis diutius perseuerantes amœnos,& gratos in vita operibus, ac moribus vitiosos, tamen ac libidinosos. Si verò matutini in hoc loco fuerit inuenti, facient per semetipsos patrimonia quærentes, fœlices litteratos, disciplinam aliquam musicamque tractantes lætos,& honestos, gratiæque splendore fulgentes. Si verò in nocturna genitura vespertinus in hoc loco cum Venere fuerit inuentus, magnas decernit facultates, & processu temporum maximarum fœlicitatum. Erit enim princeps ciuitatum, erunt legibus præpositi, & quibus maximarum prouinciarum cura mandetur, alij inueniunt aliquod vnde initia fœlicitatis accipiunt, aliis hæreditates maximè conferuntur.

In tertio loco ab horosc. Mercurius & Venus partiliter constituti, facient in sacris certaminibus esse victores, aut sacerdotes,aut prophetas, aut vestitores deorum,aut in templis maxima tractantes officia, aut præpositos sacerdotibus,aut sacris cerimoniis principes, aut legatos boni, aut institutionibus moribus, & quibus desideria sua secura ciuitas credat. In quarto loco ab horosc. Mercurius & Venus partiliter constituti, absconsarum literarum facient, peritos, magos, philosophos, & cœlestia spe tractantes, aut qui laborantes homines curent, & qui hominibus quibus genere prodesse consueuerunt. Matutinus verò cum Venere in hoc loco positus, à seruitute ad libertatem venire faciet, & ab ignobilitate ad splendorem nobilitatemque perducit, sed miserarum mulierum, aut seruilium, aut anum, aut virginum tutionem defensionemque suscipient,& qui propter has, actus varij generis appetant, actibus verò institutis, & negotiis, & negociationibus occupatos faciet, secundùm substantiam qualitatemque signorum. In quinto loco ab horosc. Mercurius cum Venere partiliter inuentus, maximas facultates processu temporis decernit, simili modò facultatum largitur insignia, & qui à mulieribus, vel ab vxoribus dona maxima, vel præmia consequantur, & qui potentibus viris notitia iungantur. In sexto loco ab horosc. Mercurius cum Venere partiliter inuentus, in diurna genitura de rationibus, vel de negotiationibus, aut de computo, aut de disciplina, aut de deorum redditu decernit, substantiæ facultates: præsertim si sic in sexto loco constitutus aliqua stella, in decimo genituræ loco fuerint inuenta, sed vxorem difficile consequentur: Nam erunt libidinosi & ex ista re quodammodo infames. In nocturna verò genitura si matutinus in hoc loco cum Venere fuerit inuentus ancillas, aut viduas, aut meretrices, matrimonij sibi gratia copulabunt. Actus verò habebunt laboriosos & seruiles, & circa aquam: si nulla stella sic his positis, in decimo ab horoscopi loco fuerit inuenta, quod si fuerit faciet proprio labore multa quærentes. Erunt enim peregrini negociatores, gubernatores nauclerij, & fabricatores auri. Vespertinus verò in hoc loco si cum Venere fuerit inuentus, cordatos, ingeniosos, musicos vel organicos faciet, aut tinctores colorum, aut aromatum, aut gemmarum, aut margaritarum mercatores faciet, quosdam muropolas, vel pigmentorum medicinalium inuentores, faciet sic positus frequenter præpositos metallorum, vt ex his actibus maxima illis subsidia facultatum conferantur.

In septimo ab horoscopi loco Mercurius & Venus partiliter constituti absconsarum valitudinum vitia decernunt, faciunt enim aut hepaticos, aut phreneticos,aut melàcholicas, & his similes valetudines, sed ab vxoris affectu semper alienos, & vsque ad vltimum vitæ tempus infames. Si verò per noctem in hoc loco cum Venere fuerit inuentus à mulieribus, vel ab vxoribus maxima illis diuitiarum substantia conferetur, & qui gradum processu ætatis grandes honores, & maximè felicitatis insignia consequantur, præsertim si non eos sic positos Mars & Saturnus ex aliqua parte respexerint, sed specialiter Saturnus. Nam si fuerint illis sic positis, Mars & Saturnus aliqua radiatione coniuncti, hæc quæ diximus in contrarium vertunt. In octauo loco ab horosc. Mercurius & Venus partiliter constituti, vespertini in diurna genitura inefficaces apocopos reddunt,& qui nihil agere possint, faciunt etiam laboriosis semper negociis implicatos, erunt vitiosi animo & corpore, & qui nuptias difficile consequantur, erunt steriles & qui sobolem generare non possint, morientur autem spatici, aut corroici, aut apopletici aut phrenetici. Per noctem verò in hoc loco partiliter inuenti alieni patrimonij faciet hæredes, aut alienarum facultatum sollicitudinem gerentes, sed bonos, benignos patresfamiliàs & quibus à mulieribus vel ab vxoribus plurima conferantur, alij quidem inueniunt quod illis ad omne vitæ subsidium sufficiat, & habebunt mortem repentinam, & sine dolore atque tormento. Matutinus verò cum Venere in hoc loco constitutus multa discentes, & omnia scientes perficiet, & inuentores etiam & quicquid volunt facilè consequantur: sed qui processu ætatis patrimonij augmenta percipiant.

In nono ab horoscopi loco Mercurius & Venus partiliter constituti vagantes mulieres dabit vxores, sed & ipsos artus lauari & magnificari facient, & quibus ex templorum officiis vitæ præsidia quærantur, faciunt enim aut sacerdotes, aut hos qui in templis constituti futura prædicant, aut aruspices, aut Astrologos, aut augures, aut magos, aut qui omnia explicare consueuerunt.

In decimo ab horoscopi loco Mercurius cum Venere constitutus publicos actus faciet, qui à populo aut ciuitatibus honorentur, sed qui de vxoris actibus infamia contrahant. Matutinus verò in hoc loco cum Venere constitutus modorum musicorum inuentores faciet, scilicet scenicos & publicis spectaculis destinatos: circa nuptias verò infelices, aut enim meretrices publicas aut scenicas, aut infames vxores habebunt, quidam & amatores puerorum erunt, & multarum libidinum vitiosis implicati voluptatibus.

In vndecimo loco ab horoscopo Mercurius

& Venus constituti, facient mulierum negocia tractantes, & quibus mulierum substantia credantur, vt ex isto actu maxima illis patrimonij substantia conferantur, sed postea in contrarietatibus aut in iacturis maximis constituantur.

In duodecimo ab horoscopi loco Mercurius cum Venere constitutus, si per diem sic fuerit inuentus, amatores faciet & ex amorum vitio laborantes perspicuos tamen & omnibus notos in his vitiis deferri, tamen propter hoc compellit ex ista damnatione damnari faciet biothanatos interire propter hæc animi vitia, quæ diximus. Si vero per noctem in hoc loco fuerint inuenti à mulieribus indignis multas faciet persecutiones, aut qui meretricem amoris instinctu comparare cogantur: mediante verò, & qui his actibus multiplicibus iusticiis occupati esse videantur, sed qui frequenter ab instituto decidant, & qui ab actibus ac negociis, aut à facultatibus suis frequenter soleant in rationibus decipi.

Quod ad generalia aut significata ☿ attinet in Ariete, Cancro, Leone & Virgine calorem adauget, sed non valdè hoc potest facere, nisi Marti misceatur aut sit combustus. Et in Aquario vespertinus idem facit, & in Cancro cum latitudine Boreali indicat ventos calidos, Et si non sit cum Marte & fuerit in radiis eius puta quod Mars fuerit, in decima parte Leonis, & Mercurius in duodecima Aquarij: & si non in loco imperanti & similibus velut etiam in eius dignitatibus, & Mercurium proprium cum per se fuerit est siccitas. Et cùm fuerit æquidistans Arietis signo, significat multam mortem mulierum & iuuenum: paucitatem piscium cum multo flatu ventorum fortium & siccorum, & multas nebulas cum vehementia caloris, & multitudine aquarum & præcipuè in parte occidentis, & cum paucitate annonæ, & panis & vini. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat corruptionem aëris: & si fuerit meridiana, significat commixtionem aëris, & quando elongatur à longitudine sua longiori, id est à Sole significat interfectionem in hominibus, & mortem quorundam nobilium.

Et dicit Haly, Mercurius in Ariete sub radiis tempestuosus est, vespertinus benè complexionatus: matutinus vel orientalis significat mundum aërem. Et secundum Albumas. si fuerit illi retrogradus significat infirmitatem aduenire, ex morbilis & variolis. Et dicit Albumas. Mercurius cùm fuerit æquidistans Tauro, significat interfectiones inter orientales & occidentales, & multos oculorum dolores, in parte orientis, & multam mortem nobilium ex ruris, & vehementia caloris, cum incessanti flatu ventorum, & bona aëris commistione, & erit destructio panis & vini cum multis aquis. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat mediam commixtionem aëris, & si fuerit meridionalis significat permistionem aëris. Et quando elongatur à longitudine sua longiori à Sole, significat mortem boum. Et dicit Haly, Mercurius cùm in Tauro sub radiis, tempestuosus, & vmbrosus, vespertinus bonæ complexionis, matutinus vel orientalis roridus & mundus. Et secundum Albumas. si fuerit illic retrogradus significat bonam aëris complexionem. Et dicit Albumas. Mercurius cùm fuerit æquidistans Geminis, significat cædem aduenire inter orientales & septentrionales, mortem nobilium & aliorum hominum, multitudinem bubonum, & bonam aëris complexionem cum multitudine vini. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis significat ventos, & caliditatem eorum, & si fuerit meridionalis significat siccitatem aëris. Et quando elongatur in longitudine sua longiori à Sole, significat mortem præpositorum & scriptorum sublimatorum, & multas mortalitates hominum, cum ægritudinibus morbillorum. Et dicit Haly, Mercurius in Geminis sub radiis, ventos excitat in mari & in terra, vespertinus desiccat, matutinus bonam commistionem significat. Et secundùm Albumas. si fuerit illic retrogradus, significat vtilitatem in hominibus & rebus suis. Et dicit Albumas. cùm fuerit æquidistans Cancro, significat interfectionem ex parte septentrionis, aut ex parte Orientis, & occidentis, & mortem hominum, & dolores vlcerum & morbillorum, cum multitudine ventorum & frigiditate aëris, cum paucitate annonæ, & destructione arborum & fructuum, & præcipuè in occidente. Et si fuerit latitudo eius septentrionalis, significat ventos calidos, & si fuerit meridionalis, significat illud idem. Et quando elongatur in longitudine sua longiori à Sole, significat rumores terribiles, & perturbationes in hominibus. Et dicit Haly, Mercurius in Cancro sub radiis, significat eleuationem viarum maris, vespertinus tranquillitatem facit, matutinus bonam complexionem & sanitatem inducit. Et secundum Albumas. cùm fuerit illic retrogradus non attribuitur ei aliqua significatio. Et dicit Albumas. Mercurius cùm fuerit æquidistans Leoni, significat multas infirmitates ex tussi, & dolores ventris, & vesicæ, & multam mortem præcipuè in parte occidentali, & cum casu nobilium & significat paucitatem commistionis aëris, & vehementiam caloris, & paucitatem pluuiæ, & destructionem arborum & fructuum, & seminum, & cum paucitate annonæ. Et si fuerit eius latitudo septentrionalis, significat flatum ventorum & caliditatem eorum, & si fuerit meridionalis, significat bonam complexionem aëris. Et quando elongatur in longitudine sua longiori à Sole, significat mortem quorundam magnatum. Et dicit Haly, Mercurius in Leone, sub radiis in occidente ventum inducit, vespertinus suffocationes facit, & matutinus serenum significat. Et secundum Albumas. si fuerit illic retrogradus significat multas tristitias, quas consequentur homines cum permixtionibus. Et dicit Albumas. Mercurius cùm fuerit æquidistans Virgini, significat multos oculorum dolores & infortunam in parte meridiei, & superabundantiam pluuiarum, & vehementiam ventorum calidorum & forte significat bonam

commi

commiſtionem aëris & multitudinem annonæ. Et ſi fuerit eius latitudo ſeptentrionalis, ſignificat ſiccitatem aëris. Et ſi fuerit meridionalis, ſignificat bonam aëris permiſtionem Et quando elongatur in longitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat caſum nobilium & mortem in hominibus. Et dicit Haly, Mercurius ſi fuerit in Virgine ſub radiis, procellas calidas ſignificat, veſpertinus ſiccitatem, matutinus eſt humidus, & benè complexionatus. Et ſecundùm Album. cùm fuerit illic retrogradus, ſignificat multos rumores terribiles. Et dicit Albumaſ. cùm fuerit æquidiſtans Libræ, ſignificat multitudinem ventorum, & fortitudinem eorum, & paucitatem annonæ & humiditatem aëris. Et ſi fuerit eius latitudo ſeptentrionalis, ſignificat paucitatem humiditatis & multas nebulas, & ſi fuerit meridionalis, ſignificat deſtructionem commiſtionis aëris. Et quando elongatur in longitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat permiſtiones aduenire plebi. Et dicit Haly, Mercurius in Libra ſub radiis, ſignificat fortiſſimos cōtrarios vētos, veſpertinus eſt benè cōplexionatus, matutinus ſēper humi dus eſt & vtilis. Et dicit Albumaſar. cùm fuerit retrogradus, ſignificat permiſtiones aduenire plebi & fortè minabūtur quibuſdā de cauſis.

Et dicit Albumaſ. Mercurius cùm fuerit æquidiſtans Scorpioni, ſignificat multas cædes in parte occidentis & ſeptentrionalis; & niues cum abundantia pluuiarum, vehemens frigus & quietudinem aëris, cum bona commiſtione aëris. Et ſi fuerit latitatem aëris. Et ſi, fuerit meridionalis, tudo eius ſeptentrionalis, ſignificat ſiccitudo ſignificat bonam commiſtionem. Et quando elongatur à logitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat rumores malos & terribiles & fortè cædem. Et dicit Haly, Mercurius in Scorpione ſub radiis tempeſtuoſus eſt, veſpertinus ſine pluuia, matutinus pluuioſus. Et ſecundùm Albumaſ. ſi fuerit illic retrogradus, ſignificat permiſtionem aduenientem militibus. Et dicit Albumaſ. Mercurius cùm fuerit æquidiſtans Sagittario, ſignificat proſperitatem regum infortuna & bella fieri in parte occidentis inter eos & meridionales, & paucitatem pluuiarum & niues cadere, cum bona aëris commiſtione, & erit paucitas panis & abundantia vini. Et ſi fuerit eius latitudo ſeptentrionalis, ſignificat ventos calidos, & ſi fuerit meridionalis, ſignificat altercationem aëris & bonam commixtionem eius. Et quando elongatur in longitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat mortem aliquorum regum & diuitum. Et dicit Haly, Mercurius in Sagittario ſub radiis multam pluuiam ſignificat veſpertinus ſine humiditate, matutinus bonam conditionem & ſanitatem ſignificat. Et ſecundùm Alaumaſ. ſi fuerit illic retrogradus ſignificat infortunia in parte montium.

Et dicit Albumaſ. Mercurius cùm fuerit æquidiſtans Capricorno, ſignificat cædem malam in oriente ægritudinem & mortem puerorum, & multas pluuias, & deſtructionem commiſtionis aëris, & ipſum declinare ad ſiccitatem, multos ventos orientales, multum mel cum multitudine annonæ. Et ſi fuerit eius latitudo ſeptentrionalis, ſignificat bonam aëris commiſtionem, & ſi fuerit meridionalis, ſignificat illud idem. Et cum elongatur in longitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat mortalitatem & mortem mulierum & nobilium. Et dicit Haly, Mercurius in Capricorno ſub radiis ſemper eſt pluuioſus. Et ſecundùm Albumaſ. ſi fuerit illa retrogradus, ſignificat laudabile equitantibus mari.

Et dicit Albumaſ. Mercurius cùm fuerit æquidiſtans Aquario, ſignificat multitudinem locuſtarum, cum bona commiſtione aëris & cum multo flatu ventorum. Et ſi fuerit latitudo eius ſeptentrionalis, ſignificat ſiccitatem aëris, & ſi fuerit meridionalis, ſignificat multas nubes ſteriles. Et quando elongatur in longitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat mortem ſenum & nobilium.

Et dicit Haly, Mercurius in Aquario ſub radiis niuoſus eſt, veſpertinus calidus & turbulentus, matutinus pluuioſus, Et ſecundùm Albuma. ſi fuerit illic retrogradus, ſignificat multas infirmitates aduenire hominibus. Et dicit Albumaſ. Mercurius cùm fuerit æquidiſtans Piſcibus, ſignificat mortem in meridiei parte multitudinem vermium & piſcium, cum multo flatu ventorum & fratrem eorum, cum bona aëris commiſtione & fortè declinabit ad ſiccitatem cum multis aquis. Et ſi fuerit eius latitudo ſeptentrionalis, ſignificat inceſſantem flatum ventorum humidorum, & ſi fuerit meridionalis, ſignificat mediam commiſtionem aëris. Et quando elongatur à longitudine ſua longiori, ſcilicet à Sole, ſignificat multam nauium ſubmerſionem in mari & fluminibus. Et dicit Haly, Mercurius in Piſcibus ſub radiis tempeſtuoſus & pluuioſus eſt, veſpertinus bonam cōplexionē, matutinus trāquillitatē & cōplexionē bonā oſtendit. Et ſecundùm Albumaſ. ſi fuerit illic retrogradus, ſignificat nocumētum aduenire nobilibus & vaſallis regum.

Præterea Mercurius ſi ſuper Saturnum in Ariete eleuetur, ſignificat illud idem quod Venus ſuper Saturnum. Si verò fuerit in Tauro, erunt oppreſſiones cum vehementi frigore. Si verò fuerit in Gemini, nihil ſignificat hic. Si verò in Cancro, erit pluuia pauca. Si verò fuerit in Leone, erit mors hominum nimia ſiccitas & locuſtæ pluuia mediocris, multæ aquæ & venti. Si verò fuerit in Virgine, erit vehemens frigoris cum inundationibus fluminum. Si verò fuerit in Libra, erit impedimentum inter Reges & magnates, pluuia ſuperflua mediocritas annonæ & meſſium, ventus mediocris. Si verò in Scorpione, erit bellum inter Reges, & bubones, & mors plurium animalium, pluuia ſuperflua & mortalitas magna. Si verò fuerit in Sagittario, erunt bella inter Reges pluuiæ mediocres, aquæ multæ & ventus inceſſans. Si verò fuerit in Capricorno, erit mors mulierum regum, apparentia bubonum in quadrupedibus, pluuia multa, ventus inceſſans & detrimentum herbarum. Si verò fuerit in Aquario, erit pluuia ſuperflua, multum

multum gelu, augmentum aquarum, fluminum, pauca tonitrua, eorum corruſcationes & augmentum meſſium. Si verò fuerit in Piſcibus, erit paucitas volatilium, detrimentum aquarum, ventus inceſſans, & pluuia ſuperflua.

Si verò eleuetur ſuper Iouem & fuerit in Ariete, erit temperantia pluuiarum & aquarum, cum vento inceſſante. Si verò fuerit in Tauro, erunt multa bella, cum multis humiditatibus, & flatu ventorum. Si verò fuerit in Geminis, erit contrarietas inter Reges, plures homines & interfectio. Si verò fuerit in Cancro, erunt miracula in pluribus climatibus, mulieres ſe bene cuſtodiri, diſperſio vaticinatorum pugna, cum multa pluuia & augmento aquarum fluminum. Si verò fuerit in Leone, in parte Orientis & in terra Babylonis, erunt multa bella & multi venti. Si verò fuerit in Virgine, erit multitudo ſapientum, pluuia ſuperflua, paucitas ſeminum, & herbarum & multæ inundationes. Si verò fuerit in Libra, erit mors Regum, multi latrones, interfectio mercatorum ab eis timor in multis climatibus ſiccitas, cum ventis calidis. Si verò fuerit in Scorpione, erit timor & bella in plurib. climatibus, & orientales pugnare cum ſeptentrionalibus ventus inceſſans. Si verò fuerit in Sagittario, erit pugna multa, timor, interfectiones, & combuſtiones domorum religioſarum, multæ pluuiæ, inundationes, cum deſtructionibus regionum. Si verò in Capricorno, erunt bella & diſpoſitiones, quorundam Regum à ſedibus, ſcandalum in pluribus regionibus, bubones mors in animalibus, vehemens pluuia, frigus, terræ motus fulmina, Si verò fuerit in Aquario, erit interfectio quorundam Regum & filiorum eorum, ſiccitas & multa pluuia, frigus, ſuperfluitas magna fluminum terræmotus & boni redditus. Si verò fuerit in Piſcibus, erit interfectio quorundam Regum & filiorum ſuorum, terræmotus, ſiccitas & fames in quibuſdam terris, cum pluuiis & ventis multis, & magnis inundationibus.

Si verò eleuetur ſuper Martem & fuerit in Ariete, erit pugna & deſtructio maior partis occidentis, ægritudines ex dæmoniis & febrib. & tuſſibus, pluuiæ mediocres, paucitas nubium vehemens calor, aqua pauca fontium, pauca meſſis. Si verò fuerit in Tauro, erit timor vehemens in diuerſis regionibus, pugna, deſtructio, impedimentum, mors in hominibus præcipue in viris. Si verò fuerit in Geminis, erunt bella, nocumenta, mors multa ouium, pluuia pauca. & frigus vehemens. Si verò fuerit in Cancro, erit mors hominum, cum vehementi terræ motu & calore. Si verò fuerit in Leone, erit pugna in multis terris, & præcipuè inter orient. & occident. cum multa effuſione ſanguinis inimicorum regum, multa detrimenta in pluribus regionibus, humiditas, pluuia ſuperflua cum terræmotu. Si verò fuerit in Virgine, erit timor in maiori parte regionum, & chariſtia vaticinantium, aquæ fluminum mediocres, cum temperantia earum. Si verò fuerit in Libra, erit multa nebula, multa pluuia ſuperflua, terræmotus, fulmina in principio temporis ei conuenientis paucitas in fine. Si verò fuerit in Scorpione, erunt bella, locuſtæ, corruptiones in eis, cum multis nebulis & pluuiis, & calore vehementi temporibus ſuis. Si verò fuerit in Sagittario, erit nimia mors ciuium occidentalium, locuſtæ ſuperfluæ, pluuiæ & venti deſtructio redditum. Si verò fuerit in Capricorno, nihil his ſignificat. Si verò fuerit in Aquario, erit multa humiditas, mors in hominibus, & combuſtiones plurium regionum, chariſtia aſinorum, pluuia ſuperflua, multi ventus, & multæ meſſes. Si verò fuerit in Piſcibus, erit multa mors hominum, pluuia ſuperflua & bella, interfectiones, multæ hæreſes, valor aſinorum, multa meſſis, ſuperfluitas ventorum & pluuiarum, mors ouium.

Si verò eleuetur ſuper Solem & fuerit in Ariete, erit temperantia fluuiorum, cum mediocri augmento aquarum. Si verò fuerit in Tauro, erit mors mulierum, pluuia, ventus temperatus. Si verò in Geminis, erit ſiccitas multa in pluribus climatibus, paucæ aues & beluæ, aquæ cum pluuia pauca & ſiccitate aëris. Si verò fuerit in Cancro, erit vehemens calor. Si verò fuerit in Leone, erit mors in ambulantibus, multæ locuſtæ cum ventis calidis. Si verò fuerit in Virgine, erunt multi redditus, multæ locuſtæ, multus ventus, multa pluuia. Si verò fuerit in Libra, erit ventus inceſſans, humiditas ſuperflua. Si verò in Scorpione, erit pluuia ſuperflua, & ventus inceſſans. Si verò fuerit in Sagittario, erit odium inter homines, venti & pluuia ſuperflua, humiditas multa. Si verò in Capricorno, erunt bubones in quadrupedibus, pluuia ſuperflua, ventus inceſſans. Si verò fuerit in Aquario, erunt bella & pluuia ſuperflua, ventus inceſſans. Si verò fuerit in Piſcibus, erunt bella & interfectiones regum, paucitas volatilium & piſcium, pluuia ſuperflua, ventus inceſſans.

Si verò eleuetur ſuper Venerem & fuerit in Ariete, erit pugna, multæ nubes & pluuiæ, & proficuum meſſium. Si verò fuerit in Tauro, erit bellum, humiditas multa, & forte temperabitur aër ventus inceſſans. Si verò in Geminis, erit bellum & odium in pluribus terris, multa mors impprægnantium, flumina multa cum ſuperfluitate aquarum. Si verò fuerit in Cancro, erit nimia mors, & præcipuè in, prægnantibus lippa & peſtis in hominibus, bella, deſtructio legum & eccleſiarum, cum multis humiditatibus & nebulis. Si verò fuerit in Leone, erit mors in pluribus climatibus, ſanguinis effuſio, cum multis latronibus, proſperitas aëris, mediocris calor tempore ſuo. Si verò fuerit in Virgine, erit caſus quorundam Regum à ſedibus ſuis, bella & rumores terribiles in hominibus. Si verò fuerit in Libra, erunt bella, mors & flumina in pluribus climatibus, & pluuia ſuperflua & aliquando temperata. Si verò fuerit in Scorpione, erunt bella & multitudo latronum, diſperſio, militum, inter orientales & meridionales, multitudo ventorum & pluuiæ ſuperfluæ. Si verò fuerit in Sagittario,

Sagittario, erunt bella in pluribus climatibus, multiplicabuntur infortunia, angustia, mors, cum pluuia, & vento temperato. Si verò fuerit in Capricorno, erit captiuitas & mors in pluribus terris, aborsus & mors Regum, frigus vehemens, & multa nebula, pluuiæ, casus, & mors peregrinorũ & diluuia. Si verò fuerit in Aquario, erit bellum, pluuia superflua, multa tonitrua, corruscationes, inundationes, detrimentum messium. Si verò in Piscibus, erit bellum, mors in quarta hyemali in hominibus, pluuia superflua & ventus incessans.

Si verò eleuetur super Lunam & fuerit in Ariete, erunt multæ pluuiæ, multi venti, & multæ aquæ. Si verò fuerit in Tauro, erit bellum in pluribus terris, cum multis pluuiis & inundationibus fluminum. Si verò fuerit in Geminis, erit siccitas multa in pluribus climatibus, paucitas piscium, cum flatu ventorum. Si verò fuerit in Cancro, erit humiditas aquarum & augmentum. Si verò fuerit in Leone, erit nimia mors in hominibus, locustæ & ventus incessans. Si verò fuerit in Virgine, erit ventus incessans. Si verò fuerit in Libra, significat meliorationem esse pluuiarum. Si verò fuerit in Scorpione, erit mors nimia mulierum pluuia superflua, cum multo flatu ventorum. Si verò fuerit in Sagittario, erit dissidium inter homines, & pluuia superflua. Si verò fuerit in Capricorno, erit humiditas multa, inundationes & pluuiæ. Si verò fuerit in Aquario, erit bellum, pluuia pauca, & ventus incessans. Si verò fuerit in Piscibus, erit bellum, detrimentum aquarum, & humiditas pauca.

DE LVNA

Vltimo loco Luna succedit quamuis vt dixi, Veneris visio in illius obscuriore parte dubitationem aliquam de ordine eius reliquerit, sed vt dixi ratio aspectus, cum propè fuerint, declarat Venerem Luna altiore esse positam loco, præterea enim motus velocitas, cum obseruatum sit, altiora quæque sydera tardius ex occidente in orientem moueri. At constat Lunam cum in viginti septem diebus. septem horis, quadraginta tribus. minutis, percurrat orbem signorum, eademque in totidem diebus, horis 13. minutis 8. paruum peragret circulum: constat nunquam neque in orbe signorum, neque in paruo circulo tardius moueri, quam quiuis alter planeta cum velocissimè mouetur Magnitudo verò eius ad oculum comparata, cum maximè prope terram fuerit, æqualis Soli est, tuncque solum temporis momento prorsus obscurare Solem potest, secus semper minor & ob id nunquam aliàs ne vel sic amplius momento ipsum obumbrare potest, vt ait Ptolemæus. Quocirca dimetiens est partis propè mediæ, id est, minutorum 30. eaque causa nomen luminaris sola, cum Sola promeruit, scilicet ob magnitudinem aspectus. Cùm præterea vel duo Canopi simul iuncti illius magnitudinem implere nequeant, habet & hoc peculiare, secundùm quod luminaris nomen meruit, vt sola in die quantumuis clara modò longius distet à Sole videatur. Tertium quòd lux eius adeò clara, densa & multa, sit vt in nocte non secus quàm in die Sol radij eius per angusta foramina, columnæ instar videantur, vmbramque efficiat manifestam, eademque efficiat vt homines negocia sua peragere possint, maximè cum plena luminibus fuerit. Quartum quòd in signis fit vultus illius imagine, cuius causam in libro Proportionum docuimus: licet præterea si non sit in coitu semper in nocte, atque dum est in opposito per totam, atque amplius fermè per horam. Gratia exempsili sit: Sol initio Arietis cum occidit. Luna verò in initio Libræ illucesset, ergo ab occidente Sole vsque ad orientem. Orietur autem Sol cum initio Arietis & occidente eodem: Luna verò tum erit in quarta decima parte Libræ, quæ antequam occidat, Luna rursus perficiet ipsam quartam decimam partem, adeò vt post ortum Solis per horam fermè & aliquando plus, vt cum fuerit in Aquario, Piscibus, Ariete & Tauro occidat. Habet igitur tres fermè dies quibus tota nocte luceat, seu quãto seu tãto tempore, quantum est noctis spacium, scilicet diem plenilunij proximè antecedentem & consequentem, sed in sequente prius nox incipit quàm ipsa videatur, potentior igitur est Luna in diebus antecedentibus plenilunium, quàm sequentibus, habita similitudinis ratione, scilicet vt proximus proximo, tertius tertio, atque decimus decimo comparetur. In singulis igitur diebus plenilunium antecedentibus noctis parte aliqua lucet, scilicet ab initio, licet non tota nocte, post plenilunium autem postrema noctis parte, licet non ab initio. Habent etiam facies diuersas, sola hac inter sydera plena quadrata falcata, cum est prope Solem, eaque parte luceat semper, quæ Solem respicit ante nouilunium orientali post nouilunium occidentali. Vera autem illius magnitudo est, vt sit globi terræ trigesima nona pars. Dimetientis ergo minor proportio quam septem ad duo est, tamen prope valdè, scilicet, vt posita diametro globi septem partium, Lunæ erit duarum cum decima fermè, quare vt septuaginta ad viginta vnum, & est etiam proxima ei, quæ est circumferentiæ circuli ad sua dimetiẽtem. Dimetiens ergo globi terræ & aquæ si circumduceretur Lunæ circumambiret ad vnguem. Anni eius maximi feruntur 520. maiores 108. minores 25. medij 39. certum est quòd in decemnouem annis prope locum, in quo fuerat, eadem die atque hora fermè redit, vt vix discrimen sit trium partium & est insigne. Quo fit vt vnicuique mortali quædam similia post 19. annos sint expectanda, velut ego anno 1543. discessi è patria, fugiens bellicos tumultus anno 1562. fugi è patria illius aspectum inuisum non sustinens, anno 1544. muneri profitendi Medicinam Papiæ addictus sum, anno 1563. eidem in septem annos Bononiæ pari ratione. Præterea Lunæ peculiare est vt in superiore parte feratur ab oriente in occidentem, contra ordinem signorum, in inferiore autem iuxta eorundem

rundem ordinem, ab occidente in orientem, neque ipsa, neque Sole vnquam retrocedit, quod commune est atque peculiare luminaribus, vt possit appellare octauum commune. Latitudo eius tam Borealis, quàm Australis est quinque partium ad vnguem & singulo mense peragrat, vtrunque ventrem & caput, & caudam. Mouetur autem circulus latitudinis per tria fermè, minuta singulo die, & aliquando plus contra ordinem signorum, adeò vt in decem octo annis & 223. diebus, qui sunt fermè nouem menses, & ideò dodrans circumagat totum orbem signorum, eo fit vt decimus annus rursum quid constitutum habeat cum singulis hominibus, sed maximè causa his, quibus Luna potens est. Anni ergo reditus primùm sunt, per circuitum decem nouem, & propter Saturnum trigesimus, qui comparatur primo, & quinquagesimus nonus, trigesimo, & sexagesimus trigesimo primo, atque secundo, atque ita deinceps nec non duodecimus propter reditum Iouis, atque iterum octauus propter Venerem, deinde singulorum annorum partes sibi inuicem respondent, sicut etiam in anno, vnde quidam mense Iulij alij Aprilis & eisdem penè diebus ægrotant, tristantur, negociis implicantur, & similiter consideranda tunc opposita loca. Contingunt enim in mediis circuitibus maximè potentes, & contrariæ prioribus actiones, vt sit exemplum in anno 22. facta obseruatione, plura quidem mihi similia contingent in trigesimo quarto propter Iouem & redditum locorum principalium atque insigniorum ad suum, puncta eadem & in 61. ob Saturnum, etiam in 51. ob Lunam bifariam, vt dictum est. Demum in 30. ob Venerem rursus contraria his in 26. ob oppositum Veneris in 28. ob oppositum Iouis in 37. ob oppositum Saturni. Non est autem idem in Luna ob causam dictam, atque enim peruenit prope oppositum suum in decimo anno, quoniam non est medium numero imparis. Iuxta hoc ergo, comparatione habita, anni ad annos sequentes, septem erunt consideratione digni. Quatuor similes tresque dissimiles lumen eius ad 12. partes circum circa extenditur, absis similiter ab oriente in occidentem in vno mense circumagitur, & ratione vt tantum recedat à Sole occidentem versus, quantum Luna à Sole versus orientem, ita fit vt tardiùs moueatur, absis ad occidentem, quàm Luna ad orientem quantum est motus Solis. Sitque Luna bis in mense in sua abside scilicet, hora mediæ coniunctionis & mediæ oppositionis eius cum Sole & similiter bis in opposito eius, cùm fuerit iuxta medias longitudines à Sole, id est, in quadratis, dextra atque sinistra. Quo fit vt Luna ea operetur, quæ in capite de Saturno dicta sunt, cùm planeta fuerit in opposito absidis eccentrici sui. Regit autem Luna tempus quod est à natiuitate, & vsque ad primos quatuor annos, ac meritò: mollissima enim sunt tunc corpora & humidissima & imbecillima, quo fit vt tutore indigeant potenti atque luminoso, vt calor eorum à cœlesti lumine foueatur. Verùm quia tam facilè ac repentè mutatur, delitescit, emergit, ideò in ea ætate accidunt multa præter spem, & vt repentè moriantur, & spe salutis destituti breui conualescent, atque multa talia eiusmodi domus eius Cancer, & exaltatio tertia pars Tauri, trigonos habet duos velut & Venus ambosque nocturnos Tauri, Virginis & Capricorni, vbi in nocte primas possidet partes, in die secundas, inde secundas habet in Cancro, Scorpione & Piscibus, primas nunquam, sed & noctu tantum vt dixi: vnde pimùm carpentum eius est in Tauro in nocte, secundum autem in Tauro de die & in Cancro de nocte gaudet, & in tertio loco fœminina est nocturna plebi præest, & his qui versantur circa aquas, & aquis ipsis, & quæ in eis degunt, maximè autem Cancris, & astacis, quorum corpora mutationem Lunæ sequuntur, & præ est mari, & æstus illius sequitur Lunæ motum, & dominatur his, qui sunt in aqua sicut Sol dominatur aëri, & quæ in aëre sunt, & maximè corporeis, præ est quoque cursoribus, natura verò calida est, & humida, & humidior quidem natura humana, cum verò non adeò calida sit, commodo frigida appellatur quo & Saturnus. Tres enim planetæ frigidi sunt Saturnus maximè, inde Mercurius occidentalis, pôst Luna, & Luna quidem gradu frigida est & vacua lumine. Mercurius verò frigidior est natura, sed mutabilis in contrarium tam lumine quàm etiam natura, verùm vt dixi mutabilis est, in vtroque Luna verò luminine tantum. Luna præterea defert omnes influxus & significata stellarum tam errantium, quàm inerrantium ad hæc inferiora, vnde cum ipsa bene disposita fuerit dimidium fermè totius secreti obtinet, circa ea quæ leuiora sunt, parum conuenit cum Marte & cum Sole amica Veneri & Ioui, mediocris cum Saturno & Mercurio, vbi à coitu Solis discesserit calida est & humida, post illius quadratum calida & sicca, ab oppositione frigida & sicca, vsque ad quadratum ab eo, & coniunctionem frigida & humida præest, præterea manifestè cerebro & quosdam morbos peculiares in eo decernit, præsertim commitiales, lunaticos & mobiles in opinionibus, & quam variis delectantur, & qui peregrinari cupiunt propriè significat.

Si ergo domina genituræ fuerit & bene collocata, facit homines magno corpore, & bene composito, stabiles honoratos, ordinatos, honestos, multo cibo, & pauco potu gaudentes, nihilominus aquosis locis, & itineribus, & vitæ varietate, & habitatione extra patriam, propriè autem significat morbos cutaneos, & serpentes, vt lepram, & impetiginem, & oculorum detrimenta, & cum malè disposita fuerit, affligit vxores, & filios ingratos, minimè officiosos, publica laborantes infamia.

Si Luna feratur in vacuo per vacuum, nec alicui stellæ radiatione coniungat, nec cardines beniuolum sydus obsidet, faciet pauperes, deiectos, & qui ab omnibus sint necessariis destituti, & quibus quotidianæ vitæ subsidia denegentur, & qui ad sustinendam vitam, semper aliena præsidia desiderent, & qui paupertatis angustiam, misera mendicatione

tione sustineant. Erunt autē à parentibus infamiis inferiores, corpus verò eorum debile, languidum, & assidua macie confectum, impugnabuntur malignis humoribus, & assiduo tumore vulnerum fatigabuntur, sed illis intra cutem malignus humor semper illabitur, articulis obligatus: præsertim si per vacuum currens, quam Græci cenodromen dicunt, ad Saturnum vel Martem quadrata, vel diametra radiatione pulset, vel si per vacuum currens, tertio natalis die à Marte vel Saturno, eadem quæ diximus radiatione fuerit pulsata, vel si maliuolæ stellæ, in cardinibus fuerint constitutæ. Verùm si sic currens, id est, per vacuum beniuolarum stellarum, fuerit radiatione coniuncta in prima ætate vacuos faciet semper & nudos, & assiduis faciet laboribus fatigari, & miseriarum assiduis rationibus quatit: maximis sudoribus, & maximis laboribus præsidia quærentes, & cum vicinos eos fœlicitatibus fecerit, à summo gradu caduca rursus facit deiectione delabi, & interdum vsque ad summum perductos, non patitur plenam apprehendere fœlicitatem.

Per vacua enim signa cursus suos dirigentes, primam ætatem facit miseris, ac variis infortuniorum casibus applicari, sed cùm animum & corpus graui infortuniorum continuatione quassauerit, & multis iuuentutem periculis fregerit, & hac atque illac misera peregrinatione pertraxerit, tunc multorum bonorum, & maximè fœlicitatis decernit augmenta, vt quantum primo ætatis infortuniis fuerit derogatum, tantum posteriori ætati fœlicitatis conferatur.

Si verò per vacuum currens Saturno, & postea se Marti coniunxerit, infœlices, lunaticos, caducos faciet, & qui prima ætate vsque ad nouissimam, vario infœlicitatis genere deprimantur, faciet pauperes, miseros, destitutos, & quorum corpus sit, malè pendentibus nudum, custodes sepulchrorum, & qui perpetua carceris pœna claudantur.

Explicatis coniunctionibus Lunæ, & diligenti significatione monstratis ad aliam interpretationem transferatur oratio, ipsius scilicet, Lunæ, ne quid à nobis in tam subtilibus disputationibus prætermissum esse videatur. Præsertim cùm tota vitæ substantia ex istius numinis cursibus colligatur.

Luna præterea in constitutionibus generalibus calorem non significat, nisi cum eleuata fuerit super Mercurium in Leone. Istud autem non est per se, nam quædam inueniuntur, quorum ratio non facilè est perspicua. Velut de Saturno, qui cum sit frigidus, eleuatur tum super Martem in Ariete, vel Geminis, vel Leone, vel Sagittario, aut Aquario, significat ventos calidos, & calorem etiam magnum, sed & in Piscibus calorem sine ventis. Et ita super Solem in Geminis, atque Scorpione, sed tempore suo, & super Venerem in Cancro. Sic Iuppiter super Martem in Piscibus calorem & siccitatem. Et super Mercurium in Geminis ventos calidos: vt supra eundem Mars si fuerit in Virgine, vel etiam Capricorno, tempore suo scilicet. Et Mars in Cancro & Aquario supra Solem, longè maiorem calorem, quàm in Ariete vel in Libra. Idem supra Venerem in toto trigono terreo, & in Cancro magnos calores efficit. Sed in Tauro & Capricorno tempore suo, id est, in æstate & initio Autumni: in Cancro autem & Virgine, dum ibi fuerit.

Mars in Ariete & Leone, significat calorem magnum tempore suo, in Cancro dum ibi fuerit. In Ariete aut Sol super Martem, vel in Libra, calorem magnum, tempore suo: Velut & supra Mercurium in Cancro, vel Leone, quanquam parum differat tempus eleuationis ab Æstate. In Geminis autem multitudinem ventorum calidorum.

Venus autem Martem in Virgine, calorem: valde auget super Solem in Leone, ventos efficit calidos, & super Mercurium in Cancro, calorem magnum in Æstate, quod etiam significat, in Leone & Scorpione, Mercurius super Solem in Cancro, vehementiam caloris in Leone, ventos calidos, at si ibidem fuerit validum calorem tempore suo, ista ergo contingunt, vel propter stellas, quæ ibi sunt natura æstate, sed non est perpetuum partim, ob quandam antiparistatim, sicut cum comparatur Saturnus, Marti vel Soli præcipuè. Sed & Veneri, & Mercurio per accidens, vel propter naturam mistionis.

Luna præterea (vt ad propositum reuertar) cum fuerit in Ariete, cum sola fuerit dominatrix, & fuerit eius significatio propriè super speciem humanam, significat cædes, inter Reges, & vulgum, & multa mala in hominibus, & latrones, multas angustias aduenientes regibus, propter inobedientiam militum, eorum eis multis guerris, & multum impedimentum ex lupis: bestiis verò quibus homines vtuntur eadem mors, & detrimentum. In aëre verò significat multas pluuias, & multas humiditates, & in aquis significat, multas inundationes, sed commiscetur eius significatio: cum signo Arietis quam dos est æquidistans ei, significat inundationes fluminum, & diminutionem annonæ. Et si fuerit æquidistans Tauro, significat multas tristitias, & siccitatem, & dolores, & nocumentum aduenire hominibus, & multas pluuias, & vehementiam frigoris, & diminutionem annonæ, panis & potus, & fructuum. Et si fuerit æquidistans signo Geminorum, significat multas mortalitates, in hominibus, & ægritudines, & bubones, cum superfluitate pluuiarum, & cum destructione in vino.

Et si fuerit æquidistans Cancro, accident motus, & itinera regibus, & erit siccitas, & fames in hominibus cum paucitate pluuiarum. Et si fuerit æquidistans Leoni, significat renouationem regni, & permutabitur Rex, de regione ad regionem, cum prosperitate esse plebis, cum eo multam bestiarum venditionem, & magnum prætium earum, & prosperam dispositionem fructuum.

Et si æquidistans Virgini, significat salutem hominum, & aliorum, cum vtilitate bestiarum, & multitudine pluuiarum, & annonæ, & potius, & messium, & fructuum. Et si fuerit æquidistans Libra, significat cædem,

dem, cadere in regionibus, & permixtionem in regibus, & mortem, & tristitiam, quæ aduenient hominibus, multum bellum, & locustas, diminutionem vini, cum detrimento annonæ.

Et si fuerit æquidistans Scorpioni, significat multas contrarietates,& commixtiones, & ægritudines, & mortem, & flagitationes, & bella in hominibus, cum paucitate aquæ fontium, Et si fuerit æquidistans,Sagittario significat excellentiam regum, & prosperitatem nobilium, & detrimenta aduenientia, viris religiosis ægritudines, & cædem, & detrimentum animalium, & præcipuè auium, & detur multum annonæ, & destruentur redditus hæredtatis. Et si fuerit æquidistans Capricorno, significat vtilitatem annonæ, & prosperitatem potus & victualium. Et si fuerit æquidistans Aquario, significat mortalitatem hominibus, multitudinem locustarum, & detrimentum redditus fructus arationis. Et sit fuerit æquidistans signo Piscium, significat ægritudines euenire hominibus, & eos euadere ab eis destructionem nauium, & multitudinem pluuiarum, cum vtilitate annonæ. Auctor verò nouem iudicum in prima parte versus, finem ponit plura notabilia de significationibus Lunæ, quæ scilicet,significationes eius concernunt quæstiones & interuetera dicit vnum notabile, & est dictum eius. Messa. dicit enim sic Luna quia plus stellis omnibus affinior terræ deseruit ad iudicandum,& ex sui similitudine inuenitur vtilior. Vides enim quòd vniuersa mundanorum generatio germinantium, & humanæ propaginis serius à modico incipit, plus hoc congruum suscipit incrementum debitum, nouissimè sic inceptum finem, nec aliter de Luna datur intelligi prospera, namque & fœlix vniuersa in sui prosperitate conseruat, corrupta corrumpit. In fortunis verò applicans cõtrarium iudicat. Item Luna propriam respiciens domum, & bene locata, negociis effectum tribuit, & fortunam significat.& si malè collocetur contrariũ significat.

Præterea Luna si super Saturnum eleuetur & fuerit in Ariete, erit mors, in quibusdam terris, & pluuia pauca. Si verò fuerit in Tauro, erit abortus prægnantium, paucitas messis, multæ pluuiæ. Si verò fuerit in Geminis, erunt multi milites, & pluuia superflua. Si verò fuerit in Cancro, erit abortus prægnantium, paucitas messis, pluuia superflua, humiditas multa. Si verò fuerit in Leone, erit abortus impprægnantium, pluuia multa, humiditas, & ventus. Si verò fuerit in Virgine, erit pluuia superflua, & multa humiditas. Si verò fuerit in Libra,erit mors, imprægnantium, humiditas superflua, & multæ messes. Si verò fuerit in Scorpione, erunt bella inter Reges, bubones, mors in pluribus bestiis, cum multis humiditatibus. Si verò fuerit in Sagittario, erit pugna inter Reges, & pluuia superflua. Si verò fuerit in Capricorno, erit humiditas multa, & superflua aquarum. Si verò fuerit in Aquario, erunt constructiones multæ, humiditas, & aquæ. Si verò fuerit in Piscibus, erit abortus imprægnantium, paucitas messis, pluuia superflua, & multæ humiditates. Si verò eleuetur super Iouem & fuerit in Ariete, erunt venti iuuamentum eorum pluuia temperata, & ægritudines hominum. Si verò fuerit in Tauro, erit pugna, siccitas & pestis, in multis terris, pluuiæ & aquæ multæ. Si verò fuerit in Geminis, erit humiditas multas. Si verò in Cancro, erunt multi rores. Si verò fuerit in Leone, erunt multi rores. Si verò in Virgine, erit bellum & mors in multis terris inter Reges, pluuia superflua, multæ aquæ, & aliquando siccitates. Si verò fuerit in Libra, erit humiditas superflua. Si verò in Scorpione, erit pluuia superflua, multæ aquæ. Si verò fuerit in Sagittario, erit humiditas multa & superfluitas aquarum. Si verò fuerit iu Capricorno, erunt multæ aquæ, & superfluitates. Si verò fuerit in Aquario, erit humilitas multa. Si verò in Picibus, erit superfluitas aquarum, & pluuiarum.

Si verò eleuetur super Martem & fuerit in Ariete, erit humiditas multa. Si verò fuerit in Tauro, erit humiditas, & frigiditas multa. Si verò fuerit in Geminis, erit pluuia superflua, & humiditas. Si verò in Cancro, erit pluuia multa. Si verò fuerit in Leone, erit altercatio, & diuersitas aëris. Si verò fuerit in Virgine,erit humiditas multa. Si verò in Libra, erunt multæ aquæ, & humiditates. Si verò fuerit in Scorpione, erunt tonitrua corruscationes, & fulmina. Si verò in Sagittario, ciues orientales interficient occidentales mors, locustæ, & aquæ, & humiditas multa. Si verò fuerit in Capricorno, erunt multæ aquæ, & inundationes. Si verò in Aquario, erit humiditas superflua. Si verò fuerit in Piscibus, erit humiditas multa.

Si verò eleuetur super Solem & fuerit in Ariete, erunt pluuiæ, & tonitrua, & fulgura. Si verò fuerit in Tauro, erit pluuia pauca. Si vero in Geminis, erit humiditas pauca. Si verò fuerit in Cancro, erit humiditas pauca. Si verò fuerit in Leone,erit humiditas superflua, & multæ aquæ. Si verò in Virgine, erit humiditas multa, & multæ aquæ. Si verò fuerit in Libra, erit pluuia superflua, & paucitas aquarum. Si verò fuerit in Scorpione, erit pluuia superflua, & paucitas aquarum. Si verò fuerit in Sagittario, erit aqua superflua, & multa humiditas. Si verò in Capricorno, erit humiditas superflua. Si verò in Aquario, erunt corruscationes, & tonitrua. Si verò fuerit in Piscibus, erit multa humiditas, & corruscationes.

Si verò eleuetur super Venerem & fuerit in Ariete, erit ventus meridianus incessans, humiditas multa, & præcipuè in quarta æstiuali. Si verò in Tauro, erit bellum, & mors regum, cum multis latronibus: abortus imprægnantium, precium asinorum, mors boum, tonitrua, corruscationes, paucitas messium, & seminum. Si verò fuerit in Geminis,erit flatus ventorũ. Si verò in Cancro, erit humiditas multa. Si verò fuerit in Leone, erit pluuia, & humiditas. Si verò fuerit in Virgine, erit pugna inter ciues, pauperes, & latrones, abortus prægnantium, charistia asinorum,mors boum,multa, humiditas aquæ

paucitas,

paucitas messis & seminum. Si verò in Libra, erit prosperitas pluuiarum, & humiditas multa. Si verò in Scorpione, erit pluuia superflua, & multa humiditas. Si verò fuerit in Sagittario, erit humiditas, & pluuia. Si verò fuerit in Capricorno, erunt bella, multi latrones, & abortus prægnantium, dispersio asinorum, mors boum, siccitas & paucitas seminum, & messium. Si verò fuerit in Aquario, erit pluuia superflua, & multæ corruscationes. Si verò in Piscibus, erit pluuia, & humiditas superflua.

Si verò eleuetur super Mercurium & fuerit in Ariete, erit pluuia multa, & ventus incessans. Si verò fuerit in Tauro, erunt multæ natiuitates hominum, detrimentum herbarum, cum mediocritate pluuiarum. Si verò fuerit in Geminis, erit pluuia temperata, & flatus ventorum. Si verò fuerit in Cancro, erit siccitas, fluminum mediocris, & ventus incessans. Si verò in Leone, erit mors hominum, humiditas pauca, ventus incessans, vehemens calor. Si verò fuerit in Virgine, erit pluuia, & humiditas mediocris. Si verò fuerit in Libra, erunt multæ humiditates, & inundationes. Si verò fuerit in Scorpione, erit pluuia superflua, multæ inundationes, apparitio stellarum communium in horizonte. Si verò fuerit in Sagittario. erit mors quorundam Regum, & ciuitatum, quæ sunt super littus maris aquæ & humiditas. Si verò in Capricorno, erit siccitas horizontis, & pluuia pauca. Si verò fuerit in Aquario, erit pugna inter quosdam ciues, & ventus incessans. Si verò fuerit in Piscibus, erit multitudo volatilium, & piscium, pluuia superflua & inundatio fluminũ.

Luna præterea & quiuis alius planeta, significat secundùm naturam propriam, velut Luna mutationes celeres, incrementa magna, varietatem euentuum, res ad speciem, plebeios, id est viles, pauperes, & imperitos, & fœminas, & pueros, & res parui momenti, & verba multa, & inconstantiam opinionum, & instabilitatem fortunæ, & tumultus. Et ita Sol cuncta diuersa ab his, vt res ordinata, diuturnas splendidas, à nobilibus, tractatas stabiles, tacitas. Et Saturnus, seruiles, seniles, cum timore sordidas, occultas, difficiles, laboriosas, contemptum, tractantium infœlices, quæstuosas, sed pauca tamen cum lucro, dolis plenas & inuidia, lentas, diuturnas, Veneris contrà fortunatas, lætas, sine suspicione, magni incrementi spontaneas. Et si idem planeta omnibus locis principalibus præfuerit, pluries finem suum nanatus cõsequetur, quia omnes illius actiones, ad idem tendent, & erunt vnius generis. Et cùm erit fortunatus in vna re, erit fortunatus in omnibus, & similiter cùm erit infortunatus in breui spatio, innumera infortuniorum genera experietur. Et si cui diuersæ præfuerint, non erit adeò efficax, & erit inferior illo, cui vnus tantum licet, habeat genesim fœliciorem, sed videbitur prudentior illo, quoniam erit similior cæteris: nam paucissimi sunt quibus præsit, vnus planeta omnibus locis principalibus & oportet etiam quòd sit benefica, aliter esset miserrimus.

DE COMETIS.

Cometæ sunt ex natura erraticarum & conueniunt in hoc, quòd magnitudo earum sit comparata magnitudini regionis semper, & persæpe habitabilis, si diu durauerit, diu supra terram manserit, euidens sit, & fulgeat multùm maximas mutationes significat, & semper maximas calamitates: sed calamitas vnius est fortuna alteri, ideò aliquando creditum est, quòd bonum significare possint, & semper significant siccitates immodicas, & calores nimios, ex quibus vel tum, vel pòst succedunt pluuiæ magnæ, & inundationes aquarum. Et quia exurunt humidum cùm sint naturæ igneæ, perimunt Reges & tyrannos, & Principes, & sapientes, & lautè viuentes, & ideò magnam partem hominum qui in pretio habentur, & quia torrent humores, ideò efficiunt in plebe magnas cogitationes ex quibus sequuntur facta incredibilia. Et multi corripiuntur melancholia & fiunt alieni à communi more viuendi. Vnde oriuntur seditiones & facta horrenda, & sectæ, omnes Cometæ mouentur motu diurno ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem, aut conuerso modo tanquam essent retrogradi. Et in latitudinem absque norma, vt motus eius sit adeò magnus & velox quandoque, vt ratione definiri non queat. Et significant maximè originem & culmen mali in loco ad quem cauda tendit. Et formæ ac figura varia est, & numerantur nouem præcipuæ: Vera & est valde longus & tenuis forma illius, & comitatur Solem, & est horribilis, & est mistus ex natura Saturni & Mercurij, & corrumpit fructus, & segetes, & interficit nobiles etiam ac Principes.

Cœnaculum est valde magnum, longum & latum, quasi quadrilaterum, & est naturæ Lunæ, & significat afflictionem generalem, & sine discrimine magnam plebis consumptionem seditionesque.

Pertica est longa valde & magis quam Vera, & minus lata cœnaculo. Et isti tres habent stellam in capite inde crines ex aduerso Solis, sed pertica habet crinem crassum, densum, rotundum, & significat paucitatem aquarum & sterilitatem. Si præterea fuerit cum Saturno morientur plebeij & senes, præsertim si cum Ioue reges & sacerdotes principales: cum Marte, bella magna & cædes fortium virorum: cum Sole reges primarij: cum Venere, siccitas & sterilitas maxima: cum Mercurio morientur sapientes, & dantes operam rationibus, & qui sunt à secretis: cum Luna plebs, & est naturæ Martis & Solis, vel Mercurij.

Miles habet sydus magnum vt Luna pro capite radiorum, & solet peragrare signiferum totum, & significat sectas & opiniones, & est naturæ Veneris, & significat etiam magnas siccitates, & significat fœmineum genus, & adolescentes, & sterilitatem.

Asconas est paruus, cœruleus, cum cauda longa, naturæ Mercurij, & significat bella, & mortes principum, & significat morbos acutos

acutos, etiam proditiones & tyrannides, ac mala tempora, velut proſcriptiones & ſimilia.

Aurora ſeu matutina eſt rubra, & habet rubram caudam longam, ſed non quantum aſconas & eſt naturæ Martis, & ſignificat æſtus & ariditatem ſqualores, famem, bella, incendia, & maximè in regionibus calidoribus.

Argentum eſt caloris argenti puri, fulgidi, adeò vt vix oculus illius ſuſtineat intuitum, & eſt naturæ Iouis, & ſignificat mutationem regni & vitæ, quæ licet bona ſit, fiunt tamen cum multa perturbatione, & quantum ſit ex ſe ſignificat abundantiam frugum, & neceſſariorum, & temperamentum aëris, & illius ſalubritatem.

Nigra eſt naturæ Saturni, & eſt color eius cæruleus, & ſignificat peſtem, & cædes, & mortem multorum.

Roſa autem eſt magna, & eſt inſtar faciei hominis miſtæ ex aureo & argenteo colore, & ſignificat mortes nobilium, & potentiorum, & mutationem in melius & eſt naturæ Solis. Et quando Cometes apparuerint cum eclypſi magna Solis præcipuè ſignificat ſucceſſus admirabiles.

Et ſignificata Cometarum ſumuntur à magnitudine à viſionis horis, à diuturnitate à figura (quæ iam dicta ſunt) à ſplendore & vigore, à loco motu à ſitu & aſpectu à coniunctione, cauſa, errantibus & inerrantibus ſtellis, à tempore & à fixe & de ſitu atque aſpectu iam dictũ eſt. Et tempus quidẽ trifariam diuiditur anni, vt in Autumno peſtem, in æſtate bella magis ſignificat, in Vene ſterilitatem, in hyeme ſuper aquas & ſiccitatem (licet & æſtiuè etiam ſignificat ſuper hoc (& ſuper hæreſes. Et ſi accidant vt dixi hora eclypſis plus ſignificant & plerunque exitium gentis, regni vel imperij, aut legis euerſionem: Et in tempore magnarum coniunctonum, tunc enim diuturna mala erunt ſubſidia, & mala, generalia & magis exitialia. Et diximus etiam quod ſi diu apparuerint & ad tempus etiam pertinent hora matutina, & occaſus. Et hic ſignificat mala in occidente & minus euidentia, vt morbos ſterilitatem terræmotus inundationes: ante ortum Solis autem bella imperiorum mutationes & legum, & res magis inſignes, quæ ad principes etiam pertinent. Idem dico de ſplendore & vigore, nam effectus erunt magis perſpicui, & efficaces, & in perſonis nobilioribus, & de rebus magis dignis vel vt honoribus, vita, potentia, religione, à magnitudine magni, & vt dixi maiorem partem terræ habitabilis occupabunt, vt contra ſi parui fuerint. Et à loco iuxta ſigna, vel extra Zodiacum: parem. n. ſignificabunt, & ſi in angulis, & quibus fuerint & quibus cadent parum aut nihil ſentient. Et ideò à magnis plurimi afficientur: participabunt enim angulorum natura in vnaquaque regione, at coniunctiones ſtellarum & loca ſigniferi, & tempus coniunctionis etiam aliarum ſtellarum inter ſe oſtendent naturam effectus, & ſi ſint extra Zodiacum non erunt generales orbi quia planetæ non opitulantur eis. Et ſi ſint magni ibi terrebunt orbem & concutient, ſed nõ obtinebunt. Et cum euanuerint magnitudine & vigore ſignificant rem non perpetuam, & ſi magnitudo deficit vigor manet, diutiùs durabunt effectus, & ſi diu durauerint quaſi æquales & non deſinunt, ſed abſconduntur vel ſub terra & erunt maiores adhuc & diuturniores effectus, ſed maximi & perpetui, ſi ſub Sole tanquam redditurі: & repentè etiam ſi deſinant, & motus celeritas incrementi velocitatem oſtendit.

DE FIXARVM STELLARVM qualitate.

OStendam autem per exemplum ſignificata fixarum non omnium, ſed trium tantum præcipuarum, & quarum obſeruatio fuit, in præſenti anno & ex his vna eſt, hircus primæ magnitudinis naturæ Martis & Mercurij, in auriga cum latitudine Boreali par. 22. min. 30. & contigit, vt die 26. Maij fieret coniunctio Solis & Lunæ, ſex horis poſt meridiem in 15. par. Geminorum vnde Sol & Luna fuerint, in ſeptima domo, vnde cùm ſit ſtella pluuioſa abundarunt pluuiæ per duodecim dies, adeò vt magnam iacturam fecerint, videreturque tempus hybernum & erat tempus frigidum, quia ibi erat Mercurius loci dominus, & Saturnus in Virgine radiis quadratis illum pulſabat, & fuerunt ſine tonitruis & fuit res mira eo tempore, & Saturnus tunc fuit in principio ſuæ directionis, ſcilicet tardus motu & Borealis deſcendens. Luna verò fuit meridionalis, deſcendens, cùm ergo iſtud tempus permanſiſſet vſque ad triduum ante oppoſitionem ſequentem luminarium, & facta fuſſet oppoſitio in tempore ſereno die 9. Iunij, factum eſt, vt die duodecima eiuſdem cùm Sol primo ingreſſus eſt Cancrum, vt Venus opponeretur Ioui. Erat autem Venus in tertia parte Geminorum cum lampade quam aliqui vocant Palicium, & ponitur naturæ Martis, & cumque ſit non eſt hic locus diſputandi cuius naturæ ſit, ſufficiat ſcire quod & ipſa pluuioſa eſt, cum latitudine meridiana partium 5. Iuppiter autem fuit in tertia parte Sagittarij, cum ſtella ſecundæ magnitudinis, quæ dicitur cor Scorpij, latitudinis quatuor partium, naturæ Iouis & Martis, & è Sole ex inſignibus ſtellis in cœlo, & maximè contentis in Zodiaco ſunt oppoſitæ. Sunt autem ambæ noſtra ætate paulo poſt tertiam partem ſui ſigni, adeò vt non differant vel vno minuto, ita ſunt ad vnguem oppoſitæ, & cum Iuppiter erat ſeptentrionalis deſcendens, & Venus meridionalis aſcendens, tantundem fermè ad vnguem, adeò vt eſſet exquiſitiſſima oppoſitio, & cum motibus contrariis & fuit res mirabilis: & ſi quis rectè conſideret fiunt ſex, magnæ habitudines, & principales. Prima eſt coniunctio Veneris cum lampade ſecunda eſt oppoſitio Veneris cum Ioue, tertia oppoſitio Veneris cum corde Scorpij, quarta oppoſitio lampadis cum Ioue, quinta oppoſitio lampadis cum corde Scorpij quamuis illa ſit perpetua. Sexta eſt coniunctio cum corde Scorpij,

ſecutæ

ſecutæ ſunt igitur pluuiæ maximæ his temporibus, quæ perdurarunt cum frigore fermè vſque ad oppoſitionem luminarium ſequentis menſis, & manifeſtum eſt quod Iupiter fuit dominus vnius loci, & Mercurius alterius, & Mercurius erat orientalis à Sole, valde diſtans ab eo, Iupiter autem maximè retrogradus, & ideò in imo epicycli, & ideò ſignificauit pluuias, & fuerunt tum multæ, & aſſiduæ, vt corruperint fœnum & frumenta, & fuit annus cunctis hominibus admirabilis, & talis conſtitutio poteſt dici fuiſſe in quouis angulo apud omnes gentes, ex eo quod fuit Veneris & Iouis, quorum diametri ſunt pluſquam octo minutorum, & motus Veneris erat trium minutorum in hora, & ideò oppoſitio corporea durauit ſaltem tribus horis, & quo ad Iouem comparatum ad ſtellam ipſa fuit diuturnior, & incepit die 39. Maij, & durauit per pluſquam vnam diem, quia oportet coniungere duos diametros: & ideò oppoſitio etiam Veneris & Iouis perdurauit ſaltem per pluſquā quinque horas. Modo examinemus ſingulas. Venus cum lampade, efficiebat apertionem portarum ad pluuias, & hoc fuit principale. Venus in oppoſitione Iouis, ſignificabat tempora humida, & temperata, propter retroceſſum Iouis etiam pluuias. Omnis enim planeta retrogradus qualiſcunque fuerit, eſt aptus ad faciendum pluuias. Rurſus Venus in oppoſito cordis Scorpij ſignificabat apertionem portarum. Oppoſitio verò fixarum non habet vim primùm nouam, cum ſit æterna, neque etiam poſſunt imprimere rationem effatu dignam in hæc inferiora, niſi per congreſſum planetarum, velut neque illi, niſi per Solem, aut Lunam, aut valde parum: vix tamen illa fixarum eſt valde magna, & mala. Coniunctio verò Iouis, & oppoſitio cum ipſis fixis ſtellis, & in loco cui dominabatur, potius ſignificaſſet ſerenitatē, quàm pluuias niſi fuiſſet retrogradus. Permanſerunt igitur tempora illa non ſolum pluuioſa fermè per menſem cum dimidio, ſed tota fermè æſtas fuit nubiloſa, adeò vt neſcires vnquam quando pluere non deberet. Nihil aliud autem reſtat, niſi vt geneſim (pro exemplo prædictorum) quam his diebus conſcripſi pro nobili viro, ſubiiciam, quæ eiuſmodi eſt. Nam & cùm Venus in initio Leonis, ad Iouis trigonum rediiſſet, die penultima Iulij eiuſdem anni, & Iupiter fuiſſet prope ſuam ſtellam, quoniam retrocedendo ad primam partem Sagittarij peruenerat, & iam ſteterat, & progredi vel modicum cœperat, tempus nubiloſum cœpit, cum leui pluuia iuxta montium cacumina, & ſpirauit Cæcias, & poſt diem validior, fuitque Iupiter Borealis deſcendens, Venus autem Meridionalis aſcendens, penè in ſuo capite, coniunctio igitur in orientis parte.

Horum igitur omnium cauſa breue ſubieci exemplum in Geneſi illuſtris viri, quæ eſt huiuſmodi.

LATITVDINES.

♄	M. A.	0.	14.
♃	S. D.	0.	35.
♂	M. A.	1.	11.
♀	S. A.	0.	20.
☿	M. A.	2.	20.
☽	M. D.	0.	16.

♄ Cum Cane minore M.pr.mag.16.0.♂.
Et cum capite Gem.ſeq.ma.ſec. S.6.15.♂.
Oppoſ.lum.fuit enim Dim. ♋. 23. 0.

	Dom.	*Ex.*	*Trin.*	*Fin.*			
☽	♃	♂	♀ ☿				
♃	♃		☉	♃	♃	Al.	♁
♂	♀	☽	♀	☽	☽	☿	
☉	☽	♃	♂	♀	♃	Al.	♀
♀	☽	♃	♂	♀	♃	Al.	♀
☿	☽	♃	♂	♀	♀	Al.	♃
☽	♄		♄	☿	♄	Al.	♂
☉	☉		☉	♃	♄	Al.	♂
Aſcen.	☿ ☿		♀	☽	♂	Al.	♄
Ex M.	☿		♄	☿	♂	Al.	♀
Op. ☽	♃		♂	♀	♃	Al.	♀

Dom. Fig. nullus.
Diuitiarum domo ☉. cum partic. ♂.
Animi qual. ♀. cum partic. ☽, ♃ & ♂.
Fratrum ♈ 19. quæ obſidet ♄, quadrato.
Filiorum ♊ 30.
Exiſtimationis & dignitatum.
Mortis ♌ 30. ♍ 19.
Reliquorum planetarum nullus poteſt dici verè eleuatus, & ſi hora eſſet aliquanto tardior, neque ipſe ♃.

Profect. Loca principalia.

△	♈	19	vſque ad 30.
△	♉	19	vſque ad 30.

1533. die 8. Iulij, hor. 21. mi. 3. poſt merid.
Altitudo Poli 44. 20.
M. D. R.

♌ 28. ♋ 27. ☉ 25. 50. ♀ 20. 20. ♄ 18. 24. ☿ 7. 52. ♊ 20. ♉ 14. ♂ 10. 46. ☉ ♈ 25. 48. 15. ♓ 22. ☽ 29. 38. ♒ 28. ♑ 26. 43. ♑ 27. ♐ 20. ♃ 18. 31. ♏ 14. ♎ 15. ♍ 22.

	△	♊	19	vſque ad 30.
Apheta patris & matris.	△	♌	19	vſque ad 30.
	△	♍	8	vſque ad 11.
	△	♏	19	vſque ad 30.
	△	♎	19	vſque ad 30.
	□	♍	8	vſque ad 11.
	□	♑	8	vſque ad 21.

Vita & morte violenta.

♄ velox. longit. Med.
♃ Ret.lon.M.Tertius in fig.
♂ velox. longit. Med.
☉ Tardus apog.ſec. in fig.
♀ velox. Apog.
☿ Tar.lon. M.Prim. in fig.
☽ Tardus, prope lon. Mediam.

Loca Principalia rursus Cœli med. pro negotiis.						*Horaria tempora.*			*Different.*	*Ascens. Recta à C.M.*
					♄		18	55	79	7
					♃		19	4	30	49
					♂		17	30	178	23
					☉		18	40	319	13
					♀		18	50	38	14
					☿		19	9	32	53
					☽		13	6	19	28
					☉		16	39	252	39
♃	△	♄	♀	□	♈	19	16	11	304	47
♄	♀		*		♉	19	17	57	298	24
♃			☍		♊	19	19	5	327	24
♃			△		♌	19	17	33	358	55
♂		△	☿	*	♍	8	16	23	62	20
♃	□	♄	♀	*	♍	19	15	45	80	34
♃	*	♄	♀	□	♎	19	13	49	90	47
♂	☍	☿	△		♏	8	12	37	118	24
♂	△	☿	☍		♓	8	10	50	136	29
♄	♀	☍			♑	19	11	6	198	36
♂	*	☿	△		♓	8	13	30	211	28
									260	34

Nota quod vbi genesis esset aliquando tardior, Iupiter exiret ex angulo, & pars fortunæ ex proprio signo, & Luna ad confinia Piscium, propter dimetientis magnitudinem, adeò vt tangeret.

Figura patris ex filij Genesi.

Mars eleuatus in figura.

DIRECTIONES.

☿ ad ♄. 11.6. ad ♀ 13. 6. ad ☉ 19.8. ad ☽. ☍. 56.0. ad ♃ A 44. 10. ad ♂ A & ☿ * 63. 50. ad ♃ □, & ♄ ♀, *. 75. 0.

☉ ad ♃ △, 26.0. ad ♂ A & ☿ * 46. 7. ad ♃ □, & ♄ ♀ *, 58. 0. ad ♃ * & ♄ ♀ □, extra vitam.

☽ ad ☿ A 9. ad ♄ A 23. ad ♀, A 26. ad ☉ A 13. ad ♃ □ 24. ad ♄ ♀ □, 58. ad ☉ 67.8.

☉ ad ☿ * 10. ad ♂ □, 14. ad ♄ ♀ * 23. ad ☉, * 32. ad ♃ ☍, 64. ad ☿ extra vitam.

Cœli Med. ad ♃, △ 62.4. ad ☿ 19.6. ad ♀ 32.10. ad ♄ 30.10. ad ☉ 38.9.

Ascendens ad ♃ *, & ♄ & ♀ □, 35.5. ad ♂ ☍, & ☿ à 64.9.

Figura matris & fratrum ex filij Genesi.

Significator ergo fratrum est 19. pars ♈. Ibi enim est à ♃, & ♊, Veneris in Cœlo medio.

DE

DE PARTIBVS, NVMERO, sexu, naturali forma & nutritione.

HÆc omnia iam nota sunt ex visis, præterquam de parentibus causam reddere expedit. luminaria salua à maleficis, maximè ob Venerem, & etiam remota ab angulis, & dominus ascendentis orientalis, & masculinus, & luminaria in signo vnius corporis. Sol cum Saturno infœlici imbecillem patri vitam significat, & cum peruenit ad quadratum Martis, mortuus est ex dissectione lapidis in vesica, & aliquid significauerunt Saturnus & Venus, vt dixi, cum Sole de hoc,& opportuisset videre figuras aliorum fratrum maximè primi & vltimi. Mater verò quæ per Venerem significatur, & ipsa imbecillis vt liquet & Luna cadit in octauo loco cum nodo australi.

De fratribus.

Plures illi sunt fratres vt ex constitutione apparet, & mediocris inter illos, & cum illis concors, & vnus clarior, qui per Solem dominum 19. partis Arietis significatur.

De spatio vitæ.

Apheta Sol & ascendens, vbique Mars multiplici ratione Anæreta,in 24. annis in 47.in 36. & 65.

De corporis forma & corp. vitiis.

Erit crispis capillis, magnus flauus, & ascendens & vix euadet, quin vitium in sinistro oculo patiatur, ob Lunam in apice sexie,nisi sit tardior.

De Animi qualitatibus.

Luna Mercurium irradiat ipse Dominus ascendentis & potens præsunt locis. Iuppiter, Luna, Saturnus, ideò ingenij qualitates, & studiorum, & morum elegantiam ostendunt, hacque in parte præclarus erit, amabit occulta & diuinationem. Erit in quibusdam adeò pertinax etiam leuibus vt mirum aliis videatur in reliquis probandus.

De opibus & quodam singulari.

Erit non solum diues, sed diuitiis clarus ob Solis statum, & Iouis ob concredita & præfecturas, ac sacerdotia & successiones, quas optiones vocant aderunt & hæreditates. Atque hæc si eiusmodi fuerit genesis, sed tum timendum est maximè à 58. anno, cum 19. partem Arietis Luna peruenerit, & cùm ibi dominus ascendentis reditus fuerit, ne in melancholiam decidat. Quòd si contra caruerit hoc malo haud erunt opes illustres, sed vix mediocres, quoniam domini earum erunt, Venus atque Luna cadens sub terra & solitaria altera infœlix. Tardior verò hora vel quarta parte, Lunam, ad Pisces sortem ad Tauri signum Iouem, in casus locum ab angulo deducit. Ita nihil ex quaque parte beatum. Si ante quartam horæ manebit, hic idem status.

De honore & statu.

Plusquam mediocris propter errones orientales à Sole & in angulo, non tamen valdè illustris ob Solem, qui est in signo fœminino, nec in angulo, Luna verò etiam ab illo cadit & solitaria est, si paulò tardior multiplici ratione, quo ad hanc partem melior esset vt liquet, non nihil habebit religionis ratione.

De munere.

Mercurius est significator, & ideò intelliget plæraque, nec à studiis disciplinarum abhorrebit. Erit ei aliquid cum publicis administrationibus, & naualibus, & bellicis expeditionibus, & cum causis sacerdotum, & etiam de chymica aut machinis se intromittet.

De coniugio.

Luna satis impedita cadens sub terra solitaria, non valde pronum ad coniugium decernit, quod nullum erit, aut vnum, nec satis ornatum atque iucundum. Mulieres tamen amabit, sed neque pro dignitate, aut non pro ætate.

De filiis.

Filios habebit aut ægrè, aut si plures, quorum pars maxima in infantia ex conuulsione interitura sit. Videtur tamen eius facultas ad vnum vt ex eis peruentura: habiturus autem est potius fœminas quàm mares.

De amicis & inimicis.

Opes, dignitates mores & iudicium tum casus, præbent amicos. Plures igitur, ob priores quatuor causas est habiturus. De quinta causa Ptolemæus disseruit. Fidos etiam satis vt hæc tempora patiuntur. Habebit & Principem inimicum sub amici forma, à quo detrimenta circa fortunas patietur. Sed amicitiam cum sacerdotum principibus contrahet.

De peregrinationibus.

Multas suscipiet peregrinationes ob Lunæ casum, non tamen valde longas,aut non diuturnas, in septimo enim loco & nono,neque Sol,neque Luna, neque Mars. Et ob inclinationem Lunæ & Martis,ad meridiem potius & orientem, quam occidentem, vel Boream erunt. Tempora 46. & 64. annus et erit propensus ad illa.

De morte.

COnsideranda loca 8. pars Virginis, & 8. pars Scorpij, anni 47. & 65. In omnibus Anæreta est Mars domini, Mercurius aut Mars, neque enim refert quis sit Apheta ad mortis qualitatem significandam. Amplius cum non sint commisti luminaribus, non significant publicam, cum non in angulis violentam, sed tamen à quopiam violento originem sumet, maximè illa 65. anni si ad eum vita extendet ur. Erit autem acuta omnino, quoniam Mars est Anæreta & velox. Et si etiam dominus loci eo velocior, nam si contingit vt anno 47. obeat varia erit, & erunt defluxiones acres, & inferior pars ventris affligetur, & erit etiam circa collum affectus & circa pectus. Et oportebit tum redi. tus considerare, nam 47. anno Sol ad Taurum, Luna ad initium Capricorni ascendens ad Cancrum perueniet: at si Saturnus 48. ascendens perueniet ad Leonem. atque in eo erunt radij Martis & Saturni, & Veneris, scilicet in Virgine, & Sol ad Geminos, & conflictabitur à Saturni & Veneris loco, & Luna ad initium Aquarij, ibique quadrati radij Martis, & ideò si ingressus in huiusmodi loca fuerint erit aptior. Si verò eligamus annum 65. Sol quidem perueniet ad Scorpium, Luna ad Cancrum, & ascendens ad Capricornum, erunt ergo in eo omnia tuta: at si accipimus 63. perueniet ascendens ad Sagittarium, & transibit super opposita loca Mercurij, & Veneris atque Saturni, & Sol ad Libræ partem 26. & transibit super opposita Scorpij, & Luna ad Geminos in opposito Iouis, & ideò hic erit periculosior sequente iuxta reditus.

De temporum diuisione.

Alia est generalis, & est quòd ab ortu ad quartū annū non bene se habuit, Luna enim afflicta est, à 14. ad 22. etiam malè: Venus enim infœlix est omnino, à 41. ad 56. deterius. Mars enim in octauo loco, & infœlix, timores & labores, & impedimenta vndequaque incutiet. Verùm contraria ratione à quarto ad 14. bene ob Mercurium, & à 22. ad 41. optimè ob Solem, deget benè etiam à 56. ad 68. quo tempore non aberit, à spe satis euidenti sacerdotij. A 68. autem supra si excederet 64. annum, nihilominus ingruentes morbos, & tædia parum fœlix vita erit, namque Saturnus natura malus, & cadens & combustus.

Iuxta diuisionem autem temporum propriam Mercurius, significat lætitiam & negocia, & 20. anno meliora euaserunt, aut circa (neque enim tempus perscriptum est, tum ob rationem dictam, tum ob tempus minimè exactum) & anno 45. & 64. Vt contra anno 56. plena mens curis & solicitudine.

Cœli autem medium, significat dignitates, quæ ex negocitatione proueniunt, velut inter cedonis, cerdo si magiratū obtineat, aut contemnatur, aut prohibeatur à munere in anno 20. & 33. & 39. credos & 63. aut contrà elidetur 31.

Solis autem commune ad vitam atque honores eos, qui casu adueniunt, seu nouas dignitates proprius annus 26. aduersus 58. 47. ad honores propitius aduersus vitæ, & forsan etiam secus si reditus non consenserint.

Ascendens in vita semper communicat, mali sunt anni 36. & 65. & qui his propè coniuncti sunt, vt etiam dixi.

Luna verò ob itinera & quotidiana negocia, fausta annis 23. 26. sed magis sub 33. infœlix vt antea 58. fœlix 68. sed incertum an attingere possit, incertius an tempus quod antea præfatus sum exactum sit.

Sors autem ob diuitias dirigenda fuit, prospera annis 23. 33. 64. vtile damnum, seu damnosa fœlicitas, est enim ad oppositum Iouis, loco illi infesti.

LIBER



LIBER
DE IVDICIIS GENITVRARVM.

CAPVT I.

De Planetis in singulis domibus, & de vi ac natura applicationis, ac separationis.



SATVRNVS solertiam significat, Iupiter prudentiam, ambo animum magis regunt, Mars robur corporis, & Sol agilitatem, ambo corpori dominantur, Venus gratiam circa mores, Mercurius actiones, Luna famam & diuitias, & sic fortuna maxime ab his inferioribus tribus regitur. Cum itaque prima domus significet corpus & animam, si ibi fuerit Iupiter, vel Saturnus, animum grauem habebunt, & ad magna intendentem, optimum in principibus, malum in priuatis. si Solem & Martem, erunt robusti corpore, & vita, sed Sol vere fouet vitam, Mars secundum speciem tantum si ibi fuerit Mercurius, vel Venus, in agendis gratiam optimum in priuatis, malum in principibus. Docebo enim infra, quòd Saturnus & Iupiter fortunam administrant, cui ambo hi fuerint infœlices, vix habebit aliquid in vita sua, dignum laboribus suis.

Vt verò prima hoc significat, tanquam ex principio, & secunda fructum vitæ declarat, idest diuitias, & tertia, ea quæ sunt ad illas itinera & labores, sic decima significat statum vitæ, vt prima, vitam igitur vndecima quæ sequuntur ad vitæ statum, scilicet amicos & gaudia, & duodecima quæ ad hæc sunt, siquidem labores, tristitias, hæc enim quasi necessaria sunt, ad statum vitæ continendum aut parandum. Sic septima significat mortem & genus, & octaua hæreditates & funus, & qualitatem cadaueris post mortem, vnde etiam ex ea, in coniecturam qualitatis mortis deuenimus, quamuis hoc non proprie significet, significat septima mortem, quia opponitur primæ, quæ significat vitam, ideo etiam hostes, & inimicos, & vxorem, omnia enim nato opponuntur. Nona igitur ea significat, quorum causa hæc sunt, itinera & legem, nam homines propter mortem de lege cogitant, & iter suscipiunt propter votum, aut contentionem nam itinera diuitiarum causa, tertia significat, quæ primæ & secundæ inseruit. Sed quarta significat, quæ post nos sunt, igitur & prædia, & domos, & famam significat, & partem, vt rem antiquiorem, quare quinta significabit filios, & sexta significabit ærumnas, morbos, bestias, seruos, quæ omnia, in posterum propagandi causa vel nomen, vel genus nobis aut necessaria sunt, aut nobis nolentibus eueniunt, antecedit etiam morbus mortem, vt sexta septimam. Sed quia domus quæ ab angulo remouentur, paruam vim habent, si sub terra sint, ideo tertiam & quintam maxima ex parte negligimus, alias consideramus.

Ergo Saturnus in decima, ærumnas & labores semper significat, & quanto apici propinquior, eo grauius affligit. Dicitur autem stella esse in apice domus, quæ illi coascendens, non plus tribus partibus distat ad anteriorem locum, aut quinque post. Planeta autem per quinque partes ante, vim retinet, post vsque ad 25. Dat igitur omnia ibi Saturnus cum difficultate. In vndecima dat amicos infidos, & segnes, paruamque voluptatem. In duodecima dat carceres, hostes occultos, pericula magna.

In prima autem domo, facit laboriosos, segnes, tristes, contumaces, fratrum primum efficit, vel aliorum morte, non pulchrum. Prima ætate, multas ærumnas præstat, in secunda indigere facit, etiam propriis alimentis diffidentem, rebus in quibusdam auarum, & generaliter infortunatum, in tertia vero sycophantas, hereticos, & malos affines, aut cum illis litigare cogit.

In quarta autem, fundorum custodem, & infidam fortunam, in quinta filios debilitat, quosdam etiam necat, in sexta graues & diuturnos morbos, ac quasi inseparabiles, nec non pericula, ac carceris vim minatur.

In septima Arthritim, hæmorrhoidasque facit, malum animum, malos hostes. In octaua, auaros, fœneratores, mali animi. In nona, magnos philosophos, denique maximos deceptores, facit etiam Sacerdotes & hæreticos.

Iupiter in ascendente bonos, beneuolos, fidosque facit, ac ipse primus inter fratres erit, aut ab his honos ei deferetur. In secunda autem diuitias & omne fœlicitatis genus, in tertia mitigat labores, & vitam tranquillam affert.

In quarta autem auget patrimonium. In quinta fœlicem dat vitam, & filios, & amicos, minora tamen hæc sunt, quam in vndecima. In sexta verò morbos denegat, aut leues præstat, nisi fuerit dominus ascendentis, iumenta, & equos, & seruos auget, & meliora reddit.

In septima fœlix senium, & diuitias tunc. In octauo mortem quietam, & hæreditates, in nona Christianis sacerdotia pollicetur, vers somnia, & sacrorum scientiam, honoresque multos decernit ac magnos.

In decimo loco, ætate media fœlices facit, & quibusdam in rebus principatum obtinere, in duodecima autem domo, inimicorum frangit incommoda.

Mars in prima, faciet violentos, robustos, fortes, & qui signum ex ictu in facie contrahant, prodigos etiam, & libidinem suam explentes. In secunda dissipat patrimonium, ad egestatem reducit, periculis obiicit. In tertia multa itinera ac labores: tum etiam impium, in omnibus autem his locis facit lusorem, & deorum contemptorem, & laboriosum.

In quarta patrimonium dissipat, pedum vitia facit, reditus minuit, facit & caducos, & insanos, ac miseros. Melius in quinto loco degit, nam filios, licet malos, decernit, & voluptates. In sexto vero morbos repentinos, & syderationem, infidos seruos.

In septimo malos mores & animum, & hostes, & vxores violentas, laboriosos, homicidas, conscios multorum scelerum. In octauo, angustias animi, æstum, turbas, finemque acerbum. In nono, sacrilegos, mendaces, impios, peregrinantes. Sed circa gloriam non est incommodus, honores namque non tam decernit, quam admittit.

In decima domo, si fuerit Mars, potentiam præstat immensam, pro sui generis conditione, sed totam iuuentam innumeris periculis atque laboribus vexat, raroque si ad senectam perueniunt, multa etiam inopinato ferentes incommoda, mortemque vt plurimum violentam. Sed in vndecima, fœlix est, cum nihil noceat, & tamen amicos non omnino fidos præstat. In duodecima autem infidos seruos, carceres, infamiam, debilitatque corpus aliquo periculo, incidentique infortunio. Semper autem Mars in his, in quibus non est proprius significator, egregie nocet, si tamen temperetur à bonis, magna etiam dona decernit.

Sol in prima, validam decernit vitam, oculos albescere facit, Iustos, & dignitatem suam retinentes. In secunda diuitias dissipat, magnificis apparatibus. In tertia, religiosos, & affinibus pro speritatem, & secura itinera.

In quarta, patri auxiliatur, & gloriam post obitum præstat. Sed in quinta, filios negat, datos tamen seruat. In sexta morbos plurimos efficit, & cordis debilitatem, honoribus infensus.

In septima nobiles dat vxores, potentes inimicos, vitæ finem clarum, & ob id anteactam vitam, bona fortuna illustrat. In octaua autem, patri breuem vitam, plerunque decernit, ipsi nato morbos & detrimenta corporis infligit. In nona facit Sacerdotes, religiosos, prædicendi vim præstat.

In decima potestatem magnam declarat, atque etiam in iuuenta. In vndecima amicos regum, & claros ac fidos viros. Sed in duodecima, carceres, tristitiam, inimicos, debilitatem corporis, aliis seruientes.

Venus in prima, facit pulchros, lepore sermonis gratos, sed vitiis non paucis implicat, aut enim cinædos, aut pædicones, aut adulteros facit, sed cum his vitiis, ingenij diuinitatem quandam largitur. In secunda diuitias, & gratiam, & voluptates præstat. In tertia fidos, dissimulantes tamen, & qui secessibus gaudeant, sorores donat. In quarta, auget patrimonium, reditus, gloriam. In quinta filiis auxiliatur, bonos, multos, sospites, dat etiam gaudia. In sexta autem ignobiles dat vxores, nec vnquam viris morigeras.

In septima, facit impuros, obnoxios vitiis, atque ob id tarde vxores ducentes, ac persæpe etiam ob ea steriles. In octaua, dat vxorem viduam, degenerem, sterilem, vel deformem, aut nullam. Semper tamen in septima, octaua vel nona, Venus fœlicem præstat senectutem, præter vxorum incommoda. In nona, facit diuinos, sacerdotes magnos, præstat somnia verissima.

Illud decet animaduertere, nonam cum tertia, sextam cum duodecima, quintam cum vndecima semper sic conuenire, vt quæcunque in vno loco planeta decernit, licet minus, in opposito etiam positus pollicetur ergo tertia, secunda, prima in pueritia: duodecima, vndecima, decima in iuuentute: nona, octaua, & septima in senio. Sed & in his ordo, nam tertia, infantiam, secunda pueritiam, prima decernit adolescentiam.

In decima fœlicem iuuentam, ac segnem fortunam, tamen bonam, vnde plerique in senio miseri degunt. In vndecima hæc eadem, vt dictum est, sed minus. At in duodecima, turpibus ancillarum, meretricumque nuptiis alligat, eosque facit, qui fœdis amoribus, non aliter quam fratre amisso, discrucientur.

Mercurius in prima, facit ad omnia habile ingenium, & qui commode cum hominibus versari sciant. In secunda, malis omnibus modis, sibi incrementum substantiæ quærentes. In tertia itinera præbet, varios in lege sua, cultuque Dei, & diuinatores artibus.

In quarta variis turbat patrimonium successibus, occultarum scientiarum intellectum largitur, inde etiam obscurarum literarum interpretes. In quinta negociatores facit, qui tamen libenter conquiescant, bonæ spei. At in sexta, rationem turbat, laboriosos facit, vilibus rebus incumbentes.

In septima studium præposterum decernit, vxores vitiatas, inimicorum astutia multa damna patietur. In octaua facit stultos, tardos, malitiosos. In nona, dialecticos, rationales, mathematicos, diuinos, varia versantes.

In decima, facit in arte sua mirabiles. In vndecima verò circa voluptates studiosos, nitidos. In duodecima, eos qui mala re bene versentur, ingenium vero ad latrocinia, ad decipiendum, ad insidias commodum, quod idem præstat, quibusque planeta dominus ascententis, in eo loco positus fuerit, quamuis sic posito ascendentis domino, frequenter contingat dare pœnas.

Luna, in prima domo si fuerit inuenta, mobiles ingenio, & instabiles facit, in fixis proditores, in mobilibus leues ac ridiculos, quam ego differentiam generaliter intelligi volo, quotiens planeta inconstantiam significat,

significat, nam & hoc Mercurius facit, cum velocissime mouetur, facit & bene semper fortunatos Luna in ascendente, sicut in secunda patrimonium fluctibus versat innumeris, non aliter quàm pro facierum illius multitudine in tertia vero bonam facit educationem infantis, itinera multa.

In quarta fundos paternos vexat varietate sua, aquarum indicat possessionem, matrem ac patrem, diuersis rationibus turbat. In quinta multam prolem. In sexta, miseros, laboriosos, calamitosos, seruiles.

In septima tarde dat vxorem, & infinitis vexat tum periculis, tum incommodis. In octaua facit repente mori, quòd illi commune cum septima est, mergit autem aquis libenter in octaua existens. In nona facit diuinos, sed quasi insanos, longa præstat itinera, mutatque legem quandoque.

In decima autem, turbatam ac fluctuantem dat iuuentam, variamque fortunam. In vndecima autem prolem, amicosque auget, sed non firmos dat, vnde etiam qui in quinta vel vndecima Lunam habent, multos filios sortiuntur, sed de paucis gaudium percipiunt, in duodecima tristitiam, mœrorem, breuem vitam.

Cum à planeta in planetam Luna defluxerit, initio quidem, eius à quo defluit, opera & actus demonstrat, in fine autem eius ad quem defertur, velut in decimanona genitura Luna â Marte ad Saturnum fertur, initio quidem actus & opera iræ, & audaciæ, & temeritatis ac inconsulta ostendit. Successu callida, consulta, & plena doli. Vnde inimici occasione vtentes impræmeditatum aggrediūtur, cum iam præmeditato, nulla fallendi spes superfit.

Si autem à planeta in vacuum feratur, illius vires quidem ostendit, sed inefficaces effectus, quod si à nullo defluat ad aliquem tamen feratur, inanis quidem ac liber ab initio, sed in fine actuum planetæ ostendit ad quem defertur semina, vtrinque autem vacua inefficax est, ac rem re, negotium negocio permutans, quæ autem diximus de recessu & applicatione, in reliquis erraticis intelligi volo.

CAPVT II.

De Alfridariis.

ALfridaria, experimento & ratione constans, anni septem primi Lunæ, tunc corpus molle, & conuulsioni paratum, licet princeps dicat ad quintum vsque tantum. Septem sequentes vsque ad quartumdecimum, Mercurij, tunc fit agilis, & rationis capax. Septem alij ad vigesimum primum, Veneris, tunc fit formosus, & Veneris potens. Septem alij vsque ad XXVIII. Solis, crescere desinit, ob siccitatem, honoris agit curam, robur crescit. Septem alij ad XXXV. Martis tunc ad labores audaciamque vertitur, statumque roboris assequitur. Septem alij, Iouis, vsque ad XLII. tunc consilium, sapientia, & cura rei familiaris superuenit. Septem alij ad XLIX. vsque, sunt Saturni, tunc solicitudine, & timore, & auaritia vexantur homines post reuertitur ad Lunam, vsque ad LVI. & incipiunt repuerascere. Vnde attonitus morbus maxime à XLII. ad LVI. annum aduenit, Luna vel Saturno dominante, Et qui in genitura fœlicem habet Planetam, fœlicius agit, dum sub illius custodia anni labuntur, melius vero, si per reuolutiones recte se habuerit, vt in decimanona genitura, à XLII. ad XLIX. mediocriter sub Saturno, à XXXV. ad XLII. bene sub Ioue, à XLIX. ad LVI. male sub Luna. Harum igitur Alfridariarum, si genitura diurna sit, primus annus Soli, secundus Veneri, tertius Mercurio, sicque descendendo, vt vltimus Martis sit: Si autem nocturna, primus Lunæ, secundus Mercurio, atque sic ascendendo, donec Saturnus vltimus sit, dedicatur. Quamobrem vltimi climacterici, semper sunt infortunarum. Saturni in nocturna, Martis in diurna, vt septimus, decimusquartus, vigesimus primus, & alij deinceps. Vnde fit vt quinquagesimus sextus in nocturnis genituris propter frigiditatem Saturni duplicatam, & sexagesimus tertius, in diurnis, ob siccitatem Mercurij & Martis, vtroque subscribente iam ætate frigida & sicca, maxime periculosi sint. Si tamen Saturnus in nocturna, aut Mars in diurna dominentur principalibus vitæ locis, nunquam melius se habebunt, quàm his temporibus. Si autem quis moritur in climacterico Saturni frigida aliqua causa comes est morbi, etiam si calidus sit. Qui in climacterico Martis, causa aliqua calida, vnde plerumque in his acuta in diuturnam versa. In aliis, ex diuturna, cui acuta coniuncta est, moriuntur. Cum vero ambo domini, generalis & proprius, bene dispositi fuerint, natus bene viuet, etiam si directio mala occurrat, & quæ mortem significet, poterit enim anno integro produci vita. Sunt autem bene dispositi, vel genituræ tempore, vel reuolutionis. Directio autem non immutat planetas, sed solum loca eorum, plurimum autem potest in vita, valitudine, honoribus, ducenda vxore, & filiis procreandis, & in moribus, minimum autem in diuitiis. Alfridariæ igitur ingenij, sunt à septimo ad vigesimum octauum annum, medij tamen à decimoquarto ad vigesimumprimum sunt debiliores, quia Veneris, & est tempus voluptatum. Alfridaria honoris, à vigesimo primo ad vigesimum octauum annum, cum tunc etiam vitæ obliuiscatur, laborum autem à vigesimo primo ad trigesimum quintum. Sed generationis filiorum à vigesimo octauo ad quadragesimum secundum, & hoc intellexit Plato sub obscuris verbis. Alfridaria diuitiarum, à trigesimoquinto ad quadragesimum nonum, tunc enim Iupiter ac Saturnus dominantur, à quadragesimo secundo autem ad quadragesimum nonum, est propria astutiæ & consilij. Post autem omnes retinent, vt dixi, aliquid puerilis, nam à quadragesimo nono ad quinquagesimum sextum nimis incipit timere, & laborare propter negotia, cum tamen minus sit aptus, & persæpe minus indigeat, à quinquagesimo sexto ad sexagesimum tertium fit nimis sollicitus, à sexagesimo tertio ad

ſeptuageſimum incipit negligere facta ſua, & conatur imitari iuuenilem ætatem, ſui immemor, vnde plerunque fit ridiculus à ſeptuageſimo ad ſeptuageſimum ſeptimum incipit fruſtra confidere, de vitæ longitudine, cum ſit iam proximior morti, & auget annos futuros & præteritos verbis, & gloriatur de peractis, & queritur ſe contemni à ſeptuageſimo ſeptimo ad octuageſimum quartum incipit aperte delirare, propter Martis naturam ab octuageſimo quarto ad nonageſimum primum fit ponderoſus, & grauis, inutilis ad omnia, præterquam lingua à nonageſimo primo ad nonageſimum octauum iam fit frigidus, deſpectus & immobilis, carens iudicio & memoria. Nec credas quod dicit Haly, quod tunc renaſcantur dentes, cum oſſa ſint ſicciſſima naturaliter, vt Galenus oſtendit, verum aliquibus in pueritia tertio renaſcuntur, ſi contingat caſu, oſſe illæſo, nouiter renatum dentem excidere. Igitur à nonageſimo octauo anno ſupra non eſt aliquid dignum conſideratione, ſed homo viuit vt planta quaſi, nec mutatio vitæ in eo apparet ad mortem vſque.

CAPVT III.

De proprietatibus ſtellarum.


Diximus aliàs in primo libro, paucarum ſtellarum vires, tum maxime inſigniorum, hic autem vt de reliquis loquamur, tempus eſt. Itaque ſtellæ, quæ iuxta finem Sagittarij, tres, magnitudinis tertiæ, iuxta ſagittam eius, vel in ipſa, maximam habent vim, vt procreent homicidas. Si tamen bene conſtituantur, faciunt & duces & tribunos & iudices, omnes tamen mortis alienæ patratores, ſed male, ſatellites, apparitores, carnifices, latrones. Si autem cum Sole, etiam in magnis viris regna decernunt, ſi autem illi humili loco ſint, dignitates minores, regia, ſortientur, proximus locus eſt, vt cum Luna, ſed iaculo, quicunque ſic habuerint, morientur, inde cum Ioue ſocientur, poſt cum Venere, cum Marte ancipites effectus, & graues producunt, poſt cum Mercurio, cum Saturno vero magna ferme ſemper infortunia decernunt. Hoc autem generale eſt ferme omnibus fixis: niſi aliqua peculiari ratione cum erraticis conueniant, aut illis repugnent.

Stellæ maximæ & lucidæ, honores & dignitates præſtant, mediocres & minus lucidæ, diuitias, paruæ ingenium, ſi lucidæ ſint vt enim magnum lumen nos impedit à ſtudiis ſic & ſydera magna, nunquam ingenium perſpicuum decernunt. Habetur etiam hoc ex erraticarum natura: nam Soli tribuimus potentiam, Ioui diuitias, Mercurio minimo planetarum ſed ſplendido, ingenium.

Ambæ igitur caniculæ, decernunt regiam poteſtatem, locus in quo eſt virginis ſpica, & eſt pars decimaſeptima libræ, cum ibi etiam ſit arcturus in Boote, excellentem ſignificat diuitiarum affluentiam, & quæ in rictu Capricorni, ingenium præclarum, ſunt enim minimæ & plures, vnde locus regius: & ſunt ſplendidæ, & de natura Saturni ac Veneris. Si igitur hæ Mercurio, caniculæ Soli, ſpica Ioui copulentur, bene agitur, ſi autem hæ Soli, caniculæ Mercurio, adeò parum iuuant, vt quandoque obeſſe videantur.

Et ſimiliter Stella tertiæ magnitudinis, quæ eſt in 11. parte Sagittarij, ſignificat excellens ingenium, eſt enim de natura Saturni & Veneris ipſa, & iam vidiſti hoc etiam inter Planetas, vt explicaui in noſtra genitura: Sed fixæ oſtendunt hoc magis, & ego dabo tibi exemplum in hac genitura.

Hic humillimis ortus parentibus, vocatur Nicolaus, cum tamen exiſſet patriam, vocauit ſe Conſtantium, & ſic pro Conſtantio agnoſcitur Mediolani. Bononiæ autem pro Nicolao, eius familia de Symis. Frater eius de quo diximus in genitura trigeſima quarta occiſum fuiſſe à fulgure, dominus aſcendentis erat Mercurius, cum ophiulci dextro genu



& Luna fuit cum cauda, ideo cum per inopiam vſque ad vigeſimum octauum annum literas non didiciſſet, tantum valuit ingenio, vt literas humaniores mediocriter didicerit. Factuſque Geometra, Arithmeticus, ſed longe magis Aſtrologus inclytus, vt docuerit eas artes publice Mediolani, per aliquot annos & hoc facit Mercurij diſpoſitio, cum ſtellula ipſo exiſtente domini aſcendentis, ipſe autem credebat, quòd aſcenderet ei ſexta pars cancri, quia obleſi erant, & magni, & pro minentes, ſed hoc facit Luna inter pleiades, vt dixi: & Sol in conſtellatione capuli Sagittarij, vt etiam declaraui in quadrageſima ſeptima genitura, & ideo amiſit quaſi viſum, imò amittet omnino oculum antequam moriatur. Ideo vides quod noſtræ regulæ ſunt veriſſimæ alij vero nugas agunt. Mars autem in trino Lunæ, & ipſa vt dixi cum cauda, dant ingenium acutum in condendis aſtronomicis inſtrumentis, & in hoc fuit valde mirabilis, & quia Sol fuit in illa conſtellatione, habuit vim vt faceret ipſum publice docere, quamuis non eſſet doctor: & quia erat humilis fortunæ, & Luna habuit poteſtatem in aſcendente, & Sol non fuit in aſpectu fortunatum, ſignificauit, quòd non perſeueraret in hoc, nec in vlla alia conditione, quæ ad dignitatem attineat, & quia Luna erat in duodecimæ finibus

bus in trino Martis significat vagabundum, permutantem genus vitæ, malam existimationem & in vitæ toto decursu infinita inconuenientia. Et debilitas huius genituræ est, quòd caret aspectibus omnibus, nisi trino iam dicto, & natalium humilitas. Stellæ de natura Mercurij, & maxime quæ in pede geminorum, immensam gratiam & leporem, si cum Venere iungantur præstant. brachium sinistrum antecedentis gemini, & genum sinistrum sequentis gemini, si cum Venere fuerint, hominem omni libidinis vitio implicant, deorsum Leonis cum Mercurio iunctum, præclarum studiis facit, est enim naturæ Saturni & Veneris.

Dexter humerus Orionis, & dexter humerus aurigæ, cum Ioue, magnam fœlicitatem, cum Sole, illustre nomen, cum Saturno, magnam diligentiam & sedulitatem præstant.

Vultur volans, cum Luna, magnam præstat fœlicitatem. Sol cum ceruice Leonis, vel alia naturæ Saturni, vel Saturnus cum Spica & Boote, magnum significant infortunium: in eo genere, in quo ipsi Planetæ aduersantur, vt si vitæ, in vita: si diuitiis, in eis, nam præter id quòd Saturnus per se malus est, plurimum tamen Soli aduersatur.

Stellæ de natura Mercurij & Veneris potentes, vt lucida coronæ cum domino ascendentis, venenum minantur, idem cor Scorpij, & cauda eius quæ est in decima septima parte Sagittarij.

Caput Serpentarij cum Luna, vel domino ascendentis, violentam decernit mortem, & malum animum ac infidum.

Stellæ de natura Iouis & Martis, in humili fortuna cum Sole, aut de natura Veneris & Mercurij cum Sole, in principe, magna declarant detrimenta. illum enim præcipitem agent, hunc humilibus studiis, aut luxibus implicatum, magnis subiicient incommodis.

Fomahant splendidissima aquarij & reliquæ de natura Veneris & Mercurij, post illam, æternam memoriam donant.

Quæ sunt in collo Tauri, cum Venere vel Sole, suaue eloquium præstant, & gratiam condendi carmina, & authoritatem augent.

Venus cum Scorpij corde, facit musicos præclaros, aut poëtas, idē cum syderibus quæ sunt de natura Iouis & Martis insignibus.

Luna cum capite Algol, Biothanatos facit, idem cum dextro latere Persei, cum pede vel cingulo Origonis, vel cum luminosiore lancis borealis, vel cum crure vel dorso Pegasi, vel iuncta corpore cum sequente de duabus quæ sunt in cauda Capricorni.

Stellæ de natura Mercurij vel Martis vel Lunæ, cum Sole, auferunt dignitates & gloriam, Iouis & Veneris augent.

Stellæ de natura Mercurij, vel Mercurij & Martis, vel Mercurij & Saturni, cum Marte, augent illius mala decreta.

Mercurius cum stellis de natura Saturni & Iouis, prudentes & cogitabundos facit.

Luna, si cum stellis quæ in collo Capricorni & iuxta illius caudam fuerit, repentinam mortem nunciat.

Eadem cum luminosiore lancis meridionalis, mortem ex sanguinis profluuio denunciat, eadem stella in occasu, facit hemorragiam.

Luna cum stellis quæ sunt in aqua Aquarij, & sunt à quarta piscium parte ad decimam, vel cum alia constellatione de natura Saturni, facit stultos.

Cingulus Orionis cum Sole, damnat oculum, idem cum Luna. Sed si planetæ ipsi dominentur ascendenti, priuat ex toto altero eorum.

Stellæ extra formam Scorpij, & in pede Ophiulci, si cum domino ascendentis fuerint, & ipse cum Sole: publicè lacerabitur corpus eius, ipse vero erit moribus inconstans, & proditor.

Stellæ quæ proditores faciunt, sunt Martis & Lunæ vel Martis & Saturni, vel Martis & Mercurij, vel Saturni & Mercurij.

CAPVT IV.

De Directionibus.

PRo directione cordis cœli, & eorum quæ in illo sunt, sume differentiam significatoris & promissoris, in tabula ascensionum rectarum. Pro directione ascendentis & eorum quæ in illo sunt, sume differentiam Significatoris & Promissoris in tabula obliquarum ascensionum. Si vero fuerit Significator inter cœli medium, idest cor cœli & ascendens, sume illius differentiam à corde cœli, in tabula ascensionum rectarum, quam diuide per differentiam ascensionis rectæ, medij cœli & ascendentis, quod exit, est pars horarum, inde detrahe ascensionem rectam significatoris, à recta promissoris, obliquam ex obliqua, & harum differentiam duc in partem horarum, quod exit, adde differentiæ ascensionum significatoris & promissoris rectarum. Si talis differentia est minor differentia ascensionis obliquarum, vel minue si sit maior, & quod relinquitur, est directio quæsita. Quod si Significator est inter ascendens & cœli imum, minue obliquam ascendentis ascensionem, ex obliqua medij cœli imi, idest anguli quartæ domus, & cum eo quod exit, diuide differentiam ascensionum obliquarum ascendentis & significatoris, quod exit, est pars horarum, inde detrahe obliquam ascensionem significatoris ex obliqua promissoris, & rectam ex recta, & differentiam harum multiplica per partem horariam, quod exit, adde differentiæ obliquarum ascensionum significatoris & promissoris, si talis differentia est minor differentia rectarum eorundem, vel minue, si maior, & quod colligitur, est differentia quæsita, seu directio. Si vero significator fuerit ab angulo quartæ ad angulum decimæ, vbicunpue fuerit, siue in ipso angulo quartæ, seu in quarta vel quinta vel sexta vel septima aut octaua aut nona, operatio tua erit ad vnguem per puncta opposita significatori & promissori. Exemplum. Volo dirigere sextilem Iouis dextrum decimænonæ genituræ, qui est in partibus 3. min. 27. piscium, cum australi latitudine, ideft partis ad cor cœli,

cœli, accipio rectam ascensionem sine latitudine par. 18. min.46. Capricorni, quæ est par.290. min.20. quam minuo ex recta loci trini, inuenta sub latitudine, 1. par. australis, quæ est par. 335. min.46. relinquuntur par. 45. min.26.& sunt anni 46. mensis 1. dies 1. nam cuilibet parti cœli correspondent annus vnus dies 5. hor.8. Et ita in annis 23. & 24. peruenit trinus Solis & Martis, ad cœli medium, & fui rector Gymnasij primo, post Doctor, & in annis 34. trinus Veneris & Mercurij perueni ad eum locum medij cœli, & habui Collegij societatem.

Exemplum secundum. Volo locum Martis, ad ascendens & Iouem dirigere, ascensio ascendentis obliqua est par. 19. min. 46. loci Martis sine latitudine (quia pro vita nolo computare) par. 46. min.29. differentia par. 26. min.43. anni 27. completi, quo tempore habui acutam febrem.

Exemplum tertium. Volo dirigere Martem ad Lunam vitæ significatricem. Recta ascensio cœli medij, par.290. min.35. nam pro horarum partibus non curamus minutias ingressus, recta Lunæ par.343. min.9. differentia, par.52. min.34. diuide per par. 103. min. 15. differentiam rectarum medij cœli & ascendentis ascensionum, exit mi.30.

Rectæ
Martis Lunæ
69.49. — 343.9
86.40.
Obliquæ
46. 34. 350. 8.
56. 26.
30. 14.

sec. 30. partes horarum, loci Lunæ, idest quanta portio hæc est 60. min. tanta est distantia loci Lunæ à cœli medio, ipsius distanstiæ ascendentis à cœli medio per partes ipsius æquinoctialis, sume igitur differentiam ascensionum rectarũ Martis, & Lunæ & obliquarum, vt a latere vides, harum differentiarum differẽtia est par.30.mi.14.duc in partem horarum, exeunt par.15. mi.20. quas minuo ex differentia rectarum, quæ maior est, relinquitur directio quæsita par.71. min.16. anni 72. &c. Et cum peruenit quadrata radiatio Saturni ad Lunã in annis 8. & erat reuolutio pessima, fui relictus pro mortuo, & cum sextilis Saturni ad eandem, in initio anni 30. fui tabificus, & durauit morbus per duos annos, donec oppositum Veneris & Mercurij ad illam peruenit.

Exemplum quartum, dirigamus trinum sinistrum Lunæ in par.11.min.42.cancri, cum boreali latitudine par. 2. min. 10. ad Martis corpus, differentia obliquarum ascensionum Martis & ascendentis, par.26. mi.43. differentia obliquarum imi cœli & ascendentis, par. 66. min. 46. facta diuisione, prodeunt min.24. partes horarum, differentia autem ascensionum Martis & trini Lunæ rectarum, par.33. mi.8. obliquarum, par.28.mi.32. differentia harum, par.4.mi.36.ducta in 24. mi. exeunt, par.1. min.50. addita par.28. mi.32. quia obliqua est minor, quàm recta, fiunt par.30.mi.22. anni 30. menses 9. dies 24. quo tempore duxi vxorem, id est anno 1532. die 18. Iulij, & sic apparet quod ad vnguem inseruiunt, in mensibus etiam & diebus.

Exemplum quintum, dirigatur oppositum Iouis ad Venerem, in medietate cadente, dirigemus locum Iouis ad oppositum Veneris, qui est par. 23. mi.3. Arietis cum latitudine Australi, par.9. mi.52. & habebimus quæsitum.

Et ex hoc habebimus circulum positionis cuiuslibet Stellæ, nam quære eius veram ascẽsionem, modo priori habito, & quære in qua poli eleuatione hoc idem accideret, & habebis circulum positionis illius. Exemplum in eadem genitura, ascensio recta Lunæ fuit par. 343.mi.9. obliqua par.350.mi.8. partes horarum Lunæ inuentæ min.30.sec.30. duc in differentiam, quæ est par.7. min.0. fiunt par.3. mi.33. quas adde par.343. mi.9. fiunt partes 346. mi.42. Propria Lunæ ascensio in eo loco, quæro igitur in qua poli eleuatione, partes 346. min.42. correspondent partibus 11. mi.42. piscium, & inuenio quod in eleuatione poli 26. partium, igitur dico quod super circulum Lunæ polus eleuatur par.26. In stella autem quæ magnam habeat latitudinem est difficilius, tamen pro hoc Monteregius consulatur in problemate 20. de directionibus.

Et ex hoc tertio habemus, ad quem locum perueniat quilibet annus. Exemplum. Volo scire quænam signiferi pars ad Lunam in annis 45. perueniat, tu scis quòd anni 45. sunt par.44.mi.20. Has igitur addo propriæ ascensioni Lunæ, quæ fuit par. 346. mi.42. fiunt par.31. mi.2. quibus sub eleuatione poli positionis circuli Lunæ correspondent part. 11. mi.3. Tauri, iuxta caput draconis, & eodem modo eueniet, si conuersa ratione operatus fueris, nam cum par.11. min.3. Tauri ad Lunam deduxeris, fient par.44.mi.34. quare nos voluimus par.44. mi. 20. detrahemus igitur par.0. mi.14. differentiæ, & relinquentur par.10. min. 50. Tauri, vel circa, non enim tantam subtilitatem curamus. Causa differentiæ est, quia eleuatio poli cum qua operati sumus in prima operatione, est par.45. & in secunda est par. 44. & etiam polus eleuatur super circulum positionis Lunæ par.26. min. 30.& nos supposuimus eleuationem poli par. 26. solum, quia non curamus.

Cumque significator aliam partem possederit latitudinis à promissore, vel ex eadem parte fuerit, sed maiorem aut æqualem habuerit latitudinem cum promissore, minor effectus apparebit directionis, quia corpus ad corpus nunquam perueniet.

Cumque significator & promissor fuerint à decima ad septimam, dirigemus etiam iuxta Ptolemæi sententiam promissorem ad significatorem iuxta horarum partes & ascensiones ipsius promissoris.

CAPVT

CAPVT V.

De significatis directionum, & modo.

DIriges Saturnum pro mundi mutationibus, & alios planetas, dando cuique parti, quantum Saturnus in vna die peragrat, id est mi.2.sec.1. annum vnum In vita hominis, vt dixi, vnicuique parti annum vnum & dies quinque, & octo horas.

Cum vero agitur de vita scias quod locus stellæ in ecliptica significat mortem, locus autem stellæ latitudine adiecta significat causam morbi vel mortis. Et ideo aliqui morbi durant per annos plures & hoc si causa mortis à Sole decernatur, aliter totidem menses, vel partes mensis, si à Luna. Et causa huius est, quia vita constat in omnibus animantibus per Solem, & Sol semper sub ecliptica mouetur. Quod si locus eclipticæ fuerit ante locum corporis planetæ, vt in australi latitudine, tunc causa mortis erit à loco in ecliptica, & mors à centro planetæ, & hoc declaraui in libris aliis, quia hic esset longum dicere causam huius diuersitatis.

Ex hoc patet, quod Sol semper significat cum fuerit occisor, repentinam mortem, & etiam stellæ quæ sunt sub ecliptica, & omnes radij quadrati, nam & ipsi in illam semper incidunt.

Rursus cum reuolutio Lunæ directionem peregerit, dabis singulis par. 13.mi.10.diem vnum, aut mensem vnum lunarem dierum 27.horarum 8. vel coniunctionis dierum 29. horarum 10.

Et eodem modo in directione Iouis, dabis vnicuique parti annos 12. fermè, vt in regnis, & imperiis & religione, & vrbibus: in regnis tamen & imperiis, Mars maiorem vim possidet.

In omnibus aliis rebus à vita, computa latitudinem in dirigendo pro tempore habendo. Considera etiam, quod effectus quilibet eo euidentior est, seu in vita seu in aliis, & eo celerius perficitur, quo stella eclipticæ proximior fuerit.

Directiones quæ Alfridariæ concordant, effectus suos producunt, aliæ autem non, nam infanti directio eueniens filij generandi, nullum talem producit effectum, sed forsan aliquid proportionale impossibile tamen est elidi omnes directiones, plurimas & optimas sæpe contingit, nam aliæ infantibus, aliæ senibus, aliæ ægrotantibus, aliæ captis vel aliter impeditis eueniunt, quot hominibus prouinciæ honeste oblatæ sunt, eò tempore, quo morbo detenti, renuere illas sunt coacti igitur omnes facere conuenit directiones, quæ citra mortis tempus venturum effectum indicant. primam igitur pro vita perficere necesse est.

Loca ad quæ diriguntur sunt decem, septem planetarum, ascendentis, cordis cœli, & coniunctionis vel oppositionis quæ genituram proxime antecessit. Loca quæ diriguntur sunt 58. Loca septem Planetarum, totidem opposita, septem dextræ radiationes quadratæ, septem trigonæ, septem sextiles, totidem etiam sinistræ quadratæ, trigonæ, sextiles, quisque etiam planeta locum suum spectat in quo vel eclipticam secuit, ad boream veniens, vel ad austrum recedens. Hæc caput & cauda draconis dicuntur, validissima Lunæ, post Veneris, post Mercurij post Iouis, inde Martis & Saturni.

Cum planetæ corpore vel radiis colligantur, vel in angulis fuerint, effectus suos producunt, etiam in prima ætate. Si verò quis viuat vsque ad mediam ætatem, experietur effectus Planetarum, non solum in angulis sed in succedentibus existentium. Si vero senex vixerit, etiam existentium in cadentibus domibus, planetarum vim experietur.

Fixæ autem effectus obscuros producunt, nisi cum planetis iungantur, aut saltem illorum illustrentur radiis. Validissimus planetarum est Luna, nam earum effectus cum illis iungitur. Prima ætate demonstrat, post Venus, inde Mercurius, celerius his præter Lunam, Sol, serò tamen. Mars tarde, Iupiter tardius, Saturnus extremo senio. Caue tamen, quoniam in propriis significatis, Planetæ illico quasi suos effectus ostendunt, vt si Ioui cauda cigni iungatur, in diuitiis & filiis celerem, in aliis causis, quæ ad Iouem non proprie pertinent, tardum euentum producunt.

Diximus promissores, qui sunt inter septimum & vndecimum locum, duobus modis dirigi, & per ascensiones significatoris & promissoris, igitur hæ directiones quasi solum dimidiam vim habent.

Cum volueris habere rectum iudicium in his, omnes propinqui temporis directiones considera, velut si cui contingat directio quæ significet proditionem, alia carcerem, alia mortem, alia infamiam: dic quòd proditionis accusatus, plectetur morte publica. Sed si ordo non seruetur, vt si directio mortis præcedat directionem proditionis, & carceris: tunc duplex erit iudicium, vnum quòd morietur ante hæc: aliud, quòd quasi simul hæc euenient. Si autem mortis publicæ appareat directio, causæ autem non videantur, tunc si debile erit, non perficietur, Si validum, perficietur causa iuncta, velut si sit Saturnus occisor ex Leone in decima, erit insidiis alicuius senis præpotentis.

Dispositores præterea seu domini locorum significatorum, augent in promissis, & minuunt in abscisionibus, si locum significatoris aspiciant. Domini loci promissorum, si significatorem vel eius locum aspiciant, vel ipsum promissorem, qualecunque sit significatum, ipsum augent. Si locum ad quem directio peruenit, adhuc magis. Si locum promissoris, non promissorem, qui ab initio est genituræ tempore, nihil iuuant. Significator per reuolutionem rediens ad suum locum, hora directionis minuit abscisionem, auget promissa, promissor si ibi cadat, semper auget. Reliqui planetæ iuuant, si boni sint, & maxime in loco ad quem peruenit directio. Si planeta iunctus fixæ, in loco promissoris ab initio existenti, aliquo anno fuerit, directionis effectum ad finem perduceret, vt si

abscisor

abſciſor ſit Saturnus cum corde Scorpij, aliquo autem annno Mars cum corde Scorpij iungatur, eo anno ſi locum ſignificatoris aſcendens vel eorum dominos aſpexerit, proculdubio interficietur.

Fixæ ſtellæ quæ in ſignifero ſunt, vel iuxta circulum planetæ cui in longitudine coniunguntur, fortunam cum ipſo tempore planetæ iungunt, ſic & quæ iuxta imum vel cœli medium, quamuis plurimum à ſignifero diſtent. Celerius autem his boreales, in oriente, auſtrales in occidente. Sero boreales in occidente, auſtrales in oriente tot autem annis ac menſibus ſerius, quotus eſt numerus partium correſpondentium partibus latitudinis.

CAPVT VI.

De ſignificatis reuolutionum, & de modo iudicandi ex propria noſtra ſententia.

IN reuolutionibus primum illud conſiderare expedit: quòd generaliter omnis reuolutio in qua planetæ ſunt, contrario modo diſpoſiti ſtatui geniturę, etiam ſi bene diſponantur, periculum ingens ſignificant, velut ſi cui in genitura omnes ſint ſub terra, in reuolutione autem ſupra terram, ſi cui omnes cadentes à domibus in genitura, & in reuolutione omnes in propriis domibus, & ſi cui ommes retrogradi in genitura, & in reuolutione omnes in ſummis ſuorum paruorum circulorum partibus, Quanto deterius, ſi ad malum hæc mutatio fiat. Malum eſt etiam, ſi omnes qui erant in genitura ſub terra, in reuolutione ſint ſupra terram: & qui erant ſupra terram, dum naſceretur, hora reuouolutionis ſub terra ſint. Permutari autem paucos planetas ad bonum melius eſt, ſenſim enim procodit hæc mutatio, & maxime, ſi pluribus continuis reuolutionibus perpetuetur. Cum vero reuolutio ſimilis eſt ex toto geniturę, tunc aliquid procul dubio expecta inſigne eorum, quæ in genitura promittuntur: idem ſi omnes ſignificatores & promiſſores eiuſdemrei ad loca ſua ſoli reuertantur.

Secundo, illud ſcire debes, naturam reuolutionum ſequi naturam geniturarum, ſed debilius velut ſi Mercurius & Venus in genitura fuerint in aſcendente, faciunt habilem ad tractanda negotia leuia & artes, & ad verſandum cum hominibus. Si igitur mihi idem contingat in reuolutione, quamuis in gen itura fuerint in ſexta non in prima, & Iupiter fuerit in prima, ero tamen habilior ad hæc illo anno: reſpectu dico mei, non tamenaliorum. Cum hoc igitur iuuaberis ex omnibus capitulis aſpectuum & fixarum, & cæteris quæ ſcripſi pro genituris.

Scias tertio, quòd Solis reuerſio ad ſuum locum nihil ſignificat, quia præſupponitur. Mercurij autem parum, quia frequenter accidit. Veneris magis, ſed non multum tamen. Lunæ mediocriter, non tamen tantum quantum ſuperiores propter motus celeritatem. Plus facit Mars, poſt Iupiter, omnium maxime Saturnus.

Prima autem poteſtas atque perfectiſſima eſt, cum ſignificator reuertitur ad locum promiſſoris, & ibi eſt promiſſor, aut in oppoſito, & eſt minus, aut in quadrato, & eſt adhuc minus, aut in trino & eſt etiam minus, aut in ſextili & eſt minus, aut non eſt ibi penitus, nec aſpicit, & eſt minimum.

Secunda eſt, cum promiſſor peruenit ad proprium locum, & ſignificator eſt in oppoſito, vel quadrato, vel trino vel ſextili, vel non aſpicit omnino, eodẽ ordine vt in prima.

Tertia eſt, cum ſignificator coniungitur promiſſori, vel eſt in oppoſito, vel quadrato, vel trino, vel ſextili, ſed neuter eorum eſt in loco promiſſoris.

Quarta eſt, cum ſignificator & promiſſor ſunt in locis propriis abſque aſpectu, & tunc vix apparet ſignificatum.

Scias Quinto quòd nunquam erit perfectus Aſtrologus, niſi prædictionem aſtrorum comparet rebus ipſis: vides enim quòd homo ne dimicet gratia exempli in area, poteſt impediri morte, morbo, carcere, præcepto principis, exilio, peregrinatione. Sic etiam iſta ſex conſiderare oportet, in ſingulis decretis, an viuet, an erit incolumis, an tutus à carcere, an ab exilio, an manebit in prima, an impedietur ab aliis, principe, magiſtratu, parentibus, affinibus, amicis, & ideo ex quadraginta rebus quæ apparent, vix decem perficiuntur in reuolutione vna alteri repugnante. Igitur pro hoc conſidera duo, an res quæ impedit, ſit potentior, aut tempore prior. Et pro hoc tibi ponam exemplum. In noſtra genitura cadit reuolutio anni nunc inchoantis hoc modo vt vides, & aſcendens eſt contrarium aſcendenti, & Sol Mercurius Venus & Mars, qui erant ſub terra, cadunt ſupra terram, & Luna quæ aſcendebat nunc deſcendit: propterea iudica, quòd erit magna mutatio in vita mea. Deinde

1545. die 24. Septembris, hor. 1. minut. 36. ante meridiem.

Cor cœli, 13. ♍.

Reuolutio quadrageſima-quarta completa decimæ nonæ geniturę.

video de vita, & certe Luna eſt in occidente, cum ſuculis de natura Martis, & aſpicit eam Mars infortuna, reſpectu Lunæ in genitura, & ideo vix euadam violentum infortunium ab homine, quia eſt Mars in Virgine, & Venus eſt cum corde Leonis fermè, & reſpicit Lunam, ideo quo ad naturalem cauſam, vita valida erit.

Et

Et quia Luna significat statum & famam, & Mars respicit eam ex Virgine, cadam ab aliqua dignitate. Et ita præter omnium spem, dimissus sum ab officio legendi Papiæ, hoc anno quamuis omnia fecissem, quibus deberem illis, si grati fuissent vel si omnino viuerent gratus esse, hoc autem fuit, quia ego volebam pecunias præsentaneas, quas illi dare non poterant, ita apparet, quod hoc fuit causa mea, nam Mars est dominus ascendentis.

Et quia Mercurius & Iupiter in genitura sunt significatores substantiæ, & promissor est Venus, & hi tres sunt in trino ac sextili, hoc anno aliquid inchoabo, quod erit causa lucri non mediocris, & de hoc ego nullam video viam, sed quia vt dixi, significator peruenit ad locum promissoris, & Venus respicit ipsum de sextili, ideo non frustrabitur hoc, nisi præueniat inconueniens, tum maxime ob cor Leonis.

Et quia Iupiter cadit in opposito Saturni genituræ, patiar magnam iacturam in diuitiis, occasione rerum quæ à Saturno pendent.

Et quia Mars respicit Iouem quadrato aspectu, adhuc magis fiet iactura in pecuniis, per manus hominum: & habebo contrarietates, quibus non sunt passus in vita mea similes. Et significatur iter extra patriam, quia Mars est dominus ascendentis, & peregrinus, & in trino Lunæ.

Et quia Saturnus respicit Solem, & recipit eum, ideo à senioribus & studiosis defendar, & in honore habebor.

Cum igitur Planeta existens in malo alterius aspectu, & non recipiens eum, venerit ad aspectum malum, clara est expositio, si autem ad bonum, non receptus, vt hic, Luna ad Martem, nihil boni expecta. Si autem fuerit etiam receptus, erit vt inimicus reconciliatus, tunc igitur trinus potens, aut sextilis non receptus, occidere aut in exilium mittere potest. At si illi se aspiciant in genitura bono aspectu, in reuolutione malo, & fuerit alter ab altero receptus, magnum bonum pollicentur. Si autem non recipiant, amboque boni extiterint, vel saltem amici, tunc adhuc iuuabunt. Si autem inimici nec recepti, tunc nocebunt in eo genere.

Recipit Planeta, cum promissor à significatore, non autem cum significator à promissore recipitur: nam prima semper vtilis est, secunda auget tam malum, quàm etiam bonum.

Planetas autem diximus duplici modo significare, vel secundum naturam, vt Sol vitam, Iupiter diuitias: vel secũdum dominium, vt si Leo ascendat, Iupiter carceres significat, de hoc & de primo generaliter locuti sumus, nunc singillatim permutationes Planetarum explicandæ sunt. Addemus autem hic propria, primo significata domorum, & planetarum, vt quisque coniicere possit, quid quisque significet.

Cor cœli gloriam, magistratus, famam, honores, matrem, Decima, artem, industriam, filios, & filias.

Ascendens, animam, corpus, & quod ex his constat, vitam scilicet. Occidens mortem, hostes apertos, vxorem.

Imi cœli cor, patrem, sepulturam, & gloriam, quæ à morte est.

Vndecima, amicos & gaudia.

Duodecima inimicos occultos, tristitiam, carceres.

Nona itinera, & religionem, & dignitates.

Octaua quæ post mortem sunt, carceres, exilia propriè, & tristitiam.

Locus coniunctionis vel oppositionis vinculum animæ cum corpore.

Saturnus, carceres, mortem, hostes occultos, morbos longos, patrem.

Iupiter, diuitias, legem, filios, fratres, magistratus, amicos.

Mars, hostes apertos, contentionem, morbos acutos, artem, itinera, fratres.

Sol, vitam, gloriam, patrem, magistratus.

Venus, vxorem, & concubinas, & filias, & sorores, matrem, voluptatem.

Mercurius, animam, artem.

Luna, vitam, vxores, concubinas, sorores, animam, corpus, matrem, itinera.

Obseruare decet in significatore, Planetam aut locum in mundo, non autem in ecliptica, in promissore autem locum in ecliptica, non autẽ corpus Planetæ, nec locum in mundo, nisi cum promissor significatori committetur. Exemplum in nostra decimanona genitura vitæ significator est Luna, abscisor autem est Saturnus. Obseruabimus igitur corpus Lunæ non duodecimam partem Piscium, & loca quatuor Saturni, non autem Saturnum pro vita.

Caput nihil significat per se, cum alio augmentum & subtilitatem, & mitigat mala. Cauda auget mala, & significat diminutionem & subtilitatem.

Ne existimes quòd promissor solus occidat aut perficiat, nam quandoque produceretur effectus in longum, sed radij dispositoris perficiunt negotium ipsum. Velut in trigesima nona genitura Iupiter damnat ascendens, quia cadit in Virgine, & in loco in quo est, & respicit Martem quadrato aspectu, anno tamen in quo mortuus est, non peruenit directio ascenedntis ad radios Iouis, sed Lunæ, quæ erat domina loci Iouis. Et aliquando occidit etiam radius infortunæ, quamuis non sit promissor, nec dispositor, aut dominus loci promissoris, vt in vigesimaquinta genitura. Iupiter & Saturnus erant promissores, occisus est tamen eo anno, quo ascendens peruenit ad radios Martis oppositos & quadratos Mercurij.

Et in hoc scire debes robur significatoris vitæ, aut alterius rei, vt in vita dixi, & si fuerit robustus significator, non occidet nisi promissor, & si mediocris, occidet dispositor loci promissoris, vel planeta cuius loco promissor præest, & si fuerit debilissimus, occidet aut perficiet opus, quicunque malus Planetæ radius. Et quod scripsi in directione, intellige in reuolutione eodem modo, nam propter ipsam hæc scripsi. Significatore igitur valido existente, non abscindetur à reuolutione vlla, nisi directio associata fuerit, & nec à directione, si reuolutio

non consentiat, & ideo vides mortes has repentinas, amissiones bonorum, & exilia, procedere maxime in his, qui habent significatores debiles.

Est etiam duplex significator, abscisor & auxiliator, auxiliator celerius & facilius perficit, quo significator potentior, fuerit, abscisor quo debilior, vt in nostra genitura vitæ auxiliator est Iupiter, abscisor autem Saturnus. Et quia Luna euasit radios Saturni, non moriar per directionem Lunæ, sed ascendentis, aut propter malam reuolutionem, aut capitis congressum: nam hoc censet Ptolemæus, sed non est generaliter verum, imo nec magna ex parte, aut propter stellam de natura abscisoris, idest Saturni, Velut cum obuiauerit capiti Algol, seu Gorgonis in 20. parte Tauri, vel dextro lateri Persei in vigesimaquinta parte eiusdem, & in Planetis. Quod de corporibus dixi, etiam de radiis intelligo.

Hucusque generaliter locutus sum, nec aliquis sine his poterit quicquam vere prædicere, nunc ad singularia veniamus.

Saturnus, Iupiter, & Mars, significant fortunam & statum rerum, Sol dignitatem & authoritatem, Venus & Mercurius conuersationem cum hominibus, Luna actiones, hæc si Ioui copuletur moderatas faciet, si Saturno nimis tardas ac lentas & segnes, si Soli occultas, si Marti præcipites, si Veneri iucundas & gratas, si Mercurio industria plenas, si motu velox, postquam cœperit, celeriter perficiet, si tarda tarde. Cum igitur ad hæc loca peruenerit Luna in reuolutione, tales affectus præstabit. In loco etiam Saturni, facit vitam laboriosam intentum aquis ducendis & ædificationibus. Si autem Iouis, diuitias & honores & potentum gratiam ac filios, si Martis, ad rapinam, ad itinera & labores ac pericula, raro autem Luna ad locum Saturni venit, quin tristem faciat animam & vitæ periculum non adiiciat, raro & ad Martis citra vitæ discrimen, cum autem ad Solis, occultis intentum facit, & publica tractare negotia. Sic armiger publicum stipendium merebitur, diues in magistratu constituetur, conducet construenda subsellia prætorij lignarius faber. Si ad locum Mercurij, totus rationibus erit intentus, si ad locum Veneris cum mulieribus negotia tractabit, & erit hilaris. Si ad proprium locum, ea quæ ab initio significauit perficiet. Mercurius eadem ratione ad proprium locum reuersus, quæ ab initio significauerat magna ex parte perficiet, quod & in aliis dictum intelligi volo, ad Solis autem coniunctionem mirum in modum ledit, nam combustionem multum reformidat ob siccitatem, retrogradationem minimè, illi sæpius assuetus. E diuerso Venus retrogradatione plurimum læditur, ob circuli in quo reuoluitur magitudinem, combustionem autem minus timet aliis planetis omnibus, humida enim est. Cum igitur Soli congreditur, gratiam apud principes præstat & ab illis commoda, cum Saturni Venus occupat locum, omnibus deliciis vacabit, & fœdo coitu coinquinabitur, cum Iouis pulchra diliget, & pro adeptis diuitiis gaudebit, cum Martis erit valde salax, & malorum morum, venationibus & aucupio delectabitur, cum Mercurij, delectabitur rationibus: & forsitan pueris, provt genitura fuerit, & etiam ludis, cum Lunæ, oblectabitur itineribus, mulieribus, negotiis, piscatu, Mercurius autem cum in locum Veneris concesserit, industriam pro mulieribus collocabit, & rebus etiam inutilibus. Cum in Martis, in venatione studium suum occupabit, & in artibus operariis, in ludo, exercitatione latrocinio, pugna. Cum in locum Iouis, gratia diuitiarum & honorum. Cum in locum Saturni, gratia ædificandi, furandi, decipiendi, venena fabricandi studium consumet. In locum Lunæ, gratia itinerum, negociationis, mulierum.

At paulo euidentiora erunt hæc quæ sequuntur, cum Luna in locorum duorum planetarum in genitura iunctorum, vel radio altero alterum se aspiciente peruenerit, vel si duo simul in reuolutione, in tertij locũ coëant. Velut mixtio quæ ex Saturno, Ioue & Luna, prudentiam & authoritatem in administratione reipublicæ præstat: si bene omnes fuerint collocati, hoc enim in omnibus suppositum esse volo. Quod si in locum Iouis & Martis Luna concesserit, consilium & ad res gerendas potestatem, audaciam, & promptitudinem. Quod si ad locum Solis & Iouis, idest in eius opposito vel quadrato bene constituta, tunc quod decretum est in genitura boni, magna ex parte perficietur, alloquetur principes, magistratus inibit, opes acquiret. Si Veneri & Saturno, ad decipiendum erit aptissimus, mulierum etiam causa forsan habebit hæreditatem: vel agris & ædificiis reditus & voluptatem. Si Marti & Veneri, ad scelera promptior erit, & ad venationes ac ludos. Si Ioui atque Veneri, gaudia, lucra, prudentiam, humanitatem, moderationem, fœlicitatem denique omnem. At ab initio Antonium Pium cognomento sic habuisse in genesi credendum est. Vt Phocam, & Antonium Ciceronis inimicum, Martem, Lunam, Venerem. Et Platonem quicquid fabuletur Firmicus, Lunam cum Mercurio ac Ioue mutuo sibi blandientibus, vt cum Iupiter in Virgine, Mercurius in Sagittario, aut Piscibus esset, docui enim, omnes Planetas, præcipue Lunam Veneremque, in Virgine infortunium pati, sed tamen Iupiter, cum & ipse non parum male afficiatur, suauiloquentiam tamen præstat admirabilem. Sed iam ad institutum reuertor, cum Mars in Solis locum venerit in reuolutione, occidet aut occidetur, hoc enim proprium illius est. Si autem non fuerint signa mortis violentæ, fueritque dispositor, morbo ex vsta bile ad mortem vsque laborabit, & si fuerint ambo in igneo signo cum fixa mala vel radiis malis etiam Iouis, ignis detrimenta sentiet.

Omnis etiam erraticæ, quæ in radios Solis inciderit, significatum ab initio per erraticam non leuem iacturam patietur. Vnde si Iupiter dominus decimæ domus ab initio fuerit,

fuerit, & in radios Solis impingat in reuolutione, honor & substantia, eo anno periclitabitur, minus tamen malum, vt dixi, in Venere est.

Mars cum ad locum Iouis venerit, quæcunque per ipsum ab initio decreta fuerint, in melius immutabuntur. Si ad locum Veneris, hoc optimum est pro his, quæ per Martem in ea genitura significantur, sed nimium Veneri incumbent, & flagitiosa perpetrabit. Si vero ad locum Mercurij venerit, ludet libenter, erit mendax, & artificiis incumbet. Si autem ad Saturni locum, erunt negotia eius impedita, piger & debilis in suis operationibus. Et si ad locum Lunæ, erunt ei itinera & negotia infinita, & cum mulieribus multa tractabit.

Cumque aiquis Planeta ad locum Martis vel Saturni peruenerit, nec cum illo concordia iunctus ab initio fuerit, in eo significato res quæ significatur detrimentum non leue patietur, maius quidem, si in angulo in genitura: minus, si in reuolutione.

Iupiter cum ad locum suum redierit in ætate & natura potentis filios generare generabit. Si vero ad locum Saturni minime, sed erit auarus. Si ad locum Martis, profundet & disperget. Si ad locum Veneris, voluptatem & gaudia assequetur. Si ad locum Mercurij erit sapientior, & in negotiis sagax, & etiam vtetur maiore hominum familiaritate. Si ad locum Lunæ, filiorum incrementum & bonorum indicat & tractationem substantiæ.

Saturnus cum ad locum Iouis peruenerit, fundi reditum præstabunt vberiorem, & ipse lætior erit. Cum ad locum Lunæ, & ipse dispositor vitæ, vel ascendentis dominus, vix euadet iacturam à casu, vel præfocatione, vel morbo frigido. Si ad locum Martis, erit viuax, iracundus, rapax, meditans praua. Si ad locum Veneris, erit dissimilis sibi, & videbitur insanire. Si ad locum Mercurij, erit industrius, ingeniosus, & si fuerit senex à melancholia vexabitur.

Planetæ si capiti vel caudæ iungantur, plus operantur, quàm si ad locum illorum perueniant, quem hora geniture possidebant, generaliter tamen caput augmentum, cauda detrimenta significat. Superiores etiam capite gaudent, à cauda minus læduntur, inferiores, minus à capite iuuantur, & plurimum à cauda læduntur. Sol si in caudam incidat, detrimentum in vita, & honore significat.

Quicunque fœlices sunt, planetas habent in consimilibus signorum partibus, aut cum fixis potentibus, ob hoc necesse est, cum in radios illorum noxios inciderit significator, vt magnum detrimentum patiatur, cum validarum causarum non obscuri sint effectus. Sic illud non est verum, quod fixæ præbeant magnas fœlicitates, male terminantes, nam solum id est, quòd qui ad magnos ex infimo statu honores ascendunt, planetas potentes habeant necesse est, à quibus cum læduntur, leuiter lædi non possunt.

Quicunque etiam fœlices sunt, aut eruditi, cum Planetas habeant in eisdem partibus, vt ea in re polleant, vacuam relinquentibus illis genituram, necesse est vt etiam aliis in causis minus valeant. Ob hæc fiet, vt aliqui ab initio quasi stupidi, euadant solertes, nam directionibus ac reuolutionibus Planetæ sparguntur.

Planetæ cum ad locum coniunctionis luminarium peruenerint, quæ genituram præcessit, debilius operantur, quàm si ad locum Lunæ venissent.

Ascendens cum ad Saturnum, Iouemue peruenerit, vel illi tunc in eo fuerint, dum anni initium est, erit res composita ex significato Saturni vel Iouis & dispositionis eorum, & significationis eorundem, vt quæ hæc in anima & corpore, sic in honoribus & statu per cor cœli.

Sol in septima significat inimicos potentes. Saturnus in octaua tristitiam ex mortuis, & si Saturnus fuerit dominus ascendentis & cadat in duodecima cum radiis malis Solis, erit in carceribus. Si Luna cum Saturno vel Marte & nodo in sexta fuerit, luxabuntur ossa.

Planeta si in locum vacuum ceciderit, siggnificatum eius in eodem statu manebit, in quo fuit illo anno, in quo etiam vacuus fuit, vnde si iam pluribus annis perseuerat, in significato etiam perseuerabit. Si autem ab anno præcedente tantum, vel duobus citra, auferetur id quod de nouo illi aduenit.

Planeta si in fixam inciderit cum radiis Planetæ, idem præstat quod fecisset, si ab initio fixa à Planeta fuisset illustrata, sed per annum solum. Vnde qui genituram malam habet, impossibile est, vt ei bona fortuna diu blandiatur, at per annos aliquot non est impossibile, sed facile quis percipiet, quonā pacto violēter hoc illi quasi contingat. Ex fortuna etiam licet de genitura certam facere coniecturam. Qui vero diu bona fortuna vsi, in pessimam repente decidunt, atque in ea perseuerant: hi sunt qui mala simul ac bona decreta ab initio genituræ sortiuntur, quibuslibet ex his suum tempus sortientibus. At qui ab initio leni fortuna humilique diu agitantur, demum vsque ad mortem perseuerant fœlices, hi sunt quibus genituræ fœlices quidem sunt, sed à significatoribus pro missores plurimum absunt, vt Agathocli contigit. Si vero fixa, cui planeta occurrit, non iungitur radiis alterius planetæ, erit quasi vmbra significati.

Si dominus dispositionis temporis, seu Alfridariæ generalis, ac singularis, fuerit dispositor alicuius rei, vnusque, malum, aut bonum ingens apparebit. Raro autem bona fortuna apparet in honoribus & diuitiis, nisi à Sole supra, id est à 21. ad 49. annum.

Luna cum velox fuerit motu, bonam significat rationem, & bene eligere, & velocem in operationibus.

Sol honores confirmat: atque sic de partibus animi, corporis, fortunæ, & eorum qui ad naturam attinent.

Planetæ cum ad nodos proprios peruenerint, vitæ mutationem significant.

CAPVT VII.

De aspectibus & coniunctionibus quomodo sumi debeant.

ASpectus oppositus, fit ad oppositum signum, sub eadem parte in longitudine, & in totidem partibus latitudinis in parte contraria, velut in decimanona genitura, oppositum Lunæ est in partibus 11.mi.42. Virginis cum boreali latitudine part.4.mi.20.& oppositus Veneris radius est in partibus 23.mi.3. Arietis cum latitudine australi par.0.mi.52. Signa autem sic opponuntur.

Prima Tabula oppositionum.

♈	♉	♊	♋	♌	♍
♎	♏	♐	♑	♒	♓

Quadratus autem aspectus, est per 90.partes eclipticæ ante & retro, & in ipsa ecliptica absque latitudine, velut aspectus Lunæ in eadem genitura quadratus, est in part.11.mi.42. Sagittarij sine latitudine, & vocatur dexter, quia est anterior, & alter quadratus est in par. 11. mi:42. ♊ sine latitudine, & vocatur sinister, quia est secundum successionem signorum, & vterque caret latitudine.

Secunda Tabula Signorum se quadrato respicientium.

♈	♉	♊	♋	♌	♍
♑ ♋	♒ ♌	♓ ♍	♈ ♎	♉ ♏	♊ ♐
♎	♏	♐	♑	♒	♓
♋ ♑	♌ ♒	♍ ♓	♎ ♈	♏ ♉	♐ ♊

Trinus autem est, addendo partes 120.exceptis quibusdam minutiis, quas describemus in tabula sequenti, & est dexter anterior, & sinister secundum successionem signorum, & in vtroque latitudo, est medietas latitudinis planetæ, in parte contraria. Velut trinus Lunæ, dexter in eadem genitura est in par.11. minu. 37. ♏, cum boreali latitudine par.2. minut.20. & sinister est in par.11.minut.37. ♋, cum boreali latitudine, par.2.minut.20.quæ est dimidium latitudinis Lunæ in parte contraria.

Tertia Tabula Signorum se trino respicientium.

♈	♉	♊	♋
♌	♍	♎	♏
♐	♑	♒	♓

Per has tabulas & sequentes, absque computo colliges similem partem in suo signo respiciente, diminuendo pro trino secundum latitudinem planetæ, minuta in tabula vltima: & ponendo in opposito aspectu, vt dictum est totidem partes latitudinis, in parte opposita, & pro quadrato sine latitudine, & pro trino dimidium latitudinis in parte opposita, prout dictum est.

Sed pro sextili, accipies consimilem partem in signo sextili sinistro quidem secundum successionem signorum, aut dextro in parte anteriore, addendo minuta contenta in tabula præcedente, pro partibus latitudinis stellæ, pro latitudine autem sumes dimidium in parte eadem boreali, si borealis, australi, si australis.

Quarta Tabula signorum, se Sextili aspicientium.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
♒ ♊	♓ ♋	♈ ♌	♉ ♍	♊ ♎	♋ ♏	♌ ♐	♍ ♑	♎ ♒	♏ ♓	♐ ♈	♑ ♉

Quinta Tabula additionis pro Sextili, diminutionis pro trino.

Latitudo planetæ. par.	mi.	Distantia minuenda. mi.
0	30	0
1	0	0
1	30	1
2	0	1
2	30	1
3	0	2
3	30	3
4	0	4
4	30	5
5	0	6
5	30	7
6	0	8
6	30	10
7	0	11
7	30	13
8	0	15

Idem facies sine tabula, additis vel detractis 60.partibus ex ecliptica, & insuper minutiis tabulæ, iuxta partes latitudinis.

Exemplum. Sextilis sinister Lunæ, cadit in partibus 11.mi.47. Tauri, addendo 5.minuta ex tabula priore, quæ correspondent partibus 4.mi.30.latitudinis Lunæ & latitudo aspectus erit par.2.min.20. borealis, id est, dimidium latitudinis Lunæ ex eadem parte, sed dexter sextilis Lunæ, erit in partibus 11. mi.47. Capricorni, cum Latitudine boreali par. 2. mi.20.

Et scias quod vires aspectuum sunt, velut labor flectendi balistam, nam coniunctio, vel aspectus ex duabus partibus, est decuplus illi, qui fit cum distantia 10. partium & qui ex eadem parte, decuplus ei qui fit cum distantia duarum partium, & qui per sex minuta, decuplus ei, qui fit per distantiam fermè vnius partis, vnde maximi euentus.

CAPVT VIII.

De vitiis nati.

SCias, quòd multa fiunt casu potius, quàm natura. Puella enim aut puer in manibus violenti domini, aut militis, prostituunt se absque animi vitio vllo, & talis cognitio ex genitura non habetur: sed ex directionibus, & reuolutionibus, cum infinita illa tot rerum considera

consideratione, quam vix quisquam explicare audeat.

Impudici igitur solum dicuntur hi, qui sponte prostituunt se, vt puellæ frequenter, pueri rarissime, in quo etiam oportet leges & regionem spectare, nam antiquo tempore cum liceret, & apud Mahumetis legem, plures inuenti sunt masculi impudici, rari autem apud Iudæos & Christianos, metus enim legis assuefacit auos & parentes ac filios, vt abstineant ab his, vnde etiam violenta longo tractu temporis in naturam transeunt. Sic & in Germania hoc est omnino monstrosum, minus in Italia, quamuis omnes sint Christiani, adulteria etiam negliguntur apud Italos, multo etiam magis apud Gallos vnde minima coniectura ex astris in Gallia significabit adulteram, maior in Italia erit necessaria, maior etiam in Germania & Hispania. Quo ad euentus autem, opportet inspicere diuitias & potentiam, nam pauperes, impudici impudiceque fiunt, metu quandoque, persæpe necessitate.

In patiendo igitur, considera tres planetas, Venerem, Lunam, cum fuerit in forma Veneris, & Mercurium, cum fuerit effœminatus, voco autem Mercurium effœminatum, cum in signo fœminino, in domo Veneris, cum meridionalis, cum in infima parte parui circuli, & Taurus, Libra, Capricornus, & Pisces, diuersis causis hæc significant. Taurus quia signum fœmineum, & in eo ambo planetæ fœminini gaudent. Libra quia domus Veneris, exaltatio Saturni & pudenda significat. Capricornus quia signum fœmineum, & ambæ infortunæ in eo gaudent.

Dico, Venus in Capricorno in ascendente fuit, in duabus genituris masculorum, & illi dum pueri essent ambo, non aliter quam fœminæ venerea pati desiderabant, nec vidi signum in hoc validius. Pisces autem significat, quia est exaltatio Veneris, signum fœmininum, & valde frigidum & humidum.

Et vbi Venus in Capricorno hoc non significabit, vt apud Germanos & Scythas, significabit adulteros, in Italia autem significat vtrumque, suo tempore.

Sed in agendo, inspice Martem Saturnum & Venerem, vt enim se commiscuerint, faciunt adulteros, pædicones, & incestos, adiuvat hoc Mercurius, & per se facit cum in forma Saturni & Martis fuerit. Mars ad adulteria & incestua magis procliues facit: Saturnus autem ad puerorum concubitus. Mercurius secundum naturam planetæ cui assimilatur. Commutantur tamen hæc ex situ, velut Saturnus cum in fœmineo signo fuerit cum Venere, & in summo parui circuli, facit adulteros & incestuosos. Mars autem cum in Aquario, Libraue, cum Venere, in infima parte parui circuli, faciet concubitum appetere puerorum. Sola Venus in Scorpione si dominetur ascendenti, efficere potest cinædos.

Quod si Mars, Saturnus, Venus, Mercuriusque misceantur in Tauro, Libra, Scorpione, Capricorno, Aquarioue, aut Piscibus facit homines iam adultos, patientes muliebria, à pueritia etiam longe magis, adulteros, incestos, masturbantes se, spintrias, & omni libidinis infamia deturpatos. In his autem plus coniunctio, post oppositio facit, inde quadratus, parum trigonus & sextilis. Sol autem & Iupiter, hæc tegunt, minuuntque mala, & aliquando tollunt, prout robustiores fuerint. Domus quæ iuuant sunt prima, septima, sexta & octaua.

Cumque Saturnus auctor fuerit, erit pecuniæ causa & auaritiæ, & cum dolo. Cum autem Mars, violentiæ & ardoris.

CAPVT IX.

De vita nati.

IN vita nati, quo ad nutritionem, oportet inspicere genituras parentum, & reuolutiones eorum, & dominos trigoni ascendentis, & iudicare. Post hæc eligemus Solem semper, si sit in prima, septima, decima, nona, vndecimaue, in Ariete vel Leone, aliquo ex planetis dominantibus respiciente, & si non respicit alius planeta, præferemus Lunam in prima, nona, vndecima, decima, septima in Tauro vel Cancro, respicientem alium planetam dominatorem. Et inter domos robustior est in hoc significato, vt apparet, prima inde septima, inde decima, inde nona, inde vndecima, aliqui tamen, quos aliâs secuti sumus, decimam septimæ in hoc præferunt. oportet etiam considerare, quòd Sol in initio nonæ est robustior quàm in fine decimæ vel septimæ, & sic de aliis.

Quod si Sol sit in Ariete, vel Leone, in locis prædictis, nullo respiciente, Luna autem in dictis locis, in fœminino signo non cadens & respiciat dominum loci, præferemus eam proculdubio, vbi par sit locus. Scias tamen, quòd nullus planeta combustus, potest esse vitæ significator: comburuntur tres superiores, & Luna vsque ad dimidium signi, id est partes 15. vltra citraque Solem, Inde Venus & Mercurius ad nonem.

Quòd si nullus dominorum respiciat Solẽ vel Lunã, ipsi tamen fuerint vel alter eorum in suis signis, eligemus illum, vt Lunam in Tauro. Et in negotio vitæ semper considerabimus Solem, etiam si cadat in Libra & sit in sexta domo, non tamen erit significator, & in paribus conditionibus, præferemus illum Lunæ, tam in die quàm in nocte. Et si nullus eorum respiciat dominum loci, nec sit in sua dignitate, sit tamen aliquis eorum in aliqua quinque prædictarum domorum, erit significator.

Quod si in his non fuerit luminare, tunc dominus locorum Solis Lunæ, ascendentis & coniunctionis vel oppositionis, idest loci luminaris hora oppositionis supra terram existentis, si eum dominus loci respiciat, & ipse sit in aliqua dictarum domorũ, erit significator, & si dominus loci non respiciat dominum quatuor locorũ, quamuis sit in prima vel aliis quatuor domibus, & aliquis respiciat ascẽdens ex dominus, erit ascẽdens significator.

Et si dispositor sit in aliqua dictarum domorum, & tam ipse quàm ascendens sine aspectu, accipiemus significatorem ipsum dominum quatuor locorum. Sed si dispositor sit extra illas quinque domos, accipiemus ascendens. Cumque vitæ significator dominus fuerit loci aspicientis planetæ, tunc hoc erit optimum, & longe melius, quam si dominus loci significatoris, ipsum significatoré aspiciat.

CAPVT X.

De diuitiis nati.

SAturnus, significat hæreditates & labores. Iupiter, diuitias omnes. Mars, quæ mala parantur via, & laboribus, cum industria, vnde artes operarios. Sol, principum dona. Venus, dotes & meretricios quæstus, & amicorum dona. Mercurius, quæ ex industria artium & mercatura proueniunt, differt à Marte, quia ille significat artis labores. Luna, quæ ex negotiis proueniunt, & quæ ex aquis, & quæ ex planetis, quibus commiscetur, & quæ causa etiam vxorum, & in hoc cum Venere conuenit, & proprie quæ ex vitæ genere, idest propria exercitatione nati proueninnt.

Cumque apparet fignificatio, sine qua non possunt esse diuitiæ, vt regnum, & magistratus & sacerdotium, tunc prædices illas vt cum luminaria fixis fortunatis copulantur.

Cum igitur Iupiter fuerit in Ariete, & Sol in Cancro, in eisdem partibus, erit natus ditissimus, nam Sol Iouem recipit & Iupiter Solem, & hoc erit ex principibus, vel publico exercitio. Cum vero Iupiter fuerit in Ariete, & Sol in Sagittario, in æquis partibus, hoc idem accidet, & similiter, cum Sol fuerit in Sagittario, & Iupiter in Leone, eodem modo, & cum Iupiter in Libra, & Saturnus in Cancro. Est igitur prima vis mutui dominij. Secunda, vt significator aspicientem planetam recipiat, absque casu illius. Tertia, vt cadat qui recipitur à significatore, & illum respiciat, vt si (vt diximus) Iupiter sit in Libra & Saturnus in Cancro.

Secundus modus est vt Luna copuletur fixæ, cuius vis non sit aliena à Ioue, & Ioui ipsi congrediatur, vel ad ipsum lumen deferat.

Tertius est, vt caput Ioui aut significatori iungatur. Ad reliqua mediocria locus Iouis & situs quandoque sufficiunt.

CAPVT XI.

De gloria & honore nati post obitum.

COnsidera fixas in cardinibus, in loco Solis & Lunæ, & aliorum Planetarum, quæ autem longissime extendunt gloriam, sunt quæ cum Sole, & quæ in quarta, nam illæ gloriam nominis inter viuos claritate splendoris efficiunt: hæ monumentis operum & literarum. Cœli mediũ à Sole secundũ possidet locũ cum Luna, Saturnus post imum cœli. Iupiter famam ex diuitiis, vt Gorgiæ Leontino, vel ex iustitia, vt Aristidi, vel ex probitate, vt Socrati. Sol ex potentia, magistratu, honoribus gestis. Luna ex bona fortuna. Saturnus ex industria laboribusúe. Mars ex gestis fortibus. Mercurius ex ingenio, memoriaúe, qualis recensetur Pyrrhi legatus. Venus ex forma vt Nireus Splendophorus.

Quicunque igitur decreta habuerit alicuius eminentis vitij, aut virtutis, aut fœlicitatis, aut bonorum corporis, is famam pro rei magnitudine consequetur, septima vero famam ex morte facit, vt Comati latroni accidit, qui aliàs esset incognitus, qui in ascendente, ob vitæ longitudinem, aut incolumitatem, aut morum leporem, atque etiam his contraria.

Quibus infortunæ in octaua cum fixis malis fuerit, vel oppositum significatoris locum aspexerint, illudetur eius cadaueri, & ob id famam consequetur, vt Sysameni. Cui autem fortunæ, maxime Venus, cum præclaris syderibus in eisdem, corpora illorum pro diuorum colentur, vt Cleomeni contigit.

Quibuscunque fortunæ mediocris, vel humilioris existentibus, nihil horum contigerit, celeriter eorum memoria, ab obitu euanescet. Vbi fixæ adsunt multiplcantur secula, vbi congressus erraticarum solus, vno seculo, quamuis præclara finiuntur. Multa etiam seruantur consensu imperij, legum, vrbium, & societatum, oportet igitur geniruras cum illorum initiis consentire.

Funus & sepulchrum honorabitur, cum octauo loco nobiles planetæ præfuerint.

CAPVT XII.

De moribus nati.

DIximus in capite decimo octauo libri primi vim planetarum: hic volumus declarare vires animæ, & etiam mores, quamuis Ptolemæus hæc duo separet, vnum tamen ex alio oritur.

Saturnus igitur significat memoriam, & patientiam. Iupiter consilium, iudicium prudentiam.

Mars audaciam, acumen, promptitudinem, iram.

Sol grauitatem, moderationem, continentiam, & fastum.

Venus voluptatem, & concupiscentiam.

Mercurius ingenium, & imaginationem.

Luna rationem, & quem vocant discursum.

His cognitis virtutes corrunpumtur aut minuntur. Corruptio nunquam accidit, nisi ex stella alia vel radiis suis. Diminutio autem nunquam per stellas, nec per alios radios. Sed inspicere oportet locum in quo est, dominum, & situm, nam si fuerit Planeta in cadente domo, vt duodecima, & in opposito domus suæ, motu & lumine diminutus, talis virtus erit in eo debilis, valida, si in horum contrariis. At corruptio fit per aliorum

planetarum


planetarum radio. Velut in nostra genitura decimanona. Mars corrumpit rationem & discursum, & facit præcipitem & iracundum, non tamen priuat aut minuit ipsam. Saturnus in trino Veneris & Mercurij, facit bonam memoriam, acutum ingenium, & magnum studij amorem, nam vt dixi, Venus significat delectationem in his quæ fiunt. Ob id, quia sunt iuncti corpore, ista delectatio est nimia, & ideo nimius amor studij & concupiscentia, tamen magis, quia est Venus ascendentis domina, impediuerunt me à diuitiis & honoribus istis vulgatis, & sic in aliis iudicabis.

CAPVT XIII.

De parentibus & filiis & vxoribus & concubinis nati.

MVlti de parentibus tractauerunt, mihi autem visum est, id quod magis esset scitu necessarium, esse prætermissum, & est, an filius qui natus est, si coniugis matris ac legitimus. Si igitur Mars Lunam de nocte, vel Venerem in die pulsauerit, matrem significat impudicam. Vide igitur, an significator patris, idest dominus quartæ fuerit alterius qualitatis quàm pater: tunc scias, quòd ille non est filius eius, cuius creditur, nec coniugis, & exemplum habes hic.

Hic vides quòd dominus quartæ domus,



erat Mars in opposito Lunæ, & sextili Veneris, quæ erat in opposito Saturni, quare mater fuit impudica, & pater miles. Sed coniunx erat mercator, igitur non erat coniugis filius.

Et quia erat Saturnus in sexta, in trino Martis, & in signo sicco, Significauit nato calculum & morbum sempiternum, qui remansit ei, exciso è vesica calculo, Cumque Mars sit cum oculo Tauri in opposito Lunæ, dissipabit substantiam.

In filiis verò, considera Iouem, Venerem, Lunam & Mercurium, & Martem, & coniugium, & potentiam ad Venerem, & quintam, & decimam, & dominos earum. Vxores declarat septima domus, & Venus & Luna, sed concubinas, cum habuerint cõgressũ cũ infortunis, & similiter in lege nostra, cum fuerint plures vna, vt in bicorporeis, vel ipse fuerit Sacerdos. cum verò dominus septimæ est in fortuna, vel domina temporis cum infortuna, vel in loco eius, erit vxor mala.

In omnibus autem, quod dictum esse volo, iunge testimonia, & iudica ex superabundanti.

CAPVT XIV.

De itineribus nati, & significatis aspectuum.

INspice nonam ac tertiam, & Martem ac Lunam, sed tertia itinera breuia significat. & si ascendit Aries, aut Capricornus, erit hoc initium itinerum ambo enim nobilia, in quibus Mars dominatur. Et si fuerint peregrini dominus ascendentis, & Luna, ac Mars erit hoc validius, & maxime, cum alter eorum, vel ambo in nona fuerint, post in tertia, sexta, & duodecima.

Cumque planetæ fuerint in igneis aut terreis, erunt itinera per terram, cum in aqueis, per aquas, cum in aereis, mixta. Cumque fuerint in trino aspectu & alligati, fœlicitatem consequetur ex his, cum in opposito vel quadrato pericula, cum non se aspiciunt, infructuosa erunt. Exemplum fœlicissimæ habes in septuagesima quarta figura.

Manifestum est igitur, cur aliqui extrà patriam gloriose viuunt, qui in patria prius humiles erant: nam cum eorum qui extra patriam degunt, nulla sit planetarum in propriis locis necessitas: si iam hoc auferatur, bonis manentibus radiationibus, fœlices erunt, nam domicilia, aut exaltationes non sunt necessaria.

Opposita radiatio, tumultus excitat, optima tamen in vita, in fortunis verò si boni sint planetæ, atque recepti; bona etiam inter fortunas, si non recipiunt, sed vi extorquendam potentiam significant. Coniunctio consensu, proxima ab oppositione est quadrata. Si autem inter fotunam ac infortunam, aut inter duos, qui medij habeantur, fuerit oppositio, aut quadratus, nec recipiat vnus alterum, magna mala decernit, si inter infortunam ac fortunam peius adhuc si infortuna fortunæ sit inimica, peius etiam si inter infortunam & medium. pessimum omnium si inter infortunas sic fuerit. Medij sunt, Sol, Luna, Mercurius. In coniunctionibus vim vtriusque diligenter expende, tamen concordiam solus Sol in ea aliorum decreta immutat, & abscondit, & minuit.

Trinus ad ingenium multum confert, bonusque, minus sextilis, nisi ex validiore loco velut specula infortuna aspiciat.

CATVT XV.

De morbis nati.

OPortet scire, quæ membra ex similibus ac dissimilibus, vnaquæque erratica pos-

 sideat

sideat, aut damnare possit.

Saturnus habet ossa & ligamenta, & ideo etiam dentes, quamobrem male positus illorum casum significat, vt in quarta & septuagesima septima genitura.

Iupiter carnem & adipem.

Mars neruos membranasque omnes.

Sol spiritum vitæ, cuius sedes est in corde.

Venus medullam & humidum secundum & semen, ideò infœcundos & impotentes ad Venerem & hecticos male posita significat.

Mercurius spiritum cerebri & arterias.

Luna sanguinem & humores.

Ex compositis autem.

Saturnus habet splenem, & pedes, sed intestina, & vesicam, & ventriculum peculiari quadam ratione, vt neruosa omnia damnat.

Iupiter epar & crura.

Mars fel & brachia habet. Sed peculiari ratione corrumpit humores. Sol cor & oculos.

Venus genitalia membra vtriusque sexus possidet, & gulam.

Mercurius pectus & membranas quæ in eo sunt, & pulmonem, auditum & linguam.

Luna cerebrum & ventriculum & oculos loco Solis.

Valida hæc sunt membra, quibus erraticæ significatrices validæ sunt: debilia quibus debilia, vitiata quibus aliæ erraticæ adversantur, vnde quibus multæ sunt radiationes, multæ vires animi, vt in duodecimo capitulo dictum est, & multæ corporis partes validæ sunt. Genitura igitur in qua planetæ radiationibus sunt colligat valida dicitur, in qua non debilis & infirma, quamuis etiam prosperam indicet fortunam.

Infortunæ in angulis, mortem, detruncationes, infamiamque dant: in succedentibus, fortunarum damna, seu opum: in cadentibus morbos spontinos, aut casu quodam, & detrimenta corporis, ex his pessima sexta, inde duodecima, cauda multa mala auget. Dominus ascendentis si in his etiam fuerit, malos morbos nunciat.

CAPVT XVI.

De industria & exercitatione nati.

Difficillima certe omnium hæc est quæstio, vt quæ coniectura non certa ratione deprehendatur, in primis tamen considera Martem ac Mercurium, & decimæ dominum non medij cœli. Considera vero quibus in locis sint, ac signis, quibusque planetis misceantur. Dixit Ptolemæus qui nec in decima domo planetam habuerit, nec in prima sui apparitione, ab exercitatione suæ artis magna ex parte vacabit. Ignea quidem signa circa ignem, vt terrea circa terram: aquea circa aquas, aerea circa mundos versantur: humana circa homines, belluina circa belluas, piscium circa ea quæ neutrius sunt generis. Rursus luminaribus mixta nobiles, fortunis autem proximas, infortunis ignobiles ferunt. Condiscere etiam oportet patris conditionem? Quis enim recte dicat sutorem futurum filium regis, etiam si regno excidat? Quis etiam dator sit artis, condiscere debemus, nam Mars operarias, Mercurius quæ magis sermone constant præstat. Consideranda etiam sunt quæ succedunt, nam si diuitiæ immensæ appareant, difficile est existimare illum non lucrosæ arti incumbere, tum etiam operariū ipsum esse. Mercurij autem significatum est mercatura, Iurisprudentia, Medicina, Musica quæ cantu constat. Nauigandi, tum diuinandi, ac numerandi, & Geometriæ. Si dominus exercitationis sit cadens à dignitate & mundo, ac solitarius: vel si solum sit combustus, arte carebit, ob impotentiam, vel ea quam didicit, vt inutili, non vtetur. Quòd si illo bene disposito, Bebenia vel regia Soli iuncta, aut Ioui, fœlicem statum decreuerit: artem relinquet, ob fortunæ successum, & opum abundantiam. Exemplum in 99. genitura habes. Sol etenim & Mars domini cœli medij, sunt ambo in dignitatibus Iouis, in aspectu alter Lunæ, alter Iouis & Saturni, Ioue cum capite in humanis existente, dant igitur nobilem artem circa homines. Sed quia Sol in mundo cadit, non potuerunt dare militarem. Sic in quinquagesima septima figura Mars cœli medij dominus, cum Ioue, Luna, Sole, fecit aurifabrum.

CAPVT XVII.

De amicitia & odio nati.

Amicitia duplex, alia quidem apparens, & hæc necessario consequitur potentiam & opes, nam nec sine illis hæc, nec sine hac illæ stare possunt, at quod hic quærimus est, an fide amici constent, an prosint, detrimenta etiam ab hostibus sunt pensitanda. Cum igitur loci fortunarum Lunæ ac Solis commutantur, tunc certa est ac fida societas, vt cuidam contigit, qui Venerem in parte, vbi Lunam ego habeo, collocatam habuit. Quòd si Mercurius ac Luna, vel Sol ac Luna, vices commutent, aut Sol ac Mercurius, minus integra erit hæc beneuolentia. At si Saturnus & Iupiter, vel Venus & Mars, erunt odia etiam amicitiæ mixta. Sed Iupiter cum Saturno, iungit auaritiæ causa. Mars cum Venere flagitij. Si verò Saturnus aut Mars, Soli, Mercurio, aut Lunæ alterius genituræ opponantur, detrimenta alter alteri inferet, Sed deterior animo est, cui infortunæ dominantur, ex æquo autem odium est, vbi Saturnus Marti opponitur alterius genituræ, ac maximum. Sed non semper, quandoque enim, imò frequentissime alter alterum neque nouit, oportet igitur vt commune aliquid habeant: vt eclipsim, initium cogendi exercitus, familiam. Ob hæc inter notos, cædes frequentior, imò voluntaria omnis, vel inter notos, vel eorum causa fit. Cum vero fortunarum loca inuicem in diuersis genituris sunt opposita, pugnabunt mutuo lucro, vt aduocati, & mercatores, & medici. Si autem infortunæ coierint diuersarum geniturarum, erunt amici sibi inuicem in malo opere, vnde etiam tales vt plurimum infidi.

infidi. Abundant amicis, quibus fortunæ sunt in vndecima vel quinta, vel etiam in decima, vel septima, vel ascendente, vel nona vltimo. Sic inimicis, quibus in duodecimo loco vel in angulis infortunæ. Luna cum in vndecima fuerit aut Sol, notum pluribus non amicum faciunt, Luna plebi, Sol potentibus. Dominus vndecimi loci significat amicorum naturam, tum vero planeta qui domino ascendentis copulatur, inimicorum dominus septimæ & duodecimæ.

CAPVT XVIII.

De forma corporis nati.

FOrmæ filiorum fiunt ex formis progenitorum quod vero ex astris pendet, sic se habet. Aries, Taurus, Gemini, candidos faciunt, sed Aries paruum, pulchrum, certaminis amatorem, acuti ingenij. Taurus tumido pectore, spaciosa fronte, quasi prominentibus angulis, collo tereti, pedum vertices altiores. Cancer, Leo, Virgo, rubeos & prouecta ætate citrinos. Sed Virgo prompto ingenio, magno corpore. Libra Scorpio Sagittarius subnigros, sed Libra inconstantes, versutos, pertinaces, Sagittarius dolosos. Capricornus, Aquarius, Pisces iam nigrum colorem efficiunt. Verum Capricornus, paruum & mutabilem, ac fœdum, tum etiam maleficum. Aquarius tacitos, laboriosos, auaros, & qui cum hominibus optime versari sciant. Pisces, paruum, mediocrem, in affectibus non mutabilem, non pertinacem dicemus & de hoc inferius.

Obesi sunt & præpingues, quibus planetæ in humidis, præcipue Iupiter in Libra, Sol in Cancro, eo vero magis, si Iupiter Lunam, Veneremúe aspiciat, Mercurius aliorum planetarum figuris assimilatur. Mars & Saturnus Iouem aspicientes, macilentum efficiunt ex siccioribus signis, vt etiam Philætam Coum pœtam talem fuisse sit existimandum.

Magni fiunt ascendentibus signis procera magnitudine, eoque magis si planetæ in summo sui parui circuli fuerint cum, vero tales fiant, cur lenti in negotiis oblongi? in septuagesima quinta genitura, puer vndecim annos natus, procerus erat adeò vt quartumdecimum agere videretur, vterque dominus ascendentis, in summo parui circuli.

Pulchros facit mares Iupiter, Venus fœminas. Sed & mares muliebri tamen magis pulchritudine, post Mercurius ac Luna, sed illa sine Ioue vel Venere ascendentis domina esse non potest. Sol, & Saturnus adhuc magis turpes efficiunt gracilibus cruribus. Infortunæ in ascendente, vitia in facie imprimunt, Sol & Luna malè positi, oculos fœdant.

CAPVT XIX.

De potentia nati & fama eius.

CVm Sol in ascendente cum regia, vel magna fixa de natura fortunæ fuerit in signo masculino, & Iupiter vel Venus in secunda domo, impossibile est, cum Venus vel Iupiter, ad locum Solis peruenerint, consentiente Alfridaria, natum magnam pro conditione sua dignitatem non adipisci. Eadem hæc erunt, si Sol eodem modo in decima existente, Iupiter aut Venus in vndecimo loco fuerint.

Si cui Sol in corde cœli cum Venere fuerit in Sagittario, Iupiter autem in Leone, & Mars in Ariete, in eisdem partibus, vel sic existentibus: Luna loco Iouis in Leone fuerit, etiam Ioue non ibi existente: aut si Venus Martem aut Iouem quadrata radiatione ex parte eadem aspexerit, Sole Ioue & Marte sic constitutis, vel si sic existentibus omnibus, præter Veneris situm, Sol aut Iupiter cum regia aliqua, ex XV. signiferi, aut ex ordine Bebeniarum quæ sunt primæ magnitudinis, Vel si Sol eodem modo in Leone vel etiam Ariete, Iupiter etiam & Mars in reliquis signis, Ariete, Leone, Sagitario eisdem in partibus, vel etiam iuncti, sed non cum Sole, hic etiam si rustici fuerit filius, aut vixerit, rex proculdubio fiet: sunt autem hi triginta modi quos superius enarraui.

Sunt & alij his inferiores, cum Sol, Luna, Iupiter, in trigono, eisdem in partibus fuerint. Sol autem in cœli medio & in igneo signo Sagittarij, & Iupiter in Leone vel Ariete, Venere vel Bebenia vel regia vt supra constitutis. Quòd si Sol in Cancro, Luna in piscibus, Iupiter in Scorpione vel piscibus fuerint, eodem modo vt diximus, regnum etiam proculdubio pollicentur.

Proxima huic est constellatio, cum Iupiter, Venus, Lunaque aut Iupiter, Venus, caputque vel Iupiter. Luna, caputque in ariete, Leone, Sagittario, Cancro, Piscibusúe in corde cœli, eadem in parte coiuerint, quæ vero recedunt ab his decuplo plus tertius à secundo, quàm secundus à primo distat.

CAPVT XX.

De morte nati.

COnsule septimā domum & octauam pro violenta, & abscisorem vitæ, & dispositores. Luna in septima in Tauro, cruentam mortem ac violentam ostendit. Item in eo loco in quocunque signo in opposito Saturni vel Martis, vel quadrato vel cum illis posita, quòd si pluribus partibus distat, pericula ostendit. In Virgine & in septima posita, si cum stella de natura Martis, occidetur, Si Saturni ruina vel laqueo suffocabitur. Si Saturni & Veneris, veneno peribit, Si Lunæ, aquis mergetur. Vnde in vigesima sexta

sexta genitura, generis mortis Hali rationem assignare nesciuit. Oppositus enim locus planetarum ostendit non solum primæ mortis qualitatem, Fixæ etiam in loco anguli septimæ & figuræ cœli, vt aliàs dixi, sunt inspiciendæ.


Planeta qui interficit, est vel qui radios mittit hostiles ad locum vitæ, nec receptus, nec recipiens, estque infortuna, atque hic simul dat & aufert, vel qui aspicit locum sequentem malo aspectu vltra corpus significatoris, velut si Mars sit in decima septima parte Scorpij & Sol in prima Tauri, nam radij Solis vsque 16. solum extenduntur, vel qui est naturæ contrariæ significatori ex propria substantia, vel ratione loci. Primo modo. Saturnus abscindit supra Solem, & Lunam, & Martem, & Venerem, & Mercurium. Supra Iouem autem non semper, & Mars abscindit supra Saturnum, & Iouem, & Mercurium, & Lunam & Iupiter supra Saturnum, quandoque & supra Venerem, & Lunam quandoque, & supra Martem, & Mercurium, semper nisi in coniunctione, idest corpore, & supra Solem nunquam, & ita Venus supra Lunam, & Saturnum, & Mercurium, & validior modus est oppositio, inde quadratus & coniunctio, inde sextilis. Trinus autem raro occidit, & Sol abscindit Lunam, & stellæ fixæ de natura infortunarum abscindunt, cum radius alicuius planetæ super eas ciciderit.

Ratione autem loci est, vt Venus in Scorpione abscindit ascendens in Ariete.

CAPVT XXI.

Quid eclipses significent, & coniunctiones magnæ in geniturꝭ.

Accidit mihi in anno 1539. vt Sol eclipsim pateretur in parte propinqua ascendentis, idest in octaua parte Tauri, & fuit etiam tunc Venus ascendentis nostri domina in Saturni opposito, & fuit obscuratus Sol ex tribus quartis diametri, & erat in nona domo: & Astrologi disceptabant, quia hoc mihi celerem denunciaret mortem, &



iam præterierunt sex anni & viuo, nec vnquam melius me habui & si dicas, quòd Luna est mihi significatrix vitæ, non ascendens, cur saltem in corpore non sum passus aliquod incommodum.

Viuit etiam nunc puella, cuius est hæc genitura, & tamen Sol eclipsim incurrit post sex horas ab hora natiuitatis, & cum hoc Luna fuit cum cauda, in sextili Saturni, & Sol cum Mercurio, ipso existente domino ascendentis, domino loci luminarium & combusto, & etiam Mars Solem damnabat.

Præterea quibuscunque Sol & Luna sunt vitæ dispositores, cum frequenter hi planetæ incurrant deliquium, nunquam quisquam horum vltra tres vel quatuor annos viueret, quin pateretur infortunium in vita magnum, aut quòd non moreretur. Quamobrem patet, deliquia mortem in ascendente minime significare idem autem dico de magnis coniunctionibus.

Ergo vt ad me nihil pertinet, quòd pestis sit in Gallia, si ego vitam agam in Italia, sic deliquia non iacturam significant, aut coniunctiones, nisi cum in regione calamitatem effecerint fueritque genitura initio calamitatis concors, nam vt quæ fortuito eueniunt nobis, nihil attinent, sic etiam de deliquiis ac coniunctionibus quæ obiter per annum eueniunt. Ostendit & eclipsis anni 1539. in nostra genitura, nec si cadat in loco qui ad significatorem iam peruenit, nihil nocere: erat enim quarta pars Tauri, quæ ad locum Lunæ tunc peruenerat: vt necessarium fuisset, vel saltem grauiter ægrotare. Multas alias eclipses hoc modo obseruaui nihil efficere. Sed neque tempus in causa esse potest, cum secundum Ptolemæum sextum annum ad summum non posset excedere.

Ergo eclipses & coniunctiones magnæ nihil operantur, nisi vt causæ generales: vnde plus nocent his qui cum effectus initio cum vrbe & prouincia concordant, quàm his quibus in Horoscopo aut loco vitæ ceciderint.

Si tamen hora ipsa reuolutionis annuæ, dominum ascendentis infestum habuerint, esse potest, vt mali aliquid minentur.

Quod si hoc in eclipsibus & magnis coniunctionibus, quid in aliis debet, quæ ab his virtute ac viribus superantur?

Est tamen aliquis modus, quo hæc & illa in geniturꝭ significent. Sed nunc nostrum tantum est propositum docere, Ptolemæi regulas minime veras esse, Quinimo vt Luna quandoque iungitur Soli, innumeros à morbo ægros liberans, vt frequenter sum expertus sic etiam eclipses tam Solis quàm Lunæ, minime semper malum prænunciant.

Erat autem tunc reuolutio nostra, cum eclipsis incidit, hæc.

Ascendens 10.48 ♈	Mercurius 19. 17 ♎
Cor cœli 5. ♑	Luna 26. 57. ♎
Iupiter 25.56. ♊	Venus 13.18. ♏
Saturnus 26.1. ♍	Cauda 15. 58. ♏
Sol 10. 37. ♎	Mars 22. 5. ♏

Si luminare vitæ, eclipsetur in loco promissoris mortis nocebit egregie.

CAPVT

CAPVT XXII.

Quomodo operum initia à genitura ipsa pendeant, & an electio aliquid proficiat.

CAeterum, initia operum non illico in genitura apparent, sed per ipsas directiones. Vt in trigesima genitura, nō eam potentiam decernunt caput & Venus in septimo loco, sed cum Sol eis proximus esset, maxime cum Martis quadrato, & prius Solis oppositum ad ascendens peruenisset, vnde iter, quemadmodum res ex rebus, sic euentus ex euentibus nascuntur & fiunt, nam & in omnibus ob id sapienter egisse iuuat, cum causæ sint hæ naturales, nunc enim fatum relinquo. Igitur difficilis hæc est scientia etiam nobis, qui eam inuenimus, quatuor de causis. Prima, quoniam ob multitudinem negotiorum vni non possumus esse intenti, nec etiam illam eligere facile, quæ sit excellentioris conditionis. Secunda, quoniā nō est facile eligere ex significatoribus, quid proprie decernat, nam iam pluribus annis sicut in quinquagesima genitura, aliquid magnum vt in tua pollicebamur & sperabamus, quale autem hoc futurum sit, planè fateor me vix assequi posse. Tertia vero, quæ maxima est, ea est, quòd congressus rerum perpendere non possumus, præcessit enim primo trini Solis ad Lunam accessus, tum illico oppositi Solis ad ascendens iter significans. Post hæc autem, simul Mercurij ad Solis corpus, auctionem dignitatis decernentis, erant autē simul & reliqua paulo post cor cœli, trinus Solis attigit, & Martē Solis quadratus. Itaque iā peracta re facile est causas & etiam naturales inuenire: ante difficillimum. nam nisi fiant congressus, non perficiuntur res. congressus autem temporum rationem præsupponunt. At longissimus est hic labor, tum magis, me, aliis in rebus, & si non dignioribus, attamen mihi necessariis intento. hæc enim ars plurimum & negociis, vt quisquam hic scripta assequatur, postulat. Quarta, quæ omnibus aliis adhuc difficilior est causa: quòd quantitatem rerum attingere non possumus, atque in hac omnes fermè laborant artifices, qui coniectura vtuntur, vt medici, nautæ, imperatores exercituum, veterinarij, tamen eo magis, quòd non minus in hac arte, quàm in his, accidunt diuersitates ex regionibus, & ciuitatibus, & legibus, & temporibus. Neque enim eadem ad vnguem significant fixæ, vel erraticæ, vel cœli partes, quæ Romanorum temporibus. nam nec in eisdem erraticæ locis sunt, nec æquali motu mouentur, nec erraticas eodem modo excipiunt: aliæ enim latitudinem erraticæ, aliæ longitudinem variam suscipiunt. Hæc eadem in erraticis motis absidibus, & signiferi rursus alia natura est. nam calidæ & vehementes stellæ, quæ aliàs in Leone erant, nunc sunt in Virgine, vnde vtraque signa temporatiora, Ergo rerum initia à genitura pendent tribus modis, vel ab ipsa, vel à directione vel à reuolutione. hæc verò generalibus causis comparari debent. Cæterum electio in his aliquid facit: sed quis sciet eligere. indicat tamen satio & insitio prodesse electionem: in rebus tamen voluntariis parum prodest, & difficillima est: cum tamen ad genituras respicimus, faustis temporibus. idest annis, magna aggredi bonum est. non enim semper astra quantum necesse est impellunt. dierum autem ac horarum electio ab surdissima est nisi in naturalibus diligenter perpensa Lunæ ratione quandoquidem nec eo perfectionis deuenimus, vt dierum decreta possimus attingere. dedimus tamen modum, sed labor vtilitatem plerunque superat. At video quid sis dicturus: si Sol mihil dignitatem decernit iter ingressuro, at non ego iter ingrediar, nonne vana est hæc naturalis causa. Respondeo, vbicunque fuero Sol me digne vt excipiar faciet, magis autem alibi quàm hic. sed potest frustra perfectio operis non operatio.

CAPVT XXIII.

De pestilentia, bello, & naufragio, quomodo ad genituras comparentur.

HAbent decreta generalia suas vires, alia enim pestem, alia bellum, alia inundationes declarant: nam ostensum est à nobis, quòd cum planetæ superiores in aqueis signis coeunt, tunc artes maxime vigent, quia imperia, vbi autem imperia, & belli gloria, ibi artes ad fastigium deducuntur, tum maxime, quòd in eo trigono Iupiter Mars & Venus dominantur. Alia autem est ratio generalium, alia singularium. nam Mercurius artes significat, sed magis, quæ ad contemplationem attinent. Sed Mars operarias ad summum euehit, cum recte fuerit collocatus dominatur & in igneo trigono, sed immoderantia caloris & siccitatis, ad legum promulgationem magis extenditur: dominatur & in terreis, sed ibi siccitas nimis prædominatur, vt vero cuiuscunque genitura cum trigono suo consentit, sic homo redditur omnibus illustrior. Sed iam ad ea quæ proposuimus veniamus, cum pestis, bellum, vel naufragium, originem à syderibus accipit communis fit constellatio, seu syderum congressus, rapit autem eos cum quibus conuenit regione. nam belli quod apud Italos celebratur, Indi & Aethiopes omnino sunt expertes. deinde itinere, neque enim fieri potest, vt Romanus Romæ existens, Cannensi clade cadat. necessarium est autem, vt signa itineris conueniant. Sed non semper itineris signa apparent: nam ex ordine illo ab initio fuit. erat enim eques aut legionarius miles. Rursus violentia causæ generalis, tum singularis genitura sunt comparandæ. Vis autem generalis, singulari, æqualance, præferri debet. Quis enim vitæ significator proderit illi, qui in naui est, quæ in medio periclitatur mari. ob hoc aduersus fatum nulla prudentia, aduersus syderum decreta, magna, frequenter prodest. At dices, nonne eadem igitur & singularibus

ſingularibus caſibus ratio: ſi enim in domum quæ ruere debuit, diuerſatus eſt ea nocte,qua ruit, proculdubio ſingularis illi fuit ratio, & tamen eam vitare etiam potuit. Reſpondemus, illum qui ſic ſe habet, cum ad euidens periculum non fertur, nec conſilio rapi ac compelli tunc ex aſtris, atque hoc in genitura vel reuolutione apparere. Sed quid de illo qui in latrones incidit, in mali aeris regionem equidem commenſurare oportebit in hoc geniture decreta, & reuolutiones, cum & mala regio cauſa ſit communis, incidere autem in latrones fortuitum eſt. Sufficit igitur ad hoc, vt quis in clade cadat vt ſignũ aliquod habeat violentæ mortis, & ſi minime tunc eſſet moriturus, in peſte morbi, in naufragio aquæ: quod autem extra hæc eſt, ad fati attinet rationem, & incompræhenſibile eſt. Temerarij autem ſuper his diiudicant, & artem ipſam infamem reddunt. Sed eadem ratione verum rarius, bona contingunt ex generalibus cauſis, quæ nuſquam in genitura apparent. Qui igitur totam poſſet aſſequi artem, poſſet & omnia prædicere. Sed non licet, cum tot habeamus artes præ manibus, longe faciliores, quarum minimam tamen partem aſſequimur: vt medicinæ, bellicæ rei, & ruſticæ, & nauigandi, tum philoſophiæ decreta & naturales cauſas: hæ autem etiam his obſcuriores ſunt.

Naufragium facit Saturnus, & Mars, & fixæ de horum natura, cum Lunæ ſociantur. vel dominum aſcendentis pulſant, faciunt & eclipſes, & magnæ coniunctiones, vnde plures erunt peſtes, eclipſes etiam, & cometæ. clades cometæ denunciant & Mars dominator, quibus naſcentibus Cometa in loco principali fuerit, magna euenient.

CAPVT XXIV.

De diuinatione per ſomnia, & reliqua, & de natura ſignorum.

SVnt proprietates in ſignis & Planetis ad diuerſa. vnde qui habuerit Lunam in Sagittario vel Piſcibus diuinabit etiam ſine arte. Luna etiam coniuncta Ioui vel Mercurio, diuinationem ex arte promittit, cui piſces aut Sagitarius in nono loco fuerint, ille ſomnia habebit vera, maxime ſi Iupiter fuerit in Horoſcopo. & ſi loco Iouis fuerit Saturnus & in nona Capricornus vel Aquarius, videbit quidem multa, ſed falſa. poſt Iouem Venus facit diuinare, tum etiam Sol maxime.

Aries ſi aſcendat, facit operariis artibus deditum, mutabilis conſilij, formoſum. Taurus laborioſum conſtantẽ, & plerunque ferro vel veneno morietur. Gemini fraudulentum, & diſciplinarum amatorem. Cancer ſtudioſum, ſi iuxta medium inconſtantem, atque ideo in ſuis rebus imperfectum. Leo fortem, & triſti facie, crudelem. Virgo deditum diſciplinis, rapacem crudelem. Libra varium, in eo enim dominantur duo planetæ contrariæ naturæ. Saturnus & Venus, aliquando venereis & iocis, aliquando ſeriis totus incumbet, comtemptorem diſciplinarum, memorem, & ob id ad linguarum ſcientiam aptum, in hoc tamen conuenit cum Ariete: ſigna enim æquinoctia, ad linguas, fixa ad diſciplinas ſunt aptiora. Scorpio malorum morum. Sagittarius audaces, libenter arma tractantes. Capricornus fuſco colore ſemper, & ſalaces, verſutos, & minimè harum amatores. Aquarius fuſcos & fœdi concubitus. Piſces duplicis animi, bleſos hæc eadem ſed minus faciunt, ſi vel Luna vel dominus aſcendentis in eis fuerint.

CAPVT XXV.

De ſcientia menſis, diei, & horæ futurorum.

IN hoc conſidera, vt dixi, exquiſitiſſime reuolutionem primo, Secundo directionem vſque ad dies. Tertio directionem reuolutionis, Quarto conſiſtentiam planetæ in loco, Quinto domini loci conſiſtentiam, Sexto Aſtridaria, Septimo & vltimo diſtantiam temporis inter ingreſſum Solis in punctum ſignificatoris, ad locum qui occidit ex ſignificatoris loco, vt alias dictum eſt. De reuolutionibus autem & directionibus iam ſuperius dictum eſt, & per exempla explicatum: reuolutionis etiam directio eodem modo agitur, vt directio generalis, ſed partibus inuentis dabis diem & tertiam horæ partem, nam differentia, erroris cauſa non eſt.

Exemplum autem quarti eſt, quòd ſi Saturnus mihi inimicus in vita permeauerit aſcendens, ideſt à 6. partibus Tauri ad 6. geminorum, male afficiet corpus meum, ſed longe deterius cum ad 11. partem piſcium peruenit, qui eſt vitæ dator, & cum fuerit in Aquario & Libra, augebit honores, quia Aquarius eſt decima domus & Libra locus Veneris & Mercurij & Solis, & Iupiter in Aquario eodem modo.

Exemplum autem quinti modi eſt, vt Venus domina aſcendemtis, quoties fuerit in Scorpione, male me afficiet, & quoties Luna ceciderit in geminis, ſemper male me habeo, ibi enim ſunt hoſtes vitæ.

Exemplum ſexti iam habuiſti, ſed ſeptimi eſt in quadrageſima ſeptima genitura. Sol in natiuitate, ſignificauit pontificiam dignitatem, in reuolutione etiam: & promiſſor fuit Iupiter, & diſtantia horum per partes æquales erat 91. ſignificauit igitur, quod poſt 91. diem, ab ingreſſu loci ſignificatoris hoc fieret, ſed cum ſignificator eſſet ipſemet Sol, ideo nonageſima prima die à reuolutione hoc fuit, potuiſſet & ſignificare nonageſima prima die ab ingreſſu Solis in 27. partem piſcium, ſed hoc rarius contingit, habent tamen omnes reuolutiones hæc duo tempora. Si vero ſignificator non eſt Sol, vt in vigeſima ſexta genitura, nam ibi eſt Luna: & occiſor locus Iouis & quadratum Martis,

Martis, & fuerunt partes 13. & tantum distulit ab ingressu Solis in 22. partem Aquarij, quæ est opposita ascendenti. Considera etiam Lunæ reuolutiones, vt vidisti, ibi nam ipsa peruenit hora mortis ad Martem promissorem,

CAPVT XXVI.

De perfectione artis, & significatoribus hominum Heroum.

SCias, quòd res quæ prædicuntur, aliæ sunt consistentes, vt temperatura, mores, forma corporis, vires, ingenium, quæ quamuis permutentur, semper tamen, nisi casu aliquo violento à pristina natura recedant, comparationem ad radicem suam retinent, & hæc omnia, à sola genitura dignoscuntur. Aliæ autem res tempore acquiruntur, vt eruditio, fama, diuitiæ, honores, magistratus, cicatrices, & defœdationes corporis, & vsus venereorum, & talia à tribus cognoscuntur, à genitura, & hoc est minimum: à directionibus, cum eueniunt correspondentes, & sine impedimento, & tempore debito, à reuolutionibus, cum plures altera alteri succedente, idem significauerint. Nam si quis ex priuato princeps euadit, num in vno mense hoc facit? quin potius fit puer militis exiens patriam, inde gratia domini comparata, fit primipilaris, post signifer, per aliquot annos inde centurio, inde tribunus militum, inde in prælio capit principem, moritur dux exercitus, fit dux exercitus, inde ducit vxorem, principis filiam, & armorum ac nuptiarum causa succedit in principatu, & fit princeps, si igitur hic ordo est in effectibus, cur non in causis? Ex hoc patet causa, cur ante nos nemo, de his quicquam recte pronunciauit, est enim res laboriosa valde, & ipsi volunt leui labore rem ingentem perficere. Ex hoc etiam patet causa, cur tot inuenerint nugas, partes, facies, nouenarias, quia non poterant tot rebus quæ homini eueniunt, situ solum septem planetarum satisfacere, vnde hæc figmenta inuenerunt, cum docuisset primo fixas animaduertere, inde vt dixi reuolutiones, ac directiones. Oportet autem in genitura, non abesse seminaria effectus, vt pro eruditione ingenium, memoria, patientia. Exemplum habes in nonagesimasexta figura, quid enim profuisset illi ingenium & memoria nisi per directiones & reuolutiones in nostras incidisset manus? Sed & postquam venit, si non perseuerasset, quomodo euadere poterat: necessarium igitur fuit directiones ac reuolutiones concordare. Liquet igitur denuo, hanc artem esse omnium maximam, cum verò pauci aut vix vlli ad eam pertingere possint, alij negligunt, alij infamem suppositiis commentis reddunt. Ostendam autem hoc exemplo geniturae decimænonæ nostræ, nam cum illa non sit celebris, anno tamen 1519. cum irem in Gymnasium, peruenerat cœli medium ad quadratum Iouis in fine, & fuit reuolutio hæc quæ me adiuuit, cum quadratum Iouis iam propter ætatem & alia impedimenta quasi euanesceret.

1519. die 24. Septembris, hor. 15. min 18. à meridie.

Cor cœli, 30 ♉.

Reuolutio decimaoctaua completa.

Omnes igitur planetæ fuerunt iuxta locum Veneris & Mercurij in genitura, & iuxta trinum Saturni, & indicauerunt aliquem effectum ingentem ex hac profectione.

Et iam ab anno 1536. inchoante vsque ad præsentem annum semper, nullo anno excepto, Sol in aliquo angulorum. Anno autem 1546. incipit exire ab angulo, ideo his annis multa edidi. Ex quo etiam patet, cur tam rari euadant magni, & quomodo quod à multis quæsitum est nati eadem hora, eodem momento, habent diuersam fortunam, nam cum loco distent reuolutiones & comparationes ad verticales stellas sunt necessario diuersæ. Et nota quod in hac reuolutione omnes planetæ erant sub terra, ideo significabant gloriam, quæ post mortem manet, idest librorum compositionem.

Cum igitur Sol & Iupiter & Luna bene disponuntur, & cum fixis fuerint fortunatis, & directiones ad tempus iuuentutis bonæ terminantur, & plures reuolutiones fortunatæ, tunc Heros, & maximus vir euadit, palam igitur est, quam multa concurrere sit necessarium.


CAPVT XXVII.

De viribus & dignitatibus planetarum.

PRima ac debilissima vis, debetur Antisciis, sunt autem antiscia puncta quælibet, quæ vel æqualiter distant à tropicis, vel quæ æquales habent ascensiones, quæ autem æqualiter à tropicis distant, æqualiter etiam ab æquinoctiali seu æquatore, dies etiam faciunt inuicem æquales, cum Sol in eis fuerit, pro hoc igitur genere, quod semper in eodem paralelo locatur, duplicem constituo tabulam Signorum & partium.

Signa.		Partes.		Partes.		Signa.	
Aries	Virgo.	1	30	8	23	Aries	Piſces.
Taurus	Leo.	2	29	9	22	Taurus	Aquarius.
Gemini	Cancer.	3	28	10	21	Gemini	Capricor.
Libra	Piſces.	4	27	11	20	Cancer	Sagittar.
Scorpius	Aquarius.	5	26	12	19	Leo	Scorpio.
Sagittarius	Capricornus.	6	25	13	18	Virgo	Libra.
		7	24	14	17		
				15	16		

In ſecunda Tabula poſui Signa tantum, nam partes primæ tabulæ, etiam inſeruiunt ſecundæ tabulæ. Exemplum primæ tabulæ habes in trigeſima quinta genitura. Aſcendens eſt in ſecunda parte Piſcium. Cauda in vigeſima nona Libræ. Video igitur quòd Libra correſpondet Piſcibus, ſecunda pars vigeſimæ nonæ, igitur erunt in Antiſcio, & Antiſcium Iouis in decimanona genitura, eſt vigeſimaſeptima pars Leonis. Sed exemplum ſecundi modi eſt in quinquageſima quarta genitura, nam Sol eſt in vigeſima quinta parte Libræ, & Venus in quinta Virginis, igitur fuerunt in Antiſcio ſecundo modo.



Ratio vero domorum quaſi ſumpta eſt eodem modo, nam cum Sol maximas in Leone vires habeat, & Luna in Cancro qui Soli ſuccedat in dignitate, proximas Cancro & Leoni occupat Mercurius, inde Venus, & ſic habita diſtantiæ ſignorum æqualitate, vſque ad Saturnum, qui vtrique luminarium opponitur domibus, ſicut etiam natura. Cadunt autem Planetæ in oppoſitis domorum, vt Iupiter in Geminis, Luna in Capricorno.

Sed poſt domum, maxima virtus eſt exaltationis, exaltatur Sol in Ariete, nam prima eſt illius virtus, cum ad nos venit in hoc ſigno. Succedens verò Luna accepit, Venus & Mercurius acceperunt proxima, Piſces & Geminos, Sed Mercurius non potuit accipere Piſces, quia opponuntur domui ſuæ. Cancrum accepit Iupiter, Mars Capricornum, vt Ioui opponeretur, & ſic Saturnus Libram, vt Soli.

Exaltationes.

Saturnus	Iupiter	Mars	Venus	Sol	Luna	Mercurius.
Libra.	Cancer.	Capricor.	Piſces.	Aries.	Taurus.	Gemini.

Communis tamen opinio eſt de Mercurio, eo quòd gaudeat in Virgine. Sed hoc non eſt adeo rationi noſtræ conſentaneum. Mars non potuit accipere Aquarium, quia nimis remouetur ab illius natura.

Trigoni autem hac ratione conſtant, tribus quibuſlibet ſignis ex eadem natura. Damus primum dominum exaltationi, ſecundum domino domus, & ſimiliter tertium, quia igitur in igneo trigono, Arietis, Leonis & Sagittarij, Sol poſſidet exaltationem, ideo primus dominus eſt Sol, Secundus eſt Iupiter dominus Sagittarij, Mars tertius, quia Aries iam dederat vires Soli.

		Primus	Secundus	Tertius	
Aries Leo Sagittarius	Igneus	Sol Iupiter	Iupiter Sol	Mars Mars	In die nocte
Taurus Virgo Capricornus	Terreus	Venus Luna	Mercurius Mars	Saturnus Saturnus	die nocte
Gemini Libra Aquarius	Æreus	Saturnus Mercurius	Mercurius Saturnus	Venus Venus	die nocte
Cancer Scorpio Piſces	Aqueus	Iupiter Venus	Venus Iupiter	Mars Luna	die nocte

Hæc autem ratio trigonum firmiſſima eſt & emendata.

Terminorum

Terminorum vero ratio, alia longe est nobis, ac aliis. Antiqui enim sic terminos definiunt.

♈	6 ♃	6 ♀	8 ☿	5 ♂	5 ♄
♉	8 ♀	6 ☿	8 ♃	5 ♄	3 ♂
♊	6 ☿	6 ♃	5 ♀	7 ♂	6 ♄
♋	7 ♂	6 ♀	6 ☿	7 ♃	4 ♄
♌	6 ♃	5 ♀	7 ♄	6 ☿	6 ♂
♍	7 ☿	10 ♀	4 ♃	7 ♂	2 ♄
♎	6 ♄	8 ☿	7 ♃	7 ♀	2 ♂
♏	7 ♂	4 ♀	8 ☿	5 ♃	6 ♄
♐	12 ♃	5 ♀	4 ☿	5 ♄	4 ♂
♑	7 ☿	7 ♃	8 ♀	4 ♄	4 ♂
♒	7 ☿	6 ♀	7 ♃	5 ♂	5 ♄
♓	12 ♀	4 ♃	3 ☿	9 ♂	2 ♄

Pro domibus habentur hæc carmina.

Est Aries Martis, & acutæ Scorpio partis,
Libram cum Tauro, Venus ambit purior auro.
Occupat Erigonem Stilbon geminumque Laconem.
Atque Ioui dona Pisces simul atque Chirona.
Est tibi Saturne, domus Ægocerontis & vrnæ.
Cesserunt soli, Cancer Lunæ, Leo Soli.

Exaltationes autem his.

Sol oue, Luna boue, Saturnus lance leuatur.
In Cancróque tonans, in te Capricorne gradiuus.
Stilbontem sua virgo leuat, Piscesque Dionem.
Et caput erigitur Ledea prole Draconis.

Triplicitates vero sic.

Sole dies, Ioue nox regitur, Mars tempus vtrumque.
Marte dies, Luna nox, semper Stilbon habetur.
Saturnus Stilbon quinta, & Iupiter Venus ac Mars.

Carminibus sic memoriæ commendantur termini.

Ari. *Sex Iouis, & Veneris, Stilbonis bis quater, inde*
Pirois est quinque, Sat tibi quinque dabit.
Tau. *Octo Venus, sex Stilbon habet, tum Iupiter octo.*
Sat quinque exposcit, Mars tria bella pede.
Gem. *Bis tria Mercurio, & regi, sed quinque Dioni.*
Mars septem numerat, bis tria prima loci.
Can. *Belliger est septem, sex mater, doctus eosdem.*
Septem sunt regi, Sat quater ille senex.
Leo. *Sex regi numera, sed quinta & quinque tenebit.*
Sat septem, docto sex, quoque bellig-ero.
Vir. *Stilbon dat septem, bis quinque mater amoris.*
Quarta Ioui, bello septima, Satque duo.
Lib. *Sex Sat Lira mouet, Stilboni bis quater illi.*
Et regi, & quinta septima, Marsque duo.
Scor. *Mars septem, Venerique quater, Stilbontis & octo.*
Quinque adsunt regi, sat ibi sexta dies.
Sagit. *Annus rex est, quinque Venus, Stilbon quater ille.*
Sat quinque, & Marti bis duo signa dabis.
Capric. *Septem Stilbonti, & regi, & Venus octo diebus.*
Sat quater, & Mars est nobilis ille tibi.
Aqua. *Docto sunt septem, Veneri sex, septima regi.*
Mars quinque, annumerat, tot quoque prima dies.
Pisces. *Bissennis quinta, & Regi quater, & tribus Hermes.*
Mars nonum annumerat, Sat duo signa sibi.

Qui igitur sic distribuunt, coguntur Soli dare sex signa ab initio Arietis, vsque ad Libræ initium, reliqua sex signa Lunæ. At hoc est absonum, vt quarta pars Tauri sit simul finis Veneris & Solis, sunt etiam, absque ratione. Nam non decet ea habere domicilia, exaltationes, trigonum, & carere terminis ac finibus propriis. Hæc igitur est ratio nostra, septem partes dantur domino exaltationis, post sex domino domus, & si fuerit trigoni etiam dominus 7. post domino trigoni primo quinque, & secundo quatuor, inde quatuor Soli in masculino, primo, deinde Lunæ contrario modo in fœminino, inde tres, domino sequentis signi. Vltimas autem partes infortunæ, non habenti dignitatem in loco, nisi sit planeta aliquis cadens in

in eo ſigno ab exaltatione, nam tunc infortuna habebit penultimas tres partes, & planeta cadens vltimas. Si tamen erratica, quæ cadit ab exaltatione, habeat in eodem ſigno vim trigoni, vt Mars in Cancro, retinebit penultimum ſuum locum. Si vero pars aliqua deficiat, detrahimus eam à partibus, quas poſſidet planeta, qui finem ſigni ſortitur. Sol autem & Luna nunquam finem ſigni ſortiuntur.

Termini ſecundum rationem noſtram.

♈	☼	7	♂	13	♃	18	☽	22	☿	25	♀	28	♄	30
♉	☽	7	♀	14	☿	19	♂	23	☼	27	♄	29	♃	30
♊	☿	7	♄	12	♀	16	☼	20	☽	24	♂	27	♃	30
♋	♃	7	☽	13	♀	18	☼	22	☿	25	♂	28	♄	30
♌	☼	7	♃	12	♂	16	☽	20	☿	24	♀	27	♄	30
♍	☿	8	☽	13	♀	17	♂	21	☼	25	♄	28	♃	30
♎	♄	7	♀	13	☿	18	☼	22	☽	26	♂	28	♃	30
♏	♂	6	♃	11	♀	15	☽	19	☼	23	☿	27	♄	30
♐	♃	7	☼	12	♂	16	☽	20	♄	24	♀	27	☿	30
♑	♂	7	♄	14	♀	19	☽	23	☼	27	☿	29	♃	30
♒	♄	7	☿	12	♀	16	☼	20	☽	24	♃	27	♂	30
♓	♀	7	♃	14	♂	18	☽	22	☼	26	♄	29	☿	30

CAPVT XXVIII.

De ſignificato virium planetarum.

DOmus & exaltatio, primas vires habent, quas ſignificemus numero 6. trigonus autem pro domino primo, ſi ſit tam de die quàm de nocte, quatuor habet vires, vt Iupiter in Ariete. Si ſolum de die & genitura ſit diurna, tres habet vires, in nocte nullam, vel vnam tantum, idem dicas de nocturno in diurna genitura. Sed ſecundus dominus, ſi communis ſit die ac nocte, duas habet vires, ſi autem non ſit communis, diurnus de die, & nocturnus de nocte, duas habet vires, contrario autem modo nullas. Tertius ſi communis fuerit, duas habet vires, ſi autem diurnus, vel nocturnus, in die quidem diurnus vnam, in nocte nocturnus vnam: contrario modo, nullam, termini dominus, ſemper duas.

Differentia inter dominum domus & exaltationis etiam eſt, quia effectus domini exaltationis clarior, domus autem perennior. Differentia inter dominos trigoni & termini eſt, quòd dominus termini clariores facit effectus trigoni diuturniores. Igitur trigoni ad finem, vt domus ad exaltationem. Vltimi termini debiliores ſunt, ac poſt primi & in vnoquoque termino poſtrema pars debilior, inde prima, mediæ autem validiſſimæ.

Et vt Planeta gaudet in dignitatibus ſuis, ſic contriſtatur in oppoſitis, in trigonis tamẽ & finibus hoc adeo eſt leue, vt lateat, quare iure merito oppoſita horum Aſtrologi non curauerunt. Oppoſitionem ſignorum vbi de radiationibus tractauimus habuiſti. Fines terminorum, natura ſequentium participant, vt decima ſexta pars ♐ de natura ☽. Participant & naturam ſtellarum fixarum in eis exiſtentium & radiorum erraticarum, qui in ipſos cadunt terminos.

Signa etiã ſe oderunt, maxime Leo & Scorpio, poſt Sagittarius & Piſces, vltimo Aries & Cancer. Sagittarij tamen cum Piſcibus occultior eſt inimicitia, quia ambo ſigna ſunt bicorporea, & domus Iouis. Omnes etiam planetæ gaudent in Cancro præter Saturnũ. Luna habet ibi domum, Iupiter exaltationem, Martis quamuis in eo cadat, & Solis frangitur ſiccitas & calor immenſus. Venus habet trigonum, & gaudet in domo amicorum. Mercurius eſt in ſextili domus ſuæ. Saturnus autem ibi vehementer triſtatur, & malos morbos facit.

In Virgine autem omnes ſe male habent, præter Mercurium, tum quia volunt recedere à nobis, Planetæ ad auſtrum, tum quia Solis, Saturni, & Martis ſiccitas augetur in immenſum. Iupiter & Venus in ea cadunt, & Luna eſt in domo inimici ☿. Sed planetæ omnes, præter Mercurium, duplici illa ratione gaudent in Piſcibus, veniunt enim ad nos, & fortunæ in his ſedem habent, & Saturni Martis ac Solis ſiccitas frangitur, & Luna eſt in trigono ſuo, & in domo amicorum.

Sunt & amicitiæ planetarum inter ſe, tum odia, non quidem quòd ſtella ſtellam odio habeat, vt homo hominem, aut quòd altera alteram viciet, vt elementa, ſed quæ contrarios effectus, cum ſibi obuiant, pariunt.

Amicitiæ.

	Saturnus	Iupiter	Mars	Sol	Venus	Mercur.	Luna
Amicus eſt	Ioui Soli Mercurio.	Saturno Soli Veneri	Veneri	Saturno Ioui Veneri	Ioui Marti Soli Lunæ	Saturno Soli.	Ioui Veneri.

Odia

Odia.

Odit	Saturnus Martem Venerem.	Iupiter Martem Mercurium.	Mars omnes preter Venerem.	Sol Martem Lunam.	Venus Saturnum.	Mercurius Iouem Martem.	Luna, Solem.

Reliqui Planetæ sunt indifferentes, vt Saturnus cum Luna.

Planetæ in domibus suis, significant eum qui à suis magni æstimabitur, amatorem quietis in patria, & fœlicem.

In exaltatione, honores aduenientes, gloriam, tam à propriis, quàm ab alienis: hominem quasi indifferentem.

In trigono suo, custodientem sua, quietum, amatorem rerum mediocrium.

In finibus, suis, hominem variæ fortunæ. & permutantem statum sæpe. Cùm enim planeta vitam significans redierit, vita erit incolumis, cum autem ad inimicorum terminos processerit, erit infœlix idem de honoribus & diuitiis.

Planetæ peregrini, homini præstant, si bene dispositi fuerint, melius extra patriam, quàm in patria: si male, nullibi.

Cadentes à domo, peregrinationes, & exilia, & inconstantiam, ab exaltatione autem, hominem qui multa in honore suscipiat in commoda, deiectum, & de quo homines non curent.

In summo parui vel eccentrici circuli, ambitiosos, audaces. & omnia contemnentes. In imo autem, prouidos, timidos, & viles.

Retrogradi superiores, præstant pertinaciam, si omnes sic fuerint, adeo erunt pertinaces, vt pro fatuis aut stolidis habeantur. Maxime igitur pertinax est, cui ascendens, & locus Lunæ est in Capricorno, & magis in Aquario, & tres superiores retrogradi.

Faciunt & hi sic positi, nunquam à contentionibus explicitum, cum difficultate maxima negotia ad finem perducentem, tandem desperantem.

Venus & Mercurius retrogradi, fallaces, anxios, curiosos, de semetipsis diffidentes, solicitos, negligentes actiones proprias, semper autem respicete oportet cui præsint, alij vitæ, alij negotiationi.

Signa etiam per se naturam rerum disponunt, Aries vitam, Libra diuitias, Taurus labores, Scorpius animi sollicitudinem & deceptionem, Gemini industriam, Sagittarius audaciam & promptitudinem, Cancer negotiationem & patrimonia, Capricornus regnum & dignitatem. Leo vires & tollerantiam, Aquarius perseuerantiam & partorum retentionem, Virgo finem laborum & absolutionem operum, Pisces delitias & voluptatē.

Antiscia prima significant concordiam absque similitudine aliqua: Antiscia secunda similitudinem & non concordiam.

Planetæ accedentes, dant vim suam alteri: vnde in nostra geuitura Mercurius Veneri, & Venus Mercurio vires præstat.

Planeta transferens lumen ab altero ad alterum, est, quoties celerioris motus aliquis separatur à planeta tardioris motus ad alterum applicans, vt in vigesima quarta genitura. Sol transfert lumen Martis ad Iouem, & tunc significatur, quòd ea quæ significantur à Marte, fiunt gratia eorum quæ à Ioue significantur idest, quòd committebat adulterium causa diuitiarum, vt ornata videretur, nam hoc Sol significat.

Si vero antequam obuiet alteri, retrocedat, impedimentum & pœnitentiam significat.

Si autem ille alius effugiat, vt in vigesima secunda genitura, Sol deferebat vim Saturni & Martis ad Venerem, sed Venus est celerior Sole, significat quòd appetet rem, quam nunquam complebit, & ita fuit, nam ante matrimonium diu tractatum, occisus est.

Si vero alter planeta retrogradando illi leuiori occurrat, antequam perueniat ad illum quem petebat, aut alteri leuiori se occurrat, quod in vnum transferre voluit, in alium cogetur.

Si vero ab vno separatus leuiori applicare nititur, sed non perficit, vt in quadragesimasexta genitura, Mercurius sextiles radios Veneris, ad Lunam transferre conatur, cum tamen leuior sit Luna, ideo significat, quòd multa quæret in talibus negotiis, quæ non solùm non assequetur, sed erunt impossibilia, & sic de aliis.

Sol in Cancro in angulo aliquo præter quartam, vitæ longitudinem auget, vt supra partis annos, si à maleficis non impediatur, aut casu aliquo præripiatur, viuat.



LIBER


De exemplis centum geniturarum.

PROOEMIVM.

NEC temere, aut leui ex cauſa, harum geniturarum vllam ſubiungimus, cum vnaquæque aliquid admiratione dignum habuerit. In eis tamen, quæ priuatorum ſunt hominum, non erit difficile, tum vniuerſam illorum vitam deſcribere, tum etiam quod vera ſcripſerimus perſuadere. In Principum diſpoſitionibus exponendis, longè maius arduum negocium erit diſſerendi, maximum vero perſuadendi: tum quia Principes, ex regnorum ſignificatoribus, maximam ſuæ fortunæ viciſſitudinem habent, qui nullum proprie illorum genituræ teſtimonium exhibent: tum etiam quòd maledicere viuentibus eis ſine periculo, laudare ſine adulationis ſuſpicione, non poſſimus: nec ſi omnino hæ malis & infortuniis vacent, facile quiſquam credat. Quidam vero Principum corpora, animumque in totum à cœleſtibus cauſis abſoluunt, quemadmodum Firmicus. Licuit ſanè his, qui etiam deos ipſos appellauere, ob vanam ſuperſtitionem: nobis autem, qui veram colimus pietatem, quique nihil in aſtris ſuperſtitioſum, ſed tanquam naturales cauſas obſeruamus, minime licet. Sed vt calore, frigore, doloribus omnes homines ſine diſcrimine vexantur: ſic non negamus Principum corpora animoſque mutari violenter, & leniter ad bonum malumque deflecti.

Sequitur figura exempli primi geniturarum.

I.



Latitudines Planetarum.

Saturnus	2	12	Sep. D.	Venus	1	30	Mer.	A.
Iupiter	1	3	Sep. D.	Mercurius	1	34	Sep.	A.
Mars	0	11	Sep. A.	Luna	4	53	Sep.	A.

Cum Ioue ſtellæ paruæ, naturæ Saturni & Veneris.

Cum Marte ſtellæ paruæ geminorum, naturæ Saturni, & ſunt 5.

Cum Venere ſtella pedis geminorum, magnitudinis tertiæ, natura Mercurij parum Veneris.

Cum Mercurio & aſcendente parua ſtella, natura Saturni & Mercurij.

Cum aſcendente, id eſt, iuxta finitorem viſus, coaſcendit minor canis.

Cũ imo cœli ſpica virginis, natura Veneris, parum Mercurij: & arcturus in Boote, naturæ Iouis, magnitudinis primæ.

Multa in hoc viro præclaro, egregia fuêre. Primum carminum ſuauitas elegans, quæ per vniuerſum orbem celebratur. Præſtat hoc Iupiter in domo Mercurij, in quadrato Veneris, exiſtentis cum pede gemini, naturæ Mercurij, & parum Veneris: & ipſa fuit ſimiliter in trino Lunæ, & ipſa erat intercepta à radiis Iouis oppoſitis. Et ideo ſuauiloquentiam præſtat hæc conſtitutio, qua maiorem præſtare non poteſt.

Secundum eſt, profunditas ſenſuum cum ſtudio maximo. Præſtitit hoc Mercurius in aſcendentis gradu iuxta Solem, in ſextili Saturni, quod in ampliſſimum auxit coaſcendens minor canis bebenia, naturæ Mercurij. Atque eo modo authoritatem cum doctrina & eloquentia coniunxit.


Tertium eſt, perpetua manens ac indefeſſa gloria, vt etiam in Hiſpanicam linguam tranſierit. Oſtendit hoc ſpica virginis in cœli imo conſtituta.

Quartum

Quartnm est, cœlibatus & orbitas: nam decimam Sol aſpicit de quadrato, & Mercurius ex angulo, fortis vterque quintam Sol & Mercurius de trino equidem, ſed ex ſterili ſigno, Iupiter de quadrato in ſterili exiſtens, Saturnus de ſextili non in fœcundo ſigno. Habuit igitur filium, quem Iupiter ſignificauit infortunatus, qui breui ſuperuixit.

Quintum eſt, ſignificatio Mercurij linguarum pluralitatem dantis, percalluit enim latinam linguam, ac græcam: ſemper enim Mercurius fortis pluralitatem dat linguarum, maxime cum Soli propinquus extiterit. Sol etiam in Oriente, longam vitam decernit. Iupiter autem in ſecunda, religionem, hoc etiam plerunque facit.

I I.



Cum Ioue fuit quaſi aldebaran.

Cum Marte ſtellæ tres paruæ, naturæ Saturni, parum Mercurij.

Cum Sole iuba ceti, magnitudinis quartæ, naturæ Saturni, & cuſpis cornu arietis, magnitudinis tertiæ, naturæ Saturni & Martis.

Cum Mercurio auſtralis poſt linum piſcium parua, naturæ Saturni ac Iouis.

Cum Luna ſtellæ ex aqua aquarij, naturæ Saturni, parum Iouis.

Cum aſcendente ſtella, naturæ Iouis, & Saturni, magnitudinis tertiæ: & Soli & Martis, magnitudinis quartæ, & fuit ibi vultur cadens in lira magnitu. primæ, naturæ Veneris & Mercurij.

Cum corde cœli fuit ſpica Virginis, & arcturus in boote, naturæ Veneris & Mercurij, & Iouis regales: verum diſtabant ad ſequentia, parte vna & media fere.

Plurima in hoc viro & bona & mala fuere.

Primum, cum Venus, aſcendens de trino reſpiciat. Venus vero in tauro dominetur, blanda verba, eloquentiam, & gratiam apud homines præſtat hæc conſtitutio.

Secundum eſt, diuerſarum linguarum non vulgaris peritia, plurimarum ſcientiarum cognitio. Præſtat hoc indubie Luna in quadrato Iouis cum Aldebaran exiſtentis, & ſtella cum Mercurio de natura Saturni & Iouis.

Tertium fuit, exilium quaſi perpetuum: quòd Mars aſcendentis dominus, combuſtus cum lino piſcium ſignificabat, Luna aſpiciente aſcendens.

Quartum, fortuna in quinta, plures exhibet filios, Luna reſpiciente ex ſigno multorum filiorum.

Quintum fuit, nominis magnitudo. Præſtat hoc ſpica virginis & Bootes in cœli medio, & vultur cadens in aſcendente.

Sextum, plurima, ſi quiſquam alius, volumina è græco vertit, mediocri eloquentia latina, quoniam eo tempore Latinæ literæ adhuc frigebant, & ipſe Græcus natione, vir plurimum fellis & mellis habens: nam vt clarum eſt, infortunæ Soli, Mercurio, aſcendentique prædominabantur. Poggius & Iacobus Cremonenſis, græcarum litterarum ignari, iubente Nicolao pontifice, plurimas illius traductiones, ſuppoſititio nomine occupauere. Vir vagus, ſubdolus, melliteis verbis, robuſtus, vafer, inconſtans, laborioſus multiſcius, longæuus.

I I I.



Latitudines Planetarum.

Saturnus	1	50	Sep. D.	Mars	0	13	Sep. A.
Iupiter	0	30	Sep. A.	Venus	3	40	Mer. A.
Mars	0	9	Mer. D.	Luna	2	11	Sep. A.

Cum Ioue vola leonis, magn. quartæ, naturæ Iouis & Martis.

Cum Marte, ſtella magnitudinis quartæ, naturæ Martis, & Apollo ſecundæ magnitudinis, naturæ Mercurij.

Cum Venere ſtellæ tertiæ & quartæ magnitudinis, formæ geminorum, naturæ Saturni & Martis, & cum ea etiam eſt canis ardens, naturæ Iouis, & parum Martis.

Cum aſcendente ſtellæ naturæ Saturni & Mercurij, ambæ paruæ, ex forma Cancri.

Non pauca in hoc viro adnotatione digna fuere.

Primum fuit longitudo vitæ, cum 83 exceſſerit annos. Præſtat hoc Sol fortis in aſcendente cum Ioue.

Secundum fuit, doctrina ſuo tempore non contemnenda, græca latináque. Hoc indicabat Mercurius in virgine, in Saturni quadrato,

drato, & Veneris sextili: & Mars cum Apolline, naturæ Mercurij.

Cumque Venus in cancro foret, in duodecima, cum Marte in sextili Mercurij, Mercurio etiam in quadrato Saturni, & ipsa cum cane ardente, & stellis naturæ Saturni & Martis, non obscure declarabat hominem omni libidine flagrare: vnde & ob puerorum concubitus, & mulierum raptum infamis habitur, ab inimicis publice lacessitus, multa etiam incommoda perpessus est. Quid enim flagitij addi poterat, si Venus vtrique infortunæ & Mercurio iungebatur. Malum etiam ingenium & seditiosum ostendit.

At quia cor Scorpij, secundum gradum erat in imo cœli, & Aldebaran in medio, id est, in decimæ initio, clarum hominem literis, etiam post fata demonstrat. Aspicit autem loca Mercurius & Venus, trino ac sextili vicissim, nec homini obfuit, nisi temporum calamitas, quibus bonæ perierant literæ.

Nam Sol cum Ioue iunctus, in sextili Saturni, & dominus ascẽdentis indicauit studiosum, laboriosum, seuerum, agrestem, ac præter vitia Catonianam quandam asperitatem præferentem, superbum, cogitabundum, ac memoria insigni præditum, incolumem.


Saturnus etiam in Sagittario, in trino ascendentis, indicauit vulnus in facie.

Iupiter combustus & Mercurius in quadrato Saturni, dat inopiam, labores. Venus sola fauet, vnde plurimas duxit vxores, primam rapit. Significabat autem occasionem victus, Mercurius in secunda, in domo propria.

Luna in quinta, filios promittebat, Saturnus malos.

Illud verò non parum animaduertere conuenit, quod in hac & prima & sequente genitura videre licet, Martem in cancro, in duodecima, aliquam cum doctrina & eruditione habere significationem, inimicosque debilitare. Sunt autem virorum eruditorum signa 4. Taurus, Cancer, Leo, & Aquarius: rarò autem aliud ascendit signumtp, si regula in Trapezuntio exceptionem etaiatur.

I V.



Saturnus cum pede boreali cancri, naturæ Saturni Mercuriique magnitudinis quintæ.

Iupiter cum stella extra formam cancri, naturæ Saturni & Mercurij, magnitudinis qnartæ.

Mars cum stella, magnit. 4. naturæ Mercurij, parum Veneris.

Sol cum asino magnitudinis quaræ, naturæ Martis & Solis.

Venus cum eadem, cum qua Saturnus.

Ascendens cum Apolline, naturæ Mercurij, magni: secundæ.

Coascendit etiam Orionis cingulus, naturæ Saturni & Iouis, quo nihil validius.

Cor cœli cum ventre piscis, quartæ magnitudinis, naturæ Mercurij & Iouis.

Imum cœli cum facie virginis, magnitudinis quintæ, naturæ Mercurij, parum Martis.

Sed nec præsens genitura pauca habet præcipua.

Primum est, ætatis longitudo, quam ostendit Sol in ascendente, in leone, & cum Ioue. Venus etiam & Saturnus in ascendente, augent robur vitæ, plurimos tamen præstat malos affectus. Vixit igitur annis 79. completis.

Secundum est, immensus studendi amor: nihil enim aliud faciebat. Dat hoc cingulus Orionis coascendens, & Saturnus addit patientiam & labores. Apollo dat ingenium, & similiter cingulus Orionis, sed pigrum: insignem tamen memoriam. Et ita fuit iuris vtriusque doctor, Medicus & Mathematicus.

Tertium fuit, occultarum doctrinarum notitia. Necromantiæ peritia tanta, vt omnes ætatis nostræ superauerit. Humidissimo cerebro. Præstat Saturnus in ascendente, & Luna in sexta, in sagittario, in trino Mercurij. Publice credebatur spiritum familiarem habere, quod & ipse fatebatur ingenue.

Quartum est, quòd amisit omnes dentes in 58. anno, deinde vixit 21 annis sine vllo dente. Et fuit debilis visus, quia Solem infortunabat asinus cum eo existens, & Luna erat in sexta in via lactea: quare oculi ambo erant vitiati, & erant albi & parui, & ingenium aliqualiter etiam turbidum. Saturnus autem cadens in cancro, signo humido combustus, abstulit dentes: & forte stellula existens cum Saturno, addidit malitiam.

Quintum est, quòd bis bibit venenum, quod nescio an vnquam cuiquam hoc contigerit. Hoc significat Saturnus infortunatur, cum Venere sub infortunata, quia sub radiis Solis iungitur in fortunæ infortunatæ, primum habuit annorum 23. secundum anno 50. & primum fuit Arsenicum, sublimatũ & secundum erat venenum terminatum. Et cum eo alij sumpserunt, qui perierunt, & ipsa euasit: remansit autem tremor cordis, qui durauit 56. annis. & hoc videtur contra Galeni experimentum cum vixerit valde senex, sed non est.


Sextum est, quod fuit vir integritate incomparabili, alter quidem Cato, liber in dicendo, iustissimus osor vitiorum: & hoc est, quia

Luna

Luna erat in domo Iouis, in trino Mercurij existentis in domo Solis, & Luna erat domina ascendentis, & Iupiter cum Sole in propria domo & prima.

Sepitmum, quod erat timidus & aggrestis neglector rerum, minime amator suorum, sed quasi vir omnino rigidus. Præstat hoc Saturnus combustus in ascendente.

V.



IVpiter cum ala virginis, naturæ Mercurij, parum, magnitudinis tertiæ.

Mars cum luminosiore lancis borealis, magnitudinis secundæ, naturæ Saturni, & parum Martis: & cum præcedente lance australi, magnitudinis quartæ Mercurij & Martis.

Sol cum dextro humero Orionis, magnitudinis primæ: & cum dextro humero aurigæ, magnitudinis secundæ, ambabus naturæ Martis & Mercurij.

Venus cum duabus stellis de natura Saturni, & quasi cum dextro Orionis humero, quantum ad ascensionem, naturæ Martis & Mercurij, magnitudinis primæ.

Luna cum eisdem, cum quibus Mars.

Ascendens cum Apolline, magnitudinis secundæ, naturæ Mercurij: & cum eo ascendit cingulus Orionis, de natura Saturni & Iouis, stellæ tres, magnitudinis secundæ glomeratæ.

Imum cœli cum ala virginis, naturæ Mercurij, parum Martis, magnitudinis tertiæ.

Fuerunt in hoc viro præcipua hæc.


Primum sigularis doctrinæ cupido, ac in studio perseuerantia, in quibus, ob stellas quæ ad exortum feruntur, cum præcedente, veluti fato quodam, ita desiderio ingenti communicauit: at Venus in ipso horoscopo constituta, & Martis radiis ac Lunæ amicis fulta, orandi studium auxit, eloquentiam facundiamque addidit, vt inter celeberrimos nostri temporis Oratores haberetur. Nam cancer semper linguæ impedimentum affert, Mars tamen & Venus hoc sustulerunt quin etiam blandam sermonis gratiam contulêre: verum, vt ex oriationibus suis videro licet, lachrymabile mœstumque semper aliquid continere videntur, cum virtus cinguli Orionis trium Planetarum vim superet.

Secundum fuit nominis claritas, Principum familiaritas, ordo Senatorius. Hæc præstant luminaria cum stellis insignis magnitudinis iuncta, Sol quidem cum humeris Aurigæ & Orionis Luna cum splendidioribus lancis, quod non tantum quam habuerat dignitatem promiserant, sed in futurum tempus longe maiorem, si superuixisset. Saturnus autem iuxta cœli cor, tardos honores ostendit.

Tertium fuit, eruditio græca latinaque tanta, vt illud primum nescires, Græcus esset an Latinus. Multa artium diuersarum doctrina, iurisque peritia accedebat. Apollo Venusque in horoscopo hoc præstant, Lunaque in Veneris trino constituta cum stellis egregiis.

Mortuus est violentissima hæmoptoi, quoniam Luna damnata in Scorpione cum Marte fuerat, eiusque radij quadrati in Leone. Sol vero cadens, dispositionem vitæ ascendenti reliquerat, itaque dilata mors est, per Veneris annos 8. nam trigesimo quinto directionis anno, ruptum est vas in pulmone in fine quadragesimi secundi obiit. Eo autem anno Saturnus gradum reuertentis anni occupauerat. Stellæ autem ex lance Marti & Lunæ copulatæ, violentissimum morbum effecerunt. Manifestum est etiam ex his quæ dicentur, quòd longæuus esse non poterat, Marte, Saturno, Luna, ascendens cum Venere respicientibus, cum luminaria debilia essent, nec vllus locorum vitæ dispositor adesset.

VI.



Saturnus cum præcedente flexus piscium, magnitudinis quartæ, naturæ Saturni, & parum Mercurij.

Iupiter cum dextro Orionis humero, magnitudinis primæ, naturæ Martis & Mercurij & cum dextro aurigæ humero, magnitudinis secundæ, naturæ præcedentis: corpore autem iunctus summitati clauæ Orionis, magnitudinis quintæ, naturæ Iouis & Saturni: atque quartæ stellæ adiacentium cornu boreali tauri, magnitudinis quintæ, naturæ Martis, in via actea.

Martis est inter Vergilias, sunt autem naturæ Martis & Lunæ.

Luna est cum cauda arietis, magnitudinis quartæ,

quartæ, naturæ Veneris.

In Occidentis angulo est regulus, vbi & Iouis sextilis.

Et si nihil aliud esset egregium in Pontifice, hoc solum, ipsum est egregium maximumque, fuisse Pontificem, quòd ex priuata conditione ad regnum, & ex mediocri dignitate ad summam gloriam ascenderit, vel industria, vel virtute, vel fortuna, quodcunque horum fuerit, maximum esse necesse est. Verum non solum in adipiscendo fortunatissimus, sed & in administrando sapientissimus, & reipub. Christanæ vtilissimus habitus est. Carolo enim Quinto contra Turcas pugnanti, auxilio semper fuit.

Nec minus in priuata vita laudandus, comis, Græcis & Latinis literis non mediocriter eruditus, mathematicarum non expers, ac reliquarum doctrinarum non ignarus. In victu parcus, laborum patiens, vt nec amplius vel à priuato iuuene iure exposceres.

Præstat sapientiam Mercurius, in trino Iouis optime collocatus, adipiscendæ dignitati, fauit Leonis cor, in Occidente in Iouis sextili, cum ad cœli medium peruenit in annis 67. Verum vltimam fortitudinem habet hæc genitura, eo quòd Iupiter cum quatuor stellis, quarum duæ insignis sunt magnitudinis, optime collocatur. Passus est pericula non parua, ob Martem infortunatum, qui in quadrato est ascendentis. Longæuum etiam ostendit hæc positio.

VII.



Iupiter cum aquarij tertia aquarij, magnitudinis quartæ, naturæ Saturni, parum Iouis.

Mars cum latere dextro persei, magnitudinis secundæ, naturæ Saturni & Iouis, in initio lacteæ viæ.

Sol cum dorso Pegasi, magnitudinis secundæ, naturæ Martis & Mercurij: & cum ventre piscis, naturæ Iouis & Mercurij, magnitudinis quartæ.

Mercurius cum alia ventris piscis, magnitudinis & naturæ præcedentis.

Luna cum vulture, magnitudinis secundæ, naturæ Iouis & Martis, in initio viæ lacteæ

Ascendens est cum duabus stellis, naturæ Veneris & Saturni, magnitudis quintæ. Coascendit etiam crus Pegasi, magnitudinis secundæ, naturæ Martis & Mercurij.

Cor cœli cum fronte Scorpij, regius locus est, naturæ Martis & Saturni, magnitudinis tertiæ, ac spica virginis ad cæli medium posita est.

Existimo principem hunc, si non ad tollendam immanium Turcarum rabiem, ad compescendam saltem fuisse progenitum: nam cum & in cœli medio & in corde cœli, & in ascendente, & cum Marte, Sole, ac Luna, regiæ stellæ aut insignes sint constitutæ: constat nil maius ad priuatam vitam accedere potuisse, nam de publicis, regnorum initia habere oportuisset, recte iudicaturum. Robusto igitur ac salubri agilique corpore fuit, nisi quòd Luna in horoscopo humiditatem auget, facitque infirmiores supernas partes. Prudenti consilio, laborum patientissimus, linguarum plurium gnarus, in præliis victor, in pace fortunatissimus ac sapiens, in periculis audax. Indiæ magnam partem iamdudum incognitæ suo adiecit imperio. Insubriam expugnauit, & Africæ partem. Terrori Turcis fuit, vt nec eum, quanquam cum ingenti exercitu essent, expectare ausi sint. Gallorum regem Pontificemque non solum vicit, captiuosque habuit. Huius tempore penè totus orbis, cuius maior pars longe latuerat, cognita est: datæ leges Antipodibus. Aetate ferrea hac, vt nil tertius, ita nil mirabilius, miserias tamen seculi gloriosi Principis magnitudo, clementia, felicitas, prudentiaque flexêre. Vtinam non nobis Philopœmen sit: ad extremum enim cum deducta sint ingenia, artes, industriæ, orbis cognitio, librorum multitudo, Principis summa cum virtute fortuna, verendum est, ne vltimos conatus natura effinxerit.

Causa autem ex suiipsius genitura, tantæ fortunæ, secundum causas naturales est: quoniam Sol, Iupiter, Venus & Mercurius in aqueo signo sunt coniunctionis trigoni nunc prædominantis, ibidem etiam cœli cor est constitutum.

Secunda est, Luna in ascendente cum vulture volante, & Iupiter in secunda: in his enim locis, & non in aliis, maxima bona pollicentur. Non enim erit pauper, cui Iupiter in secunda: nec malam experietur fortunam, cui Luna in ascendente.

Tertia est, quoniam cœli cor in regia Scorpionis stellarum glomeratione constat, antecedentibus radiis amicis Solis cum dorso Pegasi. Iouis Lunæ, Mercurij, Veneris autem sequentibus, quo nihil melius potest excogitari.


Veruntamen, etsi (dixi) hæc faueant gloriæ suæ, nihil minus non ex astris genituræ tanta fœlicitas procedere potest, sed illa æterna ac constituta diuinæ mentis series qua secundum successionem in maximos mundi ordines statuta lex est, germinauit.

Crus Pegasi coascendens, agilitatem corporis præstat.

Mars

Mars cum dextro latere Persei, præstat fortitudinem & tollerantiam, ac corporis robur. Habet autem stella hæc ad imum cœli posita, quoniam pluribus omnino periculis sponte exponetur.

VIII.



Saturnus cum stellis de natura Saturni positus est.

Mars cum regulo in imo cœli positus est, de natura Iouis & Martis. Item cum pectore leonis, naturæ Saturni & Veneris. Item cum ceruice leonis, naturæ Saturni, & parum Mercurij.

Mercurius cum genu sinistro virginis, naturæ Mercurij & ♀.

Luna cum cauda cygni, magnitudinis secundæ, in via lactea, naturæ Veneris & Mercurij.

Ascendens cum pede geminorum, magnitudinis quintæ, naturæ Mercurij & parum Veneris.

Cor cœli cum duabus stellis vertebræ aquarij, alteram agnitudinis quartæ, altera quintæ, de natura Saturni & Mercurij.

In hac genitura, cum planetæ in virgine clariores Sol & Iupiter, in præcedente autem, in piscibus sint constituti: Marsque huic & Venus in Leone, illi in tauro Saturnus & Mars: hic Mercurium in libra, Lunam ille habeat in capricorno. Oppositis igitur pugnantibusque planetis, nil mirum, si bellis cladibusque vniuersam Italiam ac Europam penè totam vsque ad infidelium pericula conturbarunt, semperque succumbente fermè Rege, quoniam Cæsaris planetæ aqueum signum possident. In quo trigono nunc magna coniunctio viget: hoc enim vniuersale est omnibus legibus, regnis, principibus, priuatis artificibus, vt tantum gratia apud homines & fortuna valeant, quantum in trigono, in quo magna versatur coniunctio, planetarum fortunatorum habuerint: maxime vero in hoc Solem inspicere oportet. Porro Christianam legem fouet igneus trigonus, Mahumeti aqueus: vnde à 150. annis citra secta illa inualuit. Fundata enim est post Saturni Iouisque congressum in scorpione factum, in anno 630. annis autem postmodum 4. legem promulgauit, vel vt quidam volunt, promulgata est ex anno 619. coniunctio autem præcesserat in anno 610. in piscibus. Porrò Christianam legem præcessit eodem anno promulgationis magna coniunctio in leone. Christum exorientem maxima coniunctio in arietis initio præcessit 6. annis: exorientem Mahumetem in initio cancri anno domini 590. non maxima, sed magna tantum coniunctio.

Sol igitur & Iupiter, & caput in virgine in ascendentis quadrato, & Mercurius in trigono, ingenium, bonasque animi & præclaras dotes decernunt. Mars autem cum regulo iuxta cœli imum, fortitudinem & militiæ peritiam non mediocrem præstant. Ob egregias igitur animi virtutes, suffragante Solis, capitis & Iouis optima coniunctione, post multa prælia infœliciter gesta, post captiuitatem & filios obsides datos, & regno restitutus, & sororius victori tandem factus, gloriosam & rege dignam tanto agit vitam, vt non tam ab hoste victus, quàm aduersam fortunam superasse credatur. Passus est plurima in corpore incommoda, quoniam Iupiter combustus & cadens in ascendentis quadrato est positus, erit igitur hoc totum ex epatis debilitate.

Luna cum cauda Cygni, affectum regni, cui stella præest ostendit.

IX.

1452. die 3. Augusti,
ho. 7. mi. 20. post meridiem.
Cor cœli 14 ♐.
Lud. Sfortiæ Ducis Milani.

Saturnus fuit iuxta spicam & iuxta bootem, altera regia, altera bebenia, naturæ Iouis & Veneris, & parum Mercurij.

Sol cum ceruice leonis, magnitudinis secundæ, naturæ Saturni parum Mercurij: & fuit iuxta regulum, naturæ Iouis & Martis.

Venus cum sequente 4. alæ sinistræ virginis, naturæ Mercurij, parum Veneris, magnitudinis quartæ.

Mercurius cum duabus stellis paruis, quarum vna est genu dextrum leonis, naturæ Iouis & Martis, & est in ecliptica.

Luna cum cauda piscis antecedentis, magnitudinis quartæ, naturæ Saturni, parum Mercurij.

Ascendens fuit cum tibia dextra aquarij, magnitudinis tertiæ, naturæ Mercurij, parum Saturni.

Cor cœli fuit cum regia societate stellarum extra formam scorpij, naturæ Martis & Lunæ.

Imum


Imum cœli fuit cum stellis extra formam tauri, naturæ Martis.

Et si minus felix exitus huius Principis fuerit, angustumque regnum, quoniam tamen & virtutum amator insignis, & genitoris nostri fautor fuit, ea causa breui oratione quæ huic contigerint, perstringam.

Admirantur quidam felicem genituram infelici exitu terminatam, & prudentiam detestantur, quæ tam infaustum finem habuerit. Saturnus etenim genituræ dominus in octauo, cum Venere & ala virginis, plurima decernit mala: in libra autem in propria domo, nam iam suprà diximus incongruam fore mixtionem Saturni & Veneris, præsertim in octauo loco. Stellæ vero, quæ iuxta cum erant, prodesse non potuerunt, quoniam posteriores fuerant partibus duabus. Cumque esset Sol in Leone, à septimo excidens, quo in loco Franciscus pater, qui regnum acquisiuit, in cancro habuerat, & ipse ad reguli complexum trinum Martis excipiens, qui in ariete fuit, Iupiter vero in piscibus in ascendente. Saturnus in libra exaltabatur, & Venus in eadem domina constituta, paternum regnum restituendum fore tot testimoniis confirmatum est: verum non hic ita felix vt pater, licet & ipse in sexto loco Solem habuerit, quoniam non in aqueo signo fuit. Sola Luna popularem auram promittebat. Iam igitur felicitatis regni adepti, consiliique ratio aperta est: nam & Mercurius cum cauda molestiam animi auget, Iupiter autem in horoscopo blandam conuersationem, longæuamque satis vitam, nec omnino imbecille corpus pollicetur, quamuis aliquando longa ægritudine fuerit detentus.

Cum vero nullæ fixæ stellæ potentioribus hærerent planetis, solaque ceruix leonis prauæ naturæ Soli esset coniuncta, regulus autem esset posterior, regnum vero ipsum ad alienum esset transiturum. (Nam Francisci Sfortiæ, qui illud acquisierat, Sol non fuit in angulo constitutus, nec regiæ copulatus, quorum vtrunque, vel postremum saltem expetebatur) abrumpi ius regni hæreditarium in secunda successione significabant. Aderat & trigonus aqueus, huic minime fauens, præsertim cum Sol & Saturnus abessent, cœlique medium atque imum, ac Luna infelicibus syderibus iungerentur. Quamobrem in anno 46. exactæ restitutionis, ascendente tauri fine, cum Iupiter ad Solis quadratum in taurum decimæ domus peruenisset, atque ibidem Saturnus ad anteriores partes constitutus. Cœli vero cor ad Martis quadratos radios. Iupiter autem tunc cadens erat in octaua in capricorno, caudæque iunctus. Mercurius vero & Mars cum Sole positi, vicissim vrgebant vrgebanturque. Ostendit hæc constitutio maxima perpessurum. Ruente igitur regno, bello spoliatus, fraude captus eo anno est: mortuus autem in carcere, vt fama etiam veneni, quinquagesimo quarto ætatis anno, cum septem annis miseram in lattomiis traxisset vitam.


X.




Decus eloquentiæ, os Romanum, cor leonis in horoscopo, Solem, caudam, Mercurium, Venerem, ac Martem cum eo habet: inde facundia & autoritas summa decernebatur. Eadem fermè Petrarchæ affuerunt. Illi nihil decrat, huic nihil adiici potest. Cauda cum Sole domino horoscopi, acutum ac versutum, semper autem violentum decernit finem. Adiuuat decreta Saturnus Iupiterque in scorpione triplicitatis signo, in qua tunc magna coniunctio celebrabatur. Sic Arpinas ille municeps, Rex quidam Romæ erat: quod & inimici eius passim & palàm ei obiiciebant. Martis in ascendente radius, Saturno & Ioui hostilis, violentæ mortis decreta confirmat, sed auget potestatem: quia Mars scorpioni, & Iupiter leoni dominatur, trigoni causa. Porrò Luna causa mulierum decernit incommoda, & non satis ab initio firmam valetudinem: nam vitæ longitudinem decernit Sol in leone in horoscopo. Horum omnium causa, tantus fuit eloquentia, eruditione, prudentia, ac potentia, miseroque fine trucidatus, amputata etiam illa manu, quæ tot sui monumenta nobis reliquit: caput vero eius in rostris, in quibus tanta cum gloria totiens populum Romanum moderabatur, in suique vertebat admirationem, fortunæ ludibrio, & Marci Antonij scelere positum est. Et quamuis nos minime lateat forsitan hoc tempus certum haud esse posse, quòd ante Cæsaris fuerit emendationem, cuius Macrobius meminit: haud tamen de Sole, cauda, Mercurioque ac Marte, & Venere: quod in leone, tum Saturno & Ioue, quod in scorpione, dubitari potest. Paucorum dierum error esse potest, quod & verisimile existimemus, haud Lunam eo loco positam. Verum nos rationem temporis sumus secuti, quam omnes, & præcipue Plutarchus, tradiderunt. De ascendentis etiam ratione nulla est ambiguitas: solus igitur locus Lunæ haud exploratus relinquetur.

Hanc

XI.



XII.




HAnc veram genituram Lutheri, non eam quæ sub anno 1484. publicè circumfertur, esse scito. Nec tanto negotio minor genitura debetur, aut tali genituræ minor euentus. Existimo autem non intelligentes huius artis fundamenta, eam corrupisse: nam nec illa robore huic æqualis est, nec si damnare velis, deest hic quod possis accusare. Nam Mars, Venus Iupiter que, iuxta virginis spicã coëunt ad cœli imum ad vnguem, vt ex horum conspiratione regia quædam potestas decernatur, sine sceptro: sunt enim erraticæ sub terra. Porrò quòd ad religionem pertineat, iam sæpius adeò dictum est, propter spicam virginis, vt repetere pigeat. Incredibile igitur quantum augmenti breui tempore habuerit hoc dogma: nam Germaniæ maximam partem adegit, Angliam totam, multasque alias regiones, cum adhuc viuat, nec vlla est prouincia ab huius sectatoribus immunis, præter Hispanias. Feruet mundus huius schismate, quod, quia Martem admixtum habet & caudam, soluitur in seipso: infinitaque red[illegible]t capita, vt si nihil aliud errorem conuincat, multitudo ipsa opinionum ostendere tamen possit, cum veritas vna tantum sit, plurimos necessariò aberrare. Porrò firmitatem dogmatis Sol & Saturnus cum lance meridionali, in loco futuræ coniunctionis magnæ ostendunt, cum diu trigonus ille iam dominaretur. At Luna iuxta ascendens, longitudinem decernit vitæ: verum cum Soli Saturnus adiungatur, pro tanto rerum motu, nullam dignitatem præstat. Obiit 17 Februarij, hora 14. minu. 30. post meridiem, Eislebij vbi natus erat.


AD te igitur primum venio ô Erasme, nostrorum temporum magnum decus Cicerone tanto minor, quanto Romanum imperium Germania maius, quantoque Italus Barbaro, ad eloque ntiam natura pronior est, & quanto facilius est in genuina lingua quàm asciticia eloquentem euadere. Vicisti tamen cœli improbitatem eloquij suauitate, multarumque scientia linguarum, plusque tibi barbaries debet, quàm nocuerit. Affulsit cum Mercurio Venereque virginis spica, Lunaque cũ nodo acumẽ ingenij, & perpetuum fortunæ augmentum, quod sæpius testati sumus quoniam in horoscopo sit, præstabat. Hos omnes Iupiter ex nona, trigona radiatione benigne fouebat cadens, & ex duplici signo. Vnde quamuis sacris imbutus, non pro virtute dignitates est consecutus, sed linguarum multitudinem, vt septenarij numeri perfectionem impleuerit, scripturæ sacræ amplam cognitionem. Porrò & Mars ipse Iouem offendit, & morbos etiam in sexto loco reuertẽtes facit: calculo enim frequenter vexabatur. Saturnus in septimo non parua pericula, plurimasque insidias inimicorum: Luna cum cauda & cum Sole posita, nam minus duabus partibus distat, negat filios, & vxorem, quoniam etiam secreta quædam cum in scorpione sit, non probat, causam vero calculi etiam auget. Vixit annis L X X. & in hoc felix, vt nec ad studium tempus deesset, nec ad ineptias & ludibria superabundaret.

Ego non aliam tanto viro, si detur facultas etiam eligendi magis opportunam genitură inueniam, namque radiis vtriusque infortunæ Sol, Luna, Mercurius & Venus liberi sunt: at Venerem in horoscopo spicæ virginis iunctã esse, insignis cuiusdam in dicendo leporis, in tractando dexteritatis est argumentum, cum etiã præter id non paruum in fortuna præbeat augmentũ. Mortuus est, cũ Venus figuræ domina & vitæ, ad Iouis oppositum Martisque quadratum peruenit. Nec tamen omnis qui talem habuerit genituram, Erasmo æqualis erit, sed plures (quod aliàs diximus) præter hæc reuolutiones prosperas, quemadmodum Erasmo, succedere necessarium erit.

XIII.



XIV.




NE ego etiam nostrum ciuem vel inuidia prætermittam, vt illud mihi obiici possit, Ω ἀχάεισοι δαναοὶ δανα ἴ;. Et potuit tamen hic iure prætermitti, cum scripserit fallacem hanc esse artem, atque publicè puniendam, fretus quibusdam legibus tunc seueris atque iustis, quòd orbis horum nebulonum imperitia impleatur, qui sine sciẽtia, sine studio, sine iudicio, vel auaricia vel spe etiam Imperia in discrimẽ mittunt, falsas promulgantes prædictiones. Has vsus irritas fecit, quod temporibus succedẽtibus apparuerit, hanc disciplinã, si quis ea dexterè vtatur, magno commodo humano generi accessisse: sed hæc forsitan πάρεργα. Ideo ad primum reuertamur institutum, cum enim propositum foret, eos qui aliquid laude dignum in publicum ediderint, his exemplis tantum inserere. Quanquam haud me lateat, aliquos fore è nostra vrbe, qui sic omni virtute omnique splendore ornati sunt, vt non minimum hic commodum essent allaturi, si adiicerentur, Alciati tamen genituram hic solum posui, quòd citra suspicionem κολακίας fieri posset: multa enim viuens edidit lectu digna, cum vix alij è fato id impetrare potuerint, tum inter tot barbarorum expositorum congeriem candorem Latinæ linguæ retinuit & aliam insuper græcam adiecit. Decertat vnus candore eloquij cum Budæo non solum, verum cum Erasmo, & si nostro iudicio acquiescendum esset, felici Marte. Porrò grauitate longe præstantior, facile id est, si epistolas epistolis, orationes orationibus conferas. Quare ne iniuria huic operi adiunxerim hanc genituram, cuius excelsam hanc virtutem Venus in horoscopo posita trigonoque Lunæ ac Saturni mutuo vtrisque cum ea, in humanis signis, Luna vero etiam cum virginis spica posita decernunt. Porrò Saturni quadrata radiatio, ad Martem Mercuriúmque ac caudam simul iunctos intenta, ingenium quidem acre præstat, reliqua non probat, vt si ex angulo foret, violentæ mortis discrimen immineret. Sed & sic etiam obstat Iouis ex angulo fortis sextilis, atque vt video, omnia dilucida sunt.

PRoximum studiis autoritate magnitudinéque stipendij hunc adiecimus. Hic lingua & eloquentia adeò inferior, vt quasi barbarus. Quis enim illi conferetur dicendi suauitate, qui vel Lunam vel ascendens, vel dominum geniture cum virginis spica habuerit. Melliflua ex hoc sydere facundia profluit. Cum Seruator exoriretur, Iouem & virginis spicam in ascendentis gradu habuit. non quòd illarum opera indigeret, qui stellas ipsas condiderat, sed nec ieiunio nec precibus indiguit, qui Deus esset, optima tamen quæque nullo causarum ordine permutato sumpsit. Sic & temperaturam & formam, vt his commode vteretur, non quòd hæc illi essẽt necessaria, vt amẽtissimus quidã qui illũ aquæ superstetisse ob corporis æqualitatem mentiebatur, imò potius insaniebat: nam & Petrus ille Piscator fluctibus haud mergebatur. Digredior à proposito, sed potius rapior extra orationis limites, tanta est seculi nostri labes. Alij adeò augent naturalium causarum vires, vt ad monstruosas interpretationes Astronomiam retrahant. Alij quod humanum est, diuinum etiam esse volunt, confunduntque hominis ac Dei munera.

Incerta est hora genituræ huius, dies minime: igitur quod clarum est exponemus. Luna cum Mercurio iuncta in humano signo, tum cum Sole & Marte in Saturni domo ingenium, memoriam, patientiam, ad disciplinas adeò illustres præstant, vt superaddi nihil ad decreta possit. Auget decreta Fomahart cum Mercurio, & Luna & Mars Solque cum cygni cauda, rara syderum conspiratio, rarus euentus. Philosophus, medicus maximis in arte perfunctus honoribus, magna rerum scientia. Galeni disciplinam commorientem excitauit. Porrò de moribus cuiusquam dicere nominatim, inuidiosum fuerit, aut suspicione plenum.

X V.



Non impares sumus antiquis, si absit inuidia. Hic enim non solum ob rei euentum, sed etiam ob diligentem genituræ obseruationem mihi dignus visus est, vt inter singularis doctrinæ viros, etsi Barbarus, adnumeraretur.


Exposuit Galeni artem paruam, Ptolemæique libros quatuor iudiciorum, quæ opera extant, in linguam nostram cõuersa. Existimo & reliqua, nam cum plura edidit, in propria lingua superesse. Magnus pro ætate sua Astronomus, Philosophus, Medicus. Ostendit viri excellentiam omnium erraticarũ constitutio super terram, Lunæque cum Ioue sextilis, cum ille in cœli medio esset, cum stella cui nomen inditum est vultur cadens in horoscopi[illegible] habens potestatem, & ex summo cœli vertice ipsum cum Sole aspiciens. Sapientia igitur à Sole, fortuna à Ioue declaratur, ab vtrisque autem vita. Porrò quòd Iupiter in capricorno cadat, cadésque Sol Lunam in scorpione cadentem in octaua quadrata radiatione respiciat, declarat impossibile fore, quin multa in vita sua incommoda passus sit: quæ tamen, quòd maxima ex parte ignota sint, aut noluerit referre, nescimus. Fit autem, vt hic magnam fortunæ partem in iuuentute media sit consecutus. Fuit autem propter Veneris constitutionem, quæ cum Saturno est, & in Martis sextili, profligatæ libidinis.

X V I.

Baptistæ Carmelitani poetæ.


Est aliud antiquæ imitationis exemplum in Baptista Carmelitano, qui vt patria, sic arte Virgilium est consecutus. Vincitur ab illo fateor, cum præter linguæ Latinæ nunc detimenta, hic nullum inuenerit Augustum. Cum enim plurimum auxilij literis boni Principes ferant, vatibus etiam sunt necessarij, quod carmina proueniant animo deducta sereno, cum reliquæ disciplinæ studio magis ac diligentiæ pareant.

Habuit igitur hic cum regulo Martem in Lunæ trino, vtroque in Iouis sextili existente: tum vero in Mercurij quadrato, qui cum Venere erat. Igitur Mercurius cum in domo Veneris sit, & illi iunctus, Poetam proculdubio facit, obscurum tamen, nisi adiicietur Mars, fouet tot illustratus auxiliis, sed quod maius est, caput Ioui iungitur: ipse autem cum Saturno ascendens respicit. Cum autem Iupiter capiti iunctus fuerit, poetas proculdubio faciet, tum maxima si Veneris aut Mercurij testimonio confirmetur: erat autem Iupiter cum Orionis constellatione, hoc enim



enim nomine stellarum multitudinem intelligimus eius figuræ, quæ tamen in signifero omnes contineantur. Luna in horoscopo constituta, longæuam semper decernit vitam, & animum vario mentis ardore æstuantem. Cum vero Venus & Mercurius cum capite Algol constituti sint, in quadrato Martis, violentæ mortis periculum indicit. Per hæc omnia igitur transiens, ad extremam senectutem charus Principibus peruenit, innumeraque sui laboris monumenta reliquit: quorum præsentia viuens gaudebat, nunc autem illorum testimonio post obitum per multa secula fama extendetur

X V I I.




Præcedentis memoria genituræ effecit, vt Francisci de Canona nostri ciuis haud obliuisceremur.

Hic tam clarus testudine fuit Musicus, vt charus etiam foret multis Principibus, tum Pontificibus, Leoni, Clementi Paulo. Traxit in


in sui admirationem cunctos iam non solum sui æui, sed præcedentium Musicos vincens vnus qui doceret cogitationem arte posse superari. Multis muneribus auctus ex paupertate euasit. In vulgari causa singularem gloriam assecutus, præstat hoc illi Iupiter cum scorpii corde in horoscopo, in Solis Mercuriique quadrato, cum tam Iupiter quam Mercurius in suo sint domicilio: at vero Sol & Mercurius Lunam, & ipsam in tauro existentem trigona radiatione respiciunt. At Venus in nona cum regulo, & in Saturni trino, non solum apud Principes gratiam, verum etiam causa bonorum quæ ad religionem pertinent, rem propriã augendã pollicentur. Huic olim cum genituram mihi ostendisset, annum selegi, quo & dignitatem & præmium esset consecuturus, nec frustrà tam firmis præceptis & tam claris adeò genituræ argumentis. Hac vix meliorem possem, quod ad erraticas pertinet, se ligere genituram, maximeque pro fortuna in qua natus est, felicem eum esse reor si modò ascendentis transitum super Martis corpus, quadratumque Saturni à quo non longe abest, ferre poterit.

XVIII.



Ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ, πλεῖον πάντων βέβληκε τῶν βαλλόντων εἰς τὸ γαζοφυλάκιον, non de fortuna, sed de voto seruato loquitur. Admiratione digni sunt, quicunque vltra vires aliquid audent. Tonsor, mendicus, literarum ignarus, Physiognomiam ac Chiromantiam eo studio aggreditur, vt librum vulgarem ediderit latina lingua, & suæ ætati foret admirationi. Nam præter reliqua, moriens, tabellam fertur reliquisse X L V. virorum, qui biothanati essent morituri, quod & ipse testatur: nec præter duos qui adhuc supersunt, ex tam numerosa turba, ab eo mortis genere quenquam euasisse. Res prorsus miraculo digna, si maior de illo non vulgata esset. Ferunt enim multarum artium diuinatoriarum scientia, mortis & genus & diem præuidisse. Armasse se, cum nesciret quem haberet inimicum. Eadem tamen die, qua sibi metuebat, claua ictus, occidit: quòd offendisset Betiuolos vrbis dominos, prædicens eos breui regno pulsandos, quod & euenit. Nec solum plebi, sed & eruditis clarus habitus est, cum in opus suum illius ætatis philosophorum facile princeps Achillinus præfationem, nec paruam ediderit. Mortuus est anno 1504. ætatis 37. Violentæ mortis argumentum est Luna, in septimo loco constituta, ascendenti inimica, & cum capite Algol, & Iupiter inter vergilias in eodem septimo ab ascendente peregrinus. semper enim Luna in septimo loco constituta, mortem subitam, & inopinatam, vel omnino graues affert infelicitates, quod pluribus exemplum genituris confirmari videbis. Cæterum quod ad eruditionem pertinet, Mercurius est in aquarij constellatione, de Saturni natura, in Martis domini genituræ radio sextili cum capite, & in quarta. Mortuus vero est, cum Luna ad Mercurij peruenit quadratum, & ascendens ad Martis corpus. Mercurij autem radij ante ascendens & Martis, ostendebant cuius naturæ, & qualium morum esset. Sol, caput, & Saturnus in quinta, filios negabant, nec coniugium, nisi iam sene eo expectandum, est autem capricornus Mercurij trigonus.

XIX.



Locus coniunctionis luminarium natiuitatem præcedentis 28.48. Virginis.

Saturnus est cum dextro humero Orionis magnitudinis primæ, & cum dextro humero aurigæ magnitudinis secundæ, ambabus de natura Martis & Mercurij, & cum stellula de natura Martis.

Sol cum vltima alæ sinistræ virginis, magnitudinis quartæ, naturæ Mercurij & parum Veneris.

Saturnus	M.	D.	1	40.
Iupiter	M	D.	2	0.
Mars	M.	A.	0	36.
Venus	S.	D.	0	52.
Mercurius	M.	A.	2	36.
Luna	M.	A.	4	20.

QVanquam magnorum exemplo virorum, Hieronymi, Virgilij, Dantis, qui se tacite illustribus hominibus non verei sunt adnumerare, tueri me possem, non tamen tam hæc vltima est inter egregias, quàm inter eas quæ maximas infelicitates decernunt, prima. Itaque cum quidam huius artis non expertes eam vidissent, meam esse posse negarunt

negarunt, argumento sumpto, quòd nec vitæ qua hucusque fungor, nec vllius dignitatis vestigium inuenirent. Quamobrem ne vt amici illi, sic & tu in diiudicando fallaris, cum hæc vna exquisitissima atque omni diligentia à me fabricata, tum successu rerum ad vnguem confirmata sit. Primo animaduertere decet, Iouis corpus propter latitudinem in horoscopi linea exquisite esse: ipse vero corpus naturamque ac mores significat, vitam etiam cum dominus loci Lunæ sit, & loci Solis, Terminum enim (vt vocant) ibi possidet. Ipse autem cum capite iunctus est, & in eadem linea cum Fomahant stella, post longas in cunctis deturbationes victoriam pollicetur, naturam odio omnes malos irreconciliabili prosequentem, pertinacem: parentes, affines, patriam, amicos, ac meipsum si contigat peccare, insita contrarietate auersantem, Nam & in tauro duæ fortunæ gaudent, & ipsum est signum fœmininum. Hoc primum decretum vndiquaque bonum.

Alterum ex Venere domina ascendentis sumitur. Hæc iuncta exquisite Mercurio longitudine, in humano signo, & domo propria in lactea via, cum stella naturæ Veneris & Mercurij in trino Saturni, profundam cogitationem, studium, diligentiam, summamque laboris patientiam præstat: obscuros tamen effectus, qui ab his proueniunt, efficit, quòd in sexto loco sit, ingeniumque turbidum propter lacteam viam, falsamque memoriam, quamuis magnam, infirmumque corpus: & reliqua quæ & si bona non sint, hucusque tamen non queant improbari.

Tertium est, Solis constitutio cum Marte. Hic male positus, cadens, in sextoque loco dignitates omnes & gloriam in perpetuum negat, quæ ab administratione procedit. Contra Martem, fouet cordis cœli dominum, quare non dignitatibus priuat, quæ iure carent imperandi: nec vlli possum esse Principi in precio, nisi qui Ecclesiasticam habuerit dignitatem.

Quartum est, Lunæ, constitutio in quadrato infortunarum, & ipsa cum capite Algol in vno circulo, & num aquarij constellatione de natura Saturni, ipseque Mars in vno circulo cum Aldebaran.

Hoc tam sæuo occursu neque deterius quicquam potest esse vel excogitari: imbecillem ventriculum, imbecille cerebrum, insidias inimicos, iacturam rerum, insectationes, innumeraque cum extremis periculis mala coniungit, & apud populum falsis notis famam inurit. Luna enim sola vniuscuiusque genituræ dimidium.

Vt vero hæc genitura, sit pro exemplo aliarum omnium, tam pro structura quàm pro iudicio, sic collocabimus, Primo ea quæ sunt ad iudicium necessaria. Elegissem certe libentius alienam, cum difficillimum sit de seipso recte loqui posse. Sed cum hæc solum mihi vere cognita sit, laborauerimque in ea annis plusquã triginta, ob id malui periculo meo etiam, vt soleo, studiosis satisfacere: disponam igitur primo horas decem significatorum hoc modo.

Horæ Planetarum & locorum principales. — *Eorundem propriæ ascensiones.*

		Mi.	sec.	Mi.	sec.		Mi.	sec.	Mi.	sec.
	♄	32	0	34	0		68	50	70	42
	♃	58	40	59	0		18	24	21	15
	♂	23	24	24	0		55	3	55	36
op.	✳	46	14				186	21		
op.	♀	53	0	53	1		193	16	194	20
op.	☿	53	0	52	20		193	18	189	47
	☽	30	5	31	42		346	46	351	18
op. coniunctionum.		39	58	cum latitud.		Cordis cœli recta.	290	20	cum latitudine.	
		Sine latitudine.				Imi cœli obliqua.	86	14		
						Ascendentis obliqua	19	47		
						Ascendentis recta.	33	50		
						Coniunctionis	179	13		
							Sine latitudine.			

Eleuationes circulolum positionis secundum viam nostram naturalem.

	Par.	Mi.	Partes	Mi.
♄	25	40	24	10
♃	44	0	44	20
♂	31	55	31	25
✳	39	0		
♀	41	30	41	32
☿	41	33	41	0
☽	26	30	27	0

Cor & Imum Cœli o. o. — cum latitudine.
Coniunct. 32. 30.
Ascendẽs 44. 20.
Sine latit.

Loci ad quos peruenerunt decem significatores anno præsenti qui est 44. perfectus.

	Sig.	Par.	Sig.	Par.
♄	♌	1	♌	3
♃	♊	28	♋	1
♂	♋	23	♋	23. □♀☿
✳	♐	12	☍♂	□☽*✳
♀	♐	21	♐	22 ☍♄*♀☿
☿	♐	21	♐	16 ad idẽ
☽	♉	12	♌♉	18
Cor Cœli	♓	3		*♃
Ascen.	♊	29		
Coniun.	♍	30		
	loci Planetarum.		corpora Planetarum.	

Pro habenda eleuatione poli super locum extra eclipticam iuxta nostram sententiam: vide quæ pars eclipticæ ascendat cum illa propria ascensione loci, sub parte horarum loci. Inde vide in qua poli eleuatione illius partis eclipticæ illa sit obliqua ascensio.

De Vita.

HIs recte & ad vnguem dispositis cœpi inspicere de vita, & consideraui primo de nutritione, & eius prima pars erat Lunæ, & ipsa pulsabatur hostilibus radiis Martis,& significauit periculum etiam nascendo, & in primis diebus, & sic natus sum mortuus, & per vim extractus ex vtero matris, & in primis mensibus mortuo nutritio intra horas xxiv. correptus sum & ipse peste. Secundus autem dominus, fuit Venus in sexta, in trino Saturni, & quasi combusta, idest debilis, & iuncta Mercurio, & significauit hydropem, & morbos quorum non fuit numerus. Tertio consideraui pro tertia parte nutritionis Martem, & ipse erat in quadrato Lunæ & trino Solis infortunati, & significauit etiam febres acutas, & alios morbos. Et quia Ascendens erat liberum, & cum Ione & in sextili Lunæ, significauit quòd possem, non quòd deberem euadere, & ita hoc solum sciuissem prædicere, ante euentum de morbis, & quòd possem euadere: exitus tamen erat valde incertus. Post hæc Luna erat vitæ significatrix, & etiam corporis, duplici causa, tum per essentiam, tum quia dominabatur ascendenti. Ideò direxi ad illam, & peruenit in octo annis quadratus sinister Saturni ad eam, & quia erat etiam in piscibus, & reuolutio mala valde, significabat mortem, & ita laboraui per mensem fluxu ventris, vsque ad id, vt medici omnes pro deplorato me haberent, tandem euasi nutu diuino, natura tamen robusta erat, quia Luna erat potens, & illustrata radiis Iouis & Martis, dominorum loci sui: & ipsa recipiebat Iouem in Tauro, & erat in signo fœmineo simili suæ temperaturæ, in finibus fortunarum omni modo, termini, trigoni, domus, & exaltationis, supra terram multum eleuata de nocte, cursu velocissima. Direxi postmodum quadratum Martis & oppositum Solis ad eam, & anno 21. laboraui peste. Direxi post hæc sextilem Saturni ad illam, & peruenit ad eam in annis 29. & tunc passus sum destillationem per septem menses continuos anno 1530. in fine, & expui saniei immensam quantitatem: & tunc præter spem etiam sum liberatus. Oppositio etiam Veneris & Mercurij ad hoc idem faciebat. Post hoc direxi ad eam caput draconis, & peruenit ad illam vt clarum est, in fine huius anni, & mihi videtur, cum sit caput, nec sit ibi stella potens mala, sed radij sextiles Lunæ & in tauro quod multum non debeat nocere. Ptolemæus tamen cum inter significatorem & promissorem medium est ascendens vel angulus occidentis, dirigit ad ascendens promissorem, & ascendens ad significatorem, deinde iungit hæc ambo, vt dixi alias, & hoc habet magnam rationem & profundissimam, sed ego non sequor, secundum igitur illam rationem peruenisset caput ad Lunam in 43. annis iam, idest anno præterito. Inde direxi Martem ad Lunam, & perueniet secundum Ptolemæi opinionem in annis 69. & quibusdam mensibus, sed secundum viam nostram perueniet in annis 72. iuxta finem. Postmodum direxi ad ascendens Martem, & peruenit ad ipsum in initio 27. anni, & tunc laboraui morbo acuto per septem dies, febre siquidem, & euasi, & tunc etiam ibi erant radij Solis trigoni & quadrati Lunæ, & post deduxi Saturni locum ad ascendens, & peruenit ad ipsum in annis 36. & fuit anno 1538. & timui ne morerer, & non apparuit ægritudo qua decumberem, sed sola copia vrinæ, quæ excedebat generaliter xxx. vncias singulas nocte, & cogebar quater surgere ad mingendum, & erat sine ardore, & ego intelligens causam auxiliatus sum cum calidis, & protinus cessauit multitudo, vt nullo modo cogar surgere de nocte, attamen remansit semper maior quantitas vrinæ quam prius solerem emittere, & quamuis propter trinum Veneris, qui succedit corpori Saturni, res semper cesserit in melius, nunquam tamen ex toto liberabor, tum maxime quia pater meus mortuus est cum vrinæ profluuio, & præter has nullas sum expertus in vita mea ægritudines, ita quod ab octauo anno vsque nunc non sum expertus alium morbum quàm febrem illam acutam, quæ quáuis septem diebus me oppresserit, solum tamen tribus in lecto decubui, & pestem quæ soluta est tertio die: in aliis duobus morbis nunquam decubui. Postmodum direxi quadratum Solis dextrum ad ascendens, & perueniet ad ipsum in 58. anno, & tunc infirmabor cum periculo,& erit febris mala, & post dirigam, si euasero,quadratum Veneris & Mercurij ad ascẽdens,& perueniet in 72. annis vt alia. Hi igitur sunt termini naturalium morborum & mortis, violenti autem sunt à domino ascendentis, cum occurrerit quadrato Lunæ, opposito Martis,opposito Saturni, sextili Solis. In cæteris nisi reuolutio obstiterit ero tutus. Si tamen ego à generalibus periculis abstinuero,clade,peste,naufragio.

De parentibus.

DIrexi pro patre ad Saturnum trigonum Lunæ, & quadratum Solis, & peruenit ad par.11.mi.42. cancri, in annis 23.& in fine, & sic ille mortuus est anno 1524. die 28. Augusti. Pro matre autem,quia significatores eius diuturniorem, quam patris,vitam ostendebant, direxi corpus Iouis domini quartæ domus,quæ opponitur decimæ matris significatrici, ad Lunam, & peruenit in fine annorum 36. & sic mortua est anno 1537. die 26. Iulij,cum esset iam septuagenaria. Et quamuis ita sit,attamen in patre & matre, adhuc consulere oporteret proprias parentum genituras. Et ego non feci in vita mea nisi vnam prædictionem anno 1523. domino Christophoro Gallarato, ciui Mediolanensi, & post abij,& cum post multos reuerterer, occurrit mihi,

mihi, & admirans frater eius dixit, certe magnum exemplum vidi, quia mater nostra mortua est, eo anno, ad vnguem, & tempore & morbo, quibus illam perituram scripta genesis fratris mei edocet iam tot ante annis. Et licet ita sit, non solum in his, sed etiam in filiis, & vita vxoris, consulerem vt ad firmiorem pronunciationem, propriæ illorum genituræ inspiciantur. Non enim video, quomodo genitura mea possit agere in fratres meos, parentes, coniugem, filios, & si non est per viam causæ, sed solum signi, iam nos egredimur metas naturalis philosophiæ, secundum quas nobis est propositum artem constituere: aliquid tamen, imò multum faciunt per viam causæ, modum autem longum esset explicare. Sed video, quid protinus sis dicturus, si Luna significat matrem & vitam, vt in nostra genesi, igitur fermè in omnibus filius moreretur, cum pater aut mater moreretur, nam & in diurnis genituris Sol patrem significat, & plerunque etiam vitam nati. Hoc autem rarissime accidit, imò si accidit, fit à causis generalibus, vt peste, clade, ruina, fame. Dico igitur quòd læduntur tales, sed quia auxiliator patris, gratia exempli, est propria genitura, & filij ascendens & dominus ascendentis, ideo in his casibus contingit filium sine patre mori, & patrem sine filio: comparantur etiam ad diuersas considerationes, vt vides, nam Iupiter est abscisor respectu matris, cum occurrit Lunæ, & respectu mei confirmat vitam, & addit robur, quia est amicus Lunæ, & est hoc, sicut in hominibus duo fratres litigant inter se, de paterna hæreditate, & in litigio cum communi sororio, nec conueniunt inter se, nec dissident, & in cæde affinis vindicanda, sunt summè concordes, & in ludo altercantur: & sic iidem duo homines, quatuor, & longe plures, inter se affectus habent diuersorum comparatione. Ideo scias lector, quòd hæc sola ars, est adeo sublimis, quòd vt illa gemmariorum nunquam plenè tradi potest. Sed præter ea quæ scribuntur in hoc libro, indiget homo singulari quodam lumine magna & longa experiētia, animo veritatis studiossimo.

De Vxore.


Direxi ad Lunam dominam ascendentis oppositum Veneris, & peruenit ad eam in 31. annis, & similiter trinus Lunæ in duodecima parte cancri ad Martem dominum septimæ, & peruenit ad eam in annis 31. mensibus 9. diebus 24. & eomet die vxorem duxi, cumtamen nihil vnquam de hoc cogitassem.

De fratribus.


IVpiter facit nasci primum inter fratres, ideo priores omnes extincti sūt tum magis, quòd Luna domina tertiæ erat, in quadrato Martis, & Mars fratrum significator peregrinus, & cum Saturno, in trino Solis, poteram tamen adhuc habere, sed peste extincti sunt vnà omnes, me primum agente annum. Ideo ista significatio probabilis erat.

De filiis.

DOminus quintæ est Mercurius, & iungitur Veneri, & significat filios masculos debiles, quia est in libra, & in sexta & Iupiter & Luna se respicientes in fœmininis signis fœminas longe robustiores, & masculos debilitabat Saturnus, & ego ponam pro monstro genituras filiorum.




Ascendens primogeniti, est inter oppositas partes infortunarum in mea genitura. Luna in loco Saturni, Saturnus in quadrato Veneris & Mercurij. Causa vitæ est Iupiter, dominus ascendentis in trino Solis, hic quàm multa lucrabitur, & disperdet. Nam Sol est cum oculo tauri, in trino Iouis, Sed Iupiter est cū cauda in opposito Martis accedens.



In hac vero, locus Martis, & ascendens est vnus cum præcedente, sed omnes planetæ cadunt. Sed in puella non refert, sicut in viro, vt aliàs dixi, omnia enim fœminarum, ex aliena, nō propria pendent fortuna. Venus est vitæ significatrix, & Luna est in eius sextili.

Et rursus in hac tertia pueri, apparet quòd ascendens est locus oppositus Lunæ, & quadratus Martis, & Luna fuit in loco eodem in quo fuit in mea genitura, & quamuis in prima infantiæ parte conuulsus sit propter Lunam, & Mars pro secunda parte combustus, qui induxit morbos ex adustione per totum corpus, quos nec vir sustinuisset, euasit tamen, nam Venus fuit Alfridariæ domina, & Iupiter aspexit Martem trino aspectu. Ex hoc manifestum est, quòd filiorum genitu-

ræ immutant parentum fortunam, nam Sol hic, & in prima genitura, decreuit famam



& honores, plusquam ante, cum omnino tanquam non essem antea haberer.

De diuitiis.

POst vitam desiderantur diuitiæ, & Mercurius est dispositor, & cum Venere, & impossibile est vt desit propter hoc, sed cum sit in libra, facile acquirit. Mars in secunda, & Saturnus faciunt, vt nunquam possim esse diues, proximus sum, aut iam sum in ipsa iactura patrimonij, nam oppositum Saturni peruenit ad Mercurium, & post duos annos aderit ipsorum sextilis aspectus, & tunc melius habebo. Iupiter in sextili Lunæ, mutuo se recipientibus, aliquid, sed exiguum tribuit.

De arte.

DEcima domus, est in septima aquarij parte habens initium, & significat Saturnus exercitium cum Mercurio, & quia est in humanis, & Mars etiam, erit circa homines, & quia Saturnus est cum fixis, & Mars est in trino Solis, & Mercurius, & dominus ascendentis, & Sol in sexta, significant nobile, & circa ægros, tum vero magis, quia pater medicus erat, & sic vel nolente patre medicus factus sum. Manifestum est autem, quòd ero fœlix in arte admodum, quia Saturnus est optime positus, quo ad fixas & erraticas, nec tamen magni nominis, vsque ad tempus, quia Saturnus & Mercurius & Mars cadunt ab angulis, sunt retrogradi, nec in primis potestatibus.

De fama & potentia.

FAma in vita potentiam sequitur: Mars est dominus cordis cœli, & in trino Solis, ideo in vita habebo modicam famam, & minorem potentiam, despicient me potentes, quia Sol est cadens, apud tamen eos, qui luminarium casu dignitates possident, aliquid ero, sed a morte, cum canis minor sit in imo cœli, percrebrescet magis. Est enim ibi quadratus radius Veneris & Mercurij, in hoc tamen adhuc non erit magna [illegible]. Sed Saturnus cum stellis beneuis famam augebit & per secula seruabit. In medio, id est, corde cœli est vultur volans, naturæ Iouis & Martis, & dat aliquid. Directiones honorum, sunt in annis 23. & 24. 33. 35. 46. 53. & 62. 67.

De moribus.

IVpiter & Venus & Luna & Mercurius & Saturnus & Mars disponunt mores, ideo sunt permixti, præualent tamen Venus, Iupiter, & Luna.


De forma.

IVpiter & Venus dant formam, & Luna etiam. Ideo propter Martem habeo vestigium in fronte: nam quadrato respicit Lunam, cætera conueniunt.

De Morte.

MArs est dominus septimæ, & in angulo eius malefica, ideo erit non sine sanguinis mentione, violenti enim aliquid sapit, Luna etiam est in circulo capitis Gorgonis vt dixi aliàs.. Saturnus tamen est abscisor, sed & ipse cum fixis claris. Reliqua autem superius iam explicauimus.

XX.




NOstrarum memoria calamitatum nos impulit, vt virum hunc describeremus, quo neminem infœliciorem, si ad corpus respicimus, diiudicare possum. Iam enim eo podagræ laborat genere, annis fermè 30. vt tophis omnes habeat excussos artus, ac velut lapis, totus immobilis præter linguam. Huic malo causas dederunt omnes erraticæ, cum ascendente in aqueis signis. Marsque in quarto loco in piscibus, Saturni & Mercurij radiis imbutus: Non enim solum omnis, qui erraticas omnes, & ascendens in signis eiusdem qualitatis habuerit, perpetua torquebitur valetudine, sed & si ascendens tantum, & luminaria, cum dominis locorum, eodem infortunio vexabitur. In aqueis concursu pituitæ, in terreis melancholia, in igneis furore & herpete, in aëreis sanguinis abundantia.

Sol

Sol hic cum cauda constitutus, iuncturas loco eiicit, horoscopo proximus: at si Sol dominus esset horoscopi, corpus vel fœdo vlcere, vel violento casu, vel publica animaduersione laceraret. Religionem ostendunt Sol & Luna ab angulo cadentes, claritatem nominis Luna in cancro fortis, in Solis trigono, facitque vt δὴ μοχαειστὴς habeatur. Mercurius item cum lancis luminosiore & Saturno in Martis trigono, studium & eruditionem non vulgarem præstant, quòd Mars dominus sit horoscopi. Nodus cum Sole & ascendente acutissimum præstat ingenium, non fallaci regula: vitæ diuturnitatem Luna in cancro in trino Solis in ascendente existentis, signa humida memoria non pollent: contra sicca, siquidem memoria tenax in sicco fit. Ex hoc palam est, etiam si Mirandula reuiuiscat, non dubiam esse Astrologiam, nisi quis minutim concidens, velut in auri experimẽto ea prosequi curet, quæ ambigua & casui subiecta, & sensui pene abscondita sunt.

XXI.



Studij & forntunæ paritas ab illo ad hunc me reuocat, vt huius horrendum casum describeremus, quem effugere minime poterat, cum Luna, vt iam dixi, in septimo loco, cum nodo, ab vtraque in fortuna pulsetur, ipsa infortunata existente, illis autem iuxta cor cœli positis, addebat periculum Venus figuræ domina, Sole candens, & ipsa ab vtraque infortuna quadrato pulsata radio. Quamobrem & illi ab Antonio Castiloneo regio Medico, annis ante fermè triginta iure merito prædictum fuerat, quod absque vxore & filiis moreretur, quod & euenit.

Anno itaque ætatis XLVIII. & hora noctis prima, diei XI. Augsti, cum ex more per ciuitatem obequitaret, furiosus quidam currentem premens equum, illi occurrit, totaque vi æque illum & mulam excussit, tanto impetu, vt diu pro mortuo iacuit. Inde sublatus, excussa cruris vertebra, duobus superuixit annis, perpetuo morbo detentus. Inde mali propinquitate, ardore vrinæ vexatus, crudelem mortis exitum habuit. Erat autem reuoluentis anni ascendens, leonis pars 12. & in eo caput. Mars ad locum suum redierat, Luna ad eius oppositum, scilicet ad locum Saturni genituræ, Sol etiam vt ab initio, à Marte quadrata radiatione vexabatur, & ab vtroque Luna aspectu inimico, Mercurius in ascendentis opposito. Hora casus, locus Veneris ascendebat, qui vtriusque infortunæ locus quadratus est, vt ab initio dictum est. Locus etiam oppositus cacodæmon erat in Occidente, in quo tunc Luna Marti iuncta, Sol in Lunæ loco genituræ, & in opposito loci Mercurij reuolutionis, Iupiter dominus ascendentis in opposito loci Saturni reuolutionis.

Vir hic alioquin hac calamitate indignus, studiosus, eruditusque. Bellum quod suo tempore acciderat in Insubrum finibus, eleganter scripsit & edidit: aliaque etiam eius monumenta extant. Caput in ascendente ingenium, tum Mercurius & Venus in horoscopo, & Luna in trino infortunarum iuxta regulum. At vero Mercurius ipse dominus trigoni est ascendentis, cum stellis de natura Saturni. Venus autem in suo gaudio, hæc damna distulit tandiu cum in ascendente foret. Gaudet Saturnus in libra, Iupiter in cancro, Mars in capricorno, Sol in ariete, Venus in piscibus, Mercurius in sua virgine, Luna in tauro: igitur in horis vel domorum oppositis signis, quas prius exposuimus, contristantur & viribus cadunt.

XXII.




Non virtutis, sed infortunij similitudo, ad hunc ab illo nos vocat. Huic Luna in septimo in Martis domicilio infortunata cum nodo, atrocem ac violentum absque vlla dubitatione declarat interitum. Sol vero & ipse à Saturno infortunium patitur, vtroque Venerem quæ in scorpione cadit vexante: at hoc etiam periculum veneni ostendit, quod vix effugit. Hos omnes Mars è Saturni domo quadrato pulsat. Protinus igitur ferro laceratus debuit interire: sed distulit Iupiter, fouens Mercurium trigono cum Iupiter in piscibus sit: Mercurius vero ascendentis dominus denuò fouet ascendens. Igitur est manifestum, hæc diferri debere, donec Luna ad quadratum Martis, & oppositum Veneris ac Solis & Saturni peruenerit. Tunc etiam repente causa mulieris interire debuit, & factum est, vt à fratre puellæ, in

in cuius amore parum prudenter se gesserat, non immerito sit occisus: percussus enim in pectore, ne verbo quidem emisso expirauit, tot multiplicibus infortuniis Luna vexabatur. Fuit autem hoc anno ætatis X X V. cum Luna in reuolutione in quadrato Solis, Veneris, & Mercurij ad Martem iret, Mars vero in loco Mercurij, Geniture ascendens sexta Leonis pars, in quam Martis radij oppositi, & Solis ac Veneris & Saturni quadrati in genitura cadunt. Locus cacodæmonis, velut in nostra cacodæmonis locus, pars est vndecima virginis, & secundus ab illo 21. eiusdem. Hora qua occisus est, anno 1537. hora noctis prima, diei vigesimæ Iulij, tunc Sol in eadem parte sexta Leonis erat, in cacodæmone ascendens, locus oppositus Saturno reuolutionis, scilicet piscium pars prima: ascendens etiam reuolutiones in quadrato Solis, Veneris, & Mercurij erat, quod illi in scorpione, in quo & Mars, iuncti essent.

Desinant igitur in tam clara luce dialogismis inanibus intendere, & secundum nostra præcepta diiudicent affectus proprios, & ambigua decreta relinquentes, videbunt prorsus Medicinæ aut nauigandi arti securitate prædicendi Astronomiam nulla ex parte inferiorem.

XXIII.



Eadem nobilitas, par euentus, hunc illi subiicit. Et hic Luna in septimo loco constituta, infœlix in Mercurij quadrato, qui hostis est ascendentis, posita est. Mars etiam, ascendens & angulum Occidentis pulsat, ex supremo loco. In septimo etiam tauri stella clara, quæ pro sinistro oculo ponitur, violentam mortem tam palàm pronunciat, vt iam vel asino deterior sit, qui hæc non intelligat: tum etiam cum cor scorpij in horoscopo sit, crudelem, iracundum, temerarium, inconsultumque fuisse necesse est, aspicientibus ascendens, Marte, & Sole, tum etiam Luna & Mercurio.


Anno igitur 1536. die Februarij 23. scopleto (vt dicunt) ictus, subitò interiit. Tunc ascendens ad Solis quadratum peruenerat per directionem: sic & Luna fermè ad Saturni quadratum. Anni reuolutio habuit Martem in cœli medio in octaua cancri parte, ascendens pars septima libræ in Martis quadrato. Luna denuò in septimo loco in 19. arietis parte, qui locus Saturni loco geniture è directo oppositus est. Saturnus vero tunc Lunam trigono pulsauit aspectu, ex 21. leonis parte. Venus ascendentis reuolutionis domina cadebat in scorpione in Martis trino, nulla fortuna Lunam, Solem, Venerem ascendénsue fouente.

Domitiano Imperatori leo ascendit, Luna in septimo in aquario cum Marte, & in Saturni quadrato, qui cœli medium possidebat, posita fuit, vt ex hoc immensa crudelitas, & certa mortis violentia, & corporis forma decerneretur.

XXIV.

Veronicæ.

Pepercimus pudori familiæ, ne huius nomen adiiceremus, in pari consensu fati, verum impari causa subiungentes, cum ob impudicitiam à coniuge fuerit iugulata. Mercurius infœlix in piscibus, Lunam in duodecimo infœlicem, quadrata pulsat radiatione, Solem vero Mars fortis ex superiore loco. Quis negare potest iuxta cor cœli eo existente, futuram non dubie biothanatam? quamuisque sic habuerit mulier: at cauda cum ascendente, & Venus in capricorno, meretricem malam & ipsa in ascendente, proculdubio facit, Martis vero sextilis, impudicitiam palàm detegit, ipsamque ad omne scelus promptam. Cum igitur Luna ad Saturni quadratum peruenit, à marito occisa, multorum iam malorum pœnas dedit, & plurimarum quas iam passam fuisse antea necessario conuenit, finem inuenit calamitatum.




XXV.

Baptistæ Pagani.

Nobilitas & causa eadem mortis fecit, vt hunc mulieri præcedenti subiungerem. Igitur cum dominus horoscopi Saturnus cadat in cancro, iungaturque Ioui ascendentis inimico, domino vero septimi, qui ferè semper dominus est mortis, atque in Veneris quadrato vterque: ipsa vero in Martis domicilio,


cilio, & cadens, tum Sol iuxta caput Algol, & in quadrato Martis in septimo existentis Mercurius, hæc omnia ostendebant, quod omnino impossibile esset, vt non ferro peri-



ret, cum vel duo ex his testimoniis hoc indubie ostendat. Anno igitur 23. cum ascendens ad Martis oppositum & Mercurij quadratum simul applicuisset, & in reuolutione cauda in ascendente esset, ipsumque ascendens ex signo septimi, cancro infortunato, & Luna in parte 22. arietis iuxta Saturnum reuolutionis, & locum Veneris genituræ, quadratumque Saturni & Iouis, Iupiter vero Mercurio iunctus, atque cum eo combustus (nam qui plus à Sole ex his distabat, partes 3. non impleuerat). Hac tanta syderum aduersus eum conspiratione, Marteque cum Aldebaran stella in 12. loco constituto, deprehensus in lecto nocte media, cum ea quam vnice deperibat, à marito illius cum ipsa vxore nudus vterque magnis vulneribus occisus est, iacuitque vsque ad diem, cum is qui eum occiderat nobilis esset: fuit autem hoc iuxta diem 26. Iulij 1526.

Porrò hic iuuenis miser, subnigro erat colore: tales enim omnes, qui sub capricorno nostris in regionibus exoriuntur, etiam si Venus cum eo fuerit. Comptis moribus, Musicæ deditus, ob aspectum Veneris cum Saturno & cum ascendente, callidus, non multum ad literas propensus, ornatus, salax.

XXVI.



LVna damnata in scorpione, in Martis & Iouis sextili, Ioue cadente, & cum dorso leonis & asino existente, ipsa vero Luna cum luminosiore lancis, stella malefica & frigida, indicauit de violenta morte, & secundum principia nostra, quòd esset quasi insanus: & quia scorpio est aqueum signum, Iupiter cadit in virgine, & sextilis æquiparatur quadrato ex signis longarum ascensionum, indicat quòd in aqua, vel ex aqua, esset futura mors eius.

Hæc Hali, sed non firma sunt. Indicium certum est, quòd Sol erat infortunatus, & dominus genituræ cadens, & Iupiter damnatus triplici infortunio, & Luna deinde ab illo: & quia Venus est domina ascendentis & octauæ, mortem significat voluntariam.


Reuolutio 25.

Ascendens	24		Leonis.
Mercurius	2	52	Virginis.
Luna	3	0	Virginis.
Iupiter	11	14	Virginis.
Sol	29	34	Virginis.
Venus	11	2	Libræ.
Mars	14	48	Tauri.
Saturnus	2	19	Cancri.

Cum igitur Planetæ in 25. reuolutione essent, vt vides, & Solis eclipsis in 2. parte leonis, quæ est quadrata secundæ partis scorpij, & Mars in 2. parte tauri, tunc opposito loci Lunæ, in reuolutione autem Luna iungeretur Mercurio in ascendente, in loco Iouis & Martis infortunatorum, Saturno infortunato ambos respiciente ex cancro, Ioue etiam infortunato, in loco Saturni genituræ, Luna ad ipsum eunte, ascendente vero per directionem, & Mercurio ad Saturni sextilem deducto, iratus matri ob puellam, ex ponte in aquas se præcipitauit, & suffocatus est.

Dico ego, nisi fuisset stella, quæ dicitur luminosior lancis, cum Luna, & in reuolutione dorsum leonis, stellæ maleficæ valde, & validæ non accidisset hoc, quia Luna erat in ascendente, & ideo reddidit causam non causam. Hora autem qua præcipitem se dedit, ascendens fuit locus Martis in radice, & Lunæ in reuolutione, & Iupiter denuò infortunatus in ascendente, in opposito Mercurij, in septimo loco infortunati. Fuit etiam Iupiter retrogradus, & in quadrato Saturni, qui erat in cœli medio, Mercurium similiter ascendentis dominum aspiciens quadrato aspectu. Sol etiam in 7. loco in opposito Martis, in radice, & Saturni. Luna vero Marti iuncta cadenti in cancro, & in quadrato Veneris infortunatæ in ariete in 8 loco. Nam sic se habebant: Ascendens 4. virg. Iupiter 23. 11. virg. retrog. Sol 6. 26. piscium. Mercurius 24. 17. piscium. Venus 20. 49. arietis. Saturnus 23. 46. gemi. Luna 19. 47. cancri. Mars 21. 27. cancri.

XXVII.




Comitis Gaiazij.

A Tam violentis mortis generibus, deflectens in paulo mitiora, quamuis inopinata, visum est, vt Comitis Gaiazij strenui viri genituram describeremus. Hic anno vitæ XXXII. mense Maij cum cœnasset luculenter, intra 4. noctis horam extinctus est prorsus. Res mira etiam in sene, nedum in iuuene. Veruntamen nec malo viuendi vsui, nec syderum vi quicquam est impossibile. Ostendit liquidò hoc Saturnus in decimo loco, cum capite draconis quadrata radiatione, Solem, Mercurium, & Martem damnans: vicissim etiam Mercurius & Mars dominum ascendentis lædunt. Quo igitur anno ascendens ad locum Mercurij combusti peruenit, mortuus est. Animaduerte quòd hoc in casu Mercurius dispositor, quia combustus, non potest significare vitam, nec Sol in signo fœminino tot damnatus infortuniis, nec Luna in duodecimo loco, in masculino signo: ascendens igitur vitæ significator est.

XXVIII.


Ducis Burbonij.

VT ille à Cæsare, sic à rege Gallorum hic desciuit. Eo iustior huic causa, quo illi moderatior desciscendi modus. Mors dissimilis, vtrique tamen inopinata. Iam quotiens repetam, etiam si rex fuerit atque sanctissimus, infortunas autem oppositas in septimo & primo loco, vel in 7. iunctas habuerit, violenta morte peribit. Auxit tamen malum, quòd ambæ cum nodis erant, & Mars in cancro infortunatus: vnde etiam eo ictu dissipatum est corpus. In mundo autem infortunis in angelo existentibus, cadebant Iupiter, Sol, Venus, & Luna: verum & Venus cadebant à domo etiam, atque meliore. Ob hæc spoliatus, regno profugus, tormento bellico ictus, continuo mortuus est eo anno, quo Luna ad Mercurij oppositum peruenit. Vixit vsque eò propter Iouem fortem, & Lunam. In signis arte militari (vt manifestum est ex genitura) vt vix quicquam addi possit: nisi quòd fœlix esse non poterat. Iupiter fuit in Saturni termino & opposito Lunæ, & Luna in opposito eius in



Martis termino, & Sol in aquarij constellatione de Saturni natura, & cum eo exoriebatur caput Algol: & tamen hæc, quo ad regnum, non sunt causæ potentes, quoniam necesse fuit, vt erectio regni tunc terminaretur, & nos nescimus eam.

XXIX.




IAm quoties repetam, Lunam damnatam, violentæ, vel repentinæ mortis indicium ostendere, Infortunas in angulis ascendentis & septimi. Hic vtrunque habet. Omitto quòd etiam Saturnus in quarta domo positus est: dominus etiam genituræ alter conbustus, alter à Martis quadrato ex angulo septimi damnatus. Porrò Luna in coitu Solis, Venere etiam damnata ab infortuna indicat furtiuo concubitu genitum illegitimumque: tum magis, quòd Iupiter damnatur in capricorno, vnde diuitias tollit, significat hominem versutum & bene institutum, quoniam cauda in ascendente, & radij, ibi Iouis, Solis, Lunæ, Mercurij fœlices.

Ictu igitur bellici tormenti crus totum ablatum, mortem illi protinus peperit: adiuuabat hoc malum quadrata radiatio Saturni & ascendentis, & Mercurius dominus eius cum capite Algol, & luminare vtrunque cum stellis arietis de natura Martis. Anno autem 36. quo mortuus est, Sol ad quadratum Martis peruenit, & Mars est cum cauda piscis

de natura Saturni, & fuit vtraque infortuna eo anno in angulo, Mars in 7. & Saturnus in ascendente.

XXX.




Iacobi Triuultij.

AFfinitatis vinculo transimus ad proxima quæque, etsi tamen molesta minus. Hic enim pater præcedentis, longe meliore fortuna vsus est. Vixit annis L X X V. patriæ nostræ magnum decus, rarusque inter huius ætatis belli duces, inclytusque victoriis plurimis: etiam familiam adauxit proprio splendore. Sol Venus ac caput iuncti, in angulo, in sextili Iouis & Martis, in signo triplicitatis, Ioue trino aspectu, Martem respiciente, maximam pollicentur fortunam, auget eam luna ascendens in 2. & in angulo primæ cum cauda vero posita solertiam, qua cunctis fuit admirabilis. Præstat Mercurius item fortis & in angulo & in domo, & ascendentis dominus inter radios fœlices, vnde quaque omnia prospera, magnamque animi securitatem affert. Fuit & caput cum Venere iuxta Herculem, cum Venere etiam Apollo in eodem gradu, nec quicquam damnari potest, quadrato Saturni & Martis duntaxat excepto.

Illud animaduertere dignum est, nullum signum bellicosiores efficere sagittario, horum est enim proprium arma tractare, Cum vero, quod sæpius dictum est, nec piget repetere, tres fortunæ in vna genitura iunguntur, magnum pollicentur bonum. Hic autem cum stellis etiam quinque sunt, & in angulo & cum radiis fœlicibus, vt si vel non credas Astronomiæ, hæc sola genitura, nisi omnino asinus sis, te doceat artem non esse inanem, verum suppositos artificum loco impostores, e quibus etiam vnus impudenter libri emendationem de optica facultate, à patre meo multis laboribus confectam, sibi vendicauit, quanquam etiam paterna tot iam annis typis excusa & publica foret.

XXXI.



MInor certè quàm præcedentis gloria ciuis nostri, sed tamen & ipsa rara. Qui si arma tractasset, poterat forsan nulla ex parte illo inferior videri. Nam quòd ad Principum amicitiam, ad tractandam pacem, ad quærendam belli occasionem, nemo promptior, nemo aptior: varia tamen fortuna iactatus, exul, in magistratu, in fuga, præfectus in carcere, modò omnia, modò nihil. Fuit etiam quandoque religiosus, inde ducta vxore numerosam sobolem procreauit: demonstrat hoc Luna in quinto loco: Ingenij vim Veneri iunctus Mercurius in aquarij constellatione, de natura Saturni. Podagram & repentinam mortem Saturnus, Mars, Mercurius dominus ascendentis, & Venus in aqueis signis. Idem vt bene collocati & dispositoris, cum sit triplicitas nunc magnæ coniunctionis, ostendunt gratiam apud Principes. Porrò infortunæ in sublimi & cadentes, carceres, repentiaam mortem, non tamen violentam, ostendunt gratiam apud Reges, potestatemque magnam, quandoque etiam supremam. Iupiter à Mercurio & Venere sextili illustratis, tum etiam Saturno, Venerem ac Mercurium trino denuò respiciente, tum Luna Solem sextili. Deest ad claritatem potentiæ, quòd nec in angulis fortunæ, nec Luna est supra terram, impugnat ac infirmat regiam quasi potestatem, Saturni ad Solem ex loco supremo quadratum, & vterque Iouem cadentem oppugnans quadrato ac opposito. Inualidum ad bella reddit vtriusque infortunæ casus in cancro, & dominus ascendentis cadens in sexta, & ab vtraque dignitate etiam Planetæ fœminino in fœmineo signo iunctus, ascendente fœmineo signo. Talia tantaque ad tam variam fortunam declarandam necessaria fuerunt.

XXXII.

Philippi Archinti.

TVam vero genituram libens volensque prætereeam, quum in explicanda tua animi virtute adulationis suspicionem effugere non possim, apud ignotos. Qui tamen aut nostri simplicitatem animi, aut tuarum laudum expertes non sunt, vir amplissime,

me omni culpæ suspicione liberabunt. Hoc vnum tamen testari non dubitabo, neminem in amanda & excolenda eruditione tibi posse conferri: atque vtinam id eueniat, quod Plato dicebat, vt vel tui similes, maximis potianturdignitatibus, aut qui maximis potiuntur dignitatibus, tui similes efficiantur. At ego tibi laudem incomparabilem accessisse existimo, qui duarum difficilium rerum, altera potitus sis, aliam non neglexeris. Porro Mercurij ad vnguem cum Ioue quadrata

XXXII.

1495. die 3. Iulij, hora 4. mi.35. ante meridiem.

Cor cœli, 12 ♉.

Philippi Archinti.

tum etiam recepta radiatio, quod Iupiter in cancro gaudeat, ingenium, quale sit, prudentiam & eruditione declarant. Atque ita ex testimonio stellarum, absque nostra celebratione tanta virtus patet. Verum cum Soli canicula, Lunæ scorpij cor iunctum sit, eo suos effectus producunt serius, quo magis à Solis linea distiterint versus austrum. Antares quidem partibus quatuor tantum. Procion autem 16. Celerius vero, si boream versus, atque in signis, quibus latitudo ascensionem minuit tardius vbi auget. Sol vitæ hic significator proculdubio est, ascendens incertum, atque vt puto, ex initio virginis, vita tamen haud incerta est. Cæterum cum Sol ad Lunæ quadratum peruenerit, merito te honore decorabit.

XXXIII.

1498. die 7. Aprilis, ho. o. mi.24 ante meridiem.

Cor cœli, 20 ♈.

Ioannis Medices.

QVia Sol, dominus ascendentis, in angulo, cum Saturno & Mercurio fuit, & Luna cum luminosiore lancis violentissimo sydere, violentam decernit mortem: quod Luna in scorpione cadat, & in angulo, inopinatam. Proprium lancis meridionalis est, cruentam mortem significare. Mores & ingenium declarat Solis cum Saturno, item Mercurij cum vtroque constitutio, tum Lunæ. Fortitudinem summam, an potius dicam temeritatem, Martis radius sextilis ad ascendens, & qualitas ascendentis & domini eius in masculino etiam signo in angulo, & loco in quo gaudet existentis. Tum Iupiter maximo vexatur infortunio, cadit ab exaltatione ab angulo, est cum cauda & cum radiis Mercurij inimicis. Ictu igitur archabutij confracto crure, inde Medicorum opera amputato, inter acerbissimos dolores mortuus est, vir quidem crudelis admodum. Cæterum peritia rei militaris & fortitudine inclytus. Eum Burbonio adiungere voluimus, sed celeritate prætermissum, hic restituere curauimus. Est etiam in eius genitura Veneris positio cadentis tum ad Martem consideranda.

XXXIV.

1486. die 24. Decembris, ho.12. post meridiem.

Cor cœli, 13 ♋.


Ioannis Symi.

Ioannis Symi.

FVndamentum tanti effectus, mortis scilicet à fulgure, est dominus ascendentis Saturnus in igneo signo, à Marte damnatus, qui in eius opposito. Est autem Mars in constellatione geminorum tota de natura Martis, Saturnus vero in constellatione Sagittarij de natura Saturni partim, & partim Martis. Erat etiam Mars cum bellatrice & hirco de natura Martis & Mercurij stellis magnis, quo in loco etiam est in nostra genitura, Saturnus vero cum capite serpentarij, de natura ♂ & ☿. Cum igitur Mars esset eleuatus supra Saturnum, significatur mors per ignem, & eo magis, quod vterque illorum respicit ascendens. Est autem Saturnus dominus primus geniture, quia trigoni & exaltationis, Venerem Saturnus manifeste damnat: hoc totum tamen non decerneret omnino mortem, nisi quia deest vitæ largitor, nam solus Mars est supra terram, & Iupiter cum Mercurio est combustus. Et Sol inimicus ascendenti ipsum damnat.


ipsum damnat. Cum igitur Venus peruenit ad Mercurium, & Luna ad Solem in annis 14 completis, & erat cum Mercurio stella corporaliter de natura Solis & Martis, & in reuolutione Mars fuit in loco Saturni opposito sui, & Saturnus in angulo quartæ in opposito Veneris cum cauda existentis, & Luna in par. 29. mi. 36. aquarij, in quadrato Veneris & Saturni, & Venus cadebat in scorpione, omnes in infortunarum terminis. Ideo conuenit, vt eo anno ictus fulmine protinus interiret: & in hoc animaduerte, quòd Venus Saturnum oppugnat in reuolutione, è contra in genitura. Fuit etiam hoc in Veneris Alfridaria planetæ debilioris in tota genitura.

XXXV.



Iam ne vides, quòd Mars, qui dominus est virilitatis, in fœminino signo, & in angulo occidentis, est cum Luna constitutus, Venus ascendentis domina in Scorpione cadit. Iam hoc dubitabilem rationem non habet, nisi quia Iupiter in quadrato eius existens, prodesse posset, sed debilis & in Saturni domo. Manifestum est autem quòd mala morte absque dubio morietur: nondum mortuus est, sed in extremis tamen fuit periculis: Mores mali necessario, sed tamen liberi, quia Saturnus abest. Morietur ex reuolutione non sola directione, quia genitura caret malis radiationibus. Hic etiam ignotis pecunia copiam sui faciebat, paratus tum ad dignitates, vt dictum est ex nostris principiis, omnes tamen leues, quia Iuppiter & Venus ambo infœliciter positi, & in vita sua accident infinita inconuenientia, pessimeque audiet: nam Luna in 7. loco posita etiam cum Marte est, & per hæc omnia pertransiuit, nec vnquam tot infortuniis finem inueniet, eruditus tamen & ex ecclesiæ bonis viuit. Nam Luna infœlix, & Venus cadens, & in nona, omni libidinis vitio flagrabit.


XXXVI.



Baptistæ Bergomensis.

Animaduerte, quòd in genituris, in quibus nondum mihi exploratus erat error loci Saturni & Martis, quod eas olim sic statuissem, emendatum non inuenies, tum magis propter celeritatem, & quia res non magni momenti est, vbi non intercipiatur Planeta. Hic igitur dæmoniacus erat, nam parentes primo eius insania laborabant, & Iupiter ex gradu fermè erat in Saturni opposito, & vtrunque luminare cadebat ab angulo, & Luna plena luminibus opposita Marti, & sub terra. Conuenit igitur vt haberet dæmonium furiosum, & quia Mercurius fuit in ascendente in sextili Veneris, & cum spica virginis, prædicebat futura, reuelabat abscondita, & in eo genere erat gratus hominibus. Cum vero peruenisset ad annum decimumquartum, mortuus est ex reuolutione, quia erat ei dispositor vitæ præter Mercurium, & in directione, latet me causa mortis eius, seu quòd oporteat diligentius considerare, seu quòd iam sit ex occulto mihi principio, seu quòd ascendentis hora paulùlum euariet.

XXXVII.



Iam hic infœlix Comes vinculis ob insaniam detinetur, nec referre causam in genitura, vel quòd talis morbus sit insanabilis,

bilis, difficile est. Vtrunque luminare cadit ab angulo. Saturno illis iuncto, & in signo terreo. Auget difficultatem Mars propinquus cordi scorpij ad oppositum Iouis iens, qui est cum Aldebaran, & verba in hoc sunt superflua. Apparet etiam quod impossibile est, vt sit valde longæuæ vitæ, etsi Venus domina ascendentis sit in trino Martis, & Mercurius dispositor vitæ saluus.

XXXVIII.

1500. die 29. Maij, hora 14. horologij.

Cor cœli, 11 ♉.

Oculo priuati.

HVic accidit anno 1513. die Ianuarij 17. vt ludendo dextrum oculum sibi effoderet. Eo anno ascendens ad quadratum Saturni, & Sol ad quadratum Iouis, qui est inimicus geminis peruenit: est autem Sol cum cingulo Orionis absque differentia vlla. Cingulus Orionis oculos hebetat: nam quibus etiam hic ascendit, oculi semper firmi sunt. In ea reuolutione ascendit cancri pars 26. locus Martis. Mars in 29 parte sagittarij, retrocedens in opposito Mercurij, qui fuit in 29 parte geminorum. Luna in tertia parte sagittarij cum corde scorpij. In reliquis non satis causam percipio, nisi quòd hora casus Luna erat in 17. parte geminorum, in loco Solis infortunato, & cum Orionis cingulo, & Saturnus in 4. parte scorpij, & Mercurius in 15. parte aquarij. Et cum possem plurium, quibus oculi casu exciderant, manifestas describere genituras, volui hanc potius quasi absconditam causam tanti effectus continentem ponere, vt ad omnia magis animaduertat Lector: nam reliquarum omnium Luna vel in septima ab infortunis damnatur de quadrato, vel in 6. loco comburitur, cum infortunis infortunata existens, & in omnibus propinqua stellis nebulosis. Habuit hic numerosam prolem valde ac sospitem, sed hoc nihil clarius: & etiam vir studiosus & eruditus, & hoc etiam ex his quæ diximus, nimis manifestum.

XXXIX.

Simonis Rigoni.

HIc publicè laceratus est, anno 1506. quo ei prædictum fuerat, periturum acerba morte: nam non erat ei dispositor vitæ, præter ascendens. Erant enim Planetæ omnes sub terra, & Mars peregrinus in angulo, & Venus cum luminosioribus lancis, & Mercurius dominus ascendentis cadens à domo sua in angulo imi cœli, cum cauda, combustus à Sole, & cum insignibus stellis extra formam scorpij, de natura Martis & Lunæ, & dicitur globus à nobis, & Iupiter fuit cum stella de natura Solis & Martis, & Saturnus fuit in constellatione aquarij de natura Saturni & Iouis, & in reuolutione fuerunt omnes erraticæ supra terram, & Luna cadens, in scorpione iuncta Mercurio infortunato in 27 parte Scorpionis, & in corde cœli, & in quadrato Saturni, caudæ & Martis coniunctorum in 7. loco in leone. Et qui potest vel euetui vel significationi syderũ aliquid addere, addat: ego certe fingere haud possem. Cum vero omnes, quibus virgo ascen-

1462. die 23. Octobris, hora 12. mi. 24. post meridiem.

Cor cœli, 17 ♊.

Simonis Rigoni.

dit, aliqua ex parte necessario sint malorum morum, qualem putas hunc fuisse, cui dominus ascendentis combustus cum cauda, & in sagittario fuerat, & Mars in ascendente, & dominus termini etiam Mars ipse.

XL.

Neronis Cæsaris vera.

Latitudines.

♄	Septemb.	2.	32.	♀	Mercur.	1.	29.
♃	Septemb.	1.	8.	☿	Septemb.	1.	24.
♂	Mercur.	0.	3.				

Anno Christi 38. die Iunij, 14 in ortu Solis.


Cor cœli, 24 ♒.

Neronis Cæsaris vera.

Hæc est vera Neronis genitura, nec nix niui similior, quàm hæc genitura gestis moribus

moribus ac fortunæ Neronis, qui sæuitia in fratrem, vxorem, matrem, in omnes denique, vrbem incendio, corpus stupris, animum flagitiis, omnia cruenta nece fœdauit. Animo trepidus etiam ad ipsa facinora, valetudine firmus, anno 18. Imperium orbis matris fraude adeptus, 32 ætatis, scelere proprio cum vita simul amisit, manum timore publicæ pœnæ inferre sibi compulsus.

XLI.




EAdem terra ferax frugum, etiam venena alit. Nullæ vrbes, Roma, nostraque pietate virorum insigniores extiterunt, nullæ immaniores belluas educarunt, è quibus vna fuit monstrosa hæc sæuitiæ calamitas. Et ipse enim annos natus duodecim, regnum accepit hæreditarium firmumque: nam Saturnus cum corde leonis erat. Ibi cum etiam pueros canibus edendos exponeret, inuisus etiam terræ, inuenit ciuem fortem, qui eum in templo occideret, fugaque salutem, vnus ex multis tyrannicidis, quasi diuino iudicio, assequeretur. Martis & Solis oppositio ex angulo hoc ostendit & Luna cum cauda & scorpij infortunata, quoad vitam, Cum igitur Luna & ascendens in annis 24. ad Solis quadratum peruenerunt, occisus est, & in reuolutione Mercurius fuit cum cauda, & Sol cum Ioue, & Luna cum Saturno in quadrato Saturni.

Hora reuolutionis.

Ascendens	5		Leonis.
Saturnus	26	36	Tauri.
Luna	25	29	Tauri.
Mercurius	10	17	Virginis.
Cauda	13	16	Virginis.
Sol	23	0	Virginis.
Iupiter	22	47	Virginis.
Mars	22	42	Cancri.
Venus	19	29	Leonis.

XLII.




HIc fratre minus crudelis fuit: non enim illi prima sagittarij pars, sed vltima potius scorpij exoriebatur, cuius termini dominus est Saturnus. In tam insigni enim crudelitate non potuit Luna & ascendens esse simul in domo Iouis atque termino, quamuis Lunam cor scorpij ad maximam sæuitiam & Iouem Mercurius trahat. Huic vero Iupiter liber, & in Solis Saturnique sextili, tantum à crudelitate minuit, quantum potentiæ superaddidit: quod & Luna in ascendente confirmat, nec successu res caruit.

Nullus fœlicior aut potentior dux Mediolani, sæpius victor: tres Reges vnà captiuos aliquando habuit. Verum cum Mercurius in virgine à Sole Saturnoque, tum etiam Venere cadente infortunaretur, stultitia laborauit, quod etiam Luna in quadrato Solis & Saturni & Martis opposito decernit. Fortunæ igitur munera reiiciens, in maxima incommoda delapsus est, non paruis etiam acceptis detrimentis. Demum cum Luna sic ab vtraque infortuna oppugnetur, tum à Sole, effecit vt vxorem capitè mulctauerit publicè, rem raram aque penè in Principe prodigiosam.

Veniant nunc qui Astronomiam negant, & moliantur responsa in tam euidentibus hominum miraculis, aut putent sumptas ex annalibus publicis geniturας à me confictas esse, vel erraticas arte aptasse ementitis locis, tam bellè in vniuersum vita genituræ decretis conuenit.


Regnauit annis 36. vixit annis 54. mortuus est die tertia Augusti anno 1447. In reuolutione Luna fuit in quadrato Saturni, & Mars in quadrato Iouis domini ascendentis ad vnguem vterque, erantque Saturnus & Venus in octauo loco. Saturnus in leone, Iupiter vitgine, Luna in 12. parte scorpij, Mars in 12. parte sagittarij, & tunc Sol peruenit directione ad hoc, vt sextilis Mercurij infœlicis caderet super eum in domo Martis & termino Saturni, & sextilis ipse erat ex signis longarum ascensionum, & Sol in genitura cadens & infortunatus à Saturno, vt longæ vitæ esse non posset, nam Lunam cadentem Mars etiam premit.

XLIII.



IAm ne quoties repetam, regna ex genituris non sunt: hoc enim maximum mortalibus præmium, aliis imperare, neminem sibi. Verùm & hoc supremum, tamen à genituris est. Venus cum regulo in Iouis sextili, & Iupiter in suo termino, significat mulierum causa magnum fortunæ beneficium. Martis quadratum non obstat, quod Venus eo in loco domina sit trigoni. Mars luxta cœli cor in Mercurij trino in sextili Saturni, cum permutatione potestatis, ostendit in bello peritiam maximam. Mercurius item in quadrato Iouis cum mutua potestatis permutatione idem ostendit, sed & in moderatione magnam prudentiam. Saturnus in opposito Mercurij, & in Iouis quadrato maximas difficultates infidumque decernit ingenium, Saturnus in ascendente administrationes, astum, laboris supremam patientiam. Fuit etiam Luna quasi cum scorpij corde, Regnum igitur quasi hæreditario iure accepit, bello acquisiuit. In pace moderatus Princeps, quòd Mercurius ascendenti dominetur: Qui enim Mercurium in angulo Occidentis habuerit ascendenti dominantem, erit in negociis suis valde prudens: & quod in hoc est verisimilius, existimandum est, 18. partem capricorni iam ascendisse, in qua Mercurius vltra trigonum terminum possidet. Mars etiam filiorum pollicetur multitudinem, in signo aqueo, in aspectu Veneris & Mercurij. Et ego fatebor ingenuè veritatem: potest enim esse error, vt sit genitura tardior die vna in eadem hora, quia tunc Luna cadit in sextilem Iouis, & trinum Veneris ad vnguem. Vixit annis 64. mortuus hydrope 8. die Martij 1466. cum iam ascendens ad Iouis oppositum & Mercutij quadratum peruenisset, & in reuolutione Luna esset sub Sole, Marti in 5. loco existenti directè opposita.

XLIV.



LVna ab infortunato Ioue opposito, & à Martis quadrato infortunata est, quo ad vitam: ipsa etiam cum cauda mortem decernit violentam, quoniam qui oppugnant in angulo sunt. Cæterum Mars fortis, Iupiter cum Draconis capite, Luna in ascendente, regnum inter fratres illi vni adiudicant. Est autem genitura hæc paternæ simillima, nam Luna iuxta Luna Martis, ad angulum cordis cœli positio eadem, Mercurij locus iuxta patris ascendens: contrà Martis locus patris, huic ascendit, mores aperti sunt Luna domina noni loci, religionis contemptorem ostendit, cum cauda deceptorem. Mars dominus ascendentis sic positus, in principe omnia mala atque facinora patranda decernit, fuissetque deterior, si diutius vixisset. Mortuus est ætate Neronis, cui moribus etiam non valde dissimilis, verum populari iustitia longè melior. Cum à sacerdote de mortis genere ac de ætate admonitus esset, beneficij loco habuit, illum fame necare.


Cum igitur ascendens ad Martis quadratum & Iouis oppositionem, Luna vero Mercurio per directionem in trino Martis existenti applicuisset, annis perfectis 32. & in reuolutione locus Lunæ & ascendentis, locus Martis in genitura, & Iouis quadratum ac Lunæ, trinusque Martis esset, tum Mars ipse cum nodo in pluribus partibus quàm Luna in ascendente: at ascendentis dominus cum Venere in Saturni domo combustus, atque directe Saturno oppositus, in altiore loco existenti, Sole vero infortunato, conuenit vt tunc occideretur. Tredecim igitur vulneribus die 26. Decembris, in æde sacra à tribus coniuratis ciuibus, qui diu antea conspirauerant, magna ciuitatis iactura confossus est, nam malus homo & sapiens Princeps.

XLV.

Francisci Sfortiæ Mediolani ducis.


HIc filius fratris præcedentis fuit, cuius pater in carcere obiit, vt in IX genitura ostendimus. Trinus Lunæ, Veneris, Mercurij, Iouisque decimæ domini, trinus etiam Saturni & Martis, recuperationem regni paterni

paterni per multas pactiones ostendunt: non tamen virtute propria, sed quasi mercenariam ab angulis enim cadunt, Luna in Saturni quadrato cum cauda existentis in signo piscium, morbosam vitam, & in ea plurima decernit inconuenientia. Venus Mercurio iuncta in Saturni domo, & in Martis quadrato, multa occulta decernit vitia. Cum ad cœli medium in annis 26. perueniissent, sextilis Martis & Saturni, & quadratum Iouis domini cordis cœli, tunc regnum acquisiuit anno ætatis 27. Iupiter, Mercurius, & Ve-



nus in 4. loco iuncti fuerunt eo anno in capricorno, & Luna in eorum trino in tauro in 9. loco, in cuius quadrato iuncti coierunt Sol, Saturnus, Mars in aquario: & fuit hoc auxilio præexistentium religioni, & denuò etiam priuatus est, propter quadratum illud, & ad mortem infirmatus, sanatus etiam, ac regno restitutus, anno ætatis 32. in quo ascendens ad Martis oppositum peruenit. Cum autem ascendens ad 25. partem tauri peruenit, ob Solis quadratum obiit, tunc in reuolutione locus Martis ascendit, & Luna fuit in loco Saturni, & Mars dominus ascendentis in opposito Saturni, & Iupiter cum Venere combustus.

XLVI.




Hac genitura, vbi bona nulla melior, vbi mala nulla deterior: nam quòd Venus in 9. loco cum Aldebaran posita cum cauda, & in sextili Mercurij est, mutationem legis ostendit, nec reuertetur, fixa enim adiacet. Luna etiam in septimo loco in Solis quadrato, Saturno Venerem sic positam respiciente, & Iouem Marte dominum septimi, diuortium, & multa circa vxores inconuenientia declarant, vt etiam illarum vnam capite mulctauerit. Saturnus in Mercurij opposito, quoniam Mercurius in supremo loco est, multas aduersus illum insidias moliri faciet: tum etiam quia Mars in quadrato Iouis infortunati est, apertas seditiones. Nunquam regno priuabitur, & si priuabitur, non toto, nec diu: nam inter ambo luminaria quadrata radiatio cum mutuo consensu est ex cardinalibus signis, promptum & ferocem eum esse necesse est, violentis vero casibus, si hæc est genitura, necessario subiicietur. Inclytus vir, vt ex stellarum positione apparet. Sol cum Apolline est, regiumque plane animum magnitudine decernit, violentia plusquàm regium, Chronocratorem Solem habet. Nemo plures experietur in regno turbas.

XLVII.

Leonis Pontificis decimi.

Hic cum haberet Lunam in sexto loco inter suculas, & Solem in constellatione capuli sagittarij, simili Orionis cingulo, in lactea via, fuit penè cæcus: & quia Saturnus erat in octauo loco in Iouis opposito, significantur carceres & inopia magna: & quia Venus est in ascendente in sagittario, significat multa circa mores, tum gratiam dicendi & mansuetudinem. Sol vero existens in ea constellatione trium fixarum, cum peruenit ad Iouem locus, & Iouis quadratum ad cœli medium quod est cor, dedit pontificiam maximam dignitatem, & hoc cum radicibus nostris concordat. Fuit autem electio eius 10. Martij anni 1513. hora 23. minut. 15. præcesserat vero 37. reuolutio, erantque Planetæ (vt in sequenti tabella vides) in reuolutione & electione.



In reuolutione.

Ascendens	21		Scorpij.
Saturnus	10	44	Scorpij.

Iupiter	26	12	Piscium.
Mars	9	24	Piscium.
Sol	27	27	Sagitta.
Venus	10	28	Capric.
Mercurius	6	34	Sagitta.
Luna	5	22	Capric.
Caput	4	50	Libræ.

In electione.

Ascendens	22		Virginis.
Saturnus	13	23	Scorpij.
Iupiter	13	1	Arietis.
Mars	12	15	Tauri.
Sol	29	48	Piscium.
Venus	3	28	Tauri.
Mercurius	12	10	Piscium.
Luna	11	20	Tauri
Caput	0	0	Libræ.


Fundamentum reuolutionis est, quòd Sol per directionem peruenit ad locum Iouis, & in reuolutione Iupiter est in quadrato Solis, ambobus existentibus in domo Iouis, & stirps ipsa Leonis ex apris ad eam dignitatem, nobilis & Italica, & Luna ibat ad Venerem existentem in loco Mercurij, qui est trinus Martis: & tunc sextilis Saturni & Martis, & hora electionis: Vides manifestam commutationem: nam Sol peruenerat ad Iouis locum, & Luna erat iuncta Marti, qui est dispositor figuræ, & Mars in sextili Mercurij, ab initio amici, vterque autem in opposito Saturni, qui etiam erat in Mercurij trino.

XLVIII.

Iulij Secundi Pontificis.


Mores hic vides expressos. Scorpius ascendit, vbi duæ insignis illæ fixæ de natura Saturni, Mercurij, Martis, cauda in ascendente, & Luna in aspectu eius infortunata, dominus ascendentis Mars cum Venere, & in geminis, & in octauo loco, si potes addere addas, quo minus mirum est, ipsum æternis bellis initium dedisse: dumque & hoc absque pecunia facere molitur, in Christianorum Reges, ea semina discordiarum seuit, quibus non solum populi, sed & ipsi Reges periclitantur: Heu heu hominum mentes, regum consilia, pastorum benignitatem, qui nec præsentia ferunt, nec futura præuident, nec præteritorum obliuisci possunt: Sed iam ad causam tantæ dignitatis veniamus.

Nonnulla forsan hic ex syderibus, sed alia ex diuino indicio, vt per hunc multorum scelera punirentur: nam ex ipso ruina Romanæ ecclesiæ orta. Italiæ, Christianorum denique omnium, inde sectæ, amissaque ex parte, Petri sublimis illa dignitas inter Apostolos, qua vnus cæteris à Christo prælatus est, non hunc incerta successio excusat. Sic Christi sanguis, sic lex diuina humano concessa beneficio, vt per vos, per quos seruari oues oporteret lanientur? membraque illa Christi sparsa cruore iaceant deterius quàm in cruce; ibi volens, & ab insciis, & multorum beneficio, paucis horis pendebat, vos hic discerptum tam diu non restituitis. Sed tamen & huius calamitatis publicæ aliqua causa quærenda est. Ea fuit Solis positio inter canem ardentem & Apollinem. Veneris vero & Martis cum dextro Orionis humero &



dextro Aurigæ, & hæ quidem de natura Martis & Mercurij, reliquæ duæ de natura Iouis, vt quatuor insignes fixæ ei fauerint, quæque iuxta ascendens, & cor leonis in cœli meditullio, & cum Saturno Procyon stellæ octo insignes, quatuor primæ magnitudinis, quatuorque secundæ. Quid mirum hunc stirpe quanquam ignobili ad summum fastigium euectum fuisse, tanto syderum consensu, sed & expertus schisma est, & quamuis nulla virtute insignis, tamen vir ad mores temporum collatus, atque qui deteriores etiam reliquerit successores.

XLIX.



Sol in septimo loco fortunam quæ ex prudentia oritur præstat, Luna in ascendente magnam fœlicitatem: quia vero cum Saturno iuncta est, & ad Iouis trinum vadit, separans se à Saturno & in signo igneo, ostendit maximum consilium ac prudentissimum, quòd si Iouis radij abessent, æqualem tantæ prudentiæ stultitiam. Nunc vides quantum referat immutatio, quæ poterat esse stultissimi, si soli Saturno applicasset, sic posita sapientissimi est, Sol autem fuit iuxta virginis spicam per duas cœli partes,

partes. Cætera ingenue fateor, tanto viro vix consentiunt: hunc tamen præcedenti subiunximus, cum vterque consilio plurimum claruerit. Verum hic ad occupandam rem publicam nihil officij aut virtutis neglexit aut omisit. Ille occupata republica, quamuis (vt forte sibi videbatur) pontificiam dignitatem augere laudabile existimaret, primumque opus Italiam barbaris, ecclesiasticam potentiam seruitute liberare, cum nihil in suos penè vel hoc amore contulerit, non tamen hæc concordia, astu, beneficio, precibus, persuasioneque perficere tentauit, sed bellis, ac innumeris cladibus, vt Pirrum quendam in veste illa sacerdotali, cruceque pereunte, effingeret.

L.

1536. die 15. Iulij, hor. 13. min. 57. à meridie.

Cor cœli, 1 ♓.

Don Cæsaris Dauali.

PRimum illud quisque debet sibi persuadere, me neque gratia falli nec fallere: nam etsi debere me plurimum illustrissimo domino existimarem, quod magis, quando etiam dubia res sit, volo, quam ingrati nominis periculum subire. Non tamen hoc qualecunque beneficium, tam turpi munere pensandum foret, quod & illis in iacturam cedere posset, mihi certe in ignominiam casurum, at nec sperandæ gratiæ, in qua & si optimus ille sit, inuidia tamen quorundam cum moribus temporum nihil proficerem: & si omnia ita futura sint, quid deterius, quàm vt eos imiter quos accuso, vt mendacio, & aliena iactura, mihi beneficium quæram? Quorsum vero tendam, vt fallar? & vt arti fidem, quam qui nostra legent experimento confirmatam, tribuunt, nunc his ineptiis subtraham? Quare pura hæc profiteor de his, quos & si diligam, nulla tamen causa ad hoc allicior. Nostris enim temporibus, opinio quædam virtutis in precio est apud Principes, non virtus, quam plerique oderunt, pernicie sua. Et si hic inter bonos adnumeretur vel optimos, non tamen optimi nostri temporis, mediocribus antiqui æui coæquari possunt, cum qui neque excoluerint cum scirent, tunc in precio haberentur, nunc cum & inuenerimus & excoluerimus, pari cum antiquis quibuslibet certamine negligimur, omniaque impostoribus & adulatoribus conceduntur, artes etiam quædam ludibrio sunt, deinde de fortuna iniuste conqueruntur. Hæc igitur sic se habent: Luna Veneri iuncta in cancro, & caput in prima, fortem decernunt vitam amplamque fortunam: auget hoc Iupiter ex quadrato, Saturnus vero Mercurio iunctus in Iouis trino. Ipse vero Iupiter in quadrato Lunæ & Veneris, cum quibus conuenit, & regulus cum Saturno, & circa Lunam & Venerem stellæ nobiles, liberam proculdubio, cum Sol ad sextilem venerit, decernunt potestatem: ipse vero blandus eloquio, cunctisque supra modum gratus erit, sedebitque in maiore quàm quisquam fratrum dignitate, eritque formosus, superabit progenitores suos potentia, & falsò apud plures cuiusdam stulticiæ notam subibit.

L I.

1535. die 9. Nouembris, hora 9. noctis sequentis


Cor cœli, 20 ♊.

Nepotis Antonij Leuæ.

ET hic ex illustri familia versa fortuna præcedenti subiicitur. Vocatus ad infantis curam, cum matris violentum exitum intellexissem, placuit horam partus habere, cuius figura ostenditur. Cum igitur Luna esset in opposito Solis & Mercurij, & in quadrato Iouis & Saturni inuicem oppositorum atque existentium in quadrato Solis & Mercurij, omnesque ab angulis cadentes, essetque Venus cum cauda, omnia hæc mortem matris tam apertè nunciabant, vt iam dubitari de hoc non debeat. Mortua est igitur infra quartam horam, distulit mortem Lunæ applicatio ad Martis sextilem, qui erat dominus octaui loci. Et quia cum hoc dominus ascendentis erat cadens, combustus, & infortunatus, necesse fuit, vt etiam infans moreretur. Superuixit 33. diebus, & hoc quia infortunæ non erant in angulis, & Luna erat in tauro fortis, vnde compleuit mensem Lunarem, tum maxime quia terminus erat Iouis. Et sic vides, radices has, nulla ex parte dubias esse.


Et

LII.




ET hic maximo periculo natus, vix vixit, nam toto primo mense conuellebatur. Primo quidem septimestris fuit, vnoque pede prius emisso, inde obstetricis industria agrippa natus, & cum mola: nam vtræque infortunæ in angulo & oppositæ, & cum eis Mercurius dominus loci Lunæ, vterque autem dominus ascendentis cadens, Iupiterque etiam combustus: Quaombrem pro monstro vixit, quia Luna est in trino Iouis & Veneris. Apparet autem ex radicibus nostris, quòd in re hæreditaria & mulierum causa, & pecuniaria, erit bene fortunatus, imo valde è contra in valetudine & vita, nam periculis etiam externis periclitabitur.

LIII.




CVr hic posthumus sit, non satis intelligo: nulla enim, præter hanc, genitura posthumi ad me peruenit. Habebit aliquod egregium bonum, vt ex radicibus nostris apparet. Nam Venus iuncta Ioui, & Luna in ascendente cum scorpij corde. Periculis tamen magnis subiicietur propter Lunæ cum infortunis aspectum. Saturno Marti opposito cacodæmonis locus ambiguus: nam vbi quadrata infortunarum, ibi Iouis & Veneris amica radiatio. Loca infortunarum sunt in aspectu amico Lunæ, locus oppositus Lunæ est sub Sole. Plura igitur ei accident, à quibus pecuniarum beneficio seruabitur, non tamen forsitan omnia. Hunc iam hæreditate omnium affinium in eum collata stellarum beneficium sensit: reliqua sunt manifesta.

LIV.




LVna cum cauda in quadrato Saturni & Mercurij, significat ingenium, memoriã, & vitam breuem: quia Sol cadit in libra. Et quia Venus cadit in virgine, & Luna est infortunata, significat natum ex incestu: nam matres spuriorum necessario sunt impudicæ. Et ad causam mortis plurimum facit dominus ascendentis sub terra in opposito Mercurij & Saturni, & in quadrato Lunæ infortunatæ. Vixit igitur annis 10. cum non esset quod nutritionem impediret.

LV.




IOan. Antonius Castiloneus, ciuis noster, regiusque medicus, & vir insignis, cum hanc vidisset genituram, dixit puerum hunc nutriri non posse, quoniam Luna sub terra erat, & ambæ fortunæ in 8. loco cadentes in virgine, & dominus ascendentis cadens & combustus, & cum Mercurio infortunato cum cauda. In prima igitur reuolutione cum Luna esset in quadrato Martis & Veneris, & in loco Martis in radice, & ascendens locus quadratus Iouis & Veneris infortunatorum in genitura, & dominus ascendentis combustus & Saturno iunctus per corpus, qui & ipse combustus erat. conuenit vt eo anno moreretur 9. die Nouembris 1507.

LVI.




CVm Luna esset infortunata in duodecima, ibique Saturnus, Venus, & caput. Saturnus autem cadens Martem & ipsum cadentem infortunio afficiebat: vterque autem Mercurium horoscopi dominum & sub terra existentem male affecit. Erat autem Mercurius etiam in quadrato Iouis infortunati. Quamobrem Sol solus vitæ defensor relinquitur, & hic est in trino Iouis, sed infortunati. Sol vero non est temporis dominus, & infortunatur in virgine, & locus ille est Ioui inimicus. Quia igitur Sol sub terra fuit, diu viuere non potuit, sed tabescens miro morbi genere tenebatur, vt illud incertum esset. Quid admiratione dignius, an talem morbum posse ei ætati superuenire, an tantam morbi magnitudinem infantulam posse perferre? Mortua est igitur anno tertio ætatis suæ.

LVII.



SYmon Mantegatius aurifex, qui in iuuenta mortuus est tabe, cum haberet omnes Planetas sub terra. Vitæ largitor est ascendens. Sol damnatur à Marte, & Mars à Sole & vterque damnat Iouem de quadrato, quia Sol cadit in aquario, vbi est Iupiter. Mars etiam damnat Lunam, & ipsa infortunatur in aquario: ascendens vero infortunatur à Saturno per quadratum. Igitur oportet vt sit breuis vitæ: sed quia Mercurius est saluus, propterea dirigemus eum ad corpus Martis & quadratum Lunæ, & tunc morietur, quamuis à natiuitate propter quadratum Saturni & Veneris inimicæ ascendenti fuerit tabificus. Mortuus est igitur anno X X I. completo, & hora reuolutionis mortis fuit Luna sub Sole combusta infortunata in octaua parte scorpionis, & Iupiter combustus in 24. parte eiusdem: & quod peius est, vterque proprio motu iungitur Soli, nam Luna est velocior Sole, & Sol Ioue. Et Saturnus solus fuit supra terram in sextili longarum ascensionem cum Ioue & in virgine, vbi Iupiter & Saturnus infortunantur: Mars fuit cum capite, valde ei proximus, & Venus domina ascendentis, cecidit in initio scorpionis, loco malefico, etiam propter Martis terminum. Et erat particularis Alfridaria Lunæ, & ipsa in reuolutione damnata, & vniuersalis Solis, & ipse in genitura infortunatus. Ideo mortuus est 1509. die 17. Februarij mane, & tunc Iupiter erat iuxta locum Saturni in genitura, Saturnus iuxta locum ascendentis, & Luna iuncta Mercurio in 15. parte aquarij, vbi erat in gentitura, qui est locus quadrati Solis & Martis, Mercurius vero tunc dominus 7. loci, in quo erat ipse Saturnus, ascendente parte postrema piscium, in qua Mars erat.

LVIII.



HIc puer anno 1539. cum annum nonum expleuisset, publicè in gymnasio Patauino disputauit, perorauit: & extra eius oratio typis excussa. Callet etiam linguas pro ætate, plus quàm sperari debeat. Nec omnino mirum, cum viderim puellam septem annos natam, coram Pontifice Paulo, sine vllo labore, sine studio, latinè loqui. Huius tamen propter scientias etiam admirabilior genitura, quam cum pro anno & die certam habeamus, minime tamen horam certam assequi potuimus, scientes solum eum ante ortum Solis natum. Effecit igitur, vt ex effectu, horoscopum constitueremus, in cuius trino est Iupiter, Saturnusque in terrea triplicitate, alter etiam in alterius trino. Luna in Martis opposito, dans acrimoniam, quia discedit, & Mars in loco gaudet, domus enim sua. Tum vero Mercurius Veneri iungitur in constellatione capricorni, de natura Iouis, Saturni, & Mercurij.

Vtrunque

Vtrunque autem necesse est, vel esse in ascendente, vel ascendens respicere. Vnde cum signum etiam terreum sit, erit hæc scientia valde præcox, dominante siccitate: & quia Iupiter damnatur in virgine, & Luna est in opposito Martis, & Sol cadit in aquario, successu ætatis habebit multa inconuenientia. Quod si cum hoc ascendit capricornus (est enim signum terreum) impossibile est vt non eueniat illi detrimentum, secundum regulas superius datas. Et si hæc constellatio fuisset in alia triplicitate, maxima bona polliceretur, ita maxima, vt penè incredibilia: esset enim excessus idem in comparatione ad perfectam ætatem, quo nunc pueros suæ ætatis antecellit.


LIX.

Mulieris quæ veneno periit.

Septimus locus, & dominus eius, & Sol, sunt in signo bicorporeo, ideo significantur duo coniuges.

Et quia dominus quinti loci masculinus, in masculino signo & in sextili Iouis, & iunctus Veneri, & vterque in 11. loco, indicat multos filios masculos. Suscepit igitur filios nouem, sospites masculos, Saturni autem casus iuuat ad hoc vt sint sospites.

Cumque Mercurius sit occisor, & ipse cum cauda, & in sextili Saturni, indicat mortem violentam veneni causa, tum magis quòd Saturnus est in scorpione. Mortua est igitur anno 50. ætatis sumpto veneno ab inimicis suis. Tum igitur Sol peruenit ad corpus Saturni, & sextilem Mercurij cum cauda existentis in scorpione, & loco peregrino, & ascendens cum Luna infortunata




cecidit in quadrato Saturni eleuati in corde cœli, & cum capite draconis existentis. Ideo cum dominus ascendentis esset infortunatus, mortua est eo anno, vt diximus.

LX.


Venetiarum ædificatio.

Non admodum magnam fidem his habere necessarium est, cum pleraque in eis falsa sint & commentitia. Si quis tamen mihi hanc cœli constitutionem pro vrbis origine ostendat, hæc dicam vociferans. Et spica virginis in imo cœli cum Saturno forti, diuturnum regnum & stabile pollicentur. Mars in quarto loco secundum vim cadens, in bello plerunque infœlices ostendit. Mercurius



in octauo loco Ioui iunctus in piscibus, quod in eis maxime infortunetur, ad literas aptos minime faciet, quod & magno miraculo consecutum est. Ab eius enim ædificatione vir maximus in re literaria vsque ad hanc diem non extitit, nisi viuentibus faueamus: etsi tamen Sadoletus & Barbarus, inter egregios viros concinitate linguæ possint adnumerari, ambo nostræ ætatis viri. Luna in Iouis quadrato & Martis trino, tum etiam in Mercurij trino multa pollicetur, sensus & rationis constantiam, legum custodiam, audaciam etiam in periculis, ac pro aristocratia celeritatem. Sol in nona, religionis conseruationem. Quia vero Sol in cœli corde exaltatus, erit nomen eorum insigne ac gloriosum: multa tamen à proditoribus damna patientur, quia Saturnus in Solis opposito est. Sunt autem maximi virtutum æstimatores, ac ad publicam vtilitatem paratissimi, qua in laude à nulla Italiæ vrbe superantur. hoc autem longe melius ac præstantius eruditione. Facit hoc Luna & Iupiter domini ascendentis, Mercurio per radios vel corpus iuncti. Cacodæmone carent, ideo numero perfecto reuolutionum terminabuntur. Proximior tamen locus cacodæmoni, & à quo magna detrimenta patientur, initium cancri est, ibi radij Solis & Saturni quadrati, nec conuenientes signo, & in 12. loco. Igitur prælio nauali superabuntur, proditione etiam adiecta.

LXI.




Mars in Iouis trigono non conueniens, & Luna in opposito Veneris in Scorpione, multa detrimeta bellorũ causa ostendit, atque in his aliquando infœlices, & multam sobolem mulieribusque deditos nimis, atque ea causa infortunatos. Porrò Mercurius in domo propria, in Saturni trigono, ipso in aquario existente, diuina prorsus ingenia, tum etiam ad artes præstantissima. In cæteris valde dissita est hæc cœli constitutio, quam vix verisimilem esse crediderim. Homines misericordes, laboriosi, ingenio magno prædití, minime concordes, publicæque vtilitatis custodes. Populus simplex, ac leuis, benefici tamen ac ciuiles. Vrbs ipsa talis est, quæ si optime regatur, nulli alteri veniat postponenda, nec vlla alia eruditorum maiorem copiam virorum nec insigniorum edidit, vel fortiorum. Iacet tamen suo olim intestino iactata malo, quo & Roma, iam gentium domina, & ipsa exteris seruire cogitur. Eudæmonis locus vnus Saturni, alter Mercurij, tertius Iouis. Cacodæmon octaua leonis pars, alter scorpij, pars vigesima prima. Quadratum Solis ac Iouis, non ex conuenientibus signis, seruire alienis cogit.

LXII.


Florentiæ instauratio.

Ciuitas hæc Martem habet cadentem, vnde non multum bello proficere potest. Ostensum est autem Mercurium in piscibus damnari, vnde ad literas non adeò vt Mediolanenses apti. Diu libertatem retinuit, nuper amisit: causam in libro de Arcanis æternitatis aperuimus. Luna etiam à Saturno & Sole infortunata. Saturnus in cœli meditullio & domo propria & mobili signo, mutationes multas à seipsis ostendit, seditionesque. Cum igitur Saturnus & cœli medium peruenerunt ad Iouis quadratum hostilem, in vltima parte capricorni, amisit vrbs libertatem in 26. anno Saturni, nec recuperabit, donec vterque manserit sub radiis Iouis, id est per annos 24. Saturni, &




sic de aliis. Diuides igitur tempus ædificationis vrbis per annos 29. menses 6. seu annos 29. menses 5. dies 11. si ad vnguem magis vis operari, & numerum exeuntem tanquam partes æquales adde propriæ ascensioni significatoris, & vide vbi terminatur locus in Zodiaco. Exemplum habes in sequenti reuolutione, etiam pro genituris.

LXIII.



Manifestum est, quòd Mercurius in ascendente in quadrato Lunæ amico dat bonam rationem, si hæc est figura. Luna vero in trino Veneris, facit generaliter studiosos venereorum, & mulieres formosas, ac etiam viros. Mars vero in Solis opposito, & in septimo loco, malos mores, pluresque mala morte terminari, amatores armorum, quia est in sagittario. Saturnus eum cauda non permittit, vt exaltentur super alias vrbes, nec exaltabuntur: quia tamen est in libra, custodiunt quandam libertatis speciem.


LXIV.



HVius extant volumina plurima, gratia plena, in sacra pagina, namque Saturnus & Venus cum spica virginis fuerunt. Sæpius autem dictum est, hanc stellam nostræ religioni præsidere, vt causam naturalem, quæ cum Ioue etiam in Seruatoris genitura horoscopum occupabat. Mercurius in corde Solis fuit, Solque in septima. Studium igitur & eruditionem ostendit: nam Sol ascendenti dominatur. Ipse vero infortunatus, vt non posset ad dignitates peruenire. Cumque Luna à Marte in cœli medio & in capricorno infortunetur, tum etiam à Saturno mortem proculdubio publicam & ex igne decernit. Combustus igitur Florentiæ est.


Quis ad vnguem melius hæc quæ acta sunt exprimat? vt res ipsa, ficta quasi, credi posset: nisi quatuor has extremas Georgius Ioachimus noster, iam perfecte libello misisset, quas adiungi curauimus. At vero manifestum est, quod hæc genitura multis redundabat calamitatibus, etiam præter exitum animique vitiis, quamuis naturam, consilium partim texerit, partim emendarit.

LXV.



EN eius, qui per calumniam Astrologiam insectatus est, geniturам, verum non absque ratione. Luna in Saturni & Mercurij quadrato, cum ipsa atque Saturnus in domibus ac fixis signis sint, ipseque Saturnus genituræ dominus, profundissimam memoriam acreque ingenium ad studia, incorruptamque perseuerantiam decernunt. Tum vero quia Luna in octauo loco erat, erat turbidum ingenium: & quia radiatio quadrata est, iudicium tollit. Manifestum est autem luce clarius, quòd diuitias spargeret, nam Mars in secundo loco: non tamen deficiente crumena, nam Sol in eius trino, & ipse in domo sua. At quia ambo in triplicitate aquea, nomen decernunt gloriosum. Deiectum vero animum, & à generis origine alienum, faciunt cadentes omnes Planetæ ab angulis, præter Iouem, qui in capricorno cadit. Necesse vero est, & breuis vitæ hominem fore, cum sola Luna, quæ super terram est, à Saturni & Mercurij radiis, tum etiam Martis impedita, vitam admittat: quæ nisi Solis sextili foueretur, atque in tauro domo sua esset, mortem in infantia decreuisset. Vixit igitur annis XXXIII. cum eius obitum Astrologus eodem anno prædixisset, qui etiam aduersus illum scripsit.


LXVI.



HIc Germanus maximus vir fuit, Luna, Sole, Saturnoque in trigono constitutis, omnibus autem in domibus Saturni ac Mercurij, cum Mercurius ipse etiam in domo sua fuerit, ac cum tauri sinistro oculo, at Saturnus etiam cum spica virginis: quo fit vt cum ab angulis abessent, potestatem quidem nullam aut dignitatem, nomen tamen insigne ei dederint. Cum vero ♃ peregrinus in signo fœminino fuerit, ac cadens, pauper cum hac tam insigni gloria necessario semper fuit, ☽ etiam fuit iuxta Fomahant. Mercurius autem ipse in Martis sextili, acutissimum illud decernit ingenium, quo multa nobis monumenta suæ reliquit industriæ.

LXVII.

LXVII.



IAm non desino dicere, cuncta necessitate quadam euenire, dum enim de adiiciendis genituris cogitarem. Forte fortuna Georgius Ioachimus in Italiam ex Germania venit, vir humanus & in Mathematicis haud mediocriter eruditus. Sed in primis, primo more officiosus, ac syncerus, hic clariorum virorum genituras, quas secum habebat, mihi obtulit vltro. Vessalij, Ioannis Monteregij, Cornelij Agrippæ, Politiani, Iacobi, Mycilli, Osiandri, quarum aliquot addidi huic operi ad centenarium explendum, dubias enim omnes reieci. Vt igitur ad rem ipsam veniam, prius dicenda sunt aliqua de viro isto. Natus est hic pauper, simulans autem multa se scire, quæ tantum à longe salutauerat, temporum improbitate. Factus iureconsultus ad scribæ Regij fastigium ascendit, hoc ostendit Iupiter in quadrato Solis, & quia vterque cadebat ab exaltatione, & erat in mobili signo, & etiã ab angulo, significat, quod esset hoc extra patriam, cum modica vtilitate, & quod tandem caderet ab illa dignitate, saltem re, si dignitas esset natura perpetua. Sicut accidit cuidam doctori, qui prohibitus est publice, vestibus præcisis doctoris facultate in perpetuum vti.

Et quia Iupiter aspexit ascendens de trino significauit comitatem, & vrbanitatem, vsque ad scurrilitatem, quia cadebat à loco suo, & etiam ab ascendente, cum esset oppositum suæ domus.

Et quia ascendens fuit virginis initium, & ipse Mercurius dominus domus, exaltationis, trigoni, ac ibi etiam stella de natura Mercurij & Veneris, significat, quod esset totus mercurialis, vt dicunt, id est ingeniosus, varius, mutabilis, mendax, subdolus, studiis deditus, & ita composuit librum de occulta philosophia, in quo congessit mille nugas, nulla penitus re vera existente, & meretur talis liber comburi: cum seducat homines, tum argumento, tum viri nomine illo inani: scripsit & alia quædam, inter quæ de ignibus, sed non vidi, alia autem opuscula ad amicos nostros peruenerunt.

Et quia cauda fuit in gradu ascendentis, significauit ingenium acutissimum, vafrum, non tamen aptum ad disciplinas, maledicum, & mali animi, & ideo scripsit de natiuitate scientiarum, in quo præter argumenti nequitiam, ostendit etiam suam ignorantiam, dum tractat quæ nescit, placet tamen multis, vt asinis paleæ.

Et quia Iupiter cadit, & pulsatur radiis Solis infortunati, & Sol in secunda, significauit, quòd moreretur in paupertate, & sic mortuus est in miseria.

Et quia Luna erat in trino Veneris, & sextili Martis, significauit hæreditatem, & diuitias causa mulierum, & nescio an habuerit illas, significant etiam, cum omnes sint peregrini, & in terreis signis, & domini trigoni ascendentis, itinera multa per terram.

Et quia Saturnus & Mars sunt in angulis, & Mars est in cœli medio significat carcerem & tormenta, & mortem publicam. Et ita fuit captus, vt hæreticus, ob caudam in ascendente, & mansit plusquam per annum in carceribus, inde exiuit, quia Mars flectitur à sextili Lunæ & Veneris, & non aderat aspectus malus, & ipse erat doctor, & magni nominis, & ita oportet, vt in his consideret astrologus, quæ dicta sunt in capitulo tertij libri de hac re, & hoc accidit, cum ascendens peruenit ad quadratum Iouis: & mortuus est, cum peruenit ad sextilem Saturni, qui erat hostis ascendentis.

Et quia Saturnus respexit ascendens de quadrato, non potuit esse pulcher, nec bonus omnino, nisi quia vtrumque mitigatur à trino Iouis.

Et quia Saturnus respexit Solem sextil aspectu, indicat, quòd haberet etiam fundos, & honores, & dignitates, & in quibusdam rebus perseuerantiam, & quòd futurus esset illustris mundo.

Et quia Sol est in quadrato Iouis, significat potestatem aliquam, & ideo fuit Iuris consultus, & cum magistratu.

Et quia caput fuit in occidente, significat mortem ex genere strangulationis aut veneni.


Et quia Mars fuit cum dextro humero Orionis, significauit quia erant de natura Martis, & Mercurij, quod faceret quædam sua manu, sicut faber, & quod esset industrius & magni ingenij in hoc.

Et quia Mars erat potens, & respiciens Venerem, & Mercurium, significat, quòd esset incontinens circa mulieres & quia Saturnus erat in angulo, significauit labores, & Mars etiam malos mores.

Et quia cor cœli fuit 24. pars Tauri, & radij Lunæ, & Veneris, dominantium ante illud, significat quod vis, & initium suæ potentiæ esset à mulieribus.


Et quia Luna erat in octaua in ariete, significabat, quòd delectaretur animalibus quadrupedibus, plusquam deceret.

LXVIII




QVia Luna est in quadrato Martis in duodecima, habebitur pro insano, & sic perseuerauit vsque nunc operatio hæc. Quia Venus ascendentis est domina, in quadrato Saturni, significat morbum inseparabilem, ex genere Phtisis & hecticæ: & sic fuit deploratus ter aut quater, & fuit empicus, & quia Mars respicit Mercurium fœliciter ex parte vtriusque vel saltem Mercurij, significat ingenium acutum. Et quia Iupiter est in secunda, significat diuitias, & sanitatem tandem, & quia Sol est in septima, per angulum & lineam, significat dignitatem, factus est medicus principis. Igitur & nunc est, tum magis auget fortunam Lunæ cum Ioue sextilis, & Mars in tertia in trino Mercurij, significat itinera, in quibus ditabitur.

LXIX



SOl, Luna, Mercurius respexerunt ascendens benigno aspectu, & ideo significant vitæ diuturnitatem, & quia Luna Mercurio iuncta est, significat ingenium, & rationem bonam, & maxime, quia Mars respexit illos sextili radio, & caput in cœli medio, dat primum locum in sua arte, est autem arithmeticus optimus, & hortationibus suis induxit me, ad edendum ea quæ edidi, & Mars in septimo loco, cum fuisset patria direpta, significauit vulnera, vnum in pede quo claudicat, aliud in facie: Iupiter in opposito Veneriss lucrum significat. Erit autem valde longæuus, & Saturnus in ascendente declarat mores, parcitatem, tollerantiam, nam est in finibus suis.

LXX.



HIc cum habeat Mercurium in corde cœli nostræ genituræ, & Lunam & Martem, & ascendens, in loco Veneris & Mecurij nostræ genituræ, rursusque Iouem in loco Solis nostri amicitiam naturalem significat, etn iure collegij prohibeamur.

Iupiter in quadrato Solis, significat consilium, & audaciam in suo genere, his cadentibus tamen, humilem effectum. Mercurius in quadrato Martis, Lunæ, & ascendentis, ingenium & imaginationem, nec habebit filios, nam Saturnus est in quinta, & Sol in quadrato Iouis, quamuis speret habere: & quia Sol est in sextili Saturni, significat, quod habebit memoriam, & patientiam, & Solis aspectus cum Ioue & Saturno, effecerunt quod præter omnium expectationem, doctor medicus euasit, quamuis humanioribus literis fermè careat. Luna cum Marte peregrinis in ascendente, homicidium & exilium minantur, & per hæc omnia transiuit.

LXXI.




HIc, cum Saturnus & cauda Solem damnent, rursus Sol damnatus Saturnum, ambo cadentes, & peregrini, post humum nunciant, er t autem difficili ob hæc etiā aditu ad honores, nisi religionis. Luna vero in cœli medio cadens, in sextili Solis & Iouis, in trino existentium

existentium inuicem, dat honores ex rebus variantibus, non firmis, eritque instabilis consilij, quia ascendens & Luna, sunt in signis mobilibus, & Mercurius etiam.


Coniunctio autm Veneris cum Mercurio, ingenium dant, & quia dominus ascendentis est cum cauda, erit fallax, & vix euadet ne corpus eius ab inimicis dilaceretur, vitæ dator est Luna. Paucis ab hinc annis, dum esset puellus, cecidit in puteum, & præter spem euasit. Saturnus in tertia fratres denegat.

LXXII.




LVna in Eudemone Francisci Sfortiæ, ducis Mediolani, cuius est posita genitura 45. & Iupiter in quadrato ad vnguem Solis, in angulo existentis, & cum mutua beneuolentia, & Luna in prima, & Mercurius soli iunctus, hæc diuitias maximas, honores, legationes, potentiam, magistratus rationemque firmam, & illustrem præstant. Caput cum Saturno domino ascendentis, catum valde, & consilio tecto ostendit. Venus & Mars in octauo, multa facit circa venerea, est autem Mars proximus trino Saturni. Et Sol est cum asinis, ideo oculorum detrimenta significat.

LXXIII.




HIc literis Græcis ac Latinis eruditus, magnam in ciuitate habuit authoritatem, vir iracundus, sed non adeò malus, pro temporum conditione præstat hoc Luna iuncta Ioui, & Venus capiti Draconis, cum sint domini ascendentis, eadem Venus in sexta cum nodo, in aqueo signo, podagra enodes facit articulos. Luna cum corde leonis, quod illi prædixi, perpetuam dat gladij potestatem, & quia Luna iuit ad Solis quadratum, & Iupiter cum Saturno in opposito, significat ingentia pericula, & inimicos, & quia Iupiter est cum Luna, & stellis de natura pluuiarum, significat diuitias ex aquosis, & significat etiam multitudinem filiorum, habuit enim xiij. filios. Mortuus est igitur in dignitate, annis 52 perfectis, 29. Octobris in vesperis, & tunc erant Planetæ sic. Sol 16. ♒. Luna 11. ♍. Saturnus 12. ♐. Iupiter 2. ♑. Mars 17. ♎. Venus 1. ♎. Mercurius 28. ♒ retrog. Caput Draconis 28. ♐. Anareta igitur Mercurius, & Saturnus quadrato respiciens Lunam. Luna in loco Martis genituræ, mors ex morbo laterali, & longa ægritudine.

LXXIV.



CVm omnes planetæ sint in diuersis signis, omnes tamen sunt in trina radiatione. Mercurius & Venus cum Saturno & Marte, & omnes hi cum Luna, & rursus Sol cum Ioue, ideo ex pauperrimo euasit ditissimus, cum dignitate & potentia. Principibus Regibusque notissimus, peregit itinera multa, quia Luna est peregrina, in nona domo.


LXXV.



HIc maximus est, & prælongus pro ætate, causa pertinaciæ est Saturnus, dominus

minus aſcendentis infortunatus, combuſtus, & Venerem dominam aſcendentis ac combuſtam premens, tum Lunam cadentem peregrinam quadrata radiatione ex ſublimi. Sicque pater à puero loris, nec verbum poterat extorquere, vagus erat etiam, & à patre fugiens. Saturnus & Venus in ſummitate paruorum circulorum ante ætatem, corporis adiiciunt magnitudinem. Manifeſtum eſt quòd erit maxime infortunatus, & vix euadet, qui biothanatus moriatur, Siniſtri etiam oculi patietur offenſam.

LXXVI.




Hvic omnes ſtellæ ſunt ſupra terram niſi Sol, ſæpe vulneratus, vtraque enim aſcendentis domina, in domo Martis, altera illi iuncta, altera cadens, & in inimicorum domo. Cum autem omnes hi cum Marte ſint in Mercurij ſextili, ingenium & eloquentiam quantum ad ius habet. Luna in duodecima peregrina, in trino Saturni in octaua exiſtentis, & ipſa domina aſcendentis, carceres minatur. Fuit autem in eis non ſemel: quandoque etiam ad perpetuos damnatus. Sol in aſcendente robuſtam vitam. Iupiter in quadrato Mercurij, ambobus in domo exiſtentibus propria, auget eloquentiam & conſilium, ſed repugnantem ſententiam communi ſententiæ præſtat, inde hæreticus iudicatus, infamiam, carceres, & vitæ pericula acerba ſubiit, non ſolum in ſacra pagina, ſed in omnibus diſciplinis (plures enim callet) inauditas & abſurdas excogitauit opiniones. Mars figuræ dominus, ſtella cum Mercurio de natura Martis, vix ignis periculum effugiet, abſurda venere laboraſſe neceſſarium eſt, nam Venus in maſculino ſigno, in domo Martis, cadens, & in ſextili Mercurij.

LXXVII.



Locus aſcendentis, aſpectuſque Saturni ac Solis, ſtudioſum faciunt. Saturnus combuſtus in aqueo ſigno, humore calido elidit omnes dentes. Mercurius in trino Lunæ, cum cauda exiſtentis, ingenium acutum, memoriam quam vocant reminiſcentiam, & admirabilem præſtat rationem, itaque Latine Græceque apprime eruditus, iam prima inuenta vtramque linguam Mediolani publice profeſſus eſt profiteturque, multa etiam quæ vidi conſcripſit, ſed duo tantum edita volumina, vir certe mirabilis. Mars & Sol mutuo ſe trigona radiatione, ac aſcendens, aſpicientes illuſtrem reddent hominem fama, nam trigonum aqueum poſſident. Mars defert radios Solis ad Iouem, vnde etiam dignitates habebit & ſacerdotia, tum multos hoſtes occultos, erit mutabilis opinionis & inconſtans, veneno morietur, aut dilaceratione ab hominibus, quia cauda eſt cum Luna in octaua, & erit mors eius ambigua apud multos, quoniam de cauſa dubitabunt. Saturnus enim ſub radiis Solis eſt, erit audax, diuitias congregabit, rurſuſque diſperdet, plurima itinera & longa ſuſcipiet, & extra patriam morabitur.


LXXVIII.



Hic primo fuit (vt vocant) frater, ideſt Monachus: poſt explorator in Gallorum caſtris: poſt præfectus ſacerdotibus (œconomum vocant) magna eſt authoritas poſt cecidit à dignitate, inde accuſatus, captus, in cauea poſitus: & pro ſpectaculo, ac ludibrio


ludibrio populo expositus, lingua lignis constricta, demum post nouem aut decem menses enasit, exilio damnatus. Hæc omnia facit Mars in sublimi positus, ascendens ad absidem, in signo fixo, cum asino, de natura Martis & Solis, in quadrato Solis & ascendentis & trino Lunæ. Iupiterque in quadrato Saturni cum capite existentis significat omnino periculum violentæ mortis, sed quia sunt sub terra, non est adeo euidens, trinus Iouis & Lunæ dat dignitates, sed Iupiter cadit. Ascendebant stellæ in horoscopo naturæ Martis & Mercurij, & radij Martis ibi, & supra Lunam, ideo maledicentissimum mortalium effecerunt, & si quis recte consideret, hæc figura non habet nisi violentiam, & malos aspectus erraticarum.

LXXIX




IVpiter in virgine quod etiam in prima genitura ostendimus, & in ascendente dat, mellifluum scribendi modum, quod iuuat non parum Saturni trigona radiatio. Scripsit multa, epistolas Asulanos de lingua materna seu Italica, bonus Poeta. Mars auget hoc in sextili vtriusque existens, fuit ab epistolis Leonis Pontificis maximi. Luna in trino Solis potentis maximam fortunam affert. Nullus malus aspectus. Luna etiam ad trigonum ibat Mercurij, vnde longam vitam fœlicem, ac cardinalatus decernit dignitatem quamuis sero. Absunt regiæ ab erraticis.

LXXX.



OMnes planetæ hic præter Saturnum supra terram dici possunt. Caput, Iupiter, & Venus, iuncti, secundum decreta nostra, vt aliàs diximus, necessario ingentem aliquam fœlicitatem decernunt, factus est Cardinalis, anno ætatis suæ peracto 49. cum Solis sextilis ad cor cœli peruenit, & ad Iouem illius loci dominum Solis corpus. Vnde patet quàm clara sint nostra præcepta, si quis aliis relictis, ea candidè sequi velit, nam ad duplicatum eudemona Solis atque Saturni trinus peruenit, eodemque anno in reuolutione, versa vice. Iupiter ad Solem eadem in parte, Spica Virginis in ascendente leporem & sapientiam præstant, scientiam etiam eorum quæ ad religionem pertinent Christianam. Sed nec hoc scimus, an exquisite in horoscopi linea sit. Cum Luna est stella exigua de natura Veneris & Mercurij, & est iuxta dorsum leonis, alia eiusdem naturæ & tertiæ magnitudinis cum Ioue & Venere, quæ valde potens est. Cum Sole regia quæ vocatur luminosior, lancis borealis de natura Mercurij & Martis, & est ductoria quam vocant magna, adest & trigona radiatio Saturni cum Sole, ideo illustrissima est hæc genitura.

LXXXI.



LVna in prima apparitione iuncta Mercurio ingenium acutissimum præstat, in Saturni quadrato, cogitationes melancholicas, & tamen prudentiam singularem, nam Saturnus erat in capricorno. Sol & Luna in nona, fecerunt eum ex ordine canonicorum regularium. Iupiter in corde cœli, fecit eum apud illos tantæ potentiæ, vt Rex appellaretur, & fuit noster amicus etiam ex hoc. Nam locus ille est mihi locus Iouis & ascendens. Iuuit dignitates Sol in gaudio suo existens. Saturnus in sexta, & in quadrato Lunæ & Mercurij, molestas & longas indicat ægritudines, cum Iupiter ad Martis quadratum peruenisset in annis 52. captus est à suis, & ad perpetuos carceres damnatus, in quibus etiam nunc est. Ostendit hoc Mars & Venus in octaua in sextili Saturni.

LXXXII.

1500. die 16. Iannarij, ho. 6. cum dimidia noctis sequentis.
Cor cœli, 26 ♋.
Antonij Brasauolæ.

Sic hoc tempus in suo libro de simplicibus medicamentis scriptum inueni. Et quanquam non satis fœlix fuerim ad hanc vsque diem ob benefacta, malo tamen veritatem non relinquere, quàm ingratos non experiri. Nempe hic vnus à Vessalio, solus videtur scribere, quæ sciat, his temporibus in medicina, alij vel erroribus chartas implent, vel nugis, vel ambiguis orationibus. Mercurius cum Venere & Sole in Lunæ opposito hoc significat, Sed dices. Saturnus & Mars impediunt: dico quod non impediunt, sed mores significant, decernuntque pericula. Luna vitam significat. Cauda Cigni cum Ioue existens de natura Veneris & Mercurij, diuitias, potentiam, & honores auget, in eadem enim parte est paucis minutiis distans. Esse pertinacem & ambitiosum, positio erraticarum in fixis signis omnium, & Venus cum Sole, & Iupiter cum dicta stella decernunt, caueat tamen sibi. Ego hominem hunc non vidi vnquam, magnus tamen corpore esse debet. Scripsit multa & præclara in medicina, & lectu digna.

LXXXIII.

1508. die 4. Aprilis, ho. 21. mi. 24. horologij.
Cor cœli, 14 ♊.
Herculis Ferrariæ Ducis.

Hæc genitura est Principis viuentis, & cum habeat Iouem in Veneris opposito, significat abundantem luxum fœlicitatemque. Sol cum Mercurio in ariete, discurrendi per singula rationem bonam. Mars & Saturnus in sexrili Iouis potenti, Saturno cadente aliqua decernit pericula ex occultis insidiis, ipsumque ad aliqua peragenda disponunt, quæ non adeò quandoque à cæteris probentur. Propterea suum est etiam moderari in his, & hæc si genitura sua non sit, vel ludo, vel etiam consulto, multæ principum genituræ falso circumferuntur.

LXXXIV.

1503. die 10. Decembris, hora 16. horologij. Seu ho 3. mi. 30 ante meridiem.
Cor cœli, 5 ♍.
Ioannis Matthæi Sachet.

Horum duorum fratrum genituras posui, quod annis plusquam viginti inuicem litigarunt, nec vnquam amicorum præcibus, vel Senatus authoritate in amicitiam vel concordiam redigi potuerunt. Causa horum est, quod vtrique habent superiores retrogrados, & ideo (vt dicitur) Conueniet nulli qui secum dissidet ipse. Ipsi etiam in hac genitura opponuntur loco Solis in sequente. Mercurius in ascendente peregrinus, in prima statione (vt vocant) obstinatum significat. Sol etiam & Mars & Mercurius sunt in domo fratrum in tertia in natiuitate sequenti, ideo significatur discordia cum fratribus, & illorum prauitas. Declarauimus etiam, quod Iupiter & Mars significant fratres, & ipsi opponuntur ascendenti, & quia Luna fuit in virgine, cum cauda, in quadrato Solis, ideo Sole male posito, amentiæ famam inurit, & sic nunc adhuc viuit, vir eruditus, nec præter pertinaciam malus.


LXXXV.

1504. die 24. Decembris, hora 8. noctis sequentis, Seu hora 12. mi. 23. post meridiem.
Cor cœli, 19 ♋.
Fratris præcedentis.

De hoc satis dictum est in præcedenti, nec noui hominem, vitam tamen habebit laboribus


laboribus & difficultatibus plenam, nam maximi superiores sunt in cœli medio & retrogradi.

LXXXVI.




Huic dum in domo mea maneret, agenti quartum decimum annum, prædixi, quod breui vel amitteret oculum sinistrum, vel magnum periculum passurus, intra xviij menses aduenit illi phlegmon in palpebra sinistra, adeo vt ferme oculus sit periclitatus, causa prædictionis, fuit Luna infortunata in septima, in quadrato Saturni, existentis in sublimi. Sed quia est mutuum domicilium, nam Luna exaltatur in tauro, & aquarius est domus Saturni, & Iupiter est quasi in opposito, ideo post longum tempus euasit, oculo minime vitiato, & quia Iupiter est in ascendente, in trino quasi Martis, erit robustus & agilis, nec deficietur victu, & quia Mercurius & Luna sunt in sexta, pulsari à Saturno incommoda ferme perpetua decernit, ob quæ nomen eius præterij habebit hæreditatem, & erit fidelis etiam & probus, & manifestum est quod vita sua erit plena laboribus, & erit satis longæuus, armisque ac certaminibus delectabitur, in quibus pericula & damna subibit, & extra patriam per tempus longum viuet, hoc tamen non adeo certum.

LXXXVII.



Hic ex Astronomia sacerdotium est consecutus. Luna in trino Mercurij, & in sextili Veneris hoc præstant, ingeniumque non mediocre in his. Saturnus in quadrato ascendentis dat acumen & cogitationem, & morbos ex pituita, & melancholicas cogitationes. Mars cum corde scorpij, præstat audaciam, & etiam pericula, & terrores cum Saturni situ, Semper enim Saturnus in cœli medio, hominem obiicit periculis. Venus in ascendente dat melliflua verba, quia est in signo, in quo cadit & muto. Cauda cum Ioue est, & significat aliquando laborasse inopia, & detrimenta etiam in pecuniis, & quia Sol & Luna sunt cadentes, religionem significant, hominemque sacris addictum. Locus Solis illi est, qui & mihi, vitæ largitor Venus: quæ quia est in ascendente, vitam præstat diuturnam. Sacerdotium dedit Saturnus cum regulo existens, idem facit vt lentus necessario sit in suis negociis, ac à multis in veneratione habitus.


LXXXVIII.



Si hæc sua est genitura quam mihi dedit, nunquam ab optima fortuna destituetur, nam Sol cum oculo tauri sinistro, in trino Lunæ, est quæ est in ascendente. Mercurius etiam in quadrato ascendentis, & Iupiter cum capite, in sextili Martis, nullus denique malus aspectus, tres etiam planetæ in cœli medio. Ego hercle si optarem, talem eligerem, nam & Mercurius est cum Auriga, stella primæ magnitudinis, naturæ Martis & Mercurij. Saturnus & Venus cum dextris humeris aurigæ, & Orionis, altera primæ, altera secundæ magnitudinis, naturæ Martis & Mercurij. Iupiter etiam inter pleiadas, quare talem genituram, pondus ingentis fœlicitatis consequatur. Habet sanè filios multos, præclaras animi dotes, potentiam, fœlicitatem, prudentiam singularem, nihil deest præter corporis incolumitatem, & vt hominem se esse meminerit.


LXXXIX.

LXXXIX.




Qvamuis hic Mercurius in domo sua, & in trino Iouis sit, & iuxta oculum Tauri, & Caput etiam in ipso gradu ascendentis, non tamen hæc operum magnitudini, industriæ, ingenioque tanti viri satisfacere possunt, nec Saturni quadratum cum Sole & Marte, istud significare potest. Quinimo Mars & Sol & Luna in octaua, in quadrato Saturni, vitam denegassent. Sed hæc monstrosa est, vt etiam in reliquis rebus naturalibus contingit monstrosa quædam videre. Vel hoc facit Luna existens cum Orionis cingulo ferme per partem ipsam, studium igitur hic & ingenium apparent: cætera ex reuolutionibus pendent. Sed cur de hoc miramur, cum Monteregius multa sibi ex aliorum laboribus ascripserit. Tabulæ directionum magna ex parte sunt ipsius Ioannis de Blanchinis Itali, extant apud me locupletiores, illas Monteregium vidisse constat, cum de aspectibus loquitur. Epitoma est Mediolanensis cuiusdam, antequam etiam Purbachius Monteregi, magister nasceretur, Libri de triangulis sphericis inuentio est tota Hebri Hispani. Ephemerides inventæ sunt antequam nasceretur, habui enim Ephemeridem anni 1412.

XC.




Scias quod Mercurius est cum cane minore, & Mars cœli medij dominus cum Regulo, & Iupiter est cum capite, in sextili Saturni cum concordia: quare significat ingentes diuitias, cingulus Orionis significat studium & perseuerantiam. Mercurius cum cane, ingenium varium, dolosum, & prudens, fœlix etiam ob Venerem. Luna est cum stella naturæ Martis, & damnat oculum sinistrum, & quia Mars est in opposito Iouis, & trino Saturni, & cum corde leonis & cauda, significat ingentem in arte famam & dolosum virum tamen Græcarum inscium, nihil in arte habens dignum, ob quam tantam gloriam adeptus sit, atque eam ob causam magis admirabilem, quod mediocriter eruditus, maximam de se opinionem, apud principes etiam præstiterit, hoc fixæ & Iupiter dant.

XCI.



Lvna est cum sequente duarum contiguarum ventris capricorni, de natura Martis & Mercurij. Iupiter cum dextra vertebra aquarij, naturæ Saturni & Mercurij. Sol & Mars cum stellis, de natura Saturni, Mercurius cum corde leonis. Saturnus iuxta spicam virginis. Igitur secundum principia nostra, Mars cum Sole decernit iracundiam, & homicidia, & quia est in septima, violentam decernit mortem, tum maxime, quia Saturnus est in cœli medio. Et quia Luna est in trino Saturni, in eius domo, significat diuinatorem, & artibus vanis deditum. Et quia Venus & Mercurius sunt cum corde leonis, & in opposito Iouis, erit famosus in illa arte, & habebit hæreditatem proculdubio satis bonam, & quia Luna est in aquario peregrina, & dominus ascendentis iunctus domino nonæ domus, itinera longa & multa, & exilia subibit, & quia Mars dominus primæ est cum Sole, vulnera patietur, viuit.


XCII



HÆc genitura clarum decernit hominem, cum habeat omnes erraticas primo supra terram, & Iouem in cœli corde ad vnguem. Et humilitas natalium non admodum ex genitura cognoscitur, secundum, nostra præcepta. Indicat tamen eam Solis constitutio, cadentis omni modo, & cum cauda. Et eadem cauda obstat, ne insignis alioqui figura, magistratus & potestatem decernat. Sol enim vitalem significat facultatem, honores ac potentiam, & patrem, quæ omnia infirma reddit illius in eo statu constitutio. Ergo scientiam theologiæ, & Mathematicarum, & linguarum Latinæ, Græcæ, ac Hebraicæ, præstant Mercurius cum capite serpentarij, quod naturam refert illi similem, stellula quoque clara de natura Saturni ex signifero, patientiam addit. Et hoc confirmat locus, qui sub Ioue est, Ioue potenti existente. Etenim Iupiter tria per se concedit, vt sæpius dictum est, Diuitias, cum potens fuerit, & in radiis fœlicium syderum, vt cum in sexta in Piscibus, vel Leone. Potentiam quæ ad religionem pertinet, cum in nono vel tertio loco fuerit. Scientiam, cum iuxta apicem, vt in cœli medio, & in horoscopo, in Tauro vel Capricorno. Quare cum in cœli corde sit, & in nono loco, & in Lunæ aspectu ac Martis, diuitias religionis causa, & scientiam linguarum decernit. Auget disciplinas vultur volans. Dictum est enim, Stellæ, quæ in eadem parte sunt, sed non coascendunt, naturam quidem largiuntur, sed non fortunam. Est verò & alter aphorismus, Cum Iupiter ceciderit, & dominus loci validus extiterit, natus quidem pauper ab initio existens successu temporis ditabitur, est enim Mars loci dominus, in domo sua, in angulo, Iouem sextili aspectu respiciens. Hic etiam adnotanda est præcipua reflexio, translatioque radiorum, Iouis, Veneris, Lunæque ad Martem, vt omnia quadam in violentia constituta esse videantur. Omnia autem mitigat translatio luminis manifesta. Venus enim & Iupiter, lumen Marti validiori deferunt, nam Mars & in angulo est, & in proprio loco, huius autem lumen vicissim transfert Luna ad Iouem loci Lunæ dominum, quamobrem necesse est, vt inter suos tacitam quandam potentiam obtineat. Scriptum est enim à nobis, cum natura molitur magni aliquid ad potentiam, significatorem in linea cordis cœli collocat, si ad eruditionem, in linea horizontis, si vero ad contentionem in septimo loco. Habet autem cor cœli, & septimus locus, planetam proprium, ille dignitatis, atque hic contentionum. Cumque hic ascendenti sit hostis, non paucis insidiis, mendaciis, & calumniis, non occulta etiam vi, per totam vitam expetetur ab inimicis, sed frustra: detectæ enim insidiæ iniuriæ & calumniæ, inimicis in dedecus, detrimentum, & perniciem, propter Martem, vergunt, ipsi verò, propter ascendens forte & Lunam, Venerem atque Iouem, ad gratiam & gloriam conferunt, Item, cum Luna Iouem mutua receptione radiauerit, affluentem præstat bonis vitam, ac diuturnos successus. Vocaturque fortuna sua, hominis priuilegium. At vero Iupiter in cœli cardine, & Venus, & Luna, ascendens respicientes, faciunt splendidum, liberalem, mansuetum, eloquio præstantissimum, blandum, atque comem, gratiisque ornatum. Cumque Luna sit vitæ significatrix, & ascendens, mutuisque sese foueant aspectibus, ascendente & Luna validissimis existentibus non est possibile, vt moriatur iuxta nostra præcepta, nisi altero significatorum excusso, atque tunc superueniet morbus familiaris, aut assiduus, quales lithiasis, podagra, & mala habitudo, Scriptum est enim: Cum Saturnus in sexto aut duodecimo loco fuerit, aut carceres, aut morbum perpetuum denunciat. Morbum quidem, cum minime affecerit Lunam: aut ascendentis dominum, fueritque in locis mollibus, vt in Tauro, in gaudio Lunæ, quæ in illius exaltatur initio. Et ala Pegasi, prope Saturnum, vt à nobis dictum est in Aphorismis, insignem facit memoriam. Venus autem in signo humano, atque in decano, Musices peritum, ac propter radios Martis, instrumentis musicis delectatum Mars enim, ad instrumenta iuuat. Luna in vndecimo loco in piscibus, & Iupiter in cœli corde, & Venus in decima, dant filios & filias. Sed generaliter fœliciores erunt filiæ, quia Iupiter cadit in capricorno, & domini loci eius, sunt in signis fœmininis, & Venus & Luna, Ioue sunt robustiores. Mercurius in octauo loco, facit turbidum ingenium, attamen acutum. Martis genus erit ex humida causa, & in pectore, quia oppositum Solis, & trigonus Martis, sunt in cancro, & septimus locus, & Luna in humidis signis, & quia Mars est in septima, non erit sine sanguinis mentione, vt in morbo laterali. Concordia in nostra genitura, est propter ascendentis propinquitatem, & quia Saturnus illi est, vbi mihi Iupiter & Luna in eodem signo, & Iupiter in corde cœli.


XCIII

XCIII.




Hic in diſſectione corporum admirabilis, antiquiſque merito comparandus, opus prima inuenta ſcripſit, ſanè adeò egregium, vt negotium penè totum abſoluerit, celebris in vita, iam nunc Cæſaris medicus, & poſt fata etiam celebris futurus. Si genitura hæc ſua eſt, ad amuſſim omnia conueniunt, nam Mars in quadrato Lunæ potentis in octaua, ſtudium & agilitatem manuum præſtat. Mercurius in trino Iouis, & Venus in quadrato, ingenium mirabile, & facundiam pro artis conditione, imo ſupra eam, decernunt. Eſt enim medicus inſignis Luna in oppoſito Solis, memoriam & ſcientiam, & multos dat hoſtes, clarum etiam facit: quia nocturna eſt genitura Saturnus cum corde Scorpij, in ſextili Mercurij, ingenium profundum, memoriam, ſtudium. Spica Virginis in corde cœli, gloriam ex arte, quantam quiſque alius decet etiam animaduertere Martem aſpicere Solem in ſua exaltatione exiſtentem, tum Lunam in ſuo eſſe domicilio, hæc gratiam apud Principes decernunt, illud ſolum deeſt, quod nullus Planeta horoſcopi locum poſſidet, iuxta decreta noſtra.

XCIV.




Hic Regulum habuit in corde cœli, & ob id clariſſimus fuit temporibus ſuis. Saturnus in aſcendente, pertinaciam cum draconis capite dedit in ſtudendo, vnde clarus orator, meliſluus poeta, eloquentiſſimus ſcriptor euaſit, vt cum Plinio ſecundo Cæcilio, epiſtolis ſuis fœliciter decertet. Mars dominus aſcendentis, cum Ioue, in ſeptima, fœlicem ac perpetuam moram extra patriam decernit. Mercurius optime poſitus erat in trino aſcendentis, & ſextili domini illius, Luna etiam in ſextili Iouis, in trinoque Solis. Sol etiam in ſextili Iouis, & Luna in trino Saturni, omneſque in aqueis ſignis, gloriam quantam quiſque alius, & in vita, & poſt mortem, donec magna coniunctio in aqueis ſignis, præſtant, gratiaque illum apud Principes euehunt, mirum tamen eſt, ſi articulari morbo non laborauit. Mortuus eſt anno 1509. die 24. Septembris.

XCV.



Scribit hic multa, maxime de re metrica, nam Luna eſt in trino Veneris, cum Sole exiſtentis, & Venus fuit in ſextili Saturni, & hoc præbet patientiam magnam, & Mercurius in aſcendente, facit diligere diſciplinas, tamen magis, quia eſt in ſextili Martis, & habet ſcientiam linguæ Græcæ: multaque in latinum vertit è Græco, maxime dialogos Luciani, & eſt vir valdè diligens, & Venus in aſcendente, decernit hominem blandum cum eloquij ſuauitate, & ſextilis Saturni temperat hoc.

XCVI.




Quia Iupiter, & Venus, & Mercurius, ſunt iuxta cor cœli, ſignificant ratione doctrinarum & ſcientiæ, magnum nomen, &

quia


quia sunt in loco peregrino, hoc erit extra patriam, & maxime quia Iupiter est in nona, & quia sunt in loco cœli medij mei, & Luna iuxta locum Iouis, & ascendens nostræ geniture, Sol etiam, & Saturnus, & Mars, in loco trigonæ radiationis Veneris, Mercurij, & Saturni, in nostra genitura, significauit, quod hoc foret causa nostra, omnes enim Planetæ sui correspondent planetis nostræ geniture, & quia Luna est illi in ascendente in Tauro, erit robustæ naturæ, & quia Sol est cum ambabus infortuniis, accident ei magnæ calamitates aliquando ex quibus in maximo erit vitæ discrimine, fortunarum, & honoris, generaliter tamen fœlix & magni nominis. Natus igitur Bononiæ, auo adhuc superstite Mediolanensi, anno 14. perfecto Mediolanum quadam fortuna, literarum, ignarus venit, & nobiscum manens, cum nihil ei esset sic effecit vt 18. anno publice arithmeticam profiteri cœperit, inde Architecturam, Geographiam, Astrologiam sic est assecutus, vt existimem hoc æuo, quo 25. explevit annum, nec in his, nec in Mathematicis, parem habere. Græcas etiam & Latinas literas egregie assecutus est. Ostendent hoc illius monumenta, si non violento aliquo casu, cui maxime, vt dixi, subiectus est præripiatur.

XCVIII.



HAnc genituram interpretabimur à Firmico positam, morem Galeni in medicina secuti, qui antiquorum historiam recipit, atque ex ea artem ac præcepta elicit: ne quisquam illud ei possit obiicere, quod experimenta præceptis consequentia elegerit, non præcepta experimentis, est autem hæc sola, quæ à Firmico tradatur satis exquisite: apparet auté hanc fuisse sui temporis: reliquas Platonis, Paridis, ac cæterorum omnino confictas: in quibus etiam quod esse non potest, Mercurius à Sole plus integro signo abest, quare illi notum non fuisse erraticarum legem, non motuum rationem, palam est vnde nec his partes apposuit. Inde cum solum Iouem Soli iunctum in opposito Saturni dixisset in Virgine existentis: cæteraque huiusmodi quidam erexit cœli schema plane falsum, nam cum in Tauro Venerem collocet, & Mercurium in Aquario in consimilibus partibus: duo simul admittit impossibilia: alterum, quòd Venerem in quadrato Mercurij ponit, quod lex syderum non patitur: alterum quod Venerem plus duobus integris signis à Sole remouet, aut Mercurium plus vno signo, quorum neutrum in æternum vnquam contingere potest. At si Venus in Ariete ponatur, nihil erit quod repugnet nisi litera. Si autem in paucioribus partibus Tauri, tunc & litera stare poterit, & decretum erit verisimilius. Sic vt verba illa (Mars in Aquario, Venus in Tauro, Mercurius in Aquario, iisdem cum Martis partibus) ad Venerem non referantur. Malui igitur sic explicare.

XCVII.



HAnc genituram ego posui, quia est exemplum Schonerij, qui nuper edidit librum in hac arte.

Dico igitur, quod Sol in trino Martis, significat inuictum bello, & quia Luna erat in scorpione damnata, passus est infamiam, quod esset minus prudens, cum tamen nullus alius princeps, melius successoribus suis perspexerit, hoc præstat Iupiter in ascendente retrogradus, & quia cadebat eo in loco, significat, quod esset liberalis, & ob hoc inops inter principes, vicit infinitis in præliis hostes. Cautus, prudens, liberalis. Sed non deducebat negotia ad finem, nulla enim est radiatio præter dictam, vnde est figura debilis. Sol vitæ dator procul dubio, vixit annis 60. Anareta radius Lunæ oppositus.

His positis inquit, Pater huius geniture, post geminum consulatum in exilium pulsus est, ipse vero cuius hæc genitura erat, ob adulterij crimen in exilium datus, post exilio exemptus, Campaniæ primum præfuit, post præfectus Achaiæ creatus, inde etiam Asiæ, postremo omnium Senatorum suffragiis vrbis præfectus factus est.

Quod ad patrem attinet, hoc solum habemus, quoniam ex decretis nostris Saturnus in opposito Iouis & Solis fuit, & supra illos eleuatus, quod fuerit vir inclytus, & quia Iupiter erat in domo sua, quod lege puniretur, missus est auté in exilium, quia vir potés & magnus.

Sed Venus ascendens respiciens, potens, & illi inimica, & ipse sub Marte genitus, adulteria & omne genus nefariæ libidinis significat


significat, at tunc adulteria, non reliqua stupra puniebantur.

Mars vero Mercurio iunctus, in Saturni domo, significabant virum promptum, audacem, industrium, quibus artibus euectus est.

Quia vero Saturnus ex opposito Solem & Iouem pulsat, honoribus priuari & fortunis declarat, in iuuentute autem ob criminis causam.

Verum Iupiter Soli iunctus, in domo sua, Luna ad amborum trigonum accedente, ingentem fortunam, gloriam, magnos successus decernit, quia partilis est hæc constitutio, id est iu eisdem ad vnguem partibus, vt sæpius dictum est, præsertim quod Luna est in Cancro.

XCIX.



Hic cum obiurgantem patrem interfecisset, anno 1541. mense Februarij, capite mulctatus est, Saturnum enim damnauit Mars, infortunia affectus, cum esset cadens, & Iupiter dominus primæ & quartæ combustus, damnabat Solem, & damnabatur, & erat dominus loci, ideo vtrique patris significatores maximo afficiebantur infortunio, & fuerunt cum Sole & Ioue regiæ stellæ tres, omnes de natura Martis.

Et ad hoc facit, quod caput & cor Scorpij, & radij Saturni & Martis, ascendens damnabant, ideo significauerunt malos mores hominis, & mortem violentam.

Accidit ei hoc anno 1541. mense Februario, idest 31. reuolutione completa, & tunc planetæ fuerunt in reuolutione sic.

Saturnus	24	Libræ
Iupiter	30	Leonis retrog.
Mars	9.	Aquarij
Venus	13	Scorpij
Mercurius	3.	Capricorni
Sol	29.7.	Sagittarij
Luna	17.30.	Tauri
Ascendens	19	Cancri

Iupiter igitur hostis pulsauit Solem trina radiatione & Luna fuit in opposito Veneris, & Luna domina ascendentis, & Mars in septima, & cum hoc peruenit ascendens ad Iouem infortunio affectum.

Et non est homo intelligens inhac arte, qui perspecta hac genitura, non iudicaret hunc aliquod magnum facinus perpetraturum, passurumque detrimentum magnum ea ætate, nihilominus quod patrem esset occisurus, hoc dicere non posset adeo constanter. Et ideo recte ille apud Quintilianum declamat, ad tantam scientiam tamque firmam ac exquisitam non posse astrologum peruenire.

C.



Hic eximius Graphicus fuit, qui etiam monimenta suæ artis literis mandauit. Fuit autem Luna cum Nodo cum Sole atque in Iouis quadrato: vero Sol cum Venere, & in Martis sextili. Porrò Venus, Sol, Luna in constellatione insigni sex stellarum, quarum quatuor in Orione fulgent, duæ in Auriga, atque ex his tres magnitudinis primæ, reliquæ secundæ, vt toto cœlo nullus illustrior locus habeatur: ergo harum stellarum vis maxima, tum errati carum erit. Cæterum, quòd ad picturam magis quam ad literas aut aliam artem res ista pertineat, vel ex syderum natura, vel regionis qualitate explorare conuenit. Mortuus est anno 1528.



LIBER DVODECIM GENITVRARVM,

PRÆTEREA ET MVLTA, QVÆ AD INTERROGATIONES & electiones pertinent superaddita. Et exemplum eclipsis, quam consecuta est grauissima pestis.


PRÆFATIO.

IN priori parte Operis descripta est sententia Ptolemæi, scientiáque ipsa tradita, quantum ab homine fieri potest: vt si quid omnino desit in librum de Iudiciis denuò edendum coniiciatur. Quæ autem hîc non tam absoluta sunt, hæc sunt: Cognitio totius cœli ocularis, stellarum & situs. Emendatio quorundam quæ deesse videntur ad exactam cognitionem locorum & motuum Saturni, Martis atque Mercurij. Accommodata descriptio significationum syderum in Europa, & præsertim in Italia. Tabula syderum quæ circa signiferum & quæ regia vocantur, etiam extra cum magnitudine, viribus, locis, ascensione recta, & obliqua. Tractatus de mundi rebus generalibus, cum hæc pars paulò tenuius à Ptolemæo tradita sit, quàm pro tanto negotio expediret Tabulæ quædam necessariæ pro quibusdam operationibus. Et cum his modus componendi instrumentum dirigendi exactissimum, & pro quacunque altitudine, & pro quacunque stellarum latitudine, & pro quibuscunque circulis positionum. Quædam rarò euenientium causa & præcepta. Exempla non tam diligenter considerata, sed longè plura, vtpote CC. geniturarum cum diuersis omnino casibus & mirabilibus, quædam etiam ad menses, dies & horas supputata. Hic verò duodecim, vt polliciti sumus Geneses selegimus admiratione dignas, illustres euentibus & casibus, diligentissimè supputatas, quorum vita nobis satis perspecta fuit. Harum septem sunt viuentium, quatuor olim mortuorum: vna quæ cœpta fuit dum viueret, nunc interim cum ederetur mortui adolescentuli Regis Anglici Edoardi Sexti, quæ non solum fortuna quod Rex magnus fuerit, sed virtute, atque casu fortunam superare nedum æquare potest.

GENITVRA I.

Serenissimi Anglorum Regis Edoardi sexti.

NE te longa circuitione lector torqueam, miranda huius genesis subiicere incipio Primum est natiuitas ipsa per se admirabilis, nam excisus ex vtero materno fuit: ipsa mater parum vt par erat superuixit. Præstabat enim vt reor hunc puerum non nasci, aut natum & educatum superuiuere diutius. Aderant enim illi gratiæ. Linguas enim multas adhuc puer callebat: Latinam, Anglicam patriam, Gallicam, non expers, vt audio Græcæ, Italicæ & Hispanicæ, & forsan aliarum. Non illi dialectica deerat, non naturalis philosophiæ principia, non musica. Humanitas mortalitatis nostræ imago, grauitas Regiæ Maiestatis, indoles tanto Principe digna. In vniuersum magno miraculo humanarum rerum tanti ingenij & tantæ expectationis puer educabatur. Non hæc Rhetorice exornata veritatem excedunt, sed sunt minora. Vt verò harum geniturarum rationem reddam, Regiæ natalis exemplum primam habes. Quæ virtute ad magnos honores ac Principis fastum educta est, sextam habes. Quæ ad Regiam dignitatem, sed cum sacerdotio decimam. Quæ non adepta est, sed attigit, septimam. Quæ aliena fortuna vndecimam, simul & violenti exitus. Quæ vltimi fermè status est octaua. Amicitiæ non speratæ nona. Egregij status publici virtute & eruditione nõ mediocri quinta. Sicut pari ratione gratiæ Regiæ & maioris status quarta.



Ad maxima negotia accommodati & corporis formæ raræ tertia. Eius qui ex humilimo statu ad maximum per solam eruditionem ascendit duodecima. Laboriosissimi morbi & præter id dexteritatis singularis secunda. Præterea si fortitudinem spectare libet, videas secundam & sextam. Si efficaciam sextam ac septimam. Apponam & coniugalis amoris & bene fortunati coniugij insigne ac rarum exemplum. Multa præterea, quæ ad interrogationes & electiones pertinent, superaddam. Et exemplum eclipsis quam consecuta est grauissima pestis.

Ex hac verò genesi sex maximè notatu digna habebis. Primum quidem ordinem constituendi principia cuiuscunque considerationis astronomicæ. Secundum matris mortem subitam & infantis ex vtero excisi rarissimum exemplum. Tertium fortunæ Regiæ tam paternæ, quàm propriæ hæreditario iure acquisitæ argumentum: vt intelligamus de his non verificari Ptolemæi dicta. Quartum de causa singularis eruditionis. Quintum de vita, quod non semper à principalis aphetæ incursu interrumpitur. Sextum de vi Fati, qua quædam scire, alia pronunciare prohibemur. Quod ad primum attinet, sic negotium instituemus, in primo Planeta cuncta ad memoriam reuocantes: In aliis postmodum solùm quæ sunt propria, vt in exemplo.

Saturnus igitur hac in genesi iuxta Ptolemæi sententiam est potentissimus: à Sole enim primum habet statum, auctus enim lumine & motu orientalis, & in angulo licet iuxta finem nocturnus tamen: latitudinem habet Septent. Ascen. Par. 1. mi. 36. cum Borealiore Capitis Virginis quintæ magnitudinis de natura Mercurij & parum Martis. Aliquid præterea affine habet cum Cauda Leonis primæ magnitudinis naturæ Saturni ac Veneris. Ipse communis dominus est locorum luminarium, in signo calido & sicco secundùm substantiam, frigido & sicco secundùm qualitatem. Commune est hoc signum bicorporeum humanum: domus & altitudo Mercurij, trigonus Lunæ & Veneris, in Iouis finibus, in loco humido secundùm qualitatem. Iupiter trigono applicat illi ob retrocessum aliter separans se: Venus autem corpore vtroque modo se illi applicat. Distantia à cœli medio Par. 119. mi. 22. Hor. Temp. par. 16. mi. 12. Signum fœmineum & nocturnum atque infelix: Nam in eo ambæ beneficæ cadunt: Et dum Sol in eo est, folia arborum cadere incipiunt.

Iupiter debilissimus inter primam stationem & oppositionem Solis retrocedens in tertio statu: calidus & siccus quod ad substantiam, & calidus quoad qualitatem, Occidentalis & nocturnus in signo fixo, calido, humido secundùm substantiam, frigido & sicco secundùm qualitatem: fœminino nocturno, in carpentis Veneris & Lunæ, & finibus propriis, locus Martis est intuens. Australis descendens Par. 1. minut. 47. cum Capite Gorgonis secundæ magnitudinis naturæ Saturni & Iouis: Mars quadrato eius applicat mutuo, Luna ab eius trigono discedit. Discedit & natura, à Saturni ac Veneris trigono, verum casu mutuo illis applicat, in cœli medij apice. Coascendit medio loco eius & cœli medij humerus dexter Persei, magnitudinis primæ naturæ Saturni & Iouis. Succedunt illi Pleiades naturæ Martis & Lunæ. Distantia recta à cœli medio Par. 2. mi. 21. Hor. Tem. Par. 19. mi. 12.

Mars dominus est Sortis & loci Mercurij. Idem quadrato Ioui mutuo applicat & Mercurium venientem expectat. In secundo statu est Orientalis calidus & humidus secundum substantiam, siccus secundum qualitatem. In cadenti ab angulo, in carpento Solis, in Iouis trigono, in Mercurij finibus: In diurno & masculino signo calido & sicco substantia atque qualitate, fixo & valido, intuens, vt dixi, Iouem. Commixtus duabus stellis quartæ magnitudinis propriæ naturæ, atque Saturni. Latitudinem habet Borealem, ascendentem Par. 1. mi. 2. Dis. Rect. Par. 84. quod 28. Hor. Temp. Par. 19. mi. 20.

Sol dominus loci Martis vndequaque debilis est, nisi quod in signo est masculino: Nam cadit ab altitudine ab angulo, mediocris motu, nocturnus, in domo Veneris, carpento Saturni, trigono Mercurij, finibus Martis, qualitate humidus: In signo frigido & sicco secundum substantiam, calido & humido secundùm qualitatem, mobili & æquinoctio. Dis. Rect. Par. 157. mi. 32. Hor. Temp. Par. 12. mi. 28.

Venus domina loci Solis, Iouis & cœli medij, non dicitur applicare Ioui, quia Saturnus intercipit: Applicat verè Saturno. In domo altitudine & finibus Mercurij. In trigono Lunæ proprioque. In tertio est statu matutinæ Occidentalis, est enim cursu velox. Cum stella est quartæ magnitudinis naturæ Veneris & Mercurij. Ipsa latitudinem habet Meridianam ascendentem Par. 0. mi. 20. Cauda Leonis primæ magnitudinis naturæ Saturni & Veneris inter ipsam & Saturnum posita est. Frigida & sicca secundum substantiam, humida secundùm qualitatem. In casu proprio ab altitudine in signo Saturni & in angulo. Dis. Rect. Par. 114. min. 30. Hor. Temp. Par. 16. min. 37.

Mercurius in primo statu vespertino Orientali licet nondum oriatur. Est enim velocissimus in domo trigono & finibus Martis, sed & Luna secundum possidet trigonum: Cum luminosiore lancis Meridionalis secundæ magnitudinis naturæ propriæ & Martis. Applicans Marti quadrato & Lunam venientem quadrato excipiens, calidus & humidus secundum substantiam, humidus secundùm qualitatem. In signo fœminino fixo, nocturno, frigido & sicco secundùm substantiam, frigido & humido secundùm qualitatem. Pessimo & venefico. In mundo debilis. Dominus Horoscopi loci Saturni atque Veneris, nocturnus: latitudinem habet Meridionalem descendentem. Par. 1. mi. 20. Dis. Rect. Par. 164. mi. 54. Hor. Tem. Par. 11. mi. 50.

Luna in fine quintæ domus, & à Solis quadrato discedens ad oppositumque Martis tendens (Quod in prima constitutione à me prætermissum est) in absidis opposito. In casu suo, in domo & finibus Saturni, in altitudine Martis, in proprio deinde Veneris trigono calida

& humida æqualiter ſecundùm ſubſtantiam, frigido ſecundùm qualitatem, domina cœli medij & loci Iouis: In ſigno mobili fœminino nocturno, frigido & humido ſecundùm ſubſtantiam, frigido & ſicco ſecundùm qualitatem. Latitudinem habens Meridionalem deſcendentem Par. 4. min. 28. Differ. Rec. Par. 72. minut. 21. loci oppoſiti Hor. Tempus. Par. 20. mi. 10.

Cœli autem medium in feliciſsimo eſt ſigno & optimo. Cæterum quæ dicta ſunt de Iouis loco, de hoc eodem dicta intelligantur.

Aſcendens eſt penultima Leonis pars. Cæterum ſignum Virginis totum fermè horoſcopum poſſidet. Quæ dicta ſunt de ſigno. Finis Martis ei obedit, locus Mercurij, Radij quoque illius, ſextiles ibi & trigoni Iouis & Saturni, & Veneris præſentia, & ſtellæ quæ cum illis. Hæ autem dictæ ſunt. Differentia recta Par. 104. mi. 32. Hor Tempus. Par. 17. mi. 45.

Sors eſt in domo & trigono Martis, inde Lunæ & finibus Saturni, in ſigno eodem cum Mercurio, ibi requiras qualitates, in ſextili Lunæ & iuxta anguli finem, loci oppoſiti, Differ. Rect. Par. 11. mi. 0. Hor Tempus. Par. 20. mi. 2.

De vero tempore genituræ.

Saturnus fuit dominus loci nouilunij, & ipſe fuit in decimaſeptima parte ſigni, ideo etiam cœli medium. Præterea anno decimo quo Lunæ trigonus ad cœli culmen peruenit conturbatio in regno facta eſt. Alij deduxerunt cœli medium ad trigonum Lunæ pro regno adipiſcendo. Et ita poſuerunt ſecundam partem Virginis in horoſcopo, ſed non eſt iuxta Ptolemæi ſententiam. Atque hæc de initiis quæ præponenda ſunt in genituris, nam de ordine Capitum non eſt hic locus cum ad perfectam ætatem haud peruenerit. Abſoluimus igitur primum.

De vtroque parente.

Patris ſignificator eſt Saturnus, vtramque beneficam ex angulo recipiens, vnde optimè diſpoſitus videtur. Sol verò cum dirigitur ad Martis infelicis quadratum in annis nouem, ſignificabat mortem ex hydrope, quia erat radius ex loco infelici Veneri in locum infelicem cum Saturni mixtione: & ex ſignis longarum aſcenſionum atque ex prima in quartam. Erant enim Veneris radij ſextilis infelices. Atque ita multipliciter Sol eo tempore afflictus eſt. Antea autem cum peruenit ad Mercurium, ſignificauit expeditionem bellicam contra Regem Gallorum factam, ſimul cum exitu extra patriam. Et hæc vt dixi in primo genitæ natiuitate fuiſſent conſpicua.

Matris autem vtraque ſignificatrix damnata eſt, Luna cadens in Capricorno in dignitatibus maleficarum, cadens ab angulo ſub terra in quadrato Solis infelicis iens ad oppoſitum Martis, ſignificauit mortem imminentem, & aliquam dilacerationem ex ferro, neque beneficarum vlla Lunam aſpiciebat, Venus quoque in ſuo caſu cui ſuccedebat Saturnus & illi applicabat, ſignificauit deeſſe ſuppetias. Sed cùm Sol infelix in quadrato Lunæ eſſet, non diligere vxores patrem declarabat. Habuit enim pater ſex vxores, & ex his duas repudiauit, quæ legitimæ erant, duas capite propter adulterium puniuit, tertiam in partu execto infante amiſit. Rara hiſtoria, ſed tamen hæc noſtra ætate tota peracta ſunt. Habes igitur ſecundum conſideratione dignum.

De fratribus atque ſororibus.

Luna multipliciter afflicta, & cœli medium in trino Saturni, qui eſt in ſterili ſigno, declarant nullum fratrem, aut ſororem ex eadem matre, nam paternos non curat Ptolemæus, tametſi paternas ſorores duas ſuperſtites eſſe conſtet.

De ſexu, numero, perfectione, nutritione.

Quia iſta iam nota ſunt, nolim hanc oſtentationem ſequi. Quia tamen Saturnus eſt in horoſcopo & vtrique dominus trigoni eius debilis ſecundum ſubſtantiam, & ſignum horoſcopi non valdè vitale, ſignificauit debilem vitam in pueritia: Eſt veſtigium in facie quod mors immatura præuenit. Fuit de cætero formoſus ob ætatem & parentes qui pulchri fuerunt, & Venerem in aſcendente, vnicus & ſine labe etiam nutritus.

De duobus præcipuis in hac geneſi conſiderandis.

Duo maxima mala habet hæc geneſis & rara certè, Primum quod ambo luminaria ſunt in caſu ſuo: & inuicem quadrato radio disiuncta, & Venus etiam in caſu, & Iupiter debilis & peregrinus. Secundum quod etiam eſt deterius, eſt quod omnia loca præcipua ſunt in dignitatibus maleficarum, & maleficæ fermè ſuper omnia eleuantur. Saturnus tamen à Ioue multum mitigatur, ſed Mars nimium ſæuit, in quadrato enim Mercurij, & duodecimo loco Solem & Lunam venientem quadrato excipit, in ſigno fixo & ſæuo, quo fit vt patrem, & matrem & ipſum fuerit interempturus. Sed diuerſis modis patrem commixtus Veneri & Saturno, ideò hydrope, vt dixi. Matrem Soli commixtus, ideo repente. Ipſum ſolus congeminatus, vt ſuo loco videbitur. Cùm igitur ex primo omnia loca optima luminaria & beneficæ ambæ etiam Sors ſint impedita & in caſu. Ex ſecundo omnia in poteſtate maleficarum, miſero huic adoleſcentulo multa & magna inconuenientia accidere neceſſe erat. Quæ tum tamen ob Iouis ſitum mitiganda tandem, & in melius mutanda decernebatur, præter ea, quæ ad vitam pertinebant, nam in ea vt videre licet beneficæ nullas afferebant ſuppetias. Si vixiſſet ſero tamen hæreditario iure regnum non parum erat aucturus.

De forma corporis.

Ordo dicendorum, & historia subsecutæ rei postulant, ne cogar eadem bis dicere, vt caput de vita vltimum faciam, nec omnino præter rationem, nam vt vita omnia præcedit, atque ob id præponi eius caput debet, ita mors omnia subsequitur, atque ita postponit: Cùm igitur mors vitæ coniuncta sit, vt vitæ ratione cunctis præponi poterat, ita mortis conuenienter postponi. Fuit igitur statura infra mediocrem paululum, candido vultu, oculis cæsiis, grauitate aspectus, decorus & formosus. Vitiis potius, quàm morbis corporis subiectus, quod maleficæ à Sole essent Orientales: Habuit igitur spatulam paulo ampliorem, hæc aut ad monstrosam formam non pertinent, etsi à natiuitate contracta. Quæ verò non perpetuo manent morbi dicuntur, vt cæcitas, surditas ad tempus, nec ex aphetarum directionibus pendent. Febres autem & morbi generales & graues fiunt ex aphetarum directione valida aut debiliore, cum processibus atque ingressibus.

De diuitiis.

Sors malè posita est & in maleficarum potestate, & Mars malè quoque positus est: Et significat dilapidationem patrimonij. Luna tamen adiuuat sextili debili, quoniã infelix est. Sed Sol in Libra cùm regnum sit sub Ariete seditiones denuntiat, vt etiã Pleiades in cœli medio. Successibus tamen tẽporum cum Saturnus Veneri iungatur, felicitates interpolis vicissitudinibus.

De amicis, inimicis & seruis.

Amicos & inimicos non ex propria cuiusque genesi agnosci posse docuimus. Attamen loci illi quatuor principales considerandi. Ex Leone & Aquario tamen præcipuè sumendi, quia hæc signa sunt inconiuncta ascendenti & Lunæ, maximè si Virginis initium in ascẽdente ponatur, & quia Mars est in horum altero, in alterius autem oppositi. Qui verò Lunam habent in Cancro aut Piscibus hi omnino fidelissimi. Præterea iuxta nostra principia maleficæ in locis oppositis, aut in coniunctis & ad maleficas aliquando faciũt odisse. Amici voluptatis causa ex Virgine & fine Leonis. Ex Libra & Scorpionis initio, item Capricorno & initio Aquarij vtiles, sed ab his non prioribus prodetur. Ex Scorpione in fine propter sortem & initium Sagittarij. Inimici igitur relinquuntur ex Leonis & Aquarij prima medietate, vt dictum est, & Piscium secunda medietate, propter locum Saturni & horoscopi.

De itineribus.

Itinera conficiet non longa ad Austrum & Boream ob latitudines, & magis ad Orientem propter Martis & Lunæ situm, quàm ad Occidentem. Situm tamen regionis considerare expedit in Rege & conuersionis necessitatem. Et cùm Luna cadat in quadrupede & Mars à Mercurio affligatur offensiones suo tempore à quadrupedibus significabit.

De honoribus & dignitate.

Rex hic genesim habuit quinti status, & tamen hæreditario iure adeptus est regnum. Patet ergo ea quæ dicta sunt à Ptolemæo de fortuna honoris & dignitatis ad patris statum in comparatione esse intelligenda, nec tenere in iure hæreditario, sed velut in sacerdotij ordinibus, in his enim maximè verentur, quæ à Ptolemæo scripta sunt, atque similibus. Fiunt Pontifices priuatis & humilibus viris atque plebeis. Ex hoc igitur habes tertium insigne.

De animi qualitatibus.

Dominus loci Lunæ & Mercurij communis est Luna. Proprij & efficaces Saturnus & Mars. Saturnus fuit in ascendente & in domo Mercurij, & Mars recepit Mercurium. Fuit in hoc monstrificus puellus, hic linguas iam septem, vt audio, per didicerat, Propriam, Gallicã, & Latinam exactè tenebat. Dialecticæ non expers, & ad omnia docilis. Cum illo congressus decimũ quintum adhuc agebat annum, interrogauit (Latinè non minus, quàm ego politè & promptè loquebatur) quid continẽt libri tui de Rerum varietate rari. Hos enim nomini M. S. dedicaueram. Tũ ego Cometarũ primùm causam diu frustra quæsitã in primo capite ostendo. Quænam, inquit ille. Concursus, ego aio luminis, erraticorum syderum. At Rex quomodo cũ diuersis motibus astra moueantur, non statim dissipatur aut mouetur illorum motu. At ego mouetur equidem, sed longè celerius illis ob diuersitatem aspectus, velut in crystallo & Sole cũ iris in pariete relucet. Parua enim mutatio magnam facit loci differentiam. At Rex: & quonã pacto absque subiecto illud fieri potest, iridi enim paries subiectũ. Tũ ego velut in lactea via, & luminũ reflexione, cũ plures candelæ propè accensæ medium quoddam lucidũ & candidum efficiunt. Itaque ex vngue Leonem, vt dici solet. Fuit hic in maxima omnium aut bonorũ, aut eruditorum expectatione, ob ingenuitatem atque suauitatem morum. Prius cœperat fauere artibus quam nosceret, & noscere antequam vti posset. Conatus quidã humanæ conditionis quem non solum Auglia, sed orbis ereptũ immaturè deflere debet. Plurimum educationi debueramus, plus ereptum est hominum dolo fraudéue. O quàm benè dixerat ille:

Immodicis breuis est ætas & rara senectus.

Specimen virtutis exhibere potuit, non exemplum.

Flete nefas magnum, sed toto flebitis orbe.
Mortales: vester corruit omnes honor.
Nam Regum decus, & iuuenum flos, spesque bonorum.
Delitiæ secli & gloria gentis erat.
Dignus Apollineis lachrymis, doctaque Mineruæ.
Flosculus, heu miserè concidis ante diem.
Te tumulo dabimus Musæ, supremaque flentes.

Munera

Munera, Melpomene tristia fata canet.

Vbi grauitas regia requirebatur, senem vidisses, vt blandus erat & comis ætatem referebat. Cheli pulsabat, publicis negotiis admouebatur, liberalis animo, atque in his patrem æmulabatur. Qui dum nimium bonus esse studuit, malus videri poterat. Sed à filio aberat suspitio criminis, indoles philosophiæ studiis exculta fuit. Cæterum quod ad astra attinet Mercurius in statu vespertino ascendens respexit cui dominabatur, & adhuc sub radiis erat, Mars autem & Saturnus Orientalis & robusti, maximeque Saturnus, ac benè dispositi, animam liberam reddunt. Hoc autem est quartum insigne.

De vitæ spatio

De vitæ verò spatio vltimo dicendum est, quoniam vt præfati sumus cum morte cōiunctum est. Dicam autem quæ primo scripserā, vt etiam in præcedētibus quorum extat apud Regios exemplar. Vita debilis omninò erit: nam luminaria infra terram sunt, & Venus quæ in ascendente est, infelix est, & Saturnus illi succendit, ascendens quoque ex signis minimè vitalibus. Saturnus tamen aut Venus apheta est.

Quæ post consideraui de eodem.

Deduxi post modum oppositum Martis ad Lunam, vt præcipit Ptolemæus, & fuit distantia Par. 13. Min. 4. quo tempore imminebant insidiæ à seruis propriis & periculum vitæ. Eodem tempore peruenit Sol ad

Oppositi Lunæ.			
72	21	20	10
84	28	19	20

quadratum Martis, hoc modo in annis 14. completis paulò plus. Hoc igitur tempore

Oppositi Solis.			
22	28	17	32
38	4	18	32

expresè imminebat periculum amissionis etiam regni, rebellionis causa. Consului igitur processus & ingressus anni 16. & fuerunt, vt vides. Et manifestum est quod non poterat euadere, quia eodem tempore Sol

	Process.		Dir.		Ingressus	
Sol	28.6	♑	12	♏	28.6.	♎
Luna	28.44	♈	10.16.	♒	8.4	♌
Ascendēs	29	♍	Saturn.	27.	44	♒
Cœli med.	17	♌	Iupiter	28	45	♌
Sors	29.38	♒	Mars	3.	48	♌
			Venus	0	3	♏
			Mercur.	18	18	♏
			Caput	14	17	♌

peruenit per processum ad locum Lunæ inimicæ in radice, & vicissim Luna ad oppositum Solis inimici. Et per directionem, vt dictum est Sol ad quadratum Martis sub Sextili longo Saturni. Et Luna ad oppositum Martis, & in ingressu ad locum Martis & ibi Mars vt nil euidentius. Bifariam enim Sol directione & processu afficiebatur, & Luna quadrifariam, trifariam à Marte directione, corpore, & radice, Sol etiam à Marte. Cum igitur Mars esset anæreta, significabat mortem cum sanguinis profluuio & feruore maximo. Sic igitur misellus ille adolescentulus suorum proditione interceptus obiit. Anno ætatis 15. mensibus 8. diebus 28. expletis. Scilicet anno Domini 1553. die 6. Iulij, ex febre tabifica cum æstu, fluente per os sanguine.


Ex quo patet, quod non debemus pronuntiare de vitæ spatio in debilibus genituris, nisi prius consultis directionibus omnibus aphetarum, processibus, & ingressibus. Et nisi esset quod ego in prognostico quod illis dederam ad hæc me reseruassem, iure poterant de me conqueri. Sed maior huius fuit causa, quam statim subiiciam: Hoc igitur est quintum.

Fatum.

Ecce fatum, consumpseram in condendo prognostico horas circiter C. solitus Aphetas omnes dirigere, si mediam horam adiecissem, poteram & Solem, & Lunam dirigere, quibus directis, vt clarum est, periculum è vestigio apparuisset. Non confisus directioni, statim ad processus & ingressus venissem, tunc res ipsa patuisset, mortis periculum, neque enim tantus sum, vt audeam dicere certam mortem (quanquam & illa tutò posset cum tot testimoniis vnà consentientibus pronunciari) proditio, tumultus, regni translatio, & cætera quæ sequuntur: Nam naturæ bonitate cogebar prædicere. Inde qui metus, suspitiones Regi? At mihi certè maxima pericula incumbebant. Cogebar sententiam meam dicere. Qui terrores, quæ voces, alij inanem & stultum prædicassent, alij pecunia ab aliquo Principe corruptum dolo agere, vt aliquem euerterem, aut Regis mentem alienarem, alij spe corradendæ pecuniæ ista commentum. Vnde mihi auxilium, aut spes vlla inter gentes ignotas, quæ nec suis parcūt, præsertim Rege adhuc puero, qui nec seipsum nedum me tutari valuisset? Cùm maximè credulam pueri mentem, hi in quorum potestate erat & quibus mens patrandi facinus, infensam mihi facilè reddidissent. Itaque certum erat non redire in patriam, & si optimè res cessisset, cum quo præmio tanti periculi & perturbationis animi. Memini me legisse duos exitium prædixisse Principibus, Ascletarionem Domitiano, qui statim præmium tulit veræ prædictionis, mortem: Et sacerdotem Duci Galeazio Sfortiæ & ipsum verè, qui in carcerem coniectus fameque crudelissimè enectus est, cum aliquot diebus vitam lotij proprij potu protraxisset. Forsan & Rex periculum vitasset, vel quia proditor metu rem distulisset, vel alia via. At mihi ex innata synceritate & quod miserum adolescentem

amarem, sortisque eius misererer, certum erat etiam cum manifesto vitæ discrimine omnia patefacere. Quamuis futurum crederem, vt me irriderent. Ergo volentibus fatis, nec singularis huius artis cognitio prodesse Regi potuit: nec bonitas atque simplicitas ingenij mihi obesse. Simili prouidentia seruatus sum cùm in Scotia vsque ad Aprilem præsentis anni manere debuissem, hortante atque rogante te Antistes optime. Certum enim est si mansissem simili ratione in reditu, qui contigisset tempore, quo iam Rex morbo laborabat, in casses incisurum. Itaque pro duplici periculo à quo seruatus sum gratias omnipotenti Deo ago. Potuissem sanè more quorundam astrologorum fingere me nouisse, quæ ventura essent, tacuisse ob timorem, facilè hoc erat in re tam conspicua, sed tantum ab fuit, vt vel de hoc cogitarem, quantò minus vt præuiderim. Præuidebam certè, sed alia ratione, cum omnia in vnius potestate esse cernerem, puerum arces, thesaurum, senatum, classem. Filios enim quibus præ esse non poterat, præfecerat: atque eius cuius patrem Regis pater capite mulctauerat, ipse verò duobus maternis patruis vicissim damnatis atque capite mulctatis interuerterat omnia, vt non magis odio, quàm metu in Regis necem conspirare cogeretur. Cumque omnibus silentibus præ metu (multos enim iudicio quos libuerat damnauit) patritiorum plerosque distributis ecclesiæ bonis sibi cõciliasset, vt omnia vnius arbitrio agerentur, atque eius iure Regis inimicissimi, commota mihi nausea, misertusque Regiæ conditionis, melior vates natali prudentia, quam artis huius peritia, statim discessi, ominatus simul ingens malum, ac territus.

Verum postquam huius Regis mentionem feci, patris eius schema subiicere placuit: in quo tria maxima cernere licet. Primum quod vt dixi, cùm sex vxores duxisset, duas repudiauit, totidem capite mulctauit. Fuit Venus cum Cauda & Lampade stella naturæ




Martis: & Luna in occiduo cardine in Martis dignitatibus. Mars verò in Virgine infelici signo & quadrato Iouis infelicis. Mutauit præterea legem ob hanc causam Pontifici Maximo succensens. Id contigit ob Veneris situm, & ea quæ illi adhærere diximus. Oportuit & aliquid habere cum constellatione sectam significante. Et aliquas eclipses præcessisse, quæ longum esset persequi. (Ex his duobus cum aliis causis factum est quod Antistes Lexouiensis mihi narrabat Besuntij, scilicet vt biennio antequàm periret inuenta sint LXXII. millia hominum, iudicio, & carnifice sub hoc Rege, qui tamen vix vnius insulæ dominus est, periisse. Vt parum mirari liceat, Imperatores Romanos totius orbis dominos & Ethnicos sæuisse, cùm pauci illorum in tanto imperio hunc numerum excesserint.) Præter hæc fuit ditissimus Rex propter Sortis & Iouis situm, cuius opulentiæ partem maximam absumpsit ob quadratum Martis inimici. Iupiter enim cadit tam in Virgine, quàm in Geminis. Fuit etiam munificus, liberalis, & splendidissimus, nec à Musarum cultu alienus. Qui forsan si Thomam Morum non occidisset virum bonum, eruditum & (vt reor) insontem, & excusari poterat, & semini suo causas tantarum calamitatum non reliquisset. Discite vos Reges sacratis parcere Musis. Si enim bonis non sit securitas, frustrà quisquam bonus esse velit.

GENITVRA II.

Illustrissimi Archiepiscopi B. Andreæ Scoti Ioannis Amulthonis.

NOn hic Encomium virtutis tuæ scribere propositum est, sed exempla magnifica, ob id constantiæ, summæ prudentiæ & humanitatis ac patientiæ iconem habent lectores, tum morbi fermè inexpugnabilis. Simul & testimonium peritiæ nostræ in hac arte, & veritatis ipsius artis. Æqualia enim sunt causas ex effectibus prædicere & ex causis effectus: licet hoc maius videatur. Cùm



enim Gulielmus Casanatus morbi vim ac pertinaciam mihi exposuisset (atque is nunc viuit medicus insignis, cuius genesim inferiùs exponam, dixi oportere illi Saturnum esse in sexto loco, & Lunam tam propriè, vt per directionem iuxta tempus quo morbus cœperat illi applicaret. Itaque pòst aliquot dies habito tempore, vtrumque verum inuentum est.

Retulitque

Retulitque id Cel. tuæ, Antiſtes maxime, non ſine admiratione. Quòd ſi partam gloriam, id eſt, iam certam ſauciare non extimuiſſem, auſus fuiſſem adiicere quod in Scorpione, quia ſolum id ſignū fixum inter aquea. Morbus autem ex pituita & plus quam inexpugnabilis. Sed tacui hoc, contentus potius mediocri gloria, ſed tuta, quam maxima atque dubia.

	Motus	Latitud.				Stellæ fixæ
Sol	Velox	Coaſcend.				Dex. Hum. Aur. ♂ & ☿
Luna.	Tardiſſ.	M	A	3	17	
Saturnus	Pa. Stat.	S	A	2	40	cum * 3e M ♂ ☿
Iupiter	Velociſſ.	M	A	0	54	
Mars	Velox	S	D	0	48	cum * 4e M ♄ ☿
Venus	Tarda	S	D	4	40	
Mercurius	Velociſſ.	M	A	1	15	Coaſcend. Ala Peg. ♂ & ☿
Cœl. M.	Cum ſtellis naturæ ✳ parum ☿					
Aſcendens	Lampadias naturæ ♂					
Sors						

Non in omnibus omnia præſtamus, ſed perfectio ex multis colligenda eſt. Prædixi & hoc Caſanato cùm Lunam in parte 26. Virginis inueniſſem in Ephemeride perpetuo errorem eſſe in illius loco. Nam oportere exiſtimaui quo anno illa inſpirandi difficultate correpta eſt Cel. T. Fuit autem 31. Lunam ad Saturnum peruenire, atque ita euenit. Erat autem Saturnus quadrifariã peſſimè affectus in ſexto loco in caſu Lunæ, in ſigno fixo & malefico & cùm inerrante malefica. Præterea in ſigno aqueo & ſtãs, vt nihil durius vel cogitatione ad morbi prauitatem addi poſſet. Eodem etiam anno Sol peruenit ad Leonem ſignum, in quod cadunt radij inimici Solis, Mercurij & Marts atque Saturni. Et ibi plures ſtellæ naturæ humidæ & frigidæ. Nulli præterea radij beneficarum, quare Leo eſt ſignum infeliciſſimum. Et ſignificat cor & pectus: Et ob id cum Sol Leonem ingreditur à medio Iulij ad medium Auguſti, peſſimè afficitur. Sol enim ex potentia ad actum educit promiſſa.

Quo ad radicem, Sol eſt Aphæta in Aquario afflictus à Marte quadrato & à Mercurio. Et ideo direxi ipſum ad Saturni oppoſitum & in annis 48. perueniet ad ipſum, quo tempore vix euadet. Et aderit periculum veneni, & cordis paſſio. Et hoc ſi euaſerit 1554. in cuius initio, & eſt 43. ætatis, Luna combuſta erit iuncta Marti & Mercurio, in dignitatibus maleficarum. Proceſſus hi ✳ 24 ♌, Aſcendens 2 ♐, Luna 9 ♓, Cœli medium 27. ♋, Sors 17. ♊. Solis igitur locus ab oppoſito Lunæ, & Martis, & Mercurij in reditu affligitur.

De difficilimo ſuppoſitionum modo in propriis temporibus decernendis.

Videtur autem illius anni periculoſius tempus à die 20. hor. poſt meridiem 10. mi. 30. menſis Iulij vſque ad 14. diem, hor. 21. menſis Septembris. Hoc autem diſtinguere magno labore & diligentia indiget, cum ſit difficilius cognitione anni, quæ ſatis clara eſt propter quinque cauſas. Prima eſt quod in annis directio exquiſita non errat, in menſibus & diebus non ſatisfacit, tum quia locus erraticarum in minutis non eſt exploratus, tum etiam quia tabulæ in tot ſupputationibus aliquid erroris minimi continent. Secunda quia proceſſus annui ſimplices ſunt, & primi & ad loca directionem Aphetarum, quæ ſunt eadem locis corporum aut radiis Anæretarum. In menſibus verò eſt dubium an ad loca proceſſuum & ingreſſuum reditus anni, an radicis ſint comparandi. In annis præterea quod maximum eſt initium, ſeu cauſa effectus, & perfectio & finis fermè ſemper ob anni prolixitatem in idem incidũt, non in menſibus aut diebus. Videntur tamen obſeruaſſe finem Aſcletarion & Franciſcus Maria Ferrarienſis Horum enim duorum tantum memoria extat tam exquiſitiſſimæ cognitionis. Sed in his quoniam voluntaria erant, finis non differt à perfectione, ſed tantum à cauſa. Quarta eſt quoniam concauſæ exteriores, vt in creando Pontifice prioris mors in eundem annum faciliùs coincidunt quàm menſem & multò minus diem. Vltima quia circuitus in anno ſemper complentur, aut ſaltem medietates, in menſibus non ita, nec eſt certum quid præponere debeamus ex multis, vtpote oppoſitionem integræ reſtitutioni. Hæ autem perſæpè ambæ in eodem anno continentur. Ex hoc habetur quod ad inuenienda tempora propria neceſſaria ſunt quinque primum directio exquiſitiſſima, quia contingunt promiſſa circa tempus exactæ directionis ferè ſemper. Secundum eſt ingreſſus Solis in locum Anæretæ cum obſeruatione diſtantiæ. Tertium proceſſus deteriores in comparatione ad proceſſum anni, ſeu radicem, & eſt locus Anæretæ, ſeu promiſſoris ad quem directione pertingit ſignificator. Quartum reditus domini loci & maximè finis per integros circuitus, aut ad locum ſibi oppoſitum. Quintum ingreſſus & congreſſus Planetarum in loca principalia figuræ. Veluti primus circuitus Saturni eſt augmenti in corpore, ſecundus ſtatus, tertius declinationis. Iouis primus circuitus eſt incrementi, ſecundus ſtatus incrementi, tertius declinationis incrementi. Quartus honoris & ſapientiæ initium continet, quintus ſtatum, ſextus declarationem.

Redeo ad inſtitutum, Venus potens & Luna decernunt matri longam vitam, patri non ita, cùm Sol à Marte affligatur, & Saturnus in ſexto loco debilis & ſtans ſit.

Circa mores optimi ſunt decreti à Saturno, Ioui & Mercurio commixto. Mercurius à Saturno obſeſſus ex ſigno mutuo impedimentum

mentum in lingua significat. Cæterum animo Cæsareo & planè inuicto. Splendidissimumque statum ob sydera fixa in ascendente & cœli medio constituta.

Luna in opposito Iouis ad trigonum Veneris pergens multas adducit felicitates, sed tamen plenas anxietatis & periculi.

Causa concordiæ cum octaua genesi & amoris erga nos quintuplex est. Vbi Celsitas tua habet, Caput, ego Venerem & Mercurium, vbi Venerem, ego Cœli medium, vbi Iouem, ego Lunam & in opposito Lunæ Cel. tuæ. Vbi Saturnum, ego in opposito Iouem & ascendens, quod causam amicitiæ significat, scilicet oppugnandi morbum. Anno 1551. quo amicitiam inij Sors mea directione fermè peruenit ad locum Sortis Celsitatis T. vt omnibus liquet.


GENITVRA III.

Illustriss. Principis Badolfiæ Claudij Lavalli.

ET fortuna & ingenio, & moribus, & corporis forma genesis hæc admirabilis est. Vir est procerus, iusta magnitudine satis maior, obœsus & crassus. Cumque hac forma ingeniosus, mathematicarum non ignarus, ciuilis, magnificus, comis. In rebus etiam agendis callidus, prudens, impiger. Quique multum suo Regi sua sagacitate contulit. Causa amicitiæ cum Rege suo est locus Solis idem. Et locus Veneris huic, est ascendens fermè Regi. Legatus est Regis Gallorum apud Regem Anglorum. Sæpius præfatus sum omnia, quæ dicuntur intelligi debere, si non repugnauerint constitutiones generales: Terræmotus, naufragium, bellum, pestis, annonæ penuria, seditio, lex noua.

Stellæ splendidæ.

Cum Saturno coascendit Scorpij cor naturæ Iouis & Martis cum Marte stellula quartæ magitudinis naturæ ♂, Venus cum Ala



Pegasi magnitudinis secundæ naturæ Martis & Mercurij. Mercurius cum splendida in lino Piscium magnitudinis quartæ naturæ Saturni parum Mercurij. Luna cum ceruice Leonis naturæ Saturni, parumque Mercurij coascendit, & fermè cum dextro humero Persei naturæ Saturni & Iouis. Ascendens in initio Lacteæ viæ. Cœli medium cum extrema caudæ Vrsæ maioris naturæ, Veneris & Lunæ. Occidens autem descendit cum capite Medusæ naturæ Saturni, & Iouis & est cum dextro humero Aurigæ naturæ Martis, & Mercurij. Sors cum splendidis quæ in Argo naturæ Saturni & Iouis. Dicemus autem significata expositis his prius quæ ad directiones pertinent.

De parentibus

Luna in quadrato maleficarum & Venus cadens & retrograda breuem vitam & debilem matri portenderunt. Saturnus in opposito Martis & Sol cadens ab angulo, patri

Differentia	Recta G	M		Hor. Temp. G	M	
Cœli Med.	211	15				
Ascendens	61	7		10	15	
For. Pars	19	35	op.	11	55	op.
Saturnus	43	12		10	40	
Iupiter	48	35	op.	10	30	op.
Mars	44	16	op.	10	40	op.
Sol	172	48		13	55	
Venus	159	53		14	54	
Mercurius	172	9		14	5	
Luna	43	40	An.	16	45	

difficultates & morbos ac tristitias significabant. Quia tamen Saturno in horoscopo posito Luna fit Apheta in nona & Sol cadit in angulo, superuixit annis 34. Vixit autem 68. Quod vitæ spatium in Gallia prolixum est.

De fratribus & sororibus.

Iupiter aspiciens Lunam vnum decernit fratrem. Sorores quoque tres quia occidentalis oppositione. Et Luna etiam & vterque in signo bicorporeo. Plerique ob maleficas ante illum morientur.

De sexu, numero perfectione & nutritione.

Luna malè affecta in primis quatuor annis detrimenta significauit. Sol liber & maleficæ cadentes nutritionem securam. Reliqua vt alias dixi potius ex generatione pendent. Ascendens Luna & dominus ascendentis in bicorporeis, Geminos nasci, aut eum qui natus sit duorum vicem corporis magnitudine indicabant.


De vita & morte.

Non est exquisite tempus notum: Ideò neque tuto de annis pronunciare licet. Ascendens est Apheta. Mors violenti aliquid habebit cum mœrore & prohibita transpiratione, & forsan cum sanguinis effusione. Ideò caueat diligenter.

De

De corporis forma.

Iupiter dominus aſcendentis in Geminis ſigno duplici & calido, humido, ſubſtantia & qualitate. Et Lunæ loci dominus in ſigno vernali & Iupiter, Luna & dominus loci eius omnes in apogeis proceritatem maximam cum pinguedine & craſſitie, immoderata non ſolùm, ſed etiam morboſa declarant. Sunt autem tria ſigna, quæ ſunt ſimilia ſubſtantia & qualitate Gemini, Leo & Piſces, totidem diſſidentia Taurus, Cancer & Libra. Velut Libra eſt frigidum & ſiccum ſubſtantia, et calidum ac humidum qualitate. Latitudo pectoris à Geminorum forma oritur. Sed vt artis ipſius veritas oſtendatur Friderici Ducis Saxoniæ ſchema natalitium ſubiicio, qui adeò



obœſus et craſſus eſt, vt vix ab vllo equo ferri queat. Et ipſi idem locus Sagittarij aſcendit. Et Iupiter iuxta vtrunque apogeum in Geminis ex oppoſito reſpicit horoſcopum. Similiter & Saturnus & Venus in ſuprema epicicli parte. Captus fuit hic Dux à Cæſare noſtro Carolo V. quoniam Luna infelix fuit in quadrato Saturni infelicis cadentis & ſub Sole & in ſeptimo loco.

De morbis & vitijs corporis.

Mars in ſexto loco & Iupiter ibi infelix dominus aſcendentis & in Saturni oppoſito, & quadrato Lunæ, fluxiones à capite calidas, frigidas, dolorum renum colicos, ſpirandi difficultatem, inexplicabiles decernunt.

De animi qualitatibus, vitiis & morbis.

Luna in domo, altitudine & finibus Mercurij facit delectari mathemathicis, liberalibuſque ſtudiis. Mercurius ſub Sole in ſextili Iouis facit magnanimum, liberalem, generoſum, magnificum, ſplendidum. Luna quoque facit ingenioſum & prudentem. Aſpectus maleficarum infligunt, vt dixi, mala corpori, faciuntque iracundum, ſubdolum, trucem, atque ad omnia paratum, non tamen ſponte hæc facientem, vitia nulla dignoſcentur.

De diuitijs.

Res diuitiarum erit fluctuans, diues tamen erit. Multis autem cauſis res peribit. Vt ſunt itinera, dona, conuiuia, ſeruorum furta, naufragium, mors equorum, venatio, ornatus.

De honoribus, magiſtratu, gratia Regum.

Ob Solis & Lunæ ſitum habebit plurimos magiſtratus recurrentes aut ſecundi ordinis, non ita ad primos paratus. Attamen gratioſus maximè ſuo Regi ac ſponte erit. Vtriſque locus Solis idem: Aſcendens in trigono aſcendenti, Sors in Sortis trigono. Circa finem vitæ maximam potentiam adipiſcetur: Et tunc non minus anxiùs fluctuabit

De vxore & filijs

In vtroque horum erit infelix ob Lunam peſſimè affectam. Vnam vxorem habuit breuis vitæ.

De opificio.

Erit cupidus ſecretarum rerum, delectabitur pulchris rebus, gemmis veſtibus, picturis, imaginibus: Et liberalibus diſciplinis, nec tamen quicquam horum ob nobilitatem exercebit.

De itineribus

Nulla in re aut felicior, aut aptior quàm in itineribus, legationibus & expeditionibus, in quibus & pericula & calumnias patietur ob inuidiam. Ad maximas tamen adminiſtrationes perueniet. Complectitur autem hæc geneſis contraria quædam ſimul, velut bonam temperiem & vitam morboſam. Orbitatem cum ſit vxoratus, obeſum habitum & ingenium acre: benefacere & calumniam pati.

GENITVRA


GENITVRA IV.

Illustrissimi Ioannis Cheki à Secretis Anglorum Regis.

Differentiæ	Rectæ			Hor. Tem.		Stellæ insignes.
Saturnus	52	56	P.	20	37	
Iupiter	112	39	A.	20	30	cum Lampadia ♂.
Mars	41	54	A.op.	19	27	cum stellula ♂.
Sol	79	31	A.	21	23	
Venus	73	20	A.	21	17	
Mercurius	88	11	A.op.	21	5	fertur cum Procione nat. ☿. Cap. Medusæ naturæ ♄ & ♃.
Luna	23	9	P. op.	16	37	
Med.C.	173	35				cum stel. ♄ & ♁. Item ☿. P. ♂.
Ascendens	61	6	P.	10	10	cum tribus stel. ♂. P. ♄.
Occidens	occidit cum Lampadia ♂. Et Hum. Orionis ♂ & ☿.					
Sors	11	0	A.	17	0	cum dorso Leonis fertur naturæ ♄ & ♀.

Contingerunt ei hæc insignia anno 1540. die septima. Septem laborauit acuta febre. Anno 1552. die quinta Maij Peripneumonia. Anno 1544. die decima Iunij, in Regium præceptorem electus est. Anno 1549. die vndecima Ianuarij à pristino honore fermè decidit. Anno 1547. die vndecima Maij vxorem duxit.

Vt circa hæc aliquid dicam, in fine 30. anni ergo electus est in regium præceptorem: Trigonus Mercurij cadit in Par. 25. min. 47. Libræ: cuius recta ascensio est Par. 203. min. 54. ab hac detrahe Par. 29. min. 35. pro annis 30. fermè completis, relinquuntur Par. 174. mi. 19. ascensionis rectæ: quibus respondent in signifero Par. 23. min. 48. ♍. & hoc est Cœli medium, verum nisi error sit in loco Mercurij, qui ex obseruationibus contingere solet: Aut processus distulerit aut præoccupauerit. Erat autem Mercurius Orientalis matutinus, quia retrocedebat licet non appareret, & in domo ac trigono suo & Lunæ, amico radio commixtus, & in locum sui trigoni. Et quia processus eius anni fuit in



Aquarium alium Mercurij trigonum. Et similiter mensis, & initium signi etiam fuit impeditum à Saturni quadrato, ideò dilata est hæc prouincia ad finem anni. Et ea die Sol superauerat locum Mercurij, & Mercurius locum Solis. Et Luna locum Cœli medij & ibat ad Mercurij trigonum. Et Iupiter fuit in loco Saturni radicis & Saturnus in ascendente. Et hic adest mixtio Solis ob Regis consuetudinem.

Pericula quibus modis decernantur.

Dixit quod anno 1549. die vndecima Ianuarij fermè excidit ab officio. Distabat enim Sol à cœli medio horis temporalibus quatuor fermè, ideo 36. anno peruenit ad Martis oppositum. Et tunc processus Solis fuit ad quartam partem Tauri in quadrato Martis & opposito Saturni. De his periculis, ratio manifesta est, & de periculo mortis in morbo, quia præter periculum adest pars infortunij, ideò significantur ab eisdem causis debilioribus, seu cum auxilio beneficarum. Sed de puris periculis puta casu lapidis propè magna est dubitatio: Si enim causa carent, nihil erunt, videntur autem aliquid esse, & quasi intendi ab astris, sed non perficit vt effectus. Si habent causæ illi nullus respondebit effectus. Sed effectus proculdubio fiunt à causis perfectis non impeditis: imperfecti effectus fiunt à causis imperfectis aut impeditis. Vbi non adest periculum, nec effectus, nulla ibi causa est, igitur pericula absque effectu cùm sint imagines effectuum fiunt à similibus causis quæ non sunt causæ. Hæc autem bifariam, aut cum directiones, vel processus fiunt in contrariis latitudinibus, vel cum loco Aphetæ dirigitur dominus loci Aphetæ: Ipse enim significat timores & animi affectus, in periculis vero adsunt timores. Propriè igitur fiunt pericula absque effectibus cùm Anæretæ habent contrariam latitudinem Aphetis. Idem dico de bonorum expectatione.

Morbi autem qui successerunt fuerunt ex directionibus ascendentis, quod solum est Apheta ad trigonum Lunæ inimicæ ascendenti, & ex signis breuium ascensionum & oppositum Mercurij ad vnguem. Viueret iuxta sexagesimum primum annum donec ascendens impingat in radios sextiles sinistros Saturni, qui dextris sunt validiores. Et hoc si per processus & ingressus licuerit, vitaueritque publicas calamitates. Ascendens solum cum Apheta sit, debile est, inque maleficarum potestate.

Cæterùm vt in vita mala est hæc genesis, ita

ita contraria ratione in honoribus adipiscendis ac diuitiis, atque amicis comparandis felix. Insignis etiam eruditione, ingenio, prudentia. Qualitates animi Mercurius cum Luna sextili copulatus & loci proprij dominus, præbet amicos, diuitias & honores, Iupiter in primo statu cum Lampadia ante Solem, & Sol cum Venere & Mercurio. Dabit & Luna, & Iupiter filios pauciores etiam filias. Erunt autem inclyti, sed debiles tamen.

Forma corporis est gracili, flaua, masculosa, rariore cute, capillis mediocribus, oculis decentibus, cæsiisque. Statura procera, hirsutus, rubescens satis ob Solem, pulcher, incommensuratus tamen, & anterioribus debilior, sicci temperamenti, sed in actiuis qualitatibus temperati. Caluescet cito ob id, canescetque celerius. Morietur ex morbo longo ab humore frigido cum dolore partium inferiorum, cerebro etiam causam defluxus præbente. Opificium quasi magistratus & Regis instructio à Ioue decernuntur, qui in Mercurij est dignitatibus, domo, finibus, triangulo. Cùm verò in occasu adsit Lampadias secundum latitudinem simul etiam occidat humerus Orionis sinister, erit vltima ætas cum magistratu quidem & potestate, sed onerosa & laboribus, periculis atque anxietatibus grauis. Cum Sorte Leonis dorsum, hæreditates causa mulierum significat. Cum Mercurio caput Medusæ (de circulo positionis nunc loquor, vt etiam de Sorte) significat sacerdotium & in legis administratione potestatem. Est enim de natura Saturni & Iouis. Cum eodem Procion quod naturæ sit Mercurij facit hominem studiosum disciplinarum & negotiis tractandis habilem. Erit autem talis vt maximè loco & tempori accommodare se norit. Et vltimum splendoris ac gloriæ humanæ consequentur, opinionemque sapientiæ quasi diuinæ nisi à communibus constitutionibus impediatur. Quas etiam modo euaserit maximus fiet. Coniugem tantum vnam habebit quod Luna vni tantum Planetæ copuletur. Eritque pro regione prudens & ingeniosa, quia Mercurius est qui copulatur, & bene constitutus. Itinera plura, sed breuia & commoda peraget. Erit in vniversum officiosus, grauis, liberalis, sapiens, humanus, Anglicæque gloria gentis. Apud quem diuersatus cum fastum omnem cum gloriam consultè compresserim, vt agnoscerem non agnoscerer, quod veræ felicitatis est, contemni aut negligi minimè potuit. In vniuersum cum violenti quippiam habeat Iupiter sic constitutus. Extremum malum in communi periculo patietur. Nec patietur maximum periculum absque multorum malo.

GENITVRA V.

Illustriss. Præsidis Senatus Lutetiani Ranconeti.

NOn nisi illustres geneses hic collocandas pollicitus sum. In his duabus virtus peperit dignitatem. Nam hic Præses grauitatem habet cum humanitate mira iunctam: Eruditionem cum vsu rerum. Officiosus, eruditorum amans, vt alius quisque. Et cum mediocri re familiari tantum, tamen librorum habet selectorum, vt Epaphroditum à libellis imitari videatur. Debueram per Galliam transire, sed vt video fata plurium non



solum Regis Anglici ac meum obstabant. Auidè me expectabat hic mihi admodum addictus. Adeo se humaniter gessit erga me, vt illius miserabilem memoriam deserere non sustineam. Nolebat genesim suam huic libro inseri seu ab aliis monitus, seu quòd non videret præsenti tum fortunæ respondentem. Certum erat illi metuendum magnum infortunium ob Martis cum Ioue radios oppositos, & Saturnum peregrinum in culmine cœli & luminaria in casu suo, & sub terra monuissem huiusmodi viris cautè agendum: non quod tantum metuerem illi infortunium, neque enim tum adeò præsceram, sed quod intelligerem finem futurum violentum. Peritissimus fuit Græcæ linguæ, tum Latinæ: extant ad me litteræ. Multos suscepit filios: multique ex illis in pueritia obière, accusatus demum quod propriam filiam grauidam reddidisset, tum aliis ex causis, atque in vincula ductus, obiit variò rumore: quidam dixerunt sibi desperatione ignominiæ, & exitus conscisse mortem, alij ob dignitatem qua functus fuerat in carcere strangulatum: alij publicè, sed noctu & habitu mutato traditum ignibus. Id verisimile est contigisse cum Luna peruenit ad Martem in opposito Iouis constitutum. Et tum ascendens prope quadratum vtriusque in Scorpione ascendente septima parte Libræ cum multo tempestiuior fuerit genesis, sed eò traducta adulatione, vt spica Virginis esset in horoscopi parte. Obiit vt reor 48. anno, aut 49. vt ex hoc de ascendente quisque certior fieri possit. Vir ob singulares alias animi dotes hoc fine indignus.

Vxorem & filios illustres hæc genesis pollicetur propter situm Iouis, Mars tamen aliquot occidit: Erunt autem feroces. Iuxta etiam decimumsextum annum ob Saturni quadratum, iacturam corporis passum oportet.

Ob Saturni statum & Iouis cum Marte oppositionem, omnia illi cum difficultate euenient.

GENITVRA VI.


Ioan.Iacobus Medices Principis.

Socraticum est & viri probi officium, etiam si malè ob aliquid audieris, nec virtutis studia deserere, nec à magnorum virorum laudibus abstinere. Nemo in patria sua meipso deterius acceptus est. Solum defuit iudicium publicum, quod dissimulatione vitaui. Non enim Christo miracula, non Socrati integritas, non beneficia in rempublicam Scipioni, ad mortem vitandam contra inuidiam profuerunt. Postquam desierunt vitiorum obiecta, ipsa virtus mihi vitio vertitur. Conspirationes & vulgata opinio apud improbum vulgus potentior ipsis operibus. Itaque cum tot è patritiis nostris laudaris, ne vnus gratias egerit: Externorum ne vnus sola gratiarum actione contentus fuerit, poteram ab huius etiam mentione abstinere. Sed vicit magnitudo virtutis eius, & recti apud me obseruantia fortunæ meæ apud proprios ciues improbitatem. Stet igitur factorum memorabilium memoria, quæ licet à scelere ortum habuerit, cum tam egregia virtute tamen continuata fuit, vt scelus hoc in virtutis speciem transierit. Stipabat Hieronymi Moroni latus, ab eo addictus est ad necem illustris viri Hestoris vicecomitis, peracto facinore amandatur in arcem Musi, ea mente, vt regendi facinoris causa, & ipse cum aliis complicibus interficeretur. Cumque nesciret litteras, aperit tamen epistolam, à socio legi iubet, intelligit se asseruandum & quorsum, sublato sigillo alias fieri curat, quibus imperatur, vt præfectus arce commissa ei, statim se Mediolanum conferat. Inde inductis sociis, ita strenuè eam tutatus est modo aduersus Noricos, modo Mediolani Ducem, modo Cæsaris Præfectos, vt summi Ducis, strenuissimi militis, maximi Imperatoris nomen & opinionem meruerit. Inde multis præliis victor Cæsari reconciliatus, Prorex in Boëmia

Motus		Stellæ inerrantes
Sol	Velox	
Luna	Velox	cum corde Scorpij
Saturn.	Velox	
Iupiter	Velox	coascendit lucidæ coronæ Aust.
Mars	Velox	conscendit Dex. Hum. Aurigæ.
Venus	Velox	cum tribus stellis Par.Mar.Mer.
Mercur.	Velociss.	coascendit Alæ Pegasi.

creatus est. Demum aliis expeditionibus interfuit, non sine maxima authoritate, & rerum gestarum gloria.

Obiiciet forsan quispiam scelus primum, sed quis è priuato in principatum absque scelere euectus est? Quid egit C. Iulius Cæsar? nónne patriam prodidit? Quid Sylla cum suis proscriptionibus, vt Dictator euaderet? Quid Marius? Quid Franciscus Sfortia primus? Nónne eos prodidit à quibus



in exercitus ducem electus fuerat? Nemo ad primos gradus dignitatis ascendere, nisi duce scelere potuit. Ianitor hic est primus, quem si virtus & fortuna sequantur ad Principatus via patet: Si alterutra deferat, ad pœnas poscuntur. Sed hic minimo scelere virtute summa rem egit. Etiam pietatis officia non neglexit. Vt quæ patrauit mala necessitate potius, quam voluntate fecisse videatur. Mars igitur in ascendente velox & coascendens dextro humero Aurigæ naturæ Martis, & Mercurij, & in sextili Solis, & Mercurij quadrato Veneris, trigono Iouis, Iupiter quoque dominus loci Lunæ, & Mercurij, faciunt promptum, fortem, sagacem, magnanimum. Cúmque omnes Planetæ sint aucti motu, significant expeditum in negociis non hæsitantem. Cum verò supra terram etiam omnes, illustrem & omnibus cognitum. Ex his duobus maxima felicitas designatur. Luna cum corde Scorpij & in opposito absidis facit violentum, terribilem, crudelem, rapacem, incredibilia audentem, dolosum, ambitiosum, suis viribus confidentem. Et quia est in quadrato Mercurij erit prudentissimus, Cúmque in vltima quadra in occidente in Solis quadrato in sextili Veneris, & Venus in cœli medio coniugium serotinum cum muliere prædiuite & ex Principum prosapia, cum qua tamen parum conueniet.

Cumque Venus in cœli medio sit in dignitatibus Saturni, & in Martis quadrato. Multa & magna circa actus Venereos significantur cum læsione genitalium ex ferro. Atque hoc, vt audio, illi contigit, & reliqua etiam in suspitione fuerunt.

Aphetam vix pronuntiare audeam, Sol in finibus duodecimæ in fœminino, Luna octauæ in masculino signo, dicemus ascendens esse cum auxilio reliquorum aut Sortem etiam. Diuitiarum autem ratio constat cùm Venus & Luna potentes sint, Iupiterque in imo circulo cum lucida Australis coronæ. Saturnus cadens in duodecimo loco, & Mars cadens dominam ascendentis quadrato respiciens carceres & vulnera

vulnera significarunt, quæ omnia passus est & euasit. Carcer fuit cum ascendens ad radios Saturni sextiles peruenit: Ex quo Genitura verificari potest.

Honores, potentiam, magistratus, & principatum semper retinebit, ob astrorum non solùm consensum, sed virtutem. Dignitates enim sudore & præstantia acquisitæ, non nisi cum morte relinquuntur.

Pro quo sciendum est quod triplex est exaltatio, à virtute, & præstantia, & hæc fit ab aspectibus erraticarum, à fortuna & casu, & hæc fit à situ Planetarum in angulis & in comparatione ad Solem, à prudentia & consensu, & hæc fit à Planetarum dominio in locis in quibus sunt. Iuuantur hæc omnia à fixis & aliis dispositionibus: Sed hæc tria sunt principalia, nec plura sunt, aut excogitari queunt.

Est etiam illud consideratione dignum, quod omnes Planetæ sunt in initiis signorum præter Saturnum, & ob id etiam plerique in finibus beneficarum. Quo factum est, vt pericula & insidias euaserit, & alacrior ad negotia semper fuerit.

Mors erit cum Luna ad Saturni quadratum peruenerit iuxta 61. annum ex longo morbo, obiit autem 19. ni fallor acuto morbo, sed diu tamen anteà conflictatus. Periculum vitæ & homicidiũ, & perturbatio fuit cum Luna conuersa directione simul ad Occidentis lineam & Martis oppositum peruenit.

Scientia mensis & diei in vno quoque negotio.


Annum ex directione & processu, ingressuque vt dixi habebis. Mensem autem & diem cum Sol super locum Planetæ interficientis transiuit in mense congruenti: Aut Luna super locum directionis: Aut significatores per circulos completos ad sua loca aut semicirculos ad opposita redierint. Vel cum significatores ad promissorum, aut promissores ad significatorum loca redierint. Vel cum duæ causæ concurrentes in vnum fuerint. Vt iter, honor, lucrum: Ex itinere honor, ex honore lucrum. Vidisti exemplum in quarta genesi cum adeptus est prouinciam docendi Regem, quod Sol super locum promissoris transiit: Et in octaua videbis in diuturno itinere.

Quod si reditus Solis ad loca conuenientia non solum in propriis genituris, sed locis communibus nihil faceret ad effectuum perfectionem, non iisdem anni temporibus plerique recurrentibus annis in morbos inciderent: Nec plures morerentur mense Augusto quàm Maio.

GENITVRA VII.

Cardinalis Sfondrati.

INter duas amicissimorum geneses nostram collocare libuit, à quarum altera initium status nostri cœpit, ab altera suscepimus incrementum. Sed non ob amicitiam tantum, verum ob insignes casus potius illam interposuimus. Hic primum priuatæ conditionis vir, Patauij anno trigesimo Ius ciuile cœpit profiteri non mediocri cum laude. Post paucis admodum annis à Francisco Sfortia Mediolani Principe in Senatum asciscitur. Nubit, procreatque masculos filios duos octimestres, qui quamuis ægrè superuixêre, fœminas quatuor, atque hi omnes adhuc supersunt.



Mortuo Principe, cum rem possideret Cæsar, inter eos qui consilij sunt secretioris eligitur. 46. anno vxore mortua, præficitur Senarum custodiæ, ibi mansit 18. mensibus maxima cum laude: quod apparuit succedentibus magistratibus, cum nemo sine nota rem administrauerint, alij etiam cum vituperatione. Anno 49. Romam pergit, fitque Episcopus, inde statim Archiepiscopus, inde Cardinalis. Sub fine anni 1549. moritur Pontifex Paulus tertius, certatur de eligendo Pontifice, parum abfuit quin in locum demortui crearetur. Fuitque hoc anno 56. ætatis sub initio. In fine eiusdem æstate, scilicet succedente seu longo morbo, seu tædio, seu, vt quidam volunt, veneno tabifico, extinctus est. Nonne hæc historia admirabilis est & rara?

Fuit procera statura, & liberali forma, obœsus & rubicundus, comis, elegans, lætus, sapiens admodum & eruditus. In negociis præterea cautus, prudens, promptus, & efficax. Ludo & cum grandi pecunia delectabatur. Iracundus & aliquantulum præceps. Fato credebat & Sortibus Vergilianis, quas sæpius veras se expertum testabatur. Maiores sui non diuturnæ vitæ fuerunt, sed circa eandem ætatem obiêre. Ob quæ minus cautus & diligens circa vitam fuit. Nunc singula disquiramus. Sol igitur cum luminosiore lancis meridionalis & in trigono Saturni & coniunctio illa Veneris, Iouis & Capitis, significabant quandoque futurum maximum in religione & sacerdotio, multiplicesque dignitates. Cum igitur Sol peruenit ad secundam partem Capricorni, vbi erant radij quadrati

Iouis, & Veneris, & Lunæ trigoni, & Saturni sextiles, factus est Cardinalis anno ætatis 52. Et quia erant multi Planetæ propinqui situ secundum numerum graduum ideò habuit omnia magno cum successu: Eodem fermè tempore cœli medium peruenit ad Solis sextilem, & Iupiter dominus cœli medij ad Solis corpus, ideò tam multiplicem felicitatem significauit. Ex hoc patat quod multiplex felicitas significat subsequentem inanitatem & calamitatem. Quia multiplex felicitas breui temporis spatio indicat occursum locorum principalium beneficis radiis & corporibus, quibus exhaustis succedit inanitas: Inde cum sint in similibus habitudinibus significatores ad promissores, verendum est, vt simul occurrerunt amicis radiis, occurrant & simul hostilibus. Et si quis dicat quomodo erunt hi qui perpetuas & multiplices habent felicitates? Respondeo quod hi habent validam radicem: Et in his sufficiunt processus & ingressus absque directionibus. Sed in hanc cum nihil maximi vsque ad 46. annum ei aduenisset, tam frequens dignitatum successio necessariò fiebat ex concursu directionum, quare suspicione ea felicitas carere non debuit.

In initio eiusdem 49. anni, vt Sol Ioui directione commiscebatur, ita Iupiter ad locum Solis per ingressum deuenit.

Spica Virginis in ascendente præstat leporem magnum in dicendo & scientiam eorum, quæ ad nostræ religionis sacra, arcanaque pertinent.

Luna fuit cum stella exigua iuxta Leonis dorsum naturæ Veneris & Mercurij, gratiamque præstat & sapientiam in administrandis negotiis.


Cum Ioue autem & Venere stella eiusdem naturæ cum supra scripta tertiæ magnitudinis valde potens, vnde si superuixisset, donec ad trinum Iouis peruenisset Sol, Pontifex creatus fuisset. Alias quoque dignitates esset consecutus.

Concordia nostræ genituræ cum sua fuit, quia Mercurius fuit in Eudæmone meo, vbi Venus, Mercurius & trigoni radij, Saturni & ascendens suum iuxta locum Solis.

Corporis proceritas & obœsitas fuit propter Venerem cum Ioue iunctam, & Venus erat ascendentis domina, & Iupiter in abside, & vterque in signo calido & humido.

Declaratio annorum, mensium, dierum, horarum, per exemplum.

Cum hoc opus perfecissem, contigit II. mensis Augusti, vt fabrum lignarium qui præ tristitia ægrotaret curarem. Cumque causas tristitiæ percunctarer inueni nudius tertius filium bimum vnicum cecidisse ex tabulato, confestimque distractum & mortuum. Existimaui oportere aliquid in genesi clarius esse, quod hic nulla generalis calamitas causa esse posset. Habito tempore diligenter & erecta figura, de causa & anno statim constitit, Luna discedens ab opposito Martis, Saturno retrogrado applicabat domino octaui loci & in octaua. Et Sol Apheta cum Mercurio in Capite suo



sub ecliptica matutino occidentali & domino octaui loci. Beneficæ ab vtroque luminari omnino remotæ, & maleficæ cum Luna in signis fixis. Et ideo significabant mortem per casum & ruinam, & ita vtrunque fuit. Dissoluta enim tabula & auulsa simul collapsus est. Habes causam.

Annus erat tertius aut quartus ex directione, sed seu Saturnus esset paulo magis retro, seu Luna ante, omnino in tertio anno in initio fuit processus loci Solis Aphetæ ad locum Martis & oppositum Saturni & Lunæ. Ex quo Sol à Saturno & Luna affligebatur. Et tunc Luna fuit infelix in Scorpionis initio & Mars in 29. Leonis, & Iupiter in 27. eiusdem Lunæ locum oppugnantes in radice. Habes igitur annum.


Mensis & dies habentur simul cum Sol, Luna & Mercurius, Sol in 26. Luna 27. Mercurius in 25. Leonis parte fuerunt. Die 9. Augusti anni tertij, scilicet 1553. Quod si Sole ibi transeunte non adfuissent Mercurius & Luna, oportuisset expectare congressum Lunæ & auxilium maleficarum. Sed hic casus claram habet causam. Habes mensem & diem. Hora fuit quinta exacta à meridie, initium mensis fuit die 19. hor. 12. Iulij completis: residuum igitur ad diem & horam, casus dies 20. hor. 17. Ascendens dierum die 8. August. hor. 1. mi. 8. ante meridiem, locus ♂ & ☊, ☾, ☿ vncti, & ingressus ad oppositum Saturni & Lunæ radicis peruenerat. Ascendens autem processus horæ locus ipsemet Lunæ & Saturni tot modis infelix. Oportet enim pro hora considerare maximè ascendens, quia solum ascendens etiam in singulas horas mutatur. Horâ igitur casus Sol, Luna, & Mercurius in illius opposito erant. Habes, igitur horam. Ex hisque omnibus euidens veritatis artis argumentum, secretumque maximum. Quod si libeat habere etiam momentum, habebis & illud eadem ratione. Solis enim locus in oppositum Lunæ, id est, Leonis partem 20. per processũ commutatus fuit.

GENESIS

GENESIS VIII.

Hieronymi Cardani Medici & expoſitoris huius operis.

POllicitus fueram ſolum illuſtres hic poſitarum genituras, quod etiam hucuſque præſtiti. Verum quod noſtram adiiciamus meritò nos quiſquiam leuitatis accuſabit: Cùm non fortuna tantum à qua nos longè abſumus illuſtres, ſed etiam caſuum varietate qua nulli noſtra ſecunda eſt, deſcribere propoſitum fueris. Nec ſi talis non eſſet adhuc omittenda foret, quoniam ad amuſſim adeo perſpecta eſt, vt ſimile exemplum non facilè inuenire queas. Comprobata etiam eſt editione præcedente cum iam decennio exacto multa publicè prædicta ſucceſſerint, eorum quæ non eſſent præuiſa nihil. Adeò verò quæ tota vita euenerunt huic figuræ exactè congruunt, vt hiſtoriam potius quàm prædictionem & ex ſtellis decretum ſubieciſſe videar. Itaque vt ab omnibus præcedentibus fortuna ſuperatur, eò omnibus illis caſuum varietate admirabilior eſt. Primum quidem ex patre ſene & qui nullos alios liberos dicitur antè nos procreaſſe. Deinde per vim ex vtero cum iam triduo in partu laboraret mater, vt illa ſeruaretur pro mortuo extractus ſum. Reuiuixi lauacro vini. Capillatus antequam natus, inditium ærumnarum mecum tuli. Ater enim capillus prælongus ac craſſior naſcenti mihi fuit, vt mater ipſa narrabat. Prima infantia peſtem ſenſi maximum malorum inde aquam intercutem: demum octauo anno dyſenteria ad mortem deductus, præter ſpem ſeruatus ſum. Ab eo tempore cum nunquam vel vnam diem valetudine firmus, & ſine dolore duxerim, nihilominus per 44. annos ſequentes vix toto triduo, & ſemel tantum in lecto morbo oppreſſus decubui. Totque labores ac difficultates paſſus, anno exacto iam penè quinquageſimo ſecundo robuſtior quàm in pueritia, vel iuuenta vnquam fuerim. Frigidus vſque ad 30, annum ex toto, abinde ſalax effectus præter omnem ſpem multos procreaui filios. Nulli enim aduerſa minus nocuerunt, aut ſecunda profuêre. Nec cuiquam mortalium, vt exiſtimo tot inſperato aut bona, aut mala aduenêre. Adeò vt nihil optatum præter medicinæ lauream & cooptatinem in collegium Medicorum, atque eam nonniſi cum omnino deſperata eſſet conſecutus ſum. Aſpernanti verò reliqui honores vltrò dela,i: Primus profitenti locus in academia, Pimus locus apud Reges vocant Archiatron, familiaritas & amicitia Principum plurium, honores à ciuitibus publici, memoria noſtri multis eruditorum virorum momentis celebrata: Quæ omnia multò minus quæſita, quàm recepta. Solum profitendi munus ſuſcipere potius coactus ſum, quam ſponte ſuſceperim. At contra quorundam quæ diligentius quæſiuiſſem, atque his longè minorum repulſam paſſus ſum. O quoties viſus in profundo miſeriarum, me communi, ſolabar, cum ſubitò vnde non ſperabam auxilium effulſit. Quoties ab amicis deſertus ac proditus, ab incognitis adiutus ſum? Quoties magna mala ingens bonum peperere mihi: Vt contraria ratione ex magnis bonis ingentes mihi ortæ ſunt calamitates. Cùm in iuuentute inſanum me prædicarent, occaſionem ſcribendi & gloriæ, quantulacunque eſt, præbuerunt. Et nunc quot me colunt, qui non ſolùm contemnebant, ſed egregiè oderant. Toties per calumniam accuſatus, nunquam tamen exilij aut carceris pœna intentata eſt, cùm tamen penè crucifigendum conciues mei, quibus nihil veritate ipſa grauius eſt ac voce libera, clamarent. Simili felicitate vſus cùm inter tot inimicos & inuidos, nemo vnquam lædere me potuerit. Et vbi naturalis prudentia defuit, euidenter per ſomnium monitus non ſemel maxima pericula euaſi. Nec qui intentarunt inulti vnquam euaſere. Toties etiam edoctus quæ conſcribere debueram ſingulari curæ cuiuſdam potentioris fuiſſe perſuaderi poſſem. Diuitiarum & gloriæ contemptor fui: Et quæ alij fugiunt, adeò non horrui, vt quod vix credi poteſt, credi tamen debet, quoniam nunquam me mentitum eſſe memini, inter acerbiſſimos podagræ dolores quod ſolum mihi reſtat malum, voluptatem ex dolore capiam. Quod quomodo contingat neſcio, niſi quod perſæpe diſſecta carne cum vngue policis ſiniſtri finire ſolitus eram eam corporis moleſtiam, quæ me quotidie affligebat, voluptate & ibi ex ardore percepta. In ectaſim quotiens volo tranſeo, nec mutato vultu, nec moto corpore, ſed quodam interiore neſcio, quo ad imperium voluntatis commoto aut tranſmutato. Cumque in intentione multarum rerum felix fuerim, plura ſcripſi quam legi, docui quàm didici. Iuuatus à numine non obſcurè: cui etiam omnia tribuo. Denique fuit tam atrox malum ætati noſtræ, turpe patriæ graue, publica, mors optimi ac generoſi filij, in qua maius eſt, etiam tuliſſe me, & tanta poſt conſcripſiſſe, mutaſſe regionem & celebriorem factum eo infortunio, quò reliqui omnes breui conciderunt. Hinc tot edita plura ſcripta, multò plura inuenta,



inuenta. Hæc omnia si colligas, digniorem ad exemplum facere genituram possunt, quam Crœsi diuitiæ. Non enim felicitatis imaginem quærimus, sed earum rerum quæ maximæ vnicuique contigêre, seu bonæ, seu malæ. In quorum genere multa sunt hic inde in nostra genitura. Sunt & alia permulta admiratione digna, quæ in explicatione genesis scribentur.

Stellæ inerrantes in locis principalibus.

Iupiter ob latitudinem ascendit cum horoscopo fermè, & lucida fusionis. Aquarij magnitudinis primæ naturæ Veneris & Mercurij.

Cum corde cœli est Vultur volans secundæ magnitudinis naturæ Iouis & Martis.

In occidente luminosior lancis Meridionalis secundæ magnitudinis naturæ Mercurij Martis.

In imo cœli fermè Canis minor seu Procyon magnitudinis primæ naturæ Mercurij.

Sol cum vltima alæ sinistræ Virginis magnitudinis quartæ naturæ Mercurij & parum Veneris.

In hac figura sequutus sum diuisionem domorum antiquam, propter causas superius adductas.

Motus		Latitudines		Differentiæ			Rectæ		Hor.	Tem.
♄	Retrog.	M	D	1	40	♄	150	57	19	5
♃	Retrog.	M	D	2	0	♃	101	26	17	5
♂	Tardus	M	A	0	36	♂	140	0	18	53
☉	Velox					☉	80	0	op. 15	40
♀	Velox	S	D	0	52	♀	91	37	op. 16	30
☿	Retrog.	M	A	2	36	☿	91	33	op. 16	30
☽	Velox	M	A	4	20	☽	53	23	13	5
Coniunctionis luminarium natiuitatem præcedentis locus 28.48.♍.						Cœl.M.	289	45	0	0
						Ascen.	104	5	17	15
						Sors	77	4	op. 15	30

Luna ferme cum Capite Medusæ magnitudinis secundæ naturæ Saturni & Iouis in circulo positionis.

Mercurius in imo circulo positionis cum stellula de natura sua & Veneris.

Saturnus cum dextro humero Orionis magnitudinis primæ, & cum dextro humero Aurigæ magnitudinis secundæ, ambabus naturæ Martis & Mercurij. Et cum stellula de natura Martis.

Fuit etiam conceptionis tempus cognitum iuxta dictum matris, & fuit anno 1500. die 28. Decembris, horis 11. mi. 30. à meridie & tunc cœlum sic se habuit.

Cœli medium	10	♋	
Ascendens	8	♎	
♄	0	26	♊
♃	24	1	♓
♂	14	0	♐
☉	17	27	♑
♀	0	18	♐
☿	26	0	♑
☽	3	42	♉
Sors	24	23	♑

Dies fuêre 270. ad vnguem, de hora non admodum certus sum, locus Lunæ hic fuit locus Iouis, & ascendentis cum nascerer, & Venus in Saturni aspectu erat. Et Mars in opposito loci sui in natiuitate. Et forsan horoscopus fuit locus Solis hora natiuitatis, & pars fortunæ rursus sub Solis radiis.

De parentibus.

Superius explicaui patris genesim è nostra extractam, non est, vt præter morem quicquam repetam. Obiit longo senio 28. Augusti 1524. prout ex directione Lunæ ibi liquet, ad Solis oppositum. Annum ex processibus, & mensem ac dies venaberis. Cæterùm cùm Saturnus esset in trigono Veneris, significauit longam vitam pro ætate in qua iam erat constitutus Et similiter quia fuit in suis dignitatibus, & quia Mercurius erat in Saturni trigono, & ipse Saturnus in Mercurij dignitatibus, significauit ingeniosum. Et Mars in trino Solis dignitatem cum parua vtilitate, nam Mars erat peregrinus & quasi stans, & Sol ab altitudine cadens. Cum verò Luna illi esset in cœli medio sub radiis Martis quadratis, significauit labores multos irritos, quibus conflictatus est, & vitam debilem. Cumque Sors esset infelix, significauit pauperiem & labores. Et per hæc omnia transiuit. Verùm quia propriam illius genituram habeo, ideò illam maioris claritatis gratia subiiciam.

Stellæ inerrantes in præcipuis locis.

Ascendens cum Apolline magnitudinis secundæ naturæ Mercurij, & cingulus Orionis coascendit naturæ Saturnæ & Iouis.

Sol cum Asino magnitudinis quartæ naturæ Solis & Martis.

Saturnus cum pede boreali Cancri magnitudinis quintæ naturæ Saturni & Mercurij.


Iupiter cum stella extra formam Cancri magnitudinis quartæ naturæ Saturni & Mercurij.

Mars cum stella magnitudinis quartæ naturæ Mercurij & parum Veneris.

Venus cum eadem, cum qua etiam Saturnus.

Insignis pietas me admonet, vt eius haud obliuiscar. Præsertim quod hæc genitura multa

multa præclara habet, & eius cognitio ad nostræ intelligentiam non parum faciat.



Quia Sol fuit vitæ significator & cum Ioue, & Venere, & in Leone, ideò habuit robustam & incolumem vitam. Vixit donec Martis quadrato Sol occurrit in Libra, vbi vterque cadit in finibus Saturni: annis 79. expletis mortuus est 28. Augusti 1524. Ideò decrepitus, facilè à Martis quadrato superatus morte lenta. Saturnus enim finis ad quem ascendens peruenit dominus erat, & Saturnus sub radiis Solis erat. Patri quoque eius diuturni vita significabatur ob Solem, superuixit annis 27. vixit autem 86. Matri non ita, quia Luna & Venus erant infelices. Ex quo patet quod propria vnum significat & vitam robustam, nostra aliud & debilem: & tamen concordant, quia genitus ego fui illo. 56. annum agente & paulò pòst amisit dentes.

Et quia Sol fuit cum Asino & Luna infelix in sexto loco in via Lactea, habuit oculos albos vt felis, & paruos lucentes in nocte, non procul videbat, attamen vidit absque perspiciliis. Quia verò Saturnus fuit combustus & in Cancro, significauit amissionem omnium dentium: superuixit tamen annis 21. ab hoc casu. Et forsitan quod stellula illa cum Saturno aut Asinus cum Sole aliquid contulit ad calamitatem. Cæterùm pulcher, nam ascendenti & Lunæ loco præficiebatur Iupiter & Luna. Ideò fuit candidus, rubeus, carnosus, moderatus.

Et quia Venus erat infelix cum Sole & Saturno, ideo anni 23. bibit Auripigmentum album, vocant Arsenicum. Et anno 59. venenum tabificum, & euasit, amisit tamen, vt dixi, omnes dentes, quia ex priore veneno quo socij omnes periere concussi sunt omnes dent es, & semper postmodum fuère inualidi. Cæterùm sanus, vt dixi, nisi quòd deerat subiectus perpetuò cordis palpitioni.

Et quia Luna fuit in via Lactea, fuit paululum turbido & hebeti ingenio. Sed quia Luna Mercurium trigono radio aspiciebat & fuerunt ambo in Iouis dignitatibus, fuit eruditus Mathematicus, Iurisconsultus, medicinæ non imperitus, occultarum disciplinarum maximus professor, adeò, vt familiarem spiritum tenere fateretur. Hoc contigit quia Luna erat in sexto loco in Sagittario. Fuit præterea humidi cerebri ob Lunæ imbecillitatem, & debilis ventriculi ob Veneris cum Saturno congressum, & maximè in Cancro.

Quod ad mores attinet, Iupiter dominabatur loco Lunæ & Mercurij, nam Sol non recipit dominatum: Et quia Iupiter erat cum Sole & in domo eius debilissimus, significauit virum integræ bonitatis atque iustissimum, abiectum tamen & animi deiecti. Sed cùm Sol esset cum Saturno infelici, fecit timidum, agrestem, neglectorem rerum, ancipitem in omnibus rebus, nihil perficientem, seruilis animi, rigidum, suos negligentem. Et quoniam Sol recipit dominatum ob Iouis debilitatem, fecit publicarum rerum cupidum, & qui res generales & negotia Principum scire cuperet. Ob id etiam sæuerum & veracem. Et quia Iupiter dominabatur, faciebat studiosum, & Saturnus cum Venere facit amatorem laborum, attamen pigrum, cùm vterque sit cum Sole. Sed cingulus Orionis horoscopo coascendens, & Apollo in eo fecerunt, vt laborem studiorum absque incommodo perferre posset. Et ita fuit studiosissimus, si quis vnquam mortalium: Et certè dicam bona venia cum exiguo fructu pro tantis laboribus. Diuitias exiguas comparauit, quia Sortis dominus erat Iupiter Soli commixtus, sed sub radiis atque occidentalis: nihilominus vterque eorum trigono radio respexit ascendens. In iuuentute igitur aliquid parauit. In senectute autem relicta aduocatione & iudicandi officio, solumque profitendo intentus, iuxta decreta genituræ meæ seruauit solum, quæ parauerat, quod per geniturам meam quæ pauperiem indicabat, exequutus est. Siquidem vt visum desolata Sors patris in Scorpione, cuius dominus erat Mars, & ipse peregrinus in trigono Solis peregrini, nihil reliquum fecit ad lucrum, nisi exiguum stipendium publicum, quod à Sole decernabatur. Ita vides quomodo dissimilia ad similitudinem reducantur. Pari ratione patris genitura propria est quarti status, quo factum est, vt in iuuenta esset vitæ, necisque dominus, cum esset procurator fisci (omnia enim ad consuetudinem loci sunt referenda) sed post natiuitatem fuit sexti status, amotus ab omni officio & dignitate in posterum, præterquam à profitendi munere. Ita vides concordiam vndique. Vxorem vix duxit ob Lunam aflictam, & eam in senectute, quod Luna esset in occiduo quadrante secundo post coniunctionem & in fine eius, ideoque in senectute. Significauit & conuictum perpetuum ob Venerem cum Saturno positam. Sed & vnicam, nam solum Mercurium Luna aspexit, nulli alij applicans, & à nullo recedens. Sed quò ad filios occupati erant, Iupiter & Luna quæ filias duas dabat. Venus ergo orientalis & masculino Planetæ coniuncta, & cœli Medio configurata loci que domina filium promisit. Et vix victurum ob Saturnum succedentem, iuuabatur tamen locus etiam à Lunæ quadrato, quæ succedebat Saturno & in loco dignitatem habuit. Alios habuisse filios qui obierint ipsa genitura demonstrat, me solo diu post etiam illius

 mortem

mortem superstite. Concordia verò inter genituras fuit, quoniam locus quadrato Iouis in vndecima fuit mihi ascendens, & locns trinus Veneris in cœli Medio iuxta locum Lunæ mihi, & Venus largitrix filiorum denuo Saturno configurata. Atque hæc de patris genitura. Pro matre autem posui, quia na-



tiuitas nocturna erat, Lunam pro ascendentis loco. Et fit Sol vitæ significator, & iuxta 20. annum conuersa directione peruenit ad occidens, & Lunæ oppositum, & Martis quadratum, & correpta fuit sæpius hysterica passione ad mortem vsque. Demum direxi rectè Solem ad Martis oppositum, & peruenit ad eum in fine 36. annorum, & tunc mortua est. Et quia Mars respexit ascendens, & Lunam quadrato aspectu, significauit ipsam esse iracundam & in facie lædendam, & ita bis læsa est, primùm, dum puella esset præciso ex mento antiace pestilenti. Deinde igne fortuito dum agerem ego 16 annum: Et Saturnus fuit imo cœli, & Sol in angulo cum Venere & Mercurio, & significauit maiorem existimationem illi quàm patri. Et quia est mulier non amplius me extendo, nisi quod fuit ingeniosa, sapiens, liberalis, proba.

De fratribus & sororibus.

Mater igitur morbosa ob Martis quadratum, qui cùm esset stans, non potuit occidere: Iouis verò sextilis longæuam ostendit: At Venus Saturno per trigonum configurata patri vitam longam decernit, non tamen adeò vt matri, quòd Venus per se robustior est Saturno. Luna verò & cœli medium quod alter locus à Ioue, alter à Venere & Mercurio respiceretur, fratres duos & sororem vnam ex eadem matre significabant. Erat mihi frater Thomas annorum 13. soror Catharina annorum octo, frater eius Io. Ambrosius annorum trium ex priore coniuge Antonio Alberio: hi omnes post annum spatio dierum 40 perierunt, quod illorum genesis cum generali pestis, quæ tunc sæuiebat constellatione, consentiret. Hoc vt existimo matris causa, nam & ego peste afflictus sum, Et mater ipsa cum puella esset eodem morbo correpta fuit. Debiles autem erant, tam qui à Luna, quàm qui à cœli medio significabãtur, & ob id omnes periêre, non tamen tã debiles, vt circa generalem calamitatem non superuixissent. Alius præterea ex vtroque parente genitus frater, qui nascendo periit.

De sexu.

In ascendente fuit Planeta masculinus, & Luna in quarta masculina, & Sol in signo masculino, & quarta masculina & Iupiter orientalis: ideò inclinabat hæc genesis potius ad sexum masculinũ, quàm fœmininum. Præsertim quòd Venus domina cõmunis omnium locorum, & quæ colligit suffraga, est in signo masculino, in quarta masculina iuncta, & in aspectu planetarum masculinorum.

De numero.

Loca tria dicta principalia fuerint maiore ex parte in signis vnius figuræ, non fuit commistio corporum in bicorporeis, necesse igitur fuit vnum esse.

De specie.

Non fuisse monstruosum clarum est, cùm nulla malefica sit in angulo.

De educatione.

Educari cum difficultate ostendit Luna sub radiis maleficarum, & ambo luminaria ab angulis decidentia. Quia tamen benefica in principio & vero tempore, est in angulo, & Luna in fine exit è duodecimo loco, & luminaria sunt in finibus & dignitatibus beneficarum, & nulla malefica fuit in angulo, quamuis ex vtero violenter extractus, quamuis semimortuus, quamuis peste intra paucos menses correptus, euasi tamen satis leuiter, tametsi idem Mars, qui Lunam principaliter afflixerat, supra Solem eleuaretur.

De vitæ spacio.

Luna, vt dixi, est in vndecimæ domus medio in suo trigono plena luminibus, ideò est apheta, nec considerem in hoc: sed ex duobus claris indiciis octauo anno cum applicuit radiis quadratis Saturni penè perij: cùm autem ascendens applicuit ad corpora Martis & Saturni peregrinorum & retrogradorum, & nullam in horoscopo habentium dignitatem, & cum radiis Lunæ quadratis, & Solis infortunati non apparuerunt, nisi pericula mera, cùm tamen etiam esset annus maximè pestilens. Et hoc ideo contigit, quia ascendens non erat apheta, & Luna erat tum Libera, & forsan reditus fuerunt validi, ideò patet causa periculorum irritorum, cùm affligitur apheta, non primus & ille se benè habet. Et ob id errarunt omnes Astrologi in diiudicando de vita mea, & ego cum illis, & quærebam nugas, vtpote quòd essem è genere diu viuentium, cum causa esset manifesta. Et hic error fuit causa magnorum malorum mihi: ideò præstat nescire, quã nõ rectè intelligere artes. Et si quis dicat quid Luna nocuit, quia erat domina ascendentis, non quia Apheta.

Dico

Dico quod nõ potuisse superuiuere adeò afflicto ascendẽte. Est ergo domina ascendẽtis, & eam aspiciunt Iupiter & Mars domini loci, & ipsa etiam loci domina, & præter id in diuisione vndecimæ domus, atque in eius medio facta iuxta rationem motus diurni, quæ est vera non circulorum positionis, qui sunt imaginarij, & solum subseruiãt directioni, & non statui Planetarum, nec sunt de natura orizontis, nam hic circulus est verus circulus, & habet vim naturalem, quia stella primum effundit radios ad terram illius regionis.

Direct.Me.Cœ. G.M.	Direct.Solis. G.M.	Direct.Ascen. G.M.	Direct.Lun.duplic. G.M.	G.M.	Direct.Sortis G.M.	Direct.Sortis G.M.
♃□ 16.1	♂△ 0.5	☽* 3.7	♄□ 6.20	7.20	☉ Cor. 1.49	☉* 42.34
☉△ 23.6	♄△ 6.3	☉△ 25.11	☉☍ 17.20	31.42	♂△ 1.54	♂☍ 43.13
♂△ 24.5	♀☿ Cor. 7.6	♂ Cor. 26.7	♄* 24.44	39.42	♄△ 7.52	☽□ 43.34
♄△ 34.6	♃☍ 13.3	☽□ 27.0	♀☍ 25.47	40.52	♀☿ Cor. 8.55	♄☍ 52.54
♀☿△ 36.2	☽△ 18.38	♄ Cor 36.5	♃ Cor. 33.6	48.46	♃☍ 14.52	♀☿* 54.35
♃* 46.1	☉* 40.45	♀☿△ 38.1	♂ & ☉ △ &		☽△ 20.7	♃△ 64.45
♂□ 53.8	♂☍ 41.24	♃* 49.4	□ Prop. 64.32	81.50	* Prop. 40.45	☉□☽*
☽ Cor. 54.1	☽△ 41.45	* Prop. 52.6	♄ Cor. 47.37	92.7		♂☍ 72.2
* Prop 60.4	♄☍ 51.5	☉□ 57.10				
♄□ 63.2	♀☿* 52.46	☽△ 59.0				
☿♀☍ 65.0	♃△ 62.56	♀☿□ 73.5				
	☉□☽* &					
	♂☍ 70.13					


Quo tempore Saturni quadrati radices peruenit ad Lunam in fine octaui anni; & fuerunt planetæ, vt vides afflicto vtroque luminari maximè Luna & Venere etiam cadente, quæ fuit genituræ domina, febre &

☉	10.37	♎	♂	4.33	♐
☽	4.23	♎	♀	10.44	♏
♄	19.39	♍	☿	12.25	♎
♃	10.18	♏			

dysenteria laboraui, mirumque fuit quod descendentium ex materno auo Iacobo Micherio, qui fuerunt plusquam viginti, omnes alij interierunt. Antea mense primo ex mala Lunæ constitutione, & crassante peste correptus sum ab ea, mortuis cæteris fratribus atque sorore: similiter anno quarto ascite correptus, ob lactationem infœlicem, etiam præter spem euasi. Anno 21. laboraui rursus peste. Anno 25. in fine octaua die Septembris (erat autem finis anni,) lusi & amisi pecuniæ non modicum, sequenti die vulneraui patritium Venetum, cum in illius domo essem cum puero, & illi duo famuli, & ianua domus occlusa, cumque illi vellent inultionem domini reuellere sarissas non potuerunt: & ita timore apertis ianuis, me nil sperantem tale dimiserunt. Post hora secunda noctis, dum timeo publicam potestatem, & ex scapha in nauim ascendere prospero, cecidi in mare Venetiis: eram autem armatus lorica subtus, & natandi inscius, tamen arrepto transtro seruatus sum præter spem rursus à nautis: tam enim corpus Martis & Lunæ quadratum ad ascendens peruenerunt. Et planetæ hora reditus anni sic se habuerunt, locus

☉	10.37	♎	♂	15.19	♐
☽	21.9	♑	♀	24.44	♎
♄	1.24	♈	☿	21.27	♎
♃	14.25	♉	Proces.☽	11.40	♓
☉	10.37	♎	♂	28.3	♍
☽	17.19	♏	♀	12.54	♏
♄	15.20	♊	☿	0.52	♎
♃	6.23	♎	☊	20.43	♎

infœlix 12. ♊, & tunc Mars fuit in eius opposito, idem in quadrato Lunæ radicis & processus. Anno 27. duplici tertiana laboraui, fuerunt autem Planetæ in eo tempore vt vides. Post vbi Saturnus ad ascendens peruenit, laboraui profluuio vrinæ, vt ad centum vncias vsque quotidie mingerem. Sed & ex hoc conualui, fuit autem initium anno 36. sed nunquam tamen integrè restitutus sum. Anno 54. cum ascendens peruenisset ad nonam partem Cancri, quæ se respicit cum loco Saturni ægrotaui, quotidiana febre ad 40. dies vsque cum magno discrimine vitæ. Prædixeram futurum anno 56. Perueniet ergo ad quadratum Veneris & Mercurij in annis 72. vnde directiones obseruare oportet, vt Cæsarius faciebat.



Latitud

♄	S.	D.	2. 38
♃	M.	A.	0. 15
♂	M.	A.	0. 1
♀	S.	D.	1. 30
☿	S.	D.	2. 18
☽	S.	A.	0. 14

Ne quid etiam deesset consyderationi, subieci thema eclypsis solaris, quæ incidit in partem ascendentis mei anno ætatis meæ 38. cum iuberent Astrologi mihi timere. Nec tamen quicquam passus sum eo, nec sequentibus

tibus annis, vt dixi, quia eclypsis illa malefica non erat, nec nostræ ciuitati congruebat, nec in ascendens processus incidit, quod erat sexta pars Geminorum. Inquit enim Ptolemæus, obserua ingressus in loca processus, & Aphetarum mutationes in loca obnoxia natiuitatis.

Animaduertendum etiam, quod morbus octaui anni fuit adeò sæuus, vt post illum relictus sit sudor perpetuus singulis noctibus vniuersi corporis, vsque ad 36. annum, & tunc mutatus est in vrinæ profluuium, ideò fuit quasi naturalis, & minori cum periculo, sed etiam difficilioris sanationis. Et sicut Luna octauo anno peruenit ad □ ♄ 36. ascendens ad ♄. commutata ratione, ita ex sudore nocturno transiit in profluuio vrinæ.

Ex hoc patet, quod hi qui ante nos scripserunt, nugati sunt omnes, Ptolemæo vno artis inuentore dumtaxat excepto. Neque enim illum primò intellexerunt, nec exempla tradidere, per quæ, quod ita esset dicere auderemus, vt nostra, quæ 25. antea anno edita testantur.

De forma corporis & temperie.

Luna fuit domina ascendentis, illud etiam aspiciens: Venus præterea secundo loco domina ascendentis & Loci Lunæ: Iupiter verò dominus loci Lunæ & in ascendente: Quartum locum habet Taurus ascendens signum: Quintum, sunt stellæ naturæ Martis, & Veneris in ascendente: Sextum, locus Lunæ signum Piscium: Et septimum, Mars eum locum aspiciens. Luna igitur dat corpus vegetum, moderatum, humidum secundum substantiam & aliqualiter calidum & viuidum, ac quasi florescens. Aspectus Martis addit bilem aliquam, & colorem rubicundiorem, & promptitudinem, & patientiam ad labores, & iram aliquam. Iupiter & Venus concordant natura, sed Venus orientalis est, licet vespertina. Iupiter verò occidentalis à coniunctione, ob id facit album cum coloris commendatione non tamen magna: capillos mediocres, flauos, temperie humidiore. Circa magnitudinem, quod mater parua esset, pater mediocris, nec significatores in apogeis, aliquantulum ad paruitatem declinaui. Quod etiam natus sim parentibus senibus, fui minus pulcher & validus. Mater enim cum me genuit 37. pater 56. annum agebant. Et ob hoc etiam, & quia nodus erat in ascendente, fui maximè in ambulando aliqualiter incuruus collo, non humeris, etiam à pueritia vt senes. Cum verò signum esset vernale, & Iupiter ac Venus domini cum Luna plena luminibus, significarunt temperaturam sanguineam, & illius superfluam quantitatem. Taurus autem facit frontem prominentem à lateribus. Et quia Mars aspicit Solem & Lunam, & ipsa luminaria cadunt ab angulis, & sunt remota à fixis magnis, ideò significabant oculos paruos, ac quasi perpetuo conniuentes: Et hoc etiam erat à patre, sicut quod non haberem visum validum, vt longè prospicerem, acutè tamen valdè, & sine perspiciliis vt pater. Sed ille candidos, ego glaucos habeo. In cæteris adeò moderatus, vt cum multi cælare, fingere, pingereque me summa industria conati sint, post multos labores, temporisque haud exiguum sumptum, operam luserint. Naturale vestigium præter lenticulæ vestigium in palpebra sinistra, quasi occultum nullum habeo.

De corporis vitiis ac de morbis.

Cum nulla maleficarum in angulo sit, nec luminarium aliquod, maxima illa vitia abesse significabunt, tum maximè, quia nec in sexto loco sunt. Sed cum in sexto loco Venus & Mercurius, & Sol sint, Venerem Saturnus aspiciat, Lunam Mars, & Saturnus post radios proiicit, profectò mediocria vitia decernunt & morbos plures. Primum igitur ob locum Lunæ & radios Saturni succedentes, laboraui perpetuo defluuio pituitæ insipidæ à cerebro ad ventriculum, & hoc etiam ab vtroque parente hæreditarium fuit. Secundum fuit sudor ille nocturnus, qui inchoauit octauo anno cum Saturni radij quadrati Lunæ occurrerunt. Erant autem radij dextri. Inde huius loco vrinæ profluuium vsque in finem vitæ. Tertium fuit scabies toti corpori communis, quæ cœpit anno 24. cum ascendens ingressum fuit radios Solis & corpus Martis subiuit, vbi etiam erant radij quadrati Lunæ. Durauit annis 27. Anno 51. liberatus sum ab ea cum ascendens ad sextiles Iouis radios peruenit in Cancro. Hoc vitium significauit Luna partim Martis radiis Sole in Libra imbutis afflicta, partim Venus in sexto loco Mercurio exusto corpore copulata. Eadem coniunctio peperit quartum & quintum vitium scilicet hemorrhoidas, hæ fluxerunt perpetuò ad annum 28. demum post non, nisi per longa interualla. Et frigiditatem qua detentus fui à 21. anno ad 31. absque spe salutis, nam Venus cum Mercurio à Saturno affligebatur in Libra in sexto loco. Solutus sum cum eadem directione ad Martis oppositum & Solis sextilem, & Lunæ quadratum peruenit. Sextum vitium fuit tremor cordis à patre hæreditarius ob Solem etiam in sexta infelicem vsque ad annum 27. ætatis meæ: secreto inuento in perpetuum liber euasi cum ascendens Solis trigonos radios superauit. Accedente conflictabar, id est, postquam ad initium Geminorum ascendens peruenerat. Septimum vitium fuit podagra quam Luna in Piscibus à Marte pulsata, quadratis radiis minabatur. Eo tempore cœpit quo & Luna sextili proprio per directionem iuncta est. Distulit tamen donec ascendens ad Sagittarij signum peruenerat, & Luna ad Libram: hæc enim multis modis infausta esse superius docuimus. Cœpit igitur anno 44. ætatis meæ, qui etiam primus fuit discessus & habitationis extra patriam. Die natalitio inchoantis anni Saturnus & Iupiter coierant in 29. parte Scorpij: Luna cadebat in ♑, & Venus ac Mercurius combusti in Libra, Mars & ipse in Capricorno ad quem Luna ibat iter, & morbum secum adferens.

Cum

Cum verò cœperit eo anno quo ascendens signo Cancri applicuit, eo solum anno cessauit, quo ascendens Iouis sextili applicuit: manifestum est igitur in posterum me nunquam eo morbo penitus liberandum cum vsque in finem vitæ ascendens per Cancrum eat. Vsque tamen ad 59 annum grauius laborabo, quod ascendens ad Lunæ radios tendat imbutæ maleficarum radiis. Ita contraria ratione mitius à 59 ad 61. quod ascendens sit sub finibus Iouis, à 61 ad 69. transmutabitur in ramices, aut calculum, quod & accidit iam, quoniam Mercurius ibi fines habet. De octauo vitio & causa illius, scilicet oculorum imbecillitate, dictum iam est. Nonum vitium est lingua blæsa ob Saturnum retrogradum, Mercurium aspicientem licet trigono, tum maximè quod pater hoc vitio laboraret. Imminuitur malum Veneris præsentia & nixu ac diligentia summa atque arte: Nam vinculum linguæ ter aut quater etiam adultus incidi. Palam est autem hæc maiora esse morbis, ob continuitatem, quæ à Planetis in sexto loco positis & à maleficarum aspectu ad Lunam in duodecimo loco positam ac imbecillem prouenit: Minora tamen vitiis ob paruitatem, cum nec lumina, nec maleficæ in angulis posita sint. Patior etiam in sinistro oculo lachrymam, quæ eo anno cœpit quo & podagra. Anno 64. April. 4. Nonas cùm exiliisset è curru læsus tum in facie, sed leuiter, grauiter autem in humero dextro grauissimè in armulari dextræ manus, adeò vt syderatus manserim. Luna venerat in initio anni ad locum Martis, per processum locum illum respiciebat, Sol cum Marte, infelices ipsa erat inter Pleiadas, ipsa hora Luna, fuit in loco progressus Martis, in anni principio mensis, septimus ascendens processus, aquarij signum Lunæ loci sagittarius. Mars in ascendente & Luna, in eius opposito in Leone, omnia peregrina infortunata, sed leuiter, neq; enim ab initio in angulo fuerant, aut instabilibus signis. Erat tamen in prima statione, ascendens diei sagittarij locus, per processum oppositus Marti.

De animi qualitatibus.

Oblata erat occasio non leuis commodi, atque vsus his, qui hac disciplina delectantur, cum nulla exquisita tam aut certa, aut tam diligenter obseruata genitura vnquam fuerit. Nullius præterea animus mores, occulta facta, tam mihi exploratè esse poterant, quam mei ipsius cogitationes, cupiditates, & desideria, impetusque primi animi: Sed vt dici solet, nihil est ex quaque parte beatum: Si claustra animi non vni tantum, quod multis graue visum est, resero, non amicis solum, quod nulli penè syncerè faciunt, sed omnibus quæ cogitaui quæ occulta esse omni industria volui, si laudare meipsum aggredior, si vituperare, quam parum à præclara insania, stultitiaque abero. Si tacuero quid vtilitatis afferam studiosis disciplinæ: Vincat igitur veritatis amor & publica vtilitas, nec tam turpe mihi sit meipsum laudasse, aut vituperasse, quam decorum ob veritatis & sapientiæ studium me liuidorum calumniis, & vulgi insanientis vocibus exposuisse. Nec tam turpe est semetipsum laudare, quàm iucundum, quod iustè id facere possim: videant igitur an falsò me laudauerim. Quòd si vitia fatear, quid mirantur, nonne homo sum? Et quàm humanius est agnouisse, quàm dissimulasse. Dissimulata teguntur, agnita fatemur & fugimus. Vincat igitur veritatis amor dulcissimus: Et illius cognitio suauissima omnem infamiæ timorem, & calumniæ suspitionem. Et quamuis mores nostri sint (alia nō nobis propria) vt nec laudare citra iactantiā, nec vituperare citra amentiam posse videamur, nos hic non de moribus philosophia & educatione acquisitis sermonē habemus, verum naturalibus ac talibus quorum non puduerit Socratem dici stupidum, imperitum & intemperantem esse. Alia enim est naturalis affectio, alia studiorum & disciplinæ, qua mores vniuscuiusque instituuntur. Ne verò procemium tractatione maius sit, ad rem venio. Venus est loci Lunæ ac Mercurij domina & Mercurio multum, Saturno mediocriter, commixta. Facit igitur ad manuum opificia aptum, animo philosophico & scientiis accommodato, ingeniosum, elegantem, bene moratum, voluptuarium, lætum, pium, fidum sapientiæ amatorem, meditabundum, varia machinantem, mente præstanti, ad discendum pronum, ad officia promptum præstanda, æmulatorem optimorum, inuentorem rerum nouarum, & absque magistri opera proficientem, moribus moderatis, curiosum rerum medicarum, studiosum miraculorum, architectum, captiosum, dolosum, amarulentum, arcanorum gnarum, sobrium, industriosum, laboriosum, diligentem, solertem in diem viuentem nugacem, religionis contemptorem, iniuriæ illatæ memorem, inuidum, tristem, insidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, frequentibus calamitatibus obnoxiū, suorum osorem, turpi libidini deditum, solitarium, inamœnum, austerum, sponte etiam diuinantem, Zelotypum, lasciuum, obscœnum, maledicum, obsequiosum, senum conuersatione se delectantem, varium, ancipitem, impurum & dolis mulierum obnoxium, calumniatorem, & omnino incognitum propter naturæ & morum repugnanatim etiam his, cum quibus assiduè versor. Cum verò luminaria absint, abest illud etiam Græcè dictum τὸ πρέπον. Luna quoque luminibus aucta, nobiliorem, solidiorem, & illustriorem animum decernit, atque ob id cuncta mitigat: Et quoniam nulla stella supra Venerem eleuatur.

Quòd ad vires autem ingenij attinet, rursus Venus Saturno commiscetur, atque Mercurio: Saturnus in Mercurij & propriis dignitatibus est, vnde Venereorum assiduam cogitationem præstat, vt nunquam quiescam. Dat & constantiam in agendis. Iupiter in ascendente proficit non parum, tolerantiam addens, vnde illa magna moles scriptorum emersit. Cùm verò sint tantum tres dispositores animi qualitatum, singuli & in propriis & communibus sunt dignitatibus, quod non

leue

leue eſt. Cum verò decidant omnes angulis, ſero omnia hæc apparitura nuntiat, & minora quam ſint, cuius contrarium eſt in aliis. Fructus quoque horum ſtudiorum exiguos dant, dederunt, dabuntque pro tantorum laborum magnitudine. Vnum adiiciam quod etiam ex aſtris mihi datum eſt, vt ſcilicet gratus ſim his, qui mihi benefecerunt. Adeò verò veritatis amator, vt à decimoquarto anno ſupra mendacium medixiſſe non meminerim: Saturni præterea retroceſſus facit perpetuo cogitabundum, manſuetum, fallacem, diſſimulatorem, ſed vitia philoſophia correxit, cogitationem ſtudia auxerunt: pertinacem quoque ac miſericordem, cum Martis & Solis vis omnis abſit: Deiectum maximè, quod pari ratione Soli & Ioui nulla in hoc ſit authoritas. Cupiditatem etiam, & iniicit hæc conſtitutio omnium occultarum artium, quas aut percepi, aut vt falſas neglexi, velut chymiam & necromantiam, & veneficam ſimili ratione, cum omnes Planetæ animoſi adſint, Iupiter, Mars, Sol, fui timidus & ſuſpicione plenus, rerum exigui momenti, viliumque ſectator mimus. Nihil enim grande hi Planetæ ſignificant, præſertim ſic conſtituti. Vilem præterea & abiectum occidentales ſignificatores timidum, ſuſpicioſum & vilibus. ac fœdis ſe delectantem efficiunt, ſedulus & diligens, ob id ſupra omnes mortales, nam & hæ qualitates remiſſioris animi partes ſunt. Venus etiam potens facit delectari gemmis, lapidibuſque præcioſis, ſculptis & picturis, & Muſica, vt dixi ſuprà modum. Eadem iuncta Mercurio, maximam in filios dilectionem præſtat, vt in ſecundo libro docuimus, Mars verò in quadrato, Lunæ in quibuſdam rebus facit inconſultum & iracundum, & inopinatò res tractantem atque in his cauſis, vndequaque infœlix ſeu & cum iactura exiſtimationis & rei. Æmuli enim hoc vitium agnoſcentes, aliquando me captarunt, alioquin videtur tempus decipiuntque potui. Facit & hoc aleæ ſtudioſum. Cum verò Mercurius in lacteo circulo poſitus ſit, & cum ſtellula, ex natura propria & Veneris, in ſigno humano & retrogradus ingenium optimum & profundiſſimum, tardum, tamen turbicum. Præſtant etiam conuerſationem gratam. Radij quoque trigoni Saturni, cum ſtellis illius tribus poſiti, retrogradique memoriam exiguam, admodum & fallacem, minimeque promptam, ſed longam & ſtabilem, rerum quidem verborum propè nullam decernunt: atque hæc ſunt, quæ exuperant cætera ſtudiis, & nixu & Philoſophia iminuta, ac quaſi abolita euanuêre. In vniuerſum cùm omnes Planetæ ob commiſtionem moribus noſtris imperent, eo. fit, vt quanto diutiùs tractes, eò minus qualis ſim agnoſcam.

De vitiis ac morbis animi.

Vitia nulla animi fuerunt, niſi immoderata cupiditas ſciendi, quæ à dominis qualitatum animæ proficiſcitur. Eratque paternum vitium, vt pecunias & honores ſcientiæ cauſa ſemper contempſerim. Et veritatis ſtudio, commodorum proprium ſæpe oblitus ſim, cogitatio quoque aſſidua Venereorum perpetuo me torſit, & quod facto implere non licuit, aut feciſſe potentem puduit, cogitatione aſſidua mentitus ſum voluptatem, Muſicam quoque dilexi nimis. Et vt vno verbo omnia complectar, immodicus in omnibus rebus fui, quas dilexi, odi in iuſtitiam, ſupra omnia & à crudelitate, fui ſemper alienus, quamuis Saturni vis obſtaret. Cauſa autem libidinoſæ cognitionis eſt Venus, Saturno ac Mercurio complicata, & Mars vtrique luminari. Quod verò circa actiones naturales eſſem, abſque reprehenſione indicat luminarium conſtitutio ſecundùm naturam, alterius ſcilicet in ſigno maſculino, alterius in fœminino.

De diuitiis

Inſpexi ſortem & ipſa fuit impedita in ſexto loco, ſub radiis Solis, & ideò accepi ſecundam domum, & eius fuit dominus Mercurius ſolus, ideò ſignificauit omnem cauſam lucri pendere ex ſcientia & induſtria, & quia latebat, & erat retrogradus, ſignificauit mendicitatem ex ſe. Sed quia reddebat vim Veneris inualidæ, quæ eſt in domo & finibus ſuis, ſignificauit magna lucra: & eam iuuabat Saturnus ex trigono carpenti dominus quia Mercurius, qui eſt principalis, eſt infelix, ideò cum maximis lucris & occaſionibus, incredibilibus, ſemper ego pauper, & ſi capiamus dominos ſortis, ad idem res redit: ſed tunc principalis eſſet Saturnus, non Mercurius quod minus conuenit. Cauſa autem lucri anni, ſi fuit quod Iupiter, Venus & Mercurius, peruenerunt ad proprium ſectilem, & Iupiter erat in carpento ſuo, vt apparet, dum itinera inferiùs expono. Et cùm Mercurius & Venus peruenerunt ad tertiam partem, & vbi erant radij trigoni Iouis adeptus ſum munus profitendi Bononiæ,

✳	♎	10.	39.
☉	♌	29.	16.
♄	♋	18.	36.
♃	♋	4.	42.
♂	♎	2.	1.
♀	♏	14.	42.
☿	♍	25.	28.

bis in eodem anno muneri præpoſitus, & ideo annus ille fuit inſignis, & fuit 62. & fuerunt loca, vt vides aſcenſ. ex proceſſu ♊ 7. vbi animaduertendum quod Iupiter fuit in oppoſito loci, & in Sextili ſuo temporis natiuitatis. In ſeptima annis, Venus & Mercurius, ab hoc perueniunt ad quadratum Solis & Lunæ ſextilem, Ideo contingit mutatio, & eſt locus in finibus Iouis. In fine anni 64. die 23. Auguſti, accepi donum ab Illuſtriſſ. Cardinali Morono, ob valitudinem recuperatam. Nam in principio anni Venus & Mercurius, redierunt ad loca ſua. Et per directionem ferantur, inter radios fœlices & ea die Venus fuit iuncta Ioui in 18. parte Virginis, & prope fortunam donorum, Sol & Mercurius, & omnia ad vnguem cum arte concorda

concordauerint. Generaliter autem Mars, in natiuitate secundo loco positus, omnia disperdit, per aleam in iuuentute, & per malos famulos in senectute. Et scias quod cùm principalis dominus, alicuius rei defert vim, alteri quantumuis beneficè, nullum promissum est ratum, nisi cum ambo, qui præfecti sunt negocio fuerint concordes, & ob id rariores sunt euentus boni, velut in genesi, nostra Venus & Mercurius ambo sunt necessarij ad diuitias præstandas.

De honore, dignitatibus, & gratia principum.

Hucusque non solùm vera, sed & omnibus. consentanea diximus. Quæ verò nunc subiicientur, licet vera sint, ita tamen aliena à decretis astrorum esse videntur, vt multi negarint genituram, quam exposui, meam esse. Inter quos est Hieronymus Cutica, vir non ineruditus in arte: constat enim meam genesim esse sexti gradus: at meus non adeò humilis est. Videamus ergo, si quid vltra sextum statum, cuius est genitura sim consequutus, certè non: nam, vt dixi, aliàs neque inter collegas, gradum aliquam, quod tamen mirum est, sed non mirum si quis genesim consideret obtinui, solus trigonus Martis domini cœli medij, cum sole aliquam inanem magistratum, circa artem pollicebatur, que certè obtinui. Anno igitur 24. cùm cœli medium ad Solis trigonum peruenisset, electus sunt Rector Gymnasij Patauini. Tunc cœli medium ad 19. Sagittarj partem peruenerat, itaque tribunal etiã illi magistrauierexi, cumque sequẽti anno cœli medium ad Martis trigonum peruenisset, doctor factus sum Patauij in Medicina, reluctante collegio. Omnes enim loci principales ad radicem peruenerant, & Luna infelix in cœli medio erat, in quadrato Mercurij & Veneris, qui per ingressum ad locum radicis, fermè peruenerant.

Contingit vt eodem tempore fermè solet sors, id est, anno 43. ad proprium sextilem peruenirent, & tunc propè Luna quoque ad proprium sextilem peruenit, & cœli medium ad Iouis quasi sextilem, significarunt igitur dignitatem ex arte cum lucro extra patriam. Dignitatem ob Solem ex arte ob cœli medium cum lucro ob sortem extra patriam, Ob Lunam anno igitur 43. post reditum è Senis ac Florentia, Medicinam publicè cœpi profiteri honesto stipendio, tam verò inopinato, vt quandoque cogitarem mecum, an dormirem: fine amicis non quærens omnia, præter medicinam scire, creditus, cum tot æmulis nunquam aliàs vel Dialecticam, aut Philosopiam professus. Eo anno, vt par erat omnes aphetæ, ad contraria loca peruenerũt, non tamen eò delata est electio, sed solum effectus, vt attendendus sit 42. annus etiam. Anno igitur 42. locus Solis peruenit ad locum Lunæ & Luna per ingressum ad oppositum Solis & Sextilem Martis, cœli medium ad locum Saturni, & trigonum Veneris & Mercurij, & Iupiter corpore quod optimum fuit, in hac causa Soli iunctus erat. Annus 43. non ita fauebat, quoniam omnia absurda erant. Atque ita etiam res omninò infeliciter cessit, extra Academiam sine auditore inexpertus. Vicerunt tamen astra, quoniam vt vidisti applicabant, non defluebant aphetæ. Perseuerauí igitur ad annum vsque. 50. scilicet perfectum. Nec statim extra patriam profectus, sed sequenti anno id est. 44.

Cæterum amicitiam arctam cum nullo principe, nisi sacerdote iam decem atque amplius annis prædixeram, in libro cui titulus est supplementum Ephemeridum. Hic autem cùm, vt dixi, iam ab hinc annis decem æditus sit ea verba habet. Cæterum nulli principi gratus esse potero, nisi qui ecclesiasticam habuerit dignitatem, & in prædictione anni 1548. cuius suprà memini eidem sententiæ inhærens, sed quia Sol est infelix, ero quasi in contemptu Principum, ad illorum tamen perueniam notitiam, non tanquam aulicus, sed aliorum medio. Item cum sacerdotio insignibus copulabor aliquando, dico primas partes tenentibus: quòd quamuis fermè ad hanc diem consequi potuerim, hora tamen vt dici solet nondum venerat. Causam huius liquet esse Solis infelicitatem, & Iouis in angulo potentiam: nam Iupiter propriè antistes significat. Id verò licet etiam videre in secunda genesi præsenti collata: at de hoc vbi de amicis tractabo, diffusiùs loquar.

Vultur volans in cœli medio, procyon in imo, & luminosior lancis in occidente, & clara fusionis aquæ cum Ioue ad ascendens, aliquid faciunt ad nominis celebritatem. Sed cùm ex arte & industria hæc sint, exactam potius sequuntur erraticarum configurationem, quam genius sequitur: genium nunquam deserit nominis celebritas, sed hæc viderint alij.

In vniuersum senectus erit illustris, sed ærumnosa propter inerrantem splendidam, in occidente naturæ ♂ & ☿.

Quid verò Luna significet mihi in loco Saturni volui videre, & inveni quod in 37. reuolutione, Planetæ erant vt vides. Eo anno

Sol.	♎	16. 37.
Luna	♊	20. 42.
Saturn.	♍	14. 53.
Iupiter	♉	20. 27.
Mars	♌	1. 17.
Mercur.	♎	5. 14.
Caput	♊	5. 19.

passus sum nouem diebus tremorem cordis vsque ad mortis timorem, cùm iam pluribus annis cessasset. Sumpto medicamento ex gemmis vomui venenum, genitum in corpore. Erat enim bilis æruginosa. Non nocuit amplius, quia directio nulla obstabat, nisi quod ascendens erat sub Saturno: at hoc, vt dixi peperit fluxum vrinæ. Et processus redierat ad radicem & Lunam quod plus est Venus, ex Sextili aspiciebat. Eo etiam anno quoniam Venus domina loci Solis erat in quadrato Iouis, mutuoque se recipiebant, & Mars in Sextili Solis ab eo re-

ceptus. Et Venus iuxta cor Leonis in Sexili Lunæ, & ipsa, vt dixi, domina loci Solis, ideò congressus sum cum Pontifice prima Maij. 1538. Et miraberis quoniam Sol fuit, ea hora in parte & minuto Iouis in initio anni, id est, in par. 10. minut. 27. Tauri & Mars in parte eadem loci Veneris, id est, in 25. parte Leonis & Luna in pars. 28. min. 20. ♊ vbi erat in initio anni, & caput in ♉ 23. 44. id est, in loco Iouis. Et hoc tamen demonstratur imbecillitas ingressuum, quia cùm nec directiò, nec processus facerent ex magna spe, in inanem omnino euentum res transiit.

Ex his etiam patet, quòd honores non ita facilè mutantur, vt diuitiæ, valetudo, amici, & reliqua: quia in singulis annis Sol ad proprium locum cadit, ideò parum mutat conditionem, quàm ab initio radicis sortitus est.

Præterea vides, quod nisi concurrant multæ directiones processus & ingressus, aut genitura valida sit, nil insigne subsequi solet. Ex omnibus enim ad honores pertinentibus, nihil fuit magni, præter possessionem publicam. Videbis & aliud in capite de opificio & tertium in capite de itineribus, & in omnibus his est mira concordia directionum, processuum, & ingressuum, & in nullis aliis, vt nemo nisi amens possit iam de his dubitare.

Ex his etiam liquetquod Ptolomæus per illa verba, (propter humanæ naturæ imbecillitatem.) Intelligit etiam aliud, quàm significare videbatur, scilicet quod natiuitas imbecillis quandoque, licet raro, vt ibi testatur & inferiùs, clarius concursu multorum in idem tempus, præsertim idem significantium post valida reddi, & magnos sortiri effectus. Et per contrarium valida genesis dispersis per diuersa tempora directionibus, processibus, & ingressibus vltra quàm credi debeat, debilitari. Desinant igitur mirari nostram geniturам, quæ multos præstare potest honores, tamen perpetuum decerni non potest. Superest modò solum, vt doceam, qualiter suas quocunque tempore etiam inter medio quo loci principales, quos quinque esse docuimus per directionem applicent. Exemplo sumpto à Luna, cuius locum volo scire, pro annis quatuor descriptis.

De opificio.

Mirum videtur de honore, sed maius miraculum est de opificio: nulla est stelli in cœli Medio, nulla in pimo orientis statu, & tamen assiduè exercui artem. Sed verò Mars est dominus opificij, quoniam licet non sit in cœli Medio, nec in primo orientis statu, est tamen dominus, cœli Medij & primus ex superioribus, ac inferioribus quod antecedat Solem. Et loco est in trigono Solis, & applicat Sol illi, non defluit, vnde est intra terminos, est in domo, trigonoque Mercurij in finibus Iouis, ab eo etiam statim Luna defluit. Significauit igitur artem & nobilem, ob fines & luminarium testimonium, & præsertim quod pater fuit Iurisconsultus. Nihilò secius, quia non aderant conditiones à Ptolemæo scriptæ, plus quàm decies fuit interruptum exercitium, & intermissum legendo, peregrinando, litigando, ludendo, scribendo, ac etiam ex inuidia medicorum maledicentium. Accusarunt me insaniæ, ignorantiæ, instabilitatis, improbitatis, flagitiosæ vitæ adeò multipliciter, vt multitudine accusationum potius leuarer, quàm opprimerer. Quis enim mortalium vnquam tam malus esse potuit, præsertim cum nihil mali facerem, nisi quod odissem illos vt improbos. Vt ad rem reuertar, modo negotia, modo otium, modò impotentia interpellarunt ne non solita ægrorum frequentia, vt alij, exerceam artem: in posterum ætas ipsa interpellabit. Anno 19 cum in gymnasium me contuli fata quippiam magni ex astrorum constitutione polliceri videbantur: Sic enim

Sol	♎	10	37
Luna	♎	24	2
Iup.	♎	26	27
Mercur.	♎	28	7
Mars	♎	28	45
Cauda	♍	23	33
Venus	♍	25	36
Saturn.	♑	15	11

erant Planetæ in initio reditus. Omnes igitur præter Venerem fuerunt iuxta locum Endemonis, qui mihi est ♎ pars 24 cum ibi sit Venus & Mercurius cum trigono Saturni absque malefici impedimento vllo, Processus erat ad opposita loca qui mutationem fortunæ declarabat. Eo anno exiui è patria, & cœpi libertatem experiri. Singulis reditibus ad opposita loca magna mutatio mihi in statu vitæ contingit. 7. anno cœpi patri inseruire, totus ille decursus fuit ærumnosus, mutaui domum etiam habitationis. 19. vt dixi, in gymnasium me contuli, bona fuit mutatio. 31. anno vxorem duxi, altera seruitus præsertim studioso. 43. cœpi, vt dixi, profiteri medicinam: vtilis seruitus, iucunda mihi & honori fica: Nunc 58. annus me expectat.

Sol	♎	10	37
Luna	♉	7	14
Satur.	♌	9	21
Iupiter	♑	22	22
Mars	♎	23	22
Venus	♍	1	40
Mercur.	♎	20	56

Pòst anno. 34. cum cœli Medium ad Saturni trinum peruenisset, redij in patriam, habui munus profitendi mathematicas, concordiam cum collegio: erant autem ingressus qui maximè fauebant vt vides. Sed quia Mars cadit in Libra, & Iupiter in Capricorno, & maleficarum dona præsertim Saturni, sunt specie non re, ideò illa bona mihi omnia fuere exitio & calamitati fermè. Processus non iuuabant nisi per ingressum, nam cœli Medium erat in 19. parte Libræ, & ibi fuit Mars & Mercurius, & Iupiter fuit in quadrato

quadrato eorum, & in cœli Medio radicis, sed hoc leue est.

Audi nunc rem miram anno 37. cœli Medium peruenit ad trigonum Veneris & Mercurij in 24. parte Aquarij, & non potuit aliquid facere, quia processus non auxiliabatur, sed solum præparauit media ad consequendum collegium, à cuius ingressu iam detinebar octo & amplius annis pluribus sententiis seu decretis collegij iam in iudicatum elapsis. Senatu causam perpetuò ad illos remittente: Et quod maius est, conuentione per me facta cum collegio, qua iuribus meis illi cesseram renuntiaueramque. Igitur hoc anno primum mortuus est is qui aduersum me pessimè egerat, in gratiam principis Istonij perueni: amicitiam cum Sfondrato, cuius genesim suprà vidisti, contraxi: Lucas Cruceius vir iustus sponte, & fratris Francisci Crucei suasu etiam iustior, in locum demortui hostis subrogatus est: Eo tamen anno, vt dixi, ob processus nihil peragi potuit. Sequenti anno qui fuit 38. cœli medium ad 19. Aquarij partem peruenit, quo etiam per directionem, & vbi radij Veneris & Mercurij trigoni, sed obstabant trigoni radij Saturni qui ante erant, hi conuentionem factam significabant. Obstabant etiam radij quadrati Martis. Porrò Planetæ in initio anni se habebant, vt

Sol	♎	10	37
Luna	♎	26	57
Saturnus	♍	26	1
Iupiter	♊	25	55
Mars	♒	22	5
Venus	♒	13	18
Mercurius	♎	19	13
Cauda	♍	15	58

vides. Luna & Iupiter locum processus cœli Medij, & Mercurius, & inter se trigono radio respiciebant. Abfuit Saturnus omnino. Vides igitur veram concordiam euentuum cum dictis Ptolemæi. Quia verò res ardua erat, & difficillima, dilata est ad vltimum mensem anni, cum processus menstruus peruenit rursus ad Aquarij signum, & in eo comprehendebatur, vt & in annuo locus Lunæ & sextilis Iouis. Neque hoc sufficit, sed etiam dies fuit in quo processus ad 19. Aquarij partem peruenerat. Eo die, qui fuit 28. Augusti 1539. Luna fuit in loco radicis, & loco etiam processus, nam omnes tres processus anni, mensis & diei incipiunt à 19. parte Aquarij, & extenduntur ad 19. Piscium, & fuit eadem die opppositio luminarium. Et hoc mirabile quod omnia quæ mihi contigerunt magna, electio in rectorem 2. Augusti 1525. coniugium, doctoratus, ingressus in collegium, multaque alia semper contigerunt mihi in ipsa positione Lunæ. Et hoc causam certam habet apud me occultam & difficilem. Nec credas quod ego de his cogitarem, imò ignorabam hoc penitus. Quinetiam ille mihi perfidus hostis, cum aliquid sciret ex arte, in prima societate collegij, quæ contigit anno 1535. dixit elegi huius societatis tempus dum Luna est in Aquario signo fixo, vt tibi faueam, ne hoc pactum vnquam disrumpi possit. Ita aiebat vir dolorum: sed occulta sunt iudicia diuina: cum enim quod simulabat de societate in fauorem, esset è directo contrarium, quia per illud pactum priuabar debito mihi collegio, elegit locum mihi propitium ad habendum collegium, nesciens quod pars vltima Aquarij erat mihi maximè propitia. Et ob hoc soleo dicere, quod electiones propter duas causas fermè plus nocent, quàm iuuent.

Hac igitur cum genesi cum fidem & integritatem omnes, cum quibus morabar admirarentur, pudorem maledicendi æmulis inieci. Quod ad insaniam attinet, si ego insanio, aut insaniui vnquam, vos qui me accusatis, vestram ostendite sapientiam. Ego infirmus natus corpore, pauper, temporibus quibus perpetuo bella viguere, nullo affinium fretus auxilio, aduersante collegio, nullis insidiis succubui, nulli violentiæ, omnes gradus, quos medicus habere potest aut habui, aut oblatos recusaui, meos erexi, inculpatus vixi. In omni certamine victor, iudicio omnium. Adeò fauente cœlo, vt multi apertè fassi sint cum decertarent, se omnium oblitos esse. Nulli Principi blanditus non solum fui, sed & egregiè aduersatus. Multorum libris passim insertus, incolumi valetudine, & satis longa vita, si 56. annum licuerit excedere, inuentione multarum nouarum & magnarum rerum felicissimus: exercitatione artis & successibus, vt eadem gloria primo mihi comparauerit inuidiam, inde extinxerit. In vniuersum, Saturnus cum stellis nobilibus est causa magnitudinis nominis in arte: Quia dans formam dat quæ sequuntur ad eam. Vt dans excellentiam artis, dat etiam formam ex illa. Adiuuerunt decreta honoris, diuitiarum, authoritatis in opificio, geneses filiorum faustæ, vt alias ostendimus, & infrà sumus ostensuri.

De coniugio.

Luna fuit occidentalis quo ad Solem, orientalis quo ad angulos, ideò significauit coniugium in media ætate. Non opus est directione in hac causa iuxta Ptolemæi sententiam, sed cum loca principalia in ætate media peruenerunt ad suum oppositum. Id contigit anno ætatis 31. Eo anno Luna venit propè locum radicis in opposito Veneris. Venus fuit in loco processus Lunæ at Venus domina ascendentis. Eo etiam anno Mars fuit in opposito Iouis & in fine Arietis, & Saturnus iuxta locum radicis in fine Geminorum in sextili Martis & trino Iouis. Mars autem retrogradus, & dominus ascendentis processus. Exactus erat circuitus Saturni, qui solet impedire coniugium. Et hoc nota: nam qui ante 30. annum nubunt, magnam habent significationem, coniugij, & plerunque sæpius nubunt, de viris dico: in fœminis quæcunque ante 15. annum: is est terminus dimidij circuitus: Et hæ vt plurimum nubunt, plus quàm semel. Ita ego collegium ingressus sum exactis ad vnguem

15. annis à morte patris, nam ex bisexto suppletur dies qui deficit, & supersunt duo dies alij. Patris autem genius hac in causa obstabat mihi. Et hoc est quod dixit Aristoteles, vitam & reliqua animantium certis syderum circuitibus constare. Verùm vt ad rem reuertar, eo anno Mars septimi loci dominus peruenit ad Lunæ radios trigonos. Mars igitur significat personam meam in causa coniugij, quia septimi loci dominus, & Luna vxoris. Tam parum autem abfuit ab hoc congressu, vt ne vnus dies: sed hæc præter Ptolemæi sententiam. Ad illius placita reuertor, Luna fuit in bicorporeo signo, & Ioui atque Marti configurata, ideò debuit significare duas vxores. Et certè significasset, nisi quod Luna pergit ad Saturnum, & Saturnus commiscetur nimis Veneri quæ est domina ascendentis: ideò prohibet secundam, non tamen potuit prohibere primam, de secunda etiam parum abfuit. Eodem igitur modo quo 7. annus 19.31.43.55. plerunque significant vitæ mutationem, eodem modo 8.20.32.44.56.68. pernitiem & exitium si maleficæ sint in secundo, vel octauo loco, aut quinto, vel vndecimo, nam ascendens ad octauæ signum perpetuo his annis per processum deuoluitur. Vbi minus affligat, significat morbos, itinera & corporis incommoda: In quibus nihil aduenit, in his beneficæ ibi sunt constitutæ, aut illarum radij trigoni ad hunc octauum locum perueniunt, aut anni directio ascendentis & Lunæ omnino felix est, & à noxa aliena. Hanc reor fuisse causam quod vidi quatuor iuuenes omnes patribus vnicos ex legitimis anno 20. mortuos fuisse. Et certè is annus magno periculo generaliter non vacat. 56. autem longè maiore quo Scipio & Virgilius, & multi clarissimi viri obiere. Nam eo anno redit ascendens & Luna ad 8. signum, cui non configurantur: & ideò est proportio eius ad ægrotantes, quasi sicut octimestris ad parientes: nisi quòd tota malitia octaui mensis dispergitur in plures annos 8.20.32. & reliquos, vnde vis tantò minor euadit. Ætas verò tunc est iam effœta, & hic annus est vltimus custodiæ Martis: vnde non secus effundit Mars iram suam eo anno, quam improbi milites, cùm coguntur relinquere hospitium illis assignatum: Ob id cum contingat numerum illum per septem posse diuidi, frustra crediderunt annos, quos vocant climatericos à numero climatum, quæ sunt septem, id est, qui possunt per septem diuidi, vt 7.14.21. & tales esse exitiales. Hoc enim est alienum à mente Ptolemæi, & à ratione. Et ratio demonstrans hoc, est quia idem sub eadem forma non potest habere, nisi vnam & eandem administrationem: Sed planetæ simpliciter habent diuisionem illam ætatum à Ptolemæo, positam igitur simpliciter nullam aliam habere possunt. Secunda quam habent vocatur possessio radiorum, vel corporis. Tertia dominij vel locorum distributio. Quarta possessio radiorum vel corporis noua seu superueniens. Et similitudinem horum euentuum singulis 12. annis, vt dixi, confirmat Iupiter rediens ad idem signum. Et sicut homo per reditum Solis singulo anno æstatis calorem, hyemis frigus, Martij ventos, Maij iucunditatem, quæ sunt manifesta, quoniam Sol & ipse manifestus est mundo, ita singulis duodecim annis homo per reditum Iouis ad eundem locum paulò serius, aut citius in diebus experitur quid occulti simile, velut reditus Iouis occultior est reditu Solis.


Reuertendo igitur ad propositum, cum Luna esset Marti configurata, significauit vxorem animosam, peruicacem, & indomitam. Et quia erat in dignitatibus beneficarum, mitem & ingeniosam, & mediocriter pulchram. Cùm verò esset in Piscibus, & in aspectu Planetarum masculorum, fœcundam masculorum. Abortiuit igitur tres masculos, duos perfectè partu, & vnam puellam edidit. Tempus igitur est, vt de his loquar: nam de consensu inter nos loqui non possum, cum illius genituram non habeam. Vixit autem mecum 15. annis, & in tanto tempore Mars dominus septimi loci peruenit à radiis trigonis Lunæ, qui vt dixi, significabant diem ipsam coniugij scilicet annos 30. menses 6. dies 24. ad radios quadratos Veneris & Mercurij. Sed hoc non dixit Ptolemæus.

De filiis.


Iupiter, Venus & Luna sunt largitores communes, sed Luna non respicit decimum locum, nec vndecimum: Ob id cum etiam cadat ab angulo, nullos dabit filios. Iupiter proiicit radios in decimam iuxta finem, in quartam Aquarij partem vbi sunt propè radij trigoni Solis & Martis, & etiam quia quadrata radiatione ex æquinoctiali respicit apicem decimæ domus, quia est in signis breuium ascensionum, ideò significat primum filium natu masculum, nam omnes Planetæ & signa sunt masculina, & cùm natus est, fuit Iupiter in initio Aquarij, vbi erant radij quadrati eius in ea mea genesi in decimo loco. Sicut etiam mihi Iupiter & ascendens fuerunt iuxta locum, vbi erant radij quadrati Iouis in 11. initio in natiuitate patris. Vide quàm bellè congruit. Et sicut mihi Iupiter cum illo gradu, qui fuit nodus Tauri, fuit in ascendente, ita in filio meo Iupiter, fuit ascendentis dominus. Secundum filium largitur Iupiter radio sextili in Piscibus sub Luna, & ideò quia Iupiter erat in signo fœminino, & radij eius in signo fœminino & sub Luna, ideò secundus filius fuit fœmina. Et ideò Luna fuit in quarto gradu Piscium, vbi cadunt radij sextiles Iouis. Sed quia vel sic debilis erat constitutio loci filiæ, cum esset in fine vndecimæ domus, ideò adiuuit eam trigonus Veneris in fine 11. domus, & cecidit in Aquario, & ibi fuit Iupiter propè 29. parte Aquarij in natiuitate filiæ. Et quia in natiuitate filij significator fuit in decimo loco & ibi radij Solis & Martis significarunt robustum & morbosum, & ita in infantia fuit in maximo mortis discrimine. Sed puella cùm habeat

beat significatorem in fine vndecimæ, sed in signo prolifico & auxilio Lunæ præsente sine maleficis, ideò significabatur, quod esset im, becillis & incolumis in infantia. Et ità fuit-erat enim adeò exilis vt super futuram non speraremus, adeò sana, vt nunquam peritura videretur. Veneris verò radij trigoni cadebant in 24. partem Aquarij, quadrati verò in 24. Capricorni: hi in cœli Medio, illi in 11. loco. Qui in 11. locum ceciderunt erant debiles, & Venus debilis, fuerunt auxilio filiæ. Qui vero ceciderunt, in Medio cœli cum Venus esset orientalis extra Solis radios significarunt filium. Et licet Venus esset fœminina, & signum in quod dirigebantur radij fœmineum, quia tamen ipsa erat in signo masculino, & commixta Mercurio, et Saturno valde significauit masculum. Sed cum Venus esset multum debilis in sexto loco, indiguit auxilio Iouis, tum præcipuè quod radij Iouis in Piscibus decernebant duos filios ob signum quod est duorum corporum: Et ita natus est filius & masculus. Sed quia, vt dixi, Venus erat imbecillis & radij Iouis sextiles imbecilles loco, ideò natus est imbecillis & morbosus. Superuixit tamen, quia pars 24. Capricorni est immunis à radiis maleficarum. Nisi quod ibi imperat Mars. Ex hoc patet quod omnes filij mei sunt à Ioue, primus ex loco quadrato, & est ibi in natiuitate eius. Secundus ex sextili in quarta parte Piscium, & est ibi Luna in eius natiuitate. Itē quia quarta pars Tauri, in qua etiā inuenitur sunt ex his quæ imperant & obediunt. Tertius ex radiis rursus sextilibus, quia est bicorporeum signum, & in secundo, & in tertio, quia radij sextiles sunt debiles, & etiam quia cadunt in locum debilem, ideò auxiliatur Venus cum Mercurio & Luna, sed fœminæ magis Luna, masculo autem magis Venus. Fuit ergo primus hic ab infantia oppressus multis morbis, & sæpius relictus pro mortuo, quia luminaria erant destituta omni præsidio, & Lunæ succedebat Mercurius inde infortunæ: sola Venus tuebat ascendens, remansit surdus ex aure dextra. Erat paruus potius, quàm magnus, inclinato corpore aliquantulùm: oculis albis, paruis, semper mobilibus: facie candida, rubra, digitum secundum à paruo pedis cum medio iunctum habuit, cùm Sol peruenit ad Mercurium lauream in medicina suscepit. Erat bonus musicus cum cœli medium peruenit ad Iouis quadratum, Ioue Solem respiciente omnibus parum benè fortunatis anno vigesimoquarto, in collegium optatus est. In ipsa cooptatione vxorem duxit me inscio parùm pudicam, & sine vlla dote. Inde paterna domo extrusus, vt poteram illi suppetias ferebam, sed nihil habens & aleæ admodum deditus ob Iouem in opposito Martis & Mercurij nimiam potentiam qui in finibus Martis erat, & ipsa sors mala, sors cum Saturnus & Mars ambo infelices in eo dominarentur, & quia in opposito erant secundæ domus, rt nec præsidium ex ea speraretur, & Mars supra Iouem cum Saturno eleuatus ad extremam miseriam illum adigebant: vnquam futurus erat diue s, etiam si superuixisset vt constat: tamen ex arte lucrabat, & pro conditione splendidè vestiebatur.

Ex vxore filiam, filiolumque sustulit, puerulus vix euasit, cuius genesim subscripsimus, puella mortaa est in infantia prima. Sed non eandem fortunam mihi pollicebatur, namque Saturno in ascendente posito Sol cum




aldebaram fuit in trino Iouis, fuit autem figura qualis hic post suam depicta est. Vnde cùm Sol si in trino Iouis, & cum Venere significat longam vitam, & ita iam excessi 35. annum ab illius natiuitate, & pro conditione felicem, sed tamen post viginti annos ægrotaturum alioquin non est anaræta vsque ad Saturni corpus. Sors quoque optimà constituta cum capite Draconis in fine primæ domus conuenit, & maximè cum secunda in sextili Veneris ipsius dominus Sol, vt dixi



bene constitutus, vt dignitates decernere potuerit multas pro conditione mea. Nihil erat quod damnari posset præter Martem ascendenti proximum, sed reliqua erant nimis valida.

Iuxta finem 26. anni Luna Aphetarum vna, & imbecillis per circulum positionis, qui transit per sectionem, & corpus Lunæ, quasi retrocedente cœlo, vt in conuersa directione fieri solet, peruenit ad sextiles radios Martis, ita vt ipsa vix esset exuta, imò nō exuta Solis radiis, vel sub ipsis. Et Mercurius alter Apheta eodem anno ad Saturnum applicuit, itaque suasu adolescentis alterius famuli, iussit vt venenum vxori in puerperio exhiberetur. Et quanquam pœnituerit antè, nec

ex eo mortua sit, quia tamen breui mortua est Nona Aprilis anni 1560. per mediam noctem, me inscio capite mulctatus est. Ecce vides quomodo natiuitas vna possit esse pessima pro nato, & optima pro aliis, vt parentibus, fratribus, aut filiis. Etenim & si vixisset, futura esset vita illius plena difficultatibus, cùm tamen prima fronte (vt dici solet) bona videretur. Consideraui præterea anni ipsius reditum, qui fuit violentissime: alij enim




cum malefaciunt euadant, ipse cùm tantum voluerit periit. In eo igitur Luna fuit iterum in septimo loco peregrina in opposito Iouis, qui cùm esset in domo sua, erat Lunæ inimicus, Mercurius etiam cum Venere in quadrato Lunæ ac Iouis, Mars verò in opposito omnium, aut quadrato, & in angulo decimi loci eleuatus super omnes, & violentam omninò mortem effugere non posset. Ex quo patet quod reditus sunt euidentiores progressibus. Nam iuxta progressus fuisset ascendens 15. pars Capricorni, & omnes Planetæ, & maximè Mars & Venus, & Mercurius omniũ malorum authores fuissent extra angulum. Luna autem cùm fuerit velocissima significauit præceps consilium: bona pro exequutoribus, mala pro principalibus: inconsultè enim agunt omnia. Publica mors decernebatur à reditu: quia Luna domina temporis erat supra terram, & Mars in cœli medio, & Iupiter significat iudices infensos cùm esset horoscopo non coniunctus: Ex directione quia Luna erat prope Solem, qui erat cum oculo Tauri. Et ideò adeò sæuiit ille inclytus senatus regius, & quidam proposuerint esse concremandum, qui nil merebatur cum vxor palàm fateretur illi, & coram matre præsertim impudicam se esse, & puellam quæ nata erat, ex adultero esse conceptam: vnde iratus iuuenis hoc tentauit, non ipse sed famulus. Captus fuit 17. Februarij cum Luna ad oppositum Saturni peruenisset, & ipsa infelix in Scorpione, sed hoc non sufficit, licet ille locus Saturni fuerit mortis locus, nam semel eo anno Luna ad eundem locum redierat. Accessit ergo quod initium mensis processus die 22. & hor. 8. exactis Ianuarij, cum Luna fuit in 17. parte Sagittarij in loco Martis: ideò placita data est pridie, quam captus sit in mane. At de morte haud dubium est, quod peruenit mensis ad Sagittarium Martij, Die 18. hora 12. Et Saturnus in initio mensis peruenit ad locum Solis, & hora mortis Mars ad eundem. Direxi etiam ascendens ad 29. partem Tauri, & peruenit ad illud in diebus 278. in quo captus fuit, & in diebus 53. peruenit ad locum Saturni interfectoris. Et ideò directionis locus declarat non solum mortem, sed tempora & modum mortis: & reditus causas & negociationes, & exitum sola constitutio reditus talis, significasset iurgia, contentiones, rixas, pericula & forsan vulnera, & etiam morte si Aphetarum vnus fuisset afflictus: vel directione appropinquasset: publicam mortem decernere non poterat.

Interim iam susceperat filiolum, & cum Venus significaret matrem, & esset proxima quadrato Martis, significauit mortem, nam Mars erat eleuatus supra Venerem, & Lunam, & fuit trigonus breuium ascensionum, & Luna afflicta erat radiis oppositis Saturni, & cum corde Scorpij de natura Martis. De patre significabat breuem vitam, Sol enim erat in angulo occidentis in casu suo. Extraxi ergo genesim patris eius ex genesi filij, posuique Solem in horoscopo, & Luna facta est Apheta: ideò significauit mortem imminentem, eisdem de causis, quibus in matre significauit: quoniam verò Luna erat eleuata supra Martem & Saturnum, & iam à Saturno euadebat, propè fuit vt seruaretur, nisi fuisset in opposito loci Solis, patris ideoque in loco infortunato, & fuit etiam cum illa stella, quæ parum vtilis est, in omni casu. Et manifestum est, quod est figura miserabilis pro patre: Sol desertus infelix: Saturnus in tertio loco, peregrinus Solitarius cùm sit & significator patris, & dominus loci Solis & ascendentis. Luna cum sorte peregrina, ab vtraque infortuna, pulsata hostilibus radiis beneficæ, ab angulis remotæ, & ab aspectibus salutaribus.


Extraxi etiam meam genesim ex nepotis genesi, & necesse fuit ponere Saturnum, qui auos significat pro significatore, (ita mihi liceat dicere breuitatis causa,) quem posui in ascendente & Luna, Saturni fuit, propè oppositum ascendentis, & ita tertio anno mutaui patriam cum honore & lucro, & Sol fuit in cæli medio vitæ significator, licet debilis remotus, tamen ab infortunatis, & manifestum est quod Mercurius est anaræta, si non omnino radij quadrati Saturni. Et quoniam Sors, & Iuppiter, & Caput Draconis sunt simul, & in piscibus, habebo satis felicem vitam cum gaudio & lucro propter amicos, quod hucusque verissimum fuit. Erit ergo vita imbecillis, etiam præter ætatem, sed remota ab omni violentia & insidiis. Deterius quod sit in ea, est Luna in septimo loco, & in trino Martis super eam eleuatur: & hoc si esset in principali genitura, significaret periculum filiæ propriè, aut filio, aut vtrique, cùm sit in bicorporeo, sed non potest vtrunque, quia est trigonus, & mutat naturam ex situ, & quadratũ Saturni cum Mercurio, non adeò graue mihi, quã per Mercuriũ significatur, cum ad Saturnum ille accedat.

Tertium

Tertium est quadratum Veneris & Martis. Et quia Luna est ascencentis domina in voluntario exilio, iam expleuit vices suas: & & quia omnes erraticæ sunt supra terram, vt in natiuitate mea erant, infrà significant vitam priori contrariam, imbecilliorem ta-




men quàm viuente filio: cùm tunc essent Iupiter, Mars, Sors, Caput Draconis in angulis. Vides etiam similitudinem genituræ, Ioannis Baptistæ, cum mea magnam, & pueruli cum Ioannis Baptista: inde illius cum mea minorem, & sextilem Martis cum Sole loco trigoni in natiuitate mea, & ascendens suum in quadrato mei: & Venerem in quadrato Martis, loco Lunæ in mea genitura.



Nunc verò dicamus de illius vita, quæ erat imbecillis, nam Luna est sub terra peregrina, cum radiis, infortunatum extra angulum, cum stella de natura Martis, Sors est impudica à Saturno, quod ad vitam attinet: in reliquis non est mala & significat, opes suas futuras ex auo. Et etiam impeditur, per se & quo ad vitam magis à radiis hostilibus: Mercurij etiam ascendens satis robustum ob radios Solis & Martis, Sol est vitæ significator, sed habet graues hostes.

Mercurium primo in annis 22. sed hoc parum, post Saturni quadratum in annis 25. ex quo forsan redimetur pecunia, inde ob ascendens ad Mercurij oppositum in annis 27. & ob Saturni quadratum in annis 30. concludendo quod ab annis 22. ad 30. circiter, maxima pericula violentæ mortis patietur, & etiam morborum occultorum & longorum: & etiam incommoda in oculo sinistro, circa mores erit pertinax valdè ob Saturnum dominum loci Mercurij, & præceps ac loquax ob Martis, cum Luna aspectum & stellam, vt dixi quæ Scorpij cor vocatur. Opes habebit & causa religionis etiam ali-



quid possidebit. Estque hac in parte longè felicior patris sui & filij mei: ad triginta annos, valdè impeditus erit & laboriosus: postquam tamen ego interiero, si trigesimum annum superauerit, vt etiam longè mitiore fortuna. Ab aquis semper caueatur. Luna enim valde male posita est. Mulierum etiam causa magna detrimenta patietur, & pericula longè maiora, habebit caueat semper dum Luna erit in Leone vel Aquario iuxta illorum fines. Ab ira se contineat, & à loquacitate: Vxores autem concubinas habebit: eritque potens in Venere & filias multas, tum filios etiam procreabit, sed masculi maiore cum difficultate viuent. Venus artem significat, vt forsan medicinæ operam det propter Martis societatem: quod si fecerit, erit satis felix & famosus in arte, erit gratus principibus, & satis bonus socius, & veneratione dignus videbitur. Anno 1567. die 12. Octobris, Dominica hora quarta, fermè post meridiem vulnus accepit in capite ex regulæ casu, vsque ad os, & fuit in vitæ magno discrimine, fuerunt Planetæ hora reuolutionis, & hora casus, Luna fuit in loco Mercurij in genesi, vnde clarum est locum illum parum propitium ei futurum. Casus autem fuit cum Sol peruenit ad Martis sextilem in Occidente, & Mercurius in anni reditu ad locum proprium: & fuit maximum periculum, cum non adesset aliquid propitij præter Dei benignitatem. Et verum ascendens est quinta pars Leonis, vt ex hac directione manifestum fit. In hac genesi maleficæ, suprà beneficas eleuantur, ideò benè cœpta sæpe malè terminabuntur. Saturnus eleuatus difficile dabit inuentum: Luna cum splendida cordis Scorpij dignitates, & si ad ætatem peruenerit filios plures & illustres. Mars in Veneris quadrato infelices amores. Et reditus ad opposita loca, malus 20.33. annus, & sic deinceps, in quibus erit felix ratione bonorum, & ex causa Sacerdotij aut Sacerdotum propter Iouem cum capite Draconis.


conis. Erit tamen malo ingenio ob dominium maleficarum omnium in eo loco. Verum vt dixi in huiusmodi homo dominus sui est: in aliis etiam multum potest.

	✱	♒	10.	34
	☽	♊	20.	0
	♄	♍	13.	1
hora reuolutionis.	♃	♍	8.	19
	♂	♑	23.	10
	♀	♒	0.	43
	☿	♒	24.	23

Filij autem natu minoris genesis habet Iouem fermè in loco Veneris & Mercurij mihi Lunæ, quoque idem mihi & illi. Vbi etiam radij Iouis Sextilis: Præterea illi Mars in loco Saturni mihi, & Sol illi in loco Martis.

	✱	♎	28.	8
	☽	♒	26.	46
	♄	♍	22.	30
hora casus	♃	♍	15.	17
	♂	♋	27.	35
	♀	♐	14.	52
	☿	♎	11.	42

Vnde ex his mutuam dilectionem significabunt. Iupiter cum non potuisset peruenire ad 24. partem Capricorni, quia numerus annorum non patiebatur ad locum Veneris peruenit. Fuit & illi Sors sub Solis radiis, & ante illum. Sol verò illi mihi in trino Solis, & Sors sortis, & ascendens ascendentis. Cum verò vidisset hanc genesim, Nicolaus Constantius simus Bononiensis, Astrologus




egregius dixit statim custodiendum puerum qui si superuiueret, omnes suæ gentis esset superaturus. Versari tamen in periculo, ne non esset mutus ob Saturni oppositionem cum Mercurio, sed iam Mercurius celer euaserat, itaque vsque ad quintum annum mutus extitit, inde soluta lingua promptè loquitur. Sol igitur est vitæ dominus, & mirum est quod in occursu Martis non læserit illum, sed à me id accidit, ex ira vehementi: ego tamen paulò ante ægrotaui, ad mortem ex Solis, ad Martem applicatione: sed in ipsa infantia multis modis ad mortem vsque conuulsus, & conflictatus est ob Lunæ quadratos radios, qui post Solem ipsum sunt. Mars non occidit, quia sub radiis & ob trigonum Iouis, Luna in septimo loco, peregrina pericula ex aquis decernit, quæ subiit bis, adeò vt esset sine spe: tum etiam violentæ mortis ex ferro à quibus etiam non abfuit cauere oportet. Eadem vagabundum reddit: atque ita est ab anno 14. nunquam se continuit, sed per Italiam perpetuò peregrinatur, cumque Luna conueniat cum Saturno, Sole & Marte, erit alienus ab vxorio affectu. Pericula ex calumniis & veneno subibit: existimo tamen euasuram. Erit consilij præcipitis, inconstantisque, sed tandem in melius commutabitur: & licet nunc vt furiosus videatur, tandem tamen fiet elegans & sagacissimus, nam locis Mercurij & Lunæ præsunt beneficæ. Filios etiam suscipiet maximè fœminas: ob Lunam & Venerem: nam Iouis radij in locum cadunt, qui sub Sole est. Sors digna, non est vt eligatur, pro fortunarum domina cum & ipsa lateat: ob id secunda domus in qua est Iupiter, præponenda est: & tum maximè quod Iupiter est in ea. Habebit igitur diuitias hæreditarias & Vxoris causa, aut amicorum donis. Ludo & inanibus experimentis eos dissipabit, & forsan etiam ædificando, licet absonum videatur. Cerebri morbis multum tentabitur, sex mensibus etiam dum infans esset febre laborauit.

Præterea vt ad rem reuertas, principalem in reditu anni, quo genitus est primus filius. Venus per processum, fuit in 24. parte, & Iupiter per ingressum in 25. parte Scorpij. Anno autem quo natus est, scilicet 33. ætatis meæ. Venus fuit per processum in 24. parte Geminorum, & Iupiter per ingressum in 22. Sagittarij: Et ascendens nati inter locum ipsius genitura, & natiuitatis: Et Luna fuit in reditu natiuitatis, in loco Veneris radicis & in natiuitate filij, Luna & Mercurius, dominus loci Solis in loco processus Veneris reditus, & opposito Iouis in reditu per ingressum.

In tertij autem filij anno generationis, Venus applicuit per processum ad 24. partem Aquarij, in cœli Medio, & per ingressum ad locum proprium in radice, & in reditu natiuitatis, Venus fuit in trino loco Iouis, radius & iuxta locum processus eius in generatione. Ascendens autem fuit inter locum Iouis, in generatione & Veneris in reditu natiuitatis: & Iupiter in opposito loci, Lunæ hora restitutionis anni. Et quo ad directionem pro duobus primis filiis. Luna peruenit ad corpus Iouis & cœli medium ad trinum Veneris & Mercurij. In natiuitate autem filij minoris Luna peruenit ad Sextilem proprium, & cœli Medium ad Sextilem Iouis. Manifestum est autem quod post ex directionibus, non est amplius spes de aliis filiis. Et quod omnibus filiis idem est dominus ascendentis, qui & longior in mea genesi, vt primis duobus Iupiter, vltimo Mercurius. Subiiciamus ergo genesim nostram, ex filio scilicet, vltimo in qua Luna est vitæ domina, & cum ea pars fortunæ, & ideò iuxta annum 20. nati, & est annus 1562. significat mutationem loci cum honore


re & vtilitate ob quadratos radios Veneris, & incrementum in arte ob Mercurium Orientalem. Et Saturnus significat mihi morbum, quendam perpetuum quem patior & eo modo quo significat, sed tamen parum molestum. Et cùm ascendens peruenerit ad illius trinos radios vix euadam, quia sunt è loco malefico, & in locum illi hostilem, & concordat tempus cum aliis. Et significat amicos bonos, & plures, & vitam hilarem, & opes multis modis parandas iuxta tamen genituram propriam. Nam fortunæ Iupiter & Venus præficiuntur, qui salui sunt. Sed de hoc satis modo adiiciamus genituram filiæ.



Hæc nata est cum branchocele oui magnitudine ob Venerem cum cauda compositam, vt mater mea multum doleret ob hoc, sine vllo tamen auxilio fermè totum euanuit. Significator vitæ est ascendens aut omnino Venus, quæ debilem habent potestatem, in loco Solis & coniunctionis, & de fine ascendentis incertum est. Vt cumque sit tota res ad hæc duo referenda est. Vita fuit ob hæc incolumis, nupta est satis diuiti viro, sed sterilis euasit, ob tam multiplicem erraticarum pugnam. Nam Iupiter est in opposito Saturni, & in quadrato Solis & Mercurij, qui sunt in quadrato eiusdem Saturni: Mars respicit Solem & Solem trigono aspectu. Cùm ergo extraxissem meam genesim ex præcedenti filiæ inueni, quod Luna illius conuenit cum nostra. Sed in figura extracta fuit fermè in angulo: Et significator vitæ fuit Mars, qui in Solis & ascendentis, & coniunctionis loco sex habuit, non eas tantum principales dignitates: cùm etiam in loco Lunæ & partis fortunæ dominantur. Et ideò cùm esset in nona domo, cùm radiis Solis amicis solum obstabat radius quadratus Mercurij, qui post viginti annos morbum illum attulit anni 1555. febrem quadraginta dierum. Post 16. autem annos est corpus Saturni cum opposito Iouis, & res redit ad idem cum aliis: & quia Iupiter, Sors, & Luna sunt propè, valdè significant incrementa bonæ fortunæ. Et Venus in Secunda, quia vt dixi, Sors non est potens: secunda ergo cum salua sit, & in ea Venus domina loci, Sortis & Lunæ, ideò multa lucra denuntiat in posterum.


Quod ad reliqua attinet honores, & dignitatem nihil malè, nec bene, sed oppositio Saturni & Iouis diuturnam contentionem, illam significabat, quæ cum collegio extitit: admissus tamen sum ob ius. Nam munus profitendi à filio natu minore, decernebatur anno enim 1543. Maij. 25. natus est: profiteri ergo medicinam cœpi, eodem anno Calendis Nouembris. Inde potes cognoscere genituras filiorum mutare status parentum.

Fuerunt ergo status nouem, vsque ad præsentem diem, primus ab anno 1524. mistus ex genesi patris primò, inde matris, inde mea. Secundus est ab anno 1524. sub initio Septembris, ad annum 1534. Maij, 14. mistus ex mea & materna genesi.



Sed in fine fuit interpollatus à genesi etiam vxoris, qui cœpit anno 1532. æstate media. Tertius fuit ab anno 1534. ad 1535. sub initium Nouembris mistus ex statu genesis meæ, & matris, & filij natu maioris & vxoris. Quartus fuit ab initio Nouembris 1535. ad 26. Iulij 1537. mistus ex mea genesi, & filij natu maioris, & filiæ, & matris, & vxoris. Quintus fuit à 26. die Iulij 1537. ad 1543. Maij diem 25. mistus ex genesi mea, & filij maioris, & puellæ & vxoris. Sextus fuit 25. Maij 1543. ad 22. Iulij 1547. mistus ex genesi mea, & trium filiorum, & vxoris. Septimus fuit à 22. Iulij 1547. ad 21. Ianuarij 1560. mistus ex genesi mea & trium filiorum. In hoc fuit etiam tempus, quo Brandoria nurus fuit nupta filio annorum duorum, & mensium trium: & quo Diaregina etiam puella nata est, & superuixit mensibus quindecim. Octauus cœpit à 21. Ianuarij 1560 ad 9. Aprilis eiusdem anni mistus ex genesi mea trium filiorum & nepotis. Nonus, in quo sum nunc est, mistus ex meo genesi, & pueri vltimi, & filiæ & nepotis. Non diuisi tempus septimum, quia nuptiæ illæ & ortus puellæ, parum mouebant statum meum, & si mouerent neque præposui filiam minori natu filio, quia iam nupta est iam diu, & exiit domum. Adeò vt nunc status meus componatur ex propria genesi & filij minoris & nepotis fermè. Primus fuit totus ærumnosus: secundus fuit laboriosus, & extra patriam cum summa paupertate. In tertio redij in patriam honores adeptus


adeptus sum, quietus vixi. In quarto vixi tristior, & cum periculis & pauperior. In quinto anxius, & cum multa contentione. In sexto lætus admodum & ditior. In septimo




lucratus sum longè plus & quietus vixi, nisi circa finem. In octauo totus in contentione, tristitia, impensis. In nono liberior auctus honoribus & lucro, sed in contentionibus, quæ tamen paulatim cessarunt, cum ex octauo initium sortitæ sint. Extraxi etiam genesim reliquorum filiorum ex mea, velut præcipit Ptolemæus, & fuit hæc communis vtrique, & tamen diuersa significat, quia diuersi sunt domini: velut Mercurius est debilior Venere, & ideò puella erit longè felicior masculo. Et ita dico cùm idem Planeta plures significat filios, iuxta loca quæ respicit.

De amicis, inimicis, & familiaribus.


Tres mihi fuere amici singulares, quorum geneses subiiciam, quod perpetui fuerint. Primus temporibus calamitosis magno auxilio fuit Octauianus Scotus Modeciensis. Nec aliud conuenit, nisi quod locus Lunæ mihi est, locus Veneris illi: Et locus Iouis illi est locus donorum mihi: Et in Al-



ciato qui mihi amicissimus fuit, & cui vitam me debere sentio, Lunæ locus illi est proximus, loco Lunæ mihi. Idem ad vnguem videbis in nona genitura Casanati. Constat modo quod innumeri plura habent loca, quæ commutant, & tamen non fuerunt amici. Hoc ergo sufficit, quod locus amicitiæ est, vt dicit ex his: & cum hoc est ex vndecima, sed dices in Octauiano Scoto fuit ex duodecima potius. Dico quod Luna fuit etiam domina ascendentis mihi, sicut & Venus domina figuræ, cùm sit domina loci luminarium ascendentis sortis proprij loci, & loci Iouis & Mercurij, & medij cœli. Ideò vtilis & amicos ex hoc dignoscis. Locus autem vndecimus erat aridus, ideo paucos significauit amicos. Sed neque inimicos vllos præcipuos, nisi eos, qui filium persecuti sunt. Amici autem ex natura Solis, vel par-



tis Fortunæ porpter locum & Martis aspectum, & ex Aquario ob Saturnum parum fidi erunt. Ex Tauro credo habuisse & probos, sed cum ad dignitatem, & opes nihil prodessent, non curaui vt haberem genesim. Amici etiam amicorum multum iuuerunt. Velut Cardinalis Alciatus est mihi iunctus per Lunam, alius modo habebit sortem suam ab initio Aquarij, is causa sua fauebit mihi, ac si amicus esset.



Expertus etiam sum, quod locus oppositus, scilicet, pars 12. Virginis amicos bonos & vtiles mihi eò parauit, exemplum habes in quatuor primis genituris propositis, sed familiares paucos habui bonos aut fidos, & hoc quia Luna, quæ erat in duodecima radiis quadratis à Marte pulsatur, ideò significat violentes, petulantes, stultos, rapaces,

ces, inconſtantes, ac libidinoſos, & loquaces, optimi ex Leone cauſam habebis infra.

De itineribus.

Itinerum neceſſariorum non eſt, vt reddam rationem, ſolum duorum, quæ feci vnius, ſcilicet quod peregi anno 51. quo iui

Directiones.		Proceſſus.		Ingreſſus.		
Cœl.med.	♓	7.26	♓	18.15		
Aſcen.	♋	4. 0	♋	6.10		
Sors	♐	19. 0	♐	7.15		
Sol	♐	21. 0	♐	10.37	♎	10.39
Luna	♉	26. 0	♉	11.42	♌	3.6

Proceſſus Menſtruus					
Cœl.med.	♑	18.15		
Aſcen.	♉	6.10		
Sors	♎	8.15		
Sol	♎	10.37	♓	14.4
Luna	♓	11.42	♓	0.9

in Scotiam, & fuerunt in anni redditu antequam irem, id eſt, anno 1551. hoc modo loca principalia. In hac vide hoc admirabile quod quinque locorum principalium directiones cum proceſſibus concordant, permanſi ergo extra patriam diebus 535. & inuiſi Germaniam vtramque Rhetiam, Galliam & Angliam, vocatus à Principe Amulthon ad curam, vt antea dixi. In hora quoque diſceſſus, proceſſus, & ingreſſus fuerunt, quales vides primi quidem, quales à natiuitate hoc indicabant, & ingreſſus conformes promiſſis, nam Sol ſuperauerat locum Lunæ, & Luna erat rurſum iuxta locum proceſſus. Acceſſit huic mirabili conſenſui aliud non minus, quod eodem anno cœli medium Archiepiſcopi Amulthonis peruenit ad octauam partem Piſcium locum Lunæ, mihi & Iouis illi & oppoſitum Lunæ ſuæ: de qua re iam verba feci dum de amicis agerem: Et ſcias quod locus Mercurij forſam eſt alius, quoniam geneſis non eſt ſupputata iuxta tabulas Copernici, ſed aliorum: forſan enim fuit in 21. parte Libræ, non enim poteſt eſſe procul à Venere.

Secundum iter fuit cum exij è patria non amplius reuerſurus, tunc Iupiter peruenit ad 12. partem ♋, vbi erat Lunæ trigonus, & propè quadratum Solis. Et Venus domina genituræ cum Mercurio ad trinum Tauri in 4. parte Capricorni, & aſcendens per proceſſum peruenit ad 7. partem Geminorum, vbi erant radij Lunæ quadrati, & Mars peregrinus, & Sol in oppoſito ſuæ altitudinis, & Iupiter peregrinus in aſcendente, & peruenit ad 4. Cancri. Vt ipſe fuerit dominus negotij, nam cum Planeta eſt peregrinus in aſcendente inclinat natum vt exeat patriam. Et ſi ſit fortuna, & perueniat ad locum in quo poteſtatem habeat, hæc commutatio felix eſt: ſi contra damnoſa.

Ex hac patet quod quælibet genitura habet locos quoſdam peculiares, in quibus congregantur plura, quæ faciunt ad vnum effectum: velut pro itineribus à quarta parte Cancri duodecimam ſunt radij trigoni Lunæ & eius dominium, ſextilis Iouis & eius dominium quadratique Solis, & peculiariter in nona Saturni obediens locus. Et ita à quarta ad duodecimam Capricorni pro diuitiis & lucris, & à quarta parte Piſcium ad duodecimam pro amicitia, & quarta parte Virginis ad duodecimam pro lucro. Et hoc quia octaua pars vtriuſque ſigni concordat cum loco Veneris & Mercurij: & in illas cadunt Lunæ lumen, & Martis, & Iouis trigoni erat ſextilis. Et in Leone & Aquario pro dignitatibus iuxta partem vtriuſque à Sole & Marte, & iuxta vigeſimam à Venere, Mercurio & Saturno. Et hac paruam vim habent, niſi cum directiones eorundum Planetarum, qui ad ea loca radios mittunt eò peruenerint. Et hanc credo fuiſſe cauſam partium, quas Arabes ſequebantur, velut in exemplo videbant quod ex ingreſſu Iouis ad initium Cancri ſequutum eſt iter: & ſtatuebant Cancri initium partem itineris, & conſiderabant, quod Cancri initium diſtat ab aſcendente gradibus circiter 54. querebant ergo quis Planeta à Planeta tantum diſtet, & inueniebant quod Iupiter diſtat à Luna partibus 52. ſtatuebant ergo regulam vanam: pars itineris eſt vt ſumas diſtantiam Iouis, vel domini loci Lunæ, à Luna & eam addas aſcendenti: cum tamen hoc ſolum verum ſit cùm domini loci Lunæ, & itineris ibi cum Luna radios proiecerint, & locus principalis ex ſex, aut dominus loci & rei ſignificatæ eo tempore, non alio ad locum illum peruenerint: Et ita dico de vita, ideò hos locos colluſiones ſeu conſenſus & principales appellauimus, & plerunque ſunt geminati hi loci in quauis cauſa ipſi ſcilicet & ſui oppoſiti.

De Morte.

Mors erit dum 24. Cancri occurret aſcendenti, vbi ſunt radij quadrati Veneris & Mercurij ſine auxilio, & hoc continget in annis 72. menſib. 2. diebus 12. & eſſet anno 1573. die 5. Decemb. Quamuis alia ratione non extendatur vltra 23. Iulij anni 1571. nam tum aſcendentis proceſſus peruenit ad locum Lunæ infelicem, & in reditu anni Luna ad 24. Capricorni anaræta: ibi enim ſunt radij ſiniſtri Veneris, Mercurij que. Conſtat etiam de menſe: nam ſecunda Iulij peruenit, aſcendens ad Capricornum: Et ex ſexta parte 24. per dominationem iterum ad Arietem in diebus 21. & ita terminabitur in 23. Et veriſimile eſt quòd initium ducet, & morbi aut vigoris ipſa ſecunda, vel tertia die menſis. Quoniam erit morbus longus frigidus ob Saturni radios, quibus Venus cum Mercurio eſt imbuta: & varius erit ac multis ex cauſis ob Venerem cum Mercurio, cum ipſe Mercurius ſolus faciat morbos compoſitos, tum quia multiplices habet mutationes: tum quia motus eius ſunt valde anomali & celeres, & de hoc dixi etiam in tertio Paralipomenon iuxta Fati rationem.

Temporum

Temporum diuisio.

De hoc superiùs actum est, cum anno 51. ascendens ad Iouis radios peruenisset Luna ad Iouem, & vtrumque ad sextilem & ætas perfecta authoritate potens, nec vicibus defecta & Mars in Solis radiis trigonis, qui medij cœli & temporis dominus erat per radios Lunæ quadratos felicitatem ex principibus itineris causa significauit. Et si iter non suscepisse impedimenta à vilibus personis subsecuta fuissent. Ille tamen annus ob causas dictas si Mars non sit in felix, vel *39.* eadem ratione si Sol quibusdam *63.* aut *62.* si Iupiter magnas felicitates adducere solet.

Exemplum examinis vnius anni.

Melius est vt eligamus præteritum quàm futurum, quia non cooptamus ostentationem, sed vtilitati legentium consulimus: Nemo autem melius prædicet futura, quàm narrabit præterita: & accipiamus euidentissimum, & ideò annum illum in quo facta est commutatio vitæ tota, & extra patriam viuere decreui, exiens ex illa bis, ergo eodem anno elatus sum ad munus legendi: primo cum stipendio 521. coronatorum, inde 700. factusque Bononiensis ciuis, & immunitas data. Ergo erexi figuram anni 62. iuxta Ptolemæum, & fuit ascendens Gemini & eius dominus Mercurius in domo & altitudine sua, & in occasu matutino ideò apparebat. Fuit ergo validus & significauit sanitatem corporis non obstante ætate afflictionibus itinere diuturno per aquam, mutatione regionis, & quod maius est morbis vagantibus per totam Italiam, ex quo innumeri absumpti sunt eo anno. Et similiter inspexi dominum decimi loci, qui fuit Saturnus cum Mercurio, & fuit cadens. Ideò significauit deiectionem in arte, & ita omnes me fugiebant. Postmodum conuersus ad directiones, inueni quod ascendens peruenit ad trigonum radium Lunæ & quadratum Solis, & significat iter causa honoris. Iupiter ergo qui erat in ascendente, peruenit per directionem, & ingressum in locum itinerum sub trino Lunæ, quadrato Solis, & proprio sextili, & significauit mutationem certam patriæ cum honore, dignitate & lucro, quæ à genitura per se sumpta non poterant intelligi: Et similiter Veneris & Mercurij directio, quia Venus est domina loci Solis, & Sol infirmus, & cadens peruenit ad locum fortunatum dignitatum, vbi pariter sunt radij iidem, sed locus est supra terram, quia dignitates sunt nobiliores itineribus, & res magis conspicuæ: & secum fuit Mercurius dominus secundi loci, & locus diuitiarum est oppositus pariter loco Lunæ in his, in quibus Lunæ amicos significat, & quibus solent ab amicis diuitiæ &

Anni 1562. Reditus.

Pr. ☽ ♈ 11. 42
♎ ♒ 1. 18.
♒ 18. 15
I. ☽ ♓ 11. 42.
D. Cœ. M. ♓ 19.
♊ 6. 10
☽ ♊ 7
♃ 4. 42
D. Asc. 12 ♋
♄ 18. 30
□ Infelix
△ Felix
△ Felix dimidio, quia Dir. non perue.
□ Infelix dimidio, quia Dir. non perue.
D. Directio
Pr. Processus
L Locus
L Lucri. O Opum. H Honorum. I Itinerum. VVitæ. A Artis. Ac Actionum. In Impedimentum.
♌ 18. 15
☽ ♌ 29. 16.
D ♀ ☿ ♑ 10
D ✱ ♑ 2
D ✱ ♐ 50
♐ 6. 10.
♀ 14. 22
Pr. ✱ 10. 37 ♏
Pr. ✱ 7. 15
☿ ♍ 25. 28
♎ 2. 1
♂ ✱ 10. 37
□ ♊ 12
△ ♋ 4 ad
12 L O H
□ 69. 24
V. Im.
△ ♌ 11. 2a A
△ ♌ 22 ✱ 1a
O H A 2
△ ♍ 12
I. L.
□ ♐ 12
V O
△ ♑ 4 ad
12 O H
□ ♑ 24 V
△ ♒ 12
2a H
△ ♒ 23
1a H

munera tradi: Et Lnna similiter fuit supra terram, nobiliores enim sunt amici diuitiis. Et etiam quia Luna significabat causam, locus enim oppositus nihil est. nisi propter astrum, igitur locus Lunæ significat amicos, qui dant diuitias, aut si sint infra terram significabit amicos, qui diuitiis comparati sunt, aut comparabuntur. Ideò pro præsenti non significauit

lucrum,

lucrum, sed iacturam: quia pars fortunæ peruenit ad fines infortunarum, & ita nihil lucratus sum, aut minus quam vnquam alias illo anno, sed de iam partis multum addidi. Et etiam in posterum non est bona pro lucro. Magistratus qui fortunas præstant, sunt cum Sol ipse, vel dominus loci coit radiis cum Ioue. In hac verò est stipendium, quia Mercurius fuit dominus secundæ domus, & trigoni partis fortunæ principalis. Proponam ergo tempora euentuum insignium. Ergo omnino dum directio domini honoris esset ad locum iam honoribus destitutum, significabatur honoris certa possessio, quam adiuuit, vt tumque Sol ad trigonum Iouis, sed de mense dico quod cum fortunata loca essent sub primis triginta gradibus, ergo prima conuentio fuit intra primos 28. dies cum

Missio senatus Med. 8. Octob. 1562.
Electio prima Bon. 14. Septemb.
Electio secunda 9. Octob.
Conuentio 15. Octob. 1562.
Electio tertia 3. April. 1563.

horis duabus. Et quia domini horum locorum erat Iupiter & Luna, ideò secunda electio Bononiensium & missio à senatu Mediolanensi fuerunt in eadem die cum Luna fuit in quinta parte Piscium in trigono Iouis: Et manifestum est quod perfectio dierum peruenit ad Sagittarium in cuius fine est initium Capricorni loci fortunati, sed conuentionis die Luna fuit in opposito Veneris, & in Geminis signo mensis, & perfectio diurna dierum peruenerat ad sextam partem Piscium: fuit enim vesperi, & Iupiter respexit locum trigono, sed in tertia electione, cum fuerit facta 191. die, palam est quod in septimo mense: & fuit ascendens sexta pars Sagittarij, in quo includebatur quarta pars Capricorni locus fortunatus, cuius initium est 11. dies Martij versus & ad idem: Luna tunc fuit in 26. parte Leonis, & à principio reditus anni, & hoc est, quia locus ille etiam est fortunatus, vt etiam oppositos ob radios Saturni, Veneris, & Mercurij. Item decima Leonis & Aquarij, sed sunt imbecilliores licet amici, quia Planetæ qui respiciunt, sunt omnes in cadentibus locis, & parum validi, & etiam quia sunt vacui à directionibus, & ad solos superiores deuenit medium cœli, sed in iuuenta. Locus autem Lunæ fuit agens & patiens, sed neque ad illum poterat peruenire quicquam. Soli ergo loci reliqui tres validi sunt, cum ad eos, qui in Leone sunt nullus Planeta per directionem feratur, sed solum per ingressus: ostensum est autem quod validi loci sunt, in quos radij & directiones, & ingressus eorundem Planetarum conueniunt, vt etiam in genesi Ioan. Baptistæ filij nostri, declarauimus. Adiuuit etiam hoc decretum, Iupiter dominus temporum, scilicet à 56. anno ad 68. adeò vt ad syndromen perfectam concurrant quinque aspectus multorum Planetarum, in vnum locum, directio alicuius eorum illo tempore: ingressus eorundem in locum illum progressus ascendentis, aut loci principalis pertinentis ad illam causam, & quod Planeta ille sit dominus illius temporis, & in aliquibus natiuitatibus tres causæ, ex his plus putant, quàm quinque & aliquando duæ causæ, producunt effectum sed ratio vna sola non potest, nisi in generali constitutione: velut pestilentia & in submersione nauis. Tunc enim ille se morti tradit. Ideò in talibus non errat Astrologia, sed videtur errare. Habet enim causam itineris, tunc & licet non habeat syndromen, habet tamen vnam causam vel in genesi, vel in directione, vel in reditu, vel in diuisione, vel processu mortis. Et si non habet non morietur, sed euadet intra paucos, vel etiam solus. Et præcipuè si habeat contrarium signum, in vno ex quinque, & beneficium in octaua. Ideò à 41. anno ad 56. & à 68. ingredi in nauim est periculorum quia iam natus subiicitur maleficæ per diuisionem temporum, sed secus ab vna causa sola quantumuis efficaci, homo non potest consequi effectum, aliter sequeretur in ipso ortu, quoniam cum est validissima: ergo non potest differri effectus, ideò essent, & non essent. Et hoc accidit solum in his qui mortui nascuntur. Ex hoc etiam sequitur, quod qui habent Planetas in paribus gradibus signorum, etiam si non se aspiciant magnos euentus experiuntur, & maximè si diu vixerint, nam habent causam syndrones, præcipuam & rariorem iam paratam. Vnde vel breui, vel saltem post tempus in illam incidunt. Direxi etiam Planetas ad locum fortunarum in Leonem, vt viderem, an aliquid possent. Et Marti quidem ac Saturno obstabat, quod non sunt luminaria, nec præfecti principalium: Soli autem & Veneri ac Mercurio, quod directio est contra ordinem signorum. Locus ergo cancri fuit bonus, quia extenditur à 4. parte, ad 12. & seruit ætati mediæ. Omnes tamen loci fortunati maximè 22. pars Leonis seruiunt ingressibus & processibus, non tamen per se efficere possent magnam rem, quia carent secunda conditione, & etiam quia duo loci ex Leone sunt sub terra. Reliquum est solum cum omnia plana sint, vt tacitæ interrogationi respondeam, & est quod dices vbi mors filij in tua genesi. Respondeo quod significator fuit Iupiter, & cùm peruenerit ad Martem in quadrato Lunæ interfecit, quia non erat idem ille & mihi: Iupiter enim est auxiliator ascendenti, & in illo est principalis. Et publicam ob luminaria, & illi non mihi, quia Mars aduersatur Ioui, cùm sint vicissim in opposito domorum vnus alterius, non autem ascendenti, cui tamen amicum non est. Et tunc Luna mihi domina loci in reditu anni, fuit in opposito Martis, qui erat in Capricorno, & ipsa in cancro, & Iupiter in Piscibus, & ideò ex dictis mihi significauit reditum ad munus profitendi, quod omiseram per octo annos, & illi mortem violentam.

Consideratio reuolutionis anni 64. pro diuitiis.

Anni 1564. Reditus.

D ☽ 10
Pr. ☽ 11.42. ♊
☊ 25.2
☽ ♉ 28.37
♈ 18.15.
I. ☽ ♃ 11.42
D. Cœ. M. ♓ 21
D. Ascen. 69.14
☊ 6.10
♄ ♌ 14.38
♃ ♍ 0.16
✱ ♀ ☿ ♀
♑ ♑ ♑ 24.29 20.30 18.15 14.29 10.37 ♑
♒ 6.10
Pr. ♀ ☿ 23
D ♀ ☿ 12
Pr. ✱ 10.37
Pr. ✱ 7.15
D ✱ 4
D ✱ 2
♑

In eo anno Iupiter peruenit ad initium Virginis & constat quod locus bonæ fortunæ est, Par. 6. min. 57. ♍ nam ibi est æqualitas, Veneris & Mercurij, & oppositum Lunæ, & trigoni radij Iouis. Et hoc ratione artis, vt dixi, & Venus, & Mercurius redierunt, ad locum natiuitatis. Et vocatus fui Mutinam ad Illustrissimum Cardinalem Moronum, in festo B. Laurentij, quia Iupiter & Venus cum primum ambo in Virgine fuerunt: Calendis Septembris munus accepi. Erant autem sydera tunc sic collocata, liquet igitur locum lucri ex arte, vt dixi, non esse locum fortunæ, sed maximè validum in significatoribus, artis & auxilio luminaris temporis, est enim locus Mercurij & sub trigono Lunæ

Fuit ergo reuolutio, in qua ingressus & processus, atque directiones fuerunt, vt vides, nam successus fuit non contemnendus propter honorem maximè. Vnde animaduertendum quod locus processus fuit, idem cum loco directionis: Non adieci loca felicia, neque infelicia, quia cum non mutentur, habes in præcedente figura. Sunt igitur loca principalia obseruanda viginti duo, è quibus sunt quatuor anguli: Numerus autem locorum principalium est in hac figura, vndecim & in aliis maior aut minor. Principium autem honoris & lucri fuit, ex directionibus quæ peruenerunt ad locum felicem, ex diuisione nonæ domus, quæ significat Sacerdotes & trigonum Iouis sextilem Lunæ, &

✱ ♍ 11.22. ♃ ♍ 15.59. ☿ ♍ 11.9
☽ ♍ 7.0 ♂ ♉ 12 32
♄ ♌ 23.30 ♀ ♍ 20.2

quadratum Solis, simul cum reditu eorundem per processum, in eadem loca vt dixi. Et quoniam cœli medium per processum peruenit ad locum directionis adiuuit hoc. Et etiam aliquid facit ad hoc Venus & Mercurius qui redierunt ad locum natiuitatis. Conferunt enim in hoc quod respiciunt trigono locum bonæ fortunæ. Posteà aspexi Lunam quæ processu & directione peruenerat ad locum Martis & significabat mortem violentam, eadem ratione & euasi, sed exiliens ex carpento currente, fregi digitũ annularẽ dextræ manus, & læsi grauiter auricularem ac medium, adeò vt hi digiti extendi non queant, sed & brachium totum per annum non poterat flecti absque dolore, & remansit imbecillius semper. Non interfecit, quia loco Lunæ præfuit Mars & Luna concordes, & dominabantur beneficæ multum, & maximè Venus horoscopi domina, & ex hoc patet quod seu significator feratur ad promissorem, seu contrario modo, quod locus significatoris manet: vt in exemplo pars duodecima Piscium, non autem duodecima Geminorum, nam non euasissem si facta fuisset commutatio, aut Geminorum locus mansisset: Ergo promissor fertur ad significatorem per ascensiones signorum non signa.


Anni 1567. Reditus.

Pr. ☽ 11.41
♄ 20 22
♍
☽ ☊ 18.15 19.0
♋ 17 De Ascen.
☽ 27.40
D ☽ 14 ♊
✱ 10.37.
☿ 11.48 ♎
☊ 25.0
♍ 6.10
♃ 11.42
♀ 26.40 ♒
Manifestum est, quod hæc figura est natalitiæ contraria, ideò bona in aduersis, mala in secundis.
♉ 6.10
Pr. ✱ 10.37 ♈
Pr. ✱ 7.15
D ✱ 4
D ✱ 7 ♑
D ♀ ☿ 15
♉ 18.15
I. ☽ 11.42
D. Cœ. M. 24 ♓

Post

Post hæc inspexi aliorum annorum succedentium figuras,& non inueni aliquid notatu dignum,nisi in anno 1569. verum quia nunc agitur initiū 1568.addidi figuram anni huius scilicet 1567. & succedentis, & post annum 1569. nihil est noui insigne, etiamsi non essem adeò senex. Ergo reditus præsentis figuræ est huiusmodi,inueni ergo Lunæ ingressum propinquum Saturni loco,in natiuitate & directione adhuc Marti propinquam, & Lunæ iterum processum propè Saturni ingressum, & Saturnus respicit Lunam quadrato radio. Et hæc significāt mœrorem, & morbum longum, ac prauam dispositionem,& hucusque tamen cum sit mensis Februarij,nihil tale expertus sum,nisi ob vulnus nepotis,

Anni 1568. Reditus.



In anno autem 1568.inchoante, cum hæc sit figura, non inuenio aliquid noui, neque enim aduentus Saturni ad locum Solis multum facit, tum quia locus Solis non est principalis,tum quia Saturnus est robustus, & in sua dignitate,& est corpus,& non est promissor: Lunæ quoque directio multò plus nocet & si esset ad oppositum Martis, in natiuitate, quam quod sit in loco illius. Quia tamen est in septimo loco, & inter corpora maleficarum totum,hoc tempus medium mille periculis, & incommodis obnoxium, erit tamen minus hoc ipso, quam cæteris annis sequentibus, propter Iouem in ascendente. Et scias quod directio durat, per longum tempus & interim expectantur processus & ingressus quolibet anno, mense, die, hora,momento, & difficile est euadere, quin homo incidat in laqueum, in puncto tamen ipso esset efficacissima, vt si aliquid conueniat, quicquid expectari potest sequatur.Adeò verò in hac exquisita directione confisi sunt, vt Paridem Ceresarium palam sit, ea contentum fuisse.I. Maria Ferrariensis visus processibus etiam tribuisse mortem comitis Iacobi Picinini ad horam definierit, quod sola directione facere non licet, vexabor tamen eo anno podagra,& tristitia.

Circa hæc ergo nota, quod in euentibus primus locus debetur promissore, qui fuerit significatori configuratus iuxta naturam significati: vt trigono in iuuando, oppositione in nocendo,vt mihi Mars cum Luna ad casus. Aduertendū quod licet Lunæ radij occupent duodecim gradus,non tamen Saturnus dicitur configuratus Lunæ, neque Luna sub radiis Saturni, quia ipsius lumen non extenditur vltra decem partes, sed tamen Luna dicitur Saturno configurata & Saturnus sub radiis Lunæ.Et ideò potest esse ista commutatio, & nō vicissim, & hoc multum refert, sed & si promissor ad nocendum sit, plus potest oppositio quàm corpus aut quadratum eius, illa verò fermè paria sunt inter se: In iuuando autem corpus & trigonus plus possunt Sextili: inter se autem penè paria sunt luminaria, tamen corpore plus iuuant, aut nocent quam radio. Ita tamen vt Solis corpus impediat reliquos Planetas, sed locorum vim valdè adaugent. Qui etiam iuuat, plus iuuat cum significatoris loco, & ab initio & tum præest: qui nocet cum non præest, & cūm contrariæ nostræ fuerit. Iuuant etiam plus Mundo elatiat in sublimibus locis, & in angulis, & in apice suorum paruorum circulorum, cùm enim velocissimè mouentur, & sunt prope Solem: contra minus & cum retrogradiuntur, & tunc superiores sunt prope Solis oppositum, & cum fuerit prope eccentricorum apogeos, quos hic à latere vides: contra minus humiles atque deiecti tam in bonis, quàm in malis, sed & beneficæ, vt semper benefaciunt, & maleficæ malè, Saturnus tamen plus obest vitæ & honoribus, Mars opibus & inimicitiæ. Ita Iupiter plus prodest, opibus ac potentiæ, atque honoribus,Venus vitæ voluptatibus,filiorum procreationi, Saturnus plus illis obest, Mars deteriores Saturno,

Iupiter meliores Venere Anæreta, præterea & in quauis causa, qui detrimenta maximè affert, tribus simplicibus modis fit, atque

Apogea Planetarum.

Sol. & ven.	♋	1.41
Saturni.	♐	13.39
Iouis	♍	23.53
Martis	♌	15.28
Mercurij	♎	0. 55

Luna cùm est in coniunctione, vel oppositione Solis, & cùm antem est in quadrato, est in perigeo.

in omnibus exigitur, vt sit potens, & quod nullam in promissoribus loco obtineat potestatem. Primus vt sit malefica: Secundus vt sit medius natura, sed radio hostili, seu per se, seu ratione ascensionis æquinoctij aspiciat locum significatoris: Cùm enim directione ad alios radios hostiles deuenerit, seu hostilibus æquiualentes, aut corpore ipso occidit: vt si ex opposito ad quadratum, aut ex quadrato ad oppositum aut corpus peruenerit. Tertius modus cum medius etiam natura domina fuerit, loci oppositi significatoris, aut loci quadrati, qui vtraque ratione discordet, velut Cancer ab Ariete: Gemini à Virgine. Adiuuat autem hæc præcipuè in aliis causis, & ad impediendum, contraria natura: vt Solis & Saturni, Lunæ & Martis, Veneris & Mercurij: nam quando Venus siccissima est, & Mercurius cùm humidissimus, cum vterque est temperatus: Iupiter autem cùm sit temperatus omnibus, & nulli contrarius est. Inde dignosces cùm similes fuerint, aut maximè contrarij. Vnde quatuor ex his composito modi euadunt. Si verò duo altrini simplices modi in annum consenserint, etiam benefica euadet malefica. Vt si Sol sit in initio Virginis, Iupiter in initio Piscium, vbi per discensiones locus Solis conuersa ratione ad Geminorum initium peruenerit, fueritque Aphæta Solis locus damnabitur à Iudicibus pœna capitali: Directio autem conuersa fit, velut in Ptolomæi exemplo, si initium Arietis, quod est in octaua duxeris ad medium cœli, quod est 18. pars Tauri per ascensiones ipsius Medij cœli, id est, rectas, consurgent enim partes 45. non autem 51. vt in directa descendente, quæ proponitur à Ptolomæo. Quæres ergo circulum positionis promissoris vice circuli positionis loci significatoris. Plus prætera potest directio processu, & cum eo quàm ingressus: ingressus post progressu potentior est. Et vt in processu significator veniat ad locum promissoris, scilicet vbi tunc etiam fuerit, & ab initio quam contrario modo. Velut directio Solis peruenit ad decimam partem Capricorni in succedente reditu, vbi sunt radij eius, quadrati & Lunæ Sextiles & Iouis trigoni, (& non est hoc vt in vita, quadratus enim locus significatoris, destruit significatorem, in honoribus autem & opibus non est idem) cum ergo processus peruenit loci Solis, & est principalis ob gradum sicut in anno 1562. Iouis, cùm esset in quarta parte Capricorni aut Lunæ, & est secundus ob propinquitatem ad illius radios, trigonos ac dominium, aut Iouis qui est tertio loco, sed est duplicatus, nam processu & corpore redit ad idem, tunc continget quod expectabatur maximè, quia vt vides Sol & Luna reditu respiciunt locum. Et significant impedimentum durum ob Saturnum. Sed vt dixi est dominus loci directionis, & ob hoc minus nocet, & est sub radiis Solis totus, ideò is qui impedire conabitur, erit totus in potestate eius qui fauebit negocio.

Et propter hoc in præsenti reditu, anni 1569. & erit annus meus 69. & in anno 1570. complebitur quicquid à me erit in tota vita deinceps expectandum. Dico ergo quod vbi reditus & processus, peruenissent

Anni 1569. Reditus.

☿ ♍ 29.25
✱ 10.37
♄ 12.36
♎
♍ 18.15
♌ ♍ 16.14
Pr. ☽ ♏ 11.41.
♃ ♑ 5.7.
♀ 24.39
♂ 5.53
♌
D. Ascen. ♋. 20
♑ 6.10.
D ✱ 7
D ✱ 10
D ♀ ☿ 17
♑
♋ 6. 10
Pr. ♀ ☿ 23
D ☽ 16
Pr. ✱ 10.37
Pr. ✱ 7.25
♊
D. 3.10 ♈
D. Cœ.M. ♓ 27
♓ 18.15
I. ☽ ♓ 11.42

ad Solem, vel Iouem, vel Lunam, qui sunt significatores, & fuisset conuersum, parum, aut nihil profecissent, sicut vides, de Sole cum partem fortunæ, qui perueniunt ad locum Martis & infortunij minoris locum, quoniam non conueniunt, & est solus processus, ideò erit aliqua iactura in re, sed non magna eo anno, sic autem multum pos-

ſunt. Prodeſt autem quod Mars minimè locum aſpiciat impediturus, aut ſaltem moturus turbas, cum ſic futura ſit conditio, quaſi ſponte ſe offerens, & ſilentio adueniens, ſpecie ſplendidior præſenti, ſed re longe minus quieta, & forſan vtilis, ſed vt ad rem redeam minus, validum eſt, cùm, vt dixi, promiſſores peruenerint quouis modo ad ſignificatores, vt ſi Mars ad Geminos, Iupiter ad Taurum, multò minus, ac fermè nihil, vt cum quarta pars Capricorni per directionem aut proceſſum, ad locum Iouis aut Solis, aut Lunæ deuenerit. Cùm autem cogitaſſem, vidi quod eſt de genere reditus anni 1564. Et etiam quia eſt in nona.

De quodam Fortuito.

Fuerat reuolutio anni, 1553. quam ſalubrem futuram ſcripſeram. Accedit tamen hoc inexpectatum, vt hora in figura deſcripta, ilium ſiniſtrum vehementer doluerit, fluxit venter ad ſecundam noctis horam à

1553. die 20. Nouembris, hora 2. min 30. P. M.

quarta ad 14. dormiui: ceſſauit ilij dolor, ſed voluntas egerendi & meiendi perpetuò, qualis in teneſmo ſuperuenit: adeò vt ab hora 13. ad 22. meierim ſupra 80. vrinæ vncias, in cętum fermè vicibus ſine vrigine vlla. Cauſa ex aſtris huius ſymptomatis fuit Luna oppoſita Soli & vterque in Saturni quadrato, quod erat in loco Lunæ, ſicut Luna in locò Martis radiis: ideò fecit dolores, poſtmodum vt elongata eſt à loco ibit ad locum Saturni radicis, & oppoſitum Martis, & quadratum Iouis infelicis, eſt enim in Virgine, ſed cum peruenit ad locum Saturni, factus eſt teneſmus ille maximus. Et hæc ex ingreſſu. Ex profectionibus autem ea die peruenit aſcendens ad initium Scorpij, & Luna ad ſui oppoſitum vbi cadunt radij quadrati Martis, & fuit aſcendens reditus anni, & ideò quantum ad vitam non eſt valde bonum. Ergo cauſæ huius morbi fuerunt ſeptem: Prima ingreſſus profectionis aſcendentis in locum malum. Secunda profectio loci Lunæ in locum profectionis aſcendentis anni oppoſitum ſibi & quadratum Martis, & hæc ambo in eadem die cum oppoſitione luminarium, vt iuxta regulas Ptolemæi non produceretur effectus. Tertia oppoſitio Lunæ in loco Martis in genitura. Quarta aſpectus Lunæ quadratus

cum Saturno, & Saturnus erat in loco Lunæ geniture. Quinta Lunæ defluxus ad locum Saturni radicis. Sexta oppoſitio Martis ibi. Et ſeptima quadratum Iouis infelicis cum Marte & Luna. Et ita euenit ad vnguem ſicut ſperaui & timui, nam dte 21. in meridie cum Luna fuit iuxta locum Saturni genituræ peſſimè me habui, ſub occaſu Solis & vſque ad tertium horam noctis meliuſculè ob trigonum Veneris, poſt vſque ad octauam horam noctis cum Luna pergeret ad Martem & Iouem, adeò peſſimè, vt ſi ad ſolum morbum reſpexiſſem deſperaſſem de ſalute: poſt dormiui: hora 14. euaſi à morbo cum Luna exiſſet ſignum Geminorum. Cauſæ verò inferiores etiam ſimul conuenerunt: nam pro morbo fuit moleſtia quædam parua animi, deambulatio à cibo, frigus pedum, aſſumptio oxymellis ſcilitici, quæ pituitam acidam ad locum præcipitauit, vſus copioſus ciborum crudorum & ſalis. Et hæ ſi non præceſſiſſent, ægrotaſſem, ſed non tam vehementer Ex cauſis autem ſalutis fuit abſtinentia à cibo ab hora 19. diei 20. ad tertiam noctis 21. & à 3. noctis 21. ad 2. noctis 22. Cibus etiam bonus. Die 21. ſumpſi 32. reſinæ laricis ſepties lotæ cum vino albo dulci, die 22. feci frictiones validas in cruribus, & applicui hirundines ambobus pedibus. Cumque Iupiter exeat ſignum Virginis & Mars Sagittarij, ſignificant ſerenitatem, quam Deo dante 23 die adeptus ſum.

GENESIS IX.

Gulielmi Caſanati Beſuntini Medici.


Nihil non niſi magnificum & mirabile hic me adiecturum ſum pollicitus, quod ad exemplum attineret. Quæſiſſe enim amicitiam noſtram hominem tam procul patria noſtra natum, non cognitum alias nobis, ſed ſolo virtutis amore res inſignis exempli eſt in hac labe temporum. Inde ex Burgundia in Scotiam traieciſſe, habitaſſeque ibi vbi pauciſſimi aduenæ habitant, rarum. Domini quoque ac ſerui res aliter ſe habere hoc ex-

	Motus	Latitudines			
Sol	Vel.				
Luna	Velociſſ.	M	A	4	47
Saturn.	Medioc.	S	D	0	5
Iupiter	Velociſſ.	S	D	1	4
Mars	Vel.	In Cauda			
Venus	Vel.	M	D	2	2.
Mercur.	Vel.	M	D	2	49

emplo demonſtrabo, quam amicorum inter ſe. Deinde ſi eruditionem, promptitudinem liberalitatem inſpicias, non eſt vulgaris hæc genitura. Aulicus totus, ac quaſi in ipſa aula natus. Solus etiam cum ſorore è ſex fratribus ſupereſt.

De Parentibus.

Saturnus est in angulo imi cœli recipiens Solem & in domo sua, cui Luna sextili applicat, Sol in ascendente cum Ioue, ideò pa-



tri longam vitam decernit. Cúmque Sol sit cum famulitio multo, sed occidentali, ipse erit quinti status à natiuitate filij, fuitque. Luna respicit Venerem, sed Venus ab angulo cadit, Luna succedit, ideò etiam matri longa vita, sed tamen breuior, quàm patri decernitur. Luna etiam est in suo trigono & à Venere recepta & in trigono Mercurij.

De fratribus & sororibus.

Luna & cœli medium significant multos fratres & sorores, cum sint in signis fœcundissimis, Cancro, Piscibusque. Ambo hæc loca damnat Saturnus excipiens Lunam venientem ex Capricorno & cœli Medium oppositis radiis pulsans atque hostilibus. Saturnus enim Cancro aduersatur: Sol quoque cœli Medium quadratis radiis respicit, Iupiter sub radiis nullum masculum superfuturum, nec fœminam, nisi vnam, quæ à Venere decernitur, cuius radij trigoni cadunt in septimam Leonis partem, ideò erit virago. Lunæ enim radij oppositi nimis procul à cœli Medio cadunt, & à Saturni & Mercurij radiis impediuntur.

De sexu.

Signum ascendens & Sol, & dominus loci ascendentis & errones in ascendente omnes masculi.

De numero.

Omnes significatores sunt in signo vnius corporis præter Lunam, & sine commixtione, ideò vnum significant: Et sine mola ac talibus.

De perfectione formæ.

Sol est cum benefica in ascendente, nec malefica succedit, sed præerunt radij, ideò non erit vlla ex parte monstrosus. Sed sine macula.

De nutritione.

Mars succedit Soli & Saturnus radiis quadratis vexat ascendentis ideo significat impedimenta in vita dum infans fuit. Euasit tamen quia Sol est cum benefica in ipso horoscopo.

De genitura vera.

Si ponatur Saturnus in angulo ascendet 12. Libræ pars. Si verò 16. Libræ videbitur genesis naturalis. Nam Saturnus carpentum habet in loco coniunctionis luminarium. Sed hoc solæ directiones & euentus rerum distinguere possunt.

De vita.

Sol absque dubio Apheta est. Significat vitam robustam cum sit in centro horoscopi, cum sit in centro horoscopi, & cum benefica. Propter casum autem & Libræ qualitates, & Iouis exustionem significat morbos cutis, & ex adustione procedentes. Sunt autem lepra, scabies, gallicus morbus, & tales. Mars quoque succedens adauget mala. Morietur anno 66. Si à calamitatibus publicis cauerit. Tunc enim Sol Lunæ quadrato in Sagittario occurrit. Aliter nunquam deest occasio: Primum iuxta 24. annum submersionis: & antea febris ardentis trigonis Lunæ, corpus Martis, inde etiam iuxta 28. cum ad Mercurium rixæ iacturæ honoris. Ab ascendente autem iuxta 28. annum rixæ peregrinationis acutæ febris, & iuxta 50. submersionis. Mortem quidem euadere poterit, periculum non. Vel erit suffocatio ex morbo, vt asthma vel attonitus. Generaliter autem si non violenta morte moriatur erit satis longæuus.

De corporis forma.

Planetæ occidentales faciunt paruos & erit obœsus, valde proprium Iouis in Libra & Geminis, pulcher, validus. Forma est ex Venere, Saturno, Ioue, Mercurio, hic dat agilitatem. Sol omnia decora reddit, addit & gratiam ac grauitatem, & patri aliqualiter similem reddit. Cumque sit notus, non cadit suspitio quod omittam timore erroris.

De vitiis & morbis corporis.

Benefica est in horoscopo, ideò cum neque in sexto, nec septimo, nec primo loco sit malefica vitiis carebit. Nodus etiam abest, solum Saturnus in imo cœli aliquid circa pedes posset facere. Morbos iam diximus: erunt plerunque febres putridæ. Sol, Iupiter, Libra, calida & humida. Sed quia superat calor, longè minus vexabitur.

De animi qualitatibus.

Mars est dominus locorum Lunæ & Mercurij, inde Venus & Luna ipsa, vltimo Iupiter. Hæc autem descripta sunt suis locis.

Mars

Mars est debilis & occidentalis vtroque modo. Venus occidentalis & ipsa, sed matutina cum sit aucta motu. Erit valdè callidus & supra quam existiment homines: nam Mercurius alligatur Lunæ trigono, ob id promptissimus & fortis, & audax, & boni ingenij.

De animi vitiis.

Carebit vitiis animi, quoniam non eleuantur maleficæ super dominos qualitates animi, & Mercurius Lunam respicit, & neuter est in angulo. Quia tamen Mars est in nodo, mutabit opiniones, & erit præceps aliquando. Et credo quod ipse prudentia sua omnia etiam hæc in melius vertet. Erit Veneri abundè deditus non nefandæ. Et ludis etiam delectabitur. Sæpius etiam ocio. Sæpius etiam bonus socius, comptus, ornatus, luxus, & voluptatibus deditus. Tempus inquire noscet.

De diuitiis.

Sors est sub Luna & in beneficarum dignitatibus in quadrato Veneris & trigono Martis. Acquisita per artem & ex donis, conuiuiis & voluptatibus maxima ex parte consumet. Lucrabitur autem plurimum. Et maximè iuxta senectutem, id est, post quinquagesimum annum. Et generaliter multis modis lucrando erit felix. Et anni boni erunt maximè 32.33.44.45.56. & 57. & hoc si ingressus non repugnauerint. Rursus magnam occasionem felicitatis habebit cum ad 7. Arietis partem peruenerit anno scilicet quinquagesimo, & ante scilicet 45. Et si ingressus fauebunt erit maxima, si repugnabunt mediocris si neutri magna. Vndique etiam diuersis annis causas inueniet.

De honoribus.

Sol est in angulo & signo masculino atque ibi latrones: Est igitur tertij aut quarti status. Tertij, debilis iuxta Ptolemæi verba, iuxta sententiam quarti, sed non validi. Erit proculdubio gratus principibus, sed illis vt cunque non satisfaciet vt volet. Cæterum magnanimus, splendidus, liberalis, honorum appetens. Ex ira & ludo detrimenta accipiet. Nec ex corde amabitur ab illis. Ipse tamen eos magis in potestate habebit, quam hi eum: nam Sol est in dignitatibus Saturni & Veneris. Aliquando dignitates habebit, quamuis medico rarum

De opificio.

Rursus insurgent Astrologi æmuli, vbi opificium, vbi Planeta orientalis, aut in cœli Medio? Præterea dico quod Iupiter & Mars, & Luna opificij domini sunt, & quia conueniunt cum tertio statu, significant medicinam. Et quia sunt occidentales, nec in cœli Medio, aliquando se ab exercitio sponte remouebit. Et in tempore quo illi vacabit, fieri non potest, vt vllo modo sit assiduus. Quare non errat is, sed qui malè eam intelligunt. Manifestum est autem quod minus assiduè, quam ego illam exercebit. Diuinabit certo modo, aulicus erit, & multa ac magna tractans negotia, plus illis, quàm medicinæ intentus erit.

De coniugio.

Luna est in quadrantibus partim occidentalibus, partim orientalibus, significat media ætate vxores. Est in bicorporeo & pluribus complicata: vnde habebit etiam concubinas cum vxore. Quædam erunt ingeniosæ quæ à Mercurio, quædam iucundæ, quæ à Venere, aliæ contumaces quæ à Marte. Carent testimonio Solis, Iouis & Saturni. Quod de multitudine dixit Ptolemæus vxorum, loquitur vbi diuortium, aut vxorum pluralitas admittitur.

De filiis.

Erit prolificus (quamuis iam exegerit annos 33. & nondum habeat nisi filiam vnam) & fœminarum potius quàm masculorum. Multi tamen non superuiuent de filiis ac filiabus. Quod si Saturnus esse in imo cœli, vt videtur, nullus aut vix vnus, aut vna superesset. Sol enim præter id infelix cœli Medium quadrato radio grauiter afficit. In vniuersum pauci supererunt.

De amicis.

Mira res est amicorum, & vt dixi, hic apposita est hæc genitura ob exemplum, sed cum nostra concordat, vt Ptolemæus dixit Lunæ locus cum Lunæ loco, & Solis locus cum Solis loco, & vbi est locus Solis illi, ibi est Venus & Mercurius etiam mihi, & dominus ascendentis vtrique est vnus, scilicet Venus, & illius ascendens signum mihi sextæ domus, & pars fortunæ illi, sub Luna mihi, & cœli Medium atque imum cum cœli Medio, & imo vicissim in genituris nostris commutantur: multa denique inter loca principalia contrarietas. Ascendens etiam eius proximum est loco Solis mihi. Cum secunda autem, vt dixit, conuenit ratione serui, Luna huic est in opposito Lunæ domini sui ad vnguem & propè Iouem illi. Et Saturni locus hic, locus Veneris illi. Et ascendens signum sextæ domus secundæ genituræ. Ex quo videor ego Archiepiscopo conciliatus per ipsum Casanatum. Quo ad curam, ego videor ex astris melius sentire, quàm Casanatus, quod cum Saturnus sit causa morbi in secunda genesi, locus oppositus significat sanationem. At ego ibi, id est, in tertia parte Tauri habeo Iouem, ipse Casanatus Martem propè locum non in opposito. Scripsit tamen, vt aliàs dixi, libellum de cura huius morbi disertè certe & facundè, & subtiliter magno ordine, vt quisque mirari possit illius diligentiam.

De itineribus.

Rursus hic insurget æmulus astrologiæ, vbi signa itinerum, vbi signa tam diuturnæ moræ extra patriam? Nam hic luminare. non Mars, non Sors cadunt ad angulo. Sed audi ô bone vir? Duo mediocria faciunt vnum magnum, & tria vnum maximum. Luna est peregrina, & in fine quinti loci, hanc aspicit Mars, & Saturnus est in imo cœli, & ipse est ex gente quæ peregrinatur. & assueta morari extra patriam. Pater enim suus qui adhuc viuit Hispanus est, & vitam agit Besuntij in Burgundia loco remoto valde à propria patria distantia, sed longè plus moribus. Et hoc est, quod dixit Ptolemæus, & quod sæpe reperij, iudicia Astrologi sunt ex astris & ex temperatura. Cum cœli Medium ad quadratum Martis applicuit in 6. Leonis parte significauit discessum è patria, & ex hoc & aliis haberi potest verum genituræ tempus. Ex quo colligitur vnicuique contingere multa communia natis propinquo tempore, alia autem propria.

De morte.

Mors, vt dixi, erit ex casibus obuiantibus, & iuxta naturam loci cui obuiant Anæretæ. Et scias quod multa contingent huic homini, quæ non sunt scripta hîc, de quibus mirabitur, quæ erunt aliena ab his quæ hic promittuntur propter processus & ingressus, quos si quis voluerit conside-re, ætate vna indigebit. Hæc autem quæ hic scribuntur sunt generalia & firma, quæ cùm per ingressus, & processus mutabuntur, ad pristinum tamen statum sponte redibunt.

De temporum diuisione.

Loci principales sunt Cancri pars 18. Libræ 12. vel 15. tum etiam 21. Piscium 3 & 10. Et erit notus omnibus Principibus non tamen in ea quam desiderabit existimatione, Sed successu temporis in maxima apud quendam. Et succedent ei quædam magna sui causa, quæ videbuntur inexpectata. Et quibus necessitatis legibus quædam euenire tenentur, iisdem etiam scire, aut scita dicere.

GENESIS X.

Pauli III. Pont. Max.

AD veritatis inquisitionem miris modis non numen aliquod assiduè aspirantibus iuuit, vt non solum magnifica & præclara, sed etiam rarissima, inusitatique euentus exempla proferrem. Nam cùm ea priuata vita, exiguaque fortuna ad Regnum ecclesiæ seu sacerdotij prouectus sit, fuit etiam eruditus Græcæ linguæ haud mediocriter, vitæque diuturnioris, prudentissimus, Matheseos non ignarus. Sed quod maximum omnium est, omnia prius illi prædicta sunt, quàm euenerint. Quomodo aut m, dicemus inferiùs.


Motus		Latitudines				Differentiæ	Rect.		Hor.	Tem.
✱	Vel.					78	0	An.	15	42
☽	Vel.	S	A	4	50	23	12	An.	12	22
♄	Vel.	M	A	2	4	52	29	An.	14	4
♃	Med.	M	A	0	18	13	44		11	22
♂	Vel.	S	D	0	43	17	8	An.	12	5
☿	Vel.	M	D	1	3	68	10	An.	15	0
☿	Tard.	M	D	0	23	77	44		12	50
Cœl.	Med.					247	17		11	27
Ascendens						27	44		12	50
Sors						48	1	An.	13	45

Stellæ inerrantes.

Saturnus cum præcedente flexus Piscium magnitudinis quartæ, naturæ Saturni & parum Mercurij, vnde patet decreta Saturni maximè cum horoscopi dominus sit confirmari memoriam, patientiam, constantiam.

Iupiter cum dextro humero Orionis magnitudinis primæ, naturæ Martis ac Mercurij, & cum dextro Aurigæ humero secundæ magnitudinis, naturæ autem præcedentis. Corpore autem iunctus summitati claue Oriontis, magnitudinis quintæ naturæ Saturni & Iouis. Atque quartæ stellæ adiacentium cornu boreali Tauri, magnitudinis quintæ, naturæ Martis & in via Lactea: Augent ergo hæc Iouis robur & significata, diuitias, & honores, & sacerdotia maxima.

Mars inter Vergilias collocatus, Lunamque venientem in sua altitudine expectans,



& in Solis sextili, administrationes maximas, exercituumque potestatem decernit. Cumque in quadrato sit Mercurij, prauitatem morum adiicit.

Luna est cum Cauda Arietis, magnitudinis quartæ, naturæ Veneris, vnde fortunam bonam auget, & Martis detrimenta minuit.

In occidentis angulo coëunt radij quadrati Martis, oppositi Mercurij, trigoni fermè Saturni, & sextiles Iouis, vbi & Regulus naturæ Iouis & Martis fortunam firmam in senio ostendens ac illustrissimam, sed & prægrandes calamitates: Quæ omnia illi contigerunt summi sacerdotij adeptione, & filij morte violenta.

Itaque occiso Petro Aloysio, vir insignis Ioannes Maona Pisanus à secretis illustrissimi Præsidis prouinciæ, Ducisque Cæsarei exercitus inuentam epistolam inter arcana occisi Principis huiusmodi nobis obtulit, cum hac etiam inscriptione.

Copia Capituli literarum Excellentissimi Astronomi D. Paridis de Mantua ad Reuerendissimum Cardinalem Alexandrum Farnesium, nunc Pontificem Maximum tempore obitus Leonis.

Reuerendissime Domine, vidi & cum summo studio ea, quæ ad me transmisisti circa genituram Vest, Reuerendiss. D. & diem natiuitatis quæ fuit 28. Februarij mi. 46. anno Domini 1468. cuperemus recursu syderum satisfacere desiderio tuæ D. Reuerendiss. in his proximis comitiis: Verum sydera pro nunc non sunt disposita, sed in aliud tempus erunt benigniora. Pollicentur enim assumptionem summam ad gradum Pontificatus anno Domini 1534. Qui erit annus 66. dies 253. hor. 9. mi. 34. ex directione Solis ad trinum Mercurij cum testimonio Iouis & Saturni. At interim non leue periculum in aquis anno 61. mensibus 6. diebus 3. Ex directione Lunæ ad quadratum Saturni. Anno 81. diebus 68. 1549. D. Reuerendiss. grauiter se habebit cum magno vitæ discrimine, quæ dies erit 4. vel 5. Maij 1549. ex directione ascendentis ad suum trinum, qui pro quadrato habetur, eo quia est in signis breuium ascensionum, cum testimonio Saturni domini terminorum illius directionis, & sine auxilio Iouis cum non reperiatur in aspectu quadrato trino vel opposito in ista directione. Posset tamen præsentia Iouis conferre, quod tamen nos non credimus. Hæc ille vir penè diuinus.

Examen præcedentis prædictionis & totius genituræ.

Primum inscribitur copia Capituli literarum, & non copia literarum, vt intelligamus in his literis etiam alia contenta fuisse, & non solum hoc capitulum. Quæ forsan de aliis rebus erant. Filium autem Pontifices exemplar prædictionis, vt diuinum quoddam oraculum tantum curasse transcribi. (Excellentissimi D. (Hoc epithetum additum fuit ab Anagnosta Petri Aloisij, non ab ipso epistolæ authore. De Mantua palam est (ex his quæ nos sciuimus à suo discipulo Euangelista Brasca Mediolanense monacho S. Benedicti quem postea in gratiam magistri, quod magister mortuus iam esset vocatum à Paulo III. Pontifice, qui prius Alexander Farnesius vocabatur & à religione, collegioque monachorum exemptum creatum in episcopum) eum fuisse Paridem Cæresarium familia, qui & patria Mantuanus vocabatur. Hoc autem ad Excellentiam maiorem inditum, vt patriæ solum nomine tanquam non solum inter familiæ homines, sed totius patriæ emineret, agnosceretur. Quod maximè in vsu habere solemus in regionibus longinquis. Vt apud Anglos Mediolanensis Regis, nam familiæ nomen penè ignotum est. Aut dixi, ob viri maximam excellentiam. Ad Reuerendissimum, Palam est quod qui res curant, non possunt adeò de sermonis nitore esse solliciti, nam Reuerendissimus haud Latinum est epithetum, vtimur quandoque tamen & nos cum nihil illius loco habeamus. Licet autem tunc nouis epithetis dignitatibus rebus noua indere nomina, tametsi non adeò Latina dici possint, maximè apud eos qui non de sermonis elegantia certant, sed rerum veritate. Nunc Pontificem maximum declarat, qui rescripsit tacitè causam cur rescripserit, non enim antequam euentus sit secutus rescripsit, sed rei miraculo ductus & succedentium expectatione, iussit filius hæc ex literis ipsis Paridis Cesarij atque authoghrago exscribi. Additur tempore obitus Leonis, ne quis crederet epistolam conscriptam tempore, quo iam factus esset Pontifex, & vt longa præuisione res honorabilior haberetur. Nam propè quandoque ex coniecturis licet ventura præcognoscere atque prædicere: Multò antea prædixisse, omni suspitione caret, & diuinitus est.

Reuerendissime domine, licet ex responso petitionem Cardinalis coniectari, quæ quatuor continebat capita. Primum an cum mortuus esset Leo decimus, posset ipse eligi in Pontificem. Nam vbi posset, rem in animo habebat tractandi audacter: vbi non, amicis opera danda erat, nec in cassum repulsa quærenda. Ex quo patet quanta ex arte vtilitas habeatur. Quamque sapienter Cardinalis arte vsus sit, vt vtrouis modo prædictio caderet, non parum illi vsui futura esset. Perspectam quoque artificis excellentiam habuisse non ex hoc, sed ex aliis antea. Secundum quæsitum fuit, si non modo contingeret quando futurum esset. Ex quo patet ab illo sperasse omnino quandoque futurum Pontificem.

Nam non quæsisset adeò constanter an tunc esset futurus Pontifex, si non sciuisset se quandoque futurum. Nec is addidisset, (verum sydera &c.) nisi aliquando futurum prædixisset, aut saltem ille tunc quæsisset. Tertium quæsitum quæ illi ventura essent interim, selegit autem vnum notabile verum, non vt nostro tempore decem exigua, quorum cum maior pars falsa deprehendatur, illud quod verum est atque succedit, non ex arte esse creditur. Quartum & vltimum, quantum superuicturus esset. Nunc verò singula discutiamus.

Respondet ergo Paris vidisse genesim, & ne obiter crederetur subiicit 28. Febr. anni 1468.

1468. non dixit vltimo Febr. quia annus 1468 est bisextilis. Sed addit mi. 46. Error est in scriptura, hor. mi. 46. ante meridiem legi debet. Sic qui ediderunt, qui dederunt & factum ipse Pontifex mihi approbauit. Brasca illam esse dixit, & quod maximum est directiones omnes congruunt. Mortuus est Leo Octobris mense 1521. prædixit submersionis periculum ante septem annos quam fuerit, electionem ante 12. vitam senis annis 27. audacter extendit, ob quæ nobile hoc præsagium dici inter cætera meretur.

Cuperemus te cursu syderum satisfacere, tanto meliore sensu oratio est, quo barbara dictione contextuque magis. Id est, cum alij astronomi, vt blandiantur interuertant syderũ decreta, quæ non sũt in nostra potestate, ego doleo non posse amoliri quod decernunt. Policentur enim assumptionem: Primum hoc præsupponit vitæ diuturnitatem, quoniam Sol & ascendens fuerunt Aphetæ, & cum ascendente Mercurius trigoni dominus orientalis, & matutinus, & radij trigoni Iouis ad ascendens, & sextiles Lunæ ad Solem. Et Gauricus dixit se obseruasse in plus quàm mille genituris viuaciores esse illos, quibus Planetæ sunt sub terra, quàm supra terram. Et existimat hoc esse contra decreta Ptolemæi, cùm non sit. Nam supra terrã maleficæ præsertim cum fuerint radios oppositos transmittunt infra terrã, quibus obuiũ ascendens perimitur. Infra terram corpus maleficæ non adeò perimit, vt radij oppositi. Ptolemæus loquitur de naturali robore vitæ qui maior est his, qui Planetas maximè luminaria supra terram habent. Constat igitur omnibus rationibus debuisse esse longæuum & valde. De dignitate autẽ Pontificia fuit primũ ex nobili familia ex vrbe, ex qua plures fuêre Pontifices, quàm ex alia. Pontifex enim Romanus est Episcopus in senili ætate in qua maximè solent deligi, vt pluribus satisfiat, multi Cardinales frequenti largitione ditentur. Ipse verò blandus & callidus, & in opinione hominum quod esset aliquando deprehensus morbo attonito & quod esset probus vir. Nec fuit omnino malus si sui generis hominibus conferas. Erat enim, vt dixi, eruditus eruditis, maximè pauperibus, beneficus, prudens, nec sæuus, nec religionis contemptor. Sed quo ad sydera attinet, fuere quinque notatu digna, Sol in ascendente cum erronibus comitantibus & Mercurio orientali, & Ioue in angulo. Mercurius in optimo statu trigono radio excipiens Iouem in angulo. Sol exceptus à Ioue ex quadrato & in sextili Lunæ potentis. Cœli Medium in Iouis opposito domini sui & trigono Saturni. Cor Leonis in occidente, significans ætatem declinantem maximis honoribus & potestate agendam. Adiuuant hæc radij in occidentem transmissi maximè Mercurij & Iouis, & tot stellæ insignes cum ipso Ioue. Mercurius autem in horoscopo facit sagacissimum. Itaque iam constitutum erat futurum Pontificem, maximè quod ætatis processu meliores geniture natorum interitu inefficaces redduntur.

Qui erit annus 66. dies) Ostendit firmiter hæc se prædicere, velut & illud (Non potes) vide quàm expresè loquatur, non quemadmodum nostræ ætatis sycophantæ forsan, fieri potest, existimo, astra videntur polliceri, nisi esset, & tales meræ nugæ: at ipse dilucidè & quod successurum non erat negauit, & quod successurum erat pollicitus est nulla adiecta ambage. Et adiecit annum & dies, ne fortuitò prædixisse existimaremus: nam nisi addideris quæ ars erit. Omnia enim ad sic vel non reducuntur. Horum verisimilius persæpe eligere facile est. Deinde dum viuit, semper si tempus non adiicias dicere potes futurum esse: cum fuerit mortuus, quis te mendacij coarguet. Ita nebulones hi nunquam reprehendi possunt. Quinimo si nunc decem sint Cardinales seniores, aut alicuius nominis, omnes habebunt suum vatem. Sed qualis vates? impudens: adulator, & proditor. Multos enim spes præcipitat. Adiecit ergo diem, vt artificiosam indicaret esse coniecturam: incidit autem 253. dies à reditu anni 1534. in 5. Nouembris, sed electus est 13. Octobris. coronatus 2. Nouembris. Intercessit error dierum 23. quibus serius iudicauit. Direxi igitur secundùm regulam Ptolemæi & primo cœli imum ad locum trigonum Mercurij, & peruenit ad illum in Par. 14. mi. 42. Et post Solem ad imum cœli & peruenit ad eum in Par. 56. mi. 53. quæ collectæ faciunt Par. 71. mi. 35. Sed simul dirigendo fiunt Par. 66. mi. 11. Et hoc consentit sphæræ, Paris autem Cæresarius habebat tabulas exquisitissimas, vt vidi apud Euangelistam Brascam. Et sunt tabulæ Monteregij directionum ad Romæ situm exquisitissimè accommodatæ, & absque supputationibus. Mihi autem satisfaceret instrumentum de quo aliàs sæpius dixi sub forma planisphærij. Hunc modum si addideris his, quæ Ptolemæus scripsit, efficies maiora, quàm Ptolemæus ipse. Etenim Ptolemæus modum illum dirigendi posuit pro exemplo. Quamuis vt dixi, discrimen oriatur ex hoc quod Ptolemæus in quarto modo facit directionem compositam, Cæresarius non. Sed Ptolemæus sumit auxilium à processu qui talis fuit, & ingressus, vt hic infrà vides. Sed ad oppositum locum deuenerat, qui fuit trigonus radius Lunæ & Martis, & quadratus Iouis, & aspiciens Saturnum. Sed quod maximum fuit hæc synodus radiorum celebrabatur in Geminis, & cœli Medium peruenit ad lotum illum, vt infrà vides. Et Mercurius ad locum radicis in optimo statu & respiciens rursus synodum trigono. Et fuit ibi Mars fauens electioni, quia ab initio recepit Solem sextili radio, & fuit dominus trigoni loci Solis primus, & ipse inter Vergilias significans consensum multitudinis. Cum igitur iunxerit tabulas exquisitas viæ processuum, habebis rem de qua homines mirabuntur. Nihilominus etiam absque illis sufficit.

Et hæc de anni inuentione, sed de mensibus, & diebus non oportet, vt credas, quod eodem modo habeantur in talibus: nam in vita & his quæ naturaliter proueniunt in corpore, & anima bene eadem est ratio. Sed in talibus oportet vt fiat concursus causarum, vt

etiam

etiam in libro de Fato diximus. Vtpote quod iam mortuus esset Pontifex alius, nam

Cœl.Med.	♎	9				
Sol	♍	18	20	♓	18	20
Luna	♑	16	34	♍	0	24
Sors	♎	20	53			
Ascendens	♌	22	39			
				♄ ♋	20	38
				♃ ♑	24	5
				♂ ♊	19	14
				♀ ♉	4	13
				☿ ♒	20	56

duo Pontifices simul esse non possunt. In hoc igitur casu nec melior processus, nec ingressus est eligendus, sed sufficit vt satis concordet. Et quod concursus cum aliis causis conueniat. Et hoc vbi directio non cadat ad vnguem in annum processus optimi.

Sed vbi cadat directio ad vnguem in annum, tunc eligendus est mensis, qui magis concordat ratione processus & directionis, ita quod in hoc casu quærenda est exacta directio & processus.

Quòd si directio consentiat processui & ingressibus non tamen conueniat concursus causarum, tunc habebit primum locum post illum, puta post Pontificem aut Regem. Et si concursus succedat statim habebit rursus primam dignitatem: si autem multò post plerunque euanescet vis illa, nec habebit, sed in alium transferetur. Ideò secundus locus succedente morte principalis statim est signum, quod succedet in principali, quia talis secundus locus significat omnia adfuisse ex parte sui, sed defuisse ocasionem. In hac igitur genesi quod ad annum attinuit nihil defuit, nam & transitus ascendentis ad septimum locum vbi erant radij oppositi Solis & Mercurij, & quadrati Lunæ & Martis, & trigoni Iouis, & cor Leonis indicabant dignitatem maximam & authoritatem, ac factum qualis solet adesse Pontificibus.

Pro mense igitur & die obseruanda est directio exquisita, vt dixi, vbi in eundem annum coincidat: Secundo processus qui fuit ad nonum mensem: Et quia annus peruenerat ad opposita signa, & oppositio non diuiditur, nisi in trigonum & sextilem conuenienter, ideò peruenit mensis ad sextilem radicis & trigonum reuolutionis anni hoc modo. Et ita Sors ad optimum statum peruenit. Et Luna mensis initio fuit in cœlo Medio radicis.

Sol	♉	18	20
Luna	♋	16	34
Cœl. Med.	♒	9	
Sors	♊	20	53
Ascendens	♈	22	39

Ex directione Solis.) Addit causam ne crederetur vaticinari ex dæmone aut inani arte. Assumit Solem, in hoc consentit cum Ptolemæo. Ad trinum Mercurij præfert trinum corpori, & Mercurium Ioui, quia Mercurius erat in optimo statu in centro horoscopi, orientalis, matutinus, dominus loci proprij & directionis: Ioui omnia in contrarium cedebant. Cum testimonio Iouis & Saturni, Iupiter tamen erat præsens corpore loco directionis, & dominus loci Solis, & cœli Medij. Saturnus aspiciebat locum de sextili vbi directio cadebat, & erat dominus trigoni loci.

(At interim.) Voluit confirmare prognosticum ex re euidentissima, scilicet in aquis: nam cum morbi, vulnera, casus, ruina, venenum, accusatio, etiam si prædicantur, leue momentum habent: periculum ab aquis in viro potenti ostendit vim Fati, si præuisum cum tempore non possit vitari: nihil enim facilius, maximè habitantibus mediterranea. Præmonitus igitur si cauere nequeat, magnam declarat Fati necessitatem, Incidit ergo & penè submersus est. Sed tamen vt audio paulò serius quàm prædictum fuerat iuxta annum 65. Seu quod in supputatione error fuerit, seu quod verè anno illo 62. scilicet casus acciderit. Et certè anno 62. Luna erat in initio Scorpij, & ibat ad Saturni oppositum, qui fuit in 13. parte Tauri. Quidam dicunt quod anno præcedente electionem etiam cecidit ex attonito morbo, eo quod Luna passa est deliquium mense Augusti valdè proximè horoscopum. Sed nos nugas aliorum non curamus. Certum est quod cum satellitio stipatus esset iuxta tempus definitum, cecidit in flumen, in quo penè submersus est. (Ex directione Lunæ ad Saturni quadratum.) Dat causam, non semper hoc facit Luna, sed cùm esset Luna iuxta Pleiades & Martem cadentem, significauit periculum violentæ mortis ex humido. Et quia Saturnus erat author, & omnes sub terra, ex casu in aquam.

Anno 81.) Horoscopi ascensio est par. 337. mi. 59. Ascensio loci trigoni Mercurij, qui est par. 22. mi. 39. ♊ est. par. 59. mi. 0. Differentia igitur est par. 81. mi. 11. Et sunt iuxta illum absque additione septuagesimæ secundæ partis anni 81 menses 2. dies 6. qui si computentur à die natalitio qui fuit 28. Februarij cadunt in 4. aut 5. Maij, habes rationem dictorum. Circa quæ animaduertendum primo quod corpus Saturni non occidit in 31. annis quia Saturnus erat dominus ascendentis, & ascendens robustum præsentia Mercurij, Solis & radiorum trigonorum Iouis. Similiter nec Mars ob robur ascendentis & quia est in signo fœminino. Nec radij quadrati proprij, quia licet cadant super corpus Martis, Luna tamen est ibi vicina, & quadratum ascendentis cum sit breuium ascensionum & terminetur in 55. annum habet vim sextilis: Et huius statim subiungam rationem. Vidi etiam quod Paris Cæresarius facit horoscopum 28. Aquarij par. non 23. alij ponunt par. 24. mi. 48. At hoc quod ad trigonum & quadratum attinet horoscopi & directionem Solis & Planetarum parum refert, quia circuli positionum parum ad modum variantur, & loci remanent iidem. Sed cur trigonus occidit cùm vim habeat qua-

drati

drati in ascensionibus, imo nec implet quadratum, quod continet 90. par. Respondeo quod cum agatur de directione & directio fiat per partes æquinoctij quarum natura quadrata est contraria, quia est medietas oppositionis, trigona & sextilis est amica, ideò in directionibus attendere oportet magis naturam consensus & contrarietatis partium æquinoctij, quàm signiferi, in aliis causis contrarium oportet obseruare. Et licet partes 80. non compleant signa tria, nec quadratum aspectum, nihilo minus cadunt in signum oppositæ naturæ. Velut si Aquarius ascendit, in imo cœli est Tauri signum æquinoctialis non Gemini. Et quod sit verum imum cœli semper respicit quadrato aspectu horoscopum. Et hæc suo loco nos declarauimus. Nunc breui regula opus est: Inspice locum respicientem, & in quem cadunt radij, & si domus se respiciunt sextili aspectu, erit natura radij illius sextilis, si quadrati quadrati, si trigoni trigoni. Eo anno dicit Iupiter non respicit locum directionis, nec quadrato, nec trigono, nec opposito. Intelligit quia in reditu anni 82. licet Iupiter fuerit in 22. parte Arietis, aspectus ille non est validus. Præsentia tamen loci Iouis supple in radice posset aliquid facere, quod non credo. Nota duo circa hoc, primum quod præsentia in loco directionum vel processuum, vt dictum est, debet esse per ingressum non in radice, vt contra Aphetarum ad loca radicis comparatio esse debet. Deinde præponit oppositionem corpori, dico quod oppositio Iouis est bona, quia ab initio fuit amicus ascendenti, ipsum trigono radio respiciens. Sed non est melior præsentia eius, quod autem dicit esse meliorem, intellige de præsentia in radice non in ingressu. (Cum testimonio Saturni domini terminorum) Visus est amplecti fines Ægyptiorũ, quia iuxta illos posita 28. parte Aquarij ascendente Saturnus est dominus finis & trigoni illius in Geminis. Aut dicendum est quod scripserit terminorum pro termini. Sed prior opinio mihi arridet. Non dixit de ætate decrepita, quamuis maximum esset argumentum, quoniam vt dicebat Galenus, viri præclari non solent adducere in medium, nisi ea quæ paucis nota sunt, abstinent à notissimis.

Hæc vir ille ingenio plus quàm humano scripsit. Memini anno 1538. audiuisse Pontificem iactasse quod securus esset de vita vsque ad 14. annos expletos ab assumptione dignitatis. Vidi etiam scriptum quoddam, in quo dæmon interrogabatur, quantum superfuturus esset à die dignitatis assumptæ? Respondebatque annis 14. Ita apud illum pro constanti habebatur, non nisi exacta anno 14. obiturum. Sunt qui velint Paridem Cæresarium dæmonis auxilio innixum prætendisse astrorum istam immodicam scientiam, cùm etiam audierim à viro fide digno atque fortuna illustri, constituisse in camini Pluteo capita marmorea, quæ eum infortunium immineret, sponte circunuerterentur. Sed hæc vt reor adeò mira ab illius excellentia in prædicendo potius sumpsere originem, vt homines velut antiquitus fabularentur. Peruenisse potius ad illum credendum est Francisci Mariæ Ferrariensis scripta, atque inter cætera mirum illud prognosticum Iacobi Picinini, qui à Rege Neapolis Ferrando Arragonio occisus est, cum annum, mensem, diem & horam illi astrologus prædixisset. Sileant iam Apollinis responsa, nihil tale enim in his memoratur. Trium igitur mirabilium prædictionum, Ascletarionis de Domitiano, Francisci Mariæ Ferrariensis de Iacobo Picinino Principe, Paridis Cæresarij Mantuani de Alexandro Farnesio, vnam reuocasse in examen contentus sum, reliquas si potero perducam in lucem. Cæterùm vt ad rem redeam, cùm Luna ad locum Iouis peruenisset directione anno 36. filium suscepit nomine Petrum Aloysium Patris virtute longè inferiorem, scilicet eruditione & prudentia, fauebat tamen eruditis, ex quo extant quatuor illustres nepotes. Propter cuius mortem & casum genesim subiicio præcedente non inferiorem admiratione. Ex priuato statu Princeps inde à suis occisus cum in arce tuta esset. Conspiratione omnibus nota præterquam ipsi, vt Fato mortuus videatur. Adsunt præterea duorum principalium inimicorum geneses, & præsertim eius propriè, qui illum manu sua interfecit. Subieci & genesim primogeniti, vt simul aui patris, ac filij seriem intelligeres, quemadmodum & in nostra, nam & patris mei, & filiorum meorum comparationem habes, & vt hic patri vnicus fuit filius, illi multi filij, sic & ego vnica proles parenti, multos progenui filios. Hic verò fortuna inferior parente fuit, nos autem superiores. Fuit etiam hic qui describeretur immodicus omnino puerorum amator, & patritiis infensus. Alioquin moderatum se popularibus exhibuit ac plebi: credo vt securius regnaret.

GENITVRA XI.


Petri Aloysij Farnesij Principis.

ASsumpto ad Pontificiam dignitatem Alexandro Farnesio, qui vocatus est Paulus Tertius consensu collegij Cardinalium, duæ ciuitates Placentia & Parma olim subiectæ Mediolanensium Principibus & ob ærarij inopiam pignori datæ Pontificibus pro certa pecunia, Petro Aloysio concessæ sunt sub Ducis, vt dici consueuit, titulo. Nouaria quoque pecuniæ causa Pontifici pignori data, Cæsare permittente, illi data est, vt trium simul ciuitatum egregiarum Princeps factus sit. Quod si vel Fata voluissent, vel ipse moderari fortunam sciuisset prudentia & potentia patris, non solum parta conseruare, sed egregiè augere potuisset.


Iupiter

Iupiter cum Apolline magnitudinis secundæ naturæ Mercurij.


Luna iuxta Caput Serpentarij magnitudinis tertiæ naturæ Martis & Mercurij.



Communia his duobus sunt quinque ascendens in signo Leonis quod ambitiosos & truces creat. Venus cum Sorte hoc ad rem nihil vtrique tamen causa mulierum, diuitiarum incrementum pollicetur. Quod nescio quomodo contigerit, certum tamen est. Ter-



tium est Mars in casu suo, hoc raro ostendit dignitates in re bellica aut administrationes, ob id qui talia patrant rarò assumuntur ad administrationes, natura ipsa rerum cum



astris consentiente. Qui enim talia agunt sibi timent & ob id alieno nomine non gerunt res. Mars etiam in casu suo administrationes negat, idem in angulis & opposito Lunæ. (Est autem hoc vtrique commune & quartum ac quintum) ad homicidia impellit: solus Mars in Lunæ opposito eos nasci facit, qui ad hominum cædem prompti sunt, vt hic in his duobus exemplis vides. Et in genesi Principis cuiusdam, qui ad me pro iudicio 100. coronatos transmiserat, licet mercator mihi 25. subripuerit. Is enim cùm Lunam in opposito Martis haberet ex quacunque causa ad hominum cædem prorumpebat, vt sic iam plures adhuc iuuenis iugularit. Occcisus est die sabbathi 10. Septembris anni 1547. hora diei, id est, à Solis ortu 5. quæ est 17. horologij & secunda ante meridiem cum pransus esset. Fuit is annus ætatis 44. eo tempore Sol peruenit ad oppositum Saturni in annis 45. completis ex loco tabularum. Habes igitur quod ex hac directione debuit mori, quia Anæreta erat duplex & potens domino loci iunctus. Quòd eo anno, quia processus concordabat directione, Quod violenta morte, quia Anæreta erat in loco contrario naturæ suæ, & duæ maleficæ iunctæ simul & locus Martis imperabat loco Solis. Quodque à suis, quia dominus ascendentis erat in loco directionis, & Iupiter qui Anæretæ fauit dominus fuit loci Solis qui fuit Apheta. Quod verò mors violenta esse deberet, alia præter hæc suadebant: Dominus ascendentis in trigono maleficarum & domini loci oppositi, vt intelligeremus bonis atque malis æquè inuisum futurum, Mars imperans Soli loci ratione. Luna infelix & sub radiis à Sole ad Mercurium infelicem defluens. Erat præterea Iupiter alter ascendentis dominus cum maleficis & tres superiores retocedebant: quod cùm contingit, inditium est semper atram bilem prædominari egregiè, vt experimento didici. At verò tres celebrat coniunctiones Iupiter cum Marte ante natiuitatem in 14. parte Cancri, post retrocedens in 9. vltimo directus in 6. Cum Saturno verò iungetur etiam Iupiter in parte Cancri. Cancer autem omnium quæ in cœlo sunt signorum, vt dixi potentissimum. Proximius nobis regium domus Lunæ longarum ascensionum imperans. Eodem anno ascendens peruenit ad Martis sextilem & Pleiades. Mars autem cadit vbi est & in loco directionis retrocedens iunctus Saturno similiter cadenti atque retrocedenti. Atque hæc

Processus mensis.

Sol & Luna	♉
Ascendens & Sors	♌
Cœli Medium	♉

de anno. De mense verò ac die alia ratio est, fuit mensis 11. in anni initio. Saturnus fuit in loco Mercurij radicis & Venus redierat ad locum proprium domina trigoni loci Anaretæ prima. Sicut etiam in præcedenti genesi anno, quo creatus est Pontifex dominus trigoni loci promittentis, id est, 23. partis Geminorum primus redierat ad locum radicis. Dixi enim quod in his, quæ per multos celebrantur, dominus trigoni maximam apud

apud Ptolemæum obtinet potestatem. Luna verò ibat ad quadratum Veneris & sextilem Saturni, eratque in illius Carpento in parte 16 Libræ. Sed vt ad mensem reuertar fuit eius initium die 26. Augusti eiusdem anni, & tunc Luna fuit in loco interemptorio, id est, loco opposito Saturni & Martis in radice & loco Veneris tam in radice, quam in initio anni. Pridie quam occideretur celebrata est coniunctio Solis & Martis, quæ significat ea die initium arctum consilium perficiendi. Ea die Luna fuit in Leone, quod pertinet ad eos qui interfecerunt, nam fuit inter amborum horoscopum. Fuit igitur anni eius pro-

Sol	♋	6	58
Luna	♋	13	18
Ascendens	♎	9	
Sors	♎	16	
Cœl. Med.	♋	19	

cessus vt vides. Vides igitur in processu illius anni omnia loca principalia esse afflicta, vt minimè posset euadere. Et quia cœli Medium affligebatur in morte, amissa est maior pars principatus. Ex tribus enim ciuitatibus amisit duas, scilicet Placentiam & Nouariam. Et quia maleficæ erant iunctæ, & dominantes loco interemptorio, & ipsæ malè affectæ, corpus enim post cædem fuit etiam contumeliis magnis affectum. De causa autem exactissima, mensis, diei & horæ ob prolixitatem supersedeo. Nunc verò ad illos qui eum occiderunt transferenda est consideratio. Primus, id est, Landus non poterat vllo modo occidere, quia nil tale ex genesi portendebatur, seu quod esset podagrosus, sed Angosciola Saturnum habuit in loco Solis Farnesij ad vnguem, est autem Saturnus, vt dixi, Farnesio Anæreta, ideò illius manibus occisus est. Fuit hic annus Lando 37. atque ideò in processu omnia ad locum radicis redierant, & quæ in genesi significabantur tunc præstare debere ostendebant, cùm esset in ætate Solis. Angosciolæ fuit 32. Actiones directione non indigent, cùm sæpius possint iterari, & sint in potestate agentis: sed Solis processibus & ingressibus nihilominus eo anno Lando Luna peruenit directione ad locum Solis inter Pleiadas: quo fit vt etiam cùm luminaria sint malè affecta, Sol in Pleiadas: Luna in opposito Martis, vt vtroque lumine sit valde læsus. Ob id etiam contingit, vt plures ex his qui breuem habent visum sint homicidæ, quoniam hic luminaria à Marte oppugnantur, aut illi vel eius stellis immiscentur. At Saturnus cæcitatis author est, ideo non ita cæci prompti sunt ad homicidia, præsertim cum facultas desit: Sed malos animos gerunt, suntque quales Saturnus designat, fraudulenti. Sed ad rem reuertor: ascendens vtriusque est inconiunctum ascendenti Farnesij, & in reditu anni Mars rediit ad proprium locum radicis in quadrato Iouis & Mercurij, Lando Mars in opposito Saturni & Mars in Cancri initio. Sed & Luna in opposita Solis in fine Scorpij: fuit autem Saturnus dominus ascendentis processusFarnesij. Sol quoque Lando & Mars Angosciolæ inter Pleiades non simplex homicidium, sed coniurationem plurium significabant. Plura dicenda essent, sed cum de principibus agatur, ne verba in malum sensum possint distorqueri, supersedeo.

Cæterum cùm Iupiter & Venus affligantur in signo aqueo, vel ex aqueo signo à maleficis, podagram insignem iuxta nostra principia significabant. Itaque correptus ea atque confractus, nodosus, atque penitus deformis & immobilis redditus est. Eius quatuor fuère filij, Alexander primus & Raynutius Cardinales, Octauius Parmæ nunc dominus, atque Horarius Princeps. Primogeniti viri splendidi & insignis genituram causis supradictis subnectere placuit.

Motus Planetarum		Latitudines			
Sol	Vel.				
Luna	Tard.	S	D	4	9
Saturnus	Tard.	M	D	0	24
Iupiter	Vel.	S	D	0	50
Mars	Vel.	S	A	1	0
Venus	Vel.	S	D	1	2
Mercurius	Retr.	M	A	2	4

Huic ascendens est locus oppositus Iouis patri & Mars iuxta locum proprium. Cum ascendens ad corpus Saturni & oppositum Martis peruenit, ægrotauit ad mortem, is annus fuit ætatis 13. Euasit quia Sol Apheta erat. Sol in vtriusque maleficæ quadratis radiis violentum exitum vitæ patri decernunt,



qui illi contigit anno ætatis propriæ 27. Sicut Venus cum Sole in diurna genesi principatum. Hoc quidem in congressu per directionem cum Ioue ipsius Solis anno 24. vt triennio post cum occurrit radiis Saturni & Martis, in Martis domo cædem quæ subsecuta est. Præsertim quòd directionis locus, & in angulo, & in Scorpione, & in fine signi fuit. Nam & si radij amici sint trigoni sextilesue, vt tamen vides atque te docui, cum ex domibus se quadrato respicientibus sint, quadratis æquiualent, ob quartam partem æquinoctij intercepta: Et rursus quia, vt alias dixi, Sol ab initio ab iisdē maleficis quadratis radiis pulsabatur? Ex hoc vides quod in genituris primogenitorum & vltimorum filiorum relucent fata parentum, non in aliis. Vltimus enim Raynutius natus est 1530. anno, die autem

tem 11. Augusti, hor. 14. mi. 42. post meridiem. Et hic habuit Solem cum Marte, non tamen adeò expressè violenta patris mors significabatur ex hac constitutione, vt in primo geniti. Rursus in genesi secundi filij Octauij Ducis, qui longam Parmæ obsidionem perpessus est, nihil tale inuenies, natus anno 1524. die 9. Octob. hor. 4. mi. 23. post merid. Iouem habet in horoscopo à centro tantum distantem par. 1. mi. 15.

Cæterum vt ad Alexandri genesim reuertar, factus est Cardinalis anno 14. cum cœli Medium ad Iouem peruenit. Quia verò Sol quadratis radiis maleficarum pulsatur, tota illius vita erit plena contentionibus & periculis, ipse alioquin clarus, splendidus, atque inuictus. Non erit abhorrens à Musis. Sed & liberalis, ac magnificus, magnanimusque. Vexabitur tamen corporis vitio quodam & inopinato casu concidet. Antea tamen ob Iouis situm, à multis euadet infortuniis.

Monendus etiam lector es de duobus, quæ ad principalem pertinent genesim, antequam illam penitus absoluam, quod omnes qui de cæde illius conuicti sunt, maximam cum Leonis signo habuêre coniunctionem, quod Leo non solum horoscopo Farnesij sit inconiunctum, sed & loco interfectorum, scilicet Cancro & loco in quem directio peruenit, id est, Capricorno, & locis dominorum horoscopi, cum alter sit in Cancro, reliquus in Capricorno.

Alterum quod scire præstat, est eos qui Lunam habent sub radiis Solis à maleficis pulsatum, aut ad infelicem stellam euntem, & eò grauius si ipse Sol sit in Leone, Libra vel Aquario, aut etiam Scorpione in pueritia repentè morbis atrocibus extingui, vel si ad perfectam euaserint ætatem malis consiliis pericula perpetui carceris aut violentæ mortis sibi parare. Hoc autem contingit, quoniam Luna cerebrum & consilium significat. Ex cerebro in pueritia conuulsiones, phthises, resolutiones, febres repente, ob abscessus in cerebro occidentes, contingunt. In iuuenta autem facit audere supra vires, quod commixta sit Soli Luna. Sol autem ambitiosos & spiritu elatos significat.

Quod verò ad concordiam geniturarum nepotum cum auis, vides quod huic Sol & Venus sunt in trigono Mercurij, & Iouis auiti, & Iupiter in trigono Solis, quod significabat dignitates ac diuitias (nam Sors prope Iouem erat (ab auo habendas, illumque superfuturum, donec ista posset efficere. In primo geniti autem nostri genesi ambæ maleficæ in Cancro, vt in patris mei natiuitate. Saturnus aui significator longam illi vitam decreuit, cùm esset robustus in domo, & in angulo receptus à Sole, & Venere in illius dignitatibus tum propriis constitutis, superuixit igitur annis 29. Vide etiam similitudinem, quæ inter vtrasque geneses intercedit.

GENITVRA XII.

D. Erasmi Roterodami Bataui.

CVm maxima solum exempla referre propositum esset, hoc certè maximum est. Homo natus obscuro patre, conditione vltima, omnes Reges in sui traxit admirationem. Epistolas & munera ab omnibus accepit. Quotannis à multis ex illis stipendium habebat. Ad hunc Pontifices maximi scribebant: Galerum offerebant: natus in miseria, mortuus in opulentia. Morbosus semper, ad decrepitam peruenit ætatem, 70. enim anno mortuus est. Patria barbarissimus, eloquio elegantissimus. Dignus qui inter viuos coleretur & legeretur, tanquam Fato functus. Tot scripsit vt obiter scripta videri possint. Tam diligenter singula, vt sola scripta esse existimentur. Denique Homuncio ille quoad vixit inuictus extitit, tametsi inuidia maxima laboraret. Sed ad rem reuertor: Natus est Erasmus in Roterodamo vrbe exigua Batauorum, nunc Holandia dicitur, ea regio inter Rhenum & Mosam sita. Hinc à sinistra mare, à dextra fluuius Roter, altitudinem habet par. 54. non procul est ab Antuerpia emporio. Igitur Erasmus ea vrbe oriundus cum Saturnum habuerit in occidente in Ariete, calculi dolore ad mortem perpetuò discruciatus est. Cum verò Martem in Piscibus atque in sexto loco podagram breuem, sed frequentius reuertentem, qua conflictabatur, passurum denuntiabat.


Luna in Scorpione sub Sole & cum nodo, morbos acerbissimos, quorum origo esset à cerebro. Pericula innumera violentæ mortis, cariturum vxore ac filiis, vitam ducturum humilem, laboraturum infamia grandi, malo consilio vsurum in iuuenta, atque ob id miseram vitam ducturum, vitia etiam quædam secreta circa pudenda denuntiabat.

Venus & Mercurius in horoscopo cum spica & in Iouis trigono scientiam septem linguarum præstiterunt & theologiæ, quibus toti orbi & principibus præsertim notus inclaruit. Dederunt hæc eadem sermonis suauitatem & elegantiam. Fuit Iupiter cum stellis penè eisdem, cum quibus nobis Saturnus. Domini qualitatum animæ fuerunt Mercurius, Saturnus, Venus, Mars. Vnde etiam prædiues apud bibliopolam vno contentus anagnosta diuersabatur. Inde tot illæ faces, stimuli, triumphi, bella manabant. Venus Apheta Saturni trigonus ex signis breuium ascensionum occidit. Ibi fuit sextilis horoscopi ex signis longarum ascensionum.

Porrò quod ad Sortem attinet, ab initio in opposito Saturni retrogradi & infelicis fuit, mendicitatem non paupertatem ostendens. Deinde cum Mercurius, Iupiter, Venusque domini optimè sint collocati, & cū syderibus inerrantibus, & in occiduis quadrangulis, opes in senectute nunciant insignes, qualesque fuerunt.

Memineris autem in Venere & Mercurio à Solis vtraque coniunctione ad maximam elongationem orientales dici debere, à ma-

ximis elongationibus in reditu occidentales. Vt matutinas ante Solem, vespertinas post.



Hæc autem superius sunt declarata. In mundo igitur omnes occidentales extiterunt non ad Solem. Iouis constitutio cum syderibus inerrantibus facit ad liberorum compositionem. Sunt enim libri monumenta multorum annorum, vt etiam vrbes. Non autem hoc simpliciter, sed cum domino ascendentis & locorum qualitatis animi configurantur. Qualitatis quidem animi ob inuentionem, ascendentis ob executionem ac labores.

Fuit exigui corporis & macilentus, iucundus ob Venerem in ascendente, ac lepidus, ob Saturnum autem occidentalem in Ariete in opposito ascendentis paruus & macilentus. Cunque dominaretur loco Mercurij Saturnus, fuit laborum patientissimus. Iupiter fuit in vno circulo cum Hyrco magnitudinis primæ naturæ Martis & Mercurij. Non satis conuenienti illi.

Causa itinerum multorum quibus extra patriam, & procul perpetuò versatus est, fuerunt Sol & Luna in Martis dignitatibus & si non cadant ab angulis, cadit tamen Mars ipse. Porrò tempora felicitatis à 32. anno dum cœli Medium sextili Veneris applicat. Incrementi & sacerdotij à 42 dum Sol opposito Iouis. Nominis alicuius à 25. cum cœli Medium Solis quadrato. Ex hoc constat cum Mars malè affectus sit in hac genitura tum Saturnus, ipse verò non melius se habuerit quàm extrema senecta, & à 41 ad 56. annum, nihil facere ad ætatum diuisionem, vt aliâs dixi, quod illarum domini benè aut malè dispositi sint, sed directiones processus atque ingressus tantum inspiciendos.



DE



DE INTERROGATIONIBVS LIBELLVS.

PROOEMIVM.

CVM aliàs sæpe interrogationum genus damnauerim, quod fortuitum est, & legi nostræ repugnans, multorúmque malorum causam præbet, rem autem ipsam necessariam esse conspicerem, quod multi vnum quæsitum scire cupiant, non autem omnia, ideo hæc pauca à præscriptis non discedendo, subiicere volui. Illud ante omnia docens, hanc partem, vt etiam totum à quo decepta est, & naturalem esse & coniecturalem, ne quisquam plus ramis quàm trunco, fidei adhibeat. Initium faciens à Regis vita.

QVÆSITVM I.

Rex quantum superuicturus sit.

DEbes habere genesim Regis: & iuxta illam iudicare. Quòd si non habeas: momentum inuenies quo cœpit posse imperare. Si enim sit legitimus hæres, horæ quo mortuus est prior Rex, seu pater, seu frater, seu propinquus aliquis: Si autem electione fiat, quo electus est: Et tunc debes erigere figuram. Et eliges vt in genituris, Aphetam & diriges, & processus etiam facies, & ingressus singulis annis. Momentum coronationis ne obserues: nam in facultate hominis esset facere vt Rex electus esset felicissimus & vitæ longissimæ, quæ potestas maior esset diuinis prophetis. Cum verò Rex fit per proditionem, plerumque parum durat, quia talia fiunt silente Luna, vel à malefica obsessa, vnde regnum non potest esse diuturnum. Quod si non habeas horam primi consensus, quæres hoc à natiuitate filij aut filiæ primo genitæ, vel patris, aut matris, aut fratris, aut sororis: vt te docui. Et quanto plura habueris testimonia, eò securius feres iudicium. Quod coniecturale erit, firmius tamen à genitura. Manifestum est etiam quando per vim Regno occupato, debeat sumi initium, quando per electionem, scilicet cum primum consenserint, quod in Pontificum creatione est obseruandum, quando etiam per successionem.

QVÆSITVM II.

Regis administratio qualis erit

INitia sumenda sunt vt in vita, sed propriè ab initio regni non ab vllis genituris neque propria, multo minus coniunctorum. Habito initio Regni considera cœli Medium pro Regno & dominum illius, sed pro Rege ascendens, & dominum illius, locus significat corpus & rem, domini consilium & animum. Si dominus ascendentis conuenerit cum decimo loco, bene tractabit subditos. Si cum domino cœli Medij amabit magistratus & proceres regni. Si dominus cœli Medij in opposito fuerit ascendentis, & malefica testis fuerit, proceres regni Regem occident. Et si idem contingat cum domino ascendentis, desciscent à Rege & illi aduersabuntur. Luna quoque administrationem & fortunam significat, & Sol regni cum Rege potestatem & dignitatem. Nam si Sol affligetur corruet regnum cum Rege, si Luna, erunt in regno multa inconuenientia. Vndecimus locus ac secundus substantiam Regis & regni significant. Et etiam inseruientes ministros nobiliores, humiliores 12 & 13. Generaliter beneficæ potentes & dominantes in locis luminarium cœli medij & ascendentis Sortis ac dominorum eorum felicitatem significant, maleficæ, damna, contentiones & iniustitiam. Maleficæ in septimo loco hostes communes Regi ac regno declarant. Regum primi ingressus ostendunt regni signum, quia est illud quod cum omnibus conuenit. Colliges etiam illud ex tractationibus. Si enim bonæ, conueniet. Si non, non. Velut si quis Regum vexet Anglos non erit signum Medij cœli eius, neque Aries, nec Leo, nec Sagittarius.

QVÆSITVM III.

Reges an sint amici.

NOn vt in primo ex genituris propriè, nec vt in secūdo quæsito ex initio Regni solū, sed ex vtroque coniiciemus. Si igitur in genituris cōuenerint loca principalia, vt dictū est erunt amici, & similiter si in initiis regnorum Medij cœli schema tū & domini etiā eorum.

Ex vtroque verò constat conuenientia Solis ac Lunæ, & Sortis initiorum. Nam cum regna amica fuerint, erunt & Reges, quamuis priuatis genituris dissideant. Vt Regum Scotiæ cum Galliæ Regibus. Contrariis rationibus dissident. Vt Scotici Reges cum Anglicis. Sors in figuris initiorum sumi debet, vt in priuatis genituris regnorum, constitutio fixa mutat geneses Regum illis etiam contrarias. Sicut etiam Regum geneses aliquid efficaciter decernentes regni. Quæ initia fiunt in nocte, Solem tamen habent, Regis & regni significatorem, vt Lunam fortunæ, sed plus in his habet virium administratio, quam authoritas, in diurnis contra.

QVÆSITVM IV.

Regum bellantium inuicem quis erit superior.

SI habes initia regnorum, hoc est optimum. Et si non habes habeas initia in quibus tales Reges regnare cœperunt. Tertio loco est, vt habeas initium deliberationis alterius eorum bellum gerendi. Quarto si omnia desint habeas geneses & illorum, & præfectorum generalium. Vltimo si nullum horum habes à Marte testimonium accipies. Nec est in omnibus eadem ratio. Sed si habes initia vera regnorum deductis cœli Medij, & Solis per directiones locis, tum per congressus & ingressus ad tempus præsens considera, quod illorum ad loca felicia peruenerit, ex illius parte victoria erit. Si verò ambo ad infelicia loca peruenerint, confractis viribus in tertij forsan incident potestatem. Si ambo ad loca felicia peruenerint variabit fortuna, & vtrinque fient accessiones, donec ad locum exitialem peruenerit alterum eorum. In initiis autem Regum considera vter Solem potentiorem & Lunam, & Martem habuerit. Et similiter quo duo prima per directiones, & processus, & ingressus peruenerint, apud robustiorem enim victria stabit, si concors fuerit radix progressibus. Sed si discors considera differentiæ magnitudinem, nam cuius erit maius discrimen post multas ac varias fortunæ bellicæ mutationes, eius erit victoria. Quòd si progressibus. in vnum coëant post diuturnum bellum pax subsequetur. A Luna habebis fortunam & administrationem belli. A Marte exitus præliorum. A Sorte commoda & pecuniarum abundantiam aut defectum. A Sole authoritatem & possessionem regni. Si verò habeas deliberationem tantum dabis Medium cœli regno deliberantis, imum inimici, ascendens & dominum eius deliberanti, septimum locum & dominum eius inimico. Et cui fauerint magis Sol, Lunaque & beneficæ, is erit superior. Propterea bellum fauet deterioribus plerunque, quod si benefica dominetur non supersunt, nisi duæ aliæ beneficæ, quæ fauere possint, si malefica tres. Habebis & Sortem communem vtrique vt Solem, & Lunam, & Martem. Si verò geneses tantum illorũ habeas, factis directionibus & processibus atque ingressibus alterutrius compara loca ad quæ peruenerint, validiora sunt & suæ origini à qua regnum cœptum est magis congruentia, superiora erunt. Quòd si ad fines vnius & eiusdem Planetæ peruenerint, qui loca benigno aspectu respiciat, pax sequetur. Quòd si nihil horum adsit. considera Martem, qui si sit orientalis à Sole & abside, vt aliàs te docui, orientalior Rex superabit, cum contra, occidentalior. Si Septentrionalis descendens, vincet Rex Borealior ad Australiorem domi expectantem accedens, si ascendens vinces Borealior australiorem venientem expectans. Si Meridionalis ascendens, vincet Australior iens ad Borealiorem domi expectantem, si descendens, Australis domi expectans vincet Borealiorem ad se venientem. Si mutuò sibi occurrant. Si Mars fuerit Septentrionalis descendens, vincet Borealior. Si Meridionalis ascendens Australior. Aliter anceps erit iudicium. Hæc tamen coniectura leuior est. Si verò plura ex his nota fuerint, veluti initium Regis & deliberationis, confer deliberationis schema schemati initij regni, & si congruit, bonum est & felix bellum. Si inconiuncta sint loca principalia aut contraria, infaustum pro eo succumbetque aduersario. Præterea considera eclipses præcedentes, & inter medias cui fauent prouinciæ aut aduersantur. Vltimo animaduerte quod bella quædam sunt potius inter Reges, quàm regna, vt inter Italos, alia inter regna potius quàm reges, vt inter Anglos & Scotos. Alia inter vtrunque, vt inter Turcas & Christianos. Et vt sunt ita à propriis initiis maior habetur significatio exitus.

QVÆSITVM V.

Bellum an erit in patria.

VIdeas primo ab eclipsibus, & constitutionibus generalibus, an aliquid exitiale patriæ prætendant. Inde etiam videas genesim principis, & quomodo se habeat in directionibus, processibus & ingressibus. Et in comparatione ad alios principes. Et si Princeps aut regnum habeat Martem cum Sole aget multa bella. Si in opposito sustinebit. Si in opposito Lunæ multa seditiones in populo patietur, & erit sanguinarius. Animaduerte etiam prodigia de cœlo vt Cometas, & ostenta, non vt omnia, sed vt effectus similes ab eadem causa procedentes.

QVÆSITVM VI.

In Monomachia, & lite quis victor erit.

SI vtriusque genesim habueris conferes schemeta, directiones ac processus cum ingressibus, inuenies etiam causam inimicitiæ & litis. Videbis etiam in monomachia, quis habeat signum mortis aut vulnerum. Plerunque enim & si non semper, tales succumbunt. Vide etiam significatores locorum Solis, qui sint superiores iuxta apogeum suum in mono

monomachia, in lite autem locorum Lunæ, nam superior significator superiorem in contentione natum facit. Hæ autem plerunque, non semper.

Quod si vnius tantum habes genesim, vide eo tempore quo Sol & cœli Medium perueniunt. Si enim ad loca beneficarum, honorem significant & ideò victoriam. Si maleficarum, contrarium. Memineris autem, vt dixi, vt non solum directiones, sed & processus & ingressus obserues. In litibus autem pro Sole habeto Sortem. Quod si neutram habes genesim, considera momentum quo deliberatio facta est firma, & inconcussa pugnæ, erigeque figuram, nam illa deliberatio non est vt interrogatio, sed causa naturalis. erecta figura consule eam dando primam & dominum eius deliberanti, septimum locum aduersanti. Cœli medium & dominium eius iudici, Solem, Lunam & Martem ac beneficas communes illis. Victoria enim vt plurimum apud eum erit cui maximè fauebunt. Beneficæ incolumitatem, Sol honorem & palmam, Luna bonam fortunam & populi applausum, Mars fortitudinem & agilitatem ac robur præstat. Sed & si diem pugnæ, vt primæ deliberationi concordat animaduertas facilius de victoria diiudicare poteris. Caue etiam vt singulas horas illius diei consideres.

QVÆSITVM VII.

Tempora qualia erunt?

PRo his oportet te consulere diligenter omnia scripta in secundo libro, & maximè scire ortus syderum & occasus, & ventos, & phænomena, & reliqua.

QVÆSITVM VIII.


Annonæ pretium quale erit?

HOc quæsitum difficile est, sed tamen in tribus regulis constat. Prima est vt consideres deliquia luminarium & prædominantes Planetas & fixas, vt ibi dictum est, vbi de hoc tractatum est. Secunda considera in arboribus germinationem, florem, & maturitatem non exactam. Considera etiam quale tempus vnicuique conueniat, inde ex præcedenti problemate qualitatem cuiusque horum temporum vt futura sit. Si conueniunt erit abundantia, si discrepant sterilitas, si immodicè discrepent, erit maxima penuria illius rei. Docui etiam pro hoc & præcedenti signa in libris de Subtilitate. Vltimò consule an erit bellum in patria iuxta quæsitum quintum, an pestis, vt in succedenti, etenim belli pretia augere solet, pestis minuere. Dices magna negotiatio? Nil mirum, nam nec exiguum præmium propositum est. Sunt autem pares plerunque præmiis labores.

QVÆSITVM IX.

Pestis an in patria erit?

COnsiderare oportet eclipses præcedentes intra biennium vel paulò plus. Et vt rem exemplo habeas pono schœma eclipsis, quam maxima pestis anno 1524. subsecuta est. Vt intra trium mensium spacium scilicet à medio Maij ad medium Augusti absumpserit in vrbe nostra sola 30. milia hominum, in tota autem prouincia quod Mediolanum Metropolis sit ad 100. millia. Primum igitur videndum cur tam sæua pestis extiterit? Mercurius cum Sole infelix in opposito Lunæ, Saturnus cum Luna & in Mercurij opposito, Mars autem vtrumque respiciebat è Scorpione virulento, signo, Aberat Iupiter, aberat Venus, quid deterius posset excogitari non intelligo. Cæterum cur Mediolano conuenerit ascendente Leone? ab



initio deliquij vsque in finem Italiæ minabatur. At hoc non magnum est, cum Ptolemæus signum deliquij obseruet, non ascendens. Deliquij signum igitur Pisces fuisse credendum est aliquo modo Mediolani conueniens, nec quæ præfertur origo est vera. Tunc verò nullibi in Italia peste laborabatur, præterquam in nostra prouincia. Ex quo colligitur modus habendi loca principalia ciuitatum, ex illarum scilicet frequentibus obseruationibus, tam calamitatum, quàm felicitatum. Ex hac enim sola obseruatione habemus quod nostræ ciuitati, aut Sol, aut Luna ascendens fuerunt in 12. parte Piscium, nam exquisitam conuenientiam declarat magnitudo effectus.

De initio vides, quod eclipsis initium distabat ab ascendente quatuor domibus & dimidia: Fuit enim in medio octauæ domus, dando duos menses pro singulis domibus erunt nouem menses, quos si numeraueris ab Augusto, incident in Maij sequentis anni initium. Tempus autem effectus iurauit mensibus tribus, & dimidio iuxta tempus eclipsis, quod fuit horarum trium cum dimidio, ab initio scilicet Maij vsque ad medium Augusti iam exactum.

Verum dices cur magis pestis, quàm bellum,

lum, aut, fames, vel alia calamitas? Respondeo, Sol fuit in humano signo cum Mercurio, & dominus loci, & antecedens angulus, & reliqua quæ digna sunt consideratione. Sed & effectus magnitudo cum Mars esset in proprio loco significata, non potuit nisi à peste procedere. Scorpio etiam veneni & febrium pestilentialium author est. Nam ab annonæ penuria repentè non contingit in hominibus magna clades: Cùm igitur repente in hominibus, ex veneno clades denuntiaretur à peste illam prouenire necesse fuit.

QVÆSITVM X.

De naui an infortunium patietur?

SÆpe hoc dubium in medium adductum est, nunc dilucidius explicabitur. Vide qua iter factum sit, & quo tempore, quinam venti, quæ constitutio regnabit: in ea maris regione, & iuxta id iudicabis, quod ad fortunam tempestatis attinet. Velut & in regionibus prouinciarum: non eclipses, non luminarium coniunctiones, & oppositiones præteribis, atque alia quæ hic pro his consideratione digna sunt. Vt erraticarum potestatem & inerrantium præsentiam, & exortus atque occasus diurnos syderum. Sed pro latronibus genesim domini nauis, aut eius qui nauim suo nomine conduxit habebis, & diriges Aphetas & Sortem, quæ si in loca itineris inciderint, rectè egisti, si non, non. Si igitur in loca itinerum incidant, vide eo tempore per ingressus, & processus si beneficæ dominentur, & tunc securitatem pollicearis, si maleficarum, aderit periculum. Et ita coniectaberis, non firmiter iudicabis. Nullum enim quæsitum hoc ipso est magis anceps. Verum si his præsidiis carueris, horam deliberationis accipe, & iuxta eam iudicabis. Semper verò maleficæ dominantes, & à natura sua non alienæ, sed puræ uentorum & maris impetu pericula, quæ rarius perdunt, adducere solent. Aliis autem commixtæ non eiusdem naturæ, aut tantum eleuatæ, sed non dominantes, aut dominantes in oppositis suarum dignitatum, aut omnino locis peregrinis vt in Leone Mars, (vbi nec in eo, nec in opposito signo, præter fines, nullam habet potestatem) in constanti ætate mala violenta afferre solet, & neces. In ætate autem puerili & fœmineo sexu, violentiam occultiorem, sed non adeò exitialem aut manifestam: Vt carceres, stuprum, verbera, venenum, seruitutem. Et hoc, vt dixi, vbi extra proprios fines fuerit. Non obliuiscaris autem generalium calamitatum. Vt enim in terra bellum, ita in mari piratæ.

QVÆSITVM XI.

Iter an erit tutum & vtile.

QVæ in ingressu maris obseruanda esse didicisti, eadem in terrestri dicta existimato. Et si iter sit per loca latronum & bellorum, exigua indicatio ex loco ad quem directio peruenit, sufficiet. Si ad loca & per loca tuta, opus est maiore indicatione. Beneficæ quoque dominantes & puræ, præstant multos comites pauperibus & fidos diuitibus familiares, & ob id tutum iter. Sed à maleficis superatæ infidos comites & pernitiem, ob id atque iacturam. Maleficæ dominantes propter solitudinem declarant pericula. Semper Aphetæ vitæ pericula adducunt, Sors autem spoliari decernit & bonorum amissionem minatur, tam in præsenti quæsito, quàm præcedenti, si in maleficarum potestatem inciderint aduersantium hæc loca, directione, processu, ingressibusque.

QVÆSITVM XII.

Æger an sanabitur?

SI quispiam quærat de ægro an sanabitur? Vide an in genesi ægri Aphæta ad Anæretam perueniat directione? An processus incumbat cum alicuius Aphetæ etiam non principalis directione? An Luna in anni reditu ad locum peremptorium deueniat, seu cum directione non principalis Aphetæ, seu cum processu, seu cum debili omnino genitura: & tunc de morte pronunciabis. Debilis genesis in qua nullus est Apheta præter horoscopum, & ille absque beneficis earumve radiis. Et si maleficæ super terram fuerint deterius est, quoniam radij inimici loco corporum aduersantur. Quòd si genesi careas, loco eius initium morbi accipies. Tunc considera quæ de hoc, loco suo, scripsimus.

QVÆSITVM XIII.

Furtum quis fecerit? an inuenietur?

ADeò desipiunt homines, vt res, non à veritate, sed pollicitis, æstiment. Nulla prorsus est via, vt hoc haberi possit, cum præter id multa mala subsequantur. Quidam enim ex interrogatione hoc venantur: Sed quid habet interrogatio cum re ipsa, quæ iam præcessit? Sæpius diximus astra esse causas non signa. Sunt corpora, sunt nobilia, sunt potentia, & valida.

QVÆSITVM XIV.

Electiones an prosint?

SImili ratione quæsitum est an electiones prosint? Videtur enim quod prosint, quoniam figuræ quædam aliquid facere videntur

ad

ad renum dolores & calculum. Præterea in monomachia diximus si dies congruat primæ deliberationi, bonum esse: At constat diem eligi posse. Sed figura vt figura est artificiosa, vim agendi non habet: quomodo igitur electio proderit? Dicemus igitur actionem in substantiam cum electione aliquid posse, non quia figura est, sed quia actio. Seu enim canem seu leonem, seu montem ea hora sculpseris, idem erit. Si figuræ confidas, non solum vanus es, sed superstitiosus: Quod & B. Thomas sensisse videtur. In monomachia aliquid facit electio, sed non secundum diem, verum quia ante vel post aduentum directionis aut processus, aut ingressus. Sed & vtriusque ratio habenda est. Est igitur hoc infinitum & incomprehensibile. Vt amissa occasione sæpius damna quam vtilitatem afferat. Verum in annis & actionibus naturæ etiam momentaneis magnam afferre potest vtilitatem. Velut si hoc anno, non præcedenti, volo quiescere in patria. Est & hoc difficile propter concursus. Ob id in naturalibus electio manifestè prodest. Vt si quis æstate serat aut putet, rideatur. In voluntariis si felix sit sequatur naturæ & animi impetum: Si infelix frangat & fugiat: non solum occasionem sed etiam persæpe rem ipsam.

QVÆSITVM XV.

De gratia à Principe obtinenda.

QVæritur an gratia à Principe obtinebitur? Vtpote an exul ab exilio reuocabitur? an qui est in carceribus liberabitur? magistratus an obtinebitur? Sunt & qui in his horam præstituant eligendam. Omnia hæc, vt dixi, in præcedenti quæsito ὁρμὴν sequi debent si felices sint: si infelices tunc electio iuuat non vt salutaris, sed vt vitans impetum syderum aduersantium. Quæremus igitur in horum genituris, quomodo eo tempore ingressus, directiones & processus se habeant, Sortis pro diuitiis, Solis pro magistratu & Medij cœli, Ascendenti pro exilio & carcere, atque ita in aliis.

QVÆSITVM XVI.

De cogitatione, seruo, opificio.

ET si quis desideret videre magnum experimentum, vt sciat quid cogitet Princeps: habitu eius genesi & deducta per directiones, processus & ingressus iuxta annos, menses, dies, horas & momenta, consideret loca Mercurij, & Lunæ, & dominos loci aut eleuatos super locum cuiuslibet eorum: Et erit cogitatio maior anni iuxta anni initium, & ita mensis, diei & horæ. Et vbi concordabunt rami cū trunco, poteris diiudicare, & si discordant, non. Et Saturnus bene dispositus facit cogitare de ædificiis, ducendis aquis, hæreditatibus, & laborib. Iupiter de honorib. diuitiis, & magistratu: Mars de itinere, fabrica, & militari dignitate: Venus de donis, voluptatibus, ornamento: Mercurius de artificiis subtilibus, scientia atque doctrina. Saturnus cadens & infelix, de morte, luctu, miseria, desperatione: Iupiter de luxu, misericordia, patientia, & perferendis incommodis: Mars de furtis, ludo, superum contemptu, ferendis discordiis: Venus de infami libidine, ganeis, & scortis: Mercurius de furto canto, deceptione, mendaciis. Quòd si Saturnus fuerit potens & malè dispositus, de consiliis, calumniis, oppressione miserorum. Iupiter de ambitu & pompa, & prodigalitate. Mars de cæde, incendio, rapinis, vindicta. Venus de stupris, ebrietatibus, dissipandis bonis. Mercurius de accusationibus venenis, & maledicendo. In seruo, visa illius genesi, vide quomodo conueniat cum domino & loco duodecimo. Si non habes eius genesim, facta directione, duodecimi loci & processu, & ingressu, iuxta illa iudicabis. Pro opificio, eligendo filio, vel alteri: considera qualitatem opificij iuxta naturam Planetæ illud significantis, in genesi filij, & illi eum adhibebis. Quòd si genesi careas & locum mutauerit in ea regione mansurus, considera eodem modo tempore deliberationis transmittendi illum. Et si non, cape tempus aduentus. Et si multos inuenias Planetas eiusdem causæ significatores, seu in seruo, seu opificio, seu cogitatione, miscebis illorum significata. Et ita dices de quæsitis aliis similibus. Et scias quod concordia significatorum in diuersis temporibus, aut modis, docet quod causam inuenisti.


QVÆSITVM XVII.

Coniuges an se diligent?

CVm loca luminarium, dicit Ptolemæus, concordauerint & eo magis si sint commutata, vt locus Lunæ viro sit, locus Solis coniugi: tunc se diligent, maximè si beneficæ loca hæc respexerint. Verum dico quod Lunæ oppositio etiam amicitiam afferre solet, Sol autem nunquam. Præterea ascendentis & Sortis conuenientia, ad amicitiam & concordiam plurimum facere solet. Nam si hoc inter ignotos & masculos facere potest, quantò magis in coniugibus?


Et vt huius rei exemplum rarissimum proponā (nam rarissima solum me propositurum sum testatus) subiungo bifariam exemplum imò trifariam admirabile. Primum quidem narranda est historia breuissimè, deinde colligenda ratio horum. Fuerunt Francisco Gallorum Regi filij tres, Franciscus maior natu ad quem regnum pertinebat, Henricus medius, & Carolus natu vltimus, omnibus viuentibus, cum pater potuisset Regij sanguinis vxorem, & cum ampla dote secundo genito dare, dedit suasu Pontificis Clementis, illius neptem (& antequam primogenitus nupsisset, quod & non parum illius nuptiis detrahebat) filia priuati ciuis nec satis nobilis, nam Florentini nobiles vllos inter sese habere negant, quod sæpius plebs patritios vrbe expulerit, & quod omnes mercaturam exerceant. Itaque cum Franciscus natu maior casu, viuente

uente patre, dececisset è viuis, aderat & hoc malum, quod Caterina sterilis erat, diuortium pater meditatus, amore sincero coniungis seruata ab innumeris quæ imminebant periculis atque retenta est. Inde suscepta sobole non pauca auxilio herbarum etiam, mortuoque socero, nunc regina viuit & si vnquam charissima coniugi, nec solum Regina, sed Regũ mater. Quæ prius sine dote, sine sanguine nupserat, magno miraculo atque multiplici, ita voluentibus Fatis. Nam ex hoc coniugio tanta fax exorta est, cum duo maximi Principes Cæsar & Gallorum Rex simul sanguine iungi nequiuerint, vt manifestum sit superos spontè hos disiunxisse, illos coniunxisse.



Supputatas has geneses à Luca Gaurico diligentius, facilè est coniicere. Facit autem Lunam orientaliorem sex partibus ephemeride, in secunda figura. Sed ad rem deuenio, Luna in Regis genesi sub radiis Solis iuncta Veneri in quadrato Saturni quem euaserat, humilem vxorem, sed formosam & gratiis plenam indicabat. In genesi priuati, cœlibem fecisset. Ipsi verò vxori non Sol, sed locus septimus in quo Luna, Iupiter & spica Virginis in vnum coierant iuxta Ptolemæi decreta, adeò manifestè regem coniugem declarabant, vt nihil magis, quia Luna trigoni Solis domina prima fuit. Diximus talia à trigonis maximè sumenda, quanquam etiam esset altitudinis & carpenti. Constantis autem amoris, quod est secundum ascendens ascendenti, Sol Soli, Venus & Iupiter, tamen in eisdem locis, tamen luminaria respicientes aut iuncti illis & Luna opposito in loco & congruenti scilicet septimo. Nec plura possis optare nec sperare. Saturnus verò in omnium penè quadrato eleuatus ex hoc coniungio quot tristitias, curas atque eas diuturnas, & stabiles, quas intersuisse necesse est, denuntiat.

Quod ad singulares status attinet, cum Luna in reginæ genesi sit iuncta Ioui & spicæ Virginis, quæ est de natura Veneris & Mercurij, significat mulierem planè probam, sapientem, mundam, diligentem, coniugis & filiorum amantem, moribusque nobilibus gratiosam, & decoram. Quòd ad Regem, vereor à Fatis quicquam dicere. Sed Iupiter in occidente Regnum decernit cum esset secundo genitus, Erit certè senecta tanto felicior, quanto etiam plura expertus fuerit. Saturnus sic constitutus vicissitudinem in rebus gerendis maximam pollicetur: Quod si in cœli Medio esset, nec duo quadrati vim suscepissent



sextilis & trigoni, multò firmiora & maiora mala decerneret. Iuxta igitur directiones, processus & ingressus, alternabit fortuna. Quæ & si æqua lance mala cum bonis distribueret, multò tamen magis læderetur malorum recordatione, quam bonorum voluptatem capiet. Porrò hanc quantitatem metiri & longissima res est, vt dixi, & extra præsentis negotij propositum, cùm obiter hæc, vt dixi, tractauerimus, hic & nunc vetamur à Fatis.

QVÆSITVM XVIII.

Coniugum quis prius morietur?

Eadem ratione si quæratur vter coniugum supererit: dices illũ cuius vita per genesim in tempus tardius protrahetur. Eadem ratione si vna tantum genitura nota fuerit, videbis quot vxores aut maritos sint habituri, & ex hoc duces coniecturam. Quæ enim tres est maritos habitura si vitam habebit primo & secundo necessario superstes erit. At dices quid certi? nam cum tres habitura sit maritos, non secus potest ante mori, quàm qui in infantia: præscribit enim mors omnibus. Et si dicas ætatem adesse oportet, quæ & ætas tribus maritis erit sufficiens? Viuacibus ne centum anni, breuis vitæ vel vnus annus. Propter id dicimus eos, qui aliena sectantur rerum principia, non habere quod dicant. Nobis satis est huic esse inclinationem ad plures ducendas vxores, alteri ad vnicam. Si tamen incidat vir in viuacem vxorem, nec omnino ad decrepitam perueniat ætatem, vnica contentus erit: loco verò alterius, locumque cœlo pulsa pellicibus dedit. Si vera neutram genesim habeas, ex primo consensu coniectaberis vtrum luminarium meliore sit conditione, quo ad angulum, & locum, & alias stellas. Diriges quoque vtrunque & ratione inita occursus in temporibus, & magnitudine impedimenti iudicabis quis sit superfuturus.

CAPVT

QVÆSITVM. XIX

Prægnans cuius sexus fœtum habeat?

TVtissima via ex ventris inspectione habetur, inquit enim Hippocrates masculi in dextris, fœminæ in sinistris. Quod etiam ex mamillarum differentia dignoscitur. Sed hoc & præcedens signum vt certissimum est, & vix vnquam fallit, ita plerisque anceps, cum discrimen hoc tam exiguum sit, vt non nisi longa consuetudine dignosci queat: Estque velut gemmarum notitia. Collocare oportet mulierem supinam ad amussim, & vt in luxatis pedibus exquisitissimè laterum comparationem habere. Quæ, vt dixi, cum medicos expertos in luxatis fallat, nihil mirum, si vbi obscurius est discrimen, & experientia longè rarior, homines hæsitent. Contingit tamen, licet vix in viginti prægnantibus vnam, dextrum latus turgidius, & tamen femellam in vtero habere, aut conuerso modo. Idem de mammis. Sed hæc extra artem. Ex arte sunt directio, processus & ingressus in loca masculina pro masculis, in fœminina pro fœminis, pro patre aut matre, tutius pro vtroque. Aliud si hoc præsidio careas horam conceptionis habeto, erige ascendens, & vide qui Planetæ loco ascendentis & Medij cœli dominentur, & qualiter affecti iuxta duplicem modum sexus. Quidam existimant succedentes fratrib. aut sororib. natis, Luna tendente ad nouilunium masculos esse, ad plenilunium fœminas. Melior ratio habetur ex natiuitate fratrum præcedentium, ad quos Luna applicat, si masculini sint natura, signo, quo ad mundum, & quo ad Solem, aut fœminini. Et similiter dominosloci Lunæ, & cœli Medij coniectura accipere oportet, non solum secundum quatuor modos sexum decernentes, sed & magnitudinem illorum, aut intensionem qualitatis. Exerceri autem prius in his oportet quam iudices, ne damno tibi sit ars non lucro. Solent enim Antuerpiæ & Lugduni mercatores magnas circa hoc deponere pecunias, certandi causa.

QVÆSITVM XX.

Filius an sit eius patris cuius creditur. Et an fama sparsa sit vera?

QVod ars hæc coniecturalis sit, & hominum comparatione ambigua, sæpe diximus, quo fit vt apud multos talia damno fuerint. Iniicere enim suspitionem filij spurij, adulterij vxoris, neque tutum est, nec sapientis officium. Propterea etiam si ars ad huiuscemodi extendatur, haud tutum est ei aut prudentis insistere. Inde enim cædes, suspitiones, veneficia, abiectionesque filiorum exoriuntur. Inuisa fuit mathematica, olim propter hoc, & nunc quoque si talibus studeamus, astrologia. Quamobrem omnis scientia bona non omnis suspitio aut coniectura. Hoc igitur vnum est ex his quæ nescire præstat, sed de rumore, vt plurimum iuxta initium existimandum erit, nulla tamen ratio firma de hoc tradi potest, cum non ex illo initio, sed ex consequenti voluntate & genitura illius qui eum profert ac directione, talia exoriantur. Itaque quædam sunt quæ omnino nescire præstat, vt de filiis, quædam quæ nesciri possunt, vt de furto, quædam quæ paruam habent coniecturam, vt de rumore, quædam quæ difficillimam, vt de cogitatione, quædam magnam, vt de Regis vita, quædam exquisitissimam, vt de ægro, quædam optimam extra artem tamen, vt de prægnantium fœtu masculino aut fœminino. In quibusdam etiam iuuat electio, vt in figuris ac sigillis. In aliis electio & interrogatio, vt in ludis. Vincunt enim plerique qui Lunam ludendo fronte aspiciunt, & eò magis si felix illa fuerit. In interrogatione autem vltra præscita directionum & processuum atque ingressuum, quando primum congrediuntur, & primum deliberauit si faustum tempus sit directioni, aut congressus deliberationi. Congressus in hoc significat, quoniam non cunctis fit per electionem. Si enim eligatur ab vno aut vni obedientibus nihil prodest. Si autem à contrariis, validus est: quemadmodum & in bello si quis locum aut occasionem in pernitiem suam eligat, ab illa frangitur & superatur.

De electionibus, & in quibus proficiant, & quæ generaliter seruanda.

Conferunt maximè in naturalibus, aliquid etiam in ludis, vt diximus, facere videntur. Naturalia sunt septem, satio, plantatio, insitio, sectio lignorum, nauigatio, medicamentum purgans, medicatio cum ferro vel igne. Fiunt in rebus naturalibus & coadiuuante natura. Non vt coniugium, lis, educatio, eruditio, & talia. Quatuor in omni electione generaliter obseruanda, artis ratio, vtpotè ne medicamentum dederis crudo morbo, ne nauiges naui corrupta, ne ludas ignorans ludum, ne seras æstate media: Atque eo modo hyeme nauigatio difficilis in oceano à Calendis Nouembris per totum vsque Martium. Scias etiam & conuenientia arti ex propriis, vt quoniam iuxta littus Africum Augusto ac deinceps procellæ sæuiunt, in quibusdam etiam locis venti orientales certis temporibus, vt tunc absurdè in orientem sis nauigaturus. Scias etiam exortus syderum atque occasus, quid valeant ea in causa & quando contingunt. Præterea conuenientia secundum naturam, vtpote quoniam sationes & plantationes, ac insitiones sicco indigent non humido: ludens ne decipiatur, aut alea falsa ludat, aut cogatur falso iudicio.

De electione, in satione, plantatione & insitione.

Quocumque in signo Sol positus aut signi parte, in ea regione feliciter id opus admittit, in eodem vicissim ☽, trigono aut sextili Saturno congrediens, maximè à Solis radiis libera, fauet operi. Atque præcipuè in secunda quadra plantare arbores conuenit. Caue autē ne maleficis malè constitutis congrediatur.

tur. Marti etiam quocumque modo. Elige etiam vt ☽ sit supra terram.

De lignorum sectione.

Cæduntur silente Luna in coitu cum Sole & sub terra posita: optimè sub nouissima Bruma, deinde sub exortu Canis.

De nauigatione.

Non congrediatur Luna Marti, nec syderibus illius naturæ. Nec procellosis vt Orion, Arcturus, vterque Canis, Hœdi, Hircus. Obseruandum est autem maximè ne eclipsis, aut coniunctio luminarium, aut oppositio proximè præcedens præsagiat tempestates.

De medicamentis exhibendis.

Medicamenta vocare solemus, quæ selectum humorem purgant. In his humida signa & aquea eliguntur, & mobilia, optimum igitur Cancer. Contra sicca & calida, & fixa: pessimum igitur Leo. Et sicci Planetæ & tardi motu: pessimus Saturnus & Mars, post Iupiter & Sol. Optima Venus & Mercurius, & si Luna vacua cursu fuerit (Semper autem de Luna, quæ in signis sit aut Planetis configuretur, est intelligendum.) In ruminantibus Ariete, Tauro & Capricorno solet vomitum excitare. Cum Planetis stantibus, vt cum tardis parum agit, imò minus quam in illis, & cum illis.

De medicatione per ferrum vel ignem.

Experimento deprehensum est, quod tales operationes si fiant, Luna signum illud, quod membrum respicit corporis, possidente, non sine euidenti noxa opus id fieri. Præsertim si in sectione Saturno aut vstione Marti societur. Et si malè dispositi sint, non absque periculo.

De ludo.

Considera primum impulsum mentis, & si Luna sit in congruentibus, & illis associata vel genituræ comparatione, vel per se, vel experimento, ibis: aliter non. Eligere etiam præstat locum Lunam bene fortunatam ascendentem, intuentem.

De modo seruando in prædicendo.

Oportet nouem conditiones seruare, ne si sinistrè hac arte vtaris, non solum gloriam & vtilitatem nullam afferat, sed etiam damna & pericula magna. Ascletarion, vt dixi, à Domitiano: & alius à Galeazio Sfortia occisi sunt ob prædictionem. Thrasybulus à Tiberio parum abfuit, quin in mare præcipitaretur. Hieronymus Cutica ciuis noster in exilium ob prædictiones à Gallis pulsus. Et si capi potuisset de vita actum fuisset. Gauricus à Bentiuolis tortus in eculeo. Id certè ex astris non viderat, quamuis excidium familiæ ominaretur, plus ex coniectura rerum quàm astrorum. Fuit enim sycophanta egregius. Quoties Roma pulsi, in exiliumque acti omnes diuinatores? Nobis antea nullo commodo fuit. Vanitatem hominis æmuli prædicabant ex artis infamia. Postmodum non parum commodi attulit nullo ferè detrimento famæ, sed obseruatis his, quæ nunc subiiciam. Quæ si quis seruauerit, & ipse citra offensam artem exercebit. Nec minore cum gloria ac vtilitate quàm medici nostri æui suam artem medicam. Longè enim securiores sunt astrologorum prædictiones, qui ex hoc libro seruatis his conditionibus diuinabunt, quàm cognitio medicorum nostri temporis de morbis, adeò diligenter astrologia hic tradita, adeò oscitanter medicina tractatur. Primum igitur ad prædicendum ne accedas, nisi perfectè instructus in his quæ hic traduntur, & illis necessariis vt suprà ostensum est. Vt quod cognoscat statim cum Planetæ sunt aucti cursu, quod sunt in superiore parui circuli parte, cum diminuti in inferiore, præter Lunam: Et plura prædicendi tecum experimenta feceris. Secundum, vt in prædicendo amoueas timorem, odium, & amorem. Illa enim etiam nolentem errare faciunt. Tertium vt ne artem profitearis in triuiis, nec coram populo, nec edas quicquam publicum. Tales enim artem & se ipsos infamia aspergunt, etiamsi vera prædicant. Quanto magis ridiculi fiunt cum falsi deprehenduntur? Quartum ne prædices tentanti, nec dubiam habenti genesim, nec sine pretio, nec cum exiguo pretio, nec deridenti artem: Nam vilipenditur in omnibus his ars, daturque errandi occasio, cum leuibus laboribus magna prædicere conamur, & inuentu difficilia. Ego bis centum coronatos pro vna genesi perficienda respui. Vide modo an tu me sis exercitatior. Quintum ne prædixeris, nisi omnibus diligenter consideratis & bene discussis, ad vnguem vsque. Et ratione habita conditionis hominis, familiæ, regionis, legis, ætatis, ac talium. Sextum, homini improbo & malo ne vlla ratione prædixeris quicquam. Ex his sequitur vt ne ignoto: multo minus Principi sæuo. Septimum, in prædicendo soli illi qui te rogat dixeris, non in populum prædictiones diffunde. Nec de minutis respondebis, sed maximis tantum & euidentib. & breuiter, non vt impleas folia, nec per ambages, nec contradicentia scribas. Sed purè, nitidè, castè, mundè, breuiter, clarè. Exemplum de hoc habes in decima genesi. Octauum, Principi ne magnum malum firmiter vnquam prædixeris: Sed periculum. Nonum, in omni prædictione adiice si non se intruserit periculis communium calamitatum. Et si vita debilis sit, si per processus & ingressus intermedios licuerit. Cæterum ipse astrologus sit prudens, mitis, paucorum verborum, ornatus, vestibus nitidus, grauis, fidus, ac probus, & vndequaque boni exempli. Nam artem persæpe artifex ornat & decorat. Expedit etiam ob multa non permittere vt quisquam sciat quod propriè genesis sit conscius. Conditori autem artis vt Ptolemæo, & nobis ad ostentationẽ veritatis, artis quædã ex his non sunt necessaria. Sunt etiam quædam his quæ scripta sunt altiora, atque obscuriora, quæ vt diximus, suo loco scribentur. Nam experimento hæc deprehendere licet, quasi his non consentiant ob difficultatem iudicij, consentiunt tamen. De sigillis quoque in tertio de rerum varietate scripsimus. Tot igitur & tanta hic docuisse sufficiat,

DE



DE REVOLVTIONE ANNORVM, MENSIVM, ET DIERVM, ad dies Criticos, & ad electiones Liber.

PROOEMIVM.

LONGA satis serie à nobis pertractatum est de futurorum generibus & qualitatibus, sed cum distinctio temporum rei veritatem indicet (nam cunctis cuncta conueniunt aut non) fit, vt solum in genere æstimatiuo collocetur Astrologia. Si temporum determinata conditio auferatur, multa etiam ab euentibus vniuersalibus permutantur, quorum ratio ex singularium genituris omnino non pendet nam non potest vnum genus mortis, tot tantisque viris, diuersis regionibus temporibusque ortis, vna hora conuenire, nisi à quadam vniuersali causa complectantur. Ideo ratio etiam vniuersalium semper habenda est, Eclipses etiam & Coniunctiones siderum, diuersitatem aliquam operantur in vniuersali. Nihil autem est vniuersale, nisi quod conficitur ex singularibus. Cum ergo hæ sint causæ præter natalitias figuras, & reuolutiones, non tantum etiam extendantur, si in ipsis etiam contigerint: (quod tamen rarum est) necessarium est super ingressus talium, aliquam seiunctam ab his habere demonstrationem. Ipsas vero reuolutiones, non vnius generis diximus esse sed singulum illorum generum distinctè prosequendum. Hanc etiam ob causam dies Criticos explicandos, quà ratione proueniant, quaue ratione iudicentur. Videtur enim Galenus in ipsis maximam auctoritatem posuisse atque hoc modo facile quisque modum eligendi intelliget, cum promissis speranda ex tempore coæquauerit. Eorum autem quæ quæruntur, tria sunt genera: Manifestum, vt in octuagesima genitura dignitates. Obscurum, vt multa contingentia parui momenti, quæ nulla arte assequi licet. Medium, vt artes natorum.

CAPVT I.

De modo generali reuolutionum.

ERecta cœli figura, planetas diligenter dispones, sed maxime Lunam, nam Solis in annorum reuolutionibus, & Lunæ, & ascendentis, vsque ad minima diligens ratio habenda est, hæc est ratio reuolutionum annorum in paucis annis: nam in pluribus, Solis locum diligenter examinabis, ne te ratio motus augis fallat, vnde plures annos voco, qui 200. excedunt.

Post hæc singulo mense tempus præcise notabis, quo Luna ad eundem punctum peruenit, in quo in reuolutione anni fuit, & hora illa figuram eriges, & planetas collocabis, eruntque in anno, vltra primam anni & mensis primi reuolutionem, reuolutionis 13. sed vltima est imperfecta.

Post hæc, in vnoquoque, loca quadrata per gradus & mi. & secund: obseruabis, & locum oppositum, & cum Luna in locis illis fuerit, erigit figuram, eruntque in vnoquoque mense, à figura mensis, tres aliæ figuræ.

Post hæc obseruabis ascendens illius temporis, in quo Luna est in vno locorum, & eriges quotidie figuram cum illo ascendente, & illud erit ad horam vsque reuersionis Lunæ ad alium punctum in quadratura existentem.

Post hæc in die obseruabis duo, distantiam planetæ vel loci ab occidente, si super terram fuerit, aut ab oriente, si sub terra, & multiplicabis per horas elongationis, & diuide per duodecim, & illud est complementum in hora illa. Secundus modus est, vt locus designatus ponatur in cœli medio, in oriente vel occidente, est enim tunc eius operatio, & differentia prima non est apud me recepta, sed secunda, idem dico de aduentu ad locum planetæ per alium circulum quàm sit horizon & meridianus, & iam dixi hoc in directionibus.

Complebitur ergo hoc negotiũ cum quinque reuolutionibus, & cum natiuitate. Natiuitas ergo per generalia & directiones ostendit tempora, locus Solis ostendit annos: Lunæ menses in quolibet anno: aspectus Lunæ principales hebdomadas. Et sunt quatuor in

in quolibet menſe, gradus aſcendens, dies in hebdomada, & ſunt pauciores ſex figuræ, & plures octo, & mediocres ſeptem, & aduentus partium noni cœli, ad partes decimi oſtendit horas & partes horarum, & hoc eſt comprehendens minutias incomprehenſibiles. Igitur figura genituræ principaliter oſtendit primi anni nutritionem, & reuolutio anni oſtendit principaliter de primo menſe, & ita de aliis.

Ex quo ſequitur tandem, quòd figura genethliaca principaliter oſtendit, quòd fœtui & matri, cum qua annectitur tunc puer, ſuccedere debeat hora illa, & in momento, & propter hoc raro eueniunt promiſſa in prima hora alicuius reuolutionis, quia non fit iteratio teſtimonij rei promiſſæ, & quando fit illa hora, vel die, tunc videbis neceſſario & ſemper, figuram validam in ſignificatione, veluti in figura quinquageſima prima libri centum geniturarum, & in figura noſtra, in qua mater & ego penè perieramus.

CAPVT II.

Soluit duo quæſita.

PRimum igitur conſiderare oportet, An in his qui ad perfectam perueniunt ætatem, aliquid quod in figura demonſtretur fruſtrari poſſit? nam in his qui ad perfectam ætatem non deueniunt, clariſſimum eſt plurima fruſtrari ſignificata: conſtat enim in pueris cito morituris, etiam ſignificatores filiorum,& nuptiarum,& exercitij adeſſe,non tamen, quoniam morte præueniuntur, aliquid horum aſſequi poſſunt. Pari ratione igitur exiſtimandum eſt, eos qui ad perfectam deueniunt ætatem, ſæpenumero promiſſis tardioribus fruſtrari: quod etiam in euentitibus naturalibus contingit Multi enim vtero gerentem derelinquunt vxorem, cum ſpe naſcentis filij morientes quid igitur? nunquid cauſæ illæ fruſtrabuntur? nequaquam, quia cauſæ non ſunt, niſi in ordine: deficit autem ordo, ſubiecto deficiente. Significata quidem fruſtrari non eſt inconueniens inconuenit autem cauſas, quæ ordine naturali conſtitutæ ſunt. Si igitur in ſenio promiſſa fuerint non in vltima ætate, quod multi credunt expectanda erunt: ſic etenim cuilibet ſua vltima adeſt ætas, cum moritur: ſed eo tempore, quod generaliter ſenium dicitur, veluti iuxta ſexageſimum annum, fruſtra igitur quinquagenarius expectabit. Hæc autem ſcripta ſunt, quoniam multos etiam clariſſimos viros decipi videbam.

Secundum, quod quæritur, eſt, An cuiuſlibet euentus qui per reuolutionem oſtenditur, ſignificatum in genitura ſit conſtitutum, an vero reuolutio per ſe ſit ſufficiens, aliquid omnino ex nouo condere? Reſpondemus, in genere quidem eſſe neceſſarium, in ſpecie autem nequaquam. Vnde cum cuilibet in genitura, mortis ſignificata ſint conſtituta, non inconuenit quolibet tempore, & mortis genere mori. Cum autẽ non in omni genitura coniugij ſignificata ſint, nulla poterit efficere reuolutio, vt illud eueniat, cuiuſue ſignificatum quidem in genitura eſt conſtitutum, minimum quidem veſtigium ſufficiet validæ reuolutioni: debili autem reuolutioni, validæ genituræ iudicatio requiretur. Itaque ſi quis genituram reuolutionibus comparauerit, cum per æternos motus ſit connexio,merito potuit quis dicere, in genitura quæcunque ventura ſint, perfecte contineri.

Cum autem optimus Aſtrologus natiuitatem ſine reuolutionibus conſiderauerit, dupliciter contingit ipſum longe falli, ac optimam genituram, peſſimam indicare: peſſimam vero ſummis extollere laudibus. Primo, cum optima promiſſa, vel peſſima, ad ſenilem referunt ætatem, ipſe vero occurrente reuolutione, vel directione præueniatur, non habebit ille veſtigium eorum, quæ à genitura promiſſa ſunt. Secundum eſt cum ſuperuenientibus pluribus reuolutionibus, malum conuenitur in bonum vel bonum in malum: Hæc autem in perpetua conſtituantur memoria.

CAPVT III.

Docet differentiam temporum.

COgnitio temporum futurorum, pendet ex tribus cum regula & quartum ſine regula, Primum eſt conditio figuræ in eſſe genituræ: & habet quatuor conditiones. Prima eſt conditio naturæ ſignificatoris,quia tardi, ſignificant rem poſt annos, & aliqui poſt annum & aliqui poſt menſem, vnuſquiſque enim ſignificator, ſignificat rem poſt ſuam reuolutionem completam. Ita ergo Saturnus non dat, niſi poſt 30.annos,& Iupiter poſt 12.& ita de reliquis, Et hoc cum fuerint ſignificatores, dominatores, & non ſignificatores per ſe, aut infortunatores.

Secundus modus eſt, vt ſint veloces in curſu, tardi, vel retrogradi, & hoc non ſignificat tempus initij rei, ſed poſtquam initium habuerit, quando finietur: qui ergo habet planetas retrogrados inferiores, tarde finiet quod cito inceperit: qui ſuperiores curſu auctos, cito perficiet, quod tarde cœperit.

Tertium modum, ſignificat conditio planetarum in eſſe, quo ad mundum, & eſt, quòd decima, vndecima, & duodecima,item prima, ſecunda, tertia ſignificant cito, & reliquæ tarde, & in his, anguli ſignificant velocitatem maiorem, cadentes tarditatem maiorem. Et ita cum comparaueris decimam nonæ, non erit diuerſitas ſenſibilis, quia nona eſt velociſſima tardarum, & decima tardiſſima velocium: & ex hoc quinta & ſexta ſunt valde tardæ, niſi ſint in proprio ſignificato.

Quartus modus, eſt orientalitas à Sole, quæ ſignant velocitatem, oppoſitum tarditatem, & hæ ſunt firmæ rei vniuerſalis conditiones, quantum ad tempora vniuerſalia.

Modus temporum exquiſitorum veluti iuxta quinquageſimum annum, vel iuxta ſexageſimum,

sexagesimum, pendet ex directionibus, & iam diximus de hoc in præcedentibus, cum ergo directio significat aliquid in 60. annis, & tempora vniuersalia in senectute, tunc augebitur significatum & confirmabitur. Si verò in iuuentute, tunc illud quod erit in iuuentute, erit paulatim & sparsim, quod vero erit in tempore iuxta sexagesimum annum, erit debile, quia tempora vniuersalia non concordant cum temporibus distinctis ac propriis.

Modus temporis exquisiti, concordat cum reuolutione anni pro anno: & mensis pro mense: & diei pro die: cum ergo concordauerit cum directione, tunc bonum est: cum discordauerit, erit effectus minor, & minus sensibilis in vtroque. Si vero reuolutio directioni contraria fuerit, & non fuerit valde potens directio ipsa, non cognoscitur operatio directionis in reuolutione illa, & tempora horarum non possunt auferre significatum diei: nec tempora diei significatum mensis, nec tempus mensis significatum anni, nec tempus anni directionem: nec directio tempus vniuersale. Exemplum, si quis habeat directionem moriendi in 30. anno,& eueniat reuolutio vitæ bona, licet non moriatur in vno mense illius anni bono, moritur in alio, & tantum eliget, donec in vno mense moriatur illius anni, quod si directio fuerit minus valida, non morietur illo anno, sed tantum ægrotabit in mense deteriore, & morietur in anno sequente: vel alio in quo reuolutio peior fuerit, quod si reuolutio mala directioni non multum malæ associetur, morietur tamen. Si vero reuolutio bona directioni malæ associetur, euadet pro illa reuolutione & sequentibus, quia directio non multum mala, penetrat tantum ad annum proprium in quo cadit, pessima vero ad multos annos ante & post, & si contingat reuolutio mala ante, interficit: si non, non euadet tamen à suo anno, in quo attingit ad locum illum.

Et scias, quòd planeta damnatus in genitura, non potest fieri bonus in directione: nec malus in directione, potest fieri bonus in reuolutione anni:nec malus in reuolutione anni, potest fieri bonus in reuolutione mensis, & ita de aliis, tantum quod pristinæ malitiæ contra operetur, & eam destruat & tollat.

Modus sine regula est, vt superiorum coniunctio vel eclipsis.

CAPVT IV.

De distinctione inter dominum genituræ & reuolutionis.

COgnitio rerum significatarum per planetas est secundum duos modos: vna est secundum substantiam, reliqua secundum dominium. Exemplum est, quòd Sol significat animam vitalem, & cerebrum significat Luna: & epar cum naturali virtute significat ascendens: & horum locorum dispositores quicunque sint, illi sunt secundum accidens dominatores. Et secundum hoc initia duodecim domorum, vt quæ sunt in primo mobili sunt secundum substantiam: & dominatores & partes eorum sunt secundum accidens. Et res quæ significantur, sunt tres: dispositiones animi, & corporis, & fortunæ, & his dominantur ascendens & dispositor: Luna & dispositor: & Mercurius & dispositor, & Venus ingreditur in genere voluptuoso, non tamen est domina secundum substantiam, tres ergo sunt animæ dispositores secundum substantiam, & tres secundum accidens,res corporis sunt per ascendens & Solem & Lunam, & aliqui addunt locum coniunctionis, & ego non sum de illis. Hi ergo dominantur secundum substantiam, & dispositores eorum secundum accidens. Res autem fortunæ sunt diuitiæ, amici, consanguinei, & honores: & Saturnus cum quarta, & dispositores, dominantur stabilibus,& Iupiter & secunda cum dispositoribus, dominantur diuitiis propriè vocatis, vt sunt pecuniæ & suppellex:duo ergo sunt significatores secundum substãtiam, & duo secundum accidens. In quolibet genere facultatum, Saturnus & Sol significant patris conditiones, & duo significatores eorum. Venus & Iupiter, & vndecima, significant amicos & dispositores eorum: tres ergo sunt domini secundum substantiam, & totidem secundum accidens. Luna Venus & septima significant vxorem & dispositores eorum similiter, Mars & septima secundum substantiam,significant inimicos,& loca opposita luminarium, & domini ascendentis nequaquam, & dispositores sunt domini eorum per accidens. Saturnus & duodecima significant hostes occultos secundum substantiam,& dominatores secundum accidens,quinta & Venus,& Luna,dant filios, & Iupiter, & hoc secundum substantiam: & dispositores horum secundum accidens. Mercurius & sexta dant seruos, & similiter dispositores. Mars, & sexta, & Saturnus,& dispositores, dant infirmitates. Saturnus, & septima,& dispositores, mortem cum abscisore vitæ,& sunt tres secundum substantiam, & totidem secundum accidens. Mars cum nona & Luna, dant itinera & dispositores: Sol, Iupiter & decima,dant dignitates,& dispositores:Luna,Venus & dispositores dant matris fortunam: Luna & Mercurius & tertia, dant fratres & consanguineos: Mars & Luna cum tertia & dispositoribus,dant itinera parua: ea ergo est ratio dominatorum secundum substantiam.

Tunc est regula generalis hæc, dominator secundum substantiam, semper manet idem, in omnibus renolutionibus: & dominator secundum accidens, variatur in reuolutionibus ad inuicem, non ab eo quòd fuit in genitura.

Secunda, cum domus sit dnminator secundum substantiam, semper id quod est in ea, significat qualitatem. Vnde semper Mars in secunda significat aliquam dissipationem, & Iupiter in secunda, aliquam bonam fortunam.

Tertia, comparatio domini secundum substantiam ad dominum secundum accidens, in tem

tempore illo, & dominorum secundum substantiam inuicem, est indicium & indicatio pro re illa in tempore illo.

Quarta, proportio dominatoris secundum substantiam, ad dominatorem secundum accidens, est veluti proportio domini agri ad colonum, & fructus existentes in agro, nam licet fructus in veritate sint domini, possessio tamen propria est in colono, nec poterit eis gaudere dominus, nisi vel voluntas vel necessitas cogat colonum, vt domino fructus reddat. Manifestum est ergo, quod quando colonus fuerit potens & malus, impedietur dominus à receptione fructuum: vel quando fuerit debilis valde, & ab aliis impeditus.

Quinta, domini secundum substantiam faciunt impressionem in loco permanentem, non domini secundum accidens. Vnde pars Saturni obseruanda est, & cæterorum planetarum, non quatenus sunt dispositores, sed quatenus sunt significatores secundum substantiam, & ita obseruamus locum Martis, quia est dominus contradictionum & infirmitatum secundum substantiam, & Mercurio inest proprietas, vt fiat in natura dominatorum secundum substantiam, & abscisor est dominus secundum substantiam, vt dictum fuit, & cuspides domorum. Sunt ergo loca decem nouem, sed principalia vndecim.

Sexta regula, dominatorum secundum substantiam loca opposita & quadrata, sunt consideranda dupliciter, nam in his qui radios mittunt, proportio talium locorum est consimilis loco mittentis cum quadam proportione contrarietatis. In his autem qui radios non mittunt, semper est contraria dispositioni loci illius, veluti tertia nonæ, & prima septimæ, & quarta decimæ. In illis vero qui sunt dominatores secundum accidens, iam nulla est intentio, quia non disponunt in loco aliquo. Iupiter ergo in octaua adimit & dat diuitias, Mars vero semper adimit.

Septima, reuolutio non potest super reuolutionem aliquam, quæ non sit pars ipsius, vt reuolutio anni super mensem, & mensis supra dies eiusdem anni, aliter non.

Octaua, Sol est dominator omnium virtutum in toto cœlo: & Luna delatrix, vnde Solis mala dispositio in omnibus minuit virtutem & robur: & Lunæ mala dispositio impedit, aut malè dat, aut tardè. Qui ergo ambo luminaria habet impedita, nunquam egregium aliquid nanciscetur, habebit enim omnia quasi vitiata, etiam optimè dispositis aliis planetis.

Nona, cum fuerit dispositor, dominus secundum substantiam in eadem re maximum ab illo planeta in causa illa iudicium habebis, non enim accidit separatio.

CAPVT V.

De permutatione significatorum adinuicem.

Cognitio bonitatis & malitiæ euentus, est ex quatuor conditionibus, prima est ex dispositione significatoris essentialis, vel accidentalis, in seipso. Secunda ex comparatione ad loca existentia in principio geniture, & iam dixi quòd sunt vndecim. Tertia est ex comparatione ad alios significatores, secundum tempus illud. Quarta est ex dispositione reliquorum planetarum in tempore illo.

Et nota, quod sunt duæ quadraturæ malæ, in vno quoque genere signorum, & ita sunt tres ordines, inter arietem & Cancrum. Inter Libram & Capricornum, secunda, & est deterior, Inter Geminos & Virginem: & inter Sagittarium & Pisces, vltima & est pessima. Inter Leonem & Scorpionem, & inter Aquarium & Taurum, & sunt duæ malæ valdè, duæ deteriores & duæ pessimæ, & sunt reliquæ mediocres, & oppositio est longe minus mala in hoc casu, quàm quadratum loquendo de comparatione vnius met Planetæ ad suum aspectum.

Et nota, quòd quatuor modis planeta iuuat vel nocet, primus est ex natura propria: vnde fortunæ semper iuuant: infortunæ nocent, luminaria augent, & declarant, & manifestant, hæ enim sunt tres propriæ operationes Solis & Lunæ Mercurius operatur secundum naturam dispositionis.

Secundus modus est, ex qualitate dispositoris: nam dispositor semper iuuat, & dispositor rei contrariæ nocet, veluti dispositor loci interficientis nocet vitæ, quàmuis sit fortuna, & Mars vitæ dispositor iuuat quamuis sit in fortuna.

Tertius modus est ex radiatione, quia quadratus & oppositus habent contrariam dispositionem, Trinus & sextilis amicum, & scias quòd Trinus est coniunctio imperfecta. Sextilis vero diminuta, nam operatio trini est operatio coniunctionis, si ergo fiat ex infortunis est malus. Similiter & sextilis, excepto quòd sit ex recipientibus: tunc enim est in forma coniunctionis receptæ, & generaliter trinus est coniunctio imperfecta, & sextilis diminuta. Valent ergo qui trinum Saturni laudant, & coniunctionem vituperant, nisi sit cum receptione, & melior est mutua. In quibus etiam casibus coniunctio est laudabilis, & nō est differentia in hoc, nisi in duobus, Primo quia trinus est debilior corpore: & ideo non tantum potest nocere secundæ, quod est inter signa similia. & coniunctio est validior, quia non solum in consimili, sed in eodem fit signo. Manifestum est ergo, quod quadratus dispositorum iuuantium viuat: & melius oppositus, vnde etiam ephemerides miscent eorum significata, vt dictum est, in mutationibus temporum. Omnes ergo bonorum aspectus boni, malorum mali. Sed diligenter animaduertere oportet, qui planetæ boni sint, qui mali, est tamen trinus & sextilis melior, quàm quadratus vel oppositus. In infortunis maxime: & caue, ne te decipiat fortuna contrariæ dispositionis: aut infortuna dispositrix, & quadratus & oppositio augent malitiam supra corpus, quando sunt malæ radiationes: & minuunt bonum ratione contrarietatis. Intellige ergo radicem omnium aspectuū ex hoc.

Quartus

Quartus est, quoniam cum dispositor secundum substantiam, fuerit secundum accidens, vel econtra, tunc erit quasi amicus prefectus exercitui contrario, certum est enim quòd nocet, sed minus, igitur dispositio per accidens præualet naturali, pro illo tempore, & ita Iupiter aufert substantiam, & Sol occidit, & Luna similiter, & Saturnus fouet vitam, sedhoc est rarum.


Et scias, quòd, vt sæpe dictum est, res significatiuæ sunt plures, significatores autem pauci, videlicet septem planetæ, & duodecim domus, & paucæ stellæ fixæ, dictæ in primo libro, qua de causa, Ptolemæus nonam fusionem imposuit: qua plurima significata dedit vni significatori: & posuit Lunam significantem corpus: deinde animi mores: deinde vitam: & vxorem & matrem, & ancillas & filias, & sorores. Quomodo ergo erit disposita illi, cui in partu moritur vxor, & ipse longeuæ vitæ. & filiæ eius plures incolumes. & ancillæ fugitiuæ. & mater mortua cito. & corpus salubre. & intellectus inconstans & malus. propter hæc igitur in capitulo sequenti ego subiunxi figuram vnam atque alteram reuolutionis trigesimiquarti & trigesimi quinti anni incipientium: vt intelligas facilitatem iudicandi, in omnibus quæ tibi erunt proposita, sine ambiguitate, & sine timore, & sine verbis ancipitibus, & sine confusione, & hoc modo in omnibus iudicabis. Et exemplum tale est quod subiungitur, & est figuræ decimænonæ nostræ, & vnam pono præteritam, & aliam quæ incipit & futura est, & cum hoc memor sis stellarum insignium, cum planetis existentium.

CAPVT VI.

De exemplis supradictorum.

Consideraui primo pro vita ascendens & Lunam, & inueni, quòd ascendens erat ascendens natiuitatis, & Luna dispositrix, & ipsa in ascendente. Ergo ascendens & Luna & dispositores & ascendens natiuitatis vnum & idem sunt. Significauit ergo perfectam sanitatem, Venus etiam erat salua, domina ascendentis, & loci Solis, & radij trini Iouis, cadebant in ascendente, & ipse erat dominus octauæ, & radij quadrati Saturni similiter, & hoc significauit aliquem timorem cum desperatione quadam, & perfectam sanitatem, & ita fuit.

Consideraui postmodum secundam, & locum Iouis, & dispositores, & quia nullus erat in secunda. Iupiter autem fuit in corde cœli in casu suo, & Mercurius in sexta cum Marte domino loci Iouis, in loco Veneris & Mercurij, id est, coniunctionis illorum hora geniture, significauit dissipationem substantiæ, plus quam aliter, ratione quærendi dignitatem, & quia Mars respexit Iouem de quadrato cum receptione Martis, & non Iouis, significat mutuum, & res acquisitas malo modo, & ita fuit, & si receptio fuisset ex parte. Iouis, fuisset lucrum, & non mutuum, radij etiam quadrati Veneris, & Saturni sextiles, cadebant super hoc, videlicet super secundam, & ita occasione talium etiam fuit iactura, & quia Mercurius erat in sexta, dominus eius, id est in ea habens potestatem, est enim trigoni dominus, significauit lucrum ex arte mea quia erat cum domino decimæ, & ita fuit totum adamussim, creuit enim lucrum ex Astrologia & Medicina.



Consideraui postmodum tertiam & Lunam & Martem, & non erat in eis aliquid mali, nisi quòd Mercurius erat cum Marte, & significauit, quod ex consanguineis aliquis se intromitteret pro me & dignitate mea, & fuit hoc totum.

Consideraui Saturnum, & quartam, & dispositores, & Saturnus fuit cum capite, & Sol cadens in sextili eius, significauit quòd stabilia ægrè starent, & quòd augerentur auctione inutili, & ita fuit, parum defuit, ne aliquod venderetur ex eis, propter Solem.

Consideraui quintam & Venerem, quæ erat in signo fœminino in ipsa, & Iouem, in signo fœminino in corde cœli. Et hoc totum significauit, quòd vxor conciperet filiam, & quia Mercurius & Mars, dispositores locorum, erant in sexta, significauit quòd erat debilis in ventre matris, & quòd infirmitatem in aluo conceptura esset, & significauit locum, & reliqua, & ita fuit.

Consideraui sextam & Martem in ea, & Venerem dispositricem, & hoc totum significauit impedimentum, & permutationem, & multa alia. Nam Mars est in loco Veneris, cum Mercurio, & Venus cadens in quinta.

Consideraui septimam & Lunam, & Luna fuit potens & in prima, & significauit nocumentum vxori, quia etiam Mars cadebat in sexta cum Mercurio.

Consideraui tandem septimam cum Marte, & fuit vnus & idem significator. Mars cadens in sexta, in quadrato Iouis, & significauit

significauit, quòd hostes aperti deprimuntur timore Principis, & iustorum virorum, & nihil nocerent, & ita fuit.

De octaua nihil consideraui, quia salui erant significatores vitæ.

De nona etiam, & Marte, nihil erat, non enim iungebantur domino ascendentis, nec Lunæ, & Iupiter in quadrato Martis significauit reditum in patriam.


Consideraui Venerem & Lunam, pro matre & ipsi erant in trino, cum receptione, & ideo non significant nocumentum ex hoc, & mater fuit incolumis.

Consideraui Cor cœli, & Solem, & Iouem, & dispositores, & sunt Mars, Saturnus, Venus, maximè autem est Mars cum Saturno, & quia Iupiter erat in corde cœli, & cor cœli idem cum corde cœli genituræ, & Mars in sexta de quadrato respexit eos, significauit auctionem plurium dignitatum, quia Mars erat cum Mercurio in loco Veneris in genitura, & ita habui plurima officia eo anno. Et quia erant in cadentibus, nam Sol cadit in libra, & Saturnus in Leone, & Iupiter in Capricorno, & Mars in Libra cadit: & Mars est dominus inimicorum occultorum, significauit, quòd hæc omnia essent vitiata & non absoluta, & cum modica gloria, & cum impedimento ex parte inimicorum apertorum & occultorum, Mars enim est dominus septimæ. Cauda etiam minuit dignitates, quæ erat in corde cœli cum Ioue. Et quia Sol, Mars, Mercurius, cor cœli, & Iupiter sunt in significatis mobilibus, significat hoc totum quod meliorem partem amittam, & licet non amiserim, amittam tamen, & retinebo officium tantum quod significatur per Saturnum existentem in trino Solis. Cum ergo tria eo anno habuerim, duo meliora ex illis amittam, & remanebit quod erit inutile, & cum ex ratione naturali nesciam hoc, erit tamen ita.

Consideraui postmodum in amicis dispositorem vndecimæ, & dispositorem loci Iouis, & Mercurium dispositorem loci Veneris, & cum Venus esset in opposito vndecimæ, & Mercurius cum Marte, significauit, quòd omnes amici mei erant ficti, & quòd prodebant & odiebant me secrete, & aliqui etiam palàm, præter amicos significatos à Ioue, & hi erant potentes & legales. Nam Iupiter aspiciebat ascendens de trino, & Venus significauit etiam amicos valde sed impotentes, nam ipsa respiciebat Lunam de trino dominam ascendentis, & ipsamet erat ascendentis domina, & tamen erat cadens, & in opposito vndecimæ.

Consideraui duodecimam & Saturnum pro hostibus occultis: & dominus duodecimæ est Mars ferè ex tota, & ipse est cum Mercurio, significauit quòd parum obessent, quia Sol & Mars, & Mercurius erant in sexta, attamen solus Saturnus fotus radiis Solis, nocebat valde, quia erat in opposito cordis cœli, & in quadrato ascendentis.

Expositio alterius Reuolutionis,



Dixi de reuolutione valde bona respectu genituræ malæ, modo declarabo præsentem reuolutionem, malam ferè in omnibus in conuerso alterius reuolutionis, & successus demonstrabit quòd ita erit.

Consideraui primo decimam, Solem & Iouem & dispositores, & sunt Mars, Sol, & Saturnus. Manifestum est ergo, quod Sol in hoc multum potest per nonam regulam quinti capituli, & quia erat in quadrato Martis in duodecima. Ideo cum Sol esset cadens in tertia, & vterque in opposito suæ exaltationis, significauit vltimam depressionem dignitatis & officij, & ita fuit, nunquam enim minus feci in vita mea: quia tamen sic respiciebant, significauit quòd dignitas conseruaretur, & reliqua amitterentur. Hoc autem maximè, quia Mars erat in trino Solis in genitura: & quia Saturnus respexit cor cœli de trino, existentis in signo fixo: & Iupiter de sextili: habebo in fine anni aliquod bonum fortuitum ex hoc uon ordinarium. Et quia Saturnus non dominatur medio cœli, sed septimæ, significat quòd in totum aperto Marte hoc anno ab inimicis oppugnabor, & erunt partim occulti propter substantiam, & partim aperti propter dominium. Et si hic aspectus fuisset ad Solem, fuisset totum contrarium, imò melior fuisset quadratura hoc modo, quàm hic trinus cum medio cœli, & quia ☊ est cum ♂, & Luna in sextili eius, & ipsa domina loci, auferent fraude & dolis aliquid hostes occulti à me consilio cuiusdam & societate, qui se optimum virum profitebitur, & erit hoc indubie:

Ecce vides qualiter Luna nocet Marti & Sol iuuat, cum tamen omnes indicarent contrarium, manebit tamen hoc præcepto principis aut differetur.

Consideraui postmodum substantiam stabilem, & inueni Iouem in opposito Saturni, & Venerem in quadrato, & ipsum cadentem: & quia Venus erat domina imi cœli & similiter Saturnus, erit per nonam regulam quinti capituli, & tertium & quartum modum proficui, & damni sexto capitulo, quod conseruarem etiam stabilia, sed ægre. Iupiter autem in opposito Saturni & quadrato Veneris, & ipse dominus octauæ & duodecimæ

decimæ & quintæ, significat, quod talium occasionem aliquid ex stabilibus damnabitur, & illud oppignoratum amittam, quia omnes planetæ, videlicet Saturnus, Venus, & Iupiter, sunt in signis fixis.

Consideraui in quinta domo & Ioue & ♀, & fuit Iupiter in opposito Saturni, & in quadrato Veneris & quintæ: & ambo in signis fixis, & Iupiter dominus octauæ, & hoc significauit quòd orietur filia, & ita orta est, & quòd filij male afficerentur, & quò in periculo vitæ ex longo morbo detinentur: quod Deus auertat, & est valde mala pro eis.

Consideraui sextam & Martem, & fuit etiam dispositor & in opposito eius: & ipse fuit in quadrato Solis, & sextili Lunæ: & ideo cum Luna esset domina, significauit febrem, quæ est morbus in virtute vitali, & quia est in capite, significat febrem ventuosam, & quia est in Cancro significat damnum pectori & pulmoni maxime, quia Sol est dominus ascendentis cadens damnatus in Libra, & quia est in duodecima, erit res leuis sicut tertiana, quæ est mobilis & varians cum quadam venenositate leui, & durauit parum, quia est in signo mobili, & respectu Lunæ nullum significat malum, & si fuisset in alia domo non opposita, fuisset maius malum valde propter radices positas. Directio autem cum esset ad Iouem, facit vt nihil deterius timere debuerim.

Consideraui post septimam & Martem & dominatores Saturnum & Lunam, & ipsi respiciebant Solem de quadrato, & significat, quòd offenderer ab inimicis, & quia Saturnus dominus septimæ est in prima, significat quod erunt quidam ex illis, qui non poterunt nocere mihi, & erunt inimici noui.

Consideraui postmodum significatores vitæ & infortunas, & quia Sol dominabatur loco Saturni & Luna loco Martis, Significauit quòd non esset periculum de vita ratione morbi naturalis, & quia Saturnus est in ascendente in opposito domini triplicitatis existens in Leone, significat tristitiam & oppilationem in epate, & debilitatem ventriculi, & erunt hæc valde leuia, quia multum remouetur ab ascendente, & quia est cum corde leonis dabit tristitiam, timorem, solicitudinem in corde, & affectum occultum, quem nemo intelliget, Et quia Iupiter dominus octauæ, & Venus sunt in contrario aspectu domini domus inimicorum, morietur aliquis ex inimicis occultis.

Consideraui nonam & Martem, & significauit iterum vnum, nam Luna respiciebat Martem cadentem, & Mars Solem.

Et nota, quòd hoc anno directio ascendentis peruenit ad corpus Saturni fermè. Nota etiam quòd locus dispositoris significat causam rei: & robur significatoris secundum substantiam, magnitudinem causæ facientis rem: & locus eius locum rei, quæ fiet: & robur dispositoris magnitudinem effectus: & permixtio dispositorum nihil iuuat, cum fuerint dispositores locorum diuersorum, similiter dispositoris cum significatore alio, cuius non est dispositor nihil iuuat, licet sint super eadem re, veluti in secunda figura in causa vxoris Mercurius est dispositor, quia dominus loci Lunæ & Saturnus, quia dominus septimæ & aspectus sextilis in hoc casu nihil iuuat, quia sunt dispositores diuersorum locorum, licet in eadem causa. Significatores autem secundum substantiam in eadem causa semper fouent eam, cum sunt colligati: & nota quòd significator secundum substantiam est res in potentia, & secundum accidens est in actu, cum ergo dispositores Solis Lunæ & ascendentis omnes fuerint complete damnati, & vitæ significatores salui omnes, morietur tamen omnino, quia vita non est in actu, & quia res in actu non durat: & in potentia durat longo tempore & non permutatur, propter hoc significatores secundum substantiam permanent & alij non permanent, & citius morietur, cuius significatores secundum substantiam salui fuerint, & secundum accidens destructi, quàm secus.

Et nota, cum inueneris in figura vel reuolutione dispositorem vnum supra omnia loca vitæ, ille vel ex toto erit sanus, vel morietur. Causa patet ex præcedentibus vt dictum est: & raro fallit, nam potest fallere vbi ille dispositor habeat plures damnatores debiles, & scias quòd tutiores sunt plures dispositores debiles, quàm vnus potens, & tutius est vnum habere vitæ datorem validum, quàm plura debilia, Idem dico in reliquis, nam quod est in potentia, debet esse validum, licet sit vnum, quòd vero in actu plura licet debilia: Et has duas regulas diligenter nota.

CAPVT VII.

De modo iudicandi in mensibus & diebus.

ANimaduertendum puto hoc, considerationem nocumenti aut iuuamenti esse validiorem secundum tempora vniuersalia, & sunt primi quatuor anni debilitatis, & post quadragesimum secundum annum vsque ad quadragesimum nonum & post sexagesimum tertium.

Ratio autem mensium est, vt consideres reuolutionem anni, & loca infortunata in genitura, & in reuolutione, & sit comparatio mensis ad genituram, & reuolutionem anni, vna & eadem, cum comparatione reuolutionis anni ad genituram, & similiter comparatio diei ad mensem, annum, & genituram, comparatio eademmet, cum comparatione mensis ad annum & genituram. Manifestum est ergo, quòd consideratio mensis plura habet quam anni: & diei quam mensis: & anni quàm geniturae: erit ergo quo ad hoc difficilior inuentio partium mensis, quam totius: & diei quàm partium mensis: & ita de reliquis.

Et cum sit, quòd comparatio plurium, denotat in nobis maiorem firmitatem, facilius erit ergo cognoscere mensem in anno, quam annuum euentum in genitura, & quartam mensis in mense. quam mensem in anno, & diem in quarta mensis, quam omnia reliqua,

pauca ergo consideranti, & laborem vitanti, facilior est genitura, quàm anni reuolutio, & anni quàm mensis, & mensis quam quartæ,& quartæ quàm diei. In erudito tamen & laborioso erit totum contrarium.

Cumque sit, quod cognitio diei præsupponat cognitionem quartæ,& cognitio quartæ præsupponat cognitionem mensis, & ita vsque ad genituram. Impossibile est, vt quis plus cognoscat diem quàm annum, & quòd habeat maiorem securitatem de quarta mensis, quàm de mense.

Cum igitur ita sit, erit vt optimus Astrologus, facilius inueniat peiorem diem in quarta mensis proposita, quam peiorem quartam mensis in mense proposito, & ita certius cognoscat malam diem in quarta mensis,quam malum annum in tota genitura.

Et scias, quod qui fecerit omnes reuolutiones, à principio natiuitatis vsque in finem sine intermissione: & experientia compererit tria vel quatuor accidentia illius: & veritatem illorum quæsiuerit per reuolutionem anni, mensis & diei & horæ: solus ille exacte iudicabit de tota vita illius sine errore,& confusione,& omnis alius deuiabit à recto iudicio, etiam in qualitatibus accidentium, nedum in tempore, per tantum, quantum defecerit ab hoc,quod tibi dixi.

Et scias, quòd damnatio mensis, respectu anni, vel partium mensis respectu mensis, & ita de reliquis, est duplex: Vna quando quod infortunatum est in anno, infortunatur in eodem mense. Secunda est, quando quod est infortunatum in anno, non infortunatur in mense, sed illud quod non permittit omnino infortunari in anno, infortunatur in mense. Et exemplum est primi modi, cadit ascendens reuolutionis in gradu Saturni natiuitatis, ille mensis erit mortis, in quo ascendens erit vnus, ex quatuor punctis damnatis à Saturno in natiuitate, & hic modus est valde potens. Secundus modus est, ascendens cadit vti prius dictum est, sed Sol & Luna in sexta vel tertia,remanet ergo dispositor ascendentis in decima,loci Solis in nona, Lunæ vero in septima, tunc mensis ille erit mortis, in quo damnabitur dominus ascendentis, quia ille erat in reuolutione anni robustissimus, & ex quartis illa, in qua damnabitur dispositor loci Lunæ, quia erat secundus in robore, & ex diebus ille, in quo damnabitur dominus loci Solis, qui solus remanserat ad defendendum vitam, & per damnationem, intelligo damnationem vltimam,& non aliter.

Et scias,quod non negatur transitus de genitura ad mensem, vel ad diem,sine anno, & ita in reliquis, cum damnatio fuerit valida, aliter non. Et scias quod in omnibus genituris, reuolutionibus, directionibus, significatisque eorum, quicquid est sub terra præter angulum primæ, amittit plusquam dimidium virium suarum & significati.

CAPVT VIII.

De modo sciendi exitus morborum.

MOdus hic est clarus, & aperiens nobis rem aliam, & est, quòd quando homo infirmatur, statuas figuram cum planetis: & si sit ex genere cronicarum, considera Solem, si accutarum Lunam, & considera quomodo iudicares natiuitatẽ sine reuolutione, videlicet an vitæ largitores sint salui, an infortunæ præualeāt tertiæ,an dispositores sint cum domino loci mortis, & an dispositor loci mortis præualeat, si enim præualuerit morietur: si non erit in maximo discrimine, & tunc considera reliqua: & si dispositor est infortuna, est deterior, & fortuna octauæ dispositrix, est deterior infortuna non disponente, quantum ad applicationem, quantum vero ad ad hostiles radios, est contrarium.

Dominus etiam sextæ considerari debet & angulus occcidentis, cumque dispositores sextæ & octauæ fuerint validi, & non applicent illis dispositores vitæ, non est periculum de vita, & applicatio dispositoris vitæ ad dispositorem mortis, est longe deterior, quàm si contrario modo contingat. Considerabis etiam tempora vniuersalia, & directiones, maxime loci Lunæ, vel Solis, secundum quod dixi, & cuilibet istorum associatur ascendens, & dispositor, cum dispositore loci luminaris, significantis qualitatem morbi. Sunt ergo quatuor,quæ semper dirigi debent, & inter hos validioris directio, maiorem facit mutationem.

Modus secundus, & est Galeni, tertio de diebus Criticis, & est adhuc verior: considerabis figuram morbi in comparatione ad genituram, & indicabis mortem aut vitam ad vnguem, sicut in reuolutione anni, excepto quòd hora morbi certius indicat de morte quàm de salute: & reuolutio anni contrario modo, consule igitur præcedentia.

Post hæc in vtroque modo considera, ab hora initij locum Lunæ, & adde ei 45. gradus, & cum Luna erit in loco illo per minutum, statue figuram, & compara ad primam, & etiam in seipsa consideretur, & regit hæc figura à quarta ad septimam diem. post addde iterum alios 45 gradus, & scies per figuram, statum infirmi à septima ad vndecimam, & ita perficies vsque ad quadragesimam diem.

Et nota, quòd in vna reuolutione Lunæ, sint octo puncta consideranda, validior ex his est oppositus in acutis: in peracutis autem primus quadratus: in perperacutis autem primus punctus initij: & in cronicis acutis secundus quadratus: raro autem in reuersione locus Lunæ, sed reliqua puncta intermedia sunt minoris afflictionis, & dicuntur puncta indicatiua.

Cumque dominus mortis retrocedendo ad dominum ascendentis applicat, vel dominus ascendentis ad dominum loci mortis per retrogradationem, erit mors valde festina & certa, certior autem atque celerior est: cum

dominus

dominus ascendentis fuerit directus & mortis retrogradus.

Ex his liquet, cum locus Lunæ, qui in morbo fuit obseruetur, & non qui fuit in natiuitate, cum tamen natiuitatis locum Lunæ cognoscamus: congruum erit, vt in annorum reuolutionibus, locum Lunæ in reuolutione obseruemus: & dirigamus, non eum qui fuit in natiuitate, in reuolutionibus mensium constituendis, est validior locus dominatoris quàm significatoris secundum substantiam. Disponit autem Luna cum Sol ad eundem locum, in quo fuit in natiuitate, peruenerit. Cum ergo ita sit, non iniuria etiam in reuolutionibus ita obseruandum erit.

CAPVT IX.

De coniunctionibus & ecclipsibus.

IN hoc vna est regula generalis: cum fuerit ascendens natiuitatis vel reuolutionis anni, vel mensis, vel locus Lunæ aut Solis, vel dispositor, in loco coniunctionis, vel ecclipsis præcedentis, vel opposito, vel quadrato, cecideritque effectus coniunctionis secundum totum vel partem in tempore illius genituræ vel reuolutionis: tunc apparebit effectus eius in temporis parte, in qua duo tempora conueniunt. Exemplum. Coniungitur Saturnus cum Marte, in quinta parte Aquarij, & sit effectus eius apparituras post annum, durans per sex menses, & in capite 9. mensium à die coniunctionis, cadat reuolutio, cuius ascendens sit quinta pars Leonis, tunc in illo tempore per sex menses erit in discrimine talis coniunctionis: quòd si talis reuolutio, per tres menses post coniunctionem inceperit, erit periculum tantum in tribus mensibus vltimis reuolutionis, & non vltra, quia solum in illis conueniunt effectus tempora, cum temporibus reuolutionis.

Ecclipses ergo solares, vitam & honores auferunt, pro qualitate roboris earum: & genituræ, & conuenientiæ: lunares stuporem & infirmitates diuturnas & acutas, & morbos oculorum & mortem, & infortunia magna, ex qualitatibus accidentibus tempore illius effectus. Saturni & Iouis coniunctio, Saturno dominante graues morbos producit, & inopiam, & destructionem omnis boni, at Ioue præualente dat diuitias & honores, & res magnas.

Saturni & Martis coniunctio, omnia destruit, pro qualitate præualentis planetæ, & locorum, in quibus sunt, & reliquarum causarum.

Iouis & Martis coniunctio, Ioue dominante, auget maximam fortunam, dignitates & gloriam: Marte præualente, infirmitates acutas, damna, incendia, rixas, & talia.

Sol cum omnibus malum significat, maxime autem cum infortunis, & plus cum Ioue, quàm cum Venere, & cum Mercurio parum aut nihil.

Reuolutiones annorum, vbi rite fiant mundi, vel ciuitatis, vbi fueris, nocent aut iuuant: cum tua reuolutio sequens, aut impedita aut fortunata fuerit: per tantum temporis promissio perficiet à tempore reuolutionis tuæ vsque ad sequentem reuolutionem mundi, vel ciuitatis: veluti, fiat reuolutio ciuitatis in decima Martij, & hominis in decima Septembris, & significetur aliquid, illud erit inter decimam Septembris vsque ad decimam Martij sequentis anni

Cum ergo loca dignitatum, fuerint loca fortunarum ciuitatis, vel mundi, bene erit; si infortunarum, male idem de vitæ significatoribus, excepto quòd non occidunt, neque grauiter nocent, nisi ecclipsis associetur.

Cum plures nauim introierint, tempus introitus semper ad sequentes reuolutiones referatur: malitia autem præcedentis reuolutionis aut bonitas, & causa introitus. Cum ergo reuolutiones dierum fuerint diuersæ, morientur homines illi, diuerso tempore, paruum discrimen in paruo, magnum in magno, infortunio autem nauis quodlibet infortunium etiam horæ sufficit, cauenda ergo sunt semper pericula.

CAPVT X.

De proprietatibus planetarum & signorum in reuolutionibus.

CVm dominus ascendentis fuerit Sol, inclinabitur ad seueritatem & tristitiam. Si Mars, ad crudelitatem & rapacitatem. Si Iupiter, ad religionem & honores & bonos mores. Si Mercurius, ad sapientiam. Si Venus ad lasciuiam. Si Luna, ad itinera, & erit volubilis opinionis. Si Saturnus, erit timidus & auarus.

Si ascendit Aries, erit in timore mortis violentæ. Si Taurus, ægrotabit ex libidine. Si Gemini, sollicitabitur in secretis perquirendis. Si Cancer, erit amator rerum publicarum, & studiosus, vel laboriosus. Si Leo, tristis & superbus. Si Virgo, erit amator honorum. Si Libra, erit in periculo vitæ, ratione gulæ. Si Scorpio, erit infirmus, ratione cogitationis, & peruicax. Si Sagittarius, sollicitabitur circa ædificationes. Si Capricornus erit sollicitus pro pecuniis & bonis mobilibus. Si Aquarius, maledicus erit & malus vir. Si pisces, erit superbus valde, idem de Virgine. sed non tantum, & hæc omnia veriora sunt de natiuitatibus.

Si Saturnus cadit in loco proprio, auget significationem promissi in natiuitate, secundum substantiam, non secundum quod fuit dispositor, nunc autem significat secundum quòd est dispositor. Exemplum, Saturnus in natiuitate fuit in sexto Geminorum. Dispositor loci Lunæ & vitæ, modo cadit dispositor septimæ. In reuolutione in sexto gradu Geminorum: augebit significata stabilium, & rerum quas significauit secundum substantiam: non tamen confirmabit vitam, sed confirmabit de vxore, quod est significatũ dispositionis secundum accidens in reuolutione magis quàm si esset in alio loco. Intellige ergo

ergo idem de omni reditu planetæ ad locum proprium, ad oppositum, vel quadratum.

Si Saturnus cadit in loco Iouis, stabilia augebuntur, & res significatæ per Saturni substantiam, & melior fiet conditio dispositoris. Si in loco Martis, fiet destructio mobilium, & reliqua per contentiones & malos homines. Si ad locum Veneris, erit in deliciis & oblitus omnis tristitiæ & sine continentia. Si cadit Saturnus in loco Solis, erit vt omnis virtus occultetur, nisi Sol fuerit promissor. Si in loco Mercurij, figitur in studiis & artibus. Si in loco Lunæ, diliget & operabitur in anuis, vel rebus vilibus, & pauci momenti. per hæc scitur significatum planetarum in reliquis.

Cum fuerit planeta in angulo, eueniet celeriter & manifeste. cum in cadenti, debiliter & tarde. cum in succedenti, mediocriter.

Inspicies dominatorem communem genituræ, & eum comparabis ad genituram & planetas in reuolutione, & ex ipso significabis.

CAPVT XI.

De singularibus regulis reuolutionum.

Regula prima. Significatio magisteri augetur per proprietatem planetæ & domus significantis ipsam, licet ipsa fuerit cadens, veluti in arte medicinæ, Mars in sexta fouet, cum tamen in omnibus aliis sit malus.

Regula secunda. Planetam infortunam collauda in domo sua existentem & cadentem in mūdo: at reliqua elige valida ōnibus modis.

Regula tertia, & si sæpe dictum sit, propter vtilitatem tamen repetatur, Planeta cum non fuerit malus, obliuiscitur inimicitiarum. & cum non fuerit bonus, amicitiarum, nisi sit reditus ad loca propria sua, vel quadrata vel opposita

Regula quarta, ex hac infertur, quòd solus Sol obliuiscitur nunquam ex toto suæ dispositionis, similiter & Lunæ, vbi reditus mensium fieret à genitura. hoc autem maxime fiet, cum Sol vel Luna ad eandem domum in qua fuerant in natiuitate, redierint, nam hic in luminaribus est reditus ad locum suum, si Luna hoc modo consideretur.

Regula quinta, O quàm valida erit illa reuolutio, in qua Luna & ascendens ad propria redierint loca.

Regula sexta, Consideratio maxima, de qua rogabunt te omnes, est super tribus rebus. Super Sole, & Luna, & domino medij cœli, propter vitam, dignitates, & honores, nam hoc est quod plus desiderant homines scire, cum ergò hæc fuerint infœlicia, quid boni sperare poteris.

Regula septima, Cum ceciderit decima in loco Iouis à natiuitate, & dominus decimæ fuerit cadens, vel Sol, tunc habebit bonum, quod non reputabitur bonum, si contrario modo, parum habebit, & maximum videbitur. Ita intellige de omnibus significatoribus secundum substantiam comparatis, ad significatores secundum accidens.

Regula octaua, Cum fuerit Saturnus in oriente, & Iupiter in occidente, habebit minus malum, & minus bonum, quàm si fuerint contrario modo melius tamen est habere Saturnum in occidente, & Iouem in oriente, quo ad corpus & animam, quo ad fortunam vero versa vice.

Regula nona, Planetæ mali domibus nocent in quibus sunt, & boni iuuant eas, si in eis sint.

Regula decima, Cum fuerit dominus vitæ in quadrato loci vitæ infortuna, erit robustæ vitæ, attamen habebit impressionem magnam secuudum illud, videlicet, Si Saturnus fuerit, habebit frigiditatem magnam & debilitatem concoctricis, Cum vero quoquomodo fuerit infortunatus, occidet, quia omnis planeta cito reuertitur ad naturā propriā.

Regula vndecima, Cum fuerit dominus domus in opposito domus, cadet ille magna ex parte à dispositione significata per illā domū.

Regula duodecima, Natus ille comburetur, ob effeminationem, quando Taurus ascendit, & Venus est in Scorpione cum Mercurio, & Saturnus in Aquario, & Mars in Leone, & Cauda cum Venere vel caput, quòd si etiam Saturnus non respexerit eos, & Marti Sol testificetur, fiet idem. Si vero fuerit Saturnus, Venus & Mercurius, in Libra, cum Cauda vel capite, & eos Mars ex Capricorno vel Ariete respexerit, comburetur. maxime autem, si Marti Sol vel solaris stella testificetur, idem accidet, si Mars in Leone fuerit, eos de sextili respiciens, cum testimonio Solis, ob puerorum concubitum.

Regula tredecima, quòd si Mercurius, Venus, & Saturnus, in Libra, vel Scorpio, vel Geminis, vel Aquario, fuerint, sub radiis Solis, vel per se infortunati, vel à Marte, comburentur omnino, nec natus ille fœmineum cognoscet cōcubitū, imo ad hoc erit frigidus.

Regula decimaquarta. Cauda vel Caput cuiuslibet planetæ, cum suus planeta fuerit cum eo, & ipse interfector, lacerabitur corpus illius, dummodo significationes violentæ mortis cum hoc fuerint. Caput autem & Cauda Lunæ, hoc idem omnibus planetis operantur, sunt enim vniuersales, illi singulares: validius tamen quilibet nodus cum suo planeta operatur.

Regula decimaquinta, Sol & Iupiter, vel eorum alter, cum in septima fuerint: & Saturnus & Mars, vel alter eorum, in medio cœli, dominum ascendentis vel ascendens violauerint, vel Lunam, morietur publica morte. Si vero infortunæ, in septima, loco Solis & Iouis, solummodo occidetur.

Regula decimasexta, Venus in vna causa, mitigat Saturnum in alia eius prauitatem, & similiter de reliquis tribus coniunctionibus, auget vitia animæ, & minuit infortunia diuitiarum.

Regula decimaseptima, Quòd quis sciat indicare facilius de vna re, quèm de alia, hoc arguit Astrologiæ veritatem. Et scias, quod filij suppositij, & natiuitates falsæ, turbauerunt iudicia omniū Astrologorū, & tertium quòd faciliùs iudicant difficilius ad cognoscendum, & ita iudicant temporum status esse faciliores.

CAPVT

CAPVT XII.

De reuolutione mensium, & directionibus annuæ conuersionis.

DIrigunt multi partes principales in reuolutionibus annuis, dando singulis partium æqualium diem vnum, aut paulo plus, & quamuis rationi inniti videatur hoc, propter Solis motum, attamen experimento hæc res non concordat. Ob id etiam considerauimus, quòd & Luna ipsa suam directionem habere debet, in comparatione ad Solem, nam sic computantur menses prægnantium, & Martis æstus variatur. Cum igitur Sol multiplicet partem quam in die pertransit, in id

Tabula directionum secundum Lunam.

Menses.	dies	dies	Gra.	Dies	Hor.	Minu.
Ianuarius.	31	31	1	2	10	8
Februarius.	59	60	2	4	20	16
Martius.	90	91	3	7	6	24
Aprilis.	120	121	4	9	16	32
Maius.	151	152	5	12	2	40
Iunius.	181	182	6	14	12	48
Iulius.	212	213	7	16	22	56
Augustus.	243	244	8	19	9	4
September.	263	274	9	21	19	20
October.	304	305	10	24	5	12
Nouember.	334	335	20	48	10	40
December.	365	366	30	72	16	0
	communes.	bisextiles.	40	96	21	20
			50	121	2	40
			60	145	8	0
			70	169	13	20
			80	193	18	40
			90	218	0	0
			100	242	5	20

quod pertransit in anno, ita de Luna fieri par est. Luna igitur redit ad congressum Solis in diebus 29. hor. 12. min. 46. secundum Ptolæmeum. Igitur pro quibuslibet partibus 12. mi. 11. sec. 26. quibus elongatur à Sole in die, reuolutio vna firmamenti peragetur, in par. 12. mi. 11. sec. 26. igitur est vis totius circuli, quem Luna peragit in elongando se à Sole, in diebus 29. hor. 12. mi. 46. Igitur sicut cuilibet parti Solis, datur totus circuitus Solis, ita cuilibet parti Lunæ, id est partibus 12. minut. 11. secun. 26. dabimus dies 29. hor. 12. min. 46. circuitum Lunæ, & secundum hoc constituimus tabulam.

Tabula profect. ☀ *Tab. profect.* ☽ *Tab. elong.* ☽

Men.	Dies	Hor.	Min.	Dies	Hor.	Mi.	Di.	Hor.	Min.
1	28	2	17	27	7	42	29	12	46
2	56	4	35	54	15	24	59	1	32
3	84	6	52	81	23	6	88	14	18
4	112	9	10	109	6	48	118	3	4
5	140	11	28	136	14	30	147	15	50
6	168	13	45	163	22	12	177	4	36
7	196	16	3	191	5	54	206	17	22
8	224	18	20	218	13	36	236	6	8
9	252	20	38	245	21	18	265	18	54
10	280	22	56	273	5	0	295	7	40
11	309	1	13	300	12	42	324	20	26
12	337	3	31	327	20	24	354	9	12
13	365	5	48	355	4	6	383	21	58

Exemplum. Igitur in quadragesimaquinta figura, ascendebat in reuolutione quadragesima prima inchoante, pars 16. Scorpij, & peruenerat ad ascendens Solis infortunati quadratum, in vigesimaquinta parte Tauri, & non erat auxilium. Locus autem in reuolutione

lutione

lutione vittæ dator, cum omnes planetæ præter Saturnum sub terra essent, erat ascendens. Locus maximi infortunij gradus Saturni in genitura, in quadrato Lunæ, & nunc vbi Luna erat, & significabat debilitatem naturalis caloris immensam, cum ibi etiam esset Cauda ascensiones decimæsextæ par. Scorpij, fuerunt par. 240. min. 32. quindecimæ par. piscium, par. 352. mi. 1. differentia, partes 111. mi. 29. Ingredior tabulam, & inuenio dies 270. hor. 1. mi. 52. quos addo diebus 34. hor. 12. mi. 20. qui sunt ab initio anni vsque ad reuolutionis suæ horam, id est vsque ad diem tertiam Februarij, & fiunt dies 304. hor. 14. mi. 12. quæro in tabula mensium & inuenio quòd finiuntur in primam Nouembris, peractam, in qua mortuus est nec fuit differentia, nisi paucarum horarum, quæ proueniunt propter minuta loci Saturni derelicta.

1535. die 3. Februarij, hora 12. mi. 20. à meridie.

Cor cœli 2 ♍.

Quadragesimæ quintæ Figuræ, Reuolutio quadragesima prim.

Loca principalia hora natiuitatis.

Ascend.	Saturn.	Caud.	Luna,	Iupit,	Mars,	Venus,	Merc.	Sol.
15 ♓.	15 ♓.	20 ♓.	10 ♊.	2 ♎	1, ♏.	13 ♒.	1, ♒.	25 ♒.

1535. die 27. Octob. ho. 7. min. 14. à meridie.

Cor cœli 28 ♒.

Reuolutio mensis per distantiam ☽.

Et eodem modo in figura vigesima sexta, in reuolutione ascendebat iuxta nostram tabulam, 24. pars Leonis, deduxi locum Mercurij infortunij domini, idest 20. partem Libræ ad ascendens. & fuerunt ascensiones 24. partis Leonis 138.0. & 20. par. ♎ 203. min. 12. differentia par. 65. mi. 12. quibus in tabula respondent dies 157. fermè, & tali die se præcipitauit in aquam, à die initij reuolutionis. Natus enim est, & facta reuolutio, iuxta tredecimam Septembris, & præcipitauit se in decimasexta perfecta Februarij, vt patet ex loco planetarum, & maxime Solis. Hinc patet, cur ambo hi fuerint causa suæ mortis, nam vtrique locus interficiens erat in ipso ascendente, manifestissime tamen in hoc socio Hali, quia Mercurius interfector erat in ipsa parte ascendentis ad vnguem. Causa enim quæ sumitur ex signo, est fabulosa. Multi enim se ipsos interficerent, cum tamen hoc fit rarissimum. Et direxi hic ascendens, quia luminaria & omnes fermè planetæ, hora reuolutionis fuerunt sub terra, vt patet ibi in expositione figuræ.


Rursus in nostra genitura, in 7. annis completis, peruenit quadratum Saturni ad Lunam, tunc ascendit nona pas, & 12. min. ♐. & fuit Mars in duodecima, in par. 4. mi. 33. Lunam aspiciens ex sextili, direxi eius oppositum ad ascendens, & peruenit ad ipsum in partibus æqualibus 131. mi. 24. quibus respondent dies 317. hor. 7. mi. 28. quæ cōputatæ à die 24. septēbris hor. 0. mi. 38. āte meridiem, finiuntur in 9. diem Augusti, in qua incepit morbus, qui me perduxit vsque ad extremum. Et iam dixi, quando significatur extremum, aut initium in morbo, & non accepi quadratum Martis, quia ibi non fuerunt radij Lunæ infœlicis, sed potiùs sextilis Veneris, dominæ ascendentis genituræ, nec accepi oppositum Lunæ, quia ibi non erat radius malus Martis.

***

In reuolutionibus vero annuis, cum illas per menses distribuere conamur, quatuor modi inuenti sunt. Primus, vt in tredecim æquales partes annus diuidatur, secundum quam rationem Ptolæmæus diiudicat. Existimoque Ferrariensum illum, ni fallor Iacobum Mariam, prædixisse mortem olim ac genus & horam cum die, illustri viro Iacobo Picinino, nec vel vngue aberrauit. Nam iussu Ferrandi Regis Arragonum à spiculatore occisus est construximus autem Pro hoc tabulam primam. Alio modo diuiditur annus per Lunæ reuolutiones: nam & ipsa dies omnes iudicatorios eo motu ad 20. vsque gubernat. Tertius modus est per menses congressus, idest distantiæ à Sole, atque pro his duas alias tabulas adieci. Quartus modus erat Ægyptiorum, reditum Solis per verum motum ad similem partem in sequente signo considerantium, huic ex Ephemeride citra tabulas satisfacimus.


Horum modorum, quo ad vitam, validior est, qui fit per reuolutionem in congressu, sicut apparet experienti. Sumendus est autem hic mensis directionis ratione, & in eo Luna est combusta, & in quadrato Iouis & Saturni oppositorum, & in trino Martis cadentis, & ipsa cadens, & in sexta. Et Mars venerat ad oppositum loci Mercurij, in reuolutione anni, cui coniunctus erat, & Saturnus ad oppositum Solis, idest loci genituræ.

Et



Et cum aggregantur multa infortunia, significant celerem mortem. Cum igitur Luna peruenit ad oppositum Saturni, secunda die Nouembris. hora secunda, noctis exquisitæ, mortuus est. Manifestum est igitur, quòd qui abscindit, à natiuitate, à reuolutione anni, à mense, ab hora mortis, est vnus & idem, scilicet Saturnus, Lunam ipsam infortunans.

Loci principales hora geniturae.
Ascendens Iupi. Luna, Mars, Venus, Capri. Sol, Merc. Saturn.
28.♉.12 ♌.2 ♌.15 ♍.1.♏.3.♏. 9.♏. 0♏.15 ♒.



Aliud exemplum, in quo mortuus est ille, cuius fuit figura septuagesima tertia, dum Sol ad quadratum suum, & Mercurij peruenit, in 29. Leonis partem, directione conuersa, & quod occidit in reuolutione, est Mars, Solem de quadrato aspiciens, & Iupiter à Mercurio infortunatus, ad Lunam radios sextiles tendens, cum Venus à Saturno infortunium patiatur. Direxi igitur ad Solem oppositum horum, cum essent combusti omnes: & peruenit ad eum octaua pars geminorum, in partibus æqualibus 146. minut. 0. & ideo per tabellam directionum reuolutionum in diebus 353. hor. 15. minut. 28. quibus addo dies reuolutionis 316. minutis horis 5. mi. 14. & habeo adiecto anno bisextili, dies 303. hor. 10. mi. 14. qui terminantur in vigesimam nonam diem Octobris, hor. 10. post meridiem, & sic mortuus est illa die secunda hora noctis, horis scilicet 4. minus his quæ dictæ sunt. Sed iam ad reuolutionem veniamus, necesse enim sæpius ægrotasse illum eo anno, cum peruenit Sol ad quadratum Iouis in piscibus, sed ibi non erat dominium Mercurij occisoris in genitura, sed Iouis, & ideo non interfecit. Et si dicas, quomodo 8. pars geminorum potest occidere? dico quòd illa, cum peruenit ad locum, virtute Lunæ ei impressa, vbi Sol vitæ vestigium (cum esset illius significator tam in genitura quàm in reuolutione) reliquit, non potest vim eam suscipere. Sed iam manifestum est, quòd in vltimo mense lunari mortuus est. Addo igitur ad tempus reuolutionis, quod est dies 315. hor. 18. mi. 46. dies 324. hor. 20. mi. 26. qui sunt proximo minores, dierum 353. hor. 15. mi. 28. quibus debuit mori, & fiunt dies 640. hor. 15. mi. 12. à quibus abiecto anno bisextili, relinquuntur dies 274. hor. 15. mi. 12. vnde mensis incipit in calendis Octobris, hor. 15. mi. 12. post meridiem. In hac igitur Luna & ascendens à Venere infortunata, & Saturno infortunatur. Nullus est planeta, præter hos supra terram. Cum igitur Luna rediit ad locum quadratum Saturni, & proprium, die vigesima nona, vt dixi, hora sexta post meridiem, ad vnguem mortuus est.

CAPVT XIII.

De regulis ad hæc scienda necessariis.

SEd hic dubitabit aliquis, quoniam si sic esset, omnes homines in congressibus Lunæ, cum planetis morerentur: tum pauci in Solis quorum neutrum est verum: equidem intelligere oportet, non ad planetam, sed ad locum reuerti Lunam in: Saturno autem ac fixis ob motus tarditatem, tum in his, qui prius retro post directe aguntur, accidit: tum etiam si contra: ac in Ioue: dum lente mouetur, locum eundem esse, dum ei Luna applicat, in initio mensis, & cum moritur, in aliis autem non, vnde contingit aliquos Luna vacua cursu existente, mori. Hi vero, quibus contigit vt in initio mensis Luna applicaret directo planetæ? cum autem denuo congreditur retropedanti, iam peracta coniunctione mors sequitur. Quod autem de coniunctione dixi: de omni radiatione dictum esse volo. In Sole autem alia causa st, nam quibuscunque calor deficit naturalis, aut qui debilitati ex priore directione moriuntur, aut qui ex Mercurio vel Venere omnes in radiationibus Solis pereunt: indicio est non ob Solem, cum pauci iuxta horam radiationis moriantur, sed dum Luna abest tribus aut quatuor partibus, quo & si alius planeta ibi radios mittat, hoc etiam Soli tribuitur argumentum est igitur hoc nostræ opinionis, quod in congressibus occidat.

Rursus, cum congressus Solis manifeste immutet, omnis mensis ab eo initium sumet: non autem ab elongatione æquali Lunæ ab ipso Sole. Iam & istud scire decet, immutari corpora in congressibus Solis, sed tamen iudicium tunc sumendum non est, quia illi non est proprium: mutantur tamen plures eadem causa, quæ prius dicta est; debiles, & qui à

à Mercurio quasi semper, à Venere plerumque, ab aliorum radiis quinque, à continente, quod luminarium congressibus immutatur, validius igitur cuique sui mensis initium. Accedit alia dubitatio, nam si elongationibus vim aliquam inesse confitemur, cum tamen sint in categoria eius, quo ad aliud comparatur, nec actionis principia. Ob id enim partes negauimus, at nos elongationis principium naturale admittimus, æqualis enim motus in Luna rationem obseruat ad Solem, tum reliquorum omniũ planetarum, vt etiam propinquiora sunt sydera Soli, eo minus erga nos lumen excipitur: in se autem maius, & in superioribus vtroque modo, pro luminis autem quantitate agunt. Est & alia causa, quoniam in partibus sumitur geminata hæc elongatio: quæ ad aliud refertur, cum ab ascendente proiiciatur. Videtur etiam exemplum hoc vltimum nõ satis exquisitum, sed à ratione alienum, cum directionem alio modo sumamus. Illud igitur minime prætereundum, eos qui longo aliquo & minime curabili morbo detinetur, omnes etiam sine directione mori solere, vt si podagra, fluxu, tabe, ardore vrinæ, sanguinis sputo, subiiciantur. Directio autem necessaria fuit in aduentu morbi: non autem principalis vitæ significatoris. Quinque enim sunt quæ nunquam ex toto, à vitæ significato absoluuntur, sed semper dirigi debent: Sol, Luna, Ascendens, dispositor, & dominus ascendentis, sed tria prima magnam semper vim retinent. Illud etiam non ignorandum, quod quemadmodum in rebus naturalibus adeo debilis est quandoque vitæ significator, vt ad certos annos tantum vitam validam tribuat, succedentibus autem debilibus: & hoc est quod alij annos planetis aspicientibus frustra statuerunt maiores, medios, & minores. Si igitur (gratia exempli) in cœli corde, Luna vitam præstat validissimam, in duodecima non potest, in vndecimæ initio, medium præstat robur, in eius medio, quartam partem virium vitæ. Corroboratur autem ab aspicientibus planetis, atque in his non eclipticæ partes, sed horarum obseruabis, veluti in nostra genitura. Luna à cœli corde 30. minutis distat, 20. mi. possidet duodecima domus: tota distantia igitur vitalis roboris est, 40. mi. habet igitur quartam partem, aut paulo etiam minus, ob initium quinque partium duodecimæ domus, quæ vndecimæ adnumerantur. Recipit autem à Marte, ac Ioue, tantundem ferme, eo magis, quòd Mars sola res radios defert. Illud autem non est prætereundum quòd diligenter in vltimo exemplo obseruabimus, velut & quotidie videmus in continente validas constitutiones corpora morbo languida enecare, etiam si bonæ sint. Luna enim quæ sano & iuueni vitæ robur & incolumitatem promisisset, velut & validum in hyeme frigus, hic languido & iam senescenti mortem adfert. Consideranda etiam sunt, quæ inter promissorem & significatorem sunt media, nam radij infortunarum & inimicorum vitæ, vt domini septimæ, vel loci Saturni, debilitant vitam, & quanquam non prorsus nunc occidant, morbos tamen pariunt, sic vt aliqua succedente reuolutione, antequam radij perueniant occidentis planetæ ad significatorem, moriuntur. Neque illud etiam negligere oportet, in his quæ sensim occidunt, non expectari quandoque exactum concursum promittentis mortem: sed effectum accelerari, supplente reuolutione. vel debilitate corporis iam contracta, vel radiis malis intermediis, vel concursu malorum cum alio vitæ significatore.

CAPVT XIV.

De proiectionibus.

AD exactam vero rerum cognitionem futurarum, proiectiones diligentissime obseruare oportet. Sunt autem proiectiones, quotiescunque planeta tantum ab alio distat, per æquales partes, quantum alius ab alio, vel loco principali. Exemplum habes in genitura octuagesima, nam tantum distat cœli cor, à sextili Solis, quantum Iupiter à Sole. Cum igitur Solis sextilis ad cor cœli peruenit, Sol ad Iouem applicat, vnde dignitas cum opibus habetur. Hæc igitur concordia duorum magna est, trium maior, si in eodem genere fuerint, atque sic deinceps: vnde, cum planeta alteri applicans latrocinium significat, alius autem mortem publicam eodem tempore, iam clare ille plectetur publica morte: si autem post tempus, iam non adeò hoc est firmum. Si autem, quæ vno tempore conueniunt contraria sunt, effectus apparebit leuis. Si autem diffidentia, vt coniugium, & iter, iam aliàs diximus, quid significet. In omnibus igitur Solis ac Lunæ cum radiis planetarum, congressibus, tum etiam ascendentis vel Iouis, vel vitæ dispositoris, totidem æquales partes proiice secundum horas temporarias locorum principalium ab vnoquoque illorum, & loci qualitatem considera.

Ex hoc satis manifestum est coniunctionem planetarum duabus causis in eadem parte plurimum posse, tum quia illorum vires iungit, tum quia tempora non solum ipsorum, sed & omnium radiorum in vnum conueniunt. Proxima igitur est coniunctioni, oppositio, nam dum planeta vnus parti vni applicat, etiam oppositus oppositæ, & radius oppositus eidem, at hoc non semper, easdem vires habet: quoniam contingit in vna parte esse radium erraticæ, aut fixam, at in opposita minime, quare solum vires tunc retinet aliorum aspectuum, scilicet vt dum planeta applicat loco vni, etiam necessario alterius radij applicant, qui super planetam ceciderunt. Oppositio igitur, coniunctionis quandoque, quandoque quadrati, aut trigoni vires habet, scilicet duplicatas, cum simplex planetæ applicatio, simplices vires habeat. Sed cum planetæ eisdem locis, aut similibus iunguntur, eodem tempore, tunc effectus quidem iungunt, vires nequaquam. Octo igitur vires habet coniunctio, & oppositio, cum coniunctioni assimilatur. Quadrata radiatio, & trigona, & sextilis, & oppositio, cum his

aſſimilatur, quatuor, duos habet concurſus in eodem tempore duorum promiſſorum ad ſuos ſignificatores eiuſdem generis, cum ſignificatores non ſe inuicem, nec promiſſores aſpexerint, ſimplicem, cum ſolus ſoli tunc applicat. Augentur autem hæc decreta, vel minuuntur, ratione planetarum, & virium illorum, in ſuo orbe, vel in mundo, vel in ſignifero, vel ratione reuolutionis, vel ratione poteſtatis in loco, vel ratione virium aſpectus: nam quadrata radiatio, eſt validior trigona, vel ratione exquiſitæ radiationis in longitudine & latitudine, vel ratione alterius planetæ. Manifeſtum eſt igitur, quòd in ratione temporum planetæ vel radij erunt iuncti, & tamen diſtabunt fermè duabus partibus ex ecliptica, vt cum fuerint in occidente, in ſignis longarum aſcenſionum, vel in oriente, in ſignis breuium. Alij autem iuncti non erunt, quoad tempora, ſed ſolum quoad vires, quamuis in eadem ſint parte, vt cum in oriente fuerint in ſignis longarum aut in occidente, in ſignis breuium aſcenſionum. In quibuſdam autem, vt dictum eſt, locus, in aliis centrum planetæ, in aliis corpus etiam, lumen autem præparat & initium præbet effectus ſucceſſuri. In omni igitur coniunctione planetarum, quæ eſt in eadem parte, & ſecundùm eadem tempora, magnos & egregios & frequentes effectus in illius vita iuxta hominis conditionem, expectare oportet. Si verò corpore iuncti in eadem parte fuerint, & non ſecundum eadem tempora, magnus vir erit, ſed non adeo egregios actus perficiet. At ſi tempora concot, non ſint autem in eadem parte, magna aſſequatur, ſed ipſe non adeo egregius erit. Multum autem iuuat, ſi directiones in eandem reuolutionem inciderint. Quæ autem de planetis dicta ſunt, eodem modo vera erunt ſi vel cum fixis, aut cum nodis, vel in cœlicorde, vel in parte Horoſcopi, vel coniunctionis fuerint, eo minora tamen, atque obſcuriora, quantò hæc vires planetis inferiores habent.





DE SVPPLEMENTO ALMANACH, LIBELLVS.

CAPVT I.

De cognitione Planetarum ad oculum.



OPORTET eum, qui vult stellarum cognitionem aggredi, à Planetarum cognitione inchoare. Horum autem cognitio duplex est: vna, per quam inter se differunt. Prima autem est triplex, nam Planetæ non scintillant, fixæ autem scintillant, aliquæ tardius, aliquæ frequentius. Secunda, quoniam fixæ inter se se semper eandem seruant habitudinem: Planetæ autem in diuersis noctibus modò vni stellæ sunt propinquiores, modò remotiores. Tertia, quoniam apud eum, qui frequenter eos inspicit, videntur ipsi stellis fixis inferiores, maximè cum sunt propinqui eis, ita vt apud exercitatum non cadat dubitatio, etiam in primo aspectu: fixæ autem ab oculo experti, valde altiores iudicantur.

Inter se autem Planetæ differunt manifeste valde: nam Solem & Lunam nemo nisi amens aut cæcus ignorat.

Venus autem est splendidissima stellarum in cœlo existentium, candidissima, & maxima, ita vt & sola stellarum vmbram mittat, & in Lunæ contactu splendidior videatur, nedum vt delitescat, aut vt hebetetur.

Huic Iupiter omnium aliarum stellarum similior est, sed minor est paulò, & minus splendet, nec Solem semper comitatur vt Venus, quæ nunquam à Sole recedit plus 48. gradibus, ante vel retrò. Cognoscuntur etiam ex loco suo, nam viso in Almanach quæ est ex ipsis orientalior, vna ab reliqua faciliter dignoscitur. Cognita igitur Venere, cognoscitur Iupiter, qui excellit alias omnes stellas præter Venerem.

Mars rubens micat, & subobscurus est, vnde scintillare quasi videtur plurimum: à Ione & Venere differt, paruitate, robore, & obscuritate.


Saturnus æqualis, est Marti in aspectu: differt ab eo, quoniam plumbei coloris est, & minus splendidus. Locus etiam est Almanach distinguit vnum ab altero. Est etiam Saturnus altior Marte ad oculum, cum fuerint propinqui.

Mercurius semper Soli propinquus est, non recedens ab eo plus gradibus 28. admodum paruus est, & lucidus, non candidus.

CAPVT II.

Quomodo cognoscatur polus mundi.

COnuerte faciem versus Septentrionem, relinquens Orientem à dextra, & Occidentem à sinistra, & videbis in vrsa maiore stellas septem, quarum quatuor faciunt quadrilaterum, & tres incuruantur, vt vides, & faciunt caudam: & omnes sunt secundæ magnitudinis, præter borealiorem antecedentem quadrilateri, quam etiam figuraui minorem aliis sex, nam ipsa est tertiæ magnitudinis, & parum minor cæteris, & omnes septem constituunt formam currus cum temone flexo. In directo igitur duarum sequentium, à parte exteriore versus curuationem temonis, est stella polaris magnitudinis tertiæ, de natura Saturni & Veneris, distans à vero polo gradibus 4. minut. 9. nunc, & est in grad. 19. mi. 48. geminorum, & est cauda vrsæ minoris, & est ita in directio illarum duarum, vt linea ducta per illas recte procedat ad hanc stellam: quæ quamuis non sit valde magna, attamen quia omnes circumiacentes sunt valde exiguæ, ideo cernitur ibi quasi solitaria. Hæc circumuoluitur circa polum, & appropinquabit ei infra annos 1000, ita vt sit quasi polus. Est autem ei stella quartæ magnitudinis valde propinqua, & hæc est quasi vere polus, non differens ab eo nunc nisi minutis 50. fermè. Hæc igitur stella poli dicetur: prima autem quæ remotior est & maior, appellabitur stella polaris.



CAPVT III.

Quomodo cognoſcatur polus Zodiaci.

POlus Zodiaci ſemper eſt propinquus duabus ſtellis, quæ ſunt in triangulo draconis, ſextæ magnitudinis, vix viſibilibus. Capias igitur ſtellam polarem: deinde animaduerte, quæ in vrſa minore iuxta ſtellam polarem, præter illas ſeptem ſtellas vrſæ maioris, ſunt duæ ſtellæ ſecundæ magnitudinis: quarum ſuperior eſt in directo duarum antecedentium quadrilateri prædicti, quæ ſunt iuxta temonem. Per primam igitur quadrilateri verſus Septentrionem, & ſuperiorem duarum vrſæ minoris, imaginetur linea recta vſque ad draconem, quæ terminabitur ad duas ſtellas in eo exiſtentes, ſe contangentes, & vt dictum eſt, vix viſibiles: & hæ ſunt verè polus Zodiaci, ab eo diſtantes tantum grad. 2. min. 30. nec ab eo recedent vnquam, aut ei appropinquabunt. Ex hac igitur figura conſtat, quòd polus Zodiaci parum plus diſtat per rectam lineam à borealiore ſequentium, quàm polaris mundi ab auſtraliore ſequentium.

Et nota, quòd etiam pes cephei, eſt in vna linea recta cum polari ſtelli, & auſtraliore antecedentium quadrilateri, vt vides.

CAPVT IV.

De cognitione Zodiaci & coluri ſolſtitialis.

COnuerte dorſum ad ſtellam polarem Zodiaci, & imaginaberis circulum diuidentem totum cœlum, diſtantem à prædicto polo per medietatem cœli viſibilis: & hic eſt Zodiacus, qui eſt plenus ſtellis, & in eo ſemper ferè videtur aliquis Planeta, & eſt obliquus ad aſpectum, & non eſt pars cœli copioſior ſtellis quàm Zodiacus. Deinde imaginaberis lineam ductam à polo Zodiaci, per polum mundi, diuidentem totum cœlum per æqualia, & conſidera, quòd vel initium cancri eſt ſuper terram, aut initium capricorni, & hoc neceſſario, cum ſint puncta oppoſita. Si igitur ſupra terrã eſt cãcri initium, erit etiã reliqua medietas coluri, quæ eſt per initium cancri ſupra terram: & ſi initium capricorni, erit etiam reliqua medietas coluri, quæ eſt per capricornum. Hoc autem faciliter cognoſcitur, ſcita horà nocturna (vt infra declarabo) aut aſcendente.

Si igitur ſit medietas, quæ eſt per initium cancri, videbis ab orientali parte ipſius coluri, primo capita geminorum magis ſeptentrionalia deinde procedendo verſus meridiem ab eadem parte minorẽ canem ſiue procion, deinde caniculam, quæ eſt ſpendidior canis maioris, nam hæc eſt meridionalior.

Ab occidentali autem parte coluri, verſus ſeptentrionem, apparet primo dexter humerus aurigæ: deinde Orion à capite ad pedes, quaſi æquidiſtans coluro, ita vt caput ſit verſus ſeptentrionem, & pedes verſus auſtrum. Vltimo, ſex ſtellæ glomeratæ, è quibus duæ ſunt magnitudinis ſecundæ, valde auſtrales, & ſunt in naui.

Ab orientali autem parte coluri, qui eſt per capricornum, primo in parte boreali valde propinqua coluro, apparet vultur cadens ſtella. Deinde magis diſtans, & meridionalis eſt ſtella, quæ dicitur vultur volans. Vltimo, ſtella magnitudinis ſecundæ in genu ſagittarij, valde meridionalis, & propter hoc parum manens ſupra terram.

Ab occidentali autem parte huius coluri, non eſt aliqua ſtella inſignis magnitudinis.

CAPVT V.

De imaginibus cœleſtibus, & earum nominibus diuerſis.

1 Verſa maior.
2 Vrſa minor.
3 Draco.
4 Cepheus.
5 Bootes, ſiue Lanceator, ſiue vociferans, n quo arcturus.
6 Corona borealis.
7 Hercules, vel incuruatus, vel qui eſt in genibus, vel ſaltator.
8 Lira, vel vultur cadens, vel cygnus.
9 Auis, vel gallina.
10 Caſſiopea.
11 Perſeus, vel deferens caput Algol, in quo caput Algol.
12 Auriga, vel agitator, vel alhaiot, in quo capra vel hircus, &. (hœdi.
13 Ophiulcus, vel ſerpentarius.
14 Serpens, vel alangue.
15 Sagitta, vel alhance.
16 Aquila.
17 Delphin.
18 Equus prior, vel præciſio.
19 Pegaſus, vel equus alatus, vel equus poſterior.
20 Andromeda.
21 Triangulus, vel delta, à Ptolomæo.
22 Aries.
23 Taurus, in quo ſuculæ, vel hiades, & vergiliæ, vel pleiades.
24 Gemini.
25 Cancer, in quo aſini, & præſepe.
26 Leo.
27 Virgo.

28 Libra.
29 Scorpio.
30 Sagittarius.
31 Capricornus.
32 Aquarius.
33 Piſccs.
34 Cœtus.
35 Orion, vel ſublimatus.
36 Amnis, vel Eridanus
37 Lepus.
38 Canis, vel Alhabor, in quo canicula.
39 Præcanis, ſiue canis minor, ſiue Procion.
40 Argus, ſiue nauis.
41 Hidra.
42 Patera, vel vuas.
43 Coruus.
44 Centaurus.
45 Fera, vel lupus.
46 Turribu um vel lar.
47 Corona auſtralis.
48 Piſcis auſtralis.

CAPVT VI.

De inueniendo vero loco ſtellarum cum inſtrumentis.

EGo Hieronymus Cardanus, die 29. Nouemb. anni 1537. hora vna & media ante ortum Solis æquali, vidi Venerem ferè iunctam in longitudine cum luminoſiore lancis meridionalis, fuitque ſtella auſtralior ferè Venere gra. 1. min. 10. & fuit locus Veneris tunc viſibilis gra. 6. mi. 57. ſcorpij: quare cum differentia longitudinis eſſet fermè min. 30. quibus ſtella erat orientalior Venere conſtat locum luminoſioris lancis eſſe verum.

Conſideraui hoc idem vndecim aliis conſiderationibus, de quibus dixi in ſecundo libro Aſtronomicorum iudiciorum. Conſtat igitur loca ſtellarum fixarum eſſe, qualia hic poſuimus. Melior autem via cognitionis ſtellarum fixarum & planetarum, eſt per locum Lunæ tempore Eclipſis eius totalis: nam tunc quælibet ſtella, etiam minima, in contactu ipſius videtur, ſed & hæc concordat. Poſui autem hanc conſiderationem, tanquam faciliorem ad experiendum reliquis.

CAPVT VII.

De Stellis Zodiaci.

Aries.

Naturæ.	Longitudo. G.	mi.	Latitudo. P.	G.	m.	Magni.	Signa octa. ſphæræ	Nomen.
Sa.p. Mer.	8	38	B	8	45	6	Piſces.	Prima in lino piſcium.
	2	38	B	3	45	6		Secunda in lino piſcium.
	6	48	B	2	15	4		Tertia quæ eſt ſplendida in lino piſc.
	9	48	A	1	10	4		Quarta quæ eſt ſplendida in lino piſc.
	12	8	A		0	6		Borealior duarum iuxta linum piſcium.
	12	38	A	1	0	4		Quinta quæ eſt ſplendida in lino piſc.
	12	58	A	5	0	6	Piſces.	Auſtralior duarum paruarum iuxta linum piſcium.
	16	58	A	2	20	4		Præcedens de tribus quæ ſunt poſt flexum piſcium.
	17		A	4	40	4		Media de tribus quæ ſunt poſt flex. piſc.
Sat. Iou.	19	48	B	1	45	5		Auſtralis de tribus quæ ſunt poſt eam quæ in lino boreali.
	20	8	A	1	40	4		In boreali in lino piſcium.
	20	18	B	5	20	3		Media de tribus quæ ſunt poſt eam quæ in lino boreali.
Me. p. Sa.	26	8	B	5	30	5	Aries.	Collum arietis.
Mar. Sat.	26	18	B	7	20	3		Præcedens cornu arietis.
Sat.	26	58	A	4	10	4		Iuba cœti.
Taurus.								
Me. p. Sa.	1	8	B	6	0	5		Auſtralior in rictu arietis.
Sat.	2	18	A	6	20	4		Capilli cœti.
Mar.	6	38	A	5	0	4		Extremitas poſterioris pedis arietis.
	7	18	B	6	0	6		Lumbus arietis.
	7	38	A	1	30	5		Poples arietis.
	9	18	B	1	30	5		Poſterior cruris arietis.
Ven.	10	58	B	4	50	5		Radix caudæ arietis.
	13	28	B	1	40	4		Præcedens in cauda arietis.
	14	58	B	2	30	4		Media de tribus in cauda arietis.

Naturæ.	Long. G.	m.	Latitud. P.	g.	m.	Mag.	Si. oc.	Nomen.
Ve. p. Sa.	15	38	A	7	15	4	Taurus.	Sequens in abscisione tauri.
	15	58	A	6	0	4		Borealior abscisionis tauri.
Ven.	16	38	B	1	50	4		Vltima caudæ arietis.
† Lu. Ma.	21	48	B	4	30	5		Ex virgiliis.
	21	58	B	3	40	5		Ex virgiliis.
	23	18	B	3	20	5		Ex virgiliis.
	23	18	B	5	0	5	Taurus.	Ex virgiliis.
Sa. p. Me.	26	38	B	0	40	5		Præcedens in collo tauri.
	27	38	B	5	0	5		Australior antecedentium quadrilateri in collo tauri.
	28	8	B	7	20	5		Borealior antecedentium quadrilateri in collo tauri.
Mar.	28	38	B	1	0	6		Sequens in collo tauri.
†	28	38	A	5	15	3		Ex suculis.
	29	58	A	4	15	3		Ex suculis.
Gemini.								
Sa. p. Me.	1	18	B	4	0	5		Australior in aure boreali tauri.
	1	18	B	5	0	5		Borealior sequens quadrilateri in collo tauri.
	1	28	A	3	0	3		Oculus borealis tauri.
Mar.	1	28	A	5	50	3		Ex suculis.
Sa. p. Me.	1		B	7	30	5		Borealior duarum quæ in aure boreali tauri.
	1	38	B	3	0	5		Australior sequentium quadrilateri in collo tauri.
† Mar.	2	18	A	5	10	1		Aldebaram, siue oculus tauri australis.
	5	18	A	4	0	4		Radix cornu borealis tauri.
	7	8	A	4	0	4		Radix cornu australis tauri.
	9	38	A	3	30	5		Borealior in cornu australis tauri.
	9	38	A	2	0	5		Extra formam tauri.
	9	58	A	5	0	4		Australior in cornu australi tauri.
	10	38	A	1	45	5		Extra formam tauri.
	15	18	B	5	0	4		Extremitas cornu borealis tauri.
	15	18	A	2	0	5		Extra formam tauri.
	16	38	B	0	40	5		Prima illarum quæ sunt extra formam sub cornu boreali tauri.
Mar.p.Me.	17	18	A	2	30	3	Taurus.	Cornu australe tauri.
Mar.	18	38	B	1	0	5		Secunda illarum quæ sub cornu boreali tauri.
	18	38	A	6	20	5		Extra formam tauri.
Hic in 19. gradu, incipit via lactea, vel combusta, & terminatur ad 30. gradus geminorum.								
	20	38	B	1	20	5		Tertia sequens ex his quæ sunt sub cornu boreali tauri.
Iou.Sat.	21	18	A	3	45	5		Summitas clauis orionis.
Mar.	21	58	B	3	20	5		Quarta sequens ex his.
Sat.	22	58	B	1	15	5		Quinta sequens ex his.
	23	48	A	0	40	4		Extra formam geminorum.
Mer.p.Ve.	24	18	A	4	15	5	Gemini.	Sequens in pede geminorum.
Sat.	26	8	B	5	50	4		Extra formam geminorum.
Mer.p.Ve.	26	8	A	1	30	4		Poples gemini præcedentis.
	27	8	A	1	15	4		Extremitas pedis præcedentis gemini.

Naturæ.	Lon. G.m.		Latitu. P.G.M.			Mag.	Si. oc.	Nomen.
C ance								
	1	38	A	7	30	3		Extremitas sinistri pedis sequentis gemini.
Sat.	2	38	B	1	30	3		Sinistrum genu præcedentis gemini.
	4	48	A		15	5		Extra formam geminorum.
Mer.p.Ve.	5	38	A	3	30	4		Extremitas pedis dextri præcedentis.
Sat. Mar.	7	53	A	2	30	3		Sinistrum genu sequentis gemini.
	8	18	B	7	20	4		Brachium sinistrum præcedentisgemini.
Sat. Mar.	11	18	B	2	40	1		Dextrum latus sequentis gemini.
	11	18	A	0	30	3		Sinistra axilla sequentis gemini.
Sat.	11	38	B	5	30	4		Occiput præcedentis gemini.
	13	38	B	4	50	4		Humerus eius dexter.
	15	48	A	4	30	5		Extra formam geminorum.
	15	48	B	3	0	5		Sinistrum latus præcedentis gemini.
Mar.	15	58	A	3	20	5		Extra formam geminorum.
	16	18	B	2	40	4		Humerus sinister præcedentis gemini.
†	16	18	B	6	15	2		Hercules siue caput sequentis gemi.
Sat.	17	58	A	1	20	5		Extra formam geminorum.
	20	18	A	2	40	4		Extra formam geminorum.
Sat. Mer.	22	18	B	1	0	5	Cancer.	Posterior pes borealis cancri.
	26	48	A	7	30	4		Posterior pes australis cancri.
Lun. Mar.	27	18	B	1	15	4		Borealior præcedentium quadrilateri.
	27	38	A	1	10	4		Australior præcedentium quadrilateri.
	29	58	B	0	20			Nebulosa præsepe.
Leo.								
Mar. Sol.	0	58	A	0	10	4		Australior sequentium quadrilateri.
	2	38	B	2	40	4		Asinus quæ est borealior sequentium quadrilateri.
Sat. Mar.	3	38	B	4	50	5		Extra formam cancri.
Sat. Mer.	6	8	A	5	30	4		Australior forficis.
Sat. Mar.	6	38	B	7	58	5		Extra formam Cancri.
	8	48	A	2	20	4		Extra formam cancri.
	10	48	A	5	40	4		Extra formam cancri.
	10	48	B	7	30	5	Leo.	Os leonis.
Iou. Mar.	13	48	A	3	40	6		Vola dextra leonis.
	16	58	A	0	0	5		Genu dextrum leonis.
	16	58	A	4	10	4		Vola sinistra leonis.
Sat. Ven.	19	38	A	0	15	5		Cuspis cordis leonis.
Sa. p.Mer.	20	18	B	4	30	3		Collum leonis.
† Io. Mar.	22	8	B	0	10	1		Regulus siue cor leonis.
	22	8	A	4	15	4		Genu sinistrum leonis.
Sat. Ven.	23	8	A	1	52	4	Leo.	Pectus leonis.
Ve. p. Me.	26	3	B	4	0	6		Prior in ventre leonis.
Sa. p. Ma.	28	48	A	4	10	4		Maxilla sinistra leonis.
Virgo.								
Ve. p. Me.	1	48	B	2	20	6		Australior ventris leonis.
	2	38	B	5	20	6		Borealior in ventre leonis.
Sat. Ven.	6	48	A	0	50	5		Extra formam leonis.
	7	8	B	1	10	4		Extra formam leonis.
	7	38	A	2	30	0		Extra formam leonis.
Ven. Mer.	9	58	B	5	50	3		Posterior cruris leonis.
	11	18	B	1	15	4		Posterior poplitis leonis.
	14	18	A	0	50	4		Cubitus leonis.
Me. p.Ma.	14	58	B	4	15	5	Virgo.	Australior capitis virginis.
	16	38	B	5	40	5		Borealior capitis virginis.
Sat. Ven.	17	8	A	3	12	5		Vola posterior leonis.
Me. p.Ma.	18	38	B	0	10	ε		Extremitas alæ borealis virginis.
	19	48	B	5	30	5		Australior faciei virginis.
Me. p. Ve.	27	53	B	1	10	3		Præcedens quatuor alæ sinistræ virg.

Naturæ.	Lon. G.	m.	Latitu. P.	G.	M.	Mag.	Si. oc.	Nomen.
Libra.								
	2	48	B	2	50	3		Sequens quatuor alæ ſiniſtræ virg.
Mar. Mer.	4	18	A	3	30	5		Extra formam virginis.
Me. p. Ve.	6	48	B	2	50	5		Sequens quatuor alæ ſiniſtræ virgin.
Mar. Mer.	8	38	A	3	30	5		Extra formam virginis.
Me. p. Ve.	10	38	B	1	40	4		Vltima quatuor alæ ſiniſtræ virgin.
Mar. Mer.	11	53	A	3	20	5		Extra formam virginis.
Me. Ven.	15	58	B	3	20	5		Borealis antecedentium quadrilateri cruris virginis.
✠ Ve p.Mar.	16	18	A	2	0	1		Spica virginis.
Mar. Mer.	16	48	A	7	10	6		Extra formam virginis.
Mer. Ven.	16	53	B	0	10	6		Auſtralis antecedentium quadrilateri cruris virginis.
	17	38	A	3	0	5		Auſtralis ſequentium quadrilateri cruris virginis.
Me. p. Ve.	19	38	B	1	30	4		Præcedens quadrilateri cruris virg.
Mer. Ven.	21	18	A	1	30	5		Genu ſiniſtrum virginis.
Me. p.Ma	25	58	B	7	30	4		Media caudæ veſtis virginis.
	26	58	B	2	40	4		Auſtralior earum.
	29	38	B	0	30	4		Pes ſiniſter virginis.
Scorpio.								
Mer. Mar.	2	38	A	7	30	3	Libra.	Extra formam libræ.
	6	38	B	2	30	5		Borealior lancis meridionalis.
†	7	38	B	0	40	2		Luminoſior lancis meridionalis.
	9	53	B	1	40	4		Media lancis auſtralis.
	10	58	B	1	15	4		Præcedens in lance auſtrali.
	17	28	B	3	45	4		Media lancis borealis.
	19	58	B	0	20	5		Extra for mam libræ.
	20	48	A	1	30	4		Extra formam libræ.
	22	38	B	4	30	4		Borealior lancis borealis.
	23	8	B	0	30	6		Extra formam libræ.
	28	18	B	6	40	4		Extra formam libræ.
Ma. p.Sat.	25	18	A	1	40	3	Scorpio.	Lucida ſequens frontis ſcorpij.
†	25	18	A	5	0	3		Vltima lucidarum frontis ſcorpij
	25	58	B	1	20	3		Lucida in fronte Scorpij.
Sat. Mar.	25	58	B	0	30	4		Auſtralior pedis ſcorpij.
Sat. Mer.	26	38	B	1	40	4		Pes ſcorpij.
Iou. Mar.	28	58	[illegible]	6	30	5		Pes alius ſcorpij.
Sa. p.Ve.	29	28	B	1	40	5		Auſtralior de tribus in ſiniſtra tibia Ophiulci.
Sagittarius.								
Iou.	0	18	A	3	45	3	Scorpio.	Lucida in corpore ſcorpij.
	0	18	A	6	40	5		Sequens in pede ſcorpij.
Sa. p.Ve.	0	18	B	3	10	5		Media de tribus in ſiniſtra tibia Ophiulci.
	0		B	0	45	4		Planta pedis Ophiulci.
	1	18	B	5	20	5		Borealior de tribus quæ ſunt in ſiniſtra tibia Ophiulci.
	1	58	B	0	40	5		Siniſter calcaneus Ophiulci.
† Iou. Ma.	2	18	A	4	0	2		Cor ſcorpij ſiue antares.
	4	8	A	5	3	3		Sequens trium lucidarum cordis ſcorpij.
Hic in quinto gradu, incipit via lactea, & terminatur ad 15. gradum ipſius ſagittarij.								
Sat. p.Ve.	10	48	B	7	30	3		Genu dextrum Ophiulci.
	12	38	B	2	15	4		Præcedens quatuor in dextro pede Ophiulci.
	13	58	B	1	30	4		Sequens quatuor in dextro Ophiulci pede.
	14	38	B	0		4		Sequens tertia pedis Ophiulci.
Mar. Lun.	15	8	A	1	10	5		Extra formam Scorpij.
†	15		A	6	10	5		Extra formam Scorpij.

Naturæ.	Lon. G.	m.	Latitu. P.	G.	M.	Mag.	Si. oc.	Nomen.
Sa. p. Ve.	15	28	B	0	45	5		Vltima de quatuor in pede ophiul.
	16	18	B	2	15	3		Tibia dextra ophiulci.
	16	48	B	1	30	5		Calcaneum ophiulci.
Hic in 23. gradu, incipit iterum via lactea, & terminatur ad 4. gradum capricorni.								
Iou. Mar.	26	18	B	2	50	4	Sag.	Borealior arcus sagittarij.
	27	18	A	6	30	3		Capulus ensis sagittarij.
† Iou. Ma.	28	38	B	1	30	3		Australior arcus sagittarij.
Mar. Lun.	29	8	A	6	20	3		Ferrm sagittæ sagittarij.
Capricornus.								
Iou. Ma r	2	38	A	3	30	4		Hasta sagittæ sagittarij.
Sol. Mar.	4	48	B	0	45			Nebulosa & bina sagittarij.
Iou. Mar.	4	58	A	3	10	3		Humerus sinister sagittarij.
Sol. Mar.	5	18	B	2	10	4		Præcedens capitis sagittarij.
Iou. Sat.	5	58	A	6	45	3		Vltima quæ est sub axilla sagittarij.
Sol. Mar.	7	18	B	1	30	4		Media capiti : sagittarij.
Iou. Sat.	7	18	A	4	30	4		Media scapulæ sagittarij.
Sol. Mar.	8	48	B	2	0	4		Vltima capitis sagittarij.
Iou. Sat.	9	38	A	2	30	5		Scapula sagittarij.
Iou. Mer.	10	58	B	2	50	5		Australis scapularum sagittarij.
	11	58	B	4	30	4		Media scapularum sagittarij.
Iou. Sat.	12	18	A	1	50	5		Humeri dextri sagittarij.
Iou. Mer.	12	28	B	6	30	4		Borealis scapularum sagittarij.
Iou. Sat.	44	28	A	2	50	4		Cubitus dexter sagittarij.
Iou. Mer.	14	58	B	5	30	6		Obscura in scapulis sagittarij sequens tres.
Ve. p. Sat.	16	58	A	4	50	5		Præcedens borealis lateris de quatuor in radice caudæ eius.
Iou. Mer.	17	18	B	2	0	6		Australior duarum in sinistra spatula.
Ve. p. Sat.	18	28	A	4	50	5		Sequens borealis lateris in radice caudæ sagittarij.
	18	28	A	5	50	5		Antecedens australis lateris in radice caudæ eius.
Iou. Mer.	19	8	B	5	50	5		Borealior de duabus in sinistra spatula sagittarij.
Ve. p. Sat.	19	18	A	6	30	5		Sequens australis lateris in radice caudæ sagittarij.
Mar. Mer.	25	48	B	0	40	5	Capricor.	Præcedens de tribus quæ sunt sub oculo dextro capricorni.
✠ Ve. p. Mar.	26	58	B	5	0	3		Australis de tribus quæ in sequenti cornu capricorni.
	26	58	B	7	20	3		Borealis de tribus quæ in sequenti cornu capricorni.
	27	18	B	6	40	6		Media de tribus quæ in sequenti cornu capricorni.
Sat. p. Ve.	28	18	B	1	45	6		Præcedens reliquarum duarum in rictu capricorni.
† Ve. p. Ma	28	28	B	1	30	6		Sequens earum.
Sat. p. Ve.	28	38	B	0	45	6		Australis de tribus quæ sunt in rictu capricorni.
Aquarius.								
Mar. Mer.	0	28	A	6	30	4		Humerus sinister capricorni.
	1	18	B	3	50	6		Borealior duarum quæ sunt in collo capricorni.
	1	28	B	0	10	5		Australior earum quæ sunt in collo capricorni.
† Sat. Iou.	1	28	A	0	10	3		Antecedens duarum quæ sunt in cauda capricorni.
Mar. Mer.	6	18	A	0	0	4		Antecedens duarum quæ sunt in scapula capricorni.
	6	18	A	2	50	5		Borealior duarum quæ sunt in corpore capricorni.
	6	18	A	4	0	5		Australior duarum reliquarum in corpore capricorni.

Naturæ.	Long. G.	m.	Latitud. P.	g.	m.	Mag.	Si. oc.	Nomen.
Sat. Mer.	7	18	B	5	30	3		Quæ in ſiniſtra manu aquarij.
Mar. Mer.	8	18	A	4	45	5		Sequens de tribus quæ ſunt in medio corpore capricorni.
	9	58	A	6	0	5		Sequens duarum contieguarum quæ ſunt ſub ventre capricorni.
	10	38	A	9	50	4		Sequens duarum quæ ſunt in ſcapula capricorni.
	13	28	A	4	45	4		Antecedens earum quæ ſunt in cauda capricorni.
	14	38	A	4	30	4		Sequens earum quæ ſunt in cauda capricorni.
	15	38	A	6	50	4		Præcedens duarum contiguarum ſub ventre capricorni.
Sat. Iou.	15	58	A	2	0	3		Sequens de duabus quæ ſunt apud caudam capricorni.
	16	28	B	3	20	4		Antecedens de quatuor quæ ſunt in boreali caudæ capricorni.
	16	58	B	2	50	5		Media ex illis quatuor caudæ capric.
Sat. Mer.	16	58	B	8	15	5	Aquarius.	Quæ ſub axilla aquarij.
Sat.Iou.	18	16	B	0	0	5		Auſtralis de illis quatuor caudæ capricorni.
	18	18	B	4	20	5		Borealis ex illis quatuor caudæ capricorni.
Sat. Mer.	21	18	A	1	40	4		Auſtralior duarum quæ in ſiniſtra vertebra aquarij.
	22	48	B	0	15	6		Borealior duarum quæ in ſiniſtra vertebra aquarij.
Me. p. Sa.	24	18	A	5	40	5		Crus aquarij.
Sat. Mer.	25	48	B	3	0	4		Dextra vertebra aquarij.
	26	38	B	3	10	5		Sequens in dextra vertebra aquarij
	28	18	A	0	50	4		Altera in vertebra dextra aquarij.
Piſces.								
Me. p- Sa.	0	58	A	5	0	4		Poples aquarij.
†	1	18	A	7	30	3		Tibia dextra aquarij.
Sa. p. Iou.	4	28	B	0	10	4		Prima in aqua aquarij.
	4	38	B	2	0	4		Secunda in aqua aquarij.
	7	18	A	1	0	4		Tertia in aqua aquarij.
	8	38	A	3	30	4		Quarta in aqua aquarij.
	0	28	A	4	10	4		Quinta in aqua aquarij.
	9	38	A	0	30	4		Sexta in aqua aquarij.
	10	8	A	1	40	4		Septima in aqua aquarij.
Mar.p.Ve.	10	18	B	7	30	4	Piſces.	Dorſum piſcis.
Mer. p.Sa.	13	48	B	7	30	4		Craneum piſcis.
Mer. Iou.	15	38	B	4	30	4		Antecedens duarum quæ ſunt in ventre piſcis.
	19	18	B	3	30	4		Sequens duarum quæ in ventre piſcis.
Io. p.Ven.	20	18	A	5	30	4		Extra formam piſcium.
	20	48	A	2	40	1		Extra formam piſcium.
	21	53	A	2	30	4		Extra formam piſcium.
	21	58	A	5	30	4		Extra formam piſcium.
Sa.p. Mer.	25	38	B	6	20	4		Cauda piſcis antecedentis.

Omnes igitur ſtellæ Zodiaci, quibus Planetæ, iungi poſſunt corporaliter, ſunt 246.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Stellis regiis.

Ipsæ sunt quindecim, & sunt signatæ in præcedenti tabula sub signo †, & vltra hoc, quæ sunt in Zodiaco, sunt insignes, aut magnitudine, aut multitudine, & sunt partes signorum zodiaci propriæ, & ideo maximos supra omnes cœli stellas effectus ostendunt.

CAPVT IX.

De Stellis insignibus extra zodiacum.

Gradus signiferi cnm quo oblique ascendunt in latitud. grad.44.

Naturæ.	Long. Sig.	g	m.	Latitud. P·	g.	m.	Mag.	Ascen. recta.		Sig.	Gr.	Nomen.
Mar. Mer.	♈	1	48	B	51	30	2	356	35	♓	4	Ala pegasi.
	♈	7	28	B	26	0	2	355	39	♒	6	Vmbilicus pegasi.
Sat. Iou.	♉	19	18	B	23	0	2	38	54	♓	8	Caput Algol.
	♉	24	28	B	30	0	2	41	36	♒	1	Dextrum latus Persei. ||
	♊	9	28	A	31	30	1	72	25	♋	15	Rigel vel Pes Orionis.
Mar. Mer.	♊	13	58	A	17	30	2	74	47	♋	6	Bellatrix, vel humerus siuister Orionis.
	♊	14	30	B	24	30	1	69	47	♈	1	Hircus in auriga ||
Sat. Iou.	♊	16	58	A		50	2	78	8	♋	13	Tres stellæ 2. magn. quæ vocantur
					62							cingulus orionis.
Mar. Mer.	♊	21	39	A	12	0	1	81	57	♋	11	Dexter humerus Orionis.
	♊	22	28	B	·20	0	2	80	32	♈	2	Dexter humerus aurigæ.
Io. p. Mar.	♋	7	18	A	39	10	1	96	5	♌	6	Canis ardens, vel canicula.
Mer.	♋	12	58	B	9	30	2	108	13	♋	4	*Caput gemi. anteceden. vel apol.*
	♋	19	8	A	16	10	1	205	8	♌	4	Canis minor, vel Procion.
Sat. Ven.	♌	18	38	A	20	30	2	137	43	♍	1	Hidræ lucida.
Sa. p. Me.	♌	21	48	B	8	30	2	147	8	♌	20	Ceruix leonis.
Sat. Ven.	♍	3	48	B	13	40	2	161	5	♌	28	Dorsum leonis.
	♍	12	8	B	11	50	1	160	9	♍	10	Cauda leonis.
Iou.	♎	14	38	B	31	30	1	207	17	♎	3	Arcturus in boote.
Ven. Mer.	♏	4	18	B	44	30	2	227	44	♎	13	Maior coronæ borealis.
Sa. p.Mar.	♏	11	48	B	8	50	2	121	59	♏	8	Luminosior lancis boreal.
Mar. Mer.	♐	14	28	B	36	0	3	257	9	♏	20	Caput serpentarij.
Ven. Mer.	♑	6	58	B	62	0	1	274	12	♏	4	Vultur cadens in lyra.
Iou. Mar.	♑	23	28	B	29	10	2	290	32	♐	20	Vultur volans. ||
Ven. Mer.	♒	19	38	A	23	0	1	330	52	♉	8	Formabant in aquario.
	♒	28	48	B	60	0	2	306	15	♏	18	Cauda cygni ||
Mar.	♓	16	18	B	19	40	2	339	7	♒	7	Dorsum pegasi.
	♓	21	48	B	31	0	2	339	29	♄	19	Crus pegasi.

Vbi appositum est hoc signum, || significatur quòd hæ stellæ, licet non sint omnino in via lactea, sunt tamen in confinio eius. Vnde omnis stella, quæ est in via lactea, vel eius confinio, facit aliqualiter turbidum intellectum, & multa alia designat. Sunt autem ex magnis, quibus tale signum apponitur, quinque: videlicet cor scorpij, quæ etiam est ex regiis, & quatuor extra zodiacum, vt vides in tabula suprascripta.

CAPVT X.

De stellis verticalibus.

Et ex his quæ sunt extra zodiacum in tabula, duæ sunt verticales Mediolano, videlicet hircus alhaiot, cuius declinatio est gra.44. min. 56. Mediolani autem declinatio, vt ego sum expertus, est gra.44. mi.20. quare ipsa recedit. Alia, est cauda cygni, habens declinationis grad.43. min.43. quare cum hæc accedat: est enim in aquario, & alia recedat. Sequitur vt à natura Martis & Mercurij declinent, ac magis in dies declinabunt. Habent autem hæ stellæ potestatem magnam supra loca, quoniam semel qualibet die supra ciuitatem perpendiculariter insistunt.

Cum caput algol peragrauit Asiam minorem, & Græciam, in annis fermè 400. destruxit eas prouincias vsque ad extremum, & desertas ac oppressas à Mahumethanis reddidit. Nunc autem inuasit Italiam, est enim perpendicularis super Apuliam & Neapolitanum regnum, vtinam nobis nihil ferat nocumenti.

Tempore ædificationis Romæ, fuit eis stella verticalis extremum caudæ vrsæ maioioris, secundæ magnitudinis, de natura Martis: & ideo dominati sunt orbi propter fortitudinem suam. Cùm autem recessit, debilitati

debilitati sunt ita, vt solum nomen retineant. Hoc autem fuit etiam ex stellis, quæ illi vrbi superuenerunt, & fuerunt dextrum latus Persei, & caput serpentis.

Et transiuit cauda vrsæ super Bizantium, & constituit ibi imperium: deinde super Galliam, & transtulit eo imperium: demum peruenit ad Germanos, & transtulit ad ipsos imperium. Significat enim cauda vrsæ fortitudinem cui non est similis, & nunc est etiam sita super Germaniam.

Et si quis dicat, Igitur existentiam in vno paralelo, erit eadem fortuna, quoniam eadem stella verticalis: dico, quòd oportuit in fundatione loci eam stellam tunc fore & in meridie,& cum Sole iunctam, & Solem cum hoc esse fortunatum, & ita fortitudo communicatur toti paralelo, sed imperium vni soli contingit loco. Vnde legimus, quòd tempore Romanorum tota Italia erat repleta populis fortissimis, maxime in eodem paralelo, sicut Samnitibus, Veientibus, Fidenatibus,qui ferè erant in eadem poli eleuatione. partem autem Italiæ borealiorem, non Italiam, sed Galliam togatam vocabant, nec in fortitudine erat eis similis. Quare per omnia loca transitus stellarum euenient dispositiones populis,in qualitatibus animi significatæ per eas: non tamen desolationes, aut imperia, quoniam stella non per se hoc significat, nisi cum fuerit bene aut male disposita, in tempore ædificationis loci, aut initij transitus.

Qui igitur natus fuerit rex, stella verticali alicuius loci, cui non dominetur, in cuspide decimæ, vel cum domino decimæ iuncta, dominabitur loco cui ea fuerit verticalis, & tunc fuerit in angulo initij regni. Quod si ciuis oriatur, ea cœlum mediante, aut in horoscopo, aut Lunæ, aut domino decimæ iuncta, honorabitur semper ille in ciuitate, & magnus euadet.Tales erunt in ciuitate nostra,quibus oritur Gem.gra.1.velVir.gra.14.

CAPVT XI.

De stellarum magnitudine.

STellæ magnitudinis primæ, & Venus, & Iupiter, habent diametrum, mi. 8. Saturnus, Mars, & stellæ secundæ magnitudinis,habent diametrum, min. 6. Stellæ magnitudinis tertiæ, habent diametrum, min.4. Stellæ magnitudinis quartæ, habent diametrum, mi.3.& tantum habet Mercurius.Stellæ magnitudinis quintæ, habent 2. min.diametri: Et stellæ magnitudinis sextæ, habent mi. 1. diametri. Saturnus etiam, Iupiter & Mars, augentur per mi. 1. in opposito augis: & minuuntur per mi. 1. in auge. Venus autem cum est in auge, habet mi. 7. diametri, & mi. 10. in opposito augis. Sol autem in auge, habet min. 31. & in opposito min.33. Luna habet in auge min. 31. & in opposito min. 35. & ita maior est Sole cum fuerit in longitudine propiore.

Et antiqui in hoc occultauerunt secretum magnum. Nam cum ascenderit locus cœli, in quo actualiter sit stella Zodiaci, aut ex insignibus extra Zodiacum,tunc locus ille plenus est,& fortis: aliter autem, vacuus & debilis.

Exemplum posuimus cor Leonis, in gra. 22. min. 8. leonis, & diameter stellæ est mi. 8. quoniam est primæ magnitudinis: vnde corpus eius durabit per mi. 4. antè & retrò. Qui igitur natus fuerit à gra. 22. min 4. leonis, ad grad. 22.mi. 12. erit natus in gradu pleno: qui autem natus fuerit antè, erit natus in gradu vacuo. & similiter pòst, donec peruenerit ad gra. 23. min. 6. nam ibi est alia stella. Vnde multo plures vicies nascuntur in locis vacuis, quàm in plenis.

Et hoc idem dico, si iungantur corporaliter Soli vel Lunæ, vel Ioui, vel Mercurio, vel dispositori, vel sint in cœli medio: quòd si cum hoc fuerit vna ex quindecim regiis, erit fortius, & oportebit iungere ambos diametros.

Exemplum, sit Luna in gra. 19: min. 25. capricorni, & sit in longitudine media, vbi semidiameter eius est, mi. 16. secun. 30. & in gradibus 19. mi. 8. capricorni, est borealior sinistræ spatulæ sagittarij. Differunt igitur in min. 17. & quia semidiameter Lunæ est min. 16. secun. 30. & semidiameter stellæ magnitudinis quintæ, est min. 1. erit igitur longitudo semidiametrorum min. 17. secun. 30. & hoc est plus minutis distantiæ qui sunt 17. igitur dicemus quòd se tangunt.

Scire autem hos contactus ad vnguem maxime orientium stellarum, aut existentium in cœli medio, non est possibile nisi per experimentum, quia illam subtilitatem non capit instrumentum aliquod vt dixi optime Iohannes Monteregius in libro directionum primi mobilis.

Et nota quod in viginti septem stellis extra Zodiacum, magis obseruari debet ascensio, quàm gradus longitudinis, quantum ad ascendens.

CAPVT XII.

De occultatione.

SOl occultat omnia præter Lunam, & in ortu admittit Venerem: vt videri possit, donec eleuetur supra terram aliqualiter, & quandoque Venus apparet in meridie,& quidam putant rem magnam hoc fore. Occultat enim Sol Lunam vsque ad quindecim gradus manifeste,& quandoque vsque ad 20. gradus

Luna occultat fixas omnes ad propinquitatem gra. 1.& eas quæ sunt secundæ magnitudinis, ad gradum 3. nisi in aëre valde sereno, & ea vacua existente: reliquas autem à longe nisi in occasu vel ortu.

Planetas autem non occultat: nam Iuppiter & Venus nihil splendoris etiam contactu minuunt, nedum quòd occultentur. Saturnus tamen & Mars, non occultantur vnquam ab ea in contactu, hebetantur tamen plurimum. Mercurium autem vltra grad. 2. non occultat omnino: antè autem occultat nisi in aëre valde sereno: non potest autem occultare, non ob Mercurij lucem, sed quia Luna, cum ei iungitur, necessario admodum parua videtur.

Venus & Iupiter stellas omnes secunda magnitudine inferiores occultant in contactu:

quæ autem ſecundæ ſunt magnitudinis, hebetantur plurimum : primæ autem etiam habetiores fiunt, nullo tamen modo minores videntur. Saturnus autem & Mars, iuxta Iouem aut Venerem parum fiunt hebetiores : occultationis nulla omnino ſuſpicio, at nec diminutionis : Mercurius tamen, licet cum Venere aut Ioue valde debilis & exiguus videatur, nullo tamen modo diſperit. Nullus denique Planeta, Sole excepto, planetam aliam omnino extermi-nat: Iupiter autem Venus, fixas paruas ad gra. 8. exterminant.

Saturnus & Mars, cum bebeniis ſiue fixis primæ magnitudinis pugnant, & licet vincantur, non hebetantur tamen. Cum ſtellis autem ſecundæ magnitudinis pugnant, & licet lumine clariores videantur, non tamen occultant eas, & vix reddunt hebetiores paulum. Quintæ & ſextæ magnitudinis ſtellæ, iuxta Saturnum & Martem euaneſcunt: tertiæ autem & quartæ hebetantur.

Mercurius nullas occultat, à nullis occultatur : hebetatur tamen à bebeniis.

Omnium ſtellarum in noſtro climare viſibilium, pulcherrima eſt canicula, & ſplendidiſſima quæ in ore maioris canis eſt : maxima vero canopus, quæ nunquam nobis apparet, verum vt magnitudine caniculam ſuperat, ita ſplendore ab illa maximo ſuperatur interuallo.

CAPVT XIII.

Modus memorandi ſtellas iam cognitas.

VT cognitam ſtellam fixam ſemper memorari poſſis, has ſex differentias conſidera.

Magnitudine differt ſtella à ſtella quoniam quædam primæ ſunt magnitudinis & valde magnæ : & quædam ſecundæ, magnæ quidem, ſed non tantum : tertiæ mediocres: quartæ, paruæ : quintæ, minimæ : ſextæ, puſillæ.

Colore, quædam enim albæ, quædam pallentes, quædam buxeæ, quædam plumbeæ, quædam aureæ, aliæ rubeæ.

Splendore quoniam quædam plurimum, quædam mediocriter, aliæ parum ſplendent, aliæ nihil omnino, & ſunt quaſi nebula, etiam quòd ſint magnæ, & dicuntur nebu-loſæ.

Configuratione, quædam trigonum, quædam rectam lineam, quædam quadrangulum conſtituunt. Vnde cingulus Orionis ſemel cognitus, è memoria nunquam excidet: quoniam tres magnæ ac ſplendidæ ſtellæ, ita in directum iunctæ ſunt, vt cinguli referant ſpeciem. Et ſimiliter Hœdi, quoniam duæ omnino paruæ ſtellæ iunctæ ſunt, ac quaſi vnam longam faciunt ſtellam. Et Pleiades, à multitudine glomeratæ obliuionem ſui non admittunt. Nec polus mundi, cum ſit in vna recta linea cum poſtremis duabus currus.

Scintillatione, quædam enim frequentiſſime micant, vt Procion : quædam rariſſime, vt Regulus : quædam mediocriter, vt pes & humerus Orionis.

Situ, cum enim propter motus octauæ tarditatem, fixæ ſemper eodem loco oriantur ac occidant, cœlumque medient toto anno, non erit difficile etiam ex hoc, vbi eas ſemel noueris, vbi loci memoriam teneas, earum perpetuò reminiſci, quo ex loco oriantur, aut cœlum medient, aut ſe condant. Et ſimiliter ex ſitu earũ ad Planetas facilis habebitur cognitio, vtpote ſi Antares ſit poſterior Saturno 12. gradibus, cognito Saturno, ſtellam magis orientalem grad. 12. quæ maxime ſplendet, cor ſcorpij eſſe pro certo ſcies : in planetis autem, propter motus velocitatem, obſeruatio loci, in quo oriuntur aut occidunt, non plenam facit fidem.

Cumque tot rationibus ſtellam memoriæ commendaueris, impoſſibile eſt, niſi omnino aſinus fueris, illius obliuiſci.

CAPVT XIV.

Cognitio figurarum zodiaci ad oculum.

QVi vult hoc facere, habeat Zodiacum pictum cum ſuis ſtellis locatis, prout in cœlo ſunt : aut Higinij, aut Arati figuras. Deinde ſcire conuenit, duas eſſe in cœlo ſtellas, quarum altera ſemper ſupra terram eſt, eò quòd oppoſitæ ſunt : & vna eſt Aldebaram, reliqua Antares, ambæ regiæ, quas inter cæteras ita cognoſcere ſtudebis, vt illicò viſæ, non dubites eas eſſe. Deinde aſſequere zodiacum ex quarto capitulo, quo cognito, procede à ſtella cognita verſus Orientem per ſignorum ordinem, & cum tabulis ſupraſcriptis omnes ſtellas Zodiaci rimare diligenter, cum nominibus ſuis, & ſimiliter valde ſplendidas extra Zodiacum, quas 27. poſuimus: exceptis 6, vrſæ maioris, & 2. vrſæ minoris, quas in figura ſuperiore deſcripſimus, & quibuſdam paucis quæ in meridionali parte parum ſupra terram videntur, quas neglexi-mus deſcribere. Poſt modum iterum ab eadem ſtella verſus Occidentem contrario progredieris modo, donec ad orizontem perueneris. Ita vnamquamque ſtellam per conditiones ſuas memoriæ commendabis, ſemper lineas à polo Zodiaci imaginando recte ad eas produci. Sic enim qualis ſit ſtella, qualis eius longitudo, ac latitudo cognoſces. Adnotabis autem mente primum clariores: magnitudine, vt caniculam : multitudine, vt pleiades & ſuculas: paruitate, vt hœdos : ſimilitudine, vt aſinos : loco, vt ſcapulam capricorni, quæ in ecliptica præciſe eſt : aut genu dextrum ophiulci, quod in extremo Zodiaci poſitum, etiam initium viæ lacteæ eſt : aut nubiloſas, vt præſepe : aut dignitate, vt regulum & ſpicam : aut magnitudine fortitudinis & forma inſigni, vt totum Orionem, qui admodum cognitu facilis eſt, vnde Poëta, Orion magni pars maxima cœli. Atque ita in quindecim diebus non erit difficile omnes ſtellas figuraſque cœli perfecte poſſe cognoſci, quandoquidem in totidem diebus, quæ à nobis ſunt viſibiles, omnes abſque dubio videri poſſunt.

CAPVT

CAPVT XV.

Cognitio locorum Planetarum ad oculum.

VErificatione tali stellarum habita, non erit difficile Planetarum incerta loca firmare, veluti cum nostro tempore Saturnus & Mars à loco tabularum differant, sic erunt iustificandi. Aut enim cum instrumento armillarum obseruandum est, vt cum aliqua stella in eadem sit longitudine, & tunc locus stellæ cognitus, erit locus Planetæ incognitus, & cum principiis eisdem tabulas Alfonsi rectificabis. Quòd si armillis careas, expectanda erit coniunctio corporalis: Hæc autem longe plus temporis exposcit, non tantum, quia planeta stellæ facilius ac frequentius in longitudine sola copulatur, quàm in longitudine ac latitudine, sed quoniam copulatus videri non potest, cum stella euanescat, nisi primæ sit aut secundæ magnitudinis: hæ autem tantum sex sunt in zodiaco. Vnde his duabus causis, talem coniunctionem difficilius obseruare poterimus, præsertim cum talis coniunctio frequenter nubilo contingat tempore, aut sub Solis radiis: Adest & tertia causa, quoniam nisi per continuos dies obseruauerimus, plerunque fallit, cum coniunctionem oculus diiudicet inter stellas frequenter, quæ ferè gradu vno distant. Non igitur coniunctione contentos esse oportet, sed primam obseruare separationem diligenter conuenit: die enim præcedente, primam separationem coniunctionem factam intelligere possumus.

CAPVT XVI.

De modo sciendi, quando Planeta iungetur alicui fixæ.

SI locus Planetæ certus habetur, locum fixæ hic in tabula cognosce, ac eius latitudinem: deinde considera in Almanach, quando planeta talem gradum & minutum adipiscetur, quo tempore etiam stella illi coniungetur. In omnibus autem, si latitudo etiam tunc temporis concordet, erit coniunctio corporalis: si discrepet, erit longitudinalis tantum. Hæc autem longitudinalis oculis faciliter dignoscitur, dummodo stella videri possit: nam cum ad zodiaci polum respexeris, linea recta ab eo ducta per centrum stellæ, per centrum etiam planetæ necessariò transibit, vnde falli non possumus.

Cumque in omnibus Planetis, visibilis & vera coniunctio idem sint, ac non plus (quod in Mercurio est) min.10. differant in Luna, tamen talis diuersitas nō est negligēda, cum ad gra.1. accedere possit, vnde tunc per tabulas Ptolomæi aut Alphonsi computanda erit. Nam Luna semper, quàm sit australior, vbicunque sit, videtur, ac in Oriente orientalior, in Occidente occidentalior apparet: vt si in 10. gra.17. min. geminorum sit, in orientali autem parte videatur in gra.10. min.47. geminorum, in occidentali in gra 9. mi.47. eorundem proculdubio videbitur, semper autem, vt dictum est, plusquàm sit meridionalis.


Et similiter cognosces, quando fixa zodiaci radios planetæ ingreditur, oppositos quadratos, trinos, aut sextiles, siue opinionem Monteregij, qui omnes eos in eclipticam terminat, siue Blanchini, qui in omnib. exceptis quadratis, latitudinem obseruare docet, attendere velis: de quibus in 2. Astron. iudiciorum plenius diximus.

Et sit exemplum, volo obseruare corporalem coniunctionem Iouis cum aliqua fixa (nam locus Iouis satis exquisite certus habetur) inuenio eum die præsenti, quæ est 13. Aprilis, anno 1538. in tauri par.26. mi.23. cum australi latitudine gra.0. mi.46. fermè. Quæro igitur, an vltra gr.26. mi. 23. tauri, sit aliqua stella, habens australem latitudinem gra.0. mi.46. aut paulò minorem? Si quidem Iupiter est ascendens versus Septentrionem, & latitudo minuitur, & non inuenio nisi præsepe in gra.29. mi.58. cancri, cum latitudine boreali gr.0. mi.20. Quæro igitur locum istum, quando ingredietur Iupiter: & inuenio, quod 8. die Iunij, 1540. & tunc habebit Iupiter borealem latitudinem gra.0. mi. 26. quare distabit latitudo tantum min.6. quæ comprehenduntur à semidiametris Iouis & stellæ. Dico igitur, quod ea die fiet talis coniunctio, in nocte sequente corporalis, & accidet tempus nebulosum, his quibus in angulo fuerit. Nam coniunctio corporalis magnos producit effectus, nec vsque ad tempus illud Iupiter alicui stellæ corporaliter iungetur. Vnde corporales coniunctiones raræ sunt ad motum planetarum cū fixis, præterquā solius Lunæ: non tantum ob motus velocitatem, sed & semidiametri magnitudinem, vnde & ab ipsa temporum mutationes plurimæ, & magnæ, & frequentur eueniunt.

CAPVT XVII.

Modus cognoscendi horas in nocte sine instrumento.

SCias primo, quod ex antecedentibus quatuor descriptæ figuræ, currus maior, quæ etiam australior, cœli medium possidet, ascendente gra.1. sagittarij: imum autem, ascendente gra.15. cancri, semper autem videtur. Describatur igitur circulus, quem facit dicta stella, reuoluta in horas 24. circa polum mundi, ab Oriente in Occidentem, & ponatur centrum poli mundi, & oculus est tanquam sub polo mundi in directo, & diuido hunc circulum in horas 24. id est, in 24. partes æquales: quare cum hic circulus sit paralelus æquinoctiali, erunt hæ partes necessariò facientes horam vnam æqualem pro singulis. Et caue, ne oculus te decipiat, nā partes superiores apparent sēper minores quā sint, & similiter quæ sunt ad imum cœli: quæ autem sunt ad Orientem, & Occidentem, apparent maiores



maiores quàm sint. Vnde ad oculi coniecturam illas minores accipere oportet, quàm vigesimaquarta pars circuli videatur. has vero paulo maiores facere, vt ex illa diminutione, & hac additione, partes vere æquales consurgant.

Tunc scias, quod in Calendis Ianuarij stella illa possidet imum cœli, occidente Sole: quantum igitur disteterit stella ab imo cœli versus Orientem, tot horis noxiam processit. In decima autem die mensis, auferes horam vnam: & in vigesima die mensis horas duas: & in initio mensis Februarij horas tres, & in medio quatuor, ita vt vides in tabula. In medio autem mensis Maij, stella medium cœli possidet, ac tot horis distat, quot fuerint spacia à medio cœli, versus stellam occidentaliorem, vt vides in tabula.

Ianuarij	prima	Sole in occasu existente, stella est in imo cœli.		
Ianuarij	decima	deme	hor.	1
Ianuarij	vigesima	deme	hor.	2
Februarij	prima	deme	hor.	3
Februarij	quartadecima	deme	hor.	4
Martij	prima	deme	hor.	5
Martij	decima	deme	hor.	6
Martij	vigesima	deme	hor.	7
Aprilis	prima	deme	hor.	8
Aprilis	decima	deme	hor.	9
Aprilis	vigesima	deme	hor.	10
Maij	prima	deme	hor.	11
Maij	quintadecima	Sole in occasu existente, stella est in medio cœli.		
Iunij	prima	deme	hor.	1
Iunij	quintadecima	deme	hor.	2
Iulij	prima	deme	hor.	3
Iulij	sextadecima	deme	hor.	4
Augusti	prima	deme	hor.	5
Septembris	prima	deme	hor.	6
Octobris	prima	deme	hor.	7
Nouembris	prima	deme	hor.	8
Nouembris	sextadecima	deme	hor.	9
Decembris	prima	deme	hor.	10
Decembris	sextadecima	deme	hor.	11

Deinde prima die Ianuarij, sole existente in occasu, iterum stella possidet imum cœli, & reuertitur res ad idem: & si dies proposita non sit, ex his accipe proximiorem, vtpote die decima Iulij auferes hor. 4. quoniam sextadecima Iulij proximior est.

A prima igitur Ianuarij ad primam Maij, omni mensi dabis hor. 3. præterquam Februario: & à prima Maij ad primam Ianuarij, dabis hor. 2. præterquam Augusto, Septembri, & Octobri, quibus dabis vnam.

Sit autem exemplum, vt res facilius capi possit. Sit in vigesima nocte mensis Iulij stella prædicta in H. notantur igitur à cœli medio hor. 7. à quibus auferes hor. 4. pro sextadecima Iulij: erit igitur hora 3. noctis exacta. Et si similiter in octuadecima Nouembris nocte, stella in P. quare cum à cœli medio ad imum cœli sint semper horæ 12. erunt horæ 14. à quibus demptis horis 9. sextadecimæ diei Nouembris, remanent horæ 5. erit igitur hora quinta noctis exacta, & ita semper à Maio ad Ianuarium, computantur horæ à cœli medio per Occidentem. Exemplum à Ianuario ad Maium, sit stella in X. vigesima octaua nocte Ianuarij, erit igitur hora octaua, à qua demptis hor. 3. primæ noctis Februarij, remanebunt horæ 5. Et similiter ponamus, quod quarta nocte Aprilis stella sit in F, computabo semper ab imo cœli ad medium hor. 12. & à cœli medio ad F, hor. 5. erunt igitur horæ 17. quare demptis hor. 8. quartæ noctis Aprilis, remanebũt hor. 9. exactæ noctis. Et ita computantur à Ianuario ad Maium horæ, ab imo cœli versus medium per partem Orientalem. Dimisi autem fractiones vitandi causa laboris, cum præcisionem paruam offerant, & confusionem plurimam: in duabus autem aut tribus noctibus experientiam confirmabis.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De natura Planetarum.

SAturnus frigidus est maxime orientalis, siccus maxime occidentalis, malus, tardissimi progressus, terræ motus, niues & pruinas, pestes, annonæ penuriam, seruitutem, labores, desolationem, inuidiam, infirmitates longas, fœtorem, mores malos, ex potestatibus nō absolutā interficiendi & cruciandi, est autē proprius mortis significator.

Iupiter calidior quàm humidior est, calorem auget occidentalis, humiditatem orientalis, bonus, tardi progressus, ventos, & aeris salubritatem ostendit, incolumitatem, quietem, bonos mores, abundantiam victus, ex potestatibus sacerdotium, & quæsturam, proprius religionis, & diuitiarum significator est.

Mars siccior longe quàm calidus, orientalis calorem, occidentalis siccitatem auget, malus, progressus mediocris, fulgura, tempestates & siccitates ostendit, cometes, iram, mortes repentinas, crudelitatem, fœtorem, ex potestatibus tribunatum militum: est autem proprius significator infirmitatum violentarum, vt vulnerum, & contusionum.

Sol calidus valde, in passiuis paululum declinat ad siccum, bonus, velocis progressus, serenitatem, & vbertatem, fidem, magnanimitatem, splendorem, iustitiam, bonos mores, redolentiam, proprius vitæ significator est: ex potestatibus indicat regnum, & satrapiam. Et quia iusti Principes à Sole significantur, ideo communiter tales inuicti sunt, & fortunati, ac principatus ille diuturnus: nam tales in Solis dominio positi sunt. Significat etiam iudices & legum administratores.

Venus humida plurimum, maximè orientalis: calida paululum, magis tamen occidentalis: bona, velocis progressus, significat tempora humida, leues pluuias, & vbertatem, ocium, intemperantiam, & modicam sapientiam: ex potestatibus magistratus annonæ, & pinguium censuram: est propria significatrix voluptatum & deliciarum: cum Saturno significat venena, ac libidines turpes.

Mercurius siccus, plus tamen occidentalis, temperatus in actiuis, orientalis tamen modicè calidus, velocis progressus, sed longe velocioris permutationis: cum Saturno summam infidelitatem, cum Sole supremam fidem, cum Marte maximam proditionem & violentiam. Cum Venere, & Ioue, non bene sociatur: cum Ioue facit aduocatos & patronos, exterius quidem autoritate & moribus graues, ambitione atque summa auaritia vsque ad iniustitiam interius laborantes, & hoc est, quia ambo planetæ duplicatorum sunt corporum, & inimici, cum Venere autem industriosos Musicos, at nihil flagitij prætermittentes; ob hoc tales raro integra vita sunt, aut ad senectutem diuites euadunt: ambo enim planetæ inferiores & leues sunt: dignitates eius sunt, tabellionatus, à secretis, docere pueros: dat grandines & sterilitates, apparitiones igneas: facit male positus lusores, & fures, non est amicus vitæ.

Luna humida vehementer, maxime orientalis, id est post Solem, calida paululum, magis tamen occidentalis: pluuias multas & magnas, & abundantiam aquarum ostendit, fructuum corruptionem, morbos plurimos, & in his insaniam, stuporem, attonitum & comitialem, limphaticos proprie cum Saturno: est velocissimi progressus, amica vitæ, propria significatrix popularitatis, seruitutis, & nō dominationis: auget fortunā maxime, vt cum Ioue posita, plurimas autem cum Marte ostendit infœlicitates, & oculorū passionem.

CAPVT XIX.

De natura fixarum ex experientia.

CVi ascenderit cingulus Orionis, is erit doctissimus & studiosissimus. Ascendit autem Gualterio Corbettæ senatori, græcarum & latinarum literarum eruditissimo: & Fatio Cardano, patri meo.

Qui habuerit Lunam cum scorpij corde, erit supra vires audax. In oculis aliquid præter aliorum formā habebit, periculis vitæ pluribus & fortibus subiicietur, euadet magnus.

Cui ascenderint Pleiades cum Luna erit ductor ille plurium, & morietur violenta causa.

Omnis vir, cui ascendit locus plenus ex tauro, leone, vel aquario, erit magnus, & in sua professione inuictus.

Qui habuerit Lunam cum regulo, erit fortis, sapiens, & bene fortunatus in cunctis, & habebit potestatem gladij. Hoc tamen pluribus ex regiis etiam pleiadibus commune est.

Qui habuerit Solem vel Lunam in lactea via, aut cum stella nubilosa, non videbit mortem antequàm vitium aliquod in oculis patiatur: inseparabile, si in angulis.

Cui caput Algol infortunatur, accidet capitis periculum: si fortunabitur, acquiret gladij super homines potestatem.

Figuræ in cœlo fortes sunt: Orion, Vrsa maior, Canis maior, & Leo, & in temporum mutationibus Aurigam adijciemus.

CAPVT XX.

De natura imaginum & stellarum.

STellæ de natura Saturni bene positæ, stabilitatem & dominium in laboribus: male autem, peruicaciam & labores. Iouis bene positæ, virtutes, diuitias, honores: male, patientiam nimiam, & vecordiam, & spoliationem per luxum. Martis bene positæ, audaciam, centuriones, & primi pilares faciunt: male temeritatem, & latrones. Solis bene positæ, rectitudinem & magnanimitatem, regias dignitates: male, ambitionem, & mortes publicas. Veneris bene positæ, gaudia, amabilitatem, & pietatem: male, cateruam vitiorum, & vilipensionem. Mercurij bene positæ, ingenium, mercaturam, scientias: male, versutiam, dolum, lusorem, furem,

furem, chirographorum falsificatorem. Lunæ bene positæ stellæ rationem, sensum, fauorem popularem: male, stoliditatem, famulos publicanorum.

Stellæ Saturni & Iouis bene positæ, studium, sapientiam, & gladij potestatem promittunt: male, studium occidendi furandique decapitationem, aut suspensionem. Iouis & Martis bene positæ, ducatos, tribunos militum, audaciam: male autem, latrones, & temeritate sua omnia sibi vindicantes, mortem quidem violentam proculdubio, haud tamen necessariò publicam. Solis & Martis bene positæ, reges, & satrapas: male, eos quorum corpora in diebus solennibus cum pompa publicè lacerantur. Martis & Mercurij bene positæ, medicos optimos, & aurifices: male autem, adulterinæ monetæ fabricatores. Martis & Lunæ: cursores, & architectos: male, apparitores, & seruos publicos, fossores & munitores.

Imagines omnes de sui proprietate indicant, vt draco, serpens & scorpio, venenum: canis & leo, crudelitatem: Cassiopea & Andromeda, carceres &c.

CAPVT XXI.

Cognitio naturæ stellarum ad oculum.

STellæ candidissimæ & splendidæ, Iouiæ sunt. Splendidissimæ buxeæ, Veneriæ. Candidæ pallentes, hebetis luminis, Lunares. Rubeæ fuscæ, splendidæ, vel non, Martiales. Claræ splendidæ valde, modice rubentes, Solares. Plumbeæ omnes splendidæ, vel non, Saturninæ. Splendidæ cinereæ, aut quasi nutantis coloris, Mercuriales. Obscuræ, Saturni & Lunæ. Nubilosæ omnes & maculosæ, Lunæ & Martis.

CAPVT. XXII.

Aphorismi iudicatorij.

IVpiter cum domino secundæ, diuitias notant, nec est ponenda pars aliqua fortunæ Sol, Luna, & ascendens, significat vitam. Sarurnus & septima, & abscisor mortem Saturnus & duodecima, carceres, labores, hostes occultos. Mars & septima, contentionem, rixas, & apertos hostes. Sol & decima, gloriam, Vtræque infortunæ & sexta, morbos. Luna & Venus, & septima, vxores & concubinas. Mars, Luna, & nona, itinera. Iupiter & nona, legem. Iupiter & quinta, Venus & decima, filios & filias. Iupiter & vndecima, amicos. Iupiter & Mars, & tertia, fratres. Venus, & Luna, & tertia sorores. Luna, Mercurius, & ascendens, omnem animæ qualitatem. Ascendens & Luna, corporis qualitatem. Sol, Saturnus, & quarta, patrem. Venus & Luna & decima, matrem. Sol, decima, Iupiter & nona, magistratus omnes. Mars & Mercurius artem. Figura & stella occidens, in tempore genituræ, ita ostendit mortis qualitatem & conditiones, veluti ascendens, & stellæ in eo & formæ ostendunt corporis & animæ & vitæ qualitates, & conditiones. Et hoc fuit secretum antiquorum, per quod mirabile prognosticum Ascletarion de Domitiani morte edidit.

Leges Christianæ & Iudaicæ à Deo sunt, fortuna tamen militantium à superioribus gubernatur. Iudaica, à Saturno, vel eius stella, vel potius vtroque. Christiana, à Ioue & Mercurio. Mahumethi, à Sole & Marte æqualiter dominantibus: vnde iustitiam custodit, verum cum impietate & crudelitate magna. Idololatrica, à Luna & Marte. Soluitur autem vnaquæque lex suo contrario. Saturnum debellat Iupiter autoritate, & Mercurius ratione. Iouem & Mercurium debellat Mars, non audiens rationes, & sæuiens contra autoritatem. Martem & Solem debellant Saturnus & Venus, hæc lasciuia, ille dolis. Martem & Lunam, Sol & Iupiter destruunt autoritate, dignitate, & veritate. Ob hoc Christiani erigite capita, qui potest capere, capiat.

CAPVT XXIII.

Secreta iudicandi.

IN omni genitura, est optimus locus, à quo omnis fortuna: & pessimus, à quo omne infortunium pendet. Optimus locus est, decima, vel prima, vel luminare, si his fortuna vel radius propitius, vel vlterius luminaris, vel stella fortunata iungantur, ita vt fortunium duplicetur, atque ita infortunij locus, est geminatum infortunium. Et aliqui habent fortunij locum aut infortunij duplicatum. Triplicatum autem habere, omnino extra naturam: & cuilibet horum tria puncta correspondent alia, consimilis dispositionis principali. Vnum oppositionis, & duo quadratorum concordantia. Igitur horum locorum vni benefacit, aut malefacit. Qui vero fortunam habet in loco infortunæ alterius, infortunabit illum, & non recipiet malum ab illo, quod credebat Ptolemæus: qui autem fortunam in loco fortunæ habuerit, benefaciet, vnde plures malefactores benefactoribus esse necesse est. Cum autem bonæ fortunæ locus debilis est, non proderunt multum reliqua fortunia: quoniam periit fundamentum, nec similiter alienum obierit infortunium.

CAPVT XXIV.

Secretum cœli medij.

CVm producta fuerit linea, à polo zodiaci per verticem nostrum, ipsa terminabitur per gradus 90. distans ab ascendente, &

& totidem ab occidente : & talis punctus erit magni roboris, & similiter stellæ quæ in eo fuerint secundum longitudinem, quæ verò in circulo medij cœli, secundum ascensionem considerabuntur.

Exemplum, ascendit 7. gradus tauri, igitur Mediolani cœli medium est gra. 19. capricorni, & aliud cœli medium secundum zodiacum est gra. 7. aquarij. Stellæ igitur, quarum longitudo est in 7. gra. aquarij, vel quæ cœlum mediant cum 19. gra. capricorni, erunt valde potentes: quæ autem ascenderint cum 7. gra. aquarij, aut secundum longitudinem fuerint in 19. gradu capricorni, non erunt dignæ consideratione.

CAPVT XXV.

Modus inueniendi artem iudicialem.

QVàm plurimas genituras habere oportet, atque temporum considerationes: ac sic in euentibus planetarum inter se concursus, ac ad fixas obseruare in directionibus reuolutionibúsque. Cumque ex eadem configuratione idem effectus prouenerit, sæpius statuendum est de congressu illo, aut natura fixarum secundum proprietates illius euentus, vt etiam in reliquis prædicere possimus.

CAPVT XXVI.

De temporum natura.

COnsiderabis primo coniunctionem Saturni & Iouis, in quo signo, & cum quibus stellis, & vbi Luna tunc ac Sol fuerint: nam hæc erit dispositio illorum 20. annorum sequentium generalis. Similiter reuersionem Solis ad punctum illius coniunctionis, congressus aut labores: nam vnius anni tempestatem indicabit. Et similiter ingressum Solis in initia Ari. Can. Lib. & Cap. qualesque fuerint radij Planetarum cum Luna, aut corpora fixarum cum ea in longitudine, aut coascendentia in angulo: qualisúe fuerit locus luminarium in orbe, talis erit dispositio trium mensium interceptorum, inter punctum & punctum. Pòst considerabis coniunctionem aut oppositionem luminarium, quæ de illis proximius ingressum Solis in aliquod quatuor prædictorum præcesserit, atque per totam illam anni quartam reliquas coniunctiones, si coniunctio proximior fuit, aut oppositiones, si oppositio: & qualis fuerit status luminaris supra terram oppositionis tempore, aut luminarium ad fixas planetas, & mundum, aut planetarum inter se, talis erit status illius mensis vsque ad reditum. Nam si luminaria in ortu vel occasu fuerint, fortes facient mutationes: si in cœli medio, non mutabunt, aut violenter mutabunt: si à cuspidibus ceciderint, paruas: si ab angulis, leuissimas, aut nullas facient mutationes.

Considerabis etiam congressus aliorum Planetarum inter se, & cum Luna: nam cum Luna ad ea loca peruenerit, aut ad ascendentia, sequetur effectus.

Et similiter scies, quod Saturnus cum Sole & Luna, magnas indicat mutationes, & temporum constitutiones: potissime autem niues, pruinam, frigus, tempus turbulentum, calorem in æstate aridum, anxium, non magnum. Iupiter cum Mercurio, ventos, & calorem auget, aërem conturbat, & pluuias non generales facit. Mars cum Venere pluuias, tonitrua & corruscationes fortes facit. Hi tres congressus maximas in cœlo agunt mutationes.

Et tempestuosa signa sunt Orion, & Arcturus, & Corona exoriens. Ventosa, Hœdi, & Capra, qui sunt in auriga. Pluuiosa, hiades, vnde & nomem habent.

Vergiliarum autem occasus, tempus in sua dispositione, in qua fuit, perseuarare facit. Aestuosa, leonis partes anteriores & duæ caniculæ valde.

Porrò ingressum Solis in octauæ signa etiam obseruare conueniet, eorum initia in tabula stellarum Zodiaci indicauimus. Finis autem vnius, alterius est initium: veluti posuimus initium arietis octauæ, in initio 26. graduum arietis nonæ, & finem in 15. fine gradus tauri nonæ, quia ibi proxime initium sumit tauri signum octauæ, vnde 20. gradus zodiaci, arietis signum octauæ ostendet occupasse: medium eius igitur est gradus 6. tauri nonæ. Habes igitur ex tabula ipsa, initia, media, finesque signorum octauæ Sphæræ, ad quæ cum Sol accedit, tales fiunt mutationes.

Arietis priores partes, imbres & ventos cient, mediæ temperatæ, extremæ æstuosæ, & mutationem facientes. Borealia, æstuosa & noxia: australia, temperatiora.

Taurus, priora vbique vergiliæ visuntur, turbulenta, ventosa & nebulosa habet: media humida & satis temperate calida: extrema, vbi & suculæ, ignea & fulmina cũ tempestatibus agentia. Borealia, temperata: australia, instabilia ac incerta.

Gemini priora, humida ac noxia, media temperata, posteriora incerta ac mixta. Borealia flatuosa, & terræmotum agentia: australia, arida ac æstuosa.

Cancri initium suffocat, caliginosum, & terras quatit: ibi præsepe est medium, temperatum: finis, ventosus. Borealis pars & australis, noxia, ignea, æstuosa.

Leonis initium pestilens ac suffocans, medium temperatum, finis siccus & noxius. Septentrionalia, ignea ac instabilia: australia autem humida.

Virginis initium calidiusculum ac noxium, in medio temperatum, in fine aquosum. Borealis pars ventosa, australis temperata.

Libra initio & medio satis temperata, extremis aquosa, Borealibus ventosa, australibus sicca ac pestilens.

Scorpius prioribus frigidum, turbulentum, & niues agens: mediis temperatius, postremis turbulentus. Borealibus calidius,

australibus humidius est.

Sagittarius initio humidum, medio temperatum, fine igneum est. Borealia eius ventosa, australia humida & variabilia.

Capricornus prioribus partibus æstuat & nocet, mediis temperatius, postremis pluuiosum. Borealibus & australibus humidum ac noxium.

Aquarius initio humidus, medio temperatior, extremis ventosus. Borealibus æstum facit: australibus frigus, turbidum tempus, & niues.

Piscis initia temperata, media humida, posteriora æstuosa. Borealia ventosa, australia aquosa sunt. Ita hæc de signis à Ptolemæo accepimus, quoniam experimentis plura firmauimus: reliqua in libris decem descripsimus.





SYNESIORVM SOMNIORVM

OMNIS GENERIS INSOMNIA EXPLICANTES, LIBRI IV.

CAROLO BONROMEO, CARDINALI, Archiepiscopo Mediolanensi, Legatóque Bononiensi, ac Romandiolæ, Piique IV. Pontif. Max. nepoti.

HIERON. CARDANVS, Mediolanens. Medic. S. P. D.

HAVD demiror, CARROLE BONROMEE, aliquos fuisse Philosophos, qui omnem humanarum rerum prouidentiam à Deo sustulerint: quandoquidem ij etiam magnitudinem à corporibus ipsis ademerint, existimantes Solem haud multo maiorem esse quàm nobis videatur. Verùm cùm perspicuum sit, sidera, astra, cœlum, solem, lunam tantæ esse magnitudinis, ipsum orbem tanta velocitate rapi, vt cogitatione nostra hæc maiora sint: nescio quo pacto fieri possit, vt de tam parua re, qualis est humanum genus, quod in superficie sola terræ habitat, vllam Deo esse prouidentiam, negare audeant. Et qui tantæ molis ac penè infinitæ rationem exquisitissimam teneat, & ad amussim temperet: hoc solum quod minimum est, ad normam redigere non possit: aut speciosissimum cùm sit, negligat. Quapropter stultum sit, atque temerarium omnino, quicquam cogitare factum hîc, seu maximum, seu minimum, quod deorum prouidentia non antea viderit, & benignitas nobis non significauerit: ob idque eos quos nos Sapientes vocamus, constituit: quorum cura par regibus, amor diuinus etiam erga illos longè maior est. Si quis cogitet humanas res quàm fluidæ, quàm labiles sint, quamque nullâ solertiâ regi possint, nulla vi contineri, maximam & sapientiæ dignitatem esse intelliget, & necessitatem. Cùm tot fuerint ætate Alexandri Magni, Troianique, & antè & post, reges potentiores, quorum nulli gloriam sibi tàm immortalem peperêre, quàm hi duo, quòd vnus Aristotelis, alter Plutarchi discipulus fuerit. At Alexander Seuerus Mammeæ, etiam his illis gloriosior fuit, quòd sapientiæ maximè fuerit studiosus: vt contrà Commodos, Caligulas, Vitellios, Caracallas, monstra humani generis, & maiorum suorum virtute solùm Imperio dignos, quàm infelices exitus oppressêre? Neque potior pars est literarum peritia: verùm sapientiæ studium, atque iustitiæ cultus. Eruditi fuêre Tiberius, Claudius: & maximo exitio humani generis nati. Traianus & Seuerus Alexander parùm periti, magnam lucem mundo tamen præstiterunt: quòd bonos, quòd sapientes euexerunt, quòd studiis fauerunt. Non est cogitandum quali fortunâ nunc vtamur, sed quali digni simus, qualemque expectare conueniat: imò etiam qualem possimus subire. Stultum est non metuere aduersa, cùm in infidis rebus nostram spem collocauerimus. Regna maxima euertit Deus minimis consiliis: contrà, è priuata conditione multos ob virtutem ad maximum fastigium euexit. Ille solus omnia digito temperat. At mortalibus persuasum est, nostris viribus atque solertiæ omnia subiici. Quapropter minus malum est odisse sapientes & eruditos, quàm contempsisse: hoc enim vitium est cum maxima ambitione atque stultitia coniunctum: illud humanæ impotentiæ argumentum, aut tyrannis quædam. Non est quòd quisquam hanc mortalem nostram conditionem ex præsentibus metiatur, sed quàm perennis si, cogitet. Digna potiùs miseratione ac fletu, & multo calamitosior quàm belluarum, si sapientiam ademeris.

At

At si cum potentia sapientiam coniungat, supra mortalem statum euehitur. Itaque hæc duo hominibus summa studia esse debent, quamplurimum posse atque scire. Quorum causa Deus multipliciter nos instruxit prudentia, artibus, scientiis, disciplinis, literis, exemplis. At futurorum cognitio esse quid diuinius videbatur, quæ non solùm scire doceret, sed etiam potentiæ plurimum faueret: quamobrem eam in cacumine quarundam artium, & quasi pro ornamento earum collocauit, agriculturæ, medicinæ, nauticæ, militaris ac ciuilis gubernationis. Quid enim speciosius, quàm hominem videre velut sacrum quoddam oraculum, rectè de futuris prædicentem? seu nauis euasura sit naufragium, seu æger morbum, seu candidatus magistratum obtenturus, aut de tempestate aut alio euentu prædixerit? Verùm cùm non omnibus hæc genera diuinationum satisfacerent, sed solis his, qui disciplinis eiusmodi operam darent: multa quoque genera præcognitionis futurorum generalia indulsit diuina liberalitas, Astrologiam, Physionomiam, Chiromantiam, Metoposcopiam: sed cùm & hæ omnes solùm essent eruditorum virorum, placuit & quandam subministrare rationem generalem, quæ omnibus & omni tempore mortalibus communis esset: eámque nobis nulla arte subiicere. Verum ne ab omnibus contemneretur tam vulgaris disciplina, eam inuolucris quibusdam atque ambagibus ita implicuit, vt nec contemptoribus despectui atque irrisui, nec inertibus obuia, nec cupientibus ignota esset. Sic ille qui tantam molem, tam obscuras rationes temperauerit, & hanc disciplinam moderatus est, vt nemo superstitiosè eam amplectatur, sed ita de illa statuat, vt de quauis naturali disciplina atque humana arte. Quòd si superstitiosum est præscire futura & homini denegatum, cur licet medicis & nautis atque agricolis, prudentibusque militum ducibus illa prænoscere? Sin modus ipse damnatur, qui solus in sacris literis probatur, quisnam eo magis religiosus erit? At male licet huiusmodi disciplinâ vti, temerè credere, stultè fidere, perperam interpretari. Quænam ergo alia disciplina hac ratione periculosa non erit? nam & medicus occidere ægros, & iurisconsultus iniquè iudicare, & tonsor iugulare homines poterit. At non est (dicent) tam obuia errandi parata via illis, vt sceleri, ad scelus nulli præclusa est via. Satis est non pronam esse ad errandum viam: velut in diuinatione omni, præsertim somniorum, quæ per vulgus versatur. Sed falluntur. Omnibus errandi patet via: multiplices vbique sunt anfractus, & nos in obscuro vagamur. Sed est etiam vnum aduersus errandi pericula præsidium facile, certumque, quod si quis contemnat, non est quòd queratur: si amplectatur, non dolebit. Id verò est, vt cognoscat omnia hæc naturalia esse & cauenda & procuranda, non execranda & deploranda vt certa. Si domus fastigium corruat, si canis vlulet, naturale est vtrumque: sed quali animo excipitur, ità statuendum est. Considera vitam tuam, mores, facta. Sæpè hæc aut irrita sunt, aut monentis Dei. Si nascatur prunus in domo, expectabis fructus: non tamen semper fructus euenient: aut enim antequam floreat arbor, peribit: aut si durat, non florescet: aut si floruerit, fructus non succedent, velut nostris sycomoris: aut si ediderit, non maturescent: aut antequam maturuerint, fur abripiet illos. Ita & somnia naturaliter significant, quæcunque significant: multis tamen modis, quæ naturaliter significantur, impediri possunt. Enata est superstitio, ob necessitatem atque diuinitatem: quorum vnum nos eis adimimus, reliquum ostendimus adimendum esse. Sunt naturalia somniorum significata, & omni necessitate vacua: sed naturalibus causis coniuncta, non superstitioni obnoxia, non diuino quodam peculiari præcepto metuenda. Illud semper demiratus sum, quod mihi euenit de profitendi munere Bononiæ, nedum cogitanti: cum vno somnio sic monitus sum, vt omnino conditionem non essem accepturus: altero tanquam omnino admissurus: vt aliquando existimauerim esse eiusmodi diuinationem tanquam illius qui moneatur non de futuris, sed præsentibus tantum, coniecturam verò ex eis faciat futurorum. Sed cur hoc suspicari cogimur, cum iam palàm sit nobis, naturales causas ad futuros euentus coniecturalem facere notitiam. Quapropter cum nihil sit tam bonum, quo non quis malè vtendo sibi exitium parare soleat, seu opes, seu potentia, seu gloria, seu sapientia esset: ita nihil tam sinistrum, quo non feliciter vti possimus. Et quemadmodum medici ex venenis alexipharmaca, ex asperis mitia medicamenta componunt: contrà alij bona inepsè miscendo, intempestiuè admouendo, imprudenter tractando, magna incommoda & sibi, & suis parant: ita è diuerso, somniorum diuinatione quanquam naturali & obscura, atque ancipiti, si quis opportunè vtatur, non mediocre ad actiones humanas dirigendas auxilium sibi comparabit. Sin oscitanter, aut per incuriam, aut nimis curiosè, iacturam

ram potius quàm vtilitatem consequetur. Id ergo totum in prudentia & dexteritate vtentium constitutum est. Periculosum est fidere coniecturis. Fateor: sed quotusquisque est, qui non omnes suas actiones coniecturâ dirigat? Quamobrem melius est multis simul fidere, & cum iudicio: quàm paucis, & temerè, tàm firmioribus quàm exilibus. Eorum qui somniis fidem adhibuerint, neminem præcipitem actum aut vidimus, aut legimus: quemadmodum illorum maxima copia est, qui vel astrologiæ, vel alterius generis diuinationi operam dederunt, aut nimiùm in viribus ac potentia aut dolis confisi sunt: vel qui monita somniorum contempserunt. Verùm his hæc erunt propitia, qui res humanas rectè nouerint tractare, quorum non mediocris est numerus: & æstimare, quorum perquàm exiguus est. Magna solertia, magnis animi æstibus, magnis fortunæ successibus euehimur: moderari fortunam, tueri gloriam, nostram intelligere conditionem, non nisi eius esse potest, qui pro sapientiæ admiratione in omnibus temperat actiones suas, ducitque optimum quod tutissimum est atque honestissimum. Meditentur mortales, quot secula præterierint, quotque futura expectemus: quot claros homines secum illa inuoluerint, inuoluturaque sint. Solos hos eximet ab interitu, quos sapientum penna defenderit. Cogitent illud Poëtæ tam clarum:

Ereptum stygiis fluctibus Æacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus consecrat Insulis.

Alexandrum Magnum per tot egregia facta celebrem, ac orbis dominum, iam plus Aristotelis fama tuetur, quàm sua ipsius facta, aut gesta etsi inclyta fuerint. Ille enim in angusta domo, exul, in Chalcide obiit: hic tot gentium victor & dominus, in aureo & gemmeo throno mortuus sedebat. Fortuna Virtutis ancilla est, non Virtus Fortunæ: hæc enim in superficie hac exigua terræ, breui tempore nobis abblanditur, vt decipiat: illa verò se attollit in cœlum, caputque inter astra condit. Fortuna quibuscunque ætatibus reges nouos ac duces præstat; Virtus soles quosdam, sed diuersis temporibus nobis concedit. Quamobrem nescio quid infelicius sit, aut conari eos tollere, vel indignis æquare. Latè patet omnis beatorum sedes, angusta est hæc mortalitatis conditio. Non est arbitrij mortalium, quenquam ad supremas sedes euehere: hanc facultatem solus sibi delegit altissimus. Obstare, prodere, euertere, concessum est omnibus: vt non sit gloriosum quod commune non solum est cum reliquis animalibus, sed etiam cum plantis, lapidibus atque tegulis. Inconcussa est sapientum fortuna: & quanquam multis externis labefactari videatur, seu luctibus, seu iniuriis, seu contumeliis acerbitatéue dolorum: ipsa tamen non tangitur. Sed vt solis species obnubilari potest nobis, illo nihilo seciùs suum splendorem illustrem retinente: sic & optimorum atque eruditorum virtus, splendore proprio clara, innocentia stabilis, munita firmis geniis, afflata Diuino numine, illustris per ora virûm fulget. Quamobrem scite admodum laudatur Socrates à Cicerone: sed non tam scitè intelligitur eius sententia, nec quàm grauiter eam retulerit, cognoscitur. Id inquam scilicet, quòd Socrates, vt eius verbis vtar, (quandoquidem non sperem posse meliùs dicere Cicerone) ita in iudicio capitis pro se dixit, vt non supplex, aut reus, sed vt magister & dominus videretur esse iudicum. Itaque tibi, Vir Amplissime, tanquam ter beato, hoc Opus nuncupare statui: quod & nobilitate generis summa Bonromeorum splendeas, & virtute atque eruditione singula: cùm quia te & orantem & docentem ac disputantem, etiam in ipso iuuentæ flore, summa cum omnium admiratione audiuimus: tum verò prudentia amoreque erga studiosos insigni, ac Deorum dono ornatum splendidissimo sacerdotio, simulque propinquitate Pontificis Maximi intelligamus: adeò vt per te sperare liceat firmam cõcordiam inter Christianos, maioremque in religionis Christianæ cultoribus auctoritatem atque tranquillitatem. Et quæ in aliis pro max ma laude ac decore commemorari possint, in te vno ob summam omnium claritatem locum nullum obtineant: vt qui immortalibus dotibus conspicuus iam sis, mortalibus autem eminentissimus. Vale.

SYNESIORVM



SYNESIORVM SOMNIORVM LIBER PRIMVS:

Qui est, De generali tractatione & differentia eorum penes visa.

CAPVT I.

Somnia esse apud omnes gentes, leges ac sapientes accepta: & de eorum vsu, ac autoribus.

Somniorum interpretationem velut diuinitùs concessam atque vtilem, inter cætera verò diuinationem genera admirandam, leges omnes celebrarunt. Nam & in veteri Vestamento Iosephum Iacobi filium, & fratres & parentem & se potentem reddidisse, narrat Moses. Somnio moniti Reges, Herodis vim effugere: translatus Christus in Ægyptum, atque inde etiam domum reductus. Romani etiam hanc obseruationem non solum vt religiosam coluerunt, sed etiam inter munimenta Imperij posuêre. Mahumeti cultores & ipsi somnia obseruant. Sed & philosophi omnes, in aliis dissidentes, in hoc vnum genus diuinandi consensêre. Propterea etiam Aristoteles de eo scripsit. Socrates somniis maxima tribuit. Hippocrates, Galenus, vt nulli alij. Omnes viri graues id sensêre, immissam nobis futurorum cognitionem à diis immortalibus. Neminem puduit, se fateri somniorum interpretem, cùm alia genera diuinandi aspernarentur, ac etiam irriserint plurimi. Verùm ne miscendo falsa veris, & inania vtilibus, atque è re prædicendo, tanquam nulla arte opus sit ad interpretationem, aut etiam falsis vatibus credendo, plura admitterentur in populo flagitia: Moses vulgarem vsum, vt & plerumque aliarum periculosarum rerum, interdixit. Itaque vt nonnisi medicis medendi facultas est, & sacerdotibus diuina tractandi, & legum peritis iudicandi: ita non nisi sapientibus licere debet somnia interpretari. Etenim præter illud quòd nihil apud hos imperitos proficitur ex huiusmodi diuinatione, id etiam accedit, vt ars in contemptum, fallentibus responsis & re per ludibrium tractatâ, ducatur. Quod etiam euenit & Medicinæ, & Astrologiæ, reliquisque nobilioribus disciplinis, cùm à vulgo tractantur. Operæ precium igitur fuerit, artem peritis relinquere: tum ob difficultatem, tum ob nobilitatem. Cauendum etiam est, ne cùm Fati obseruatio hæc pars sit, in Fatum ipsum imprudenter cauendo nos detrudat. Equidem si illius interpretationem non vt Fatum, sed vt rem naturalem, signumque ac coniecturam accipiemus, non solùm futuri scientiam adipiscemur, sed vsum etiam, vt nobis prosimus: sin vt rem certam, & quæ mutari non possit, præter id quod vsum nullum habebimus, fallemur etiam in expectatione euentuque ipso: non quòd res ipsa dubia sit, sui natura: sed quoniam nostra cognitio cæcutit, vt maximè, in clarissimis rebus: neque enim magis in luce Solis quàm in vmbra videmus, sed deteriùs. Atque eo magis, quòd plura sint somniorum genera; scilicet monitorium, suasorium, deterrens: impellens: non autem solum oraculum & vaticinium. Itaque opus est felici naturâ in videndo, solerti ingenio in interpretando, prudentiâ non paruâ in vtendo eâ diuinatione. Id enim contingit omnibus præcipuis præceptis atque auxiliis, vt ex sinistro vsu homo periclitetur. Et longe magis æger ex rhabarbaro quàm prunis: & qui pietatem curat, in maiora incidit pericula errando, quàm qui negligit: omnia enim medicamenta tam sunt periculosa, quàm salutaria. Scripsêre autem de his Artemidorus Daldianus, & Nicephorus Gregoras, & Vrso. Et Salomon Iudæus, non ille rex, sed longè posterior: & Persæ atque Ægyptij, & Scituachan Indus: & præter cæteros, adhortatus est, non quicquam scripsit in arte, ad illius studium Synesius: ob quem etiam nos Synesiorum somniorũ interpretationem appellauimus, quamuis prorsus nil in arte scripserit: alij verò, præsertim Artemidorus & Iudæus, multa vtilia tradidêre. Sed cum methodo carerent, omnia inordinata, plurima confusa, & quæ sic vt iacent, accipiuntur, falsam artem ostendere videbuntur: quædam etiam prorsus falsa. Qua de causa libuit eam attingere, vt quàm diuina sit edocerem, & quàm ardua: admonentes (vt dixi) eos qui legunt, artem ipsam tantum esse periculosam errantibus, quantum vtilem rectè eam tenentibus.

CAPVT II.

De diuisione somniorum, & ordine tractationis.

Omnium somniorum veras, & reliquorũ quæ fiunt aliquas efficientes causas esse necesse est. Aut igitur causæ illæ corporeæ sũt aut incorporeæ: vtræque etiam aut nouæ, vel

antea

Quator igitur necesse est genera esse somniorum, Nouæ corporeæque sunt, cibi, potus: vt caput polypi, caules, cæpe, fabæ, & quæcunque caput petunt, & præcipuè atram bilem generantia. Sed iam paratæ, humores sunt: bilis enim flaua, ignes pugnasque decernit: atra, lutum, cœnum, funera, carceres, timorem: sanguis, iocos, amœna loca, sanguinem, purpuram: pituita, aquas, imbres, niues: est enim frigidissima. Incorporeæ autem præcedentes, sunt curæ, cogitationes, res memoriæ mandatæ, timor, spes, lætitia, tristitia, odium, amor. At nouæ sunt, quæ à superiore causa in animam illabuntur. Hoc autem esse, demonstrandum erit: nam de cæteris membris diuisionum omnes adeo conueniunt, vt hoc ipsū vltimū multi sub aliquo priorum trium collocare nitatur.

Quærere autem primùm oportet, quæ vniuscuiusque generis sint: atque ideo quæ vera, quæ falsa: nulla enim docent futura, nisi quæ à superiore immittuntur causa, & quæ ab humorib. fiunt. Inde, cur vera sint, docere oportet, quidque veritatis in singulis generibus contineatur. Deinde quæ idola sint, quæ interpretatione indigeant. In uisis etiam singulorum interpretationem explicare oportebit. Subiiciemus & modum habendi somnia vera. Adiicere oportet etiam, quando sit euentus futurus. Et cùm euenerit, quonam pacto ex somnio intelligere poterimus, à somnio id significatum esse. Disputabimus etiam, an liceat decurrere euentibus somniorum: & quomodo possint eiusmodi decreta, & quæ aliis diuinationum generibus præcognoscuntur, mutari aut prohiberi. Demum, cur quidam somnient vera, quidam vix vnquam. Et quando hæc tum ratione ætatum, temporum propriorum. Plura alia intermiscere licebit, sed hæc erunt principaliora. Est autem tota tractatio, vt visum est, sumpta vel à differentia rerum visarum, vel à modo videndi, vel differentia somniantium: quamobrem in tres libros diuidere necesse fuit. Quartus autem est selectorum somniorum.

CAPVT III.

De causis insomniorum.

Singulorum igitur generum causæ ita se habent. Eorum qui à cibis sunt, ac potibus, vt in ebrietibus fieri solet, causa est motus, qui fit à vaporibus exhalantibus ab ingestis. At enim visum est in libro de Animi immortalitate, somnum esse quietem spirituum, vigiliam autem motum illorum vehementem: insomnium autem, tremulum quendam illorum & imperfectum motum. Igitur insomnia omnia fiunt motis leuiter spiritibus. Vnde dum profundè dormimus, nihil prorsus somniamus. Omnia igitur genera insomniorum in hoc vno leui motu spirituū conueniunt: conueniunt & omnia in materia: est enim singulorum materia, recordatio visorum vel auditorū: namque nulla fiunt insomnia, nisi de illis: quocirca si contingat chimæram (gratia exempli) videre per somnū, licet non, contigerit chimæram vidisse, aut tamen pictam aliquam vidit chimæram, aut qualis esset, audiuit, aut saltem singulas illius partes agnouit, velut leonem & serpentem & capram. Quòd si quid etiam alienum viderit homo, vt ignotum quempiam, aut informem plantam, nihil aliud sunt hæc quàm deficientia, vel transposita: homo enim ignotus nihil aliud est, quàm homo cùm perfectè non deprehenditur: indicio est, quòd omnes homines, etiam notissimi, dum longiùs videntur, ignoti sunt. Ex imperfecta igitur cognitione ac transpositione mistioneque visorum, omnia insomnia constare haud dubium est. Vnde si infantes primis diebus somnia videre constaret, haud dubiè immortalitas animi nostri atque descensus ex beatis sedibus demonstrari posset: nam omne insomnium recordatio est, illis verò præsentium nulla potest esse memoria: omnis enim memoria cognitione quadam precedente fit, illi autē nihil iā cognoscunt eorū quæ sunt apud nos: quæ ergo viderint per somnum, si quid omnino viderint, alibi cognouisse necesse est. Sed redeamus ad insomnia nostra, quæ omnia & in efficiente causa, & in materia conuenire ostensum est. Efficiens enim causa est, motus spirituum moderatus: materia verò, memoria rerum visarum vel integra, vel vitiosa. Porrò esse diuersa genera somniorum constat: oportet igitur etiam causas esse diuersas; nam ab iisdem prorsus eadem omnino fiunt. Motus igitur hic moderatus non omnino ita ad amussim intelligi debet, vt hæc moderatio exquisitè sit indiuidua. Verùm si motus sit vehementior & perturbatior, tametsi moderati genere contineatur, fiunt insomnia perturbata, imperfecta atque confusa. Hocque modo duo consurgunt genera eorum: vnum quod à cibis est, estque magis confusum & imperfectum, remissius tamen: à cibis enim ac potibus dum non adeò constanter vapores eleuentur vt ab humoribus, fiunt somnia magis imperfecta, mutilataque, sed & magis obscura: quoniam vapor ille pinguior est, præcipuè si non desit vinum, quàm ab humoribus: non sunt tamen species adeò constantes, nec cum tanto impetu mouent, vt quæ ab humoribus excitantur. Quare somnia ex cibo sunt minus continua, & minus cohærentia ac ordinata: magis verò turbulenta & confusa ac varia, quàm quæ ab humoribus fiunt: vt contrà quæ ab humoribus, magis constantia, ordinata & cohærentia, minùs tamen perturbata variaque, & minore impetu, quàm quæ à cibis. Quæ verò cum minore perturbatione fiunt, & clariora sunt, sed quasi composita fiunt, coniunctis pluribus recordationibus: afficiunt autem magis per sonum ob id, per vigiliam autem parum. Cohærent etiā plerunque visis, aut auditis, aut imaginatis pridie, aut paucis antè diebus, aut etiam longo antea tempore. Et tunc seriem quasi rei totius referunt. Quæ autem ordinata sunt, & minimo cum motu spirituum fiunt, lenia, & sine vlla agitatione, à superioribus causis excitantur: plus tamē afficiunt animam, vt experrecta admiratione quadā detineatur. Cum itaque ex effectibus ad causas singu-

ecce quomodo anima vel mortalis, vel immortalis secundum sententiam Platonis ... putat Animas esse creatas in cœlo et postea in mundo demissas

las procedere liceat, necesse erit in singulis speciebus veritatem inesse. Si enim somnia cum magno motu turbulenta, varia, obscura atque imperfecta, parumque cohærentia videantur: dicemus, igitur & cibi præcesserunt, aut potus huiusmodi: contingit autem hoc quinque modis. Aut quoniam hi tales natura sint, vt dixi de polypi capite, caulibus cæpis, ozymo, & coriandro recenti, iunci fructus, solani fermè omnes species, scyoscyamam, mandragora, & vinum crassum & copiosum: generaliter autem omnia quæ somnum prouocant, & quæ atram generant bilem, vt legumina, & præcipuè fabæ. Aut ob multitudinem copiamque ingestorum, aut ordinem peruersum, cùm multi variique generis cibi eduntur, & potus varij commiscentur: aut si crudo cibo alius cibus adhuc superaddatur: vel si à cibo assumpto plurimùm agitetur. Similiter & in memoratiuis, si quid videas magis cohærens atque perfectum & ordinatum mediocri cum impetu, & illud verũ est somniũ, ostenditque huiusmodi res abũdare, quales sunt affectus: velut ex ira, cursu, pugna, ignibusque bilem: ex incendiis, cum timore ac furore, & obscuritate, terræmotu, fulgure ac tonitruis, bilem atram: ex fuga, cœno, carceribus, morte, luctu, tenebris, de speratione, melancholiam: ex inundationibus: fluminibus, pluuiis, tempestatibus grandine, niuibus, frigoribus, glacie, paludibus, pituitam: ex partis, iucundis habitationibus, sonis, voluptatibus, deliciis, pulchris picturis, odoribus suauibus, temperatam ac moderatum bonorum humorum quantitatitatem: ex amplexu mulierum, præparatione ad concubitum, osculis atque blanditiis, seminis copiam: ex sanguinis balneo, rosis rubentibus, purpura, vinoque sanguinis copiam adesse intelliges. Est autem præcipuum in somniis quæ ab humore fiũt, sæpius redire, & in eodem genere permanere atque consistere: in his verò qui à cibis & potibus, non nisi præcedente causa: in his à memoria fiunt, cùm (vt dixi) parum animum mouent, & plerunque mista sunt, præcesseruntque causæ similes: scilicet vehementes affectus, quos diximus esse septem scilicet timorem & spem, lætitiam & tristitiam, iram, odium, & amorem: nam & auaritiam sub amore, spe ac timore continetur, & reliqua omnia talia: inuidia enim vel ad odium, amorem, vel spem reducitur, cùm fuerit vehemens. Super affectus igitur omnia hæc & memoriam rerum visarum retrò acta illa eadem præesse ostendunt, suntque & ipsa vera.

Propterea omnia hæc ad præsentem non pertinent considerationem, quoniam non futura per se demonstrant, sed præterita solùm atque præsentia. Quod etsi quæ ab humoribus fiunt insomnia, morbos præmonstrent, velut docuit Hippocrates, nec non etiam morborum qualitatem: non tamen id per se agunt, sed copiam humorum demonstrando, verisimile est successurum morbum eius generis qualis est humor, maximè vitiosus qui superabundat. De his ergo tribus non est instituta tractatio. Veruntamen vt intelligamus vnde somnia illa diuina procedant, vlteriùs progrediendum in causæ inquisition trium horum generum tanquam notioru m Id quę est, quid moueat has imagines, maximè in somnio memoratiuo: nam in aliis duobus generibus est vapor vel à cibis, vel ab humoribus excitatus. Esse autem imagines (quoniam hæ, vt dictum est, materia sunt omnium somniorum) vel in corpore, vel in anima, vel spiritibus oportet. In corpore quidem simpliciter non esse possunt: quoniam plantæ & multa animalia memoria carent. In spiritibus non tamdiu memoria, velut eorum quæ in pueritia egimus, conseruari posset, fluctuante assiduè spirituum generatione: præterea in syncope magna ex parte dilaberetur, cùm tamen tota illæsa permanere soleat. Neque etiam in anima: nam perpetua esset, vt etiam vita. Substãtia enim animæ talis est. Est ergo memoria duplex: alia quidem vt actus primus, & est in corpore & animato, & cerebro, seu illius parte, indicio est, ex illius affectibus nonnunquam totam deperire; alia verò quæ est dũ contemplamur, & est visio imaginis à spiritibus eleuatæ, facta ab anima. Necesse est autem moueri spiritus, vel vt animam moueant, vel vt imaginem illam excitent: nam anima semper est in actu, atque ad contemplandum parata: spiritus autem non ita. Quicquid ergo spiritus intrò mouerit, seu vigilando, seu dormiendo, necesse est vt animam cognoscere faciat. Cùm ergo & in humoribus & in cibis causa motûs perspicua sit, huiusmodi somniorum origo etiam perspicua est: at in his quæ recordatione præteritorum fiunt, cùm nihil seipsum mouere possit, considerandum. Ex notis autem hæc ratio deducenda est: cùm enim, vt diximus, nisi ex vehementibus affectibus non fiant huiusmodi somnia, fateri necesse est spiritus non perfectè conquiescere in huiusmodi affectibus: cùm verò non conquiescant perfectè, non tamen adeò mouentur perpetuò vt excitent imagines: quare omnium horum somni leues atque exiles sunt etiam interim. Deinde velut in igne leuis motus sponte, dum calorem excitat, persæpe augetur: ita incalescunt spiritus, & exagitati magis ostendunt proximas plerunque conceptas imagines, atque ita memoratiua somnia fiunt. Quæ ergo à superiore causa contingunt, mouentur ab influxu qui à corporibus contingit cœlstibus: atque hic adeò ordinatus est, vt species in anima conuenientes effectui procreando eo ordine moueat, vt similem speciem effectui illi conficiat: velut si quia lapillos, plurimos habeat diuersorum colorũ ac magnitudinis: fitque adeò peritus artifex, vt quarumcunque rerum imaginem seu hominum seu animalium, aut plantarum in tabula ichnographiam repræsentare norit. Manifestum est autem primò, quod iuxta artificis maiorem peritiam, aut minorem, & iuxta lapillorum magis aut minus congrnentem formam, colorem, magnitudinem ac multitudinem, exactius aut minus exactè, nec non iuxta rei quam delineare intendit forma, magis notam & vulgarem aut minus, repræsentabit. Vt sint ergo tria, quæ differentiæ causa sint; constitutio

cœli

cœli valida aut imbecillis, res repræsentanda vulgaris aut rara, & imaginum copia & forma apposita ad rem referendam in anima somniantis. Ergo cùm hæc tria fuerint exquisitissima, fiet idolum: velut si cognouero hominem illum à quo vulnerari debeo, aut ei persimilem, vis cœli per idolum repræsentare poterit: aliter per diuersas similitudines, vtpote artis, vestium, nominis, illud idem ostendet: tuncque interpretatione opus erit. Porro causa motus spirituum tunc erit res corporea: corpora enim sunt, licèt exilia: ideoque à qualitatibus tantùm corporeis, non ab influxibus moueri possunt. Ostensum est autem in Medicarum disputationum libro primo, influxus hos incorporeos esse, non tamen sine corporeis qualitatibus ad nos descendere: calor igitur coniunctus influxui, spiritū mouet, & imagines illas influxui congruentes excitat, conficitque imaginem futuræ rei congruentem mirabili certè ac tenui artificio ideoque ordo hic ab humoribus, cibis, affectibusque immoderatis præcedentibus facilè impeditur, & longè facilius perturbatur: vbi verò quatuor illa concurrerint quæ dicta sunt, scilicet efficax influxus rei quæ demonstranda est: vulgaris noticia quædam, formæ & imagines in anima seruatæ, numero, magnitudine ac figurâ accommodatæ rei demonstrandæ, impedimentorum absentia, & quædam vacuitas (vt ita dicam) in anima somniantis, & quinta quædam conditio, nisi res expressa sit idolo, requiritur scilicet interpretandi peritia singularis quædam: nam descripta lapillis, velut plumis Indi bellissimè facere solent, alicuius hominis noti effigie, quidam statim qui sit coniectabuntur: alij tardiùs, & magna cum ratiocinatione: quidam etsi illum satis nouerint, nunquam tamen in animum inducere poterunt, vt ex illa figura eum hominem recognoscant. Vnde patet, quam naturalis sit hæc cognitio, quantaque vatis sit necessitas: neque melior vates esse potest, quam ipse somnians, si artem norit: quoniam idem imaginem & ichnographiam pulchrè ante oculos depictam habet, & rationem tenet accommodandi singulas partes figuræ visæ, similitudini rerum singularum, quas ipse iam nouit, & hominum & causarum ac negociorum, vnde facilè illi erit multa interpretari, atque in vnum reducere, quæ nemo alius quantumuis perspicax somniorum interpres dignoscere poterit. Talia igitur somnia vera sunt: & quoniam ostendunt incognita futura maximè, quæque & præsentia etiam, & præterita, quorum scientia ad negotia peragenda vtilis esse potest, in pretio sunt: & ob id de illis propriè tractare propositum est.

Gemmarum autem gestatio (nam pleræquæ ex his alia atque alia insomnia mouent) velut Eumetris: id est, bene moderatus & mensuratus, ad duplex genus reduci debent: quandoque etiam tertium continet. Mouent enim humores qualitatibus suis. Colorum etiam memoria excitat diuersas imagines: sunt etiam quædam quæ spiritum reddunt magis promptum ad excipiendas cœli imagines, conferuntque hæ solæ ad diuinationem: cùm reliquæ non secus ac curæ & prauus corporis habitus, non solùm non iuuent, sed etiam impediant diuinationem: idem verò de aliis lapidibus, & si quid aliud est huiusmodi, dicendum censeo.

Fuere verò qui somniorum causam esse dixerunt dæmones. Sed videmus plurima obscura esse, quæ si à dæmonibus immitterentur, talia non essent. Aristoteles autem in collimationem retulit. At si id essent pleraque insomnia idola: quæ enim collimat anima, recto in tuitu inspicit: at somniorum interpretatio plerunque ex obliquo deducitur.

CAPVT IV.

Vnde in somniis veritas.

CVm ergo in prioribus tribus modis veritas somniorum perspicua sit, quanto magis in quarto qui à cœlo originem ducit. Palàm est etiam diuina irrita non esse, atque in illis proprietates esse: quemadmodum in Herculeo lapide, atque sonis, aliisque huiusmodi. Experimenta etiam plurima clarorum virorum id comprobarunt: neque, vt dixi, somniorum veritas in dubium reuocatur: sed, an vlterius procedendo abdita detegere possint: at quid prohibet, si somnia quæ ab humoribus fiunt, illos esse arguunt, atque in corpore dominari, metuendosque morbos ob id, & cuius generis: vt non multo magis ac verius visis imaginibus causarum futurorum euentuum, cædis, proditionis, paupertatis, ne huiusmodi etiam euentus super uenturos ex illis causis intelligamus. Vnum tantùm superest dubitatione dignum, scilicet quonam pacto fiant somnia monitoria, quæ nos cauere infortunium docent, non venturum: quemadmodum Themistocli accidit semel duntaxat: mihi autem etiam sæpius. Existimandum censeo, si illa non sint ex altiore quadam mente, velut dæmonum (nam nec hanc causam sustulimus, sed non necessariam esse docuimus: illam verò naturalem necessariam esse, & in omnibus, vel saltem pluribus) aut etiam diuina prorsus naturaliter sic constare: constitutis causis inefficacibus, aut etiam ex Fati ordine effectum haud habituris, apparent imagines formidabilis rei. Porrò de huiusmodi quæstione suo loco sermonem longiorem facturus sum.

Constat igitur verum hoc esse genus somnij, tum ex his, tum quia cùm desint aliæ causæ, humorum copia atque ciborum, mentis quoque tranquillitas, & tamen mira ac magna videamus, necesseque sit cuiusque effectus aliquam esse euidentē causam, palàm est cœlestem, non aliam vllam esse oportere: atque hanc propriè, & vt principalem, & vt perfectiorem natura intendit: alias verò necessariò. Nam humores & cibos spiritus agitare, & commouere visiones atque insōnia necesse erat. Memoriam quoque præteritorum agitare mentem: & vt inquit poëta,

Exercent rabidam truculenta insomnia mentem.

Quare stultum est credere, si etiam in his imperfectis ac vitiosis causis & veritatem & vtilitatem

vtilitatem natura collocauit, in tam præstanti origine nobilique genere somniorum non adesse præclaram vtilitatem aliquam, & euidentem veritatem.

Præterea nullum genus rerum, non hominum, non animalium, cùm ad illorum mores respicis: non plantarum, cum ad generationem earum: nec lapidum, si ad vires animum conuertas: non elementorum, non siderum diuinitatis expers videtur. Itaque cùm animalibus, tum maximè hominibus, duo tempora dederit, vigiliæ ac somni: in vigilia, quæ sensilibus mancipata est, tot appareant diuinitatis argumenta, in somno dum quiescit, dum diuinis magis vacat, nullum maius esse quàm in vigilia artificium & argumentum diuinitatis, proximum miraculo esset.

Est etiam illud argumentum insigne veritatis somniorum, quòd paulò antè insignes mutationes seu fortunæ seu morum, accidunt insomnia id declarantia: quamuis fortuita sit ea mutatio, aut saltem non meditata. Planè & illud insigne est indicium veritatis illorum, quòd quæ hîc à nobis methodo inuenta sunt, ab his quæ ab aliis experimento sunt tradita, ne lato quidem vngue discrepant: cum fieri non posset, si vera ars non esset, vt adeò ratio experimento congrueret, tam generaliter: atque eo maximè, quod hanc methodum nos nondum lectis illorum libris conscripsimus. Vbi verò eam extruximus, omnia conuenire deprehensum est. Quis ergo dicat, tot experimentis, totque illorum interpretationib. satisfieri hac vnâ ratione potuisse, ni & ars vera esset, & sic rectè inuenta ratio interpretandi, traditaque? Insomnia etiam multa nobis contingunt de his de quib. non cogitauimus: & tamen adeò ordinata, vt in humores referri non possint: tum præsertim quòd ad actiones potiùs pertineant, resque alienas ab humorum significato. Vbi etiam extrema qualitate quadã naturæ generis non repugnante participare sensu deprehendimus, id conuenire toti generationi certum est: velut sol calefacit, & hyemem facit, mutatque aërem, & causam præbet generationis ac corruptionis: igitur illud idem facturus est, licet non adeò sentiatur in temporibus mediis. Cùm ergo sapientum & egregiorum virorum, & in maximis difficultatibus, & sub morte, & ante prælia, somnia vera esse videamus: existimandum est totum hoc genus verum esse, licet haud adeò videns in humilis conditionis hominibus atque imperitis, minoribusque negotiis. Ergo non ob aliud in dubium reuocatur certa prædictio somniorum, quàm quòd plebs non nouit illa tria prima genera ab hoc quarto distinguere: quod qui facere nescierit, necesse est ei vt omnis somniorum natura fortuita videatur. At qui perfectè distinguere norit, perspicuè intelliget, prædictionem ex somniis huiusmodi totam verissimam esse, ac propè diuinam: quòd hoc argumento planè perspicuum est. Nam cum multi sint, quibus totâ vitâ somnia fermè semper vera visa sint, in nullo alio genere fortuitorum neque tamdiu, neque etiam toto anno collimare contigerit fortunâ vel casu, licet coniectura & solertia non absurdum sit: palàm est, somniorum præscita non solùm vera, sed à naturali causa, vt plantas reliquaque naturæ opera, ortum habere: vnde etiam ὄνειρον somnium è Græcis appellatum est, ab ὂν quod est verum, vel quod est: & εἴρειν loqui. Iam igitur illa distinguere doceamus.

CAPVT V.

De cognitione verorum somniorum.

CVm omnia quæ ad nos perueniunt, naturaliter ex sensuum cognitione habeantur, tum maximè hæc distinctio ex illis oritur. Ratio tamen plurimum potest atque adiuuat ad huiusmodi cognitionem, tum distinguendo, tum disserendo. Sunt autem signa quædam propria, quædam communia, quædam coniecturalia. Propria quidem ab Auerroê duo sunt connumerata: quorum primum in somno, secundum in vigilia dignoscitur. In somno quidem, cùm verè videre, vereque audire nos videmur efficaciter, perfectè, distinctèque: in vigilia autem, cùm anima quasi admirata remanet: hoc enim causæ somnium efficientis robur ac constantiam declarat. Ex communibus ab hominis natura, ætate, actionibus, moribus, consuetudine, tempore, anni constitutione, modo somnij, causa, hora. Naturâ ergo vera vident somnia, qui rariùs somniant: falsa, qui assiduè. Aetate autem, iuuentutis, pòst senectutis: nam puerorum somnia inconstantia sunt, & plerunque falsa, & de minimis. Quicunque etiam magnis in actionibus versantur, ac negotiis, cibi ac potus contemptores, nec metu nec mœrore turbati, veriora vident: contrariis autem modis effecti, falsa. Eaque de causa principum somnia veriora sunt. Moribus quoque veraces, pij, somnia vera habent. Qui etiam non adeò pij sunt, sed crudeles, verùm haud fallaces, vera somnia vident: superstitiosi, minùs. Consuetudo quoque, vt in reliquis, tamen in hoc plurimum potest. Qui ergo consueuêre somnia vera videre, his etiam plus credendum est qui verò secus, minus. Ex anni etiam temporibus æstas & hyems: quia magis constant, veriora habent somnia: ver autem & autumnus, cùm in mutatione quadam consistant, minimè: sic & tranquilla tempora ad veritatem somniorum iuuant: venti autem, irrita: & quantò acriores, èo magis illa reddunt. Somnia præterea breuia & ordinata, veriora sunt: sunt enim euidentiora, & à causa magis constante fiunt: neque enim ab humore vel cibo, vel rerum agendarum meditatione somnia ord nata fieri possunt, nisi vt meditatus es. Somnia quoque somniis connexa, vera sunt: & quanto diutius eorum disiunctio permanere videtur, inde continuari, eò sunt firmiora. Quæcumque, etiam in ortu Solis, & ante aut post, ad tertiam vsque horam, veritatis expertia esse non possunt. Sed & quæ prope meridiem & Solis occasum. Sol enim autor est verarum & constantium rerum ideoque cùm prope angulos fuerit,

fuerit, veriores reddit imagines. Quorũ etiam genituris Iupiter, & magis longè Venus præfuerit etsi in nono loco fuerit: & cùm Luna prope Mercurium fuerit in Ariete, Libra vel Leone, à Sole defluens, & domina loci significantis opificiũ, eorũ somnia fermè sẽper vera erunt: id est, paucis ex his quæ ab humoribus vel cibis vel recordatione proficiscuntur immista, atque adeò perspicua & clara, vt veritas illorum planè intelligatur. Ex coniectura autem: quæ solicitis ob impendens periculum adueniunt, vera sunt, quasi Deus nostri misereatur. Et si congruant quæsito ad vnguem, aut rebus tractatis. Et terror excutiens hominem à lecto, vt Cæsari pridie quàm occideretur contigit, & conditio quæ adimpletur statim à somno, cùm præter cogitationem fuerit, verorum somniorum & certissimorum sunt indicia. Demum caruisse cogitationibus, à cibis abstinuisse, nihil iampridem de pristina consuetudine immutasse, animo quieto atque pacato esse, superueniente immoderata visione, argumentum est verioris somnij. At si mendax sit somnians, si quid pridianæ actionis somnio immiscetur, & obliuio, & esus ciborum insomnia mouentium, & croci maximè, irrita reddit somnia. Distinguere autem diligenter decet in cogitatione: nam negotio vt congruens somnium, vt affectui simile, variam habet significationem. Quanto ergo cogitatio leuior est, & affectus, res ipsa autem quam tractamus, pronior ad finem, tantò somnia sunt veriora: contrà verò, magis inania. Velut si optem prædium emere, necdum tamen quicquam actum sit: somniem autem emisse, irritum est: at si proponatur de emendo prædium, res vltra processerit: somniem autem boues alere, aut à matre stipem emendicare, aut panibus impleri: hæc significant, me empturum prædium. Quocirca & illud dubitatione dignum est, quod cùm directum somnium plerumque sit vt emere, vxorem ducere: idolum autem verissimum, vnum ab altero distinguere opus: docebitur autem suo loco. Sat sit nunc intellexisse, somnia quæ obliqua uia & imagine demonstrantur, & quæ negotio multum, affectui parum congruunt, veriora esse: contraria, falsa. Sed & quæ miscentur vanis actionibus, commercio detegunt falsitatem: vt si somniem me regem esse, inde cum pueris ludere: tametsi enim nihil tam sit vanum quod somnium non deceat, cohærere tamen debent personis actiones, cum quibuscunque etiam nihil neque vigilantibus neque somniantibus succedit: & si euentus rerum etiam inanes sunt, vt visio maris, aut verba, omnia talia in irritum cedunt, vocanturque experta inania: sicut contraria, experta simpliciter. Et scias, quòd somnia simplicium virorum & imperitorum plerumque veriora existimantur: quia anima purior est, ac minùs impedita.

CAPVT VI.

De vtilitate ex cognitione somniorum.

ERgo vbi somnia vera dignoscere longo vsu & breui temporis spacio diceris, non leuem aut vulgarem vtilitatem consequêris. Quòd & si interpretando aberrare contingat, minor erit erroris iactura tanto, quanto minus temporis in hac disciplina atque impensæ exigitur. Verùm reliquis in omnibus cæteras huius argumenti artes antecellit: nec enim primò tot libros postulat, aut scientiam atque notitiam aliarum disciplinarum: sed sufficit vt numerare noris, vt Thrax: grammaticæ peritus, vt miles: philosophus, vt Hebræus: medicus, vt Sarmata: Theologus, vt Lapo. Non huic obstat arti pauperies, seruitus, vincula, peregrinatio, morbus, exilium, sexus, ætas, præterquam infantia: non humilitas parentum & stirpis, non ignauia, non ira regis, vix stultitia propria obsta. Nec melius in hac causa, quàm Synesius eam laudare norim: inquit enim: Cùm tam popularis sit hæc diuinatio, humanissima est: quòd simplex & paratissima, maximè philosopho digna censeri debet: quòd non violenta, pia: quòd demum vbique & sine ceremonijs eam consequamur, diuinissima est: comitatur nos hæc scientia peregrinantes, nauigantes, militantes, rusticantes. Sed neque legibus prohiberi potest, aut tyranni minis. Quis enim est, qui si seipsum non prodat sponte, habeat quo detegi possit, aut metuere cogatur? Fuit Mathematica & Necromantia Astrologiaque, tum reliqua diuinationum genera, exitialis autoribus suis: hæc semper tuta, quòd nullo ministro, nullo opificio indigeat. Quin si quis velit in duas regulas, quas inferius describemus, eam redigere, possit. Quòd si ad quatuor, duab. superadditis erit illustrior. Habet & id præ cæteris dignitatis hæc sola, quòd in anima & ab anima cuncta habet, originem dico, nec non sedem, vnde fit vt etiam sola certissima sit: & ob id etiam leges nullius diuinationis, quàm huius, inter artificiosas meminerint. Nullum exemplum inuenies apud Christianos, Iudæos aut Mahumetanos, vel Astrologiæ, vel auspiciorum, vel aruspicinæ, vel Physiognomiæ, vel alterius, multò minus diuinatoriæ disciplinæ: sed somniorum solùm. Antiqui verò idolorum cultores tametsi alia genera diuinandi excoluerunt, hoc tamen somniorum, etiam cum habere licuit vt certissimum, cæteris vsi sunt, cùm somnia non liceret habere: neque enim cùm volumus per somnia diuinare, vt per alias artes, licet: quòd solùm incommodũ habetur in hac disciplina: verùm multis è diuerso commodis compensatur. Ergo quid diuinius, quàm futura naturaliter scire? & quòd multæ disciplinæ in paucis habent, ex hac vna habere in omnibus? Medicina de vita & morte, agricultura de prouẽtu frugum & fructuũ, nauigãdi ars de trãquillitate & tempestatibus, physiognomia de moribus prædicere naturaliter possũt: Somniorũ

disciplina de omnibus. Quocirca & præsentibus & futuris commodius vtitur. Præsentibus quidem, & scientia futuri, quæ propè diuina est, & ipsa expectatione: nam in bonis, gaudet futurorum spe: in malis, quòd tunc non interim premitur. At in futuris plus etiã longè vtilis est: bona enim auget, & approperat: mala persæpè auertit, si non minuit: aut saltem lenit, certè tolerabiliora efficit, tum consilio & meditatione, tum quòd neque casu (quo solemus fortunam accusare) neque hominum improbitate, (quod acerbum est) neque nostro errore, (quod molestissimum) sed diuina voluntate accidisse cognoscentes, tolerabilem iacturam illam facimus. Equidem vt ad exempla deueniam, omissis iis etiam quæ de Synesio & Iosepho, Sylla & Augusto dicturus sum suo loco: quantum existimas profuisse Cæsari somnium, quo de dominatione patriæ admonebatur? quantum Septimio Seuero suum, quo Imperio summam adeptus est felicitatem? Quantum Themistocli suum, quo mortem acerbam monitus deuitauit? Nobis sanè plus profuerunt illa, quàm astrorum peritia: quamuis astrorum peritia multis annis hanc quam nunc habemus de somniis scientiam præcesserit. Equidem serò nimis ad illam peruenimus, quòd à nemine tradita esset. Quæ enim ab aliis scripta sunt omnibus ante nos, nec methodo aliqua constant, nec limbum diuinorum somniorum attingunt. Est enim diuina hæc scientia prorsus, & claustris profundissimis abdita: nisi si cui Deus velit apertè illam demonstrare. Itaque & hanc, vt alias artes plurimas, inuenire me oportebat, & moneri: sed moneri, cùm nescirem, vt artem intelligere suo tempore possem: & nunc non moneri, cùm intelligo: desierunt enim somnia maiore ex parte, solæque imagines apparent fermè, ne nunc vel aliàs decreta Fatorum) arbitror) abrumperentur. At quæres: quonam pacto à Fato deuiare liceat? vtique & hoc ad libros de Fato spectat. Sed cum ea series vt in speculo, ita in nostra anima reluceat, futura & præsentia & præterita videntur: at præterita præsentiaque emendari aut corrigi non possunt: futura sic videntur, vt obumbrent nos: velut si quis ictum intendat, videns vmbram illam & aberrare, cùm hoc potest, & vulnerare: ita etiam vmbra Fati & causarum cœlestium apparet in anima ipsa, non ictus, sed teli vibrationis, & excussionis. Certè neque magnitudo adest, nec finis, nisi in paucis: velut etiam in humanis casibus: quosdam enim vitare licet, & facile: quosdam difficulter: alios declinare, licèt lædaris: in quibusdam succumbere cogeris. Id ergo tibi nunc satisfaciat, non vulneris imaginem videri in somnis, sed vmbram excussi teli, quod & vitare potes plerumque, & raro deuitatur, Seu, quoniam si multo antè videantur, non deprehenduntur, nec sciri possunt qualia sint, nec vnde veniant; velut qui in suam necem conspirari intellexit: cùm verò propinquus est effectus, dignoscitur sanè periculum, sed circumstantibus vndique hostibus, atque imminentibus, celeritate ac propinquitate illorum, & periculi magnitudine, plerunque deest consilium, atque obruimur. Ideò euadunt maximè sagaces multo ante, & qui procul inspectis bene consulunt, & qui prompti in ipso periculo celeriter & bene deliberant. Plurimi etiam periclitantur ignorantia interpretationis somniorum, vel negligentia, vel contemptu: Fato, quod ad hoc attinet, (vt dictum est) nulli: quoniam non effectus somniis, sed causæ illius etiam in idolis ipsis demonstratur.

Est igitur hæc disciplina in genere coniecturalium, qualis est medicina, agricultura & ars nauigandi: tametsi propiùs aliquæ longiùs ad scopum accedant. Quòd si quis hoc præsidio prudenter vtatur, non mediocrem rebus accessionem facturus est. Sin autem imprudenter & temerè, non minorem iacturam, quàm etiam infamiam consequetur. Quid enim verius oraculis Delphicis? quæ tamen perperam interpretando, maxima quibusdam mala attulêre. Sed & medicina, & ars militaris, & natandi, quamuis per se bona sint, multis exitio fuêre. Quanto magis in coniecturali genere cautè versari oportet? Si quis tamen, vt dixi, potiùs dirigat ad actionem, quàm ad prædictionem, huiusmodi cognitionem atque interpretationem sapientissimus existimabitur, & felicissimus procuratorum ordine erit. Velut medicus prudens, cùm crisim instantem agnoscit, non eam prædicit, sed potiùs à cibo abstinet, & medicamentis ac sectione venæ, ægrum, loco calido collocat. Et nauta, cùm imminentem procellam animaduertit, vela demittit, anchoras parat, ad portum reducit nauem: vel si non licet, in altum. Et rei rusticæ peritus, cùm pruinam timet, arbores non putat: & si imbres, semina non serit, cauens ne putrescant. Ita non solùm bona noscere oportet, sed etiam illorum conuenientem vsũ condiscere. Neque pœnitebit huius disciplinæ: nec in ea tradita damnabis, si omni φιλαυτίᾳ carueris. Curabis autem ne in vulgus huiusmodi prodeant, sed solùm sapientiæ amatoribus: nec his qui per vanitatem irrident tanquam sapientes, quæ non probant: neue curiosis, qui multa somnia vident, ac pleraque inania, communicare talia decet. Rectè etiam faciet interpres, si non sine præmio atque eo non leui, operam suam locabit: quippe præmia artes honestare solent. Felicis autem occasionis est, in eos incidere qui raro somniant, & euidenter: horum enim somnia vera sunt: vt contrà infaustum, qui plurimùm & assiduè multaque vident somnia nec euidentia, nec cohærentia, quæ etiam ferè omnia vana sunt. velut enim agri, ita animi: illi enim luxuriantes, multas alunt herbas, atque inutiles: vt contrà culti raras, & certo ordine dispositas, omnesque vtiles.

CAPVT VII.

De sua cuiusque prouidentia.

Consulit Synesius, vt quisque sibi peculiarem artem statuat, describendo somnia, quibus diebus horisque euenerint: tum

quæ

quæ conuenientia illis euenerunt, & quibus temporibus: hæc obseruando primùm, vt genera somniorum animaduertamus, & quæ generaliter per illa significentur. Secundò, vt magnitudinem effectus: dicemus enim infrà, maximum esse artis principium, magna à paruis scire distinguere. Tertium, vt tempus euentus pernoscamus. Ex his enim tribus facile erit, euentus somniis illos significantibus accommodare. Dicemus autem propriè de his in tertio libro. Nũc id necessarium existimamus, ob id quod non eadem idem apud omnes significant: tum verò ob propria, quæ videntur. Veluti in generalibus, cum oculus significet scientiam & filios: in eo qui non habet, nec potest suscipere filios, scientiam proculdubio significabit: atque hæc ex arte palam. At verò ex obseruatione, si cui filij sint, tum artem ac scientiam oculus in illo significabit. Specialiter verò, in aliquo nec scientiam omnem, sed (gratia exempli) si quis medicinam exerceat ac doceat, semper doctrinam, non exercitationem; in alio autem contra exercitationem, non doctrinam, perpetuò significabit. Mihi quidem amicus Prosper Marinonus Papiensis semper significauit, munus profitendi in ea vrbe: alij autem, etiamsi professor sit, non idem significabit. Vnde quæsitum iure, cur non eadem idem omnibus significent? Dictum est superius, quoniam vt qui descripturus est ichnographiam equi, in vno cumulo cogetur vti capillo albo, in alio viridi, in alio cæruleo, vt melius totam figuram & quam vult repræsentare similem reddat: ita ex formis imaginibusque in anima seruatis, idem vni vnum, alteri aliud referet. Quantam verò vtilitatem hæc specialis doctrina allatura sit, si vltra generalem adhibeatur atque constituatur, vnicuique clarius esse puto, quam vt à me dicatur.

CAPVT VIII.

De cognitione temporum, in quibus futura sunt expectanda.

Horum igitur causa præscire oportet tẽpus futuræ rei per somnium demonstratæ: hoc autem ex tempore generali, ac speciali natura somnij, & qualitate rei visæ. Primum distinguere oportet somniorum significata: quoniam quædam futura, quædam præterita, quædam præsentia significant. Quæ quidem ante ortum Solis, futura: quæ in ortu Solis, præsentia, instantiaque: quæ verò post, præterita aut præsentia. Præsentia intelligo, quæ eadem die, vel non vltra septimam diem ventura sunt, ita tamen vt origo effectus ab eadem die initium sumat. Aduertendum tamen est, multa esse præterita, præsentiaque, quæ futuri retinent naturam. Velut si quis familiarem admittat in domum, à quo aliquãdo sit occidendus, poterit hanc necẽ vel vt præteritã videre: quia iam causam in domũ admisit: vel vt præsentem, quia retinet: vel vt paulò post futuram: quia paulò post vel illud cogitabit, cùm eo consilio in domum non venerit iam, aut socium sibi destinabit, aut aliquid molietur, vt arma parare, quamuis etiam in triennium scelus id dilaturus sit. Somnia ergo cùm ad diuinationem pertineant, diuinatio autem sit de naturaliter obscuris, obscura autem naturaliter solùm sint ventura, quæ à nullo mortalium, sed à Deo solùm verè præcognosci possunt: propterea somnia ad futura referuntur. Est tamen præstantis vatis id agnoscere, an causa iam sit orta, an oriatur. Imò quod verius est, nulla fermè fiunt somnia, nisi iam causa orta: neque enim Socrates vidit olorem significantem Platonem, eiusque diuinum ingenium, nisi postquam pater Platonis illum ad Socratem deducere distinauit: ob id nocte antecedente Socrates vidit somnium: quod si ad initium disciplinæ referatur, fuit ante illud: sed si ad initium quo pater illum ei disciplinæ destinauit, fuit post: adeò vt si etiam ad dæmonas somnium referatur, non præuidere illos prorsus futura necesse sit: sed intelligentes quæ tractantur, successumque ex origine cognoscentes, docent quæ futura sunt. Itaque optimi vatis est, vt dixi, intelligere quo in statu causa futuri euentus per somnium demonstrati sit: scilicet an orta nuper, an multò antè, an iam coalita, an verò prope finem: sic enim facilè etiam coniectabitur tempus futuri euentus: nec solum id, sed qualitatem effectus, & quæ illum circumstant: vtpote magnitudinem, qualitatem propriam, exitumque rei, & causam, originem atque principium. In quo autem hæc demonstrent, in libris de Subtilitate dictum est. Temporis autem magnitudinem futuri aut præteriti, coniectabimur ex tempore quod imaginamur fluxisse à fine insomnij, ad momentum in quo experrectus est. Significat autem in omni differentia temporis breue aut longum interuallum, quod vltra annum non extenditur: & si soluitur in somnio, ipsa die fiet. Sed si multo ante vel post ortum Solis, causam tunc inchoare significabit, aut tum perficietur aut detegetur. Spatium igitur illud ad totum somnium, velut ad annum referendum erit. Spatium verò ad ortum Solis, post quidem iuxta sex horarum spatium totam præteritam vitam referet: antè, earundem comparatione futuram. Vindemiarum tempore si quis aliquid facere videatur: quoniam præfinitum est, illud in eo tempore faciet, licet tempus in quo videt non sit vindemiarum: idem dico de aliis temporibus constitutis. Quæ etiam videntur, quo tardius futura sunt, & minora sunt, minus euidentem faciunt impressionem: & cum tardiùs moueantur (siquidem motus rerum, quanto magis distant, eò magis lentus videtur) parum sentiuntur. Quæ verò magna sunt, & breui futura, magnas efficiunt imagines: & quæ bene videntur, & celerem in eis motum diiudicamus: quamobrem hæc citò ventura, illa serò expectabimus. Dico autem celeriter ventura, quæcunque imagines magnas habent, & propinquas, & quæ celeriter mouentur, & nos plus afficiunt: contrarias autem tardè.

Quod verò ad qualitates rerum visarum, manifest

manifestum est quòd quæcunque iam inchoatæ sunt, celeriùs perficiuntur: atque celerrimè, quæ iam proprio cursu prope finem sunt: contrariæ verò, tardè. Et quæcunque naturaliter motu celeri mouentur, iis quæ tardè celerius etiam perficiuntur. Et iuxta etiam naturam somniantis, & ætatem, ac reliqua: vt in opulentis atque potentibus. Et quæcunque suum habent tempus constitutum, vt magistratus annui, & olim etiam ex Romanorum more sub anni initio: quòd si somnium approperare videtur, causa solùm tunc initium habebit, res ipsa differetur. Quòd si somnium serius indicet quod differri non potest, serius obtinebit, etiam præter consuetudinem, vt nonnunquam fieri solet. In vniuersum, somniorum tempora sunt, aut præsens, vel paulò post, aut multò post futurum, aut præteritum, aut statum tempus: annos autem vel menses aut dies dinumerare fas non est, nisi cum verba aut signa peculiaria numeros declarantia accesserint. At sunt qui petant auxilium ex Astrologia: veloces enim euentus, cùm Luna celeriter mouetur: commutationem, cùm fuerit in signis mobilibus: stabilitatem & tarditatem, in contrariis: similiter coniuncta Saturno & Ioui, tardè: Veneri: & magis Mercurio, celeriter: Marti autem veloci mala velocissimè: tardo autem bona serò. Sed hæc extra artem. Iuxta tamen solstitia immutabilia, & tardè iuxta æquinoctia mutabilia, & celeriter aduenient quæ significantur, Si verò stabilia iuxta æquinoctia videantur, aut mutabilia iuxta solstitia, iam hæc serò, illa cito euenient. Atque hæc ex arte: quoniam solstitia & æquinoctia etiam vulgo per se nota sunt.

et hoc est somnia per somnia explanare, idest obscurum per magis obscurum.

Quæcunque etiam in calendis Ianuarij, vel in die natalitio fiunt, intra annum finiuntur, Et si in calendis mensis, aut in ingressu Solis in signum aliquod, intra mensem vnum. Et si in ipsa die solstitij vel æquinoctij, intra tres menses. Et si in hora oppositionis Lunæ, aut coniunctionis, intra quindecim dies: & si in ortu Solis diei Domini intra septem dies. Et si in initio magistratus, aut ingressus nouæ domus, aut habitationis in externa regione, aut nauis ingressu, vel quocunque alio initio, vt generaliter dicam, ante finem illius negotij effectum suum sortietur. Dies quoque diuini & immutabiles (vt, dies natiuitatis Domini: & trium Regum, qui etiam arcana magna significat: & Salutationis virginis, qui etiam admiranda prædicit somnia) fatalia & magna efficere solent, atque ad anni alterius reditum euentus suos extendunt: eoque toto tempore, & post etiam ad vitæ finem in omnibus quæ eo somnio declarantur negotiis, quæque eo anno ex his inchoarunt (necesse tamen est, omnia per illud somnium significata eo anno inchoare) maximam efficaciam retinent. Dies autem Resurrectionis, quia mobilis est, eadem significat: sed mutata rerum forma, vt ex vna vitæ ratione in aliam transeat, vel etiam mutationem ipsam docet eo anno futuram, non nouum additum negotium præsenti vitæ. Idem de festis diebus Diuorum patriorum, aut nobis propitiorum, seu antecedant, seu subsequantur.

[illegible] ac vanitate [illegible] Impietas et superstitio —

CAPVT IX.

De modo habendi vera somnia.

CVm in omnibus rebus quiddam sit melius ac deterius, & quod conducit ac nocet, necesse est etiam in huiusmodi idem contingere. Quæcunque igitur impedimenta amouent, somnia reddunt veriora. Sunt autem impedimenta alia quidem animi, alia corporis: & quæ prohibent somnia: alia verò quæ illa conturbant. Conturbantur autem ab his, quæ somnia alterius generis ostendunt. Cibi ergo & potus, & Venus immoderata & præter ordinem, & flagitia, & perturbationes animi, atque molestia, & præcipuè vinum, sunt ex his à quibus cauere oportet. Supplicare quoque Deo, vt in quarto de Secretis, oportunum est. Dicuntque tres res plerunque videri: quæ si albæ sunt, bene se habere negotium significant: si nigræ, malè: si partim albæ, partim nigræ, aut meliorum colorum, pro qualitate colorum & dominantium iudicabis. Et deferre gemmas, quæ somnia non impediant, tranquillitatem tamen animo afferant, & vanitatem explodant, bonum est: velut Adamas, Saphirus, Smaragdus, Amethystus, Hiacynthus. Refert Plinius, Eumetrim gemmam esse filici persimilem, in Bactris natam, quæ capiti supposita, somnia vera ostendat. Ego certè formа talem habeo, & quæ multa ostendat, & læta somnia: vera autem minimè, vt arbitror. Existimant Nicolum (de quo in libro de Gemmis egi) vera ostendere somnia. Sed ab incertis abstinere oportet, vt etiam cibis: quæ enim impediant, multa sunt, & vbique in promptu: quæ autem iuuent, rarissima. Quare tutius est, ni modò expertus sis, aut efficax aliqua ratio id suadeat, abstinere. Porrò purgare caput elleboro, haud malum est, nec negligendum. Artemidorus autem existimat nihil agendum, quod ad impetrandum à diis valeat: quandoquidem huiusmodi sint dona gratuita quæ extorqueri non debeant, maximè à diis. Nos autem, cùm illorum aut omnium, aut maioris partis causam naturalem esse docuerimus, & procreanda si non veniant, cùm opus habemus, absurdum non arbitramur. Et verrere (vt ita dicam) domum: id est corpus ab humoribus ac cibis & potibus atque Venere purum habere, & animum à perturbationibus, bonum esse atque vtile non parum existimamus.

CAPVT X.

De generali somniorum distinctione.

SOmnia quidem quæ abdita nos docent, alia quidem simpliciter ea ostendunt, vocanturque Idola: alia autem artificiosa coniectura

iectura opus habent, vocanturque insomnia, seu visa. Ambo hæc genera licet de iisdem: Idola tamen cùm idem per idem demonstrent distinctione opus non habent. Quæ ergo visa dicuntur, octo sunt generum: alia enim de vitæ longitudine ac breuitate docent, atque mortis generibus: alia verò de valetudine: quædam animi affectus præcipuos demonstrant: quinam sint, suo loco docebimus. Quædam ostendunt corporis calamitates fortuitas, luxationem, vulnera, verbera, casum, percussionem, ictum, morsum. Quædam alia operationes voluntarias artium exercitationem, concubitum, rixas, peregrinationes, nauigationem, conuiuia. Atque hæc quinque in nobis. Extra nos autem: opes primùm, & honores ac dignitates: demum filij, parentes, fratres, ac familia tota cum amicis: nec vllum esse quæsitum potest, quod non ad aliquod horum generum pertineat. In vniuersum igitur iam quatuor diuisiones somniorum explicauimus, à causa scilicet quadruplicem: ab humoribus, cibis, memoria præteritorum, & à cœlo: à modo repræsentandi idola & visa: temporis differentia, præterita, præsentia, futura: à rebus demonstratis, quam nuper explicauimus.

CAPVT XI.

De generali ratione interpretandi somnia.

ALias ostendimus, omnis doctrinæ bene traditæ commune vnum debere esse principium: nam vt res omnes ab vna defluunt, ordine solùm variatæ: ita & in doctrina, ab vnius origine omnia deduci debent: quòd si id non fiat, confusa, incerta, difficilis atque imperfecta necessariò erit. Quomodo autem multiplex esse possit, hoc ipso exemplo declarabo: quoniam similia à similibus procedunt, contraria etiam à contrariis necessariò fient: nam à contrariis similia sibi fiunt: vt ab igne ignis & calor, ab aqua frigus & aqua: ignis autem & aqua contraria, igitur & genitus ignis, & genita aqua, & calor & frigus, conuenientia: ergo similia fiunt, non conuenientia, ergo dissimilia. Quæ ergo & regi & iuueni conueniunt, illi bona sunt: & quæ mihi seni & pauperi conueniunt, similiter bona: quæ autem illi, mihi: & quæ mihi, illi mala erunt. Conuenientia igitur mihi bona, rebus autem meis & affectibus & perturbationibus & passionibus mala: nam malè se habentibus contraria, his per quæ malè se habent, conueniunt: similia autem naturæ ipsorum: velut homini pauperi & seni humana & senilia bona sunt: hæc quidem similia conditioni suæ, illa verò naturæ: opes autem, non paupertas, bonæ: siquidem pauperem esse malum est, & non secundum naturam, vt senectus. Conueniens ergo quadrifariam dicitur: naturâ, consuetudine, opinione, & contrarietate: tot modis autem dicemus aduersum. Sunt verò illa à quibus conueniens hoc desumere expedit: natura, sexus, ætas, patria, maiores, leges, religio, dignitas, opes, filij, valetudo, amici, familia, vxor: ars, existimatio, mores, scientia, consuetudo, fortuna. Tertius modus sumitur à mutatione, seu in melius, seu in deterius fuerit. Porrò in duobus primis generibus duæ sunt considerandæ seu similitudinis seu contrarietatis rationes: vna quidem per se, velut quod caput parentes significat, alia ex accidente, & vtrum conueniat: velut saltare seni, quod stultitiam, aut dedecus, aut mortem significat: stultitiam quidem: quia haud conuenit reipsa dedecus, ob iudicium spectantium: mortem, quia dici solet, Senes cum morte saltare solitos. Diximus enim etiam ex opinione esse interpretanda somnia. Habet autem prima similitudo propriam tractationem, de qua paulo post agemus. De alia autem post, & sub vna regula, aut duabus continetur.

Tripliciter autem vnum ex alio fit: aut vt à simili, suaue à suaui: idque, vt dixi, ad idolum pertinet: aut à contrario, cùm ex mutatione fit: vt ex paupere diues, ex ægro sanus: aut vt ex causa: vt ex flore suauitas: his duobus modis somnia referunt. Sed si mutatio non sit, non potest significare contrarium: nam non ex rubro album significari potest: quoniam non est contrarium, vt priuatio: quandoque etiam transposito modo, velut in speculis, dextra sinistra, sinistra dextra euadunt. Quòd ergo flores significent tristitiam, ad dextrum & sinistrum, seu transpositionem referendum est: citò enim cadunt atque mutantur, & ad tertium refertur: cantus verò ad secundum genus, scilicet contrarietatem: quod ex rasis pilis, ad causam propriam.

Memineris autem, me tria constituisse capita generalia in hoc libro primo, quæ toti seruiunt arti: ideò in omnibus quæsitis ad illa recurrere expedit: hoc autem factum est, ad vitandam repetitionem.

Somnia præterea alia publica, alia priuata: quæ publica, inferiùs dicentur. Quæ autem publica videntur, & non sunt, eandem rationem subeunt in priuata domo à Principe, Reipub. vel maximo magistratu, quam per se significarent: velut terram mugire, si publicum sit somnium, edictum principis coactum significat & admirandum in populum: si priuatum, vel in te tuosque, vel etiam publicum sed ex quo tu solus lædaris.

CAPVT XII.

De partibus hominis, & quæ ad illum spectant.

COrporis humani partes aliæ quidem interiores, aliæ externæ: nec diuidere minutim expedit singulas, vt medici faciunt: sed sufficiet pro internis quidem numerasse solum cerebrum, pectus, cor, pulmones, iecur, ventriculum, lienem, fellis vesicam, intestina, renes, vesicam, & vterum. Et sunt duodecim:

Exteriorum duæ sunt differentiæ generales dextra sinistra, & antè ac retrò. Atque hæc bifariam

bifariam inueniuntur, aut distincta naturâ: velut tempora, oculi, aures: aut solùm consideratione: vt in pectore & membro virili, & in naso. Sed tamen nares distinctæ naturâ: ideo nasus hoc habet peculiare consideratione dignum, præter reliquas partes omnes. Sunt etiam additamenta, pili, capilli, barba.

Corporis deinde pars tota exterior diuiditur in sex partes generales, caput, collum, pectus, ventrem: pudenda, atque extrema.

Caput diuiditur in quatuor partes: pilis tectam, faciem, aures, & submentum. Pilis tecta in coronam, verticem, occipitium, & tempora: & sunt quatuor. Aures in tres: foramen, cartilaginem, & carnem pendentem. Facies in nouem: frontem, oculos, nasum, labia, genas, mandibulas, mentum, buccas, os. Et in labiis est superius & inferius.

Oculi in supercilia, cilia, (quamuis ambo ad pilos pertineant) palpebras, & oculos ipsos: vt sint quatuor partes. Et in palpebris est superior & inferior. Oculus præterea in album, iridem, pupillam, & angulos lachrymales, & hypopia: & sunt quinque.

Nasus duæ partes, exterior & interior nares.

Os in septem: dentes, linguam, palatum, guttur, vueam, gingiuas & gulam.

Collum in ceruicem vbi spina adest, & guttur, & foueam: & sunt tres.

Pectus in costas & sunt superiores atque inferiores: iugula, alas, furculam, humeros, spatulas & dorsum & sunt septem.

Venter in sex: ilia, lumbi, renes, vmbilicus, hypochondria, præcordia.

Pudenda sunt tria: vulua, membrum, & culus.

Membrum in quinque diuiditur: mentulam, scrotum, testes, glandem, & pubem.

Vulua in pubem, interstitium, labia & os & sunt quatuor.

Culus in quatuor: caudam, nates, interstitium, & anum.

Extrema in duo brachia, & crura.

Brachia in quinque: cubitum, carpum manum, humeros, & vlnam.

Manus in septem: dorsum volam, digitos, pollicem, indicem, medium, annularem, & articularem.

Digiti in quatuor: musculum, nodum, articulum, & vnguem.

Crura in quatuor: coxam, genu, tibiam, pedem.

Tibia in tria: suram, os, & malleolum.

Pes in plantam & dorsum, & quinque digitos, vt in manu: vt sint septem.

Digiti in tres: vngues, articulos, & nodos.

Præter hæc sunt quæ à nobis excidunt, generaliter nouem: saliua, muccus, vomitus, stercus, vrina, semen, vermes, sanguis, & humor.

Erunt igitur partes omnes distinctæ forma, & non compositæ, centum vigintinouem. Quòd si compositæ addantur, erunt omnes centum ac sexaginta. Sunt præterea, vt dixi, superiora & inferiora in labiis, & palpebris, & costis: & erunt centum & sexaginta tria. Et præterea dextra atque sinistra in omnibus, præterquam interioribus, atque his quæ excernuntur: vt propriè fiant partes ducentæ ac quinque. Adde etiam pilos atque capillos, & barbam: fient ducentæ octo, aut potius ducentæ & vndecim. Quòd si libeat addere duos poplites, & sunt sinuosæ partes genuum, calcaneos, mammillas, fient partes ducentæ decem ac septem insignes. Totidem igitur dicimus esse. Anima verò & ipsa pars est nostri, & nos ipsi: sint igitur ducenta ac decem consideranda: verùm quæcunque partes minimæ sunt, vt digitorum, manuum ac pedum nodi, articuli, vngues: non nostræ, sed mundi partes sunt. Loco autem earum erunt, quæ ad nos, vt videbitur.

CAPVT XIII.

De partibus mundi.

Oportet autem consimiles his, aut paulò ab eis differentes, etiam in mundo inuenire partes: vt sciamus, si qua partium nostrarum detrimentum passura sit, quonam pacto ex somnio eam deprehendere licebit: ac rursus ex illa partes mundi, eas saltem quæ ad nos pertinent: vt parentes, filij, fratres atque domestici. Et si quid potest, ad patrim, fertilitatemque, ac etiam cœlum extendatur. Deus igitur pro anima accipiatur: neque enim quicquam magis Deo in nobis anima ipsa assimilatur: post cœlum & astra omnia, & quæ manent: nam irides & cometæ, affectus potius quàm substantias significare possunt: neque enim manent: vt nec tonitrua aut fulgura, aut terræmotus. Sed ab his quæ manent, significata partium sumere oportet. Ignis ergo, aër, aqua, terra, fontes, flumina, lacus, riui, montes, valles, stagna, mare, proprium (nam oceanus pro aqua quandoque capitur) fontes etiam, scaturigines, paludesque, vrbes, domus, regiones, prata, syluæ, nemora, campi, saltus, deserta, tuguria, vineta, consita, fora, templa, atria, pulpita, suggesta, rostra, arbores, frutices, arbusta, herbæ, folia, flores, cortices, radices, fructus, rami, trunci, lapides, metalla, gemmæ, metallica: animalia mansueta, fera, serpentia, quadrupedia, aues, pisces, partesque singulorum: dæmones, mortui, domestici, filij, serui, parentes, fratres ac sorores, vicini, inimici, familiares, agnati, cognati, affines, reges, publicæ personæ, magistratus, machinæ, vasa, vestes, ornamenta, libri, arma, tela, instrumenta cuiuscũque generis, officinæ, tabernæ, apothecæ cauponæ, musici, medici, sacerdotes, obstetrices, artifices singuli: lana, gossipium sericum, spartum, linum: caro, panis, vinum, legumina, grana: tartarus & inferna, carcer, diui, statuæ, imagines, turres, arces, volæ, columnæ, laquearia, putei, latri-

næ, naues & earum partes: funes, rotæ, quadrigæ, scalæ, laquei, tegulæ, lecti, speluncæ, voragines: frena, habenæ, ephippia: claui, latrunculi, fritilus, alea, trochus, tubera, fungi, pisces saliti, tortæ, & similia.

Similiter & affectus, & quæcunque non manent, affectibus sunt comparandi. Sunt ergo affectus in mundo, quæ pertinent ad motum & quietem & ad affectum, quem in nobis generant: & quæ non manent. Huiusmodi sunt fulgura, splendores, arcus, voragines, in cœlo figmenta, monstra, pluuiæ, grandines, voces: ab his tribus generibus affectus in nobis significari solent.

Est tertium genus commune tam substantiis quàm affectibus, & est quod repræsentat naturaliter: vt sermo, pictura, statua, imago: hæc enim & de substantiis esse possunt, & de affectibus: quandoquidem naturaliter significant, & omnibus communia sunt: statuæ tamen, vt dixi, substantiis magis conueniunt repræsentandis.

Sunt & partes quædam mundo communes, & homini: velut filij atque vxor, & mundi & hominis partes sunt, atque ideo significant atque significantur.

CAPVT XIV.

De communi ratione comparandi partes mundi ad partes hominis, & partes mundi atque affectus ad hominum affectus.

OPortet primum reminisci præcedentis diuisionis, scilicet quod quæ in nobis significantur, tria sunt: partes nostræ, & quæ ad nos attinent, vt filij, vxor, & domestici: & affectus: vt opes, morbi, tristitia. Quæ autem significant, rursus sunt partes: nec in nobis partes significari possunt, neque quæ ad nos, nisi per mundi partes, quæ quandoque neque nostræ partes, nec ea quæ ad nos: ita mundi partes, quæ partes nostras, aut ea quæ ad nos significare possunt, trium sunt generum: mundi partes propriè, vt cœlum: & ea quæ ad nos, vt vxor: vel nostræ partes, vt oculus. Hæc autem tria, & præcipuè duo vltima, & affectus singularum, vt motus vel quies, color, figura, comparatio, affectio, magnitudo, sonus, actio, accubitus, locus, claritas & obscuritas, valetudo, habitus seu ornatus, numerus, tempus, anni vel dies, & mutatio. Et partes mundi inconstantes: vt pluuia, & fulgur, & nix: affectus in nobis, vel in his quæ ad nos, significant: ita erunt ergo substantiarum tria genera, imaginum, affectuum autem septem, sed sex maximè. Partiũ autem mundi quæ neque in nobis, neque ad nos, cum ad nos non pertineant, non est significatio: nisi quatenus ad nos pertinere possunt: vt de republica, patria ac regno: nam & horum euentus perspicere licet.

Quæcunque verò non habent ad nos comparationem, velut cœlum & sidera, non commutantur, vt infrà videbimus: at quæ ad nos pertinent, vel ex nobis sunt, commutant, si partes significatæ esse possint: nam vt supra diximus, minimæ partes non significantur: vt vnguis, articulus, digiti: sed solùm significant: ideo sunt solum mundi partes, non nostræ: atque ideo non commutant. Commutant enim solùm nostræ partes propriæ, & quæ ad nos. Quadrupliciter autem fit commutatio partis in partem: hæc autem non admittitur, vt oculi in cor, vel quæ ad nos, in eam quæ ad nos: vt vxoris in fratrem: sed quæ ad nos in partem, & partis in ea quæ ad nos: vt oculi in filium, filij in oculum, fratris in brachium, brachij in fratrem.

At quæ ad affectum pertinent, commutant in substantiam: velut vxor in artem, ars in vxorem: filius in gaudium, gaudium in filium. At hæc commutatio affectus in substantiam, non per se est, sed velut ex accidente: neque enim significat, sed indicat velut causam: filius enim gaudij causa est.

Sunt præterea, vt dixi, significata ex imaginibus propriis communia substantiis & affectionibus, & partibus nostris, & his quæ ad nos: vt vox, scriptum, imago, statua.

Præterea affectiones omnes quæ nobis contingunt, aliæ quidem circa corpus, aliæ circa animum, aliæ autem circa fortunæ bona eueniunt. Et quæ circa fortunæ bona, sunt honores, potentia, amici, diuitiæ, & similia: & circa corpus, valetudo bona vel mala, deformitas, robur, & similia. Quæ autem circa animum, trium sunt generum: affectiones, & hæ omnes sunt passiuæ, vt lætari & irasci: & operationes, vt currere, concumbere: & opera, vt fabricare, & generaliter artium exercitatio. Et opera quidem omnia actiua sunt, vt affectiones passiuæ: sed operationes aliæ actiuæ, vt concumbere: aliæ passiuæ, vt verberari.

Quæcunque substantiæ ad affectiones referuntur, substantias non significant, verùm affectiones ipsas: velut cibi, potus, possessiones, & huiusmodi.

Ex hoc patet, quædam significare plura: velut equus, vt ex se consideratur, vxorem significare potest: & vt equitatur, fugam: & vt possidetur, diuitias. Quandoque verò ex similitudine actionum, licet sub affectione comprehendatur, substantiam significat: vt in exemplo, equus vt meus est equitatur, & vxor initur: & ob similitudinem operationis in concubitu, & equitandi, equus vxorem significat.

Nulla substantia aliena partem vel quæ ad nos significare potest: quoniam cùm aliena sit, ad nos non pertinet: velut equus, planta: nec sol aut luna significare possunt: propria enim non sunt, sed omnibus communia: neque affectiones nostras, aut eorum quæ ad nos, vt dictum est: reliquum est igitur, vt significent causas affectionum.

Quæ ergo ad nos, significantur de substantiis, & partes nostræ non exiguæ, & nos ipsi per mundi partes stabiles, quæ ad nos solũm, & non comparatas affectionibus: & hæ communes sunt partibus nostris, & his quæ ad nos. Et per partes nostras, quamuis exiguas, quæ ad nos: & per ea quæ ad nos, partes nostræ. Affectiones vero, per omnia illa

illa septem enarrata. Causæ autem affectionum per partes mundi quascunque, stabiles, communes, proprias, nostras, & etiam quæ ad nos.

Caput ergo significat dominum domus, regemque, sacerdotium, mentem, honores.

Capilli, tegulas domus, ornamentum, decorem, luctus & infortunia grauia corporis.

Oculi, filios, gemmas, prudentiã, & iniurias.

Collum, vxorem: est enim decor & fulcrum domus. Et voluptatem gustus: & robur, ob ceruicem.

Brachia, fratres: sunt enim nostri auxiliatores. Et domesticos etiam, sed vtiles.

Manus, artes, & robur.

Tibiæ, familiares, & amicos humiliores, quorum operâ sustentamur.

Pectus, fortitudinem: intus consilium & arcana.

Cor, parentes: sunt enim origo nostra. Et filios: sunt enim nobis maximè cordi. Et vxorem: eam enim maxime diligimus.

Pulmo, orationem ac sermonem: eo enim hæc fiunt. Et intimum è domesticis, atque charissimum.

Venter, opes: quia ex eo suscipit corpus alimentum, vt ex opibus homines: & filios: quia in eo contenti fuere, maximè venter fœminarum.

Os, pudorem, dignitatem & valetudinem. Dicimus enim, impudenti ore. Et eo existimatio hominis seruatur: eo transeunt, quæ nos seruant, aut perimunt.

Pudenda, filios, honorem, voluptatem, opes, robur, parentes, & scorta quæuis.

Anus, curas & impedimenta: nam eo excrementa exonerantur. Et decora etiam.

Nasus ornamentum & decorem: est enim maximè conspicuus. Nares, famam, odores, perspicacitatem.

Aures, famam & doctrinam.

Dentes, familiam & coniunctos, & robur corporis.

Renes, filios & robur. Digiti minuta opera, & fidem.

Dorsum, nepotes & labores, & patruos: labores, quoniam eo onera feruntur: nepotes: sunt enim post nos, nec à nobis videntur: patruos, quia succedunt capiti.

Vmbilicus, patriam & parentes. Ex his enim nutriti sumus.

Nates, impudentiam & turpitudinem, & seruos, colonósque: sunt enim partes abiectissimæ.

Tergus, senectam, & successura post nos tempora.

Genua, robur, & operationes grauiores.

Cubiti, operationes leuiores.

Suræ, ornamentũ & decus, atque tutelam.

Tali, seu malleoli, seruos humiles, domesticos, & eos quorum ope maximè nitimur.

Pedes, fundamentum totius domus, & artem, & opes, & amicos.

Iecur, prædia & reditus, & voluptatem, & artem: & generaliter, vnde lucrum.

Ventriculus, promum domus, vel procuratorem.

Vesica, muliebrem mundum.

Intestina, opes quæ reconditæ sunt.

Lien, risum, gaudiumque: vnde illud poetæ:
——— petulanti splene cachinno.

Cerebrum, consilium, mentem, prudentiam, arcanaque, tum sensum omnẽ, & disciplinas.

Costæ, satellites, procuratores & mulieres: illa nos tuentur, has diligimus.

Cutis, munimentum & ornamentum.

Supercilia, dignitatem, decorem: ornamenta quoque, & mulieres.

Cilia, pædagogos, & custodes puerorum, & ornatum.

Vngues, tutelam & firmitatem.

Fellis vesica, iram, indignationem, & morbos: solet enim in his efferuescere.

Vterus, filios ac filias.

Vulua, voluptatem turpem.

Barba, authoritatem, lucrum & lætitiam.

Coxæ, significant ancillas, & pueros custodes.

Humeri, familiares maioris authoritatis, promos & dispensatores.

Humeri articulus, significat proxenetas, & personas, quarum auxilio aliquid perficitur.

Facies, gratiam & quæ ex ea pendent, aut pertinent: vt iniuriam, odium.

Mentum, fundamentum causamque existimationis, lætitiæ, lucri.

Submentum, vxorem, filios ac filias, & generaliter secretiùs custodita.

Palatum, suauitatem vitæ, & domum ipsam, ac iudicium: tum etiam cocum.

Vuea, seu vuula, sermonem, & nepotes ex fratribus ac sororibus, qui à nobis pendent.

Fauces, vitam, & supplicium: quoniam ibi strangulantur, & caput aufertur.

Fouea, mortem violentam: ibi enim iugulantur homines & animalia: & ornamenta vxoria, ac puellas.

Iugula, robur, & vitæ tutelam, & fratres: prope nos enim sunt.

Furcula, medium in domo: vt qui est ab epistolis, & cocum: quia ventriculi è regione est.

Pollex, significat robur, & ministrorum supremum, & hominem mutilum, & literas.

Index, fidem, religionem, literas, seu scribendi facultatem, indicia rerum.

Medicus digitus, impudentiam, sordidas operationes Hebræorum conuersationem.

Annularis, vxorem, filios, decorem, dignitatem: nihil ad artes.

Auricularis, pueros & infantes, filios, si adsint: minorumque curam.

Palma manus, labores, & summam inopiam, ministrosque simplices.

Dorsum manus, artis intermissionem, & odium, ministrorumque inertiam.

Calcaneus, summum robur, & id in quo homo maximè confidere potest significat.

Poples, magni negotij modum docet, & venerationem: nam eo veneramur potentes.

Nodus quilibet, significat eos, eaque, quæ negociorum pondus sustinent.

Articulus omnis, significat periculum ob luxationem: extremum iudicium, & quicquid est principale.

Musculus pollicis omnium maximus est: refert autem artificij principium, & summum decorem.

Ilia,

Ilia, filia propriè significant: contermina enim sunt lumbis, & honestiora.

Lumbi. voluptates, & filias etiam, & imbecillitatem, obnoxiumque laboribus atque doloribus.

Præcordia, significant occulta,& quæ cordi sunt, & sapientiam.

Frons, authoritatem, dignitatem, animum hominis, & affectum erga te.

Tempora, sapientiam, auctoritatem, vitæ tempus, fragilitatem conditionis nostræ.

Vertex capitis, summum vniuscuiusque rei, ac dominum.

Anima, vxorem, filios, amicum singularem, Deum rem maximè amatam, vitam voluntatem.

Occiput, quæ post nos erunt:occulta, periculum amputationis capitis, vbi timoris causa sit.

Corona capitis, regnum, lauream, supplicium, & irrisionem. Coronari enim, ac turbines damnatis apponi ea in parte solent.

Hypopia, significant exteriores res filiorum, & adhærentia:tum fines voluptatum.

Iris, ornamentum & decorem filiorum, ac voluntatem: ea enim qualitates animi continet.

Pupilla, filios propriè, & operum nostrorum imaginem, & animi qualitatem, gemmas.

Oculi alba,filiorum munimēta,& annulos.

Lachrymales anguli,initia voluptatis in filiis, & animi fenestras.

Genæ,pulchitudinem,honestatem, valetudinem,pudorem,amorem.

Buccæ, impudentiam, irrisionem, iniuriam,nostrorum tutelam.

Labia,significant verba:quia his proferuntur:valetudinem: quia eis significatur: decorem, amorem.

Mandibulæ, vtiliores domus ministros,cocum, pistorem, & domum totam:in eis enim sunt dentes.

Planta pedis,labores, & inopiam summam In hoc differunt illius partes à partibus manus, quòd manus partes leuiora damna, & quasi per negligentiam parta & mutabilia significant:pedis autem grauia, violenta,firma. Summa digitorum pedis, vltimum discrimen.

Homo ipse cùm in considerationem venit, seipsum aut filios, aut vxorem, aut parentum aliquem refert.

Lingua, orationem, gratiam, existimationem, amorem.

Nomen proprium,est ex his quæ non sunt substantiæ, sed affectus: tamen quia est intimum,significat hominem ipsum,& illius omnia,existimationem,filios,patriam.

Mamillæ descendentes, alimenta, & agros fertiles.

Guttur,tametsi vox,non cibus eò permeet, nihilo secius cibos voluptatemque ex eis refert.

Ætates, significant mutationes & proprietates illarum:vt pueritia iniuriam: multis enim modis solet iniuria affici: senectus sapientiam & authoritatem,imbecillitatemque: infantia, impedimenta omnis generis.

Porrò dextra masculis, sinistra fœminis:superiora dominis & senioribus, inferiora iunioribus & humilioribus, media fratribus & æqualibus ac sociis:anteriora præsentibus,posteriora futuris,si ad cognitionem referantur: aliter anteriora futuris, posteriora præteritis tribuemus.

Quæ verò sequuntur, ad visa vel ex similitudine deducuntur, vel ex operatione, vel ex similitudine operationis, vel ex repugnantia. Similitudine quidem:vt ducere vxorem,& concubinam,aut puerum in deliciis habere,similitudinem habet,cùm ille assiduè concumbit cum illis:ideò vxor non significat quamlibet fœminam, quæ in domo manet, aut puerum, etiamsi assiduè ac diu manserit cum eis:neque scortum omne,sed scortum assiduū. Dixi de puero,vt intelligeres etiam sexum non obstare similitudini. Ex operatione:equitare significat subigere aliquem, & mutationem consilij. Ex similitudine operationis: vt vxorem ducere, curas & impensas. Et significat etiam in phratriā ingredi: vtrūque enim perpetuum est.Ex repugnantia: phratrio & seni valdè vxorem ducere, mortem significat:neque enim vxorem ducere potest:nec aliquod negocium diuturnum inchoare: quòd si non adeò senex sit, poterit negotium inchoare quod non finiet vnquam, sed in eo vsque ad mortem persistet.Et repugnantia quidem triplex est: vel natura: vt diis aliquem verberare: vel re ipsa, vt non esse, vel esse equum: vel ratione conditionis, vt dixi, phratrio nubere. Quædam verò etsi non repugnent, sunt tamen præter propositum: vt ægro nubere, conuiuari.

Sunt etiam quoquo modo comparationes partium mundi & hominis, propter generalem vim: velut Deus significat animam, cœlum caput:est enim in superiore parte, & in eo sunt dij secundum communem opinionem: & in capite mens & sensus, & est superius corpore. Tertia, viscera & pedes: viscera quidem: quia omnia è terra alimenta habentur: pedes: quia immobiles sustinent corpus, ita terra videtur cœlum sustinere.Pectus,aërē refert, ob respirationem. Mare, humores & sanguinem.

Quæcunque etiam à pluribus significantur, non eodem modo significātur, sed plerumque adhibita distinctione.Dixi plerumque,ob ea, quæ superiùs dixi de somniis, quomodo efficiantur. Ergo in plerisque id contingit. Cor, oculi,renes,virga, surculus,significant filium, sed diuersis cum proprietatibus: Cor, sapientem,& patris amatorem: oculus, amabilem, gratiosum,prouidum:renes, laboriosum:genitale, nepotem impudicum, luxu planè perditum:surculus,stupidum,ac quasi inutilem.

Sæpe etiam contingit, vt dixi, quòd persona vel res ignota significat eam quæ ad nos, ob affectum nostrum: quia persona quæ ad nos, ad nos comparatur, & habet rationem causæ. Exemplum. Contigit anno M. D. XXXIV.mense Ianuarij, vt viderem hominē cui essent septem filij, eos verberantem, post morientem, magna mei miseratione: idque somnium visum est sæpius repeti, cum tamen interim nequaquam expergiscerer. Poteram

tamen intelligere somnium, si (vt nunc) artem calluissem: erat enim per se clarum, imò ex idoli specie, Socero enim meo Altobello Bandareno septem erant filij: masculi scilicet tres, Marcus, Aloysius, Iosephus: filiæ quatuor, Lucia vxor mea, Lucretia, Maria, & Bandarena: is ergo illis diebus mortuus erat, præter omnem meam expectationem, vt qui robustus esset, nec excederet annum quadragesimum quartum. Ergo constabat illum esse, qui cùm septem filiis esset, & obiisset, & cuius me miseresceret. Verberabat filios, vt qui egentes relicturus esset morte sua. Ergo intra octo dies literas accepi è Saccensi oppido, illum mortuum fuisse 4. calendas Ianuarij. Iisdem diebus vxor mea, & forsan ipsamet nocte qua pater obiit, vtero gerens, Ioannem Baptistam filium, toto somno matrem quasi extinctuam plorauit. Persona igitur incognita Altobellum socerum referebat, non ex se, vt intellexisti: quoniam quæ ad nos pertinent, ab aliis: quæ ex mundo, ad nos pertinent, aut ex partibus nostris necessariò referuntur. Sed vt nos dolore & commiseratione afficiebat, causa erat doloris & affectionis: quemadmodum & socer, quem valdè diligebam, futurus erat.

Similiter non semel vidi, nato eo filio, patrem meum vltima senecta pereũtem, cuius me miserebat admodum. Hoc somnium, si Fata per misissent filij luctuosam mortẽ ostendebat: nam patrem mori impossibile erat, qui iam mortuus esset: at Ioan. Baptista filius adeò illi persimilis totus fuit facie moribusque, vt vix viui vnquam fuerit similior. Cùm verò periit ille indemnatus anno ætatis suæ vigesimosexto, pater meus si vixisset, tum annum egisset centesimum ac quintumdecimum: vnde erat, ac si somnium diceret: Cùm pater tuus, si viueret, extremam aget senectam: filius tuus, qui illi similimus est, morietur: id est, ante trigesimum annum: nã homini iuxta sacram paginam non licet excedere centesimum & vigesimum vitæ annum: illud ergo idem erat, ac si diceret: Filius tuus patri tuo simillimus, vt minor natu non posset intelligi, ante trigesimum annum morietur. Qui verò de iis admirantur, quòd ego vnus tot & tanta viderim, qualia in his libris de Somniis, & aliis etiam per somnum narraui, quodque tanta etiam per vigiliam contigerint non dormienti: desinant admirari, cùm ea quæ post mortem meam eueniẽt, videbunt. Neque enim parua res mors eius fuit, aut absque diuino consilio, cùm tot improbi elabantur multis modis: adolescens hic, quo nemo melior, damnatus est, nec effugere casses potuit. Erat in illo eruditio non mediocris, simplicitas animi, res nostris temporib. non visa: probitas, mansuetudo, benignitas nimia: inuisus hoc solo, quòd esset filius, quodque laudaret me. Inuiderunt superi, vt optimos quosque, illum nobis, & eripuerunt. Dignus, non qui has incoleret nefarias regiones, sed qui cœlum habitaret. Sed audi diuinum iudicium. Qui dedit, qui auctor fuit facinoris, qui suasit, qui impulit pecuniæ spe, Antonius quidam: euasit, dimissus est, & adhuc (ni fallor) viuit: fatebatur factum, impudenti excusatione atque turpissima liberatus est. Cõuenerat enim sic cum accusatoribus: si dolos, si fraudes contra filium excogitatas, exercitas, enarrare liceret, & per eos à quibus defendi mea pecunia credebatur, nemo nõ ad misericordiam, nemo bonus non ad indignationem moueretur. Quæ postmodum subsecuta sunt, quasi non parum peccatum esset in filio, quasi parum iudicij acerbitas mihi nota foret, ereptã stipendij parte, non quòd pecunia ea non magna me torqueat: sed vt intelligerem quo animo id factum esset, abundè quorundam animos declararunt. Data sunt clam iura defensionis accusatoribus: & quia id nõ sufficiebat, irritati animi procerum, vt quod iure impetrari non poterat, inconsulta potentiorum irã egtorqueretur. Sic ille clarissimus, nullo peccato, stultitiã non leui, sed non propriã, concessus est odiis antiquis in patrem. At ipse felix, omni ornatus virtute, dignitate, liberaliumque artium notitiã, abiuit ad superos: fidem facturus, nihil esse potentius inuidia. Iam enim quippiam fermè absoluerat, aliud etiàm maius inchoauerat, ne paternis vestigiis quamuis fluxa iuuenta non inhærere videretur, Quem spes erat, si non eripuissent patrem longẽ superaturũ: nec paruo emolumẽto quandoque futurũ regi ipsi, si superuixisset. Iam enim specimen dederat, quali animo affectus esset in Hispanos, quorum plurimos qui adhuc superuiuunt, à morte liberauerat: atque hæc ex arte. At præter artem quàm multa callebat? nec deerat nisi iudicium, abundabatque impetus ob ætatẽ. Cæterùm id agant, quod volent: nusquam multis seculis parem innocentia & virtute ac sapientia norint habituros. Nec me fallit paterna pietas cùm sciam quid dicam: vtinam tam illi scissent, quid facerent.

Sed ad rem redeo. In transpositione significari necessitatem, primò obseruare oportet: nam si annulus vxorem significat, & ramus filium: ea autem sis ætate, in qua nec suscipere possis filium, aut ducere vxorem velis: transferre significatum ad proximam substantiam aut affectum conueniet. Et rursus, cùm non conuenit affectus affectui, vel res rei: vt florens pratum, quod lætitiã significat, in luctu. Etsi ea addantur, per quæ aliud declararetur: vt coronari significat dignitatem, aut irrisionem, aut circumueniri aut circundari ob insidias: sed coronari in aula cœlesti, non hæc, sed mortem cum funere sumptuoso & laude significat. Etsi tibi significatum præfixeris illud, vel nunquam significabit: esset enim somnium ad memoriam pertinens, non visio: qui ergo plus cupit, persæpe minus habet. Nam per se annulus vxorem decernit: si id tecum statuas, & somnium de eo sic velis interpretari, quiduis aliud potiùs significabit.

Præterea illud diligenter considerandum, in vnoquoque viso multa inesse generalia, & sub quocunque generali multa comprehendi: velut mons magnus, sublimis, immobilis, durus: est enim lapideus, insensilis, difficilis: arduus enim est ascensus. Multa igitur habet generalia significata: at sub singulis significatis generalibus plura continentur. Sub magnitudine enim potentia, opes, gloria, sapientia, militaris autoritas, multorum conspiratio,

Post Cardani obitum quae Monstra apparuerint? aut miracula quae facta sint?

conspiratio, ineuitabilia, fama. Sublimia sunt, dignitates, amicitia regia, gloria, suspendi: vides quantum vnum ab altero differt. Rursus omnia hæc ad filium pertinere possunt: iugulatur, iugularis in illo: moritur, morieris in illo: cruciatur, cruciaris in illo: exaltatur, gloria tua est. Et eodem modo nomen, omen, species transfertur: quoniam in eodem communi continentur: vt asinus ad hominem patientem, laboriosum, è familia: in iis enim tribus ambo conueniunt.

Propterea transitus fit vel ob multitudinem similitudinum & generalium, in quibus conueniunt, vel propter magnum consensum in vno generali: vt inter Deum & regem: nihil enim tam conuenit splendore dignitatis atque potentiæ: & inter solem & regem: nihil enim tam illustre vt Sol, nec etiam vt rex. Conueniunt etiam & transmutantur propter ea quæ iunguntur in somno: vt opprimi à monte, non ad summersionem, sed hominem transferri potest: vterque magnus, vterque opprimit. Sic & ratione somniantis. Iugulat hominem: studiosus est, non armis deditus: superior euadet in disputatione: libro alicuius opus edito confutabit: videt se in carceribus detentum excruciari: studiis tædiosis adeò incumbet, vt vitam sibi acerbam esse putet. Sic etiam in vocibus fiet transpositio. Sed de hoc, suo loco dicetur.

In vniuersum ergo, tota ars coniectoris in hoc vno consistit, vt plura colligat generalia, atque consideres cuinam vni rei conueniant, cum conditionibus suis: atque ea res erit, quam somnium ostendit.

Considerandum est etiam, quòd somnia illa (vt vno verbo dicam) congruentia, quæ naturæ, legi, consuetudini, arti, nomini ac tempori congruunt, & (vt generalius dicam, ac breuissimè) his quæ illi insunt secundum naturam, & non vi comparata, bona esse & felicia: quæ contrà, mala: quæ neutro modo, mediocria, vel quæ ad alios pertinent.

Eorum autem quæ ad mundi partes proprias, aut communes, non in nobis, neque ad nos pertinent, significata, hic scribere non est necessarium, sed suo loco explicabuntur: nihil enim horum inseparabile est, veluti hominis partes: quam ob rem de illis dicere necessarium non est, ne repetere cogamur: verùm potius modum inuestigandi significata docere oportet. Vbi primùm somnium videris aliquod, illud considera, an è genere demonstratiuorum sit: id est, quod ad occulta declaranda pertineat: seu cœleste, seu diuinum malueris appellare. Deinde, cognito quod ex huiusmodi sit genere, cognosces cuius temporis sit significatiuum. Etsi multò post futuri, ipsum scribe cum anno, mense, die, hora, qua somniasti: omnesque conditiones illius, moram, affectúsque. Sin autem præteriti, aut præsentis, aut paulò post futuri, ipsum adhuc recenti memoriâ scribe, sed non in libro: nisi velis post ad alium vsum, quod scripsisti, cum euentu seruare. Ergo eo scripto, statim cogita an sit in initio anni, vel die natali tuo, vel quo infortunium ingens passus fueris, aut splendido aliquo munere seu virtutis causa seu fortunæ decoratus: plerunque enim similis euetus erit expectandus. Et si dies illa finem imponat vel magistratui, vel tum decreueris primum mutare sedem, aut vitæ rationem, aut ducere vxorem, aut natus tibi sit filius, aut finem labori alicui vel ærumnæ imposueris: tunc quidem si tempora sint, ad tempus referendum erit: sin autem mutatio, ad mutationem cum tempore: ita vt tempus initij anni, & plerumque natalis etiam diei, non vltra annum extendas. Quod si anno non finiatur, expecta illud tanquam perpetuum, aut valde diu permansurum. Etsi in initio mensis, aut ingressus Solis in signum aliquod, aut in coitu aut oppositione Lunæ, aut in solstitiis aut æquinoctiis, coniectaberis tempus in quo somnij euentus futurus sit. Ex quo tum natura visionis, & rerum quas tractasti, quæque initium sumpserũt illis temporibus, aut iamprimùm inchoatæ sunt, aut quorum iamprimum celebritas peracta est, aut quæ imminent, aut quas iam tractare cœpisti, aut quæ intra triduum sine cogitatione etiam initium sument (hæ autem vt fortuitæ & imminentes maximè spectandæ sunt, seu seruum aut famulum in domum receperis, seu inimicitias cum aliquo exercere cœperis, seu amicitiam nouam inieris, seu quicquam obiter magni deliberaueris) ex his tribus inquam coniectaberis quid significet. Atque è tribus duo iam explicabimus: tempus scilicet, & res impendentes, quas tamen diiudicabis tu naturali prudentia. Tertium est natura visionis, quam sic aggredere. Primùm considera, an sit idolum: & si est, rem habes explicatam. Sin autem sit visio, quære quid significet substantiam: id verò (vt dictum est) vel ex partibus, vel ex his quæ ad te pertinent simpliciter, velut vxore, filiis, familiaribus, affinibus: ita vt memineris hæc tantùm partes significare, vt contrà partes tuæ ea quæ ad te: neque assumas partes exiguas ad significandum. Vel erit quod significat pars mundi quæ ad te pertinet, vt domus tua, arbor tua, ager, planta in domo tua, equus vel bos tuus. Inuento subiecto ad quod somnium pertinet, quod solùm potest esse vel pars tua, vel aliquid ad te, quæres affectionem, quam sic etiam coniectaberis. Si præsentis temporis est somniũ, & affectio parua, erit somnium de re parua: at contra si sit de præterito vel multo post futuro, & affectio in somno & vigilia magna, maximus erit effectus. Quæcunque enim procul multum imprimunt, maxima sunt, & validissima. Inde genus affectus requires: hoc autem præcipuè ex duobus, animi affectus natura, & qualitate rerum quæ videntur. Affectus mali sunt prorsus, timor, tristitia & misericordia: boni autem, lætitia & spes alacris, ac voluptas, seu voluptuosa possessio: indifferentia, ira, odium, amor. Admiratio autem est propria rebus inexpectatis, aut magnis. Ex rerum autem natura quæcunque bona sunt, & bene se habent, & conguentia, bona sunt. Quæcunque mala sunt, & tibi aduersantur, malum ex malo significant: velut à leone, vel serpente etiam magis, vulnerari. Quæcunque mala non congruentia patiuntur, velut serpentem exuri videre, aut languere: malis

malis quidem mala sunt: bonis verò malorum remissionem ostendunt. Mala autem in bonis, si somniantes mali sint, nihil absurdum: si autem boni, deterius: generaliter tamen vtrisque impedimenta in bonis significant. Cognitio affectus genere, & magnitudine: si paruus sit, poteris negligere, sufficiat scire: si autem magnus, genera singula quære, & sub eis species, & coniectare ex omnibus an prima significata conueniant. Si aliquid repugnat vel ratione visionis, vel personæ, vel ratione rei visæ, alia quæres significata, permutando: donec ad id peruenias, in quo omnia consentiunt. Quòd si ex obseruationibus proprium habes alicuius rei significatum, illo vtere: semper enim difficillimũ est prima inuenire, & somnij originem. In omnibus tamen non admodum arduum est, bonum à malo dignoscere, præterquam in somniis mortem significantibus: nam ob opiniones diuersas, mors inter mala & bona, sed non ex æquo: & inter magna & parua, idque quasi ex æquo refertur: pauci etiam sibi mortem prædici volunt: ob id somnia eiusmodi non tam facilè interpretantur. Et meliùs ab aliis, quàm ab ipsis qui somnium viderint, & ad quos pertinet: nam possumus etiam mortem amici præuidere. Somnium quod Socrati & Cæsari visum est, mortem prænuncias, vtrumque leue fuit: Socrati quidem verè: Cæsari vero, quasi à diis meritò irrideretur, quòd cùm pessimus esset mortalium, ob stultam de diuinis honoribus etiam viuenti tributis conceptam persuasionem, diuum se fieri posse existimauerit: nihilo secius fores cubiculi sponte patuisse, non pro ostento exiguæ rei, sed maximè potiùs miraculo, sumendum est. At Caligulæ vt maximi mali indicium fuit somnium, quod illius necem præcessit. Memineris etiam duplicis illius significati vniuscuiusque rei boni ac mali, vt iuxta significatum somnij illud sumas. Considera etiam generalia omnia bona vel mala significata, prout genus est insomnij: similitudinem quoque substantiæ, operationem, similitudinem operationis, & repugnantiam. Demum inspice affectus singulos in initio huius capitis enarratos, & sunt sexdecim. Demum voces ac verba, picturas, statuas, si per eas quid significetur: sæpe enim ex illis iuuaberis. Indicium verò est rectè assecutæ interpretationis, quædam animi quies, & omnia consentientia.

Quòd si contingat personam deesse, semper ad somniantem refertur. Atque hæc causa est, cur cognitæ per somnum personæ, in vigilia incognitæ, semper ad somniantem referuntur: cùm enim (vt dixi) partes mundi propriæ quæ non ad nos, ad ea quæ ad nos referri non possint, & cognitæ sint in somno, ad nos necessariò referuntur. Vbi ergo substantia quæ personam quæ ad nos significare possit, non adsit, subiicietur persona somniantis. Nulla pars communis mundi potest significare substantiam propriam, neque affectionis causam: nec aliqua propria communem, nisi cùm propria illa partes fuerint illius communis, vt ciuis patriam.

CAPVT XV.

De generalibus regulis somnia interpretandi.

Somnia monitoria hominibus probis accidunt. Plerumque sunt autem probi, qui
diligunt iustitiam: ea enim est omnium vir- 1
tutum mater: & qui iustus est, pius etiam
est, liberalis, gratus, innocens. Quinque 2
sunt affectus animi, maximi: Timor, spes,
admiratio, tristitia, atque lætitia: cumque
in magnitudine ordinem seruant, quo descripti
sunt: post quos sunt, odium atque amor.
Somnia non minùs de præsentibus & præte- 3
ritis sunt, quàm etiam de futuris: sed futura
euentus detegit: occulta autem non ita deteguntur
nisi casu. Vnumquodque somnium
ad sua generalia deducendum est, & ex eo 4
plura declarabuntur. Velut video montem
in me ruentem: mons magna res est: magna
sunt magistratus, viri potentes: ruunt, qui
cadunt, qui succumbunt, qui iniuriam patiuntur,
qui dignitate priuatur: atque ex huiusmodi
in coniecturam deuenire poteris. Res
contra naturam in bene se habentibus, ma- 5
læ & infidæ: pessimè se habentibus & miseris,
si ad bonum vergant, bonæ & fidæ:
malè tantùm habentibus, bonæ, sed non
fidæ. Omne somnium, etiam pessimum,
cùm iuxta votum fuerit, bonum esse potest: 6
vt si quis vindictam quærens, solem cruentum
viderit. Omnia rara eadem significant
per somnum, quæ etiam dum verè appa-
rent. Et omnia quæ sola sunt, vt sol, luna, 7
vxor apud Christianos, cùm plura videntur, 8
significant lites, confusionem, discordias,
timorem. Et si plura in vnum redacta videantur,
periculum, inopiam auxiliorum, aut
conspirationem multitudinis. Magnitudo rei 9
visæ, & affectus & actionis, magnitudini
euentus generaliter respondent. Rem videre
vt prorsus se habet, nihil significat, sed
memoriæ est. Mores etiam hominum spe-
ctare oportet: malis enim credere non opor- 10.11
tet, maximè bona suadentibus, & quæcunque
dissimilia: vt si bonus mala suadeat. Ani- 12
maduertere decet maximè successum in somnij,
& quomodo ex vno in aliud transferatur,
demum finem. Repetenda etiam est
sæpius tota tractatio: velut quæ diximus de 13
nobis translata ad filios, eadem nobis contingent
si quis de parente tuo viderit: velut erui
oculum patri tuo, tuam aut fratris tui mortem
prædicit. Omnis res quæ exitum habere non
potest, priuationem eius actionis portendit: 14
vt sororem in matrimonium ducere, cœlibatum:
non enim licet sororem sibi matrimonio
iungere: vnde est vt in prouerbio: Cùm
mala pepererit. Pleraque visa per somnium
duo habent significata, vnum bonum, aliud 15
malum: velut Astrologi de stellis benè
aut malè constitutis dicunt: vnde erroris
causa tam frequens: vt tres habere oculos,
& prudentiam significat, felicemque successum:
aut opus prudentia fore, quòd
malè res sit successura. Plerumque etiam cùm
somnia mutationem significent, significatum

conie

16 coniectabimur ex eo ad quod prona est muta-
tio: vt pauperi non nisi ad opes, quod ad sub-
stantiam attinet, procliuis est mutatio. Som-
17 nia de rebus charissimis rarò bona sunt, quòd
cum magno affectu fiant: at in his mali, vt
visum est, bonos superant: at mali animi
affectus non nisi ab aduersis, non à secundis
18 procedunt. Cùm pluribus magnum aliquid
significatur, malum est: bonum enim pluri-
bus ingens euenire non potest: at calamitas,
vt in peste, & ruina domus, sæpe pluribus
summa contingit. Maximum in cunctis est,
19 cognoscere magnitudinem significati som-
niorum, vt etiam reliquarum rerum &
actionum. Obseruandum est discrimen rei
20 secundum naturam, ab eo quod vel lege vel
consuetudine constat: vt amoris in filium na-
turalem, adoptiuum aut amicum. Somnia so-
lent ex generalibus in propria transire: vt
21 medicus, medicum tuum significet: & con-
trà medicus tuus, medicum non tuum. Re-
ciprocatio in somno, valde necessaria est
22 plerumque: vt quem non noris, existimes
eum cui tu sis ignotus: qui bene fecerit, cui
23 tu benefacies. Eorum autem quæ ad perso-
nam nostram referri nequeunt, non est re-
24 ciprocatio: vt deorum, aut mortuorum. Som-
nia quædam plura per pauca, quædam con-
trà: alia plura per plura, alia pauca per pau-
ca significant: velut nomen amittere, signi-
ficat vitam, opes, dignitatem, familiamque
amittere: hoc est, per pauca plura significa-
ri: quòd si plures gemmas, quas non habeas,
amisisse videaris, rem exiguam amissurum
25 ostendit. Amittere quæ non habes, cùm alia
habeas quæ amittere possis, paruam iactu-
26 ram portendit. Incognitus effectus futurus,
& indeterminatus, nullo somnio significari
solet: quoniam natura nihil frustrà agit.
Omnia necessaria vsui peruersa, nihil boni
27 vnquam significare possunt. Extrema ma-
28 la non significant extremum malum, nisi
per idolum: quoniam nullum malum extre-
mum solet eidem bis contingere. At si ido-
lum fuerit, nihil habet confictum secum.
29 Exiguarum rerum visio, & discrimen mag-
30 num, nihil portendere solet. Similes perso-
næ in somniantem verti possunt: id est, illum
31 significare: at ille non potest alios. Nullum
imperfectum bonum est: vt tonderi ex dimi-
32 dio, lauari. Quatuor sunt ad quæ somnia
transferuntur: natura rei, historia, fabula,
& casus aliquis qui tibi ex eadem re contige-
rit: velut si mortuo tibi videaris solem sequi,
suspendium significat: referunt enim, suspen-
sos faciem semper ad solem conuertere.
Omnia somnia maiorem habent efficaciam
33 in iam inchoatis & præparatis: vt suspendij
in vincto vel etiam fure. Construere ple-
34 rumque bonum est, diruere malum. Ex fu-
turis non succedentibus, super præsentia ar-
35 gumentum quandoque sumere licet: velut,
si cui amicus lætus videatur: postridie autem
infortunium accidat somnianti, perinde est
36 ac si diceret somnium illud, is tuus non erat
amicus: hoc enim ostendere volui. Eorum
etiam quæ significant, si aliquid ad hominem
pertinet, mutua est reciprocatio: vt si oculus
significat filium, & oculus effossus filij mor-
tem, filius significabit oculum, & filij mors
oculum effossum. Quatuor præterea sunt quæ 37
omnem rem possibilem reddunt: Aetas flo-
rens, origo nobilis, semina iacta ex opibus
ac virtute, & rei qualitas communis vt sacer- 38
dotium. Quòd si ineptus sit ad significatam
felicitatem, tantundem in contrarium decli-
nabit: vt plebeio inepto regalis pompa su-
spendium significat: nam & qui ad suppli-
cium ducuntur, satellitibus circundantur. 39
Cùm plura idem significant, omnia tamen
diuersis modis significant: velut oculi signifi-
cant filios pulchros, cor prudentes, mem-
brum virile prorsus infames & libidinosos,
renes laboriosos: germina ignauos, sed ad 40
propagationem vtiles & fœcundos. Quæcun-
quæ talia sunt vt nihil boni possit eis accide- 41
re, semper mala prænunciant: vt dentes.
Quæcunque extrema sunt, minora mala sig-
nificant: quoniam visio & interpretatio à ve-
ra repræsentatione differt, & ab idolo. Som- 42
nij proprium est, nil nobis notum significa- 43
re. Somnia de principibus, & illorum etiam
somnia, semper fermè idola sunt.. Nihil oli- 44
dum in suis videre, aut fœdum, vel miserum,
bonum est. In omnibus actus potentiâ maior 45
est: velut acria edere dolores significat: esse 46
vt edantur, dolorum periculum. Mendacibus
quoque infida somnia apparere solent. Intem- 47
pestiua tempestiuè si adesse videantur, com-
mutationem malorum in bona significant:
velut si vere appareant vuæ, quæ autumni
tamen tempore esse videantur. Vt contrà
tempestiua intempestiuè, commutationem
bonorum in mala: velut si autumno videan-
tur vuæ, quæ tamen vere adesse videantur.
Tempestiua tempestiuè, bona augent: vt in-
tempestiua intempestiuè mala. Rursus quæ 48
videntur: alia quidem quæ sunt tanquam
sint: vt si equum habeam, illum tamen amit-
tere videar, aut equitare, hoc certum habet
significatum: aut ex eo quod non est, & vi-
detur: vt si videar equum habere quem non
habeam, inde amittere vel equitare: aut ex
eo quod est, & non videtur: vt si equo care-
re videar. & inde alium emere: hoc autem
& imbecillem & parùm veram habet signifi-
cationem, sed quæ longa indiget interpreta-
tione, atque ex abditis repetitâ. At secundus
modus est efficax, sed minùs planus, vt etiam
de tertio dixi: medius ergo inter illos.

Quæcunque significant aliquid, si non 49
omnia eiusdem generis significent, ad vnum
genus contrahuntur, simile proprietati natu-
ræ: velut aues significant futura, & non om-
nia significabunt: ergo celeriter ventura, non
tardè: nam inter omnia animalia aues ce-
lerrimè mouentur. Ita etiam ignis significat
ardores, pugnas, non omnes, sed eas pro-
priè quæ ex minimis in immensum crescunt.
Ignis enim statim crescit in magnitudinem
immensam. Maximum præceptum artis est, 50
scire transire per eadem genera, vt ex extre-
mis media dignoscamus: velut amarus sa-
por proculdubio mortem significat, cùm ma-
gnus fuerit: quid modò decernat medio-
cris, aut paruus, si quis deducere norit, pau-
cis fermè totam artem deprehendet: nam
extrema in omnibus per se quasi nota sunt.

51 Quæcunque communia vel consequentia sunt considerare tantum oportet, cùm vel excesserint, aut animum mouent: vt numerus, magnitudo, motus vel quies, figuráue: vt si pygmeum videas, aut gigantem.

52 Aduertendum diligenter est, somnia quædam non simpliciter vera significare, sed secundum opinionem vulgarem, aut existimationem somniantis: atque ita significant verum: quoniam illud verum somnians arbitrabitur: vocanturque huiusmodi somnia imaginum. Fiunt autem ex permistione affectus animi; & influxu cœlesti: cuius exemplum
53 habebis in quarto libro †. Fide dignos dicimus deos, & proprios diuos etiam, & parentes, nisi irati sint: & amicos, & omnino ve-
54 races. Et plerumque etiam reges, & sacerdotes bonos. Cùm idem pluribus significari potest: significatur autem insueto modo, proprietas significantis rei est consideranda: velut patriam possidere, pluribus modis significari potest: si per matris concubitum tyrannicè occupabit, tyrannidem exercebit, & infeliciter peribit, vt incestu matris dignus.
55 Somnia omnia contra leges, infamiam prædicunt.
56 Quæcunque celeriter proueniunt, vt persicus, sus, celerem effectum nunciant: quæ verò tardè, vt cupressus, elephas, tardè. Quæ longa, ut perticæ, pinus, cameli, homines proceri, longanimes & tardos: breuia, vt pumiliones, lichen, malus punica, festinationem. Quæ lata, diu proferuntur: quæ angusta, breui absoluuntur. Quæ grauia, vt aurum & plumbum, cum difficultate: quæ leuia, facilè. Quæ celeriter crescunt, & parum durant, talia etiam negotia & initia talia
57 significant, vt contrà, quæ serò proueniunt. Quod fieri persæpe consueuit vere, in somnis pro generali ratione obseruandum est, ni aliud obstet: velut si cui fugiat equus, intelligatur significatum pro equo fugiente, qui
58 non pereat. Omnia familiaria pro extrema causa sunt interpretanda: vt loqui pro petere: neque enim cogimur ad hanc actionem, nisi huius causa, cùm sit actio familiarissima.
59 Quæcunque ex duobus constant, re & affectione secundum similitudinem, ex vtroque sunt indicanda: velut edere ceruum, ex edo, quod est lucrari, vel indigere: & ceruo, quod est timido, fugaci, vel naui: idque est lucrari nauigatione, vel alio modo periculoso. Cùm
60 conditio repugnat, aut repetitur, ad aliud significatum est transferenda interpretatio, veluti esurire, indigentiam edendi significat: Edere rursus, indigentiam & lucrum: at indigentiam indigentiæ præposterè dicemus: quaresignificabit vehemens lucri desiderium.
61 Cauendum est diligentissimè, quod in oraculis sæpiùs euenire consueuit, ne loco vnius rei, puta affectionis, locus sit intelligendus:
62 vt κέραμος linguâ Cypriorum significat carcerem, cùm sit Cariæ vrbs, dolium & tegula. Conditio necessaria semper præsupponitur, etiamsi in somno non appareat: vt capi pro torqueri. Cùm transmutatur res, affectio
63 manet: vt oculi ferrei, si filios significant, robustos & fortes.

✠ Cap. 4. somnio 29.

CAPVT XVII.

De Diis.

Dij iuxta hanc considerationem partes mundi sunt, generales atque communes, & causas generales significant. In eis tria considerare oportet, quæ illis verè insunt: & sunt, potestas, & sapientia, veritas, bonitas, iustitia, infinitas, æternitas. Quæ tribuuntur, misericordia, pietas: quæ exhibentur, veneratio: iuxtaque hæc facilè visa illorum interpretabimur. Siquidem audire aliquid ab illis, verum est quod dicitur: sunt enim veritas: ab illis verberari, mortem significat: quis enim mortalium verbera ab infinito robore præter mortem feret? Si miseret tui, iustè extrema patieris: quorsum enim misereri, si iuuare potest, nisi quia merita patieris, vt iustè succurrere tibi non possit? Iungere Deo dextram, est mori: nam immortalitati iungi, nisi per mortem, non possumus. Audire ab illo verba obscura, malum est, si enim bona significarent, nollet nos latere, est enim bonus, & ita, vt nil prauitatis immissum habeat. Quòd si obliuiscaris dictorum, quæ erunt in summa spe aut timore, non euenient. Si videris facientes quæ esse possunt, euenient, sin autem quæ esse non possunt, euenient insperato, quæ nunquam speraueras. Sed hæc possunt etiam esse bona, ex verbis autem obscuris, insperata mala. Si verba obscura aliquis interpretetur fide dignus, erunt iuxta interpretationem. Qui sint fide digni, iam vidisti. Si minentur, plectetur infortunio magno, si vt spiritus videantur, secreta intelliget. Si eos venerabitur, lætitiâ afficietur. Si in domum quampiam cum illis ingrediaris & egrediaris, morieris breui, si non egrediaris, ad extremum periculum ex morbo deuenies. Si non egrediatur, sed in limine subsistat, longo morbo vexabitur. Deus regem significat. A Deo damnari, est à rege iustè damnari, à Deo aliquid impetrare, est à rege obtinere illud, aut simile. Si mulier Deum in maiestate viderit, vir suus facta sua requiret. Hoc magis de diuo, quàm de Deo: & etiam de vtroque non per se, sed significat per se maximum mulieris timorem. Excussus à Deo: morietur; & stirps suâ dignitate priuabitur. Visio Dei, & cultus etiam magis, mutationem ad meliorem vitam, & scientiam arcanorum significat. Qui Dei vocem ex aure excipit, arcana intelliget, aut omnino vitam aget piam. Sociari illis tacitis, mortem significat: si loquantur, verba sunt obseruanda. Deorum cultum mutare, significat in principe vexationem populi: in nobili, ruinam opum & existimationis: in plebeio homine, deceptionem & testimonium falsum: in muliere, adulterium. Diuis supplicare cum solicitudine, calamitatem magnam aut metam nunciat. Deos spernere, magnam felicitatem aut calamitatem prædicit: in vtrisque enim solemus deos contemnere: in felicitate quidem obliti, in calamitate desperantes & irati. Diui diuis aut deis, aut dei

Cap. 15. regula 51.

deis

deis sacrificantes, admiranda prænunciat: & hæresim, & mutationem magnam rerum. Deus præterea pontificem significat: minores Dei, diuique sacerdotes. Dij plorantes aut irati, maxima mala publica decernunt, & vitam principum detestandam.

CAPVT XVII.

De diuis.

Diui eadem quæ dei significant, sed minora, minusque bona: at mala non minora. Deos minores loco eorum idololatræ colebant. In duobus distinguntur à diis, vnde tertium oritur. Primum quidem, quòd peculiarem diuum colimus, non autem deum, est enim omnibus communis. Præterea, quòd diuos habemus etiam negotiis præfectos: vt medicis ac ægris, Cosman & Damianum, militibus, Georgium: philosophis, Dionysium Areopagitam: pontificibus, Petrum: concionatoribus, Paulum: eruditis, Hieronymum, Augustinum. In aduersis martyrum desideramus constantiam: in tranquillitate, Ioannem apostolum: in felicitate, Syluestrum pontificem, Aloisiumque regem, & tres Magos, quos etiam pro sapientia colere solemus. In vincendis aduersis, Ambrosium: pro prudentia, B. Antonium: pro bona fama, Eremitas? pro innocentia, virgines suspicimus. Quòd si Romanis laudi datum est, vt prophanos maiores colerent: si supra humanam virtutem Dei amore insignes, cur digni non erunt veneratione? Si suspicimus in multis errantem contra pietatem Auerroëm, & tot alios, cur his sanctis viris non deferemus honorem? illos non imitabimur? atque in diuersis donis fautores non optabimus? Et Mariæ Christi matri ego quandoque supplicaui in desperata causa bis, & obtinui perfectè in vna: in alia, vt non vexarer. Si reges suorum adulatorum: id est, falsorum amicorum precibus mouentur, etiam Deum votis proborum, nedum illorum qui aduersus statuas pro Deo viuente ad mortem pugnauerunt, indulgere multa consentaneum est. Apud hos ergo qui diuos hos colunt, deseri à propitio, aut illum sibi iratum videre, est ruinam imminemtem capiti suo naturaliter (vt dixi) prædici. In vnoquoque diuo spectanda est virtus, quâ dum viuebat inter mortales fulsit, & pro qua à te colitur: ita propitium tibi vel infaustum euentũ somniũ declarabit. Semper autẽ accipere à diuis quæ illis propria sunt, bonum: auferri autem, malum ac dirum. Accipere medicamentum ægro si videatur, aut medico propinare ex manu diui medici (sunt autem multi) ipsumque quale sit cognoscente qui videt, verè sumpto postmodum medicamento omnes sanitati restitutos accepi. Diui quos colimus, si non congruè se habere, sed tristes aut inornati videantur, timores & damna & impietatem prædicunt. Ob id de ornatu externo dicam: priùs monendo, vt caueat lector, ne huiusmodi malè interpretando, in aliquid sinistri incidat: nam nolo ego sapere, plusquam oportet sapere, nec à maiorum meorum decretis vel teruncium discedere vel aberrare. Diui ornati & læti, quicquid optas dant, & omnem tristitiam auferunt: infirmos sanant, vinctos soluunt, exules reducunt, seruos liberant: litigantibus & pugnaturis victoriam, prægnantibus faustam & superuicturam sobolem, iuxta diui sexum pollicentur, miseros solantur. Fœdati diui, insperata mala portendunt. Alieno habitu induti, & irati vel tristes, damnum ab homine illius gentis, cuius est habitus, portendunt. Diuos inter se pugnantes videre, contentiones regum & bella significat.

CAPVT XVIII.

De statuis & imaginibus deorum & diuorum.

Statuæ ergo deorum atque diuorum, eadem penè quæ dei diuique, apud imperitam plebam significant: apud alios verò, multo minora. In quibusdam tamen adeò vtiles sunt, vt etiam dij diuique: velut in diuitiis, honoribusque: quod hæc non sint verorum deorum dona, quamuis vulgus longè aliter sentiat. Itaque & vltio & similia, nisi is de quo vltionem sumere volumus, dìis inuisus ob improbitatem dici possit, ad statuas magis quàm ad deos pertinet. Imagines pictæ statuis sunt valde inferiores, eadem autem significant. Porrò statuas deorum moueri, aut imagines, hoc à diuinitate seiunctum cùm sit, significat admirabile quid, nec contemnendum, euenturum: admirabile, quia lignum, lapisue, aut pictura: non contemnendum, ob dei repræsentationem. Deferri quoque statuas deorum ad locum insuetum, est cultum aliquem obliterari, aut nouas induci ceremonias. Porrò statuam Dei in caput cadere, est lædi à sacerdote, aut vexari: statuæ enim deorum ac diuorum, sunt illius sacerdotes. Siquis ergo videat statuam, gratiâ exempli, D. Laurentij in caput suum cadere, sed non vulnerari: coniectabitur sacerdotem aliquem illius diui, aut etiam D. Stephani (adeò somnia idem referre abhorrent, vt semper fermè & in substantiis & affectibus simile pro simili ostendant) infamiâ eum aspersurum.

CAPVT XIX.

De dæmonibus & heroibus.

Daemones pro cacodæmonibus intelligere oportet. Significant autem fures, hostes: & si propitij videantur, diuitias. Sed nudi, infœlicitatem. Sæpe nostrum genium vnus refert: ideoque tristis aut malè affectus, malum portendit: lætus autem, bonam fortunam: cum dæmonibus pugnare, magnas animi perturbationes declarat. Dæmones, satellites & lictores ostendunt. In propria forma si videris, vera illorum responsa esse

credas: secus autem, falsa. Dæmones etiam affectus nostros significant, & prauos dominos. Iuxta verò legem nostram, & verè, dæmones sunt dij maiorum nostrorum: atque ideò Æsculapium iratum aut tristem, aut abeuntem videre, est infirmari: infirmo autem mortem denunciat. Neptunus & Thetis, naufragium: Mercurius, omnia infelici cum successu: Saturnus vincula: Mars cædem: Iupiter iudicium publicum quo damnaberis: Minerua infelicitatem, & ignorantiam, frustrationemque laboris in discendo. Vulcanus periculum per ignem, & labores, & membri alicuius læsionem aut priuationem: Momus, irrisionem: Hercules paupertatem, ærumnas, insaniam, voluntariam mortem. Bacchus temulentiam, irrisionem, & damna à mulieribus. Orpheus mortem vxoris, odium mulierum propter amorem puerorum. Apollo mortem, & indignationem, tristitiamque. Malis præterea dæmones fausti vtiliores sunt, quàm bonis: infensi verò malis plus nocent, quàm bonis. Deæ minora bona ac mala decernunt. Dæmones videre pugnantes, potentium virorum & malorum contentiones significabit.

Heroës maiora significant, & meliora, quàm dæmones, & ad virtutes magis hortantur: & in pugna & lite meliores sunt, ac magis fausti, quàm dæmones: in reuelando verò secreta, inutiles sunt: irati magis nocent. Hoc ex numero sunt, Achilles, Hector, Aiax, Orlandus, Rinaldus, & quicquid supra humanas vires fabulosa celebrat antiquitas. Quo in genere etiam sunt gigantes, Alexander, Mithridates. Heroum significata clariora sunt quàm dæmonum, propter illorum exitus cognitos. Sunt etiam inter hos, reges: vt Alexander Magnus, & Carolus Magnus, & Cæsar dictator atque Augustus. Iuxta verò exitum illorum & vitam, quod ad negotium attinet, iudicabis. Et heroës malè induti, & minantes, significant latrones.

Statuas verò & imagines eodem modo vt in diuis accipies: bonas atque felices, bonorum atque felicium: contrariorum, sub contrario significato.

CAPVT XX.

De sedibus beatis, campis Elysiis, Tartaro & pœna temporaria.

PAradisus significat sapientiam, dignitatem, pietatem, honestam voluptatem. Dignitatem quidem: quoniam qui ibi sunt, ab hominibus coluntur: voluptatem: quoniam ibi sunt felices. Sapientiam: quia quæ ibi sunt, ea dignoscuntur non sensibus. Eò demitti quenquam in terras, siquidem liber fuerit, optimum regem: sin autem catenatus, felicissimum, sed crudelem significat tyrannum. Ibidem quoque esse, in collegium sacerdotum asciscì prænunciat.

Ex tartaro aliquem ascendere cum gladio, vel infulis, aut magistratus insignibus, vel cum gladio nudo, vel à Plutonis sede, est tyrannum oriturum crudelem, qui tamen infelicem habebit exitum. Tartara significant mœrorem, confusionem & turbationem, sic & temperariam pœnam. Idem & Elysij campi: sed pœnam non significant, nec mœrorem, aut saltem non magnum. Viuere in huiusmodi locis, est flagitiosam vitam ducere: cruciari in illis, est detegi in flagitio. Spectare solùm, significat tristitiam. Ad inferos descendere, nec reuerti, proximum idolo est: aut enim morietur, aut in carcerem perpetuum trudetur: atque in hoc genere sunt triremes, vel omni ex fortuna concidet: vel tam longam suscipiet peregrinationem, vt nomen eius non audiatur. Si verò redeat, negotiosis malum est: nam inferis nullum est negotium. Bonum autem est latere volentibus: locus enim talis est: curiosis, arcana enim detegit: thesauros etiam quandoque promittit. Bonum est & timentibus: inferi enim timoris sunt expertes: & mœrentibus: sunt enim etiam sine cura: aliis verò morbos longos, peregrinationes, carcerem, turbationes, oppressiones, molestias graues. Significat & superstitiosam vitam, inanem inquisitionem rerum, quæ sine fructu sunt. Si certo loco Tartara videntur esse, ibi tu vel tui affligentur, aut flagitia admittent. Loca obscura ac tenebrosa, mala omnibus, nisi his qui latere omnino volunt: nam cæteris negotia nunquam finem habitura, cum tristitia & errore ac desperatione, significant. Tartara iudicibus iniustas sententias, mulieribus adulterium præsagiunt: atque hæc omnia generalia sunt.

CAPVT XXI.

De mortuis.

MOrtui personas nostras significare non possunt, vt reliqua quæ sunt propria: non enim sunt: nec res publicas, nisi quatenus sunt partes ciuitatis: relinquitur igitur, vt affectus solos decernant. Sunt autem trium generum: aut mortui verè, aut viuentes, aut mortui qui viuere videntur. Et horum quidam sunt soli, quidam plures: & quidam noti, & quidam ignoti: & quidam qui reuiuiscere videntur, & quidam mori, & quidam rursus mori. De verè ergo mortuis ita censendum est.

Si quis vocari se à mortuo, cuius vocem agnoscit, audiat, nec illum videat, morietur. Mortuus enim verè, seu sciat mortuum esse, seu non, mortem repræsentat. Si tamen prænomen solum audiat, notus pro dormiẽte subiici poterit: quod tamen raro accidit. Tribus in casibus mortui mortem præsagiunt: si vocent, cognoscaturque vox, nec videatur qui vocat: quoniam non vocat nisi vt ad illum accedas, non vt colloquatur tecum: nec potes nisi moriendo ad mortuum accedere. Secundus est, cùm is cum illo in locum occultum seu ignotum, nec reuerteris: quomodo enim cum mortuo manere potes, nisi moriaris? Tertius modus est, cùm aliquid illi deperis,

deris: neque enim mortuo quicquã dare possimus, nisi vitam. In primo casu etiam continetur, si insideas equo cum mortuo, vel duobus equis albis, & curras cum eo, vel etiam solùm eas in partes ignotas. Et si vocanti, pollicearis iturum. In secundo casu, maius erit si te ducat manu, & in locum tenebrosum. In tertio casu, si ille tibi eripiat, & non des: & eripiat cibum aut vestem, omnia hæc morbos & mortem prænunciant: sed si deficiat aliquid, significant morbos eò vsque vt deploratus præter spem conualescas. Et si sint mortui violenta morte, mortem eiusdem generis significabunt. Lethale etiam est, si argentum vel gemmam auferat mortuus: sed gemma ad filium vel vxorem potius pertinet. Si dederint aliquid, bonum est: lucrum enim omne fermè ex mortuis, propriè autem ex fundis illud significant. Si nihil egerint, talis erit fortuna tua, qualis illius animus & facta dum viueret erga te. Si mortuo sociatus fueris, pedes ponendo in illius vestigiis, vel illum insectatus es: vel insectaberis (hoc enim est ex proprietate verbi) vel vitam illius imitaberis. Mortui verè, si reuiuiscere videantur, desperata res in spem redibit, aut homo in melius vitam commutabit. Sed si iterum mori videantur, redibunt eadem ad idem, nec amplius mutabuntur, vel tibi similis morietur. Si mortuus vestes tuas accipiat, & induat illas, inde exuat, morieris: nam idem cùm solitus sis facere, & in eisdem quod ille fecit, morieris & tu sicut ille. Vel dic altiùs: induisti corpus vt ille, & exues vt ille: ideò morieris. Si mortuum tanges, infirmaberis: quoniam qui mortem tangit, est infirmus: vel quia timorem mortis habebis: mortuus enim, vt dixi, mortem significat. Viues tamen diu: quoniam euasisti. Si mortuus tibi notus verbis blandiatur, aut maledicat, talis eris tu factis erga suos necessarios vel coniunctos. Si ignotus, rem facies pro qua lætaberis, aut pœnitebit. Mortuis dicata nec dare, etiam accipere bonum est: non enim id fiet sine proprio vitæ periculo. Similiter nec degustare quicquam in mortuorum cœnis, aut eorum quæ pro illorum anima dantur: illa enim mortem, hæc mortem aut extremam significant paupertatem: damus enim talia mendicis. Si mortui corpus in locum detuleris incognitum, infirmaberis: si non reuertaris, morieris. Qui à mortuo noto per vim trahitur ad locum incognitum, morbo violento corripietur: quòd si superabitur, morietur: si se retrahat, iam deploratus euadet. Qui mortuum dormientem videt, morietur miti morte. Qui à mortuo aliquid petit, à superiore affligetur. Qui mortuum dolore aliqua in parte sui corporis videt, aliquis per illam partem significatus malè afficietur, aut peccabit, aut ipsemet ægrotans in eadem parte corporis morbum patietur, aut eadem parte peccabis. Semper melius est videre amicos mortuos, quàm inimicos: nam & bona significabunt, aut mitiora mala: vnde parentes videre, minus malum est omnibus aliis mortuis, si mortui verè sint. Qui mortuum videt tristem, deformem, pannisque laceris, sibi caueat ab infortunio: nam si notus est, dolet de tua calamitate futura: si ignotus, hæc deformitas & squalor in personam tuam recidet. Si mortui aliquo in loco resurgere videantur, somnians vel aliquis è suis in loco eodem patrauit flagitium, aut patrabit: ex quo à superioribus punietur, aut renunciabitur contrario affectu, quẽ sensit ex ea resurrectione, quandoque tamen non designat locum, sed solum euentum. Et nonnunquam difficile nogotium significat: & si iam fuerit tale negotium, finem sortietur. Semper autem mortuorum resurrectio insperata prædicit. Significat & casum ex firma spe: est enim & hoc admirabile, vinctos liberat: & qui extra periculum esse videntur, supplicio afficit: hoc tamen rarum. Si qui resurgit, notus est: somnians nunquam dum viuet, eo voto potietur: nemo enim dum viuit, sperare potest videre mortuum resurgentem. Quòd si sperat, sperat in fine temporum: mors autem vnicuique aduenit in fine temporum: ideo non licebit vnquam sperare: & cùm sperabit, sciat, se ex eo somnio esse morti proximum. Mortuorum qualiscunque resurrectio, & præsertim generalis, confusionem maximam declarat: quæ enim futura esset conturbatio in mundo, si mortui resurgerent, vnoquoque sua repetente?

Interest hoc inter mortuos, qui mortui esse videntur, & qui viuere, quòd qui mortui esse videntur, veriora significant, & maiore cum periculo ac mentis perturbatione, ob timorem. Si ægro videatur, vel alicui è suis de illo, iungi cum mortuo, vel cum illo concumbere videatur etiam mortuus, morietur ex morbo magno & manifesto, sine spe salutis: & si viuere videatur, morietur nihilominus, sed cum spe salutis, ex morbo qui magnus non videbitur: si autem cum viuente, quem mortuum esse existimet, præter spem euadet. Mortui etiam sub viuentium specie, dolos, & homines improbos pro bonis habitos ostendunt: vt mortui autem, palàm improbos.

Viui sub mortuorum specie, vitam flagitiosam significant: talisque eris tu, si tibi mortuus esse videaris: vel latebis, aut phratriam ingredieris. Significat & exilium, & connubium. Mortuus si iaceas inter mortuos, cum facinorosis hominibus vitam duces: si viuus inter mortuos, inter tales habitabis, sed non coinquinaberis. Si qui viuunt, mortui videantur, & cogniti, desinent te amare vel odisse: sin autem incogniti, à pluribus decipieris & in vanum implorabis auxilium. Funus tuum celebrari, magnum honorem significat: sed si resurgat, antequam efferaris, illò excides præter spem: si postquam elatus, erit is honor etiam cum magna admiratione. Si in sepulchrum mortuus condi videaris, propter malè facta in carcerem truderis, aut infamià graui aspergeris: si viuus: iniustè.

CAPVT

CAPUT XXII.

De cœlo, sole, luna stellis.

COelum significat, cùm sit pars communis, quicquid nos ambit: patriam ergo, regionem & fortunam. Sol autem, præsidem prouinciæ, & senatus etiam, & prætorem, propter autoritatem necis: luna fortunam, & sortem, & iudices qui de fortunis iudicant, & vxorem præsidis. Stellæ autem, omnes congregationes & collegia ciuitatis: & sacerdotum etiam. Inerrantes etiam populum significant: vnde casus stellarum in mare, populi ruinam prædicit, Stellas transferre, potentiam & autoritatem apud populum declarat. Oportet etiam in stellis figuras considerare: canis enim, iram populi: corona, honores ab illo delatos: Andromeda, vincula: atque ita de auriga, leone, Perseo serpente, atque aliis. Planetæ etiam significant senatores & iudices: quia sol præsidem & prætorem significare potest. Stellæ autem lucidiores, tibi vel aliis fortunam splendidiorem significant. Luna quoque senatorem significat. Cœlum astraque omnia si tecum loqui videantur, magnos effectus portendunt, & plerumque calamitosos: & si te verberent, occident: magnitudo enim eorum ac robur mortalitati comparata, sunt sine proportione. Si sol sanguineus domui tuæ immineat, à præside prouinciæ vel senatus vel rege damnabitur aliquis è domo tua, capitali iudicio: & si niger fuerit, erit cum hoc exitium ille domui aut familiæ. Et si stella cadat in domum tuam quasi ignis, & extinguatur, iudicio affligêris. Et si quis è domo tua ascendat in cœlum, & in solem vel astrum conuertatur, fiet aliquis è tuis sanator aut prætor, aut in iudicem eligetur. Sol purus ex oriente surgens gloriam laboresque & principum acta significat, recta tamen & firma: cursus enim secundum naturam est. Turbidus & obscurus semper malus. Ex occidente si surgat, inanes spes, dolos, metus res non firmas portendit. Miseris tamen vtilis est, & his maximè quorum salus desperata est: occulta tamē reuelat. Occidere Solem ex orientis parte, omnibus ex æquo malum est, quod ad negotium attimet: id tamen malum quandoque tibi auxilio esse poterit. Sol obscurus, latêre volentibus bonus, similiter & timentibus: minùs enim exurit: cæteris malus. Et cruentus omnibus possimus, nisi si quis uindictam expetat. Si euanescat, mortem denunciat, vel cæcitatem: hi enim solem videre non possunt. Si à meridie vel à septentrione oriatur, medius est inter orientem & occidentem. In cubile incumbens, orbis aliquando filios promittit: est enim autor omnium: aliis filiorum interitum, diuitias, morbos, prout affectus fuerit, decernit. Solem in domo videre, aut incendium, aut magnum malum, aut filium regem futurum demonstrat. Solem dare aliquid, periculum nunciat: auferre, perniciem. Splendor Solis in domo, rem bonam, non magnam significat: est enim res consueta. Cum sole colloqui idem est ac si cum rege. Imaginem in sole vel luna videre, est filium, si pater sit, aut filiam, si mater, nascituram: nam verum speculum est sol & luna: & imago patris filius, & matris filia. Stellæ significant etiam stirpem venturam, quòd pars earum videatur, magna pars lateat. Stellas furari, studiosis bonum est: secreta enim magna inuenient: cæteris sacrilegium & pœnas minatur: diuinæ enim sunt stellæ. Stellæ sub tecto mortem domini nunciant, aut domus desolationem. In vniuersum, vbi senatus decernit, sol significat aut regem, aut præsidem prouinciæ aut senatus: luna verò, si rex adsit, præsidem prouinciæ, vel prætorem, vel senatorem: vbi verò prætor decernit, sol prætorem, luna iudicem refert. Et ita errones, senatores si rex non adsit: si adsit, aulicos repræsentant. Stella in sepulchrum cadens, interitum illustris viri significat. Si in caput alicuius ceciderit, populus de illo magna loquetur.

In cælo esse puro, arcanorum significat scientiam. At illud ascendere difficultates & mœrores: est enim res laboriosa, & plena periculi. Et quanto altiùs ascenderit, eo deterius. Domum in cœlo habere, lethiferum est: nisi quis sæpe somniauerit: tunc enim illustribus factis celebrabitur. In auem verti, & ad cœlum ascendere, est ad reipublicæ administrationem admitti. Cum aue loqui, quæ ex cœlo venerit, est supplicationes tuas esse exauditas: huiusmodi enim viuis loco nunciorum sunt.

CAPUT XXIII.

De Aere, ventis, iride, cometa, pareliis, inani, nebulis.

AEr insensilis est, communis, ac permanans: ventus sensilis, sed non manens, substantia tamen. Iris & reliqua communia & sensilia, sed quæ non manent, nec sunt substantiæ. Aër si videatur, incredibilia significat. Aër significat cor & pectus: quoniam eo talia aluntur, & quoniam perpetuò mouentur. Aër religionem significat, diuinus enim est, & perspicuus, nec videtur. Aër quoque vitam significat: eo enim ad illam semper egemus. Conturbatum aërem & nubilosum videre, est in religione turbas aut morbos cieri: clarus aër omnia perspicua & tuta, ac sine dolo significat. Aër turbidus, metum, & actionum impedimenta: obscurus autem, actionibus prorsus aduersatur, metusque ac terrores parit.

Venti significant seditiones, bella, ruinam populorum, & potentium nuncios. Si euertunt arbores, proceres euertentur: si herbæ, populus: si arces, reges: si domus, nobiles: si templa, sacerdotes. Si puluerem aduehant, contristabitur: si æstum, anxietatem: si frigus, inopiam. Si placida aura, nuncius adueniet bonus. Si vento feratur, peregrinabitur ad eādē partem, pro ratione velocitatis eius & temporis quo ferri videbitur, & pro

pro qualitate itineris & affectus animi : per segetes, nec proterens, nec excutiens, abundantiam : si dispergit aut proterit, annonæ caritatem : si contra te, impedimenta:si euntem te quasi adiuuet, felicem successum : si puluerem vbique spargat & aduehat, obtenebretque visum, pestem : si adeò terribilis si vt vix consistere queas, persecutionem maximam patieris.

Iris significat quid diuinum, ob colores & formam, & mutationem fortunæ speciosa magis quàm vtilia, & delectationem absque fructu. Vtilior à dextra tua, ac solis contrà deterior. Auersa autem supra caput, infra tendentibus cuspidibus est. Iris quoque principes ostendit fœminas : rotunda, regnum nouum, sed non diuturnum : nigra, magnas calamitates & strages.

Pareliæ significant fœminas : id est,illarum affectiones & causas : neque enim, vt dixi, quidquam de his quæ ad te: speciosa, sed non vtilia, nec cum vtiæ periculo : significant & res magis insuetas : & propriè hæ & irides peregrinas res & causas significant.

Cometes significat metus, stupores, facta regum, publicas mutationes, & à publicis vexationes.Significat autem pericula & damna ab externo homine, & nouo magistratu, & nouum hæresiarcham.

Inane autem & vorago in cœlo, significat mala in religione, & metus magnos videnti: & atram bilem, ac malas cogitationes.

Nebulæ albæ: felicitatem, itinera læta, famam : fuluæ, turbationes: caliginosæ, anxietates & itinera decernunt, nigræ & obscuræ, timores aut tempestates. Domum aut sedem in nubidus habere, est vana spe & lætitia gaudere, aut mortem proximam esse. Sed si ibi sit, aut gloriosam vitam, si talis sit: aut vanam iactantiam & existimationem prædicit.

CAPVT XXIV.

De aqua, mari, lacubus, paludibus, stagnis, fluminibus, fontibus, riuis, piscinis, puteis, cisternis, pluuia.

Flumina significant decursum vitæ nostræ similem illis. Et ideò bibere totum flumen, mortem proximam indicat. Studiosis tamen,sapientiam propè diuinam.Quale flumen,talis vita, aut sapientia.In flumine esse, nec posse exire, maxima mala & oppressiones, præsertim à potentibus viris, decernit. Si flumen diruat domum, aut rapiat prædium, potens vir familiam aut bona illius pessum dabit. Flumen è domo diuitis exiens,potestatem in populo significat: pauperis, vxorem aut filiam prostituendam. Lacus idem quod flumina significant, sed sine impetu: nec ergo vitam adeò inconstantem, nec potentium iniuriam, sed maiora damna etiam in vita. Significant etiam vberem sapientiam. Et piscosas esse aquas, bonum omnibus est, & malum auerruncat.

Pluuia cuius aqua clara est, portendit felicitatem : & si bibatur, sanitatem : turbida autem, molestias: & si bibatur, morbum : à cœlo enim descendere videtur, à quo mala & bona nobis adueniunt. Pluuia etiam mutationem fortunæ significat, calamitosis bona,beatisaduersa.Significat & pluuia gratiam à Deo. Pluuia in domo cum extra serenum tempus extiterit, speratis contrarios prædicit euentus.

Cisterna, quòd defecatam ferat aquam, & homini salutarem, bonum omen est. Estque velut morbosis hominibus salubris : ita calamitosis auxilium quoddam familiare prænunciat : & fortunæ mutationem præsidio humano, & consilio bono. Quòd si corrupta sit, omnia cadent in contrarium. Cisternam expurgare, est ab antiquo errore resipiscere ae liberari. Significat & delicias, ac securitatem, defossasque pecunias.

Torrentes, prauos & violentos significant iudices, & inclementes etiam dominos : sed illos, quia parum durant: hos, qui finem tamen breui habituri sint. Malum est videre torrentes : quia periculum & timorem ostendunt:sed si aliquid diruant, damna. Differunt torrentes à fluminibus, quòd torrentes nunquam bonum significant, & eorum iactura spem habet reparationis : contraria in fluminibus.

Aquæ omne genus, secundum naturam bonum : si exsiccetur locus vnde manare videbatur, inopiam ostendit, & infelicitates. Aqua turbida in domum tuam fluens, incendium prædicit : clara, hominis potentis aduentum. Aqua è muris domus erumpens,molestiam atque tristitiam significat : quòd si in vase colligatur, molestia illa maior erit. Sed si siccetur effluxus ille aquæ, à molestia euadet. Quòd si per canalem aqua defluat in domum,diuitias acquiret vnde non sperabat. Si aqua clara in domum influat, diuitias etiam portendit: si vtroque modo, id est per canalem, & clara, maiores diuitias. Aquam in cribro ferre, est pecuniam credere viro infido. Et si effundatur, amittet illam, Aquam ex vrceo fracto non effundi, mortem matris significat: mater enim senex est, & vrceus pertusus. Si verò ex vrceo integro effundatur, contraria ratione sequetur mors filii. In aqua suam imaginem videre, breuem ostendit vitam : instabilis enim est aqua. Sed si aquam inuenerit, fortunabitur.

Riuuli, gratiam, lætas occasiones, lucra hi enim hæc omnia præstare solet.

Paludes, impedimenta & moras, & peregrinantibus pericula, exulibus longum exilium. Stagna turbida, pericula occulta portendunt:clara, vitam segnem & voluptates : neque enim loco mouentur.

Piscina sine piscibus, defectum rerum, quas possidere se arbitratur, significat : cum piscibus autem, prouentuum abundantiam.

Mare, religionem, reges & populos:quale tibi videbitur, tales erunt, seu tranquillum seu agitatum. Mari si mergaris : cum meretrice iungeris: mare enim multa monstra alit. Maris imago malum genium, proprium & ineuitabile exitium ostendit : est enim ad-

nersum

uersum hominibus, periculis, terroribus ac tempestatibus plenum. Mare videre leuiter vndosum & purpureum, bonum est: tempestuosum enim metus, pericula, damnaque significat: tranquillum autem, negotiationes impedit. Mare significat crura, brachia, humores.

Puteus, diuitias significat: sed si aqua turbida sit, molestias. Si siccatus fuerit, ruinam somniantis, atque totius domus prædicit. Puteum in agro fodere, nec aquam inuenire, cum malis versabitur, & pœnas dabit: sed si aquam inuenerit, fortunabitur.

Aqua si terram obruat, fiatque quem vocant cataclysmum, bella significat: sed si omnino tota terra tecta aquis videatur, hæresis spargetur, aut morbus vulgaris, luesque per vniuersum orbem: ex quorum altero cædes & bella vndique & inopia frugum erit. Si autem priuatum somnium, eadem ex illo.

CAPVT XXV.

De igne, fulgure, & tonitru.

IGnis supra caput, qui te lædat, exitium proximum significat: sed si flamma sit nec lædat, gloriam non mediocrem. Fornax flagrans, significat peregrinationem. Si domus tota conflagrasse videatur, inde rudera frigent, iam proxima est miseria & egestas: sed si pulchrior exædificato rursus videatur, nec id omnino bonum est: fieri enim potest vt opes tuæ in alium transeant, qui eis meliùs vtatur. Si in domo tua magnus sit accensus ignis, in magno versaris periculo iã: ignis enim diu differre suum opus non potest. Itaque iacturam etiam significat. Verùm si mediocris sit flamma, splendidaque, honorem & lætiam. Ignes fortuiti bella, sterilitatem, terrores, dolores animi intolerabiles, seditiones etiam & tumultus, qua parte euenerint. Si autem in caput decidant, supplicium somnianti, vel illius patri vel filio significant. Ignis domesticus, & quæcunque ex illo, bona, si ritè splendeant: velut candelæ, lucernæ, lampades, faces. Morientia & extincta, mortem prædicunt. Differt actus à perfecta re: quòd hæc omnino venturum significant, & minorem animi molestiam: actus autem, maximos æstus animi: & forsan effectus non sequetur. Faces ardentes hoc habent præcipuum, quòd amorem significant. Ignẽ magnum & odoratum adorare, si princeps sit, victoriæ signum: si malè olentem, cladem in priuato: ex hoc succumbet, ex illo exaltabitur. Candela vna accensa iuxta, aut duæ, vna à capite altera à pedibus, exitium proximum significant: & similiter, si plures incorte vel templo: si in templo etiam ad coniunctos transferri potest: candelæ accensæ plures cum risu, mortem vxoris, & alterius nuptias significant: candelæ accensæ circa triclinium, ludos & gaudia significant: candelæ extinctæ, & lampades, ac lucernæ seu extinctæ seu accẽsæ, luctus, mœrores tristitiamque prænunciant: lucernæ etiam diuiti paupertatem præsagiunt: focus extinctus exiliũ, aut paupertatẽ declarat.

Fulgura & tonitrua, mutationem status significant. Tonitru est edictum principis graue: terret enim populos: fulgura sine tonitru, inanes metus significant. Fulmina quæ aliquid diruunt, euersionem domus significant, & autoritatis: si flammam accendant, gloriam: quoniam à Ioue creduntur emitti. Sed si vtrumque videatur, erit gloria luctuosa. Si propè cadant, discessum ex illo loco portendunt: si ante pedes, mortem: progredi enim antea ampliùs non posse significant. Si super pedes, pauperes illustrat, diuites destruit: filios habentibus, mortem illorum minatur, & forsan orbitatem: exarescunt enim germina plantarum fulmine percussarum. Et generaliter, ictus fulminis mutationem status ostendit. Sed deterius est totum ici, aut iacentem. Feriri fulmine lectum, annulum, oculum, aut eiusmodi, mortem significari per illa significat: vt filij, vel vxoris. Fulgur cum tonitru, iram principis, edictum & iacturam ab illo significat. Sedentem in regia sede, aut in magistratu quem non geris, auspicatum est: sed si gerat, priuabitur illo magna vi. Tonitrua pugnantia, verbosas contentiones significant. Si tamen fulgura non desint, populi aut reges magnis contentionibus bella gerent.

CAPVT XXVI.

De niue, grandine, pruina & glacie.

GRandines significant ruinam, bella & damna certa. Si cadant, maiora damna in hominibus & quadrupedibus: si ceciderint, iuxta damni qualitatem in prouentu iudicabis.

Nix pauca, abundantiam: multa autem, turbationes, metus, & inimicos, velut & tempestates. Indigentiam quoque significat. Extra hyemem, impedimenta & inopiam: sed si tempus non hyemis videatur, erit cum spe & breue damnum.

Pruina, paupertatem & impedimenta, & frugum ac fructuum damna significat: & magis quàm nix, eisdemque rationibus: sed impedimenta minora, damna maiora.

Tempestates significant negotia multa & vitã laboriosã, & metus magnos: iuxta ea quæ illis iunguntur, fulgura, tonitrua, grandines.

Glacies inopiam magnam, & tristitiam ac dolores: nam & glacies vulnerat, & tangendo lædit hominem. Significat etiam gemitus & lachrymas. At forsan de his atque huiusmodi iure dubitabis, quomodo hoc ad publicum pertinere possit: semper enim calamitates contingerent. At de his in capite de Dignitate loquemur: nunc ita satis sit distinguere. Quæcunque videntur à somniante, ad illum pertinent: ad publicum pertinere non possunt, nisi talia sint vt ad illum nequeant pertinere, nisi superueniente publia calamitate: neque id semper, sed in opulentis etiam propria damna significat.

CAPVT

CAPVT XXVII.

De terra, & terræ motu.

TErra significat viscera: quia ex his trahitur alimentum. Et matrem & patriam: est enim mater omnium, & educatrix, & rursus patria communis. Cum terra loqui, longam vitam significat: quæcunque autem audieris, vera esse existimato. Opes autem ingentes hoc somnium pollicetur: quòd è terra sint omnes opes. Ob id Pluto fingitur diuitiarum Deus.

Terra trifariam tibi offerri potest: vel vt moles tota, vel vt Deus, vel vt pars: vt tota quidem rectè significat, propter ea quæ dicta sunt: vt verò pars aliqua ad eam regionem pertinet: vnde sepulchrum ibi aut moram in illo loco significat. Vt Deus autem, etiam fortunata est. Magnum est omne somnium terræ, quod cum voce coniunctum est: quoniam admirationem ingentem parit: admiratio, veritatis somnij indicium est: vox è visceribus terræ, ad mortem vel ad luctum vel diuitias pertinet.

Terræ motus, principis edictum significat. Differt à tonitru: quoniam terræmotus est cum iactura tributis & vectigalibus: tonitru est minax, sed non cum iactura subditorum. Tremere terram, infelicitatis, suspicionis, atque timoris signum est. Mugire terram, ostentum & malum est, calamitatemque nunciat. Quòd si in domo tua solùm audiatur, deterius est. Significat & hoc principis aut senatus edictum in te. Terra si bene oleat, fama bona de te passim spargetur. Terra si scateat vermibus, animalibus, germinetve herbas noxias, omnia iuxta rationem eorum sunt interpretanda. Si terra in cœlo esse videatur, ad publicumque pertinere possit, iustus princeps demonstrabitur: sin autem priuatæ conditionis homo videat, ius consequetur vnde non sperabat, aut ipse impius erit. Terra si diuidatur, fiatque barathrum seu specus ingens, significat mortem potentis viri, & pestem animalium: & si valde magnum fuerit, erit perniciès regioni. Et in hoc casu sufficit minimum indicium, vt ad Remp. pertineat. Terra si colorem mutet, ad caput de coloribus deuenies. Si sapores in terra percipias, si quidem alienos & malos, mali homines & morbi erunt: si autem boni, boni: sed si eduliorum, aut illius edulij abundantiam, quasi repleta terra, & si dum floret, significabit: aut maximam penuriam, cum post, alterutrum verò, nondum apparente vllo signo.

CAPVT XXVIII.

De montibus, collibus, vallibus, pratis, campis, nemoribus, desertis.

MOntes significant viros potentes, negotia ardua: sed & miseram vitam, quamuis securam. Si arenosus sit, aut niueus, potestatem magnam præsagit, quæ breui in nihilum deducetur. Montes etiam reges si magni sint, & populos si alti sint, potentes: si humiles, minus, decernunt: semper autem metus & labores, & ob altitudinem & lapides ex quibus constant, & latronum insidias. Montem nouiter oriri, significat virum potentem & grauem reipublicæ oriturum. Montes si pugnent, pugnabunt duo viri potentes: iactura autem, iuxta rationem eorum quæ perire videntur. Si magna animalia peribunt, patricij: si parua, populus: si fruges & fructus agri, ipsi & domus euertentur.

Colles eadem significant quæ montes, sed minora & molliora: quoniam plerumque terrei sunt. Significant & amœnas negotiationes, si vireant plantis. Et vitam inæqualem prædicunt. Omnia præterea talia quæ amœnitatem referunt, vt colles, saltus, vireta, horti, fluuij, fontes, palatia, operationes bonas referunt: translatis ex passionibus, & sunt bene affici ac lætari ad bene agere, vitamque secundum virtutem.

Valles significant dolos, deceptiones, oppressiones: quoniam à montibus circundantur: & propriè populos: qualis vallis, talis populus. Significant & colonos in domo.

Prata significant voluptates, delicias, gratiam, iucunditatem felicem vitam.

Campi significant opulentiam, & homines diuites: in his autem oportet, vt in prioribus, obseruare tempora: nam si floreant prata, optimum est: sin autem herba alta & densa, vtilitatem cum minore voluptate: sed si squalida & arida sit, infortunia & calamitates: ita & campi, si cum aristis fuerint, nihil melius: abundantiam enim omnium necessariorum significant: sin autem non adsint aristæ, sed sola seges, erunt hæc minora, & serò contingent: si deserti & squalidi, omnia in quibus spes erat, euertentur. Similiter valles floridæ & amœnæ cum riuulis & fontibus, gratiam cum populo, omniaque secunda & læta promittunt. Idem dico de collibus ac montibus. Hæc intersunt inter montes & colles ac valles, tum campos ac prata, quòd quæcunque per se bona sunt, si rectè se habeant, perfectã felicitatem declarant: si peruerse, perfectam infelicitatem. Sed quæ per se bona non sunt, si bona sint, minorem declarant felicitatem: si mala, minorem etiam infelicitatem, veluti montes aridi, ac colles. Rursus media, vt valles, & etiam nemora, medio modo se habent inter optima pessimaque. Verùm si contingat quæ mala sunt aduersari, tunc deteriora sunt quàm bona: velut casus montis, vel è monte, maiorem ruinam significat, quàm campi aut prati ruina, vel si videatur aduersum te surgere. Seges quoque in melius mutata: vt si aurea fit, vel prati herba, & generaliter quicquid demeti solet, optima est: & si contrà vertatur in serpentes vel herbas prauas, aut spicula, vel in stipulas, mala significant: primùm quidem inimicos loco auxiliatorum, & perniciosos significat: secundum, impedimenta: tertium contentiones, rixas, dolores: quartum, inopiam.

Nemora & syluæ significant labores, pro-

pter itinerum difficultates, & excisionem lignorum: timores, ob latronum suspicionem & obscuritatem: fugam, quoniam latebras præbent: lucrum laboriosum, propter venationes, & lignorum collectionem, insidias, ob facilitatem, & loci qualitatem: viros nobiles, propter magnitudinem arborum, agrestes etiam & rusticos, propter naturam loci. Commune præterea est campis & agris, vineis, lucis, syluis, significare attem lucrosam, amicum vtilem, & piscinas, è quibus non leuis vtilitas habeatur. Consitum omne in sterilitatis tempore videre, vbertatem prouentuum significat: tempore autem abundantiæ, sterilitatem & penuriam eorundem.

Solitudo significat paupertatem, vitam miseram & periculosam, exilium graue, & etiam mortem: & solitudo omnibus mala est, quoniam humanæ naturæ aduersatur solum: bona est timentibus ab inimicis: ibi enim non adeò periculum imminet. Bona est etiam studiosis: quoniam est iuxta illorum finem. Et solitudo pauperibus miseriam significat, diuitibus deseri ab amicis: vxorem habenti, & filios, illorum mortem. Oportet autem in ea diligenter considerare hominis statum, & solitudinis qualitatem: nam si omnino squalida sit & sicca, pessima est: sin autem fontes adsint, & herbæ desint, tamen animalia & homines, studium literarum & contemplationem prædicit: si homines non adsint, animalia tamen adsint mansueta, & qualia cerui, capreoli, otium & vitam tranquillam significat. Sin domestica animalia, & quæ loquantur, aut lemures, vitam monasticam. Sin leones atque serpentes ac huiusmodi feræ, fiet latro. Considerare etiam oportet animi affectum: nam si tristatur, desertum iri ab omnibus significat: si cum voluptate ibi degit, ipse sponte à negotiis se abdicabit. Omne solitudinis genus ægro & vincto pro crimine capitali mortem prædicit. Sed qualis solitudo, talis mors: leuis, acerbáue. Solitudo in qua fit domuncula, etiam mortem prædicit: sed si vnus adsit socius, aut puer, studia literaria significat. Puer quid significet, suo loco dicetur: sed in solitudine quicunque fuerit, Genius tuus est: is si puer est, iucundam vitam, sed sine autoritate & lucro: si senex, cum autoritate, sed tristem ac lugubrem: si mulier, fortunam tuam: si passis crinibus, exitialis: si iuuenis pulcher, autoritatem & opes & voluptatem. Et solitudo mortis tempus significat: quoniam qui moritur, solus moritur, etiamsi cum exercitu Xerxis vniuerso pereat.

CAPVT XXIX.

De gemmis, lapidibus, metallis, atque figuris.

LApides iacti, iurgia significant: nam & offendunt, & in irritum cadunt, vt etiam iurgia. Lapidibus impeti, est malè audire, & infamiâ aspergi. Et iactus lapidum, peregrinationem significat. Dixit Artemidorus actum lapidum à turba solis tibicinibus, qui ex populo quæstum faciunt, vtilem esse. Sed si non iaciantur lapides, impedimenta & cogitationes prædicunt: illa quidem, quia ambulantibus impedimentum afferunt: has, quoniam ad structuram sunt idonei: tale est sabulum, & calx, cementum etiam Sed & sepulchrum nobile prædicunt. Et lapides magni referunt homines corde duros, crudeles, rusticós, ingratos, iuxta locum vbi visi fuerint.

Gemmæ significant filios & filias propter charitatem: amasias, propter delectationem: libros, ob pulchritudinem: dies quoque felices. Albæ, delicias, iucunditatem diuinam, sapientiam, simplicitatem animi. Crystallus autem ob precium vile, libros raros & pulchros. Aureæ, inuidiam cum honore, & æmulationem cum potentia. Rubræ, lucra periculosa aut cum sanguine: virides, spem, amicos, vxorem probam. Cæruleæ, studium, sapientiam, dignitates. Rubiginosæ, robur & mœrorem lætitiæ mistum. Nigræ, studium, lætam tristitiam velut hæreditatem: vinosæ, suauitatem & lætitiam. Gemmæ significant rara & insperata bona: significant & sapientes, probos ac innocentes: & propriè sacerdores, sacerdotia, existimationem in religione, & cultum Dei. Significant & hilaritatem non solùm ob naturam, sed vulgare, nomen: nam Gemmeum vocamus hominem, & gemmiscere (vt ita dicam) seu vt vulgari linguâ *Gioire*, lætari, iubilare, cum ornatu gratiaque eximia. Gemmæ autem magni pretij, significant libros de rebus secretis, aut raros, aut non significant: & gemmæ referunt sermones diuinos: Margaritæ verò etiam præter religionem, significant sapientiam: ideò eas calcare, malum est. Et hyacinthus specialiter lætitiam & fortitudinem significat: & sapphirus diuinitatem, & smaragdus abundantiam & opes, ob pretij magnitudinem: & quoniam plantas, è quibus omnia trahuntur, refert. Adamas, ob duritiem, victoriam: amethystus autẽ, tranquillitatem: carbunculus verò, honores, propter purpureum colorem. Etsi frangantur talia, euertentur.

Aurum significat timorem ob pretium: & insidias etiã, & difficultates, ob pòdus & impedimenta, irã etiã & tristitiam, & honores.

Argentum verò eadem significat, & tumultus ob sonum: non est iræ & tristitiæ significatiuum, nec tam grauium impedimentorum qualium aurum, quia leuius: honores etiam minus prædicit: anxietatem & turbas multas: quoniam magnâ multitudine eius opus est ad negotia: omnia quæ aurum significat, per argentum etiam significantur, sed minora.

Plumbum significat impedimenta, onera, difficultates, labores, tristitiam, desperationem: album, morbos cum dolore, ob stridorem: nigrum, sine dolore & lethales. Inuidiam etiam præsagit.

Æs significat vulnera & verbera cum dolore: stridet enim vt plumbum album: & eo vtebantur olim pro armis, loco chalybis. Sed & omnia eulgat: quoniam maximum edit sonum. Numni ærei rimam aut litem ostendunt. Æs Cyprium, seu factitium seu

nationum:

natiuum: quoniam meliùs ſonat, & non adeò ſplendet, famam rei potius quàm rem ſignificat: idem tormenta bellica, nolas, vaſaque refert: dolum etiam magis quàm æs aliud ſignificat: crudelitatem verò minus.

Ferrum comedere, eſt ſuperare potentem, diu viuere, & eſſe robuſtum: Ferrum ſplendidum, ſignificat alacritatem & fiduciam: rubiginoſum verò, timorem & diffidentiam.

Argentum viuum ſignificat morbos, propriè ab effectu, & maximè imbecillitatem: potentium promiſſa grauia & fallacia: dolos & inſidias, quia vile eſt, & argento aſſimilatur: & etiam quia illitum, adulteratam pecuniam ſplendere facit. Et propriè proditorem ſuorum: corrumpit enim omnia metalla. Magnam etiam mutationem fortunæ ex leuiſſima cauſa: quia ruit.

Orichalcum, hominem inanem, deceptorem, vanum, ventoſum: quoniam ipſum æmulatur aurum, vt plumbum album argentum. Fucum & dolum ſignificat, ſed maiorem quàm plubum album.

Sulphur infamiam magnam denotat: quoniam maximè fœtet. Significat & homines fœdos: quia illis pro cura eſt. Significat & cauſam rixæ & furoris: quia accendit ignem.

Auripigmentum ſignificat fallacem: nihil enim ei commune cum nomine, id eſt, auro: triſtitiam, labores, iram, ob colorem: perniciem & morbos: quia venenum eſt, ob colorem.

Coticula, incitationis, adhortationis, lætitiæ, ſine auxilio tamen, ſignum eſt. Lydius lapis exploratoris, & eius qui fraudes detegit. Lapis herculeus, amorem, ſtultitiam, vanas cogitationes, admirandos euentus, nauigationem. Silex, hominem rudem, aſperum, durum, incomptum: marmor, durum, inuidum, ſed comptum. Gemmæ non pretioſæ, vt achates, carneoli, & ſimiles, artifices ſignificant ſatis iucundos, non tamen egregios, niſi picturâ inſigni præditi ſint. Coralius ſignificat nauigationem, aut conturbationem rerum tuarum. Lapilli diuerſorum colorum, ſed nullius pretij, ſignificant promiſſa pulchra, ſpes inanes, homines populares & iucundos: verba grata, ſine effectu aliquo.

Lapides præterea magnos cadentes videre è cœlo, publicam ſignificat calamitatem: ſed ſi vnus tantùm fuerit, erit calamitas quæ non multum durabit. Sed ſi cadendo lapis ille confringatur, viri potentis & praui auctoritas confringetur. Sed ſi terra tota ſaxoſa ſit, erit penuria frugum, aut miles alienus opprimet habitatores.

Si gemmæ aut metalla incognita videantur proſtare venalia, homines incogniti auctoritatem in populo habebunt. Sed ſi in domo tua tantùm ſint, ſeruies eiuſmodi hominibus cum lucro, ſi acceperis: ſine lucro, ſi ſolùm tractaueris.

Sunt etiam ſpectandæ figuræ in gemmis, quæ apparent ſeu cælatæ ſeu ſculptæ. Et cælatæ quidem ſignificant occulta negotia, ſculptæ autem manifeſta: pictura autem, breuis temporis. Et ſi verba quidem aut literæ inſcriptæ ſint, erunt, vt ſuo loco dicemus, interpretanda. Sin verò figuræ, quæ quidem cælatæ contrario modo quàm ſculptæ, vt iacent. Eſt tertium genus diſcriminis inter cælatas & ſculptas, quòd illæ futurum ſemper, hæ factum iam oſtendunt, & in literis ac dictionibus contrario modo ſunt interpretandæ. Contrario quidem modo dico, ſi Roma ſcriptum ſit, amor: quia amor aliquid ſignificat: at ſi gaudium, quia muiduag nullum habet ſignificatum, triſtitiam interpretaberis, gaudio contrariam.

Ergo ſi ſculptus ſit geminus accipiter, nuptias ſignificabit, miramque concordiam. Scarabeus ſordidum, ſterilem, puerorum amatorem, ab omni conuerſatione abhorrẽtem. Cynocephalus, maledicum & iracundum: luna inuerſa menſis ſpatium. Animi fortitudinem leo, tum robur: timorem autem lepus, & mollitiem. Epiſtola, ſecretam: liber, rem antiquam: tonitru, quod ſculpi non poteſt, ſomnus admittit, litem aut contentionem, vel reprehenſionem procul venientem. Phœnix, rem fabuloſam & admirandam, ſenem decrepitum iuuenemque ornatiſſimum demonſtrat: ſignificat & longam peregrinationem. Lingua exerta, male licentiam: excoriata, potum veneni. Ros eruditionem, cor amorem, canis fidem & ſocietatem & cuſtodiam, ignis rem in extremo poſitam, piſcis excordem & malignum, hircus patientiam, muſca importunum: ciconia amuletum, & temporis mutationem: araneus doloſum, mus furem, columba libidinoſum, homo præciſo capite deſperationem negotij: ſerpens fraudulentum, malignum & impotentem: draco autem, crudelem & ſuperbum: crocodilus exitium prauum, & raptorem, & multorum improborum filiorum patrem ſignificat. Pudendum in manu, caſtitatem: fumus, ignem ac cæcitatem: index digitus, promiſſa iam: ceruus, longæuum, & mœchæ publicæ coniugem: noctua, mortem: hirundo, vitæ mutationem: & ſi tempeſtas eſt, tranquillitatem aëris. Turtur ſola, cœlibem: cum ſocia, iniquam conditionem. Orcus, fiſcum: mula, ſterilem vel nothum. Olor, poëtam, diuinum virum aut ſyncerum. Equus mortuus, extinctas vires, auctoritatem, facultatem: veſpertilio, furem & inſidiatorem, timidumque ac miſerum refert. Cæcitatem talpa commonſtrat: Fiber eum qui malè vtitur rebus ſuis: leo ſimiam deuorans, ægri ſalutem: ſimia, adulatorem, & artificem rectè imitantem: laqueus, occultum & ingens periculum: hominem improbum ni futurum innoxium, taurus ſuo genu vel columnæ alligatus: vrſa cum catulis, furioſum rabie: catuli autem deformes, homines ſignificant: & ſi nuper nati videantur, rem in melius commutandam. Bonis moribus præditum elephas oſtendit: peſſimis, hyæna: potentem, ſed imbellem ac fugacem, ceruа: longam & extremam ſenectam, cornix moriens: Feles caudam mouens, (ſed & hoc ex his quæ ſomnus præter fidem poteſt oſtendere) proditorem: ceruus autem cum tibicine vel citharista, etiam exitialem ſignificat, Pardalis, blandum & improbũ, inſidumque: excubantẽ, &

& de sui salute vel communi etiam solicitum, grus vigilans: Venerem præposteram, perdices bini: inopem senectam, auis quæcunque rapax cum rostro oblongo. Miluus, cum qui ætate deterior & infelicior euadit: gibbum camelus, sagacem & imprudentem rana: ea etiam propriè podagram significat, & vocis raucedinem: omnium consuetudinem aspernantem, & nothos etiam, anguilla. Torpedo visa, pessimum est somnium in obeundis actionibus. Polypus, nemini parcentem, & voracem: idem etiam aliena, deinde sua dissipantem. Cauin periculis, sepia: fœcundum passer, & salacem etiam: fœdum, & mala morte periturum, sus: pinna, fumarij maximè, instabilem: lyra, cum sodalibus conuenientem: struthiocamelus, inuicta superantem, & desperata conficientem. Manus humana, aptè negotium tractandum, ac successurum. Apis, mel conficiens, regem iucundè imperantem. Crux, grauia toleranda: papaueris caput, vbertatem: sinistra compressa, auaritiam: dextra expansa, liberalitatem. Falco, negotium actutum finiri. Rota, humanarum rerum vicissitudinem & mutationem. Pauo oua deuorans, perperam facti pœnitentiam. Hæc itaque seu plastice metallo expressa, seu picta in lapide vel muro, sculpta in gemma, ita significant: cælata autem, contrario (vt dixi) modo. Pro reliquis singula capita, vt in Somniis, consule. Quapropter in cunctis somniis tria hæc capita considerare debes: præsens scilicet, & vltimum huius libri, & quintum decimum rursus præsentis libri. Hoc autem præcipuum id habet, vt ob solidam nobilemque materiam perpetuum vigorem retineat. Sed quoniam ficta sunt, opinionem sæpe pro re præsagit.

Ideo res est vana et futilis —

CAPVT XXX.

De plantis.

PAlma significat victoriam, & hominem vndequaque absolutum: est enim arbos longæua, ferens fructum bonum, & qui diu durat: exhibet & multiplices vsus, decora, perpetua virens fronde. Nux significat auarum, & deceptorem: malè enim olet, & ideò malorum morum. Plantæ sine trunco, homines & actiones viles significant. Herbæ, res non diuturnas ostendunt: singulis enim annis mutantur. Arbores solidæ & erectæ, spinosæ, latrones, & viros contumaces, potentes & fortes: quæ autem flectuntur, vt nouellæ & vitis & hedera, molles & tractabiles, sed quandoque fallaces. Cortex etiam crassus & durus potentiam hominis declarat: frondes autem, ornatum & venustatem. Fructus arborum, pecunias significant: hæ enim sunt fructus laborum & cogitationum: quocirca arbores ipsæ, labores, negotia & cogitationes significabunt. Ex arbore cadere, est è spe excelsa decidere. Arbores in domo nasci, inauspicatum est: minus quod portendat mali est, vt significet alienos in tuam familiam inseri, vel recepi in contubernium. Eò deteriora hæc, quò magis turpes aut fœdæ & magnæ fuerint: non enim nascitur arbor huiusmodi, nisi desoletur locus. Ideò prauæ sunt sambucus, & vrtica, & caprificus & vitex: in horto plantæ bonæ, & in sylua: & quantò pulchriores & vtiliores, & magis fragrantes fuerint. Et fracta arbos morbum domestico prænunciat: & si fuerit palma vel arbos vnica, quæ verè in domo sit. domino domus, & grauem. Et casus foliorum ex plantis super dormientem, insidias & dolos confingi aduersus illum significat. Et plantæ absque radice, cogitationes vanas significant, & homines paruæ fidei & vtilitatis: negocia & infantes si tum nascantur, breui interituros. Et arbos etiam significat mulierem fœcundam è consanguineis: ideò inscendere arborem, vel illius fructus dulces edere, parari significat incœstum. Et seges cum spicis in agro læta die, omnia bona & lucra ac spes pollicetur: contraria, contrario modo. Et triticum est optimum, inde siligo & hordeum: sed legumina sic luxuriantia, licèt bonum significent, cum magno labore tamen: nam difficulter coquuntur. Vitis, alludente vocabulo, vitam significat: viuax enim est: rami, vitæ partes: fructus autem, felicitas & deliciæ. Malum est, si vitis ipsa in labruscam degeneret: tunc enim felicitas & voluptas præteritæ vitæ in dolorem & tristitiam mutabitur: fructus pecuniam significat, folia ornamentum & voluptatem: exhilarant enim animum. Vitis luxurians, amplificationem familiæ significat. Exarescens vitis & exilis facta, morbum longum portendit. Plantæ exorientes è corpore toto, mortem portendunt: è terra enim oriri solent. Si autem è certa parte, eius partis interitum, aut eius qui per illam partem significatur. Quæ diu viuunt plantæ, fera promissa, & effectus diu duraturos portendunt: contra, quæ parum viuunt. Quæ fructum edunt suauem, opera hominibus vtilia & iucunda: quæ insuauem, vt quercus, sibi soli vtilia, non aliis: quæ nullum nullius vsus, aut steriles homines declarant. Quæ rursus excelsæ famosos & cognitos: humiles, sordidos & abiectos. Itaque si qua mulier persicum parere visa fuerit, iuuenem egregiis moribus, sed breuis vitæ pariet: si quercum, rusticis, & diuturnæ vitæ, attamen cognitum multis: olea ægris perniciosa est, laurus salutaris, & dignitatem prænunciat. Spinosæ, duræ & asperæ, vt rubus, berberis, rosa, paliurus, ad securitatem bonæ sunt: ex eis enim fiunt sæpes, linum, sparthum, Græca salix, & quæcunque ad vinciendum apta, amicitiæ copulandæ idonea, metuenti carcerem infausta. Quæ perpetuò virent, stabilem statum significant: cupressus luctum, palma victoriã, myrtus amorem, laurus læticiam præstant. Quæcunque coronariæ habentur, honores significant, iuxta plantæ naturam: sunt autem olea laurus, myrtus, quercus, apium, cupressus, gramen. Quæ ad serta, vt flores ferè omnes, & poma rosea, ad lætitiam spectant.

Vitis

Vitis & spicæ, deorum sunt coronæ, significantque prosperos successus. Quercus hominē opulentū, olea mulierē diuitē prædicit. Quæ solitariæ sunt, tristitiam significant, & deseri ab omnibus: vt contrà hortenses, gaudia & societates, lenoniasque actiones ac vitam. Quæcunque fructus iucundos afferunt, & lucra decernunt, vt steriles inopiam: Que bene olent, vt rosa, viola purpurea, garyophyllus, ephemeris, lilium, bonam famam & nomen pollicentur, tum iusta facta: contrarium, contraria. Arbores vtiles & speciosæ florentes, & cum læta fronde aut frustibus, bona significant. Adianton siccum iter portendit. Crocus fortunam propriè mutat: nec vlla planta aut aliud desperatis rebus tam auxilium affert. At prauæ, rhododaphne, buxus, taxus, lætæ: malum aridæ, aut mali viri casum: aut bonam nobis significant fortunam, ni nos ipsi Macrino Imperatori similes simus. Ictæ fulmine plantæ, euersionem familiæ aut domus aut hominis ostendunt. Si è fulmine ardeant, præclara facta decernunt. Plantæ & animalia cùm homines & actiones significent, in hoc differunt: quòd animalia significant actiones: plantæ autem opera ipsa. Animalia ostendunt homines iuxta mores, & breues actiones: sed plantæ significant homines simplices, aut simpliciter iuxta opera naturæ, sed firma, velut propagationes & stirpem: vnde & stirpem, plantam appellare solemus. Plantæ præterea ornatum quendam, & ordinem & decorem personarum decernunt, adeò vt etiam ad reges procedant, propter ornatum, decorem, & odoris fragrantiam: nihil horum animalia. Nuces & auellanæ, & quæ fructus pariunt qui antequam edantur, confringuntur, turbationes & tristitias portendunt: præsertim autem nux, à nocendo dicta. Sic & nucis planta odiosa est, propter vmbram, & ideò impedimentum significat: vt cupressus funera, ob antiquam morem: fraga, cerasa, persica, & quæ parū durant, breues voluptates: sic & mora, ficus, vuis planè quasi similes: cotonea, pyra, punica, & quæcunque seruantur diu, voluptatem firmam & vtilitatem pronunciant. Quælibet arbor talem somniantis progeniem ostendit, qualis ipsa est.

Morus arbor prudentiam significat, & lucrum: quia bombyces alit, & fructum fert etiam. Quercus diuinitatem: quia sacra Apollini: tum etiam diuinationem. Platanus pulchritudinem & quietem: nulla enim planta speciosior, nec vmbra melior: lotos autem, obliuionem malorum, tranquillitatem. Spinosæ plantæ omnibus ad securitatem bonæ sunt, & fraudulentis viris & cauponibus, & lictoribus, & publicanis, & prædonibus, & tenuibus mercatoribus, vt laniis & textoribus: cæteris autem malè: quoniam negotia implicant, & ad finem perduci non patiuntur.

Sunt qui plantas ita distinguant, & rectè: Cupressus, formosam aut principalem mulierem: vitis, vxorem aut concubinam fœcundam: punica, nobilem opulentum, duræ ceruicis: nux diuitem auarum: malus, mulierem iucundam, & lætam: vt oliua, virum huiusmodi. Cedrus, nobilem, potentem, & bonæ famæ. Gossipij arbor, pauperem, non tamen multum. Quercus, hilarem & honoratum. Spinosæ plantæ inimicos significant. Auellere ramum ab iis vt vestem liberes, victoriam ex inimico significat. Cucurbitæ, & quæcunque valde crescunt, nec sunt arbores, inanem & ventosum hominem ostendunt. Quæ longam vitam decernunt, sunt: palma, olea, vitis, & quercus: has videre in domo suâ creuisse, vitam longam significat, quia diu viuunt: quietam, quia non mouentur arbores: potentiam, quia fructuosæ & proceræ satis: oliua tamen minus. Sed oriri videre, aut nuper ortas, aliquem è tuis eiusmodi futurum prædicit. Ficus propriè vitam nostram repræsentat, tum quia dulces fert fructus: breui, id est, vt est hominis vita viuit, facilè moritur: folia habet grandia, similia spei & expectationibus hominum: lac acre gerit: vt sunt verba hominum, multâ asperitate condita, licèt lactea videantur. Ficum ergo videre est, vitam suam, qualis futura sit, præuidere. Multis qui ficus plantauerunt, contigit vt eodem anno perirent quo & arbor. Plantæ insitum esse, siquidem floreat, est palo per supplicium infigi: si non floreat, & maximè si sicca, rotæ insereris.

CAPVT XXXI.

De his quæ ex plantis colliguntur, fructibus, floribus, succis.

FRuctus arborum pecunias significant: hæ enim fructus sunt laborum, vt dictum est: & etiam pecuniam: acerbi autem, vitam molestia plenam. Cùm fructus omnes in nuces & poma distinguantur, omnes fructus infausti sunt poma, ex nominis ambiguitate, mala enim dicuntur: nux autem à nocendo dicta. Itaque non nisi in paucis iis qui Latinam norunt linguam, felicem exitum portendit. Idiotis autem non ita: quoniam Latina nomina non norunt. Fructus omnes crocei, si colligantur, morbos significant: & magis si edantur: pessimæ etiam ex fructibus oliuæ sunt. Excipitur tamen fructus mali medicæ. Fructus colligere suo tempore, lucrum significat, iuxta arboris aut herbæ qualitatem. Nobilissima est palma, inde olea, vitis, quercus, nux pinea: abies, nux pontica. Fraga autem, & insana poma, ab humilibus personis. Extra tempus hæc mala sunt, & labores ac curas propter tales homines significant. Fraga etiam animi æstus magnos: insana poma, etiam insaniam prædicunt. Sed & fructus omnes breuem referunt voluptatem, propter etymū tamen nominis boni sunt: opera inchoantibus, absolutionē eorū promittunt. Pepones maturi morbos, acerbi sanitatem prædicunt: cucumeres, insperatas diuitias, & eò maiores quò ipsi fuerint minores. Fructus intempestiui verbera, calamitates, luctus prædicunt: hos enim fructus sæuientis fortunæ

quis ignara somniorum parat. Platam exotica penitus ignota

fortunæ appellare solemus. Vnum præcipuum fructus habent, & obseruatione dignum, quòd bonis & rectè viuentibus bona pollicentur: malis autem mala. Et ideò flagitiosè viuenti, colligere fructus valde malum: Habent autem tres gradus: si videantur in arbore, si colligantur, si edantur: at collectos videre, vel ad alios pertinet, vel non adeò malum. Habent & damni secum significatum nuces, & quæ collisa strepitum edunt, dolores & gemitus significant: acerbi & amari mortem, rubri sanguinis effusionem: qui esui non sunt apti, paupertatem: nigri, luctus: crocei, dolores: cærulei, fraudem: liuidi, calumniam. Fructus decidentes ex arbore, nec maturescentes, intempestiuam mortem prædicunt.

Oleum gratiam significat, & infelicibus vtile somnium est: vinctis enim libertatem prædicit, quòd eo seræ aperiantur: ægris sanitatem, afflictis lætitiam ostendit.

Lachrymæ arborum, fletum & planctus significant, tum & vulnera: nam sauciatis arboribus maximè prodeunt: lachryma è quercu, vel simili, damnationem insontis & egregij viri.

Flores dixi significare voluptatem & iucunditatem, sed breuem: naturæ causæ & modus est, quòd iuxta arborem & colorem & qualitatem odoris & pulchritudinis. Nam qui viuidus est, longiorem & maiorem prædicit: qui languet, cadentem & in fine voluptatem: qui odoratus est, ex laude, gloria, bona fama: qui viridis est, & cæruleus, ob spem bonam: qui rubet, ob alacritatem & potentiam: qui candidus est, ob sapientiam & innocentiam: aureus verò ob honores principis gratiam. Ex arbore verò iuxta ea, quæ dicta sunt, frondes significant hilaritatem, si secundum naturam fuerint: tum verba. Sed si sint ex nobili arbore & excelsa, significant homines: non est vt Homerum & Horatium adducam in medium: frondes sparsæ, rumores significant: folia autem herbarum & germina, pro cibis habentur: quòd si esui non sint, verba & famem plebis significant.

Pappi significant inanes cogitationes: mali in bonis in mali.

Succi omnes arborum, seu, fructuum, seu herbarum, idem fermè quod sanguis animalium significant: sed & illa quæ post mortem habentur opera, hæreditates: vim etiam fructus aut plantæ retinent: & ab odorib. saporibusque sunt expendendi: significant pecunias & opes generaliter: vinum significat furorem, & sanguinis effusionem: succi crocei & lac, mali sunt: quia præter naturam plantarum esse videntur: crocei, labores & curas graues significant: lac autem, deceptiones: minus malum, si ex consueta ferre id genus planta accipi videantur: Quod si fluat, facilè superabit, aut superabitur: sin autem exprimatur, per vim, & magna cum difficultate.

CAPVT XXXII.

De plantarum materia.

Ligna non significant quæ ad nos, nec quæ in nobis: quoniam non viuunt, & tamen vixêre: sed affectus & affectuum causas: quatuor enim esse, suprà docuimus, quæ in somniis demonstrantur: materiam ergo significant actionum & negotiorũ, sicut ipsa sunt materia artificiorum. Sicut ergo pereunte arbore ligna manent: ita homine pereunte, qui per arborem significatur, hæreditas superest: nam cadauer nulli vsui est: ad famam verò aut libros referri non potest: quoniam hæc vitâ participant. Igitur ligna possidere tuæ arboris, est hæreditatem quæ ad te perueniat, acquirere: alienæ autem arboris, alienam: magnam pro magno, paruam pro paruo, totam pro stipite & trabe, partem pro ligno & ramo: videre, absque lite, siccum: post longum tempus. Ligna verò plura ad hoc referri non possunt: nam non conuenit simul plures consequi hæreditates: nec vlla debet ratio esse tam efficax, vt experimento aduersetur, cogatque prædicere quæ nunquam aut vnquam eueniunt. Referunt ergo ligna vsum proprium, scilicet ignis nutritionem. Ignis autem in domo seu focus, vitam & tuam & tuorum, & commoda & decorem refert: horum igitur materiam, ligna. Erunt ergo ligna redditus & lucra, iuxta conditionem hominis. Si ligna desint, omne genus incommodi patietur, ob inopiam necessariorum aut vilium ministrorum. Si arserint, peribunt necessaria à domino frustrà absumpta. Ligna elaborata significant viles ministros, vt calones, coquos, ancillas, industrios & necessarios decori administrationis domus. Radices, significant senes inutiles. Folia, pueros & infantes domesticos: & si non adsint, verba: & si sicca, verba olim dicta. Sicut enim ex foliis facilè suscitatur ignis, ita ex verbis: lachrymæ verò, vt etiam resinæ, referunt fomenta vitæ: & hoc parum, cùm inutiles sint foco: verùm magis discordiarum alimenta, ob infamiam: quia fœtent: & morbos exteriores, quoniam his conferre solent. Et lucra sordida ac vilia, ob vsum ad naues & plumbea vasa.

CAPVT XXXIII.

De animalium generali diuisione.

Generales animalium diuisiones seu differentiæ maximè sunt sexdecim: Magnitudo, forma, color, natura, mores, operatio, proprietas, vox, consuetudo, amor: vite, cibus, docilitas, tempus dedicatio, & habitatio. Magnitudo potentiã hominis significat: mores autẽ, mores. Color varius, deceptionem: reliqui, pro sua natura. Describentur enim singuli loco suo. Formæ, operationes naturales significãt: oportet autẽ singula horũ in consideratione esse, vt superiùs dixi: velut si

cogitauero

cogitauero de lepore, quòd habet crura posteriora longiora, significat cursorem aut fugam meditantem: forma enim est principium operationis. Operatio, vt foueas fodere, & aratrum trahere. Mores, circa vsum, industriam, labores, & patientiam: velut equus, qui quasi est infatigabilis, vrsus iracundus: venena, aut quæ venenata sunt, insidias, atroces hostes. Et si parua sint, vt phalangia, homines specie contemptibiles, factis verendos: vt contrà elephantes, cameli, boues, onocrotali, struthiocameli, homines specie terribiles, factis mites: quod etiam de negotiis est interpretandum. Proprietas consequens ad mores & actionem, vt lupus & aquila, latrones apertos, vulpes & miluus insidiatores. Muta, infausta omnia, quasi naturæ humanæ repugnantia: horrendæ vocis, timores; lætæ, vt hinnitus equorum, & philomenæ cantus, alacritatem illi, voluptatem & delicias hi. Cibus cadauerum, vt vultur, coruus, hyæna, mortem: stercoris vpupa, sordem. Solitariæ præterea, vt niger passer, infaustæ sunt: & quæ in solitudinibus habitant, eo deteriores, quò plures. Iugales autem, vt turtur, si sola sit, luctum prædicit, sociata lætitiam: contrà lupus, & qui aduersantur hominibus. Gregalia verò, actiones, conuersationem & in negotiis publicis: si bene affecta sint, bona. Quod ad mansuetudinem attinet, dicemus suo loco. Quæ amant, lasciuos homines, versutos, incontinentes ac scelestos: vt perdix & ælurus, significant. Nocturna omnia mala & inauspicata, vt vespertilio, bubo, & lupus: & vlula pessima, ob vocem etiam. Dociles, edoctæ, bonæ: vt picca, psitacus: indoctæ, curas ac tædia longa: velut accidit talia animalia erudientibus. Habitatio, vt pisces marini, insulanos aut in littore degentes: vrsi Germani, mures alphini montium incolas. Dedicatio: vt serpens salutem, quia Æsculapio sacer: formosa gratiam & venustatem, vt pauo & psittacus. Graculi, sturni & locustæ, quæ magnâ multitudine aduolant omnia, significant tempestates. Quæ agminatim, vt grues & ciconiæ, hostes: ordinem enim seruant. Nocturna autem animalia fures, adulteros, pecuniæque adulterinæ fabricatores, Hirundo & mus, domesticos parum fidos significant, aut inconstantes: mus enim fures, hirundo inconstantes. Masculina præterea ad fortitudinem & robur ac fidem meliora sunt: fœminina verò ad mansuetudinem.

Diuiduntur præterea generaliter in exanguia & sanguinea. Exanguia omnia mala, propriâ ratione: quoniam homo exanguis non est, nisi cùm obierit. Exanguia diuiduntur in parua & magna: in ea quæ repunt, & ambulant, & natant, ac volant. Sanguineorum solùm suut tres differentiæ: quæ ambulant, volant, natant. Serpentes etsi sanguinem habeant, modicum tamen habent: sanguinea etsi quædam parua sint, vt mures, non est paruitas magna. Quæ repunt omnia fermè veneno prædita sunt: ob id ergo, & formam & naturam, & quia sunt muta, maximè homini aduersantur: post minuta animalia, valde: ea enim cùm putredine generentur, fœda sunt, & inuisa homini: formicæ tametsi ex ouis generentur: quia tamen omnino mutæ, tum pisces ob eandem causam, maximè si parui sint, malorum sunt præsagia. Pisces præterea præteritum, quadrupedia præsens, & quæ imminent aues futurum ostendunt.

CAPVT XXXIV.

De animalibus minutis.

Formicæ significant plebem: & si sint alatæ, significant etiam nobiliores. Et si circa corpus versentur, mortem: quoniam sunt filiæ terræ, fridæ & nigræ. Mihi autem videntur etiam molestam vitam significare: quoniam tales sunt vt molestæ sint, nec posse nisi in corpus ingrediantur, mortem significare, ob paruitatem. Agricolis prouentum frugum: omnibus, lucella multa portendunt. Si, gratia exempli, ex domo aliqua in tuam deferant, ille domus dominus causa erit tibi lucri. Sin autem ex ea domo in tuam aurem, nasum, os, anum ingrediantur, mortis. Pediculos multos videre supra se, vincula, vel morbum longum, aut paupertatem, aut triremes significat: ex talibus enim occasionibus abundant hæc animalia. Quod si, dum talia patitur, expergiscitur, huiusmodi in calamitatibus vitam finiet. At si conetur eiicere & occidere, forsan aliquando seruabitur. Et si somnium fuerit in initio anni vel vitæ mutatione, vel assumpto magistratu, ex illo originem ducet calamitas, & perpetuò ac diu perseuerabit: sed si tempore quodam à circuitu remoto, vt fatale esse non possit incidat, breui ex ea miseria morietur. Et si paruos pediculos videat, capereque se & occidere existimet, valde bonum est, à molestiis enim omnibus se liberabit. Cimices, tædia vxoris aut concubinæ gratiâ, tum fœda crimina & mores, tum scorta significant: palàm est autem, quòd ab huiusmodi liberari tædiis optimum est, & saluberrimum. Pulices significant molestias magnas, non perpetuas: nam hyeme spontè desinunt. Quamobrem & muscæ idem, sed molestiores, magisque fœdæ: & ineuitabiles: non tamen deteriores: quoniam nocte cessant, & dormire hominem non prohibent vt pulices. Culices acrioris sunt molestiæ, & quasi perniciosi: & significant dolores, tristitiam, damna, & infamiam: quoniam bombos mittunt acriter mordent, & nocte sæuiunt. Cauponibus & vini mercatoribus musciliones vini corruptionem prædicunt: nam vina vitiata sequuntur: significant autem pessimos viros: omnia autem talia iniuriam decernunt. Apes homines iustos referunt: ob id ab iis lædi, damnari est iudicio: significant etiam viles homines, sed vtiles. Crabones & vespæ, damnari iniusto iudicio: assimilantur enim apibus, sed malefica sunt animalia: verùm crabones capitale iudicium significant, & infamiam: bombum enim magnum mittunt, &

ex iis fœdis calamitatibus soli etiam multum nocent, & pungendo nouem perimunt hominem: ideo propriè iniusta supplicia iudicum sententiâ decernenda significant: vespæ autem non occidunt, sed damnant tamen ad triremes, ad carceres, in pecunia. Horum animalium solam multitudinem vereri oportet: pauca enim parum obesse, præterquam in crabronibus, asylis & vespis, constat: nam hæc vel sola plurimùm nocent: cùm tamen plura erunt, magis timendum est somnianti. Omnia etiam huiusmodi animalia fures significant, & etiam apes. Vermes significant conuictores, & domesticos prauos, infidos & damnosos: quos si eiicere quoquo modo videatur, cognoscet eiusmodi homines, & à se abiget. Vermes paruos innasci, mortem, aut illius membri significat corruptionem: talibus enim moriuntur. Cicadæ musicos viros & blaterones significant: ægris sitim: ob id enim clamant: & mortem: non enim cibum accipiunt. Bombyces significant lucrum, cum magno labore & artificio: sic enim sericum suum conficiunt. Papiliones adulatoribus comparantur: formam enim mutarunt ex erucis, & inutiles sunt: visu tamen delectant. Picti ex iis significant scurras & mimos, eiusmodique homines. Locustæ infidos, instabiles & damnosos homines significant. Grylli autem, adulatores & musicos, hominesque suauibus moribus, inutiles tamen. Scarabei improbos, fœdos & flagitiosos: fœtent enim, & stercora versant.

Omnia animalia parua abominationem significant: quoniam etsi ouis generentur, vt formicæ: esui tamen non sunt. Et aliena à natura humana, ob nimiam dissimilitudinem, præsertim quòd muta sint: licet culex bombum mittat: vnum etiam ex his aut duo contemni possunt, nisi ad comparationem trahantur: nam musca etsi ob paruitatem contemni mereatur, si tamen sub equi ventre videatur, vel deglutiri, magnos effectus nunciat, ortum ex minimis causis habentes: non solùm quòd effectuum ipsorum ratio deprehendatur, vt vomitus, aut quòd calcitret sed quòd parua hæc miraculi cuiusdam causa introduci videantur: velut puellus facundus, puella eleganter loquens Latinâ linguâ at miraculum esse non potest, nisi magnum aliquid pariat. Multa verò vt contemni non debent, ita miraculi nullam afferunt coniecturam.

Animalia inuisa tibi si per somnum videas quære animalium historiam, quòd si ex somnio agnouisse videris, (quod etiam in omnibus quæ videntur obseruare decet) idolum esse somnium docent: quare reliqua pars quæ ad visionem pertinet, & vera est omnino, & ex animalis proprietate deducenda. Sed etsi non congruat peculiaris structura, aut mores considerandi sint: nec quicquam magni est expectandum ex his, neque etiam timendum nisi veneni opera effinxerit. Quòd si nec horum quicquam deprehendatur, si pauca sint, contemni debent: si multa, molestiam ex rebus variis non vnius generis significant: quæ enim non deprehenduntur, varia esse existimari debent, aliter deprehenderentur. In multitudine ergo non cognosci, varietatis argumentum est: dum enim multa atque diuersa nobis occurrunt, omnium obliuiscimur, dum omnia inspicimus.

Cicadæ significant rusticos: quia ibi degunt, & sub sole: sed & nugaces homines: quoniam assiduè clamant. Et cùm aliquod horum animalium ad hominem refertur, nihil boni significare potest: formica enim cæca esse creditur, reliqua omnia præter apes breuis admodum vitæ: sed apes surdas esse ferunt locustæ verò sterilitatem, si agminatim insideant: si volent, periculum: si solæ aut paucæ, iuxta colores iudicandæ sunt: virides spem inanem, pallidæ timorem. Buprestis & cantharides, venenum: & vermis in ruta natus, & ardores ruinæ, & vlcera significat: vermis cornutus seu κεράστης, qui à semine innascitur, magnus licèt sit, meretricem significat, ob fœditatem: & quod inutilis sit, quamuis pulcher. Sunt etiam iuxta proprietates interpretanda huiusmodi: omne enim animal quod formam mutat (cuiusmodi hoc erucæ, bombyces) si volent, senium significant si sub forma vermis, non papilionum: hunc non moriturum, nisi priùs mutato genere vitæ: significant autem religiosam vitam ex sordida: quòd volent, & nihil edant. Grylli autem musicos, sed sordidos & ignauos, præsertim iuxta focum habitantes.

CAPVT XXXV.

De animalibus quæ repunt.

Animalia declarant sensiles actiones, & quæ ad vitam pertinent: motum enim & ipsa habent, & sensum. Quæ repunt, dolos & insidias: talia enim naturâ sunt: tum res contemptas & fœdas. Et quæ gregatim incedunt, vt formicæ, crabrones: aut etiam multa sunt, vt muscæ & culices, multitudinis persecutionem declarant, & inimicorum coniurationem. Serpentes, implacabiles hostes, & damna perpetua. Est autem generale, vt magnitudo animalis & rei visæ, vel hominis vel affectionis magnitudinem ostendat Sed actio declarat modum & qualitatem ipsius affectionis, cùm fit: perturbatio verò, quantitatem iacturæ quam accipies. Exemplum habebis in nostris somniis. Draco autem significat regem malum, & principem tyrannum: quoniam propter alas nemo illius vim euadere posse speret: ostendit ergo superbiam, iram & potẽtiam. Significat & ducem hostilis exercitus, & præsidem prouinciæ, & senatus malum: vt leo bonum: nam ex proprietatibus fabulosis draconis est, quòd in circuitu eius exurit omnes herbas & sata. Ideò etiam significat sterilitatem, & bellum: ergo & tunc ducẽ exercitus talia patrantis significare poterit: nec refert quòd vana res sit draco. Nam ficta monstra trium sunt generum: alia quidem, quæ prorsus nõ posse esse intelliguntur: & horũ est propria significatio, vt sphinx, de qua dicemus inferiùs: alia sunt secũdũ naturã, sed quæ in

in numero variant à propria forma: & horum quædam esse possunt non ratione speciei, sed aliquando, vt puer cum duobus capitibus: alia non, vt puer cum lapideo capite: hoc enim omnino esse non potest, cùm repugnantia includat. Tertium genus est figmentum, quod tanquam fuerit, receptum est: quoniam adhuc dubitatur an fuerit, sitne: vt de dracone, phœnice & gryphis: talia ergo quasi verè sint animalia, propriam omnino retinent significationem, nisi quòd admirabile futurum id quod pollicentur, decernunt. Significat & draco ergo amissionem omnium bonorum, propter desolationem, quam circum se facit. Sed non significat venenum in potu, nec cibo, nisi esset à principe: serpens autem significat. Et significat draco morsum canis rabidi, qui est perniciosissimus inter venena, & quasi princeps, vt etiam draco inter serpentes. Et significant oculi draconis, & caput eius, si quis acquirere sibi huiusmodi videatur, cognitionem secreti nobilis, aut acquisitionem pretiosæ rei: quoniam creditur draco in oculis & capite habere gemmas. Et ideo etiam acquirere caput ranæ terrestris seu bufonis, significat liberationem à dolore renum, à veneno, & à morbo incognito: nam lapidem gestat in capite huiusmodi animal, ad hæc satis expertum. Basiliscus ergo siue regulus, præsentaneam & repentinam significat mortem, & amissionem bonorum: & ideò supplicium capitis. Et si procul astet, vel in vertice turris ciuitatis, vel in foro, bello vel peste, vel sterilitate aut inundatione, regio tua tota vastabitur: & si propè, cogitabis atrocissima atque nefanda, & eris causa magnorum malorum, vel ille cui propiùs astiterit: & significat regem, vel regis filium, ob paruitatem: sed tamen pessimus, & qui regnum suum destruet. Significat serpens magistratum & diuturnam vitam: quia senectam exuit: & annuum spatium, propter circulum quem facit: & sapientem, propter illius calliditatem. Significat & thesauros: quia custos eorum creditur: circumplicatus, aut perterrefaciens, morbos, & ægris mortem & vincula. Vipera argentum significat, & mulieres opulentas, propter rubiginem, & candorem solicitudinemque: & si mordeat, & si circumplicata sit, maiores diuitias: nihilominus viperam videre in notæ mulieris sinu, quam illa abscondat, siquidem lætetur, ab inimico tuo eam mulierem stuprandam docet: si timeat & tristetur, si grauida sit, abortiet: si non, ægrotabit.

Generaliter feræ & serpentes inimicos designant, & hostes: sed feræ apertos, & qui placari possint, serpentes autem, magis occultos, & insidiatores, atque implacabiles. Similiter aues & pisces, externos homines significant: in alieno enim elemento viuunt: sed aues iucundos ob pulchritudinem: & gratos, ob modulationem: nobilesque, ob decorem: vt etiam mercatores, ob frequentem accessum ac discessum. Pisces autem intractabiles & insidiatores, atque hostes: deuorant eim eos qui ad illos accedunt, modò audeant, omnes præter vnum delphinem: qui nobilem aduenam, sed superbum significat, & parum tractabilem: sine voce enim fermè sunt. Significat serpens rhetorem, propter linguæ volubilitatem: sacerdotem, quia Aesculapio sacer est: vatem, quia Apollini: scelestum, est enim improbis moribus: ac prudentem, feruntur enim tales esse in sacris literis. Præterea capite plectendum: in capite enim cædi solet vt occidatur: & fugitiuũ, latebræ enim quærit: & resolutum: quoniam corpore non pedibus ambulat Idem ergo est pedibus vti non posse, atque illis carere: cùm ergo careat, eos qui etsi habeant, vti non possunt, significat. Draco etiam fulgure & tonitru pulsus, principem significat è dominatu pellendum.

CAPVT XXXVI.

De piscibus.

Piscium diuersitas à magnitudine, forma, cute, vel quod cutis formam subit, multitudine, nomine locoque habetur. Significant res præteritas, quòd muti sint: obliuione enim præterita in silentium transeunt. Parui pisces tristitiam significant, lucri loco: etenim piscatores solent iis captis tristari. Pisces varij coloris, significant ægris venenum, sanis dolos & insidias: rufi, ægris febres vehementes, improbis & captiuis tormenta. Nigri, & qui atramentum spargunt, mortem, absentiam ac luctum significant. Fœcundi, vbertatem & copiam. Qui exuunt corticem, vt cancri, mutationem fortunæ: exuunt autem crustati omnes. Qui ossibus carent, imbecillitatem ac debilitatem significant: velut polypi, loligines, & huiusmodi: qui etiam colorem mutant: ideò deceptores, & fugam, & latitationem decernunt. Cartilaginei, rotundi, negotia irrita significant: quia è manibus capti elabuntur, vt anguilla, murena, serpens. Plani autem, vt pastinaca, squatina, pericula decernunt: sunt enim admodum sæui. Qui viuunt in aquis & in terra, vt vituli, gammari, aut volant, vt hirundo & miluius, peregrinationem & vitæ mutationem decernunt. Squamosi, quorum maximus est numerus, significant homines dolosos & audaces. Purpuræ, & quæ in vsum alium veniunt quàm edendi, vt cetacea, significant proculdubiò negotiationm & lucrum. Multitudo piscium mala est: quoniam negotia plurima quæ extricari nequeant, declarant. Pisces mortui, spes concidisse ostendunt. Caro piscis magni in domum delata, mortem domestici tui portendit. Piscis qualiscunque captus, & in domum deductus, potentem virum te superaturum ostendit: aut euasurum incolumen à desperato nagotio. Pisces fluminum omnia minora, tam bona quàm mala decernunt: qui verò in torrentibus, breuis vitæ homines, & spes breues: nõ enim diu in illis pisces viuere possũt. Pisces in terra res insperatas, & nõ naturales decernunt. Sed in lapidibus, præter id etiam duras & graues. Pisces significant, vt dixi, toto

genere

genere præterita, spes irritas, & negotia corporea parum enim menti vel sensibus pollent pisces. Pisces significant homines ob id stupidos ac viles: præsertim autem stagnorum. A nomine verò testacei pisces, homines admodũ rudes &, segnes significant. Et carcerẽ, quoniam sunt immobiles. A nomine, vt κάραβος, taurum, scarabeum etiam, & nauiculam. Vocatur Latinè locusta κογχυλίας, seu concha, gemmam & purpuram. Et ὄστρεα, ostrea. Purpurum, & ostro pictum, & exilium, propter ὀστρακισμόν: & morbos & carceres, quia inclusa testæ, & iacent: κήρυκες seu ceryces, nuncium bonum, præmium, legationem, caduceum: τρίγλα perfectum, habentem (vt dici solet) tres oculos. Torpedo autem, propter proprietatem resolutionem propriè declarat, & attonitum morbum, & exinde mortem. Sicut piscis quem Stophim vocant, & è genere dicunt asellorum, captiuo denunciat amputationem capitis: sine capite enim venduntur. Et ranæ etiam lacerationem corporis: venduntur enim decoriatæ, & sine capite. Generaliter pisces omnibus qui ex sermone lucrum faciunt, mali sunt: quoniam voce careant pisces. Plerique ex iis etiam pamphagi sunt, & maximè gammari: ideoque voraces homines, & nunquam satis domitos declarant. Gammari etiam significant pauperes, ob despectum, & improbos: quoniam nulli parcunt. Pisces etiam communi ratione decernunt mortuorum res, hæreditates, & negotia ex defunctis originem ducentia. Pisces loquentes audire, est ministris vti inutilibus: namque cùm tot sint animalia quæ vocem habent, importunum est pisces obiici nobis qui loquantur, cùm nec vocem emittere soleant. Pisces respirantes, vt cetæ & delphines, significant deceptores homines, ac etiam exteros: cùm enim naturam habeant quadrupedum, in mari tamen degunt. Pisces monstrosi, iuxta formam aut naturam quæ illis tribui solet, moresque, sunt iudicandi. Pisces parui, saliti, tabem & iacturam significant: quoniam à sale colliquantur atque siccantur. Acus autem, quoniam cum muria condiuntur, & sarda, nouarum rerum desiderium prædicunt, ac deliciosam vitam. Pisces candidi nihil mali prædicunt, & homines simplices. Pisces edere, morbos significat: cùm omnis esus etiam aliarum rerum malus sit. Pisces aurei coloris, dolores ac tristitiam nunciant. Pisces, vt dictum est superiùs, non nisi cibi causa bonum omen afferre in somniis possunt: excipiuntur, qui respirant: nam hi vocem habent, & non omnino pisces sunt. Significant autem omnes hi, vt delphines, balenæ, orcades, principes: hi enim boni videntur, & mali sunt: alij boni cum sint, mali videntur. Quatenus enim magni (vt dixi) principatum ostendunt, quatenus respirant, humanitatem præse ferunt: quatenus in aqua degunt, feri & inhumani. Tribus autem exemplis omnium naturam explicabo. Balena mansuetum principem declarat: piscibus enim non vescitur: contrà orcas sæuum & truculentum: edit enim pisces, & intractabilis est. Delphin autem quales nunc plerique sunt, in suos nimio plus obsequentes, in alios sæui ac truces, specie tamen generosos.

CAPVT XXXVII.

De auibus.

Aves, vt dixi, futurum cum significent paulò pòst tamen futurum, non serò significant: futurum inquam: quoniam tempus præsens iam lapsum est, cùm cogitamus: præteritum autem iam diu: non tamen decet aues significare futuras res omnes: oporteret enim illas rursus distinguere, in paulò post futuras, in tardè futuras, in post longum tempus futuras: hoc autem naturæ rei iam alienæ non conuenit: considerare igitur oportet genus, speciem, numerum, locum, actionem & accubationem. Genus quadruplex, magnum, paruum, rapax, mite, agreste domesticum, commune & nocturnum. Species autem sunt absque numero: dicemus autem generaliter interpretandi modum in singulis. Numerus ab vno vsque centum, significationem habet propriam: rarò tamen vltra duodecim numerus deprehenditur, sed multitudo dicitur. Locus, terra, aqua, mons, arbor, specus, domus. Actio, ambulare, volare, natare, quiescere, fugere, insequi, nidum construere, garrire, canere. Accubatio, antè, pòst, dextra, sinistra, suprà, à dextra in sinistram ferri, & ita de aliis. Numerus significat rerum multitudinem, vt filiorum: aut temporis, vt dierum, mensium & annorum: & aliquis significat perfectionem, vt septem & tria & sex diuersis rationibus. Colores ita & generaliter significant, candidus boni ominis, niger infausti, cinereus tristis, varius mutabilis, rubeus iræ & vindictæ, viridis lætitiæ & spei: cæruleus magna, sed diuersa significat: croceus & aureus, tormenta & anxietates: fuscus, dolorem animi & turbationem: rubiginosus, tædium & sæuitiam. In omnibus autem semper inauspicatus est cineris color, quòd cinerea referat, & parum semper lucis in se contineat: ob id ferrugineus etiam deterior, non solùm quòd rubiginem rem inauspicatam præferat, sed quòd cinereo etiam minus habeat lucis. Aues nocturnæ omnes, præter vespertilionem, quòd hæc sola animal pariat, infaustæ sunt, præsertim prægnantibus. Aues canoræ significant delicias: rapaces lucris idoneæ sunt, pulchræ potentes: pingues, opulentos: clamantes, periculum ingens instare: quietæ, impedimentum negociorum: volantes, actiones assiduas: comedentes, spei incrementum: egerentes, diminutionem. Mortua auis mortuam spem. Magnitudo, similis est negotij magnitudini. Nocturnæ & corui, & quæ ex eo genere, ferales sunt, aut fœdum hominem ostendunt. Inauspicatum & contra naturam, valde malum est, vt ingressus auium agrestium in domum: contra naturam & auspicatum, bonum, vt auem agrestem venire in sinum tuum. Auis rapax si domum ingrediatur, deprædabuntur homines improbi

Vir ad terendum tempus et ad ineptias natus. Quid mirum si in Astrologia iudiciaria fuerit deperditus.

facultates tuas, ac dissipabunt. Auis timida, vt columbus & passer, mala est: sed mitis, nec timida, vt pauo & olor, honores, quietem, & vitam iucundam: rapaces, anxiam, sed honores & diuitias significat. Accipiter significat sacerdotium, aquila regnum, aut militarem dignitatem: pulli auium significant spes inchoatas, & tædium. Aues alligatæ, significant impeditam spem: sed in cauea constitutæ, securam. Philomela, musicum poëtam, vel deceptorem: hirundo, garrulum: vtræque parum auspicatæ, ob id quòd multis subiacent periculis. Eædem & sturni, & coturnices: quia gregatim incedunt, locumque mutant. Icterus, spem diuulsam redintegrandam, propter fabulam: aurum etiam, ob colorem. Si fugiat, amissionem occasionis lucri. Ficedula, parasitum. Noctua si pugnat, dolore & tristitia afficietur: si comedit, fiscus occupabit de bonis somniantis: si clamat, damnum & vituperationem significat: si superuolat, carcerem aut morbum: si post domui insederit tuæ, morieris, si alterius domui, aliquis ex ea morietur. Aues incognitæ quomodo sint interpretandæ, velut & obscura alia, infrà declarabitur. Dextra celeritatem & felicitatem, sinistra tarditatem & calamitatem: antè, præsentia & ante oculos: post, quæ audies, non videbis, significant.

Coturnix, quam qualeam vocamus, contentionem, pugnam, dissidia, discessum, vitamque breuem significat: peiores si plures sint, & in agris: vna autem, magnum quid non decernit. Hirundo significat extra tempus suum, (nam dum apparet, minùs eadem significat (iuxta proprietates suas: nam cùm mane canat, & homines ad labores excitet, homines laboriosos, diligentes, fidelesque, aut vxores ostendit: vt verò verno tempore aduenit, felicitatem futurorum temporum promittit: discedens autem, calamitatem. Vt verò nobiscum habitat, nec tamen mansuescit, domesticum aliquem intractabilem, & qui tandem abiturus sit, demonstrat. In oculorum autem morbis vtilissima est. Et musicum etiam familiarem, quòd concinnè canat, ostendit. Passeres denique iniuriam significant ab amicis: columbæ, vtilissimos familiares. Cornices, homines bilingues: & si canant, nuncium malum potiùs quàm bonum. Grues, pauperes: ciconiæ, diuites: aquilæ indomitæ, Principes: domitæ, & accipitres, nobiles: ab iis enim tractantur.

Coruus & vultur mortem significant: sed vultur regnum etiam, quòd maior sit, & reges multos occidant: nec crocitat vt coruus: reges autem sunt taciturniores. Mulier quædam cùm tres coruos vidisset, quorum vnus dixit ei: Ego te exuiuam faciam terque eam circumuolassent & abiissent, nonam post diem obiit. Significant & corui vespileones, sepultores, coriarios, sordidos: vultures autem, exules, potentes: quoniam ex aquilarum sunt genere. Coruus & cornix interpretes significant: quoniam vocem variant.

Aues naturà mediæ sunt inter quadrupedia & pisces: nam pisces & generatione & elemento ab hominibus differunt, quadrupedia neutro, aues sola generatione: ideò aues minùs conueniunt cum homibus, quàm quadrupedia: ob id etiam maiora mala & minora bona decernunt quadrupedibus: contrà verò si ad pisces comparentur: quia tam in cantu placent, quod ad voluptates attinet, plus placeni etiam quadrupedibus. Aues si oua foueant, egregias & firmas spes pollicentur, si secundum (vt semper intelligi debere dixi) se habuerint. Et si pullos eduxerint, longè melius: & si etiam educauerint, iam res absoluta erit. Et si pulli alij educantur, non est prorsus malum: sed si mitiores, & maiores & pulchriores, euentus spem superabit.

Cardueles significant delicias ex rebus minutis ac variis: palumbi, dolores & gemitus ob vocem. Onocrotalus significat hominem opulentum, & clamosum, ob ingluuiem quam magnam habet, & piscibus plenam. Struthiocamelus militem equestrem, fortem, & ornatum.

Ardea tristitiam, ob inaccessa ad quæ peruenire non potest, & pugnas assiduas: cum genere enim vniuerso rapacium pugnat. Regulus, dignitatem & titulos, sine vtilitate. Alauda timores, pauores, solicitudines: ob colorem, & morem. Galerita, vagabundum, musicum, & infelicem. Olor, poëtam, philosophum, diuitem hominem. Olor in lacu, felicitatem: in arido, miseriam portendit. Phasianus, diuitem, ornatum, sed timidum ac simplicem: quòd si sileat, mortem propinquam nunciat alicui innocenti ac simplici. Picus Martius, insuperabilium spem facit: diuinamque fortunam quandam. Pica hoc habet generale cum omnibus auibus caudam prælongam habentibus, vt decorem augeat, & bonum finem prædicat. In hominibus autem significandis aliam obtinet vim: nam superbum & fastuosum, cæterùm inutilem garrulumque solum ostendit.

Aues præterea fabulosæ, vt phœnix: inanes expectationes; & homines vanos significant. Monstrosæ verò, euentus inexpectatos, & admirabiles: quòd genus (vt dixi) auium per se expectationes significet. Sed misti generis, (vt referunt de indica aue, quæ pedem habet accipitris alterum anatis vitam ancipitem & mores non constantes prædicunt. Quæ verò aliena à natura agunt, siquidem non succedente effectu, non conuenientia facturo frustrationem exitus nuncient: quòd si succedat, velut aue oua in aqua incubante, bonam fortunam, paruam prudentiam.

Miluus omnia in deterius abitura nunciat, & miseram senectutem. Sed & omnes aues in fatali somnio inauspicatæ sunt: nam paruæ nihil magnum significare possunt, magnæ & rapaces fame in senio conficiuntur: domesticæ seruiunt & occiduntur ante senium, solitariæ, nec rapaces, quòd nimis frequentibus periculis obiiciantur, extremam senectam referre non possunt: optimæ sunt in hoc casu magnæ, gregales, nec rapaces: & inter has ciconia & anser, ac cornix: hæc ob vitæ diuturnitatem; ciconia quòd diuina habeatur ac pia, & apud multas gentes cautum sit

Somnia hec tantu Plinio et Vlyssi Aldrovani auidem potius sunt.

sit ne lædatur : anser ob facilitatem victus, robur,& vitæ diuturnitatem. Phœnicopterus & porphyrio raræ aues & nobiles & pulchræ, sapientes & ornatos diuitesque significant, sed prior nobiliores.

CAPVT XXXVIII.

De quadrupedibus.

QVadrupedia cùm, vt dixi, præsentia significent, iuxta formam, mores corporis, structuram & colorem significant. Similia homini, vt simiæ & cercopitheci & huiusmodi, dolos significant, & fictos amicos. Quæcunque audiuntur loqui de quadrupedibus aut piscibus, vel etiam auibus sermonis expertibus, vt de gallis, admiranda facta præmonstrant: & iuxta naturam animalis. Animal quod verè in domo tua habeas, si loqui uideatur, infaustum est: significat enim mutationem tuæ familiæ. Nec oportet verba simpliciter interpretari, sed & si clara sint nomine ipso animalis secum intellecto: aliter quid prohibuisset à Deo vel homine audiri, si simpliciter essent intelligenda? Animaduertendum etiam, quòd catena contineri solent, vt sciuri & venatici canes, & equi: tum verò qui in foueis habitant, vt vulpes & cuniculi, carcerem & vincula minantur: tum præcipuè, si catenata videantur: magis tamen in domesticis & amicis, quàm in seipso, hæc futura demonstrant. Ceruus instabilem, timidum & eum cuius vxor mœchatur, significat. Nauim quoque, ob velocitatem, & in eis temonem, malos, vela quibus aguntur. Qui se ceruum esse putat, & cœlebs est, diu in timore & solicitudine viuet. Qui alit cerui pullum, cum puero vel ancilla concumbet, iuxta pulli sexum. Et si Iudæus edat carnem cerui vel capreoli, admittet contraria suæ legi. Qui cornua cerui inuenerit, lucrabitur, sed non multum: aut dura res ei occurret: idem de cornibus capreoli. Insidere ceruo, est timidè omnia agere. Hirci & capreæ, sed ibices magis, potentes homines, sed ex æquo stultos & pertinaces ostendunt. In omnibus animalibus pinguia meliora macilentis: & fera, si mansueta sint, bonum magis significant, quàm mansueta efferata: mihi tamen magis placent mansueta natura & specie, nisi in placandis hostibus: animalia omnia commoda homini, caudata & robusta, & bene ornata videre, bonum est: contrà, malum. Currere in equo, semper malum: est enim cum periculo: sed agitare equum, bonum est: & quantò ille leuior, tantò melius. In animali commodo esse, & illum exercere non pro natura, vt equitare canem, inopiam necessariorum in negotio significat.

Caput animalis, & cor, significant alicuius societatis dominum, aut qui plurimum possit in illa. Pugna animalium cum homine, significat iurgia & maledicta: quoniam non plus illi nocere poterunt, quàm animalia homini. Si tamen sint vt elephantes & dracones, ac tauri,& quæcunque corporea mole insignia sunt, negotium aut hominem cui impar sit somnians, ostendunt: ideò cauendum est. Nullum animal significat hominem sapientem: quoniam omnia carent ratione: excipiuntur tamen, quæ diuinitatem præ se ferunt: hæc autem sunt, columba & agnus, ob innocentiam: ciconia, ob pietatem: aquila, quòd sublimiùs volet: pauo, ob pulchritudinem: psittacus, ob docilitatem: olor, quòd in obitu dulciter canere existimetur: vultur, quòd auguriis præsit, & nullum animal occidat, sed mortuis tantùm vescatur. Oportet autem considerare mores & rem tractatam. Porci, regiam quærentibus gratiam aduersantur: sunt enim abiecti, & fœdi: similiter & occulta tractantibus. Cuniculi & vulpes, arcana quærentibus idonei sunt: profundas enim foueas effodiunt. Meles significat eum qui te decipit: quod claudus à natura esse credatur: vnde dici solet in prouerbio: claudicat negotio. Talpa super terram veniens, finem rei ostendit: tunc enim moritur: ideò etiam sibi parare exitium docet.

Lupus hostem significat nam nobis aduersatur malum; est enim fur, & obsidet vias: principem; nam in Italia ferarum est maxima: erunt ergo actiones somniantis contra illum, quales contra lupum. Equitare lupum, est improbum & potentem virum in potestate tua habere: confodere autem est, superare. Lupus annum significat, vt Artemidorus ait: nam lycabantes Græcè vocatur: & etiam, quia in transitu fluminis singuli, vt dies anni vnus post alterum procedunt: & quoniã oues omnes occidit, annus autem dies singulos absumit. Vrsus hostem significat iracundum, stultum, robustum, agrestem, voracem: eos etiam qui segregati ab aliis viuunt: hyeme enim latent: significat etiam rediuiuas inimicitias, & reditum, ob sidus vrsæ vtrumque, quod nunquam absconditur.

Leo significat principem, & virum fortem & magnanimum, quasi è directo contrarium vrso: nec in alio conueniunt nisi in potentia, crudelitate & iracundia. Sed leo superbum, vrsus vilem significat. Significat & rursus diuitem, vt & pinguia omnia animalia: mus alpinus, sus, glis. Si leo te morsu apprehenderit, fortunis tuis princeps te spoliabit: si vnguibus lacerauerit, coget effundere te in irritum opes tuas: si te prostrauerit: honorem ac dignitatem eripiet: si dentes excusserit, consanguineos tuos occidet. Si tu leonem occideris, eiusque carnes degustaueris, ditaberis principis pecunia, sed magno tædio periculo & labore: neque enim tutum est, nec facile, conficere leonem: nec illius caro suauis est gustu. Peculiare est leoni, si dentibus te momorderit, ab ea iactura nunquam restaurari: quoniam vulgatum sit talia vulnera non sanescere. Qui viscera leonis edit, aut ditabitur à principe, aut princeps ei arcana committet. Qui pellem leonis gestauerit, principis autoritate fouebitur. Leonis catuli, sunt filij principis. Qui leonis vngues habet, à militibus principis protegetur. Leo fœmina cum catulis, felicitatem filiis & vxori

ri portendit. Vulpes dolosum inimicum ostendit: & significat deformitatem, & vitia cutis, & dolorem ventris, si videatur somnians ab illa infestari. Simia autem significat deceptorem, sycophantam, furem eximium, & adulatorem propriè, Mustela maior furem domesticum, & vulpes furem communẽ. Lepus omnia infausta significat, & mortem etiam. Cynocephalus & cercopithecus, quod & simia: sed morbum etiam propriè significant sacrum, seu comitialem. Aper tempestates, sterilitatem, ab effectu: hostem clamosum, mulierem impudicam, submersionem nauigantibus decernit: nam & arbores euertit, & rostrum defodit sub terram, dum edit. Sed & elephas nauigantibus omnino incommodus est, & submersionem significat & fœminam scelestam. Lynceus & pardalis & panthera, nobiles & ornatos inimicos, fraudulentosque significant. Animalia fera & incognita, aduenam, inimicum. Sciuri, mimos, sycophãtas, scurras, moriones, saltatores, præstigiatores, funambulos. Crocodilus, piratam aut homicidam, nequam etiam ac vecordem significat. Viuerra & ichneumon, dolosos homines & maleficos ostendunt, qui nec beneuoli nec fidi vnquam esse possint.

CAPVT XXXIX.

De animalibus feris & cicuribus.

HOc caput ab aliis distinximus, ob duas causas: primùm, vt intelligeremus animalia sex esse generum: alia natura & vsu fera: & illa significant hostes naturâ & voluntate: alia fera naturâ, sed mansuefacta: & illa significant inimicos naturaliter, & veteres etiam hostes, sed casu aliquo reconciliatos: alia verò mansueta naturâ, sed facta fera: & significant coniunctos à nobis abalienatos: alia verò mansueta naturaliter, & talia etiam per somnum visa: & hæc significant mites, & amicos & coniunctos: alia sunt è genere misto, vt sues, anates & anseres: & hæc si videantur efferata, mala sunt: & si mansueta, bona. Et semper efferata naturâ, vsu mansuefacta, melius est videre, quàm mansueta efferata, quod ad signum attinet. Oportet etiam considerare naturam: nam praua valde, & non valida, mansuefacta videre, vt araneum, scorpionem, viperam: & fallacia, vt vulpem: non valde bonum est: valida verò & generosa, vt leonem & elephantem, & onagrum, & bomastum, & oricem, valde bonum. Contrà efferata quantò imbecilliora, & naturâ minùs mãsueta, minus malum, præterquam in canibus, Oues feras videre, valde malum: capras & anates, minimè. In vniuersum, cicures amicum: agrestes autem aduenam aut incontrectabilem virum ostendunt.

Alia causa est, vt aliquot animalia exciperemus, ne capita de Auibus & animalibus quadrupedibus adeò prolixa & tædiosa redderentur. Quæ ergo animalia mansueta sunt, alia quidem toto genere (vt gallinæ, oues, pauones & canes) alia non toto genere: boues, equi, asini, muli, cum his capræ, anates, anseres, sues, columbi, feles: & non mansueta, quæ tamen nobiscum habitant: mures, mustelæ vrbanæ & hirundines. Externa, elephantes, camelos, gallipauos, qui maximè mansueti sunt. Hæc igitur viginti genera hîc tractabimus, vt fiant tractationes animalium reliquorum breuiores.

Aries ergo ducem militum significat: nam illius oues mactantur, vt milites solent: significat & vxorem mœcham: & eadem hæc duo significat hircus: licèt hircus magis significet vxorem mœcham: aries autem magis ducem exercitus. Quidam somniauit arietem equitare, & in cornua procumbere: responsum fuit ab interpretibus somniorum, ducturum vxorem, quæ mœcharetur. Fortè fortunatum de coniugio agebatur: duxit, adhibuit diligentem custodiam: proba inuenta est, periit: aliam breui superinduxit, remisit custodiam, somnij vanitatem arguens: ex quo illa contempti somnij pœnas à viro exegit, impudicissima facta. Significat & aries potentem virum, cum dignitate & authoritate. Si autem excoriatus in domum alicuius deferatur, significat alicuius ex illa domo interitum. Quodlibet animal solidorum cornuum, vt aries, capra, ceruus, stolidum significat. Oues tondere, morbos significat: nigras verò, etiam mortem ex illo morbo. Aliter significant lucra ex mercibus & artibus, & puerorum institutores. Omnia animalia vtili homini videre sana, robusta, pinguia, pulchra, bene caudata, bonum: contraria verò, malum. Agni infantes atque puerulos, vt etiam hœdi, referunt. Agnos pascere, est dolere atque tristari. Agnam aut ouem in macello vt carnes vendantur videre, est diuortium in iudicio facere, aut aliquam è suis mulieribus publicè prostituere. Hircus & capra, eadem quæ aries & ouis significant, sed mores deteriores, & sine vtilitate. In vinea si pascantur, eius bona depopulanda & dilapidanda. Significant etiam tædia, diuitiarum causa: & albæ vtiliores, quamuis non multum: rubeæ autem, lites: nigræ verò, mortem aut mortuos cum ignominia ostendunt. Gallinæ vtiles, familiares significant: gallus autem, eum qui familiæ præest. Columbæ verò adhuc vtiliores familiares, quàm gallinæ, & mites. Anser, famulam vel ancillam frugi. Qui comedit anserem pinguem, commodum habebit ex famulo bono. Et si alarum pennas auellat, aut deplumet illum, castigabit eum: sed si denudet, vituperabit ipsum. Anas eadem, sed minora significat: & magis verbosum famulum vel ancillam, & minùs vtilem. Anser est vtilior verè: quia maioris roboris & prudentiæ famulum significat, & qui maioribus negotiis præerit: Gallina magis solicitum, in minoribus tamen negotiis: columba magis mansuetum: & qui perducit res ad finem, magis anas est omnibus inferior.

Pauones, honores, ob pulchritudinem: & pretium, lucrum: quia pennæ etiam sunt venales: & iucundum amicum, nobilemque significant.

gnificant, ambitiosum tamen, & superbum, & clamosum: fidum quoque defensorem, sed iracundum & vagum. Et significant viros potentes & insignes magistratu vel sacerdotio. Pauo volans, opulenti viri iter significat: propriè enim hæc auis opulentos significat, sicut hirundo garrulos & instabiles: sed de ea superiùs actum est.

Canes referunt fidos amicos tibi, si è tuis sint: vel inimicis tuis, si aliorum: albi sinceros, rubri sæuos & iracundos, nigri maleficos, varij dolosos, molossi potentes & apertè aggredientes, melitei blandos & verbosos: virides vel coloris insueti, admirabiles, & incognitis moribus: rabidi, violentos admodum & perniciosos, sed non diu mansuros: vlulatus canum luctum significat, latratus maledicta: lacerari vestes, infamiam aut damnum cum iniuria: mordere, vulnera aut accusationem: lac illorum, infortunia & timores, vt etiam hostilium: carnes autem, opes. Qua enim ratione ab aliis detrahuntur, & nobis parantur, incrementum significant: odorarij, solertes & placidos: venatici, celeres & crudeles: domestici, custodes, & erga nos blandos: aucupes, obedientes & peritos: molossi, pugnaces, fortes, robustos.

Sues deformitatem, ingluuiem, ignauiam, mortem sæuam portendunt. Sus tamen cornutus potentem inimicum ostendit: caput suis ablatum sibi videri, donum reiectum, vel tædium, vel tædij finem: Maiales, homines solùm ad mortem destinatos, & Epicureos significant: vtrique tamen quæstores & thesaurarios, si nobis debeat fiscus, referre possunt: & in domo procuratorem. Porcus autem puerum refert voluptarium. Scrofa prædium significat: si peperit, vtile pro numero fœtuum: si prægnans, bonum prouentum. Aper tempestates & sterilitatem, ab effectu: hostem clamosum, & mulierem impudicam, & nauigantibus submersionem: quoniam arbores euertit, & rostrum sub terram defodit. Quæcunque animalia ex agrestibus deriuantur, ferinos homines & alienos significant, etiam quæ mansueta sunt. Agrestia autem ex illis, homines feros, qui mansuescere possint. Quæcunque autem non habent agreste ex eodem genere, vt gallina & canis, semper domesticos referunt. Gallipaui, aduenas longinquos & exteros nunc significant. Domesticos post hæc fidos, & mansuetos: ventosos tamen, & inconstantes, blandos & iracundos, ob mores atque mutationem: vtiles magis pauonibus, sed non adeò opulentos homines significant: & non securam vtilitatem: quoniam facilè pereunt. Significant etiam versutos & versipelles.

Elephantes, morbos malos & inuictos, grauia facta & periculosa, ægris mortem, nauigantibus submersionem, tarditatem etiam negotiorum: mortuus, tædium sine damno. Ob id ad actiones omnia sunt referenda: nam si nos deferat, & magis mulierem, mortem præsagit. Ex aduerso autem significando, hominem eum sapientem; potentem, gratum, benignum, opulentum, pium, nobilem, deformem tamen, sed cum dignitate quadam: & significat propriè principem bonum.

Mures, famulos, sed fures tamen, significant: melius tamen est videre ludentes, & hilares: nam huiusmodi aut non defraudant, sed solùm edendo & bibendo & potando assiduè rem domesticam minuunt: aut valde parùm minuunt. Significant & lites, quæ sensim arrodunt hominem: & inutiles domesticos. Mustelæ vrbanæ, furem domesticum & proditorem: sed tamen qui vitæ non insidietur, eum tamen qui te depauperare possit.

Camelus tædium, mœrorem, calamitatem, mortem, & homines malos significat. Propriè verò statum principalem, ob magnitudinem: longum iter, ob celeritatem: grauem morbum, ob pondera quæ gerit, & auxilia egregia & multa, quæ ab illo desumi solent. Camela significat mulierem pessimam, & deformem. Ex camela filium suscipere, est deformem ex deformi, improbum ex improba generare: deformitatem enim in omnibus significat. Sed & patientiam ad labores, & victus continentiam, & longam vitam. Senes propriè camelus significat. Æluri, fures, proditores, amatores, varios agilesque homines significant: & captiones, custodem etiam domus referunt: & qui cùm furetur egregiè, alios tamen furari prohibeat: non tamen vitæ insidiatorem significat.

Bos si pede percutere videatur, potens vir te lædet: sed si cornu etiam, grauius erit. Bos cum tribus cornibus, regionem à potenti viro subigendam significat. Boues dormientes, vel etiam solùm iacentes, morbum aut calamitatem decernunt. Boues alacres, fœcundos & vberes reditus: cum pluribus cornibus, dissidia: cum magnis autem, prosperitatem in prouentibus & robore villicorum, familiæ & propriæ personæ: cum vt dictum est, animalia pinguia bona sint: optimum tamen in boue est pinguedo, ob multiplicem vsum.

Asini, statum opum propriè significant: illæ enim incommoda sustinent. Oportet verò & caudam illorum considerare: est enim finis animalis. Cadere ergo ex asino paupertatem ostendit: est enim ac si dicas, à bonis suis excidisse. Asinus labores, impedimenta, molestias, contemptum, frustrari voto significat: casus etiam ex eo morbum significat, propter problema Aristotelis. Asinus etiam ancillam vel famulum refert. Asinum disrumpi, paupertatem perpetuam: asini cauda deformis, deformem inopiâ senectam: amputata, miseriam prædicit. Asinus calcitrans, vel famuli contumaciam, vel difficultates in exigendis reditibus prædicit.

Mulum aut mulam equitare, lentum negotiatorem, parumque fidum, tutum tamen, significat, & aptum negotiis: nam molliter incedit hoc animal, & raro cadit. Muli nullis deteriores, quàm his quibus sunt asturcones: significant enim, in posterum illis omnia difficiliora, & minus alacre eorum fortunam: præterea significant sterilitatem, cœlibatum, morbum genitalium membrorum, diuortium ob naturam non aptam ad coniugium, labores

labores etiam multos & magnos ob pondera quæ ferunt: & longam vitam: quia diutiùs parentibus viuere solent. Mula quoque vxorem & ancillam significat: quoniam mulabus molliter insidere solemus: ita curæ harum. Quamobrem naturam earum spectare oportet:albæ enim, formosæ:nigræ, vtiles: mediæ, callidæ sunt. Muli semper significant impotentiam explendi votum suum. Mulam qui videtur amittere, si non habet, tædio liberabitur: si habet, damno afficietur. Mula si parere videatur, abominandum factum significat:misero autem, admirabile. Onagri bonam fortunam, celeremque adeptionem eorum, quæ desiderantur, prædicunt: ob motus velocitatem. Si videaris mulam vel mulum alienum equitare, & descendendo fugiat ad dominum suum, liberaberis à molestia quam subieras, principali eam subeunte: si verò ad alium fugiat, liberaberis casu. Muli etiam spurios significant filios: ideo bonum est ei qui non habere se existimat, si modò esse possit vt ignorans susceperit.

Equi cursores parati, morbum & mortem prænunciant: hic enim cursus propriè vitæ nostræ. Equus existimationem, robur, facultatem, agilitatem, fortunam hominis: cauda autem, præcipuè ea ratione quæ de asino assignata est, decernit: nam non nisi generosis equis perpulcha esse solet. Equus calcitrosus turbulentam, mansuetus tranquillum, robus bonam, æger malam, speciosus nobilem, deformis humilem, securus in ambulando tutam, cespitans caducam fortunam significat: ornatus, splendidum statum demonstrat. Ex equo descendere, bono aliquo fortunæ se spontè abdicare significat: cadere autem, per vim priuari, sed non sine spe recuperandi. Sed equum amittere, sine spe etiam recuperandi, quod valde malum est: cadere autem cum ipso equo, & lædi, est ex toto corruere cum fortuna sua, & detrimento vitæ. Si id contingat currente equo, culpâ suâ id accidet. Albus color mortem & pericula decernit, quòd procul videatur: vitam tamen hilarem decernit: niger, opulentam fortunam: ruber, contentiones & molestias. Asturconem equitare, est vitam felicem ducere, & negotia iuxta vota succedere.

CAPVT XL.

De materia & excrementis animalium, pellibus, pilis, cornibus, vngulis, stercore & vrina.

STercus animalium & vrina generaliter mala sunt, & significant res abominandas: quoniam habent quibus commodè vtamur. Fimus tamen equinus bonus est agricolis & chymistis: quoniam illis vtilitatem aut commodum affert: vrina verò cùm nulli sit vsui, ad pecunias eius qui ad nos aut causæ referenda est: significat etiam exolutionem curarum, pro natura animalis hominem subiicientis.

Pellis verò insigne est animalis, vt vexillum hominum ac militum. Pellem leonis inuenire, vel lucrari, vel quouis modo habere, significat victoriam de potenti viro: at pardalis aut pantheræ, de subdolo & versipelli: hyenæ, de pernicioso insidiatore: lupi, hominis atrocis: cerui, inconstantis & fugacis: leporis, timidi: vulpis, cauti, atque ita de aliis. Pellem autem animalis induere, est mores illius induere, aut subire conditionem, aut cogi: velut pellem draconis, est fieri superbum, arrogantem, crudelem, auarum: aut timeri ab omnibus, aut vitari ab omnibus, & persequutionem pati. Excoriare verò pellem, siquidem ad domesticos referri possit, bonum est: illorum enim vitia emendabit: at si ad alios, victor erit, illosque suo robore exuet.

Pili autem, ad fortunam solùm referuntur: vnde pilis suillis nihil est deterius. Cum ignominia crudeliter mactabitur, quicunque somniauerit se tales pilos habere, si solemne somnium fuerit: aliter contemnetur, & ipse suillis moribus vtetur, vorax, sordidus & despectus. Pilis asini labores, leporis mortem breui & crudelem: parùm enim viuit, & à canibus viua lacerari solet. Pilis leonis, erit formidabilis: lana ouis, occidetur à suis, & spoliabitur fortunis. At verò pilos videre, sed non innatos sibi, significat opera factorum similia: velut asini pili rem ingratam, & haud ciuilem: suis autem sordidam vulpis, fraudulentam.

Plumæ verò pilorum instar sunt, sed decorem & spes significant: vnde etiam fabula de pauonis plumis, & coruo. Plumæ pauonis ambitiosum & inanem, aquilæ ferocem & rapacem: psittaci nugatorem, sed speciosum & modestum: picæ autem maledicum, & contemptum: accipitris instabilem & crudelem, lepidum tamen: corui sordidum, nugacem, & omnibus inuisum.

Vngulæ & cornua eodem modo se habent, vt etiam vngues rapacium: arma enim significant. Equus sine vngulis, & bos sine cornibus, exarmatum hostem aut auxiliatorem declarant. Ebur autem propter opera, nobilitatem significat: vngulas equi seorsum inuenire bonum est, si ad inimicum referatur: si enim inuenisti, ille non habet: vngues etiam & cornua, & rostra & vngulæ, si ad principes referantur, arces significant. Rostrum tamen aliud etiam significat, scilicet pecunias illius, & opes: quoniam, vt rostrum, sunt vitæ necessaria. Ex vngulis aut rostro facta esse manubria gladiorum, aut alia artificia, est conuersam esse vim ad industriam. Calcaria gallorum, dignitatem hominis referunt. Plurimum creuisse pilos in animali, est pecuniosum illum esse, & ob id tutiorem: at creuisse rostra, vngues, & similia, est præparatum esse ad pugnam: at commutata esse quæ vni conueniunt in aliud, vt cornua equis, solidæ vngulæ bobus, est potentiam plurimam ob imprudentiam reddi inutilem.

Pellem, pilos, cornua, vngues, stercus, ac generaliter singula, commutari in naturam animali haud conuenientem: vt si sint aurea, vel ferrea, vel lutea, vel creata, ligneave aut lapidea: nihil horum bonum, nisi in ferrum, ob duritiem: vel in aurum, argentumve: tunc

tunc enim robur illius in pecunia futurum existimabis.

CAPVT XLI.

De hominum generalibus differentiis.

GEnerales hominum differentiæ aut sumuntur à specie, aut à partibus ex quibus componitur. A specie, vel à regione, vel religione, vel lingua, vel perfectione, vel proprietatibus, quæ cum perfectione sunt, euariant tamen, vt obesus, pinguis, magnus, pulcher, candidus, robustus. A perfectione, claudus surdus, cæcus, monstrosus. Dissimilia omnia, cùm non ad idolum referuntur: si simplicia sint, vt regio, negotium & hominem valde diuersum significant. Si lingua, impeditum: si religione, cum contentione & insociabile. Imperfectum verò omne absurdum. Surdus, inexorabilem, mutus, mendacem: cæcus, ineptum, contemptoremque tui: neque enim cæci quenquam honore afficiunt: claudi, deceptorem, tardum: gibbi, dolosos: strabi, perfidos. Ætates, sexus, magnitudo, omnia extrema & inconcinna mala.

Quæ verò ad hominem pertinent, sunt corpus & anima, & facultates atque operationes. De anima quidem dictum est: corpus verò, fundamentum atque vehiculum indicat. Facultates autem, potentiam, dignitatem, opes, & omnia quibus homo iuuatur: at functiones operum perfectionem, & absolutas res significant. Sunt autem partes generales, principales: caput, pro dignitate & potentia & sapientia: cor, pro vita, filiis, amore: iecur, pro opibus: virga, pro existimatione, & efficacia in negotiis: pedes, pro fundamento omnium: venæ, nerui, arteriæ, & vasa, pro his quæ inseruiunt: venæ, vnde colligitur pecunia, & quæ seruatur: nerui, omnes auxiliatores potentiæ: ossa, vnde robur & consanguinei: arteriæ, animum & efficaciam.

CAPVT XLII.

De propriis partibus hominis.

CApilli & pili significant diuitias, cognitos, vestes: & faciliter fluunt & cadunt, crescunt & renascuntur in Principe, tum subditos. Dentes, significant totam familiam: & qui non sine sanguine cadunt aut vitiantur, coniunctos: qui sine, amicos aut familiares tantum. Diuiduntur multifariam: dextri masculos, sinistri fœminas, superiores masculos & maiores, inferiores fœminas & natu minores: anteriores, iuniores: posteriores, natu grandiores: oculares; id est, qui & canini, propriè filios significant. Si ergo anterior dens sine sanguine cadat, morietur filius amici tui. Dolor quoque significat coniunctos & amicos valde: si sine dolore, familiares, clientes, domesticorum quempiam. Dentes omnes cecidisse, aut perditionem familiæ, aut exilium, aut longissimam vitam nunciat: valde senibus enim omnes tandem cadunt dentes. Multæ manus opificibus & probis viris bonum, flagitiosis vincula significant: vt etiam pili ex articulo manus enati. Pili è palma nati, otium portendunt. Plures digiti, operariis rerum subtilium bonum, reliquis vulnera: nam ad illa chirurgi multis digitis indigent. Dextra manus, quæ parantur, bona significat: sinistra, quæ parta sunt: paucitas digitorum, impedimenta & opera imperfecta significat. Pectus, arcana significat. In eo vulnerari, iuuenibus amorem, senibus malum nuncium prædicit. Diuidi pectus, & aperiri, arcana detegenda nunciat. Plures habere pedes, morbos longos vel cæcitatem significat: nam iis indigent cæci, & huiusmodi casibus afflicti. Aquam è pedibus fluere, significat hydropem, aut damnationem ad triremes. Sed pedes amburi, omnium euersionem præsagit, filiorum, opum, domesticorum. Caput habere egregij alicuius animalis, significat maiora negotia quàm pro viribus aggressurum: equi autem, aut asini, labores magnos: canis, maximam solicitudinem: bouis, capræ, ouis, capite plectendum nunciat: & similiter suillum, sed hoc flagitia etiam significat: omnia enim hæc animalia malleo occiduntur, aut iugulantur. Hoc etiam significabunt cornua in capite enata. Viscera omnia extracta videre, patefieri arcana nunciat, aut perniciem omnium domesticorum & filiorum. Intus verò sua viscera inspicere, bonum est ei qui suis meruit: securi enim erunt: aliis metum & dolorem incutit. Crura significant consanguineos. Cui crus abscissum videbitur, consanguineus eius in longinquas regiones ibit, nec ampliùs reuertetur: aut in arte sua maximum patietur detrimentum. Cui impinguabitur, ditescet ipse, aut consanguineus potens fiet. Cui crus fit aureum, nobilitabitur in arte, vel eius consanguineus potens fiet: si ferreum, erit inuictus, aut consanguineus gloriam ex fortitudine adipiscetur: si vitreum, diffidet in arte sua, vel consanguineus in magno periculo erit: cui crus extenuabitur, vilescet opinione in sua arte, aut consanguineus euertetur è potentia vel dignitate. Cui crus depilabitur, amittet fautores suos, aut consanguineos. Cui tibia, loco cruris, eadem de facultatibus dicenda erunt quæ in crure de arte diximus. Et ita de aliis. Dentes ægris si cadere videantur, salutem significant: si tamen omnes exciderint, mortem. Si dentes inæquales euadant, aut homo sibi videatur modicum sanguinem spuere, seditionem in domo portendit: illud quidem ratione, hoc obseruatione frequenti cognitum. Dentes ferrei crudelitatem significant, & robur vitæ, & inopiam: dura enim inopes mandere coguntur. Aurei autem, magnificum apparatum: eburnei, comptum: sed vtrique parum boni significant. Lingua tumefacta, ob sermonem iacturam passurum significat; resoluta, & magis si ablata sit, miseriam: nam pauperes hiscere non audent: aut carceres, vel impedimenta plurima decernit. Pilos in lingua habere, mortem, aut morbos, aut impedimenta magna prædicit.

vidi[illegible] Anatomi[illegible]

prædicit. Significat & maledicentiam. Idem eademque omnia ſignificant pili in quauis parte oris enati : & nigri, velociorem euentum horum rubris, & rubri albis. Caſus pilorum ſignificat timorem vehementem, venenum aut luem : ex his enim pili vniuerſi cadere ſolent. Refert Scirnacam, quòd cùm Serimachij : id eſt, Serim doctori quidam dixiſſet, vidiſſe per ſomnum, excidiſſe pilos omnes præterquam genitalium : reſpondiſſe, id ſignificare calamitatem in omnibus, præterquam mulieribus : quæ & euenit. Alteri verò, cùm dixiſſet, viſum ſibi pilos crurium creuiſſe, quos ſibi forcipe præcideret, paupertatem & ruinam prædixiſſe. Barba longa, ſi compta fuerit, autoritatem & lucrum ſignificat : ſed ſi inornata fuerit, morbos & ſqualorem. Pili narium, tædium & moleſtiam à principe, vel potentiore. Quòd ſi eos euellat, liberabitur, ſed non ſine labore, dolore atque iactura. Significant etiam infamiam hi pili.

Magnitudo capitis, ſignificat potentiam; manuum, felicitatem familiarium: vetris, opulentiam : pedum, vitæ longitudinem : contraria, contraria : atque hæc, ſi diu permanere videantur, & citra morbum : cum morbo verò cuiuſmodi erunt, ſed non ſine moleſtia : colli magnitudo, robur vitæ. Magnitudo pectoris, conſilium & prudentiam : occluſum atque impeditum os ſic habere vt deuorare non poſſit, mortem nunciat repentinam. Oculos habere magnos, bonum & decorum, ac filiis vtile. Oculo priuari eſt filium amittere : tres habere oculos, eſt augeri filio vno, vel nepote ex filio : ſi ætas non admittat, ſed is vel vnus eorum qui iam ſunt, breui morientur : quoniam præter naturam eſt habere plus quàm duos oculos. Paulò antè quàm naſceretur nepos ex filio, vidi in ſpeculo me habere tres oculos, inde quatuor: paulò pòſt natus eſt nepos, & ſtatim mortua eſt neptis, eius ſoror, & filius: & ita duo loco vnius periere, vt ſomnium oſtenderat : at ego antea intelligere non poteram, Naſus ad decorem magis quàm ad opus pertinet : quia hominibus paruum vſum præſtat. Ideò naſus autoritatem ſignificat. Naſo carere, lethale, præſertim ægro : nam caluariæ eo carent. Duplicem habere, diſſidium inter domeſticos: eſt enim res noſtra. Naſus etiam religionis cultum notat: Oculi etiam parentes ſignificant: per illos enim lucem videmus & fratres : ob ſimilitudinem : & religionem : quia ea proſpicimus vitam. Cyclopem factum eſſe, declarat hæreſim patefactam : aut magnum aliud dedecus, veletiam in parentibus vel filiis vel fratre. Et certè oculi pietatem, qualis ſit, declarant. Mandibulæ duæ ſignificat totam domum : inferior, minores & minùs nobiles: & ſuperior, maiores, aut nobiliores : ita vt inferior ſignificet, nobiles iuniores, & ignobiles ſeniores : ſuperior verò, maiores natu nobiles, ignobiles verò iuniores: ab inferiore etiam, propter dentes anteriores. Conuulſam ergo eſſe maxillam vnam aut ambas, ruinam domus totius aut partis ſignifica: at ſi ſolùm luxata ſit, erit tota domus in diſſidio, & penuria rerum domeſtici ac dominus laborabunt. Corruptam eſſe maxillam, & putrefactã, valde malũ eſt : aut enim peribũt, aut vitiis corrupti euertentent domũ.

Ozæna in naſo morbus eſt ſeu polypus, infamiam grandem ſignificat : non ſolùm de ſe malè, ſed magis de ſuis familiaribus atque coniunctis audiet. Naſi verò partem amputatam, dedecus maximum, & publicum: auris autem, magis tectum ſignificat.

Mandibulas circa morbum intumuiſſe, ſignificat, familæ ſine vtilitate, imò potius cum incommodo incrementum. At naſus ſi creuiſſe videatur cum proportione & decore, auctoritatem ſignificat : at ſi turpiter, commoda re malè vſurum, & deformes prædicit actiones.

Pectus habere amplum, ſed decens, multam ſignificat prudentiam: at indecens ſi fuerit, multorum flagitiorum conſcientiam. Pectoris morbo ægrotare, eſt imprudenter ſe gerere. Tuſſi vexari, eſt conari ſe exonerare malefactorum conſcientia : impediri reſpirationem, eſt impediri ab actionibus, quas facere decreueras. Pectus ferreum factum eſſe, ſiquidem aptè, moueatur, bonum eſt, & ſignificat prudentiam & fortitudinem : lapideum & immobile, inopiam omnis conſilij & auxilij, vt quò te vertas neſcias : iuxta illud: Cùm te marmoreum fecimus. Pectus vitreum, ſtultitiam, vitæ periculum, deiecta conſilia: aureum verò, ei qui habet, ob grauitatem damnum & curas nimias affert: iuſtitia tamen & probitate inſignem demonſtrat.

Lingua ferrea, ſignificat acumen in dicendo, & inuictum in perorando : aurea, eloquentiam cum grauitate, ſi aptè moueri videatur : aliter ineptum & ſuperbum : lapidea, inutilis prorſus eſt.

Partes omnes ſignificant ſecundum propriam operationem, vt crus ambulandi : & pes ſuſtinendi : & ſecundum proportionem ad totum : vt caput, dominum domus, & parentes : & iuxta ſubſtantiæ naturam in patiendo facilè aut difficulter : velut oſſa firmitatem, caro morbos prænunciat. Et adeps, perſonam inutilem in domo. Et omnia quæ perſonas viles ſignificant, faciliùs tranſeunt in ſignificatum affectus.

Buccas habere inflatas, eſt iniuriam egregiam & manifeſtam pati. Teſtes timidos habere, eſt grauem curam habere pro filiis, aut vxore, vel concubina. Membrum virile in immenſum creuiſſe, eſt filium patri non leuem, & cùm infamia exhibere. Si autem langueat, deterius eſt: nam patri robur deerit, & filius ipſe ignauus & omnino deſes erit.

Humerum habere aureum, eſt poteſtatem habere inſignem : eburneum verò, poteſtatem ex virtute partam. Adamantinum, ſignificat regnum : eſt enim humerus robur actionum, & locus qui ornari ſolet : luteum, creteúmue habere, omnibus malum eſt admodum : vitreum, magiſtratum habenti periculum amiſſionis dignitatis, non habenti caſus ſtatus : & ſi ciuis ſit, ne inter ciues habeatur.

Cornua habere animalis quod iugulari ſoleat, ſignificat periturum ſupplicio capitali: nam hi qui ſic, moriuntur vt boues vel capræ vel oues. Ramos vt arborem emittere, eſt

est filios stolidos generare. Brachia habere lignea vel lapidea, est vinctum esse, aut resolutum: ferrea verò, aut amputata esse, aut inimicitias subire capitales, aut triremes, vel laborem maximum. Eadem fermè de cruribus, vel ad domesticos referatur. Sed ad significatum proprium tunc transferendum est. Sic si voluisset dicere Artemidorus, non malè dixisset, cùm ait non esse ænigmata somniis immiscenda: aliter rudis viri dictum esset, & eius qui non solùm ignorat multa, sed viam præcludere nititur vlteriori inuentioni.

Membris destitui, semper malum est: quia non solùm functionem, sed etiam facultatem aufert. Tribus in casibus bonum est: vel cùm excessum adeò magnum significat, vt omnino ad munus redire non possit: vt si magistro ludi literarij somnium eueniat, quo lingua sublata videatur, fiatque à secretis regis: neque enim potest ob dignitatem ludimagister ampliùs esse. Vel quoniam malè exercetur: vt carnifici vel furi amputatæ manus videantur: nam emendando vitium hæc impotentia vtilis est: vel significando perpetuitatem cessationis, non impotentiam: vt sutori hæreditas opulenta eueniens, amputatione manuum significata. Multitudo verò membrorum vel ad necessitatem reducitur, & tunc mala est: vel ad impedimentum, & tunc non adeò mala: aut ad operationem, & tunc bona est, vnde multa capita dissidium in regendo significare possunt: aut quod est non esse muneri sufficiens, & hoc etiam deterius: vel in consulendo affuturum auxiliatorem alterum tanquam ipsummet, aut alium ducem in auxilium venturum, & hoc est bonum.

CAPVT XLIII.

De affectionibus.

Affectiones dico, omnes quæ sine exteriore fiunt mutatione. Sunt autem cogitare, intelligere, memorari, imaginari, timere, sperare, lætari, tristari, amare, odisse: inuidere, irasci, misereri, cupere, spernere, dolere, & voluptate affici, calere, frigere, famescere, sitire, dormiturire, micturire, cacaturire, & similia. Omnia hæc primùm supra causam suam significant. Timor iram principis, inimicos potentes, litem, grauem morbum. Spes, iucundum initium, lætitia, causas suas, velut nuptias suas aut fratris aut filij, aut ortum filij. Mœror, luctum, aut pecuniæ amissionem: quoniam proximæ idolo sunt huiusmodi visiones.

Tristari ergo ob nulam causam, idolum est, & veram tristitiam significat, sicut etiam irasci: quoniam commutare non potest.

Amare, est dolere: quoniam amor genus quoddam est doloris: & obamare & amari, quæ dictiones quasi eædem sunt: propriè autem amare, amissionem significat: amissa enim semper magis amamus, præsertim nuper, quàm quæ possidemus.

Odisse eadem ratione, quæ de tristitia dicta est, si nesciamus quid sit quod odio habeamus, nec cur, verum ostendit odium. Verùm si odio videamur aliquem per somnum prosequi, qui in vigilia ignotus sit, errasse nos, nosque ipsos odio dignos esse ostendit: ideoque nil mirum si iustè nos odimus: odisse notum, damnum & iniuriam ab eodem significat: sic enim meritò illum oderimus.

Lætari, vt dixi, absque causa, lætitiam significat: & ideò supra causam aliquam reflectitur: at lætari ob pecuniam, gratia exempli, mœrores, ob causas quas pecunia inuenta declarat: vnde duplex, in omnibus consideratio. Exempli causa, cùm lætari ob aliquid proponatur, (aliter, vt dixi, species idoli est causam lætitiæ eam esse oportet, vt pecuniarum inuentionem: at lætaris, quia inuentam existimas pecuniam: at inuenta non est: falsa igitur est causa lætitiæ: tristitiæ igitur causa est alia per vigiliam. Contrarium enim lætitiæ est tristitia, & iam causa lætitiæ falsa deprehenditur & supponitur: causa igitur erit tristitiæ: & quoniam lætitia falsa & vera tristitia conuertuntur, & in idem incidunt, etiam causa falsæ lætitiæ cum causa veræ tristitiæ coincidet, quæ est inuentio pecuniarum. Qua ergo ratione pecuniarum inuentio lætitiam significabat, opposita significabit tristitiam: habebimus ergo ex hoc somnio duas inuentiones tristitiæ ob lætitiam, & causarum tristitiæ ob causas lætitiæ, in pecunia inuenta, vtpote posse explere vota quæcunque etiam erunt, destitui spe explendorum votorum: & quæ propriæ sunt pecuniæ, vt labor in parando, & solicitudo in custodiendo, & anxietas in distribuendo, vt satisfacere possis cupiditatibus tuis. Præter hæc sunt causæ, quæ etiam per somnum adiici solent in inuentione, vt ne quis viderit: aut quod ferre non possit, timeatque ne quis alius superueniens eum detegat: aut per vim eripiat, aut etiam occidat. Sic ergo habes tres causas, quare affectus cum causa: quia causa tripliciter in contrarium vergit: tum quia non adest, tum quia ipsa per se etiam contrario affectui aliqua ex parte assimilatur, tum quia in adiscendo contrarium mouet affectum, illum significat non quem in somno experimur: & causas esse ex triplici genere à causa sumenda. Voluptate igitur affici, iuxta ea quæ dicta sunt significat dolere: vt dolere, voluptate affici. Verùm hæc corporea sunt, & ideò ambigua: vtrumque enim per vtrumque significatur. Et voluptas quidem: quoniam causam coniunctam habet, ex genere idoli est: sic etiam dolor. Et si remaneant soluto somno, pro idolis habentur.

Misereri, vt suo loco dabimus exemplum, luctum significat: & malum somnium est: quoniam non potest ad contrarium verti: est enim in medio: sola extrema conuertuntur.

Irasci contrarium est misericordiæ: significat, iniuriam accepturum. Significat & inuidiam: quoniam ex inuidia ad iram homo prorumpit: est enim inuidia leuis ira: idem significat indignari: ergo omnia hæc exaltationem inimicorum, iniusta facta, mœrorem atque tristitiam significant. Cùm verò huiusmodi affectus in anima sint, ad ea

quæ

quæ per animam significantur accommodari debent. Velut ira, ad vxoris iustum dolorem, vel amici singularis. Significat & morbum qui vitam conturbat, vt ira animam.

Inuidere est, fœlicitatem in proximis videre, seu amici sint, seu inimici: Et rursus inuidere, est cupere: vt cupere inuidere. Significat etiam dolorem & animi & corporis: & hæc eadem transferuntur ad filios & vxorem. Sed & amissionem portendit opum, libertatis, sanitatis: ob hoc enim inuident mortales.

Cupere & spernere quandoque, cùm extrama fuerint, in contrarium transeunt, vt vnum pro altero accipiatur. Cupere propriè amissionem rei, quæ non potest redimi, significat: & ob id luctum inuidere, est pro honoribus & facultatibus. Et cupere equum, est cupere honorem, & contemnere pari ratione. Et cupere asinum, est cupere opes: sed cupere visum restitui, est priuari filiis: cupere mulam, aut artem proriam posse exercere, est vxore priuari: cupere animam restitui, est filium aut vxorem perdere: Cupere honores, est equum desiderare. Cupere opes, est ventris morbo velle sanari.

Sperare atque timere ex æquo, cum sint affectuum princeps, vnum in aliud conuertitur: & ambo dolorem significant: sed spes longè deterior est quàm timor, & maximè si rei amissæ sit. Inanis est omnis somnij affectus: vnde vanam spem significat. Timor tamen magnus, vt loco suo dicetur, exitij signum est: adeò vt timor ad exitium, spes ad luctum magis pertineat.

Intelligere, cùm sit res prope animam, plerumque ad idolum pertinet. Multi multa per somnum didicere, vt de Hasen refertur. Et ego aliqua, quamuis exilia, didici. Est autem intellectus prima seu perfectissima animæ operatio: & ideò intelligere significat Dei venerationem & pietatem. Sapientia enim & Dei cultus se mutuò referunt.

forsan hęc somniorum divinatio ad luxuriem subbendi exhalata.

Memoriæ mandare, est colligere minutim: & minutim colligere, memoriæ mandare. Et discere quæ iam didicisti, inanem & superfluam curam. Et memorari eorum quæ didicisti, est ordinare quæ iam habes. Et recordari ad præterita pertinet: & est operam dare historiæ. Et significat monumentum & sepulchrum, memoria, à communi nomine μνῆμα: & intelligentiam, & diuinam sapientiam, ac poësim, à μνημοσύνη & animi tristitiam ac dolorem, à μνημύω, quod est tristis incedo. Et hæ omnes significationes à rei ipsius natura, non solùm è nominum similitudine pendet: nam qui recordantur, quasi tristes degunt.

Cogitare & ratiocinari, hominis proprium est: & significat multitudinem & magnitudinem curarum atque negotiorum. Est etiam, opera omnia mentis exercere: & vt memoria est præteritorum, ita cogitatio præsentium, imaginari futurorum. Significat deliberare, iudicare, dubitare, insidias parare, machinari, esse solicitum in metu, in periculo: & promptitudinem, ac esse præparatum ad negotia.

Imaginari, significat præparationem ad futura & imminentia, & graues curas, quibus cogimur imaginari exitum. Sed & fingere aliquid: tum omne genus effingendi, picturam, plasticem, scripturam, cælare, texereque.

Quicunque affectus desiderium ostendunt, earundem actionum, de quibus dicemus indigentiam, quatenus ergo bonæ sunt, significant: vt esurire, paupertatem, & lucri cupiditatem: edere & enim est lucrari. Omnium horum maximi sunt, misericordia, & post metus causa exclamare, & magis si surgere cogat. Et quicunque in vigiliam vsque extenduntur, præter eos qui cum desiderio sunt: nam hi si etiam vigilantibus nobis permaneant, affectum indicant esse naturalem, & non visionem. Animi affectus corporis morbos, & etiam eorum qui ad nos affectus significare solent.

CAPVT XLIV.

De actionibus & passionibus.

Actiones, vt dixi, sunt quæcunque extra mentem extēduntur, nec tamen operantur certa ratione: ne artes includamus. Prudentia quidem non propriè operatur, sed agere docet. Opera igitur alia sunt sensus, alia actiones, alia passiones. Non est hic locus de nominibus disputandi: satis est, quòd per actiones volo intelligi, quicquid homo agit, aut patitur, quod possit ab alio videri, vel sentiri: non tamen sit artis exercitatio, vt fabrilis, aut citharistiæ. Primùm ergo erunt opera quinque sensuum. Deinde motuum: & hæc diuiduntur in actiones & passiones. Et plura quæ ad actiones pertinent, habent suas passiones: vt verberare & verberari, vulnerare & vulnerari. Quædam non habent vt currere: sed quædam, quod in alio est, ad seipsum transferunt: vt ridere & irrideri, plorare & plorari. At non dicimus currere & curri: hoc enim præterquam quòd est præter linguam Latinam, est etiam inusitatum. Ergo distinguamus euidentiora illa etiam per species distinguentes in tractatione: velut verberari baculo, lapide, flagello, virgâ: erunt igitur, videre, audire, olfacere, gustare, edere, bibere, vomere, mingere, egerere, tangere, concumbere, ridere, titillare, plorare, lamentari, suspirare, loqui, clamare, singultire, percutere, vulnerare, ambulare, currere, psallere, salire, equitare, luctari, venari, piscari, aucupari, canere sine arte, tussire, pandiculari, eructare, pedere, natare, sternutare, dormire, vigilare, respirare, pulsus arteriarum percipere. Præterea suspendi, interfici, lacerari, capite plecti, verberari ab equo, torqueri, orare, supplicare, mentiri, oscitare: sedere, stare, stertere, sudare, à canibus lacerari, pugnare, volare, ludere, propriè mori, resurgere, decipi, fraudare, litigare ægrotare, veretrum tendi, parere, acquirere, amittere, spoliari, vi exuere vestes, atque induere: honorari, contemni, irrideri, sibilare, exsibilari, fugere, persequi, ascendere

descendere, increpare, secare, comere, tremere, dentibus stridere, iacere, lauari, fricari, inungi, testamentum condere, furari, latrocinari, fodere, vehere, blandiri, adulari, tondere oues, ornari, cibosque præparare.

Titillare ergo est, mœrore afficere: quoniam lætitiam & risum gignit, & vim infert. Cùm quadam nocte curarem infantem, visum est mihi quòd titillarem eum, & ipse me vicissim: intellexi moriturum, ex hoc somnio: manè igitur sequenti mortuus est.

Osculari, significat beneficium conferre: sed si Veneris causa, beneficium recipere. Quidam ergo cùm somniasset, scortum ignotum formosum veneris causa dissuauiari, & cùm mihi id narrasset, respondi, ab ignoto breui vtilitatem habiturum: quod ille vix credere poterat. Eadem die aduenit ignotus, qui illi multa pollicitus, præter omnem spem magnam partem eorum, non tamen omnia præstitit. Quia enim concubitum admittit, actum exhibet: actus autem ad beneficium refertur: quia cum voluptate fit.

Verberari & conculcari, fiunt & sine dolore, & plagis, & cum alterutro & cum vtroque. Conculcari contumeliosius est, sed sine plagis fit, & sine dolore, vel cum paruo: plurimum autem differt quâ conditione sit, nobilis aut senex: sed hoc suo loco dicetur. Conculcari ab amico, bonum non est. Verberari, est admoneri: & cum plagis, erit cum vtilitate: vel illius causa sumptum facies: at ab inimico, citra dolorem & plagas significat iniuriam, infamiam & dedecus: si cum plagis, damnum: si cum dolore aderit, tristtia & anxietas maxima. Considera etiam imminentia: nam si homicidij reus sis, ab amico monitus, euades periculum: aut captus pro capitali supplicio, in exilium mitteris. Quòd si nec amicus sit, nec inimicus qui verberat, sed notus, tamen læderis, iuxta rationem hominis & faciei: aut iuuaberis à persona cognita, aut amico, sed non amici officio fungente: aut læderis ab inimico, sed non ita vt timuisses. Ab incognito autem si vereris, tractationem incognitorum consule. Quòd si cognitus homo ille partim amicus, partim te læserit aliàs aut maledixerit iuxta qualitatem vtramque pro magnitudine iudica. Sceptro à rege verberari, est ab illo beneficium recipere.

Inungi, morbum grauem significat: & si oleum redoleat, gratiam apud principem & populum ex bonis operibus: si grauiter oleat infamiam & indignationem: In facinorosis tormenta, in pluribus sacerdotium: in his qui ex regia stirpe sunt, regnum: vnguntur enim sacerdotes & reges: & qui vnguntur, vinciuntur, vt etiam flagitiosi capti.

Volare, spem significat. Et volare pedibus antè extensis, vt ego soleo, præposteram, & animi curam anxiam: Volare ad cœlum vsque, vel ad nubes, nec redire, mortem proximam cum laude. Volare ac tectorum culmina, spem de re quæ possit haberi: aut præbiturum admirationem. Volare, nec habere alas, rem incógruã, nec diuturnã. Volare & cadere, valde malum est: amittet enim certa pro incertis. Volare, & baculo ferreo inniti, est spem tuam à potenti viro foueri. Diu & in longum volare, est iter facere pro volatus ratione.

Saltu perpetuò se in altum attollere, est magnis conatibus ac laboribus parum aut nil proficere. Salire verò super montem, & cum agilitate, significat prosperos successus.

Vulnerari, est laborare ac dolore: quòd si sanguis in terram effundatur, est operam & oleum perdere: sed si super vestes, lucrabitur. Si in vtrumque, lucrabitur, sed non tantum. Vulnera sicca mala sunt, quod contra naturam sint: ideò inopiam necessariorum significant. Vulnerari, verberari etiam, & conculcari, iuxta conditionem illorum à quibus hæc pateris, interpretari debent. Martha Motta quoties somniabat à medico se verberari, medicamentum sumebat ab eo ex quo lædebatur: erat enim ille asinus.

Concubitus significat voluptatem propter delectationem, vtilitatem propter coniunctionem & tædij solutionem significat & beneficium, propter id quod semen suum effundit. Coire cum vidua nota, est consequi partem hæreditatis illius, vel alterius, vel ab illius hæredibus: cum ignota autem, suo labore alteri pecuniam parare. Quòd cum cuidam casu qui id somniauerat exposuissem, essetque lusor, rogantibus vt luderet, recusauit, seu ob somnij perplexam interpretationem, seu quòd pecunias non haberet. Dum ergo astans quidam rogaret, vt de sua pecunia luderet, lusit, & vicit pro illo grandem pecuniam. Et ita dum vitare vult somnij prædictionem, impleuit. Cum masculo concumbere, est rem absurdam, & cum periculo facere. Et si semen emittere videatur, ob id in capitis discrimen vocabitur: propter hominymiam verbi corrumpi, quod & putrescere, & semen emittere significat. Qui cum mortuo concumbit, si noto, illius hæredibus feret auxilium: si ignoto, inimicum superabit. Qui cum infante concumbis noto, nec emittat semen, ægrotabit infans ille: si emittat, etiam morietur. Si autem ignoto, axilium feret impotenti, aut damnum, absurdâ ratione. Cum diuis coire, est breui mortem oppetere, aut religioni se adiicere. Cum mortuo etiam concumbere, persæpe mortis propinquæ signum est. Cum vxore, amica, vel pulchra muliere concumbere, tædij solutionem, beneficium, gratiam amicitiamque, significat: concumbere cum pulchro puero, significat actionem specie pulchram & iucundam, verùm periculosam, inutilem & infamem: vt sunt poëtica studia, chymica, ac similia: sed cum deformi, vel viro, vel anu, enormes: Seipsum inire, est tormenta pati maxima: vel negotiorum significat confusionem, aut cum coniunctis commisceri. Misceri meretrici, ridiculum est, & parum sumptum cum voluptate significat: at misceri in lupanari, nec exire posse, mortem prædicit. Velle concumbere, nec posse, est frustrari voto. Iniri omnibus absurdum factum & contemptum significat: est enim succumbere.

cumbere. Deterius, à vili persona. Inire domesticos bonum est: voluptatem enim ex rebus suis ac fructibus earum capiet. Inire diuitem & seniorem, lucrum significat: pauperem & iuniorem, iacturam. Masturbari, significat familiarem inire: cum manu: id est, ministra nostra voluptatem capimus. Masturbare alium, si ille filios habeat, & hic aptus sit, fiet pedadogus filiorum eius. At cùm rarò contingat vt omnia adsint, turpe obsequium alij præstabit. Narrat Artemidorus, quòd cùm quidam vidisset sibi ab hero virilia duci, alligatus columnæ fuit & ab eo flagellatus vehementer est: nam pro semine sanguis, & pro voluptate dolor significabatur. Inire coniunctos, factum absurdum, odio plenum, turpitudinemque ac contemptum significat. Solum patri pauperi diuitem inire filiam, bonum: ab ea enim aletur: quamuis factum hoc vituperatione non carebit: sed pietate excusatur. Inimicos inire, bonum, aut enim illos superabit, aut cum illis reconciliabitur, hoc tamen propter legem, cum quadam infamiæ nota erit. Cum matre viua concumbere etiam bonum est: nam naturam propitiam significat, & ægris salutare est. Coire cùm minùs amicis aut familiaribus, est illos in domum recipere: sic enim cum illis coimus, vel fœdus cum eis contrahemus. Coitus omnis auersus, præsertim cum muliere, significat illius ad somniantem odium: est enim auersari somniantem.

Seipsum fellare, mortem propriam filiorum, amicorum, vxoris, & paupertatem summam ostendit. Dæmonem inire, aut astra, mortem præsagit: iniri autem à Dæmone, sapientiam, ab astro potentiam significat. Animalia rationis expertia inire, siquidem muta sint & sine voce, similiter mortuam plantam aut animal mortuum, aut lapidem vel terram, lethale est. Inire animal venenatum, est venenato populo perire: idem significat, ab huiusmodi iniri. Inire animal vocale, sed inutile, dedecus, anxietatem, pericula, atque eò maiora, quò magis ab humana natura recesserit, significat. At vaccas inire, oues, capras, asinas, camelas, sues, equas, est fructum ex eiusmodi animalibus capere: quamuis suem inire omnino tutum non sit. Inire plantam, est ex illa fructum capere: at iniri à planta, mortiferum est. Inire animalia mascula, est offendi ab illis. Cum fera concumbere, est improbo fauere: nam actus ille ad vtilitatem refertur.

Testamentum condere, est arcana fateri, torqueri, grauiter ægrotare, longum iter suscipere, vitare vitæ institutum: pauperi tamen valde bonum, quòd tales condere testamentum sine opibus non possint: ideò lucrum magnum significat. Sic seruo, exuli, damnatoque.

Furto amittere aliquid, est re charâ priuari. Cùm semel somniassem amisisse omnia bona, inde inuenisse omnia præter gemmas & monilia, cùm nihil tamen huiusmodi haberem: sequenti die aufugit puer, cuius sermonis elegantiâ mirum in modum delectabar: post mensemque adduxit patruelem suum alterum puerum, sed ei non erat lepor sermonis: & hoc indicabat somnium ad vnguem: amiseram enim rem nullius pretij, cum mihi (vt dixi) gemmæ non essent.

Mori, est religionem ingredi, consilium mutare, legem abiurare in qua natus es, fœdari.

Foueam fodere sibi, aut fodi spectare, est domum exædificare. Viuum trudere aliquem in foueam, est causam præbere vt in carcerem trudatur, aut impediatur in suo negotio.

Scalpere, decipere: scapi, decipi: nonnunquam expleturum insanum votum exiguæ rei nunciat.

Suspendi, exilium, damnationem ad triremes, gloriamque magnam prædicit. Si tu vel notus per somnium suspendi videaris, negotium tuum diutius protrahitur: si ignotus, præferetur tibi aliquis, cuius causa dolore afficieris. Gloriam enim cum magna anxietate significat suspendium.

Capite plecti, propriè exilium: alterutrum horum liberationem à cura, seruitute, carcere, morbo, exilioque significat: mortuis enim nihil horum esse potest.

Natare, semper morbum significat: fit enim cum labore: sudorem & pituitam refert, fitque cum metu: sed longè deterius est in aqua turbida, in stagno, vestitum, loco & tempore absurdo: infortunium enim, præter morbum, prædicit: neque enim quisquam cum vestibus natat, nisi vel inimicos fugiens, vel periculum ingens, vel si in aquam ceciderit.

Balneari indutum vestibus, morbum significat: quòd ægri sic balneum ingrediantur: si verò aqua in balneo desit, irritos significat labores. Maximè hoc erit in his quæ ex multitudinis arbitrio pendent. Balneum quoque nostris temporibus prædicit morbos, fœdum, habitum, labores, tædium: non enim aliter ad illud accedere solemus.

Saltare solum, amentiæ signum est: nauiganti tempestatem, propter inconcinnum motum: ægro dedirium, cæteris facta impudentia ac stulta.

Nolam pulsare, autoritatem apud populum significat.

Cacare in locis publicis, conspectum illius loci prohibet, Seipsum autem stercore conspurcare, aut lectum, est ob facta turpia odiosum & contemptum reddere: nec non ægrotare grauiter: huiusmodi enim grauiter ægrotantibus accidere solent: in templo autem, fœdius, & magis abominandum: iramque deorum & impietatem somniantis significat. In locis occultis & consuetis id agere, leuamen curarum: & soluere æs alienum, & liberare se à graui onere, & occultè aliquid patrare: cacare inter caligas, est expensas coactas facere.

Pugna si cum vno committatur, litem aut coniugium significat. Victor si videaris, in iudicium vocaberis. Quòd si vxorem pugna significet, sitque hostis iuuenis, & bene armatus, & ornatus, duces formosam: si secus, deformem. Si eques sit cum quo pugnas, erit

bonũ omen sãguis tẽ.

erit generosa, diues sed stulta: arma autem, illius conditionem ostendent.

Talis ludere: consuetis & pueris lætitiam portendit: aliis vacationem & molestias.

Latrunculis ludere, qui nescit, lucrum ex dolo, vel litem.

Furari, est mentiri, decipere, periculis se exponere, voluptatem illicitam capere: bonum est valde secretarum rerum studiosis. Melius etiam, si sacrilegium committere videantur: bonum est hoc etiam valde sacerdotibus: locupletabuntur enim: & vatibus, nam diuinabunt.

Mentiri, malum est: nisi his qui solent ex mendacio quæstum facere, vt causidicis & proxenetis, aliisque huiusmodi. Mentiri autem suis, longè deterius: non enim nisi magnum ob periculum illis mentiri solemus, aut post magnam iacturam. Considerandum autem maximè de qua re mentiaris: nam periculum in ea, vel consimili erit.

Vehiculo subiugatum esse equi instar, morbum, seruitutem, laborem etiam potentibus prædici: at contrà ferri vehiculo ab hominibus ducto potentiam. Sed si vehiculum ferunt illi, non trahant, mortem significabit: quoniam mortui solùm nostra ætate feruntur: aut saltem podagram inexpugnabilem.

Videre, est agere, scire, voluptatem capere, cupere & actionem ex alio ad se conuertere: vt velut videre ludentem latrunculis, est dolo & fraude subripi pecunias: quoniam, vt dictum est, ludere eo ludo eum qui nescit, significat lucrum ex deceptione, visu ergo actio illa transit contra te. Ita videre aliquem furari, est sibi mendacio imponi: vel etiam priuari chara re: filio, amico, domestico.

Adulari, deiectionem animi & sortem aduersam significat.

Coronari loco non conuenienti, dedecus significat: circa tales autem etiam mortem: quod mortuis ornari hæ partes soleant, maximè ex oliuæ frondibus, aut apio vel hedera.

Tondere oues, lucrum significat si ritè tondeat.

Olfacere, est benedicere aut maledicere de aliquo, aut de seipso hoc audire: & hoc iuxta odoris qualitatem bonam aut malam, talis erit fama. Et est etiam tentare aliquid.

Audire, est pati, ferre, timere, sperare, expectare: & significat mutationem affectus, & dare operam sapientiæ, & prudenter se gerere: non dicitur autem in consueta operatione, qualis est hæc actio vel passio, nisi hoc agere animaduertat somnians: aliter semper videndi, & plerumque audiendi interpretatio, cuilibet somnio adiicienda esset.

Gustare, est dolores & cruciatus, corporis maximè, sed etiam animi subire.

Mingere, est exsoluere se cura & onere: multa habet communia & similia cum egerendi operatione, sed leuiora & minora: significat & concubitum, ob similitudinem. Et egerere & mingere expensas necessarias ostendunt: sed egerere maiores, ac quasi ex auro, propter colorem & soliditatem, & paucitatem. Mingere quasi argenteas, ob contrarias causas: egestio enim pecuniam & turpia lucra ostendit semper: at mictio seu vrina pecuniam, & nonnunquam verba probrosa.

Vomitus, pœnitentiam facti, restitutionem acceptorum, molestasque expensas.

Canere sine arte, irrisionem, ac ex ea tristitiam significat.

Multa verò fiunt quæ mutuam transitionem significant: vt adulterari, est clientem decipere, veneficium facere, vel periurium, adulterinam conficere pecuniam, falsis tabulis subscribere, aut eas facere: horum vnum quoque in aliud transit. Significat & venari, & aucupari, & hæc ipsum.

Arborem abscindere, est è necessariis aliquem occidere, vel spem amittere de re concepta. Deterius est, cùm autumno hoc somnium acciderit, & cùm folia: præsertim si per somnum folia decidere videantur. Arborem autem plantare, est inchoare nouum opus, vel aliquem in domum notum contubernalem recipere.

Edere, est indigentiæ satisfacere: indigent ægri, pauperes, uincti, & generaliter calamitosi: ideò huiusmodi significat. Sed edere inconsueta, deterius etiam est: verùm tamen edere hominis carnes, significat illum superare, & quasi vi pecunia illius potiri. Est etiam faustum, edere carnes leonum & serpentum: nam edere est superare, & leo virum potentem aut saltem fortem significat: & serpentum: per dolum & scelus potentiam sibi magnam paarre, atque admiranda patrare.

Bibere, hoc idem significat: sed indigentiam vehementiorem, & casum fortuitum, qui moram non patitur. Et explere desiderium vehemens, & potiri re valde optata.

Lachrymari, risum significat: quoniam effectus per turbationem sequitur: & finis lachrymarum est risus: quia doloris est lætitia, lachrymæ autem dolorem finiunt: ita.

Ridere, lachrymas & luctum prædicit: finis enim lætitiæ est risus: post lætitiam autem sequitur tristitia, ex qua luctus aut lachrymæ, & suspiria, atque huiusmodi.

Irasci autem, non ita facilè explicari potest, sed effectus potiùs sunt inquirendi. Qui enim irascitur, aut secum, execraturque diuos, aut increpat, aut verberat. Verberare igitur, est voluptatem explere. Et si amat quam verberat, illa potietur. Eam verò qua iam potiris verberare, ob id absurdum: frustratur enim hoc significato. Significat ergo aliâ simili potiri: si non, planè irasci. Seipsum interficere, est sibi similem, aut mori: hi enim persæpe (vt dici solet) mortis causam præbent, vel nimiùm cupiditatibus indulgendo, vel medicis non obtemperando.

Quæcunque commutant, vt lachrymæ & risus, & verberare, si in vigilia vsque perueniant (vt, dum de Idolo loquemur, dicemus) in idoli naturam & significatum transeunt. Cùm tamen quidam amicus noster ad vigiliam vsque plorasset, nunciatum est, vxorem illi filium masculum peperisse: ipsum quoque in causa quadam adeptum quod sperabat: ea tamen bona, neque fida, neque

tuta,

tuta, sed in malum conuertenda, ob ea quæ diximus, scire oportet.

Lamentari & suspirare, eadem quæ fletus: sed in hoc ab eo differunt, quòd fletus est fortium etiam, lamentari mollium, suspirare etiam fortissimorum ac sapientum: ob id lamentationes mortem & grauiora mala indicant, suspiria quandoque solam amissionem bonorum vel exilium: considerare ergo oportet somniantis dignitatem & animum.

Tangere & attrectare, amorem aut emptionem significat: facilè est autem ex occasione distinguere. Significat & maledicere: vt tangi, maledici de illo. Inchoare, experiri.

Clamare significat magnum infortunium, auxilium etiam implorare propter periculum imminens. Significat & dolores ac cruciatus, & stultitiam propriam vel suorum. Si cum lætitia fiat, & risu non est malum: risus enim & actiones hæ, cùm fuerint accidentia aliarũ actionũ, non semper transeunt in contrariam significationem: sed quandoque idem referunt: significat ergo risum, iocum, iter placidum, conuiuium si adsit alacritas mentis.

Singultire, morbos significat: est enim accidens morborum: ægris mortem portendit: cæteris luctum, aut mortis metum imminentem: nam ex longo fletu homines singultiunt.

Loqui, vbi id tantùm animaduertas, est petere aliquid, est enim familiaris actio. Sic &

Ambulare eadem ratione, rei necessariæ operam dare. Sed si celeriter, iam non est operatio familiaris: ideò significat ingruentem solicitudinem. Ab affectu ergo vel calamitatem, vel spem bonæ fortunæ interpretaberis: molliter autem ambulare, voluptati operam dare.

Currere verò, significat stultam operationem, ingruentem necessitatem, præcipites actiones, & cogitationes non consideratas. Sed in equo currere, mortem, præsertim albo, propter tres causas: motus similitudinem: mors enim celerrimè aduentat, vt iuxta illud Senecæ: Properat cursu vita citato. Et ob periculum mortis, currente equo: & quòd mors albo equo insidens pingatur. Psallere parum differt à saltare: sed est ita diuinis operam dare, vt negligat humana, & ob id in contemptu sit. Significat & ea causa phratriam ingredi.

Luctari est grauem pugnam subire, seu litem seu inimicitias exercendo. Et significat robustam valetudinem, periculosam tamen. Significat & mori, vnde Ineluctabile fatum: nos enim luctamur cum morte: sed cùm præsens aduenerit, semper succumbimus: aliàs euadimus.

Piscari, aucupari, venari, est homines decipere, insidias struere, & pugnare cum spe victoriæ, & sine periculo vitæ: nisi sit venatio vrsorum, leonum, pantherarum, aprorum. Piscari autem, magis lucrum & lites significat: aucupium, futuras spes & plerumque inanes, ac voluptatem: venatio, præsentem negotiationem, & cum labore magno mistam lucro, honore ac voluptate: sed ad honorem magis spectat. Qualitas animalium docet, contra quos pugnabis: ea autem multis capitibus superiùs est declarata. Veneri animalia domestica, est iniustam exercere contentionem, ac suos fraudare.

Tussire, est morbi signum: & significat lucrum non rectè factum. Solent enim edentes properè, & loquentes, in tussim incidere. Edere autem, est acquirere. Tussire est ergo, ex importuna acquisitione molestiam pati, & dedecus subire.

Eructare, est verba effutire turpia sine ratione, & quæ vituperationem atque abominationem afferant.

Pedere cum malo odore, est efficere rem dignam infamiâ, & eam spontè publicare. Sine odore malo, est infamari absque propria culpa, & sine facto turpi: sed solùm ob inania verba, & perperam emissa. Significat & dolores ventris: nam qui sic laborant, pedere solent. Significat & cruciatus magnos, ac metus ob congruentia.

Pandiculari, significat otium, tædium, & carcerem breuem, & auditurum molesta.

Sternutare, prædicit capitis morbos, euentus inexpectatos, omen & signum à Deo offensam ex auditu calumniæ, quam diluet: ideo liberationem à calumnia.

Dormire quid significet, longius est quàm vt hoc loco referri debeat. Vigilare quoque deceptionem significat ab alio, & incumbere periculosa, vel magna.

Respirare, laboris magni aut periculi aut longæ anxietatis liberationem significat. Magna respiratione vti, mortis semper periculum ostendit: aut hominem vanis expectationibus inanique oppleri. Valde periculosum est, sic respirare: impediri autem, vinctis aut scelestis laqueum aut securim, aliis submersionis periculum prædicit.

Pulsum cordis & arteriarum percipere, est ægrotare: horum enim pulsus explorantur: aliis est, ad principis secreta admitti. Quibusdam, consilia hominum inquirere: aliis, arcana naturæ.

Interfici est liberari ab omnibus curis. Lacerari ab animalibus, siquidem non interfecerint, maledictis improborum discerperis: si sanguis fluat, etiam in iudicium vocaberis. Si occidaris, per violentas calumnias tandem à cura liberaberis: aut in exilium, si sontem te senseris, mitteris, sed leuissimum: quia tale esse oportet, vt leuiore sis ibi cura, quam domi in contentione.

Equi calce percuti, est, vt de boue dictum est: sed hoc erit, à viro strenuo, & ab armis non alieno, iniuria atque damno affici: si sanguis fluat, etiam iacturam rei patieris.

Torqueri, est orare in suggestu: & orare, torqueri. Supplicare, est vinci ac succumbere. Lacerari à carnifice, est opes ex litibus dilapidari, vel gloriam consequi. Interpretatio Angli- cana

Mentiri, est fraudare, furari, irridere: & irridere, mentiri: & irrideri, mendacio falli, vel suspici, atque admiratione dignum videri.

Oscitare, idem quod pandiculari, sed minus. Significat & veneris desiderium, & incommodum corporis aut animi, vel vtriusque.

Sudare,

Sudare, laborem & morbum, & metum. Sedere, laborem, sed minorem: aut longam expectationem. Stare verò, breuem vel paratum oportere esse ad ingruentem occasionem ideò significat instantem necessitatem. Stertere, ocium, & grauem morbum.

Pugnare, litem Ludere, seu iocari, pugnam: pugnare ergo etiam iocari significat, vt apud Poëtam, cum dicit:

Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Resurgere, est omnia confundere, decipere, ad priorem vitam reuerti. Aegrotare, est impediri à negociis, depauperari magistratum, & honores adipisci: nam ad hos accedunt homines.

Litigare, est pugnare, decipere, turbari. Amittere, est desiderio torqueri: & pro re personam.

Acquirere verò, est onerari, molestias subire, implere desiderium. Spoliari vi, est vim pati, & grandine ac pruina pauperem reddi, item exauctorari. Exuere autem vestes, est ob voluptatem negociis valedicere. Significat & exuere, curis oppresso molestiarum leuamen. Et exuere vestem solitam, non animo vestiendi, mortem: vt alibi dictum est: spoliari autem per vim, occidi significat: & etiam à negociis & exercitatione artis impediri: induere vestes quid portendat, alibi dictum est.

Parere, duo significat: egregium factum, & rem magnam: aut rem diu meditatam ad effectum finemque perducere, estque optimum somnium, maximè magna molientibus: vt contrà vtero gerere, molestiam, impedimenta, pericula, tædia, metusque significat. Parere tamen rem absurdam, non infantem, tantò deterius est, quantò res ipsa à natura absona est.

Veretrum tendi, ad actionem propriam & filiorum refertur. Propriam robur, vitæ alacritatem, desiderium vxoris, fœlicitatem, & amorem, gnauitatem in negociis: filiorum, significat eorundem luxum & contumaciam.

Honorari, contemnique & exsibilari, sic se habent. Pauperibus honorari calamitatem significat: nam in luctu, morbis, carcere, tormentis, casibusque malis honorari, vel admiratione digni haberi solent. Diuitibus, honorari bonas actiones significat, aut calamitatem, quandoque tamen magistratum: quoniam idolum non est, sed idolo tamen simile. Quòd verò cōtemni significat exsibilari, grauius ac euidentius portendit: vt exsibilari sit palàm, & per summum contemptum sperni: exsibilare autem contrarium est quod exsibilari. Contemni ergo est, carere omni calamitate, & tranquillitate ocioque studere: tum etiam longo morbo detineri, abdicare se à patria, & amicis spoliari ac coniunctis. Propriè verò est iniustè premi.

Ascendere, difficultatem, descendere, facilitatem: ascendere dignitatem & incrementum, descendere contrarium significat. Persequi, est odio habere: calumniari, vincere. Fugere, contraria horum significat. Fugere sine metu, est vitare aliquid frustra: nam operatio talis est.

Increpare, est imperare seuerè, odioque habere: nam plus ostendit somnium, quàm audeat vigilia.

Tremere, significat incertam operandi rationem. Dentibus verò stridere, metum magnum, aut iram, aut indignationem, quæ est speccies iræ.

Comere differt ab ornari: quoniam in ornatu res ipsæ pulchræ & preciosæ adhiberi solent: ideò comere est fallere, studio leui operam dare, consumere tempus incassum: ornari autem, potentiam aut irrisionem præsagit, vt suprà de Coronatione.

Iacere, ignauiam timorem, mortem, dolorem, desperationemque ostendit.

Fricari, palpari, alios ei blandiri, tormenta adhiberi facinorosis (ob dolores enim fricari homines solent) ægrotare concumbere. Blandiri, idem ferè quod adulari. Significat & humilitatem & vexationem, tum spem: sperantes enim blandiuntur.

Emere, est permutare, mutuari, deliberare, ebrium esse, & attonitum: Emere res necessarias & vtiles, cum voluptate, bonum inuitum autem, significat impensas coactas: inutiles verò & non necessarias, prodigalitatem: at contrà vendere inuitum, depauperare se si res sint vtiles vel necessariæ: libenter, res non necessarias, est ditari: non necessarias inuitum, est à vita deliciosa ad quæstuariam transire. Emere etiam est, beneficii amicum parare, si res quæ emitur rem significare possit: vendere autem, ob rem obtinendam illum amittere.

CAPVT XLV.

De Sensilibus omnibus.

SEnsilia omnia pluribus, vt suprà visum est, differentiis distinguuntur: vt quæ actu vel potentia talia sunt, aut magna vel parua: nobis verò præter hæc quæ generalibus regulis subiiciuntur, sufficiet tres adhibere distinctiones: quarum prima est, quoniam quædam sunt sensilia gustus, quædam tactus, quædam visus, quædam auditus, alia olfactus. Secunda autem ad ordinem pertinet: nam quo ordine distinguuntur, eo etiam ordine sunt efficaciora: atque illud tàm in generibus, quàm in speciebus: quod etiam vbique, quoad poterimus, obseruabimus: talia tamen sic intelliguntur, vt paria sint magnitudine. Tertia, quòd sensilium alia solùm nobis proposita sunt, alia possidentur etiam à nobis. Memineris etiam regulæ illius generalis: quòd alia possidentur, & possideri non videntur: alia etiam videntur: & alia videntur, licèt non possideantur.

Saporum igitur species quatuor sunt: iucundi, tristes, misti, ac sine affectu. Iucundi sunt, dulcis & pinguis: tristes, amarus & acerbus: misti, salsus, acidus, austerus, astringens acrisque: sine affectu autem, insipidus. Mistorum quidam ad iucundum declinant: austerus primùm, inde salsus, pòst acidus & acris, quasi qui medius est inter sua-

nes,

nes, insuauesque: vbi enim paululùm declinauerit ad magnitudinem, vehementer lædit: astringens verò ad asperitatem prorsus declinat, & raro ab amaro seiungitur. Amarus igitur sapor, & acerbus, si excellant, mortem significat: amarus quidem, quia mortem amaram solemus appellare: acerbus, ob eandem causam, & quia etiam stupefacit dentes, & edere prohibet: mortuis autem stupor inest, & non possunt edere quicquam. At si neuter excellat, mortem significare non potest, quòd mors sit malum excellens. Mediocris igitur mortem coniunctorum, aut iniuriam, aut amissionem opum: paruus autem, dolorem animi prædicit. Acria, dolores corporis & luctum significant: exprimere enim lachrymas solent, vt cæpe & sinapis: homines autem maximè ex his duobus ad lachrymas excitantur. Sed acetum ex acri & acido mistum est, & familiare: ideoque dolores vtiles, & labores, quorum finis iucundus sit, decernit. Acria autem, amara: vt piper rubrum, quod in siliquis habetur, mortem per acerbissimos dolores nunciat: quod etiam efficit sinapis, quæ præter saporem acrem amara est, si cruda sit: cocta autem, vel condita, dolores, & animi etiam curas significat. Dulcis autem sapor dolorem corporis significat, ab effectu: dulcia enim dolores prouocare solent: voluptatem etiam: dulcis enim voluptas. Spem quoque, dolum, morbos, propter vsum dulcium in illis. Acidus verò, vt acris, leuis: significat & venerem: quia breuem voluptatem. Austerns, significat labores iucundos, iuxta illud poetæ:

Leuiter austerum studio suadente laborem.

Significat & vina & fructus, propter similitudinem: nam propriè austerus in nullo fructu inuenitur. Astringens significat dolores, frigus, metum. Salsus prudentiam, voluptatem, res diuturnas & antiquas, maledicta: nam talia Sales etiam, verbi affinitate nuncupare solemus. Prudentiam verò, quoniam salis plurimum prudenter dicta habere dicimus. Pinguis sapor, modò morbum significat, modò voracitatem, modò quæ à cibis, præcipuè carnibus, significantur. Insipidus, stultitiam, vanitatem.

Sensilium tactus calor moderatus, omnia prospera significat, & prudentiam, ob nominis similitudinem, & celeritatem in negotiis. Exuberans autem, dolores ob actiones, & animi æstum. Frigus impedimentum omnium, & amissionem, torporem ac diffidentiam.

Grauia significant labores, curas, iniuriam, & quæcunque pati hominem graue ducimus, præterea luctus, morbos, inopiam: adeò vt aurum & hoc significare possit, impedimenta etiam, & senectutem: stabile tamen bonum, atque etiam prudentiam, cùm arriserit.

Sphæra ex auro vel plumbo, pessimam sortem prædicit: nam grauitatis omnia mala retinet, nec tamen stabilis est: similiter & cylindrus: sed non adeò.

Leuia verò instabilitatem, breuem vsum rerum, celeritatem tamen præstant, & facilem acquisitionem.

Aspera dolores, cruciatus, morbos, inopiam: omnia enim similia aspera appellare solemus: sicut contrà leuia: quæque in miseria bona sunt vinctis, exulibus, ægris, peregrinantibus seruientibus: prægnantibus, pauperibus, labori addictis. Dura præcipuè paupertati ac seruituti accommodantur, post hæc cæteris malis quibuscunque Mollia verò, lenibus persimilia: hoc interest inter illa, quòd mollia bona sunt verè, & ab aliis commodum proficiscitur: lenia autem, à propria patientia, & quodam casu. Quæ liquida sunt, & hument, inconstantia omnia sunt: sicca autem, opportuna vsibus: arida autem & cariosa, senium & inopiam, & labores significant irritos. Mulierem tangere formosam, aut puellam aut puerum, his qui illis assueuerunt magnam voluptatem aut commodum aut spem significant. Dolere aliqua in parte corporis, est id quod per illam partem significatur flagitiose se gerere, aut damnum aliquod pati.

Oculorum sensilia sunt lux & tenebræ, colores, figuræ magnitudo, motus: lux, lumenque omnibus latere cupientibus mala sunt: ægris etiam mortem significant, propter consuetudinem: fastus enim cum multis luminibus celebrari solet: vnde etiam Augusti

Κτισον ὃ τύμβον εἰσορῶ πυρέμθυον,
Ὁρᾷς φάεσι μασγάβαν πμώμθυον.

In reliquis causis lux multa pietatem significat: nam dij cum multa luce aduenire solent. Estque dictum illud: *Facite vt opera vestra coram hominibus luceant.* Significant & sapientiam: illuminatam enim mentem dicimus, quæ multa cognoscit ac videt. At etiam honores ac dignitates prædicit: tales, qui eas habent, illustres & illustrati vocantur.

Vinctis libertatem: nam dum vincti sunt iacent in obscuro. Præterea opificibus bona est, qui artes cum ea commodiùs exercent. Nimia lux quandoque cæcitatem ostendit: nam hoc efficere solet quandoque Tenebræ malæ omnibus, præterquam his quibus opus est ne prodantur, nam & ægris mortem prænunciant: mortui enim haud vident. Impedimentum etiam afferunt omnibus operationibus, & vincula maleficis præsertim significant. Significant & propriè timorem & desperationem, malaque opera. Albus color ac splendidus, vt niuis, lætitiam, alacritatem, quietem, diuina, fausta, pulchra, honores, sacerdotia. Pallidus, mortuos, Niger, timores tristitiam, luctum, iram, infortunia. Si autem decens sit, grauitatem, decorem, pudorem & dignitatem. Fuscus, dolorem animi, & turbationem. Viridis splendidus, spem, lætitiam, castitatem, honestatem. Splendoris expers, venena, dolos, tristitiam dissimulatam. Cæruleus splendidus, magna atque piuersa, magistratus, diuinitatem, & grauitatem, consilia: obscurus, dolores, machinationes, dolos, venena. Purpureus, iram, molestiam sanguinis effusionem, ambitionem, superbiam, potentiam & dignitatem, crudelitatemque, maximè subobscurus.

Cinereus, tristitiam, fletus, dolores, desperationem. Rubiginosus, mœrorem, sæuitiam. Varius, mutabilem, dolosum, impudicum. Croceus, stultum, impudentem, fallacem,

fallacem, grauem: in quibusdam rebus opulẽtiam quoque significat: tormenta etiam, anxietatesque; Aureus, aut dignitatem, aut stultitiam, impudentiam, tormenta. anxietates, Figuræ autem rotundæ, capacitatem, securitatem, & inconstãtiam. Quadratæ, stabilitatem, Triangulæ, dolores & inopiam. Inconcinnæ, omnibus in causis malæ: & stultas operationes significant. Oblongæ & quadratæ, vt mensæ, tarda negotia. Motus, inconstantiam euentuum, & fallaces exitus. Quies autem, cupientibus statum mutare, aut aliquid agere, mala: tum etiam his quibus non expedit, vt ægris, seruis, vinctis, felicibus fausta. Magnitudo, magnis & potentibus viris, & in magnis negotiis bona: aliis mala, & significat spem inanem, difficultates & oppressiones. Parua, omnibus mala, aut non bona. Picturæ, prata, locaque amœna, bonas operationes, & eiusmodi vt quis de eis voluptatem capiat, significant: Contrà fœda, turpia & desolata.

Auditus autem sunt, strepitus & cantus, sonique: nam verba aliquid plus significant. Audire, est pati: videre autem, agere. Gustare, & tangere, & olfacere, commune est. Vocem audire iucundam & suauem, & neminem videre, gaudium significat: & forsan cum inimicis reconciliabitur, aut illos oppressos intelliget. Eadem significabuntur, si ipse eam vocem emittat canendo, pulsandove: sed si in iucunda sit, audiet malos nuncios vel de rebus suis, vel propter quæ metuere cogatur. Si vocem audiat exilem, dolos contra ipsum significabit: si ipse emittat, impedimenta patietur in suis negotiis. Si audiat suauiter canentes, videatque, mala & infortunia, & querelas amicorum, & nuncios de rebus tristibus audiet. Sed & si ipse vnus ex his fuerit qui canat, & ipse eiulabit, ac suspiria edet ac gemitus.

Tonitrua & strepitus horrendi, noua quæ illum terrebunt, & tristitia afficient, audiet. Fletus si audiat, luctum videbit. Si suspiria, gemitus & eiulatus, contingent aduersa amicis suis, aut coniunctis intimis, aut sibi. Si risum audiat, audiet querentes & tristes, & ipse dolebit illorum causa. Si audierit voces animalium, iuxta illorum significata suo loco dicta iudicabis.

Odores significant propriè laudem, aut infamiam: sicut soni noua, & nuncios. Odores ergo boni, laudem significant: & quanto fuerint maiores, & iucundiores: mali autem, vituperationem & infamiam, tantò maiorem etiam, quantò fuerint tetriores. Et quantò in plures sparsus odor videbitur, tantò hæc laus aut infamia vulgata magis erit apud populum. Odores etiam & gratiam & odium significant: nam odores bonos, gratos appellare solemus: mali odores odium significant. Præterea odores magni, occulta detegenda significant: si boni, cum laude: si mali, cum vituperatione.

CAPVT LXVI.

De verbis auditis, aut scriptis.

QVæ audiuntur, minùs certa sunt, sed celeriùs perficiuntur. Scripta verò certiora, sed seriùs perficiuntur, & impulsore indigent. Vtaque differentia eadem distinguuntur: alia enim intelliguntur, alia non. Quæ intelliguntur, quandoque sic significat vt verba sonant, quandoque aliud: quæ nihil (vt dici solet) ad rhombum: ad aliud significatum est transferenda. Sunt etiam tres differentiæ eorum quæ audiunt, aut scripta videntur: Imperatiua, vel significatiua, significatiua alia interrogant, alia docent: vnumquodque ab amicis, inimicis, cognitis & incognitis. Amicorum ad te, & inimicorum ad proprios monita, vt sunt, interpretari debent. Sylla cùm C. Marium mortuum vidisset, filium admonentem, ne sequenti die pugnaret, funestum enim esse diem nomini suo: pugnauit, ac vicit. Prædictiones verò non ita se habent: sed amicorum quidem ad nos veræ, inimicorum ad quemuis falsæ sunt, aut saltem suspectæ, etiamsi ad inimicos. Inimicorum monitis ad nos credere non debemus. Quæ intelliguntur, sed non conueniunt imminentibus, per allegoriam sunt interpretanda. Innumeri sunt modi, sed ex proximis ac similibus conuenientibusque translatio deducenda est. Obscura verò verba, si propria sunt, non etymo solùm, sed fortuna illius, & erga te affectu sunt exponenda: velut victor, qui victus fuit: & philotheus, vitâ impius, contrariam recipiunt significationem. Et nominibus quibusuis communia sunt inuersio: vt, Amor, Roma: distinctio in literas, vt pugnaturo C V M. Cras victus morieris: & in syllabas: vt, Amor Ante morieris: & immutatâ littera, vt mors pro sors: & commutato ordine, vt Liuia pro Iulia: & syllabis commutatis, vt eo, pro pereo. Et litterâ additâ vel detracta, vt victor pro victo, & mos pro mors: oportet verò aut simplicem esse & facilem: aut si artificiosa sit, totius esse orationis. Maxima verò mutatio est ex dictionibus ad numeros, & ex numeris ad dictiones. Similiter ex ratione initij dictionum: velut quidam cùm vidisset has tres literas θικ, mortuus est, Iudaico bello in Cyreno. ὁ θάνατος, ἰουδαϊκὸς κυρήνη. Hoc autem plerunque contingit, cum ordo quidam seruari potest. Ab incognitis, & magis ab inimicis, audire mirandas prædictiones, ironicè dictum puta: sed & à cognitis, non amicis: eos autem parum amicos esse intelliges. Quæcunque autem ab his, qui neque amici sunt, neque inimici, audiuntur, & ad actiones pertinent, ad interrogationem sunt referenda. Quòd si narratio sit, ad famam rei seu veram seu inanem traducere oportet. Nautæ, medici, agricolæ, physiognomi, metoposcopi, chiromantici, astrologi, somniorum interpretes, quæ futura dixerint, pro veris habenda sunt: naturalis enim eorum est diuinatio: quæ reliqui va-

mania & falsa putato: vanis enim artibus operam dant: quanquam aliter Artemidorus de hoc sentiat.

Sed & in his delectum habere expedit: plus enim Accio Nauio, quanquam auguri: & Spurinæ, tametsi aruspici, quàm Themisoni medico credendum est.

Literæ infaustæ sunt, quæ in singulis linguis initium sunt infaustarum dictionum: vt apud Latinos D, Dolor, Dolus, Deficio: M, Malum, Metus, Mors: T, Tormenta: C, Carcer, Cruciatus.

Faustæ, F, Felix, Faustum: B, Bonum, Beatum (at dices, D etiam diuitias) M, magistratum: V, vulnus, vlcus, vitam significat. Sed quæ propria sunt, si speranda sunt, intelligi coniectura possunt: hæc generalia sunt significata. Apud Græcos Θ, θαμβέω, Paueo, stupeo: θάνατος, Mors. Κ, Κακὸς, improbus, afflictus, & maximè ob geminationem. εὖ, bonum significat: quoniam adiuncta dictionibus, eas ad faustam significationem traducit. Quòd si qui profert, amicus est, aut inimicus, facile est non solùm nota, sed obscura intelligere: nam amici lætus vultus, & inimici tristis, bona esse indicant & fausta: infausta & tristia, si contrà. Et rursus omnium voces, miserentis, supplicantis, exclamantis, malæ sunt: nam & inimicos moueri atrocitate calamitatis, nihil mirum est.

Mulier quædam cum mamma laboraret, somniauit se ab ouicula exsugi: intellecto somnio mammæ herbam sic vocatam (quæ Græcè arnoglossa dicitur superposuit, & sanata est: imperatiuum enim somnium esse haud dubium erat, non significatiuum.

Numeros autem Indicè sic scribes, vt per dena mutato situ, in proximum locum ad sinistram multiplicentur: vt 2 duo, 22 viginti duo, 222 ducēta viginti duo. Notæ simplices:

0 1 2 3 4 5
Nihil vnum duo tria quatuor quinque
6 7 8 9
sex septem octo nouem.

Romanorum autem numeratio quinque constat regulis, totidemque notis quibus ad centum vsque numeramus. I, vnum. V, quinque X, decem L quinquaginta. C, centum. Secunda regula: Repetendo literas augetur numerus vt, CCC trecenta, XXX triginta. Tertia regula: Virgula superaddita, numerus ille totidem millia significat: vt, vj. sex millia ccx. ducenta decem millia: Et additis duabus virgulis, fiunt totidem millies millia: velut clij, bis ac centies quinquagies millia millium. Quarta regula: ɔ post positum ad I: id est, à dextera positum, facit quingenta, & bis quinque millia, & ter quinquaginta millia, & ita perpetuò crescit ad decuplum: si verò etiam à sinistra anteponantur, millia significat, & augetur per decuplum.

Iɔ Iɔɔ Iɔɔɔ Iɔɔɔɔ CIɔ CCIɔɔ
500 5000 50000 500000 1000 10000
CCCIɔɔɔ CCCCIɔɔɔɔ
100000 1.000000.

Vnde natus error, vt Paulus Manutius docet scribendi D literam pro quingentis: cùm debeat scribi Iɔ, non clausa, & ita, ∞ & Φ, & M, pro mille, cum sic CIɔ scribi debeat.

Quinta regula: Nota notæ maiori anteposita, minuit. Vt in exemplis: IV quatuor, L quadraginta nouem, X C nonaginta, LI ɔ quadringenta quinquaginta.

Græci quoque duos post primas literas numerandi modos habent: namque toto alphabeto quibusdam etiam interpositis notis, primam numerationem absoluunt sic:

α β γ δ ε ϛ ζ η θ ι κ λ μ ν
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 20 30 40 50
ξ ο π ρ σ τ υ φ χ
60 70 80 90 100 200 300 400 500 600
ψ ω
700 800 900.

Primus autem modus sit virgula tenui supposita, quæ totidem millia significat: duplex, millena millium.

α' β' ϛ' Ι' Κ' Ρ'
1000 2000 6000 10000 20000 100000
Υ'' β''' υ' σ ν ζ
900000 30000 22006400257.

Modus alius numerandi apud illos prolixior longè est isto. Si ergo audias sexdecim, vel scriptum videas, ad numeros transfer, fit XVI ex hoc componitur VIX, quod significat adepturum quod speras, magna cum difficultate.

Quatuor etiam propriè hoc ipsum significat: nam VIX quatuor significat, & sex: nam VXI sunt sex. Et rursus quatuordecim XI V. omnes enim componunt VIX, licet mutato ordine. Decem septem significat mortem: nam sic scribitur apud Latinos X V I I, ex quibus nulla dictio significatiua potest componi præterquam VIXI. Sic VIXI & VIX, numeros hos significabunt. Et L V X, significat quinquagintaquinque propriè: impropriè verò, sexagintaquinque, trigintaquinque, quadragintaquinque. Et ratione eadem hi numeri, vincto liberationem significabunt: atque id habent hæ dictiones & numeri, quod vtrumque simul significant: in totidem enim diebus aut mensibus hoc futurum ostendunt. Ita luxi: id est, fleui, eadem ratione sexaginta sex, aut quadraginta sex propriè, & reliquos etiā numeros significabit. Significat ergo mœrorum finem in tanto tempore.

Numeri præterea natura sua tam apud Græcos & Hebræos, aliosque omnes, quàm Latinos, proprias habent vires. Vnum absolutum & desertum: Duo, confusionem & repugnantiam: Tria, perfectissimum, & in eo genere positiuum, comparatiuum, superlatiuum. Quatuor, decens, venustum, congruens: sed tamen in genere imperfecto: est enim quadratus binarij. Octo autem, firmitatem in instabili genere, cum sit solidus binarij. Nouem, eadem ratione perfectam concinnitatem, vt viginti septem perfectam securitatem & in stabili genere: sex & viginti octo, perfectionem in actionibus, sed sex absolutiorem viginti octo in maioribus negociis declarat. Decem finem notat, vt centum, & qui ex eo componuntur sexdecim summam in pulchritudine perfectionem decernit: fit enim ex quatuor in se ducto. Omnes numeri vno differentes à perfectis, voto frustrari in eodem genere cum prope finem fuerint, significant: etsi deficiant, vt quinque & quindecim ac viginti sex, ob inopiam & impotentiā:

Et si exuperent, vt septem, vndecim, vigintinouem, ob errores. Centum quoque, & mille, significant dominationem. Et numeri vsque ad centum, significant annos: vsque ad triginta, dies: ad vigintiquatuor, horas: ad duodecim autem menses.

Præterea numeri qui vna litera scribi solent cum o repetito, magna negotia paruis laboribus perfici indicant: vt decem, centum, mille: & quo maiores etiam, maiora. Si verò similis numerus deficiat, qualis est quo significatur, in irritum cedet; vt nouem, decem octo, nonagintanouem, centum nonaginta octo: nam si ex 200 auferas 2, nihil remanet: at centum nonaginta octo, est duo minus ducentis, & ita 2997 irritum significat negotium: est enim 3. minus 3000, ablato 3 ex 3000, relinquuntur 000, quæ nihil significant. Eadem dicemus de numeris digitorum complicatione significatis.

Artemidorus autem quadrifariam numeros computat. Eos quidem qui negocio conuenire possunt ex literarum significato, iuxta ordinem suprà descriptum. His autem maiores, ex significato numero per seriem naturalem superaucto, vt à latere vides. Ergo δύο, quod duo, tria significat: & τρία, sex: & ἑπτὰ, quod est septem, vigintiocto significare

δύο. 2. 1 | 3
τρία. 3. 2. 1. | 6
τέσσαρα. 43. 2. 1 | 10

deberet: sed quia ἓξ significat ordine literarum sexagintaquinque ideoque habet proprium significatum infra centum, ideo excipitur primum significatum seu ordo, & significabit ἑπτὰ vigintiduo tantũ: ὀκτὼ ergo significabit triginta, & ἐννέα trigintanouem. Δέκα ex propria literarum natura significat triginta: & ideo ἓξ, quod est sexagintaquinque, & δέκα, quod est triginta, proprias retinent significationes, nec in serie naturali numerorum colligenda computari debent. Hoc tamenmodo δέκα significaret quadraginta nouem, scilicet pro naturali serie numerorum. Quare post decem addit quadragintanouem singulis: vt δύο significabat tria, δυόδεκα significabit quinquaginta, δεκατρία quinquaginta quinque, δεκαεννέα octingenta octo.

Post in εἴκοσι & τριάκοντα, quod est viginti & triginia, aliam quoque init rationem. Accipit enim numerum quidem significatum, & ei addit quadraginta nouem: & ita εἴκοσι significabit sexaginta nouem, & τριάκοντα nonagintanouem, colligens scilicet triginta per τριάκοντα significatum: & ei addens priorem numerum proximiorem, non δέκα, sed εἴκοσι & (vt dictũ est) septuagintanouem, & fiet nonaginta nouem. Et quia δέκα etiam triginta significabat, quilibet horum numerorum compositus ex δέκα poterit sic componi, vt δύο δέκα triginta tria δεκατρία trigintasex, δεκαεννέα sexaginta nouem, εἴκοσι quinquaginta, τριάκοντα autem octuaginta. Quartam rationem iniit in his numeris, qui hac seruata ratione centesimum excedunt: vt τεσσαράκοντα, quod vel C X X X I X, vel saltem CXX significaret, cum nõ sit verisimile tamdiu victurum hominem: ideo numerabimus elementa, & erunt duodecim, & ideo significabit duodecim. Et quia duodecim litera est M, & M significat quadraginta, qui etiam significatur per τεσσαράκοντα, ideo relinquimus ei etiam significatum quadraginta, vt significet duodecim & quadraginta vnum scilicet ex his, vel alterum. Ab hoc reliquos dinumerat: veluti πεντήκοντα tredecim, vel N, quod est quinquaginta: & breuiter numerum significatum per dictionem, ita vt sit idem, vel tantò maior duodecim, quot denariis maior est quadraginta: ita constitutis pro τεσσαράκοντα duodecim, aut quadraginta pro singulis ordinibus vel vnitas ad duodecim, vel denarius numerus ad quadraginta adiiciatur.

Aliam quoque obseruat rationem non absimilem nostræ iam dictæ in Latinis litteris, sed generaliorem: quod, vt dictum est singulæ literæ apud Græcos aliquem numerum significent: ergo ρ bonum nuncium, pedestre iter, aliter manendum, animalium bonam tractationem, vincula: nam ρ cùm centum significet, significat dictiones quæ eum numerum possut efficere, scilicet ἀγγέλλω ἐπ' ἀγαθά, πεζῇ, μένε, πέδαι, νέμε.

Refert Artemidorus, quòd cùm quidam nauclerus per somnium sibi videretur interrogasse hominem, an Romam peruenturus esset? & ille respondisset οὔ, quod est non, ille existimabat non peruenturum, & peruenit in quadringentis septuaginta diebus, qui numerus per ου significatur, vt superiùs visum.

In vniuersum tamen verba occulta mala sunt, nec absimilia verbis inimicorum, quæ solent, cùm exaudiri metuunt, quibusuis modis obscurari clàm loquendo, susurrando, aliena lingua vtendo. Ideo etiam verba tam submissa voce audire vt ea percipere non possis, exitium luctus, fraudesque prædicit. Nam amici in luctu ac multis grauioribus mussant: inimici, cum decipere volunt, clàm loquuntur. Quod amicis sit is qui dicit & ridet, minus malum est: non tamen bonum, sed non decoram actionem tuam significat.

CAPVT XLVII.

De cibis, carne & ouis.

Cibos non minutim distinguere oportet, vt inter betam & blitum, quemadmodum Artemidorus facit: stultum enim est arbitrari, ex horum differentia, quæ exigua est, & exiguarum rerum, magna euentuum discrimina consequi posse sperare: nisi certis in causis, de quibus dicemus. Sunt autem à substantia primùm ex animalibus magni momenti: inde ex arboribus inter plantas, tum panes, ob assiduum vsum. Maioris enim momenti sunt quæ in vsu sunt frequenti, ob magnam mutationem rei consuetæ: & quoniam ex vsu diuturno multum possunt, vt etiam in ipsis rebus videmus. In omnibus autem differentia ex septem principiis sumenda est: Fama rei, proprietate, nominis etymo,

etymo, comparatione ad præsentem statum, sapore, odore, & colore. Quæcunque igitur odore magno prædita, detegunt occulta, & famam spargunt: quæ si grato atque iucundo odore sint, gratiam pariunt,& laudem: si graui odium & infamiam. Apium, mortem ægris significat, & quæcunque amara sunt: aliis autem dolorem animi intolerabilem. Si autem naturaliter significent,morbos præsagiunt. Fungi, venenum, insidias, falsasque blanditias. Quæ ventrem turbant, seditionem in domo decernunt: & extra domum, litem cum creditoribus. Tubera, inuentionem secretorum significant: non enim è terra prominent. Fungi etiam & muscus omnia detegi promittunt: nihil enim ex eis sub terra latet: omnia vilia, generalibus rationibus magna significare possunt: oportet tamen vel speciali quadam ratione singularia esse, vel in generibus ea coosideratione obtinere principatum. Brassica, hominem ex magna familia, haud tamen nobili aut multiplicis vsus significat. Quæque magnæ sunt, & insipidæ, vt cucurbita & althea vocata, inanem & vanum hominem declarant. Idem etiam de spe, timoreque. Legumina, negotia dura, & homines intractabiles. Faba inauspicata est: quoniam animal tetrum concipit, & sanguinem generat, & oculum habere videtur, & Pythagoricis est vetita, nec vlli sacrificio adhibetur, nec vtilis est proli. Quæcunque à pauperibus manduntur panis loco: paupertatem significant: siligo nostra, milium, loba, zea, furfur, panicum. Fructus omnes breuem significant voluptatem: nominis tamen ratione boni sunt, & opera absolui promittunt. Sal, salsaque, prudentiam & voluptatem ac diuturnitatem, sed sterilitatem significant. Sal enim satum non parit quicquam. Radices, occulta significant, laborem & difficultatem. Carnes ferorum animalium, & magnorum,robur,fortitudinem, sed improbitatem significant. Et si alia deuorent, iniustitiam: si non edant alienas carnes: elephantorum & taurorum, ab iniustitia aberunt. Carnes paruorum animalium, imbecillitatem: sed si edant alia animalia, erunt fortes & improbi: sin autem vt ouium & capreoli, iusti, sed timidi. Carnes suillæ bonæ sunt: quoniam in vsu maximo sunt. At ericij histricis carnes, insidias, maledicta & cruciatus significant. Panes autem puri & mundi pauperibus morbos diuitibus iucundam vitam significant: at sordidi & viles, pauperibus vitam sine solicitudine, diuitibus desperationem. Placentæ autem, voluptatem significant: at si magnæ sint, & pulchræ, festiuitatem & lætitiam. Cum caseo tamen, & caseus ipse, dolos & insidias: cum melle, adulationem, & vinci à voluptate: quæ fermento carent, negotia dura & grauia significant. Panem calidum edere, opes cum tædio: frigidum, cum quiete significat. Saccharum cum pane edere, bonam fortunam & opes prædicit: sed & sine pane. Cinamomum, diuitias, dignitatem, pulchritudinem, felicitatem. Nux myristica, vtilitatem ab aduena, etiamsi non edantur. Oua perdicum, opes à muliere nobili & honesta. Oliuæ, cappares, intinctus, morbos significant: quoniam ægris præcipuè exhiberi solent. Carnes crudas aut pisces edere, malum est, significatque abominationem, difficultatem, & plerumque amissionem propriæ rei. Carnes ignoti viri edere, bonum est: locupletabitur enim ex alieno: noti autem extremam significat necessitatem, Filij etiam, vel fratris deterius: nisi partes eas edere videatur, ex quibus filius victum sibi parat: tunc enim à filio pater aletur. Carnes parentum edere, mortem eorum significat: vnde illius facultatibus aletur. Pisces edere, victoriam contra inimicos ostendit: erunt autem tales, vt magnitudo piscium docebit. Delphines autem edere, locupletari significat ex morte amici. Mergos, laros, anates, anseresve edere,aut videre, nauigantibus naufragium significat: reliquis vtilitatem à voracibus aut fœneratoribus viris: oua edere, tædium:eduntur enim maxima cum cura. Butyrum, prosperitatem, lucrum & suauitatem nunciat. Placenta cum butyro, vitam segnem & voluptuosam, & tamen lucrosam decernit. Et butyrum propriè significat sacerdotium, & maximè cum melle iunctum. Oua significant pecuniam, præsertim reconditam: & opera inchoata: & spes oua ponere, est oppleri solicitudine, & premi curarum multitudine, spe lucri egregij. Si tamen citò prodeant pulli incolumes, res aliquot parui momenti, non sine assiduo studio ad optatum finem deduces.

Ciborum præterea triplex est differentia: alij enim cibi sunt, & tanquam cibi non sint habentur: alij cùm cibi non sint, habentur pro cibis: cibi etiam alij non præparati, alij præparati, sed non appositi: alij iam incipiunt deuorari, alij deuorati. Præter id etiam cibi aliqui expetuntur, aliqui auersantur alij neutro modo. Qui expetuntur, desideria infructuosa lucri significant: quos auersantur ægri per somnum, mortem: aut si consueti sint, noxam docent. Qui non expetuntur, nec odio habentur, naturam & significatum cibi proprie retinent. Cibos non præparatos habere, dilationem significat: edere, aut præposteram actionem, si paucus sit: aut abundans lucrum, si sit copiosus. Cibum etiam edere, laborem plusquam fructum ostendit: deuorasse bonum est, si bona significat: lapides, ligna, res fœdas pro cibis habere, molestias graues præparatas sibi intelligere debet. Quòd si partes sint eduliorum, vt coria, ossa, excrementa, inopiam. Cibos diuisos in mensa, & panem similiter, vinctis, certè aliis etiam,supplicium portendit. Ranas quoque paratas videre, lacerari in frusta. Quòd ab hoc periculo absit, podagram significabit: viperas edere, luem aliquam,aut venenum mortiferum portendit.

CAPVT XLVIII.

De omni potu, tum lacte & sanguine.

LAc ferarum bibere, siquidem ex genere rapacium sint, lucrum significat iniustum. Si rapaces non sint, ab aliis expilari: nam lac bibere animalis, & eò magis sugere, est ex eodem esse genere: at animalia rapacia vt aliorumc arnes deuorant, ita non rapacia fiunt esca aliis. Caninum autem vt suprà dixi, si bibatur, etiam maiorem calamitatem ac timorem, vel si sugatur, nunciat: quoniam homini nulla ratione conuenit: & canis animal est homini subiectum. Lac generaliter bibere: quoniam dulce est, dolores: & propriè: quoniam ægris exhiberi solet, morbos. Haurire sanguinem, bonum est, & significar pecunias & opes: venas etiam eo plenas esse, bonum: sed effundi, malum: fluente sanguine lætari, est gratas expensas facere: vt amicis donare, vel ædificare.

Vinum bibere, significat securitatem & hilaritatem. Ebrium fieri, solutionem curarum: bonum est timentibus tormenta: neque enim adhibebuntur: ægris tamen mortem: sensum enim aufert: negocium acturis malum: peruersè enim aget omnia: item vinctis malum: detegent enim delicta. Et vbi de honore agitur, aut prudentia, valde malum est: Aqua verò solicitudinem multam & inopiam significat: Ob paupertatem enim vel custodiam sui aquam bibere solemus. Sed & morbum significat aquæ potus. Aquam verò multam bibere, significat indigentiã maximam, sine ope.

Vinum aquæ miscere pro potu, est studium adhibere, & temperare animum & operationes. Vina autem insueta bibere, vt cerasorum dulcium & acidorum, pomorum, & pyrorum, & mororum, propriam habet significationem, pro saporis primùm differentia: deinde generaliter aut inopiam, quæ acerba sunt: quæ verò statim corrumpuntur, vt cerasorum, luxum significant. Sed & pro ratione plantarum. Specialiter autem sic potus vini pyrorum, à rusticis & agrestibus auxilium significat: cerasorum, à delicatis & luxui deditis iuuamen vel emolumentum: è fragis ab humilibus & pauperibus: pomorum, à malis & potentibus: è moris, à sapientibus atque prudentibus: à persicis, ab amarulentis viris, ac tristibus, ob qualitatem foliorum: è punica malo, à perfidis & aduenis: è cotoneo, ab artificibus & laboriosis hominibus: è prunis syluestribus, ab hominibus astutis, vafris, velocibus, solitariis. A fructibus autem non vinosis, est existimare se iuuari & emolumentum habere, & non habere, sed defraudari.

Zethum autem, quamuis aspiratione abundet, quæstionem significat: & ideò si boni saporis & odoris videatur, quæstionem in alio exercendam significat: & si in sanguinem verti, vel venter intumescere, ditabitur ex inuentione secreti, vel detecto thesauro, vel intellecto arcano. Sed si fœteat, si acris sit sapor, valde vel acerbus vel amarus, per tormenta de ipso qui tale poculum bibere videbitur, habendam quæstionem significatur.

Sanguinem leonis bibere, est per vim ditari: lupi autem per rapinam vulpis, per furtum: simiæque per dolum: felis, per insidias, fictas que blanditias: canis, per adulationem: draconis, per scelus & tyrannidem: gruis, vel ciconiæ, vel anseris syluestris, per mercaturam. Sed & sanguis ciconiæ, potum veneni significat: vespertilionis, ex domus vel arcis custodia: tauri venenum bibere, aut ditari ex prouentu agrorum: sic etiam ouis, ex artificio. Sanguinem viperæ bibere, significat conatũ ad lucrandum per omne dolum: sed non lucrari, tamen aut quid minimum.

Lac auium bibere, est inani spe lactari, & similiter serpentum, sed præter id improba valde: verùm piscium lac habentium, est rara fortuna vti: lac autem piscium lac non habentium bibere, est alimentis destitui, & ad vltimam inopiam per blandimenta redigi. Canis ergo lac calamitatem significat: quandoque, licet rarò, lucrum per blanditias: sic & reliqua genera: huius autem significatio mala, ob causas dictas efficacior est.

CAPVT XLIX.

De piscibus salitis, & sale.

PIsces saliti, spem & metum confirmant, exitusque producunt. Sed enim diu corpora seruat. Significant etiam pœnam nouam pro flagitio antiquo. Sed si incisi sint, ac diuisi, totidem significant vulnera, quot frustra, ipsi qui illos deferre videtur, non autem somnianti: & maximè si edat. Pisces salitos videre, odium antiquum significat: & si parui sint, inopiam. Caro salita, dolorem ex voluptate significat: paratum, si adsit: futurum, si edatur. Fungi saliti auxilium iacturæ atque periculi, periculumque absque emolumento insigni. Sale condiri proprias carnes, est publicè lacerari, & frustrà suspendi in portis vrbis.

Sal significat sapientiam, prudentiam, diuturnitatem, defensionem. Magnus aceruus salis, dolorem & tristitiam significat. Idem periculosam mercaturam, & commutationem in deterius: quoniam spontè liquescit. Salem multum deuorare, est audire multa maledicta, & pati cogi: Salem in domo liquescere, significat diminutionem redituum. Furari salem bonum est, significat enim sapientiam discere occultam, & antiqua dogmata. Sal sparsus in domo vel vrbe, domum vel vrbem desolandam præmonstrat. Salem in ignem ponere, est ingenium iu re ardua exacuere: quod si crepet, erunt tumultus ex hoc: si ardeat & consumatur, euanescet in irritum conatus ille, & cogitatio: Si exiliat, nihil perficietur: si colliquetur, dissoluetur. Sale radices plantarum spargere, est insidiari propinquis suis ad necem, ob hæreditatem. Salem multum mandere, aut edere, est re bona & vtili perperàm & malè vti. Sal in puteum mittere, est insulsam operationem facere, & vitiare pura. Salem sibi totũ è domo ablatum videre,

videre, est omnia stultè & sine consilio facere. Domus tota sale plena, significat bonis consiliis defuturas opes & auxilia: & cum voluptuosa vita, defutura necessaria.

Sal significat amicum prudentem, sed iracundum. Qui sal emit, acquiret huiusmodi amicum beneficiis, qui autem vendit, ob contentionem & lucri causa in dissidium cum eo veniet: eadem ratione sal familiarem custodem tuarum rerum significabit. Salem insipidum fieri non stultitiam, sed amentiam prædicit, aut dolo tuo teneri. Aues salem edere, est consilio bono malè vti: aut (vt meliùs dicam) sagaciter, sed non sapienter agere. Idem prædicit spes pulchras futurorum: sal enim aues necat: ob id etiam sal sic exhibitum, significat mora in consulendo occasionem perituram. Salem edere à potu, vel bibere à salis esu significat contrarias actiones: sed primùm etiam præposteras. Sale aspergere lapides, ligna, frondes, est inutiliter operam absumere. Cumulum salis inuenire, est occurrere congregationi sapientum, sed malorum hominum: cibos adeò salsos videri, vt degustari non possint, est vbi sperabat omnia iucunda, ibi inuenire omnia aduersa.

Hali nitrum, significat materiam irarum, rixarum, bellorumque citra infamiam: ideoque ex rebus.

CAPVT L.

De artibus & scientiis.

NOmine artium, literarum atque scientiarum, hic intelligo liberalium exercitationem tantum, non opus aliquod, nec discere. Sunt autem hæ fermè: Geometria, Arithmetica, Musica, Astrologia, Astronomia, physiognomia, Metoposcopia, Auspicium, Aruspicium, Chiromantia, Optica, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Somniorum interpretatio, scientia de ponderibus, philosophia naturalis & supernaturalis, Magia, & Geographia, atque Moralis, Iurisprudentiaque.

Aruspicem factum esse, aut in ea contemplari (habet enim vnaquæque harum duo genera visionum: vnum, si adeptum se putet artem: alterum, si exercere) ei quod habet exercere, si nil aliud adiiciatur, ἀναμνηστικὸν est: adeptum ergo minus est quàm exercere: at exercere actum significat, adeptum autem cupere, aut oblatam occasionem, lanium futurum ostendit, aut metalla in terræ visceribus quæsiturum: hoc enim est, exta inspicere ac diuinare. Quod si nobilior sit, trucidabit aliquem.

Auspicium autem omne genus venationis significat: obseruant enim hi animalium motus: id est, volatus auium. Significat & Astrologiæ studium: nam & astra quasi volare videntur: & diuinam scientiam. Generaliter autem, vatem quouis modo factum esse, seu per auspicium, seu per medicinam, vel astrologiam, vel per inania commenta: velut geomantiam, pyromantiam, multarum rerum scientiam: prædicit tamen curas multas & propriorum & alienorum negociorum. Significat & iter, quod huiusmodi homines peregrinari soleant. Sed vatem consulere, curas & molestias magnas portendit. Quòd si vates ille nihil tibi respondere videatur, curæ illæ atque molestiæ diu te vexabunt.

Astrologum factum esse, significat diuinorum ob astra, & magiæ ob occulta contemplationem: sed & deceptum iri, quòd huiusmodi homines sæpe decipi soleant, ob artificum tamen imperitiam. Si præterea artifex, significat ocium in arte, & contemptum: sed si nobilis, voluptatem: est enim maximè delectabilis.

Chiromantia si humilis sit, significat lictorem futurum: hi enim manus prehendunt: aut si nobilior fuerit, fures obseruabit. Significat & hoc studium furandi: quærunt enim hi quomodo ex manibus sibi lucrum parare possint. Significat & docturum aliquos scribere, aut pulsare.

Geometram factum, prædicit agros aut campos empturum: pauperi, agriculturam exercitaturum, difficilia negotia tractaturum, in quibus mensura exquisita opus sit. Præterea otium & contemplationem, & architecturam exercitaturum: nam & hi circino vtuntur, figurasque depingunt: item plasticem, sculpturam, picturam, & quæcunque artes magna cum mensura exercentur: vt vestiaria, sutoriave.

Arithmetica verò, fœtus & debita persoluenda creditoribus, & diuiti paupertatem, & pauperi diuitias & mercaturam. Præterea trapezitam: & si nobilis fuerit, quæsturam, ac similia.

Geographia, nauigationem, itinera, militiam, præfecturam, gratiam principum, negotiationem, astrorum studia.

Astronomia, in pauperibus aut facinorosis triremes, pastoralem vitam, & generaliter rusticanam, etiam diuitibus, tum militarem: studiosi, Theologiæ studia, nauigationem, Geographiæ operam daturum prædicit: habitationem in montibus, fugam, venationem.

Musica, inania studia, velut chymicæ, necromantiæ: tum Reipub. operam nauaturum: ludum aleæ, artes ornandi: vt annulorum fabricandorum, & vestium: necnon, quæsiturum scire quædam dicta atque arcana ad eum pertinentia: conspirationemque contra illum, nec non & machinarum construendarum artem.

Physiognomia, quæsiturum omnia quæ ad naturam pertinent: tum, philosophiæ naturali & medicinæ operam daturum. Quæsiturum etiam de amicis mores illorum: anatomiam exerciturum. Significat & amorem, & ornandi artes. Commune est etiam omni diuinandi arti, vt significet dolos, deceptiones vanitatem, infamiam, Dei cultum, & superstitionem, ob hominum vulgatam de his opinionem.

Metoposcopia, seruitutem significat: serui enim & famuli diuinare coguntur ex frontis aspectu desideria dominorum. Idem significat eadem ratione, subire iudicium: significat &

& illud, tum & physiognomia de fontibus inquirere,

Iuris prudentia, significat in iudicem eligi, magistratum, potestatem, sapientiæ opinionem, morum cultum: flagitia, & scelera ac dolos: tales enim obseruant iurisconsultos, vt cautiùs si possunt, agant: & laboriosum artem, ac negocium.

Morum disciplina significat sacerdotium, phratriam, magistratum: tum etiam seruitutem: cogantur enim alienis moribus qualibuscunque viuere: improbo verò carceres, vincto autem iam damnationem perpetuam.

Dialectica, significat studia omnium artium, contentionem & lites, alienam linguam discere, accusari vel accusare.

Rhetorica accusationem actiuam aut passiuam, contentionem & lites concionatorum, & studium rhetoricæ ipsius: commune enim est omnibus his vigintiduabus disciplinis: quoniam ad animum solum pertinent studia illarum, vt ἀναμνηστικὸν conuertatur in idolum: quoniam in nostra potestate est, ex vehementi desiderio discere quam cupis: vehemens autem desiderium, somnium excitat de ea re: ob id somnia hæc, si qua alia omnia, fermè in idola transeunt: præsertim cùm sæpius redeunt. Suntque omnia auspicata, & oracula vocantur, quòd pro diuinis habeantur.

Grammaticam ei qui eam nouit, vt etiam reliquæ, sed non adeò, didicisse, discereve, inauspicatum est: significatque reditum ad statum puerilem: propria autem puerorum sunt, verberari, irrideri, iniuria affici, ineptire, desideratis non potiri. Quandoque significat alienam linguam disciturum: quod optimum est in hoc somnio: significat etiam maximos labores & ineptam curam de rebus parui momenti. Alias verò linguas discere, significat noui operis semper aggressionem. Dicemus autem de hoc alibi.

Optica significat studium curiosum admodum, & morbos oculorum, vel eorum curam: tum dolos, & mirabilia atque inexpectata.

Somniorum interpretatio, significat vel vanam operam, vel magna negocia atque pericula: hæc enim ex his quæ consequuntur, illa ob naturam rei, iuxta vulgi opinionem.

Magia significat religionem, superstitionem, infamiam, studia occulta, diuinandi desiderium, vitæ mutationem, studium nouarum rerum, apparatum nouum & multiformem, mendacia, ludos, res vanas atque ridiculas.

Philosophia naturalis prædicit eadem fermè quæ physiognomia: opinionem stultitiæ, & mores à vulgo, ac consuetudinem alienam.

Philosophia supernaturalis significat religionem, astronomiam, insaniam, segregari ab hominum societate.

Ponderum scientia, significat inquisitionem circa res vulgatas, mercaturam, & in arbitrum ac iudicem eligi.

CAPVT LI.

De artibus aliquid facientibus, seu opificiis.

Artes & negotia consueta & cognita exercere ac perficere, est de rebus suis benè disponere, & felicem in eis successum consequi: at frustrari in eis, est, cùm rectè agas, non esse in exitu felicem. Quæ quis non didicit facere, est præter rationem agere: successus erit, pro natura euentus qui insomnis videtur. Res autem in singulis sic se habet.

Arare, serere, fodere, agriculturam exercere, filios optantibus bonum est: nam agri fructus ferunt, & segetes: at cæteris malum & lethiferum, præsertim ægris. At metere, colligere fructus & vuas, vinumque exprimere, est negotium differre, voto tamen post tempus potiri. Nauim gubernare, est negotium periculosum & anxium agere: erit autem exitus, qualis i nsomno videtur, malum litigantibus ob terrores. Artemidorus narrat, quod (cùm quidam videret se arare, & triticum serere, somniantis vxor & filiis qui extra patriam erant, redierunt,

Fulloniam exercere, malum quod ad vitam attinet: mortui enim lauari solent: in reliquis variat significatum: nam decipere significat & mentiri, & ornare, & lucrum facere. Coria tractare, significat laborem & actiones humiles, & negotia secreta detegi, propter odorem & strepitum.

Medicos videre, aut medicum factum esse omnib. malum est, præterquam ægris. In reliquis casib. significat infaustos exitus, damna ac infirmas actiones, quæ medico egeant.

Aurifabrum esse, maleficium declarat, ob venena quæ tractat, & torquium ac monilium implicationes: significat & tractationem nobilium negotiorum.

Plasticen & sculpturam exercere, cupientibus fallere homines bonum est: nam quæ non sunt, hæc ostendunt, velut & pictura. Differunt in hoc, quod pictura significat effectus subtiliorrs, & res inexpectatas. Plastices autem opera violentiam declarant: nam & igne vtuntur, & mutant dum fundunt substantiam rei. Si verò hæc non significent, celebritatem nominis & famam decernunt: talia enim spectanda populo exponi consueuêre.

Ars fabrilis, significat lites, discordias, tumultum, strepitum, negotia dura atque difficilia: nam malleis igne res agitur: multi quoque concurrunt ad has actiones & folles quodam consensu ignem accendunt: significant ergo diuisi & seditionem in domo. Instrumenta quoque quæ minuunt & diuidunt, mala sunt, significantia seditionem & damna. Quæ poliunt & læuigant, inimicitias sedant. Quæ dirigunt, secreta & occulta reuelant: aut cadentes actiones & negocia desperata reparant & exsuscitant.

Faber

Faber lignarius durum negocium indicat: non tamen adeò vt ferrarius, aut æris. Hic strepitum maximum ostendit, quòd nihil magis ære & cupro resonet. Sed cuprum, dolum etiam, propter mistionem: & cædem, propter tormenta bellica quæ ex cupro fabricantur, portendit. Significat enim religionis opera: nam è cupro nolæ fiunt: at lignarius faber nec strepitus, nec contentionem tantam significat, sed industriam, laborem, & minimarum rerum tractationem: præter scobem multam, quæ iacet.

Literarum studia significant laborem, tædium, & quandoque etiam timorem. Quæ verò didicit, rursus discere, negociationem absurdam, irritam, & parum fœlicem: nisi si quis filium habere optet, & possit: significat enim susceptorum, & educaturum. Linguam alienam discere, rem tædiosam, laboriosam atque ancipitem prædicit: & tamen cum hoc etiam negocia cum gente illa peraget. Multis huiusmodi somnium vxores ex illa gente portendit, aliis captum iri, & seruire huiusmodi hominibus. Literas legere alienas non posse, est in negociis cum aliis exitum non habere, nec felicem successum: at proprias non posse legere, est in domesticis rebus ac nemine impellente cæcutire.

Venatio significat insidias, lites, impedimenta, labores, dolos, & quæcunque in venatione occurrunt. Sed & laquei & retia eadem significant. Propterea habere hæc multo melius est videri, quàm videre alium habentem: hoc enim pati huiusmodi significat, illud agere. quanquam nec id sine discrimine, labore ac tædio.

Est etiam in artibus discrimen triplex, ratione habitus: vt discere, scire, docere, exercereque ratione ipsarum, & sunt liberales quæ in cognitione consistunt, quæ faciunt, quæ agunt, quæ resarciunt, quæ adipiscuntur: vt de venatoria dictum est: ratione personæ, vt in se vel in alio. Discere artem, est res plena tædij & laboris. Docere idem significat, sed cum honore, illud cum dedecore. Scire autem, est assimilari moribus illorum: velut nautam factum esse, significat diuersis periculis se obiecturũ, in incerto vitã acturum. Exercere, significat voluptatem, aut lucrum. Liberales, significant voluptatem inutilem. Quæ faciunt, lucrum significant: quæ agunt, vt musica, voluptatem & solicitudinem. Quæ resarciunt, turpe & vile lucrum, & amissionem honoris: vt medicum factum esse: atque adipiscuntur, lucrum fallax, rarum, cum multo labore: cum voluptate tamen seipsum agere, exercere vel discere, ad se pertinet: in alio hæc videre, si cognitus sit, verè ad illum, causa tamen tua: sed si cognitus sit solum per somnum, ad te, sed differt à teipso in hoc, quod minus senties quod eueniet, nec erit adeò conspicuum: sicut nec, qui per alium mercaturam exercet.

Coquus, significat actionum ordinem, & leporem: & ægrotantibus ardores & inflammationes: & quæ occulta erant, detecta fore, aut detegenda: significat etiam lachrymas & conuiuia, vt in nuptiis ac luctu.

Lanio, significat mala sine dolore, & supplicium publicum: & impudentia ac sæua facta: Diuitibus & innocentibus, malus: cædit enim innocentia animalia, diuiditque ac dispergit quòd in vnum coierat. Significat & concubitum præter naturam: membra enim sua stercore coinquinat: & quæ natura fecit, dum destruit, contra naturam facere videtur.

Caupo significat magistratum: excipit enim omnes: & dolos, ob mores, & meretriciam artem: huic enim similis est cauponis: multa verba propter pusillum lucrum: & aduentum peregrinorum amicorum, vel etiam incognitorum & peregrinationem.

Omnis ars & artifex mutuò se significant, & ab instrumentis etiam significantur: ideo si quis opificem suæ artis mori sibi videatur, ipse artis exercitatione priuabitur. Si mortuus resurgat artificio destitutus, ipsius exercitationem recuperabit.

Et artes se mutuò significant, vt qui resarcit calceos, medicum, & medicus illum: vterque enim resarcit, ille calceos, hic corpus humanum. Et medicus aduocatum, & aduocatus medicum: vterque enim tuetur hominem.

Artes præterea ex industria & materia constant: Textura significat dolum, & negotia implicita, & consilia occulta, ac perditiones. Fodere, est labi in deterius, vt extruere indignitate, eleuari & augeri authoritate. Serrasecare, est cõtraria efficere, ac velle. Lana significat ingens lucrũ, & continuum: sericum, splendidum, sed non adeò firmum: gossipium, minus quam lana luculentum: pili caprarum, exiguum & laboriosum: linum, cum dolo & implicatum. Pelles animalium, lucrum fœdum & turpe, pili porcorum, laborem inutilem, & vanam expectationem. Caudæ equorum, speciosam artem, & negociationem cum exiguo lucro. Aurifabri ars, propter metalla morbos significat. Molitores, significant laborem perpetuum, & vtilem: pistores verò, perpetuum & iucundum: tonsores, significant leuamentum molestiarum: nam leuant capillos & barbam, res molestas, & luctus indicia. Pigmentarij, significant dolos, voluptatem, graues morbos: laborantibus enim his pigmenta adhibentur, ob odoris grauitatem. Significant & principes mulieres, nobiles, meretrices, diuina opera atque sermones. Suere significat dolos & maledicta: ea enim non secus ac acus pungunt homines, Gemmas expolire, est sermone ornato tueri causam suam. Vespilones significant facientes opera pia, & artes vetitas, vt fœnus exercere: occultant enim ij actionem vt illi corpora humana. Militia significat exilium, labores, contentiones, cessationem à propria arte: quoniam est ars communis. Professoribus piscari infaustum est: nam tales auditores habebit, quales sunt pisces: scilicet mutos.

Libros edere, iis qui ex doctrina victum quærunt, bonum est: cæteris mortem repentinam indicat.

Ædificare,

Ædificare, est opus aliquod egregium facere, aut liberis generandis operam dare.

Publicanus, significat rei cuiusuis finem: significat & perfectionem ob verbum τελώνη. Significat & publicandam rem occultam, ob nomen. Et itinera, sed vario modo. Forum, turbationes significat: & militare, negociosis ocium: quoniam maior cura minorem soluit, & quoniam non nisi omissis negociis militiæ operam dare consueuimus. Sed ociosis grauia & molesta negocia qualia militantibus eueniunt, significat. Aliud genus significati est, ex affectionibus passiuis ad actiuas: velut militare est angi, anxium esse: tales sunt, qui flagitiose viuunt & operantur.

Nere, vanas spes significat, ob superstitionem, vt ait Cicero. Mortem, si tamen non tu, sed mulier quæpiam incognita id agat: ob fabulam Parcarum. Significat & perseuerantiam in opere. Et si lanam neat, iter: si linum aut gossipium, ignominiam. Nec mirum calumniari expositionem à Cicerone, cùm nullæ artes tum essent in precio, nisi cædes copiosa hominum, & nugæ historiis de Populi Romani voluntate quasi deo. Ob id tamen vitam hominis hæc actio refert, quod imbecillimo filo illa constat.

Ludum literarium aperire atque docere, quomodo vis magistratum declarat. Sed si non aptus sit, excitabit seditiones, aut typographus fiet.

Gladiatorium munus exercere, est diuidere sportulas aut munera in populo, aut præstigiatorem mimúmue esse.

Tondere, molestias leuare significat. Sed eradi & tonderi, vt neque alia quæ ad passionem significant, contrarium actioni referunt. Eradi ergo capillos infortunium magnum euasurum portendit: nam & ex magnis morbis seruatis, & è magnis fluctibus fieri consueuit, & è seruitute liberatis. Sed & periculum triremium & carceris, & habitum sacerdotis significat: nam his raduntur capilli. Significat ergo fortunæ commutationem qualiscunque in contrarium statum. Sed à tonsore melius est: significatque molestiarum leuamen: à seipso verò, vel ab alio, magnas calamitates, morbos, non tamen mortem: naufragium, sed non submersionem. Vinctis autem tormenta etiam à tonsore portendit. Deradi principem vt sacerdos fiat, stultum factum, ob quod principatu priuabitur, ostendit. Forcipe verò præcidi, paupertatem & miseriam: nam pili eradi consueuerunt, si tonsor operam non neget.

CAPVT LII.

De vestibus.

Vestes dignitatem significant, tum quia cum illæ mutari soleant, tum quia facilè per se mutentur. Significant & vxorem: quoniam ab illa homo ornatur, aut vituperatur. Differentias recipit ex parte corporis, ex materia, colore & forma, actuque. Exuere vestes, est dignitate spoliari, quasi voluntaria. Sed exuri, lacerari, est turpiter ac per vim auferri. Vestis alba, lætitiam cum felicitate: purpurea, maiorem læticiam cum ira & crudelitate: cærulea, morbos: aurea, dolores & tormenta: viridis bona est, plena spei & voluptatis. Sericæ, honores declarant: lineæ morbos, mortem & paupertatem. Pileus significat liberationem in vincto & seruo. Gal. autem lauream: & laurea ipsa, Poesin & autoritatem profitendi, & victoriam. Petasus dignitatem non magnam, sed tamen vtilem: Cyrbasia, dignitatem militarem. Diadema, cidaris, regnum, aut potestatem magnam. Causia autē, sacerdotium: & si rubet, summum. Fœminea capitis tegumenta, vt mitræ, reticulum, vitta, stultitiam & lasciuiam. Carbasus, iter: quoniam eo in itinere vti solemus. Thorax significat dignitatem & magistratum, & vxorem: albus formosam, viridis castam & honestam croceus diuitem & grauem, cæruleus tristem, niger iracundam & crudelem, ruber molestam, varius & aureus impudicam. Interula etiā vxorem significat, & amasia, & secreta cordis. Fœminalia, braccæ, subligaculum, ad vxorem, pudorem, honestatem, obscœnasque voluptates pertinent. Caligæ, venationē, & militiam magis etiam significant. Sculponeæ, seruitutem, labores, paupertatem decernunt: ocreæ iter: cothurni & socci, voluptatem & pompam. Calcei, iter pedestre, & morbos, si deponantur: crepidæ, morbos, lasciuiam, mollitiem. Soleæ, dolum & insidias: non enim crepant. Sandalia, & reliqua quibus fœminæ induuntur, mollitiem, fœdas & indignas actiones, verbáque tum dedecora. Sagum, militiam, aut tristitiam: sed læna grauem militiam, propter villam. Heteromalla & amphimalla, longum iter, aut carcerem, vel seruitutem, aut nauigationem, vel paupertatem & miseriam nunciat. Sagum etiam, & vestes exteriores, rubra si sint, iram & cædem significant: si candida, sacerdotium aut quietem: viridia, optimam spem: nigra, dignitatem, pudorem: sed & luctum maximè inornata & longa significant: crocea, impudentiam: aurata, stultitiam, impudentiam, vel regnum & magistratum. Laneæ diuitias, & è gossipio, sed minores: significant & morbos, & mollitiem. Nocturna capitis velamina, morbos & vulnera. Exteriorum autem toga significat dignitatem: & nostra ætate si promineat à tergore aliquid, & cauda prælonga sit, & nigra, vestis est mortualis & luctus: prætexta autem, insigne decoris ac magistratus. Basilica vel segmentata, quæ cum gemmis intexta est, regnum, aut principatum. Picta vestis significat victoriam, ducem belli, aut mimum vel morionem, aut comœdum, tragœdúmve. Polymita pluribus liciis intexta, significat dedecus: sed si pretiosa sit dignitatem non diuturnam. Cyclas, & vestis Melitensis, byssina & gossipina palla, omnisque alia vestis muliebris, significat delicias, aut stultitiam vel dedecus, aut mollitiem: semper autem quanto pretiosior, tanto melior aut minus mala. Et si solùm tractetur, vel ematur, aut habeatur in domo, significat vxorem, aut amasiam, vel concubinam. Prætexta pulla,

pulla, luctum & funus omnino significat. Et muliebris omnis vestis pulla, mortem somniantis aut filiorum, aut agnatorum vel affinium decernit. Lacerna & penula, significant iter: sed penula est pauperiorum: scortea verò pedibus peregrinantium. Significat & militiam. Sed lacerna cum cucullo, & cucullus solus, significat solitariam vitam & phratriam. Si verò cærulea, vel omnino purpurea fit, sacerdotium nobile & opes magnas decernit. Stola quoque sacerdotalis, apex laniger epomis, sed omniū maximè intertexta cocco, bysso, purpura, hyacintho, & quibus in quotidianis vtimur sacrificiis: vestes quoque pontificum olim Romanorum, opulentum denotant sacerdotium. Endromis, contētionē aut iter per equos dispositos. Pelliceæ pulchræ dignitatem, sordidæ inopiam significant. Domestica vestis quoniam vsui est, nihil significat: in foro autem, improuisum malum, aut vincula: non enim aliter eò sic itur, nisi sit insanus. Pallium abstinentiæ, continentiæ & studij artium signum est. Paludamentum, imperatoris militum, est, & dignitatis, maximè purpureum & gemmatum. Chlamys verò, regiæ potestatis. Trabea pulla vel militaris, funus significat: cocco intermista, sacerdotium nobile: splendida vel intexta, regiæ potestatis & victoriæ: vndulata seu cambailota sine vndulis, diuitias in senectute pollicetur: ea enim auari senes maximè delectantur. Ridiculè amictum esse, non solùm derisionem, sed improsperos euentus & vituperationem ostendit. Pallia & togæ, & quæ non amiciuntur (quas Apostolicas vocant) iuxta coloris qualitatem, fidem hominis decernunt: candidæ ob id optimæ sunt, & sinceram fidem declarant: rubræ verò, contentiones, rixas & dedecora: non tamen infortunatæ sunt: felicissimæ virides, morbosæ ceruleæ: & immundæ omnes vestes & laceræ, tædia, curas ac molestias, dedecoraque portendunt: vestis munda, vetusta, liberationem ab antiqua molestia: noua & sordida, nouam molestiam superuenturam significat. Mulieri, cuius maritus erat in exilio, cùm visum esset in somnis, prodire in publicum sine veste, prædictum fuit: nunquam visuram illum: maritus enim ornamentum vxoris, velut & vestis.

CAPVT LIII.

De ornatu.

Annuli significant fidem, dignitatem, vxorem, secreta: & signatorij hæreditatem. Qui accipit annulum signatorium ab aliquo, fiet illius bonorum maiore ex parte hæres: qui alteri dat vt retineat, hæredem illum instituet. Annulum non signatorium si amiseris, amittes vxorem, filium vel dignitatem: ita si excidat, nec inuenias: illud autem accidet negligentia tua. Si signatorius excidat, vel sculpta gemma qua signare sis solitus, fies alieni iuris: vt in exilio, carcere, captiuus hostium. Si annulum amiseris, qui tibi signatorius videatur, non si tamen huiusmodi tibi, decides ex spe hæreditatis, aut magistratus quem consequi speraueras. Epistola sigillo signata à principe, dignitatem: ab aliis, secretum, aut negocium. Gemmali annuli si frangantur, infirmabitur filius aut vxor, aut minuetur illius autoritas. Si excidat gemma ex annulo, filius discedet à te in longinquas regiones, nunquam reuersurus, si non inueneris: si serò inueneris, tardè reuersurus: si statim, volet discedere, sed non discedet. Si annulum tibi quis ad os apponat, ab eiusmodi aliquod secretum magni momenti intelliges. Si princeps aut regina annulos plures habuerit in manibus, totidem ei nascentur filij: non enim in eis dignitates aut magistratus significare potest. Annulum si emeris cum gemma, filium habebis, aut vxorē aut dignitatem, pro natura coloris & precij gemmæ, Si rubra, fidelis aut fortis: si viridis, sapiens aut amabilis: si cærulea, pia vel casta: si aurei coloris, maligna vel fraudulenta: si maculosa, fœda vel infirma, si alba, pura vel ingeniosa: si opaca, humilis, etsi diues aut lucrosa: si preciosa, nobilis & magni nominis. Annulus etiam annuum spacium significat: cùm enim circuli formam referat, circulum autem sol in anno percurrat, liquet annulum circuitum anni significare. Significat etiam annulus in non habentibus nec filios, nec vxorem, nec dignitatem, parentes: quoniam charissimi sunt, & coniunctissimi, & quoniam eorum nuptiis procreatus est filius. Vnde in filiis nothis hoc non significat. Auricularia significant ornamentum, & media ad intelligendum arcana, secretaque, ac ocium & curiositatem. Sceptrum caduceum accipere, pro eorum comparatione autoritatem & potestatem significat. Pallium regale, regis vxorem. Corona noua regi significat, filium regni hæredem. Coronam regiam accipere, agnato regis regnum: alieno autem, vitæ periculum portendit. Cingulus autem aureus, dignitates in iuuentute: argenteus verò, lucrosum iter. Gemmæ cum auro è pectoris regione, calamitates & molestias: casus coronæ, amissionem omnis dignitatis & decoris, & rei in qua totam spem suam collocauerat. Et cingulus, significat filiam.

Coronæ è floribus, suo tempore bonæ omnes sunt, præterquam ex narcisso, apio, cupresso, plantisque noxiis & malè olentibus: omnes enim hæ semper sunt malæ: cæteræ tempestiuæ læticiam, ocium ac luxum significant: intempestiuæ verò, ex purpureis violis mortem: ex amarantho, quicquid aduersi patitur, insuperabile erit, nec corrigi poterit, nihil patientibus superuenturum aliquid huiusmodi ostendit. Ex liliis acrosis, produnt quæ occulta esse expediret. Ex odoratis herbis, vt amaraco, ozimo, sisymbrio, morbos difficiles & incognitos, exemplo artificij coronæ subtiliter elaboratæ, Ex palma filios, & olea filias, vtræque longæuos significat. Quercina, myrtea, laurea, honores & victorias: laurea, præter id sapientiam: quercina palmeæ similior est, myrtea oleæ vtraque imbecillior: olea concordiam, myrtea amorem. Cæreæ malæ,

malæ, ægris lethiferæ: nunc ob candelas quæ mortuis accenduntur, olim quòd nugæ mortem poëtæ appellarent: ratione, quoniam infirma res sit: & quæ cùm detrahitur, apum mors sequatur. Non sic melle: cæra enim apum domus constat. Coronæ ex metallis, lapide, sulphure, sale, omnes grauitatem & difficultatem negociorum significant: sed è plumbo pessimæ: è sulphure infamiam etiam ob odorem addunt: è gemmis, auro aut argento, pauperibus & diuitibus sine satellitibus & comitatu egregio, malè metus, insidias, dolos, pericula, quæ par adesse comitatum non habentibus esset, significant: cum comitatu autem, & sine vestibus ornatis, irrisionem: cum vtrisque verò, magna bona prænunciant. Ex hedera aut vite, vincula, aut insanum amorem: vinctis verò suspendium, vel securim. Serpens aureus gemmis ornatus, dominium in excellentes & claros viros portendit. Pallium regale ferre, nobili exaltationem primùm, inde exitium ostendit.

CAPVT LIV.

De armis & machinis.

ARma ad defensionem, vt galea & scutum, prudentiam & securitatem decernunt: quæ manu tenentur, vt gladius & sarissa, ministros, robur corporis & opes: quæ extrà mittuntur, vt sagittæ & pila, auxiliatores & verba. Sagittas colligere, significat alicui capitales insidias moliturum. Arcum inuenire, inter susceptururum. Sed si ensem, eumque sibi accingat, dignitatem ipse, vel pater vel filius adipiscetur. Nudum ensem, vel aliud armorum genus ab alio accipere, mortem vxoris prædicit. Sed si cum vagina fuerint, solùm ægrotabit. Thorax ferreus significat peruicaciam & crudelitatem. Instrumenta bellica artificiosam rationem vincendi & dilationem declarant. Scutum pulchrè elaboratum, nobilitatem, honores, & operationes dignas, certaminaque decernit.

Colossi fructa aliqua videre, magnam felicitatem portendit, ac surgentes ex disciplina alicuius magni viri atque inclyti famosissimos discipulos: cuiusmodi sub Socrate, Platone, Hippocrate, Alexandro, & Consaluo Cordubensi magnis: iuxta Græcam parœmiam, κολοσσοῦ ταῦτα μεγάλα πράγματα εἴη: (de Adriano Tyrio Herodes Atticus: refert Adrianus Iunius, vt contrà confractum colossum videre, mortem viri generosi.

CAPVT LV.

De vasis, & reliquis instrumentis domesticis.

ARtificiosæ res ostendunt negocia & homines: homo enim diuini consilij exemplar est: licet ergo ex vnoquoque genere in aliud transire. Generaliter autem artificiosæ res actiones artificiosas significant: id est, solertiã, & industriam miram in adipiscendo intentum. Scena igitur ærumnas, pericula, iniurias & contentiones significat, si tragediæ sit: si comœdiæ, probra, dolos, deceptiones, contumelias & vanitatem. Instrumenta musica, otium, dolorem, luctum. Vasa potoria pulchra, ministros egregios, & præstantes. Lances, paropsides, patinæ, vitæ actum atque cursum: quoniam quæ superueniunt, excipere solent. Lucerna animam, studium, amorem, disciplinam, principemque significat: nam vt lucerna domum illuminat: ita princeps exemplo, moribus suis omnes instruit: iustus, iustos iniustus iniustos efficiens ciues. Animam verò: quoniam vt lumen eius extinguitur: sic anima à corpore facilè recedit: amorem, in amore enim est quod vrit, vt in lucerna ignis: studio seruit, disciplina eius auxilio paratur: ideò vtrũque refert: cui ergo lucerna pulchra & nobilis est, is nobilis euadet sapiẽtiæ studiis: nam & nunc lucerna Epicteti celebratur, magno pretio empra. Vasa quæ nulli sunt vsui, personas inutiles ostendunt: moriones, parasitos, mimos, adulatores, histriones, musicos. Quibus verò gemmæ & nummi seruantur, vxorem: quòd ei charissima custodienda tradi soleant, Vasa in quibus vnguenta recondi consueuerunt, sapientes, sacerdotes bonos, & œconomos significant prudentes. Scrinium autem vbi actorum memoriam & tabulæ publicæ, & epistolæ seruari solent, vitæ nostræ cursum. Quòd si fractum fuerit, mortem propinquam declarat. Vasa quæcunque à metallo, vitæ constantiam significant, & iuxra metallorum naturam superiùs explicatam. Cornea verò infirmiora sunt, & detegi facta somniantis declarant: figulina autem, imbecilliorem ad sustinendum capacitatem: occultiora tamen negotia, nec adeò illius acta in propatulo futura: vitrea, omnium pessima, fragilem vitam, inconstantiam negotia, omnia publicè acta detecta. Artemidorus testatur frequenti experimento deprehensum, visa vitrea vasa fracta à nauigantibus, naufragium significasse.

Nolæ decernunt congregationem, tumultus & ostentationem. Horologium, actiones: illarum enim initium & finis horologio determinari consueuerunt. Propterea si frangi videatur, confusionem omnium negociorum significat, vel etiam mortem. Eoque deteriùs, quò in minora frusta dissipatur: auferri verò intermissionem ab operibus: nam recuperari potest. Cessare autem à motu, est impediri ab his per breue spatium. Mola difficilium negotiorum absolutionem & durorum attritionem ostendit: pistillum refert maritum: mortarium verò vxorem. Spinæ aculei, & spinetum magis, quo vti solemus ad limum extergendum dolores, tristitias, iniurias, & amorẽ ob similitudinem referunt. Catena quoque amorem, carcerem, vxorem, impedimẽta. Peluis ancillam significat: bibere vel edere in ea, est illã potiri: speculari in ea, est ex ancilla filios suscipere. Auream verò peluim vel argenteam habere, ancillam in vxorem ducturum significat. Peluis si frangatur, ancilla aut seruus morietur.

Specu

prius quædam propria, inde generalem tractabimus rationem. Imago in speculo significat & fratrem & sobolem: vtrumque enim assimilatur somnianti, velut & imago: ideò si citò dispereat, aut obnubiletur, parum prosperam eorum fortunam decernit. Nuptias quoque prædicit, & vitæ mutationem. Significat & amicos. Quòd si in eo maculæ fuerint, dedecora illorum refert. At generali ratione, cùm conuersa omnia ostendat, nec tamen vt cælata effigies, sed similia similibus, ideò de eo subtiliùs est considerandum. Constat enim primum, quæ dextra sunt nobis, sinistra esse his qui videntur, & versa vice: quæ verò sculpta videntur, cum hac commutatione spectantur: atque cælata, dextra à dextra, & sinistra à sinistra, vt in speculo: sed quæ cælata sunt, dum effigiem in cera referunt, vt sculpta referunt: commutantur igitur cælata, & ob id contrarium significant. In speculo verò absque dubio cùm multa commutari soleant, etiam præter naturam quæcunque sic commutant, malum significant: vt videre se cum facie inferiùs conuersa: quæ verò commutant ex natura speculi, neque vt sculpta, neque vt cœlata sunt exponenda: sed quòd ad rei substantiam attinet, vt videntur: velut, videre faciem mortui, moriturum: duplicatum, filium sibi omnino similem: at videre se coronatum aut vinctum, postquam licuit se talem videre, & non in speculo, contrarium significat, non ipsi rei, sed visioni. Dictum fuit, dum de actionibus loqueremur, quòd coronari significat irrideri: ergo coronatum in speculo se videre, honorari prædicit. At dices: Cur (gratiâ exempli) faciem suam vt mortui videre, mortem significat? Quia naturæ consentit hoc somnium: neque enim videre nostram faciem verè in vigilia licet, nisi per speculum.

Catena, vxorem, impedimenta & carceres, duramque seruitutem significat, & vinculum amoris mutui.

CAPVT LVI.

De magistratibus & honoribus.

MAgistratus generaliter prudentibus, nobilibus & efficacibus, administrationes & negotia honesta significant: miseris, ni significent: incommodi solutionem, magnum malum portendunt. Priuari solitis muniis aut donis, quæ magistratibus debentur omnibus, malum est, & graue. Præfici annonæ, operam medicinæ dare significat: sed & mortuis idem: quandoquidè multi sunt quod plures occidūt, quam seruent. Idem significat sacerdotium: sacerdotes enim mortuos curant. Mutare vestem ob magistratum, & præsertim albis aut aureis vestibus indui, vel pictis, mortem significat: sic enim mortui induuntur. Præfici negotio turbulento, non lucroso, molestias sine vtilitate nunciat. Iudicem esse, illi qui non futurus est, videri, paupertatem, molestiam ab inimicis, & iter agenti periculum à latronibus prædicit. Significat & gratiam apud principem. Iudicem vulnerare, est fauere potentibus & gratiam ab illis consequi. In iudicio aliquem premere, est potestatē & ius in aliquem obtinere Rectè iudicare, est gratiam apud principem, odium apud populum promereri.

Magistratus propriè mutationem vitæ significant, curas atque onera: videntur ergo, quemadmodum & pecuniæ, & actiones pleræque, in contrariam ttansire naturam, si idolum non sit. Eoque magis malum, si (vt dixi) præter rationem eueniat. Dicitur præter rationem, cùm inepto contigerit: aut si etiam apto, contraria ratioue in ornamentis ac potestate, locoque incōgruo. Vix autem pauperi & contempto sine magna iactura aduenire potest: præter reliqua, multis impensas superfluas prædicit: sed scelesto sontique publicā necem portendit, propter apparatū: nam & turba illum respicit, & satellites circundant, & loco altiore ac conspicuo sedet, & à carnifice ac consolatoribus seruitus & opera exhibetur. Propterea exules, vincti, nocentes, damnati, huiusmodi somnium admodum reformidare debent.

Prætorem igitur esse, significat curas maximas & periculum supplicij, & lictorem, tortorem atque carnificem, non solùm ob operationum similitudinem, sed etiam ob verbum δημόκοινος, seu δημόσιος, vel δήμιος, quod significat & popularem factū esse; potest & nauitam significare, qui moderatur naui, vt in populo Prætor. Præses autem, ob verbum Ἐπιστάτην: præceptorem, magistrumque ludi literarij, & custodem pecuniæ publicæ, & cocum significare potest, item assessorem. Senator verò cantorem, propter verbum αὐλῳδ[illegible]ός. Curialis sortem subire, concionem congregare. Iudex sacerdotem, sacraue curantem aut custodientem, accusatorem, diuisorem, Iuriscōsultus, laudatorem, adulatorem. Lauream consequi, est vincere, in pugna laudari. Quæstor, est collectorem esse halinitri, secretorum indagatorem, custodem furtorum, parochum: lictor verò, est rusticum & agricolam fieri: vinciunt enim vites, plantas & animalia: sic & mulionem & agasonem, & carnificem & vespillonem, & lignarium. Ædilis, carceris curatorem, in carcere vinciri, ædificatorem domorum. Atque ita à similitudine muneris & nominis reliqua interpretaberis: illud obseruādo quod magistratus perpetui efficiunt somnia fatalia: reliqui verò solùm ad certum tempus, non ad vnguem magistratu definitam significationem extendunt.

CAPVT LVII.

De vitæ cursu.

ORiri rursus, est vitæ periculum euadere: dicuntur enim qui sic euadunt, denuò renati. Orior quoque, & morior, vnâ tantùm litterâ cùm differant, & opposita sint, vicissim vnum in aliud transit. Significat & morum mutationem: nuper nati enim mores nouos induunt. Sed & nasci filium: in filiis enim renascimur. Oriri quoque magnas molestias, quibus infantes afficiuntur, tum seruitutem ostendit. Infelicibus denuò nasci bonum: nam nouam subeunt fortunam. Mul-

tum autem differunt, denuò nasci, & in fasciis esset, atque infantem : hoc enim non habet emphasim, & denuò nati pueri incommoda tum refert. Infantia morbos & indigentiam præsentem, omniumque rerum ostendit, sed cum spe; senectus extrema eadem fermè omnia, sed sine spe. Vinctum esse in fasciis, & carceres & mortem significat:hi enim linteis amiciuntur, illis manus & crura vinciri solent.

Vitæ decursus secundus, & per consuetas ætates, si sistatur in ætate quam somnians agit, bonum: & significat vitam suauem, molestiisque vacuam. Quòd si insigne aliquid videamus, cauere oportet ne bona pro malis aut contrà interpretemur. Semper autem vitæ decursum videre, arcani aliquid continet. Quòd si vitam videat suam, quasi depictam videat, nec quicquam aliud, periculum est ne tametsi multos habeat filios, nihilo seciùs orbus moriatur. At si etiam sine filiis sit, ordinesque plantarum viderit, quot erunt, tot ex illo prodibunt stirpes. Pueritia etiam timores, vulnera, seruitutemque cum contemptu denunciat. Iuuentus pericula, labores, mortem violentam. Si seni videatur quòd iuuenis sit, spes renouabitur, validam senectutem geret : sed non adeò honoratam, nec sine metu violentæ mortis. Senectus curas, solicitudinem, timorem, desperationem. Canum esse, honorem, & sapientiæ opinionem. Morbificam ducere vitam, existimationem aut paupertatem : ad ægros enim accedimus,non illi ad nos. Ægri etiam plurimis, ac ferè omnibus indigent.

Tempora serena, tranquillitatem : obscura & nebulosa, molestias & metus, turbatamque vitam.Calida,animi æstus atque labores: frigida, penuriam & inopiam:ventosa, cum pugna & contentione : tempestuosa cum periculis & iactura:caliginosa, cum morbis:nocturna sine stellis, plena terribilibus casibus: cum stellis,inter spes & metus perpetuos. Videri longæuum, vitam significat laboriosam & mœstam, tum quia diu viuentibus necesse est tala multa contingere, etiamsi felicissimus sit Monarcha : tum quia mœstitia tempus augere videtur, ob moram.

Videre aliquem sibi similem conditione, est vitam etiam illi persimilem ducere. Cùm aliquando vidissem Curtium medicum legentem Galeni antiquos libros, mirum in modum delectabar : tranquillè enim in paruo conclaui studebat : ostendit, me eandem professurum publicè artem stupendio quali dum his libris studeret : scilicet minore quàm dum esset senex : atque ita contigit : eundem enim locum ad vnguem accepi. Paulò antequam hæc scriberem, sub fine anni M.D. L X I. visus sum illum viuentem videre, sed non profitentem, in domo abdita quadam, lætum satis,& eius ætatis qualis nunc esset si viueret,scilicet annorum LXXXVII, quod interpretari vtile,mihi necesse est.

Vitam in paradiso viuere, est vxore carere : quia orbi & cœlibes sibi beati, sed falsò tamen, esse videntur. Vitam sanam ducere, est in vno vitæ instituto constanter permanere : infirmam, mutare institutum. Incolere incognitas regiones, est operam dare secretis artibus ac studiis. In somnum meridianum concedere, si non sit fatale, significat desidiâ perditurum res suas, neglecturumque negotia. At si fatale sit, morietur in flore ætatis.

Duo sunt quæ maximè vitæ cursum ostendunt : vnum quorum est liber, manuscriptus præsertim, potius quàm impressus : qualis liber & affectus & scripta, talis vita erit:alterum est tela, & hæc magis supra vitæ longitudinem significat, sicut liber supra illius qualitatem. Si inchoata nuper sit, longitudinem illius prædicit : si propè absoluta, mortem propinquam. Erit etiam iuxta materiæ rationem. Ex gossipio, mollis & breuis : ex lana, molesta & honorabilis : ex lino, dura & diuturna : ex serico, fragilis ac nobilis : ex auro, grauis suspicionibus, & laboribus plena.

CAPVT LVIII.

De vrbibus.

VRbs significat habitationem, negotia & vitam, nec quisquam nouit ante me significatum. Nouam vrbem incolere, & incognitam, est breui perire : alibi enim degunt mortui, nec vbi scitur. Si verò mors non significetur, patriam mutabit, aut artem : hoc enim modo nouam habitationem ingressus videtur : cum aliis enim versatur hominibus, & qui alienæ religioni abhorret. Habet hoc vrbs, quòd omnia hæc commoda & libera decernit : cùm alia quibus eadem significantur, non eiusmodi sint. Solitaria in vrbe esse, est inutili negotio vel arti incumbere, vel hæresim sibi propriam quandam fingere. Vrbem incolere cum collibus multis, aut montes inhabitare, est discordiam & simultatem potentum subire, ex quibus vita inquieta fit. Vrbem populosam & incognitam colere vel ingredi, est multitudine negotiorum opprimi. Si tamen statim exire videatur, ab eiusmodi tædio liberabitur. Oppidum significat omnia minora,sed minore etiam cum commodo & voluptate.In vrbe propria nihil absurdum : in aliena autem subiici inuidiæ,& paucos habere amicos, aut perpetuò peregrinari significat. In insula, est circundari multitudine periculorum & turbationum, ideoque religiosam vitam ducere : tales enim neque in tumultibus sunt, neque participes fluctuationum : interea tamen viuunt, & quandoque ab iis læduntur.

CAPVT LIX.

De domibus.

DOmus, continens pro contento : ideò culmen, illius patremfamilias significat : & limen ac porta vxorem : & fenestræ, filios & filias : cors autem, domesticos : sunt enim, & non sunt, in domo, & è domo : & penu, reditus & substantiam : & cubiculum, vxorem

vxorem, filios & filias. Focus autem, artem & amicos: fouent enim hæc familiam. Et domus antiqua, pauperi paupertatem maiorem, diuiti autem diuitias: noua autem contrà portendit. Ruina fornicis aut fastigij portæ domus, mortem vxoris aut filij aut œconomi significat.

Refert tamen Scirnachan Indus, quandam mulierem petiisse à Serim, quid portenderet somnium ruinæ fornicis portæ ianuæque, cuius pars intus, pars extra ianuam excidit? cumque ille interrogasset, an coniugem haberet? eaque respondisset: Habere quidem, sed iam diu procul que cum filio abesse, ipsam tantum cum filia domi relictā: tunc respondisse Serim: Reuersurum coniugem & filium cum vxore ducta: filiam verò collocandam in matrimonium vni, qui eam extra regionem abducat. Ratio fuit hæc: fornicis casus significauit mutationem totius familiæ: at quia pars ceciderat intra, pars extrà, quidam manebant domi, quidam extra domum: & eo modo vt commutarentur vices: igitur necesse fuit, vt qui domi essent, scilicet filia, nuberet, & extra patriā abduceretur, illi redirēt.

Ascendere per gradus, bonum est felici, malum infelici: & descendere contrario modo. Et domus regia, significat potestatem eiusmodi: crescet enim gratia vel nomine. Et prætoria, autoritatem: & vilis, paupertatem: & si incolueris ruinosam domum, viues inter timores & metus, & ærumnis affligeris. Domus incognita, & pendens in aëre, significat mortem & animæ postobitum felicitatem, aut bonam famam: & si sub terra sit, morietur & damnabitur. Et inhabitare domum oblitam pice, aut ligneam, significat mortem: nam qui extra patriam sunt, aut potentes, dum paratur funus, arca pice condita seruatur cadauer: omnes autem lignea arca conditi, sepeliri solent. Amplificari domum, est nomen, aut potestatem, aut rem, aut familiam amplificari: hæc enim quatuor per domum significantur. Et ruina columnarum domus, est mors aut exilium fratrum vxoris, procuratoris antiqui rerum & reddituum. Et porta significat dominum domus, & vxorem eius. Et postes, dextra dominum domus, sinistra vxorem: & similiter valuæ. Et cardines, significant salutem: ei enim innituntur tam vir quàm vxor. Et noua ianua, nouam vxorem significat. Et noua domus, nouam fortunam, nouam vitam. Qualis domus, talis fortuna vel vita. Et qui sustinet domum cum labore, vxorem feret malam, aut infelix erit in negotiis. Et paries, est ipsiusmet somniantis robur, quod consistit in sanitate, vel existimatione, vel opibus. Domus gipso oblita, si quis eam inhabitare videatur, per fraudes & dolos viuet. Domus etiam ad vrbem, & vrbs ad domum certa ratione refertur. Et verere domum alterius, est lucrari: verri autem propriam, est pecuniis spoliari, aut nuptias celebrari: nam solent verri domus, & pecunia etiam minuitur, & multa foras exportantur.

Apothecæ & tabernæ, significant possessiones & agros. Columnæ etiam domus, filios significant: & borealia iuuenes, sunt enim robustiores: australia senes. Orientalia masculos, occidentalia fœminas significant & sublimia dominos, infima familiam. Et fenestræ multæ malæ sunt: reuelant enim secreta domestica, & parum tutos habitantes & rem declarant, & fundamenta significant amicos & consanguineos. Vestes & repagula & pessuli & seræ, securitatem: sed seræ ad fœminas pertinent: claues fidem & securitatem, si adsint, & occulta esse quæ esse debent, pollicentur. Et familiares vrbes & domus nunquam mortem significant, nisi ex illis mors ortum habitura sit. Quæcunque ferrea sunt, & adamantina, ac lapidibus durissimis, securitatem portendunt. Et si nihil timentibus talia videantur, duram decernunt vitam. Conflagrare domus partem, dolorem significat ei qui per illam partem significatur: vt si penu, promo. Si verò tota domus ardeat, nec absumatur, timorem irritum domino domus, aut gloriam vel infamiam maximam significat: sed si absumatur, exilium: neque enim exulibus opus est vsu domus in patria. Si domus tota conflagrasse videatur, inde rudera frigent, iam proxima est miseria & egestas. Si autem rursus pulchrior exædificata videatur, nec id bonum omnino est: fieri enim potest vt opes tuæ in alium transeant, qui eis meliùs vtatur. Si in domo magnus ignis accensus est, in periculo versaris magno: sed & iacturam significat, si mediocris: splendida flamma, honorem & lætitiam. Ædes pulchræ præsagiunt hominem industrium, auctoritatis incrementum, famam post mortem, & sepulchrum nobile. Esse in domo incognita, nec exitum inuenire, audire tamen loquentes, & qui respondeant, est spem successuram de difficili negotio.

CAPVT LX.

De morbis & vulneribus.

Febris significat iniusta lucra: vrit enim hominem. Significat & æstum animi, accusare & accusari, & iniuriam pati. Hydrops æs alienum quandoque, & proprias opes. Vulnus in corde iuuenibus & adolescentulis vniuscunque sexus amorem significat, senibus tristitiam: in manu autem, ob chirographum à somniante factum: in lingua, ob verba impudenter prolata. Castrari, est sterilem fieri, orbari filiis, voluptatibus interdici: significat & opima parte bonorum spoliari.

Morbi & vulnera pro ratione membrorum: velut capitis, parentum: oculorum vel cordis aut genitalium filiorum: rachiorum, fratrum: ventris, iacturam opum: crurum & tibiarum, domesticorum. Et vulnera significant, hæc violenta esse: morbi autem, sponte superuentura. Et causa declaratur ex telo, vel homine qui offendit: nam si à coniunctis, erunt ob coniunctos: & si sagitta, erit propter verba: & similiter, si lapide. Sed sagittæ significant verba artificiosa, vt sunt accusationes in iudicio, vel apud dominum: lapides verò, verba obiter prolata. Ense verò vulnerari,

verò vulnerari, est honoris causa, vel tutelæ. Et resolutio significat vitam segnem, & impotentiam, amissionemque auctoritatis.

Vrigo, declarat curas: lapis in vesica, familiam multam sineopibus, aut opes occultas. Vermes interiora exedentes, seruos nequam & infidos. Elephantiasis, miseriam & contemptum, & odium multorum: iecoris vulnus, inopiam: carcinoma, luctum grauem, aut opes reconditas, quæ in dies augentur: scabies, amorem aut iniuriam: appetunt enim hi ambo animum liberare ab vlcere. E vulnere exire cerebrum, aut intestina, est propalari arcana: sed differunt: quoniam si cerebrum, prepalabuntur arcana, quæ ad honorem pertinent: si intestina, quæ ad opes: si cor, quæ ad vitam: si dentes, tui interficientur. Vulnera pedum valde mala sunt, & significant impedimenta omnium actionum & bonorum.

Arteriam præcisam diuiti contemptum, pauperi extremam inopiam. Surdum esse, mendacem significat: si princeps, inexorabilem. Hernia, solicitudinem de re turpi. Lapidei testes, vel genitale, herniam. Elephantiasis & lepra, non in domesticis opes inuidiosas ostendunt.

Narrat Artemidorus, quòd cùm quidam claudus claudum vidisset famulum, inuenit illum potiri amica sua. Morbi corporis, animi vitia pro ratione significant.

Pestis, si publicum sit somnium, bellum, aut in bello victoriam, aut hæresim significat. Sed si priuatum sit somnium, pugnaturo victoriam: at aliis fugam, carcerem, exilium, infamiam, egestatem: propriè verò, anathemate damnari.

CAPVT LXI.

De morte.

MOri quid significet, superiùs generaliter explicatum est: nunc autem specialiter de morte agendum est: neque enim sine magno affectu verè, per somnum autem fit & cum eo, & sine eo: cum maiore, quod in nulla alia re contingit, fieri non potest. Atque etiam de eo quod est mortuum esse, agendum est. Fiunt igitur octo genera: violenta, naturalis, quæ fit, quæ exacta est, quæ cum affectu magno, quæ cum exiguo: vnaquæque species cum magno, & sine magno apparatu. Mori ergo sine affectu, & naturaliter, & sine magno apparatu, est commutare mores ad bonum: si verò cum affectu malo, ad malum. Cum apparatu autem & sine affectu, est sacerdotem fieri, aut monasticam vitam subire. At si cum affectu graui fiat, seruitutem, exilium, morbos impedimentaque significat. At si violenta sit mors, carcerem, triremes, deportari proscribique prædicit. Quòd si mors violenta sit, & sine affectu, seruiet quasi coactus, sed cum vtilitate. At si cum magno apparatu pereat, & cum leui cruciatu, aut periisse iam videatur, legem mutabit: sponte enim id agit. Leuior est autem omnis mutatio quæ peracta est, quàm quæ fit. Febre mori, est ob animi dolorem mutasse qualitatem vitæ. Fluxu mori, est fœda committere. Hydrope mori, est grauari negotiis, & tractatione pecuniarum. Senio confici, est ad inopiam deuenire: occidi si sit cum sanguinis effusione, est pecunias amittere: illæ enim fluunt: aliàs lucrum significant: nam pecunias parando occidere videmur. Sic si vestes sanguine conspurcentur. Malleo occidi, & nil prorsus sanguinis defluere, valde malum est, significatque opprimi adeò vt ociosus remaneat. Mors mala est negotiatoribus & artificibus valde: quia otium significat: cadendo mori, ob id talibus pessimum.

CAPVT LXII.

De sepulchro.

SEpulchrum exedificare apud exteros, aut mortem, aut nuptias, aut habitationem in illo loco portendit. Sepulchrum nobile, librum significat egregium, & reconditæ sapientiæ. Sed & maiorum nobilitatem declarat, illustreque aliquod factum: nam monumentum dicitur, quo posteri illustrantur. Sepulchrum apertum esse, mortem domini, vel alicuius ex eius familia prædicit. Sepulchrum floribus exornatum videre, iniustam necem alicuius, & ob inuidiam ad sepulchrum pertinentis, demonstrat. Sepulchrum dirutum videre, est dominos eius in exilium mitti, & extorres esse. Sepulchrum ardere, est famam sepulti inclarescere, vel moriturum aliquem fama dignum, sed si sine flamma, scelesta facta alicuius ad sepulchrum pertinentis portendit. Sepulchrum tuum adornare, est te, vel aliquem è tuis mori, cuius fama nobilitentur posteri. Sepulchrum serpentibus plenum videre, significat maiores illius fuisse scelestos: si cancris, ignauos & fœdos: bufonibus, omnino despicatos: muribus, fures: lacertis, innoxios: draconibus, potentes ac nobiles, lampyridibus, famosos, & cum authoritate in Repub. Sepulchrum, præsertim alienum, carcerem significat. Sepulchrum in formam domus exornatum videre, mortem domini nunciat. Plura sepulchra extruere, multa decernit facta egregia. Sepulchrum venerari, est aliquem è maioribus mori: osculari autem, mortem filij, aut si eruditus, & maxime sine filiis, pulchrum librum conscribere: latere in sepulchro, est flagitium patrare: habitare autem mori. Ex sepulchro eruere thesauros, est librum aliquem reconditæ doctrinæ inuenire, aut secretum aliquod valde vtile perdiscere. Ex terræmotu concidere sepulchrum, est edicto principis exautorari familiam. E sepulchro nasci arborem, est mortuam iam gloriam in ea familia restitui.

CAPVT

CAPVT LXIII.

De domesticis omnibus.

MAter patriam significat: atque ideo cum matre concumbere, patriam subigere prædicit: quod somnium Cæsari euenit. Causantur quòd Hippiæ contigerit, frustrato euentu: is fuit Pisistrati filius, patriaque potitus, infelicem sortitus est exitum, quemadmodum & Cæsar. Cùm enim patriæ possessio multis modis significari possit, sic exitum infelicem decernit. Vtcunque mortuam videre, infaustum est: quoniam ad lachrymas solùm, non ad actiones mulieres aptæ sunt. Significat & mater terram: vnde sub matre esse, in illiúsve ventre, vel cum ea concumbere, vel osculari ab illa, lethiferum est: nisi vt dixi, principibus viris quãdoque concubitus dominium patriæ portenderit. Cum̃ matre etiã absurdo modo misceri, vt fellari, vel eam irrumare, vel masturpari, vel pedicare, mortem propriam & filiorum, & exitium totius domus significat: vt etiam phœnicissare. Exitiale etiam hoc vxori, & mendici tatis præsagium. In impiis viris nonnunquam nefandas actiones & inaudita scelera significat. Parentes mœstos videre, valde malum est: si te moueant, caueto diligenter. Peius autem est patrem mœstum videre: quia prudentior, & minus mouetur affectibus. Patrem mœstum videre, quandoque iniustas tuas actiones significare potest. Parentes lætos videre, non tàm faustum est, quàm tristes infelix augurium: à mortuis enim rarò læta expectare oportet: cumque id in omnibus, minus in parentibus, qui non nisi magnis in casibus adesse solent. Si parentum aliquis mortuorum filium à te petet, aut filiam, nec perneges, morietur: si perneges, & qua si iratus abeat, euadet qui vocatus fuit ingens periculum.

Parentem sequi per eadem vestigia, est illius mores ac vitam imitari, aut de illo maledicere. Efferri parentem, non est malum: liberabitur enim à seruitute: si pater, coacta: si mater, voluntaria: parentes enim dominorum vicem referunt. Quicquid parentes dixerint, verum est: neque enim filios fallere cupiunt. Parentes verberare seu viuos seu mortuos, malum est: nam impedimenta & infamiam significat: nonnunquam verò agnatos aut cognatos turbabit. Vitricus & nouerca, mali sunt: & si irati sint, odium implacabile ostendunt: si blandiantur, vanas spes: nonnunquam exilium significant: aliena enim patria quasi nouercæ loco est, sicut propria parentum. Vnde parentum lætitia exuli reditum significat. Parentes, proprias res nostras significant, ad mores & vitam pertinentes. Magna enim cura est mortuis parentibus de salute nostra ac filiorum nostrorum, tum de moribus: non ita de diuitijs aut honoribus. Absentium parentum visio similis est ei quæ de mortuis habetur, si non ad idolum perineat. Parentes tacitos videre, non lætos, nec mœstos, significat impedimentum explendi desiderium, ob pudorem & verecundiam: Præsentibus enim illis, solemus ab omnibus turpibus abstinere. Multum etiam refert, quales illi essent dum viuerent: nam si tristes, iracundi, seueri, regidique & parum amantes tui, tristes videre & iratos, minus malum est: si mites, blandi & læti ac beneuoli, contrarium. Patrui parentum seueriorum loco sunt: & si tutores aut curatores fuerunt, seruitutem renouari prædicunt, cùm uiuere & vnà tecum esse videntur. Si verò extra domum, & peregrinari, nouos luctus: tristes enim esse solemus, cùm hi discedunt. Vocari ab illis nec videre, mortis aut magni infortunij signũ est: sed si viuant, ad res gerendas opportunitatem significat. Parentem rursus vt mortuum deplorare si pater sit, agnati: si mater, cognati mortem portendit. Sed & hæreditatem significat: parentum enim morte hæreditas ad nos deuoluitur, & fletus gaudium prædicit. Auus & auia defuncti viuentibus parentibus, idem significant quod parentes mortui. Mater etiam, à μητείρα, consilium & prudentiam: πατὴρ, seruatorem, & eum qui calcat, significant. Aui proauique antiquarum rerum tractationem portendunt: succedent autem pro ratione affectuum illorum: & thesauri inuentionem: sunt enim sepulti & iucundi: & mortem: non enim aliter cum eis esse possumus, quàm moriendo. Parentes senes ac mortuos viuos videre, & nobis iuniores, est omnia præter sententiam ventura iuxta illorum vultum. Sed si viuant, & iuniores nobis videantur, prærepturum filium habenas illis significat: plerumque tamen faustum, & anti qu atas spes renouandas.

Frater autem quasi ferè alter, teipsum, & amicum, & quicquid affine tibi est, significat. Potest & sororem demonstrare, propter affinitatem, ἀδελφὸς: & ἀδελφὴ: & significat rem veram & propriam. Germanum enim esse: id est, fratrem, & verum, non fictum, neque adulterinum, dicimus. Triplex, vt in parentibus, gemina tantùm, differentia est: Qui sunt, qui non sunt, qui fuerunt, id est, mortui sunt. Mortuos videre fratres significatum idem habet quod de patre & filio: sed & mater intercedit: quoniam ex vtroque parente genitus est tecum, sed si ex vno tantùm, minus efficax erit oraculum. Soror fratrem eadem ratione significat: omnia etiam quæ frater, sed minora & mitiora. Soror peculiariter significat separationem & diuisionem, ab etymo nominis sui. Significat mammas & nates: quoniam geminæ sunt, & fœmineo sexu differantur: vt etiam suras & manus: frater autem testes, eadem ratione pedes, oculos & brachia: vt ergo afficientur illi, vel vnum eorum, ita & membra hæc, vel vnum ex iis. Et ita pater caput significat, & genitale: nam ipsum generat, vt pater. Mater autem vterum: quia in se concipit: & liguam, quæ fœmineo sexu est, & capiti coniuncta paret: cumque fratres & sorores, vt dixi, trifariam videri possint, & singulis modis viui aut mortui, fient vtrique sex modi: sed præsentes obseruare non decet: nam si sint, somnium est ironicum: quoniam quid attinet scire ab eo qui

præsens est, per somnum, quòd longè melius scire possum à vigilante? Propterea ad somniorum genus alterum pertinet, quod ex memoria præcedentium actionum, affectionum, cogitationumque oritur. Si verò absentes, ad idolum. At de idolis quæ per se nota sunt, licet longè rariora, hîc non est tractatio: nam idola & somnia in eodem genere sunt: sed idola, vt diximus, absoluta sunt & perfecta: somnia verò, prognostica imperfecta: vt ergo in gemmis, arboribus, animalibus quadrupedibus, hominibus pro vno perfecto mille sunt imperfecta: ita etiam in somniis: imò vt in rebus neque inter centum millia vnum est cui nihil desit, in quouis genere: quanto minus in somniis, quorum generatio fermè prodigiosa est? At mors eorum qui sunt, aut quos non habuisti, proculdubio auxilium singulare tibi defecturum prædicit. Si autem mortui ferè sint, & tecum loquantur, aut aliquid agant, obseruandum est quales dum viuerent erga te essent: nam hostes nihil boni significant. Si enim minantur, obsunt: si blandiantur, decipiunt. At si, quod plerunque contingit, te non odorant, qualescunque sint, monitis illorum, ni absurda sint parere & credere oportet. At si absurda doceant hi, aut parentes, aut amici, vel filij, quod tamen rarò admodum accidit, rei repetitio statuenda est: aliter, cùm non sit verisimile defecturos in monitione qui chari sint, aut interpretanda erit, aut deploranda. Persæpè enim non licet amicis manifestare, nisi sub ænigmate: vt Demetrius Mithridati: quæ ventura sunt, nonnunquam significatur ita tacitè, vt solum nouisse videantur: hoc autem non amicorum est. Rursus siletur nomen rei, & euentus tegitur, cùm res necessaria fatis vrgentibus prædicitur. Tumque amici est, mitiore modo id declarare: quamobrem id totum sic se habet. Itaque videre aut audire ab amicis quæ non intelligere possis, infortunij est signum. Sed quid si læti sint; non enim verisimile est lætari amicorum calamitatibus: tunc ergo futuram rem nunciant bonam, aut non omnino malam: velut mortem, quæ morituro mala videtur, non fratri forsan, aut parenti. Fratres quoque inimicos significant: quoniam partem bonorum auferunt: & iuxta illud:

Tanta est discordia fratrum.

Non tamen semper, vt dictum est alias, in omnibus, sed conuenienti modo. Ergo sepelire fratrem, est inimicum mortuum videre aut liberari à contentione & lite.

Vxor animam & artem propriè significat, tum ob dilectionem, tum coniunctionem, tum frequentem conuersationem. Et cùm vxor parit filium, pulchrum opus edet in arte. Nuptias celebrare mortis signum est. Sed si filios habeat, aut filias, aut in vtero, nuptias filiorum portendit: ideò prægnanti bonum est. Nonnunquam celebrare nuptias cum alio, aliáue, diuortium & separationem à coniuge significat. Sunt autem, vt dixi, modi generales, aut cum habeas, videri habere, aut non habere: aut cum mortua fuerit, aut cum non habeas: eademautem est ratio mulieri de marito, quæ marito de vxore. Exosculari ab vxore, est vtilitatem ex arte capere. Vxor etiam ostendit equum: illi enim incumbimus. Vxores plures habere, est concubinas habere aut Mahumetanum fieri: illi enim plures ducunt vxores, aut pluribus artibus operam dare. Nuptias celebrare significat vsuram amicorum opera ob necessitatem: quod si eis in mensa ministrauerit, cùm eorum iactura id erit. Quod si cantus & musica modulatio adsit, erunt lachrymæ & suspiria. Attamē si cum lumine candelarum ac cereorum fiat, vel pōpam funebrem, aut magistratum significabit. Etsi plures vocauerit conuiuas, nec tum adsint, benefaciet pluribus amicis. Quod si in conuiuio adsint vngueta & odores boni, causa beneficiorum erga amicos laudabitur. Et si vinum dulce illis exhibeat, solabitur & adiuuabit illos. Et si cū vxore nuperducta concūbere non potest, frustrabitur voto suo. Et si mortua vxor resurgere videatur, noua cura per totam vitam eum exagitabit. Et si mortuæ vxori aliam superinducere videatur, erit domus tota in contentione: maximè si ex prima filios susceperit, aut suscepisse visus sit. Et si vxorem non habens, habere videatur, significat nonnunquam auxilium. Et si habens, non habere videatur significat molestiæ aut rei charissimæ ablationem. Vxores plures habere, plurimas molestias ostendit: quoniam vxores plures habere non licet: id verò erit cum infamia. Vxorem dimittere, cum ea diuortium facere, alienari ab ea, est artis exercitationem relinquere. Vxorem ducere aliena forma, aut habere, aut filium, quod ad subiectum attinet, idolum est: forma autem, vt mores, aut fortuna eorum eiusmodi erit: velut vxorem virum habere: erit autem sterilis, aut viro dominari volet. Si autē lapidea sit, sensu carebit: si vacca vel scrofa, meretrix. Vxorem ducere, est etiam phratriam ingredi: vtrunque enim perpetuum est, & à nobis separari nequit. Amittere vxorem, est amittere annulum: quoniam vxores annulis donare solemus. Si mortua vxor resurrexisse videatur, inde denuò mori, significat filium aut filiam ex ea susceptam interituram. Quod si filium non suscepisti, nec filiam, res à qua liberatum existimabas, rursus te torquebit, & rursus ab ea liberaberis. Si vxorem habens cœlebs videatur, aut ad idolum referendum erit: aut si artifex sis ditatus, relinquens artem: aut multitudinem amicorum significabit: nam cœlibes à multis coli solent.

Filius significat genitale, cor, oculos, puerum etiam alium. Cum quadam nocte vidissem filium meum quadrimum creuisse in immensam magnitudinem, sequenti die oblatus est mihi puer XII. annorum quouis puero XVI. annorum maior. Filius à φίλος Græcè dicitur, quod est amicus: propterea significat amicos, & omnes delicias: & filia, propius φιλία, & concordiam, reconciliationem, fauorem studiumque significat. Sed & semen, genituram, coitum, stirpemque propter γόνον: & genua etiam, propter affinitatem nominis. Et rursus puerum, iuuenem, ramum, satietatem: propter κόρος: & nigrum ac purum, ob κορὸς, graui cum accentu: & famulū, vel impubem pupillum

pupillumue, aut infātē propter παῖς: & partū, à τέκος: & pignus, atque artem, & catulum, τέκνον: & nepotem, & adoptatum, ab υἱός. Ergo tot ſignificare oportet, vel quia nomen illius ab aliena lingua deriuatur, vel quia nomen eius in aliena lingua illa alia ſignificat, vel etiam propter propinquitatem & etymon. Sed etymo vtimur in omnibus interpretationibus aut aliarum linguarum, & deductionib. niſi in iis qui illarum linguarum periti ſunt: vnde hic maternam, Latinam ac Græcam, tanquam magis familiares & communes propoſuimus. Eadem autem erit ratio Hebræis & Germanis, vt in ſua lingua deducant & ab etymo ſumant interpretationem: nam ſi iuxta interpretis ſcientiam & linguarum peritiam deduci poſſent, ad omnes linguas confugere liceret. At linguas eſſe, fuiſſe, futuráſque infinitas, demonſtrauimus in lib. de Arcanis æternitatis: atque ſingula ſingulis demonſtrari poſſe nominib. vt bos aliquando canem ſignificaturus ſit. Itaque ſcientia hæc, ſcientia non eſſet: at eſt & ſomnia vt gemmæ, quarum quædam ſunt veræ, quedam falſæ: ita ſomniorum genus (vt dixi) totum ex falſis veriſque permiſtum eſt. Concumbere cum filio, mortem illius aut abdicationem ſignificat: eſt enim omnino contra naturam: & corruptionem vocamus ſeminis emiſſionem. Si verò ſemen emittere non videatur, abominanda perpetrabit. Deoſculari filiam veneris gratia, benefacere amico impotentiori: neque enim adeò abſurdum eſt concumbere cum filia, vt cum filio: nec deoſculari amoris cauſa, vt concumbere: filius autem & filia non ſolum amorem ex nomine Græco ſignificant, φίλος, ſed ex natura ipſa rei: ideo hæc noticia eſt apud omnes gentes velut actus primus, qui deducitur ad ſecundum: at noticia nominis Græci aut Latini non eſt nec in actu primo, nec ſecundo, niſi apud eum qui didicit illam. Quemadmodum ergo ſcimus mouere muſculos ad quemcunque ſitum ac motum membri cuiuſuis, nec tamen ſcimus quo faciamus: ita nota naturæ ſignificationem ſuam retinent in ſomno: quia à caſa naturæ imperante oriuntur, licet non ſciamus illa. Quòd verò ex nominibus ipſis originem ducunt, nullam habent cauſam huius originis, niſi voluntatem & comſenſum hominum, qui cum aſſiduè permutetur, infinitum euadere neceſſe eſt: at infiniti nullam eſſe diſciplinam, nulla præcepta, palam eſt: tamen minus inconſtantis: quæ autem ſecundum naturam, & ſi plurima ſint, ad pauca reduci poſſunt per ordinem, imò tamdem ad vnum, vt in lib. De vno docui. Quæ igitur ſecundum naturam ſignificant, interpretationem iuxta ſolertiam non ſomniantis, ſed vatis ipſius ſortiuntur. Filij ſignificant curas, ex regula generali tradita, quod quam bonum ſignificant, contrarium etiam ſignificant, ſi in malam partem accipiantur. Filios inuicem pugnare, eſt negotium tractare difficillimum, adeò vt neſcias quod velis: filios ferre humeris, eſt tolerare illorum improbitatem. Reliqua ex ſimilib. Flentes tamen filios videre, magnum patri denunciat infortunium. Eſſe ſine filiis, nec triſtari, bonum eſt: nam ſignificat abundantiam omnium rerum.

Agnati ſignificant res ad patrem pertinentes, & ex eo originem ducentes, & cognati à matre, & affines ab vxore: vel fratris aut filiorum, vel patris vxoribus. Neque abſurdum eſt, animas noſtras puriores facta coniunctorum cognoſcere, cum etiam idem accidat in vigilia: pleriqne enim norunt ſuorum negotia melius quam illi ipſi. Sed in ſomnis alia ratione: ob id enim quoniam animam habent illuſtriorem, aut puriorem. Superiores in omni genere patrui magni, materteræ, patrui, ſoceri, ſocrus, potentiores aut ſeniores amicos oſtendunt: vt contrà minores, nepotes ex fratribus aut ſororibus. Aequales aunt, amitini, conſobrini, patrueles, conſoceri. Horum proprium eſt, de nuru & filio vel genero filiaque aliquid ſignificare. Differunt à parentibus ij omnes, ac filiis: quoniam nihil ſyncerum ſignificant. Differunt etiam ab amicis, notis, familiarib. atque domeſticis: quoniam res ſignificant quæ ex coniunctione ſanguinis pendent: vt lites, diuiſionem bonorum, eorunque diſpenſationem ac diſtributionem, & comes conſanguineos. Bonum eſt, ac magis propitium, eos videre qui curam tui geſſerunt dum viuerent, & qui hæreditatis partem tibi reliquerunt, & qui ſine filiis obiêre. Magnum enim videri debet, eum qui filios reliquerit, illorum cura omiſſa, tui agere. Quod ſi contingat vel etiā in quibuſcunque oportet cōſiderare, quomodo anteaerga te affectus fuerit & qualib. morib. vbi habitauerit, & vbi & cum quib. verſatus, & quib. in rebus fuerit. Quod ſi nihil poſſis conijcere, recurre ad nominum interpretationem: velut volens honorem egregium repræſentare, coronæ nomine Græcè, quod eius linguæ non ſis imperitus, oſtendit: vocatur autē corona Græcè στέφανος: ſubiicitur huic nomini (exempli gratia) ſororius tuus: tu ſororium vides: quoniam illum huic nomini anima ſubiecit: ita nulla facta mentione coronæ, viſio ſorori- ingentem gloriam decernit. Agnati enim cauſa bonorum mali ſunt: quoniam cum huiuſmodi litigare ſolemus cauſa in honorum boni: at cognati in cauſa honorum non ſunt adeò vtiles, magis tamen fauent ſaluti. Affines verò omnibus in cauſis ſunt meliores. Cntrahere cum ſorore aut conſanguinea matrimonium, cœlibatum ſignificat. Videre ſe pluribus conſanguineis ſeptum, calamitatem magnam nunciat, aut nuptias: in iis enim & luctu & magnis infortuniis ſolemus à conſanguineis circundari. Agnati pauci, aut ſinguli, lites ſignificant. Agnati ſignificant naſum, oculos, labra, dentes, oſſa, neruos: cognati autem, carnem & ſanguinem: affines verò, vngues, capillos, quia adnaſcuntur, item membra genitalia. Conſoceri ſignificant magna negotia, & grauia, & prudenter tractata. Coſanguineos nigra veſte indutos, aut alba, moriturum aliquem ex iis ſignificat: & ad te etiam pertinere poteſt: hoc quidem, quia mortui pauperes ſic efferuntur: illud, quia coniuncti ſic in luctu induuntur. Eadem aliis lugubribus ſignis decernuntur.

decernuntur. Actiones consanguineorum seniorum persæpe docent quid opus sit tibi agere: consanguinei omnes significant dentes. Affines etiam, sunt ministri artis. Et concubitus cum affinibus alicuius, significat inimicitias cum illo, atque iniuriam illatam ab eo qui concumbet.

In domesticis eadem ratio, quæ in coniunctis & amicis, habenda est: medium enim possident locum: quod si quid ex memória præteritorum, quod & in aliis dictum velim, oriatur, proculdubio ad mentis affectum referendum est. Solemus tamen & in iis melius persæpè per somnum quàm per vigiliam præuidere: quòd minus ab affectibus teneamur, & à sensibus distrahamur: vnde etiam minimum dolorem per somnum, tanquam rem magnam & grauem, percipimus. Itaque solers anima, quandoque etiam melius per somnum exitum rei: vt minus impedita præuidet, quàm per vigiliam: vt neque hoc secundum genus somniorum sit ex toto vanum, sed tamen non adeò certum vt quartum: tertio sanè fermè par. Causa tamen erroris, si qua est (vt homo falsa à veris distinguere queat, & indicia recta ab erroribus) est, cum aliqua in parte per somnum res maior videtur, aut magis timenda, aut maiore cum spe, vtilitate, facilitate, quàm sit: tunc falsum redditur somnij iudicium.

Cæterùm de domesticis, vt retulimus, ratio media inter amicos & coniunctos generaliter haberi debet. Specialiter autem sic definiemus. Prodromus significat anticipationem negotij: hæc autem vel errorem vel celeritatem exitus denunciat. Dispensator significat alienam negotiorum tractationem, cum solicitudine. Qui est à libellis, significat res secretas & occultas tractaturum. Cubicularij significant morbum & pericula: iis enim vtimur, cùm malè quoquo modo valemus. Procurator significat paupertatem: eo enim maximè vtimur, cum pecuniis indigemus. Qui à pedibus sunt, iter & inimicitias portendunt. Siue ergo quis in aliena domo se talem factum existimet, quod deterius est, siue suos aliquid agentes videat, eadem significantur. Porrò cùm ad corpus comparantur, prodromus pedes, dispensator viscera, procurator manus: cubicularij ventriculum, pulmonem, iecur: qui à libellis est, cor, cerebrumque significant. Qui à pedibus sunt, partes exteriores, quæ nos tutantur, Cocus, dolores & curas: quia ab igne vritur, iuxta Poëticum illud: Cor vrunt curæ. Et ex membris palatum & gulam, os & dentes. Calanes autem vesicam & anum, & viles ac turpes humilesque actiones. Famuli qui parant mensam, & laborant, humeros & actiones necessarias. Qui verò voluptatem exhibent, vt aucupes, mimi, scurræ, pueri pudenda. Domestici omnes, pro illorum diuersitate & muniis dentes significant: vt dentes, domesticos.

CAPVT LXIV.

De notis.

AMici, curas significant: inimici, pericula & molestias: familiares, labores & iacturas, nonnunquam vtilitatem. Amicorum monitis & prædictionibus fidem adhibere debemus, iuxta illorum prudentiam: narrationi autem plenam habere decet. Inimicorum monitis credendum non est, neque historiæ, nec prædictioni: sed duntaxat monitis, quæ suis dicunt. Inimicorum loco significantur omnes nostri animi perturbationes: sensus quoque, & agnati, vt serui, & famuli, ac voluptates ipsæ, & filij in opulentis, & artis eiusdem professores. Amicorum autem loco, æmuli, ratio morbi, paupertas, studia, labores, nummi, prædia. Familiarium, mors, inuidi, & qui ex ordine versantur in domo tua. Medici, sacerdos, viciniæ, pistor, geruli. Vnum videre amicum bonum est, auxiliatur enim amicus: plures autem malum: conueniunt enim non nisi in magnis calamitatibus aut nuptiis: hac igitur solum feliciter significare possunt. Plures vnum post alium videre amicos, magnum periculum aut dignitatem ostendit. Vnum videre inimicum, malum: plures autem simul iunctos, bonum. Solent enim congregari in magnis inimici felicitatibus. Familiarium ratio eadem est, quæ & amicorum, sed minus efficax. Amicos discurrentes videre, periculum præsagit, aut iacturam magnam: inimicos autem, bonum: spem enim tibi magnam futuri boni, aut potentiam declarant.

Amicam videre mulierem, & honestam, hortantem ad virtutem, paupertatem significat, in qua diu manebis. Amicum videre similibus indutum vestibus significat æmulum. Amicum equo insidentem videre, ac illum moderantem, bonum est: ratione enim vteris, & feliciter tibi eueniet. Amicum te prementem videre, est morbo premi, à quo sis euasurus, & quem bene feras. Premi ab inimico, est morbo quem molestè feras detineri, & periclitari de vita. Amicum videre cogitantem, & pallidum, significat studium tuum futurum assiduum circa rem aliquam. Amicus sedens & defatigatus, aut sudore perfusus, laborem significat. Amicum videre in arca, vel occultatum in domo, vel splendidis vestibus ornatum, lucrum & diuitias ac nummos significat. Si verò amicum spicis ornatum, aut pampinis vitium, aut in horreo, prædium vtile & fœcundum promittit.

Inimicum videre nos prementem, est à perturbatione vinci. Et si lædaris, etiã perturbatione victus admittes aliquid mali. Inimicum videre blandientem, est à sensu deceptum aliquid damni aut periculi pati. Inimicum videre tecum litigantem, aut in speculo illius effigiem inspicere, erit cum agnato litigare, Inimicum videre sibi prorsus similem, est à filio improbo decipi, vexari aut lædi. Inimicum videre tuis indutum vestibus, aut similibus, est contra aliquem tuæ artis pugnare aut litigare. Inimicum videre solicitantem

te

te ad libidinem, aut mastuprantem te, aut fœdius aliquid tecum committentem, est propter voluptatem quippiam turpissimè admittere, cuius causa pœniteat te. Inimicum videre ingredientem & egredientem è domo tua, aut epulantem in domo, est pati insidias ac pericula à seruis aut famulis.

Familiarem videre cum falce, aut arcu ac sagittis venientem ad te, nec quicquam dicentem, aut solum vocantem te, mortem proximam significat. Familiarem inspicere macilentum, pallidum, ac oculis lachrymosis, est inuidum aliquem eadem quæ illum agere videris peragere. Familiarem videre visentem te in lecto, aut longa veste indutum, significat medicum tuum. Familiarem videre deum aut diuum aliquem, aut horum habitu, aut sacra tractantem, aut sacra tibi ministrantem, significat sacerdotem. Obserua igitur quid pòst agat, & talia ab illo patieris. Semper enim aut plerunque in actionibus diuersis illud præ oculis habendum, quod priores significant, quod significatur, & posteriores personæ qualitatem, aut contrà. Velut video familiarem meum panes tractantem, inde auferentem vestem, dicam pistorem infamia me aspersurum. Neque necesse est vt sit ille tuus pistor, sed qualiscunque. Familiarem quoque videre placentas tibi dantem, pistorem significat: at laceris vestibus & pannosum, gerulum.

Amici inimicis permisti, aut amicos inimicos futuros, aut inimicos amicos: aut amicos esse falsos, vel frustra illos pro inimicis haberi significat, aut varium successum. Inimicos exosculari, maioris inimicitiæ indicium est.

Creditorẽ videre qui à te exigat debitum, mortem significat: vt etiam inferiùs docebo: nam seu Deus quæ mandauit, vt rationem eorum reddas, seu natura corporeum hoc indumentum ambo interitum significant.

Homines quoque noti, nec consanguinei, nec familiares, nec amici nec inimici, nec domestici, sed vt vicini & magistratus, famam publicam nunciant non certò ita esse. Qui nec amicus est, nec inimicus, is ab incognito differt: quoniam in his quæ ad historiam pertinet, fidem habet, sed nec plenam: in monitis autem vel prædictione vim non habet: neque enim prudens quisquam solum tibi cognito rem magnam referendam committit at incognitus, & Deum & vitam, & mortuum & dæmonem & amicum & inimicum, & eum qui nunc incognitus est, aliquando autem fiet cognitus, referre potest: quapropter incogniti & fallere & vera dicere possunt, pro ratione personarum: eorum qui ad te non attinent, verba parum habent fidei: Noti, interrogationis vice habenda est ratio vt, ægrotat frater tuus? Sed iam pro personarum differentia res ipsas distinguamus.

Noti, qui nec amici sunt, nec inimici, nec consanguinei, nec familiares, nec domestici, sunt vicini primùm, inde amici vel inimici tuorum, & inimici reconciliati, & amici qui ab amicitia tua recesserunt, & qui ambiunt tuam amicitiam, & quorum opera aliquãdo vsus es, & quia tua opera aliquando vsi sunt, & salutatores, & magistratus, & qui in foro manent, & qui notati sunt ignominia, & qui præclaro facto innotuerunt, & sacerdotes consueti templi, & qui eandem exercent quam tu artem, & coniuncti amicorum aut inimicorum tuorum. Rustici autem nostri pro familiaribus, non pro notis habendi sunt. Vicini ergo res pro fama notas ostendunt. Amici autem tuorum vel inimici eadem quæ amici vel inimici tui, sed non adeò certè, ostendunt: aderit autem aliquid etiam medio illorum coniunctorum, & iuxta eorum naturam: vt si fratrem habes parum prudentem, sed leuem, parum aut nihil amicis illius tribuendum erit: sed pro nugis & inani fama, quæ egerit aut dixerit, habenda sunt.

Amici reconciliati, dolum aut adulationem ac vanam spem significant. Amici qui ampliùs amici non sunt, dissolutionem alicuius rei gratæ atque iucundæ minantur. Qui verò ambiunt tuam amicitiam, ij falsam spem, adulationem, leuemque vtilitatem prædicunt. Ii quorum opera aliquando vsus es, si eos deseruisti, vanam spem & dolum significant: si cùm opus est eis vteris, vtilitatem raram ostendunt. Qui verò opera tua aliquando vsi sunt, nec te deseruerunt, beneficium in aliquem non satis certa ratione collaturum declarant: si deseruerunt, indignationem. Salutatores, longinquas spes & fabulosam negociationem: vnde cauere oportet, ne irridearis. Magistratus, timores periculaque atque anxietatem etiam decernunt, cùm noti solum fuerint: nam qui te nouit, nec amicus est, deterior est eo qui te non nouit. Qui in foro manent, rumorem vulgi & publicam infamiam designant. At notati ignominia, malum rerum exitum decernunt: sicut contra præclaris facti noti, egregia cœpta & cogitationes: quæ tamen nisi auxilium ab aliis somniis sortiantur, incassum cadunt. Sacerdotes rem legitimam, & tamen parùm faustam decernunt: quoniam plerunque ad calamitatem aduentum vocantur. Qui eandem exercent artem quàm tu, inuidiam & insidias notant: quandoque, quæ illis euenient. Coniuncti quoque amicorum & inimicorum tuorum, eadem pene quæ amici vel inimici tuorum coniunctorum. Semper autem tum in his, tum in aliis, habenda est ratio morum personæ illius, ac potentiæ, tum imminentium tibi bonorum aut malorum, aut eorum quæ animo conceperis. Coloni, vtilia negocia aut necessaria ostendunt.

Hæc igitur sic dicta sint, cùm aliqua breuissimè tradiderim, vt prolixitati parcerem, præclarisque ingeniis tædium non afferrem: alia autem, qualia hic diffusè: vt non solùm intelligerentur hæc, sed & omnia ad eandem normam retracta: ita libros hos & actu breues, & potestate immensos effecimus.

CAPVT

CAPVT XLV.

De incognitis

IN cognitæ personæ duo significant : aut enim animi passiones, aut personas, quæ non nisi perfecto somnio innotescent: velut si quis filium occideret, inimicum illum esse existimans. Animi ergo perturbationes habentibus sunt incognitæ, & nos mouent, negociumque cum illis est non secus ac cum hominibus aliis: & masculi significant perturbationes corporis, & actiuas, vt amare, odisse, irasci lætari: fœminæ autem, animam, & affectus passiuos. Anima enim apud Latinos, Græcos, Italos, sub fœminino genere profertur: corpus quasi masculino, quamuis & Græcè & Latinè sub neutro articulo varietur. Sunt autem passiuæ perturbationes, dolere, tristari, timere, inuidere. Sermones cum incognitis, sunt vmbræ rerum, ac spes inanes, atque suspiciones. Verùm actiones pro successibus habendæ sunt. Ideo contigit, quod quidam cùm adhæsisset Principi, prima nocte quia in illius domum receptus est, visus est interrogare ignotum, quid illi ex huiusmodi seruitute sperandum esset? cui ille, cum Nerone positus es, respondit. Sciscitatus est à me, quid portenderet? respondi, infecta re exibis è domo: interim cum spe vt diteris, & timore ne te occidat, viues: talis enim Nero fuit: nihil autem eorum continget: quoniam responsum est incogniti: cùm ergo nec ille te ditaturus sit, nec tu securus viues, necesse est breui amicitiam dirimi. In longo enim tempore aliquid præter suspicionem contingere oportet. Incogniti reges potentesque viri declarant maximos in nobis affectus: ij sunt timor & spes: quibus proxima sunt mœror & lætitia: hæc enim sunt eorum quæ sunt; illa eorum etiam quæ esse non possunt, ideo infinita.

Est etiam incognitum futurum, quodcunque præteritum cognitum: quod verò habetur pro indifferenti: id est, de quo nihil tale cogitamus, est præsens. Videre ergo homines incognitos, incognitam vrbem, talia erunt vitæ tuæ futuræ spacia, læta, tristia, felicia infelicia, commoda incommoda, laboriosa mollia. Incogniti fructus opera tua, aut eorum compensatio. Nascituri ergo ex te, etiam pro incognitis habendi suut. Opprimi ab incognitis, est consiliis hominum decipi atque succumbere. Incogniti etiam actiones referre possunt veluti adulterium vxoris, furtum domestici: hæc enim tibi ignota cùm sint, sub persona incogniti referuntur: Actiones enim per homines significari possunt: velut est in prouerbio: Res ipsa loquitur.

Obsoleta quoque & vetusta, incognitorum personarum sub specie referuntur. Significat & incognitus eum in quo deciperis, scilicet perfidum amicum, & eum qui cùm tibi amicus sit, inimicum esse existimas. Quoniam verò incognitum ad cognitum semper deducere necessarium est, non solùm in genere, sed etiam in specie (aliter inutilis esset huiusmodi doctrina) ideo ad sex hæc respicere oportet: formam, habitum, locum, socios, actiones, ac verba quidem declarant persæpe ad quem pertinent, quisve auctor sit: locus maximam vim habet, vt vel eorum quæ ibi gesta sunt, memoria cognoscamus, de quo agitur: actiones etiam multum faciunt ad declarandum quid sit de quo agitur (tria enim plerumque sunt de quibus quæritur, quis, quid, à quo) inde forma & habitus docent qualis sit: demum socij. Si enim ex iis aliquis prioribus ex coniecturis agnitus sit, deducet nos in cognitionem principalis. Considera etiam ætatem, sexum, vultum, ac reliqua. Quod si tandem nihil offertur, exitum rei potius significari quàm prohiberi intellige, vt non nisi malum præsagiat.

CAPVT LXVI.

De Regibus & Principibus.

TYranni significant plerumque affectus vtiliores animi, amorem, metum, spem magnam, & ex rebus casum: vxores, filiæ, sorores, amasias, matres, tyrannorum fortunam, & voluptatem, ac spem etiam, sed inanem. Tyrannus, sed non sub tyranni cognitione, violentum & potentem inimicum ostendit: vt si Phalaridem videam, nec de illo cogitem quod sit tyrannus. Rex autem significat legem, vsum: & si potens sit, regulum quempiam. Deum significare non potest: quia cum illo nobis nihil est: aut si est, ignotum est. Regina, & filia regis, & vxor regis, & amasia, fortunam, sapientiam, legem etiam, & religionem significant: ab omnibus enim iis regimur, sed & Rempublicam: hæc enim Regi intima est, vt quæ diximus mulieres & fœminino sub sexu comprehendi. Regnare sibi videri, mortem publicam etiam nunciat: quoniam cum pompa ducuntur qui sic moriuntur, & à stipatoribus more regum cinguntur. Significat & priuationem affinium: quoniam insociabile est regnum, & occulta reuelat: nam reges in oculis sunt omnium. Bonum est seruo, libertatem enim significat: & philosopho: quoniam liberè viuet. Aegro mortem portendit: nemini enim subiecti sunt mortui, Significat & res plublicam pecuniam: quoniam in ea imago apparet. Quidam accipiens ex ore regis duos dentes, duabus sententiis à Rege latis victor euasit. Alius cùm videretur centurio à Rege factus, centum epistolas regias accepit. Alius argentei templi præfectus factus videbatur, & factus est dispensator regiæ pecuniæ.

Cum Pontifice esse, vel Cæsare, vel Rege, vel principe, significat seruitutem: vt etiam carceres: nam qui huiusmodi seruiunt viris, quasi in seruitute & carcere sunt: carceres tamen non significant blandientes, sed solùm seruitutem cum spe. Interest autem

inter

inter Pontificem ac Cæsarem, & alios principes: quod Pontificum potentia abest à vitæ periculo: quoniam quatenus sacerdotio præditi sunt, neminem occidere fas est: non tamen adeo securæ sunt expectationes ex illis. Cum tyranno esse, molestiam, timorem, seruitutem, carceres, morbos, paupertatemque significat: omnia enim talia in nos tyrannidem exercent. Cùm Pontifice etiam esse, est cum maiore respectu & timore viuere. Significat etiam cultum religionis, & studia pia: talis enim est institutio illius supremæ pietatis. Sacerdotibus Pontifex maximus fortunam illorum significat: quæ talis erit erga illos, quales videbuntur eorum vultus. Principem iratum sibi videre, malum est omnibus, præsertim tamen subditis. Regem dominari, significat securitatem, mori autem, præsidio magno destitui. Regem adorare, est religonem venerari, ac Deum. Rex quoque significat animum nostrum, qui corpus regat, & nobis imperet. Vnde Regem captum videre mortuum in obscuro loco, & inter nebulas, significat mentis casum, & decedere ex sensu. Duos reges videre, oculos semper significat: vnum autem, quandoque vnum: quicquid patietur Rex, patietur & oculus tuus. Quæcunque etiam propria sunt natura, minus verenda sunt: vnde pauperi videre regem, aliquando mortem publicam nunciat: quid enim pauperi cum Rege? diuiti autem melius est.

Duo præcipuè in hoc obseruanda sunt: commutatio, & esse cum illis. Esse quidem non malum est, & ad vultum ac verba eorum respicere oportet, at commutatio sanè periculosa est: quoniam non conuenit priuatis. Optima est iis qui commutare personas solent: nec tamen bona absolutè: huiusmodi sunt Poetæ, Comœdi, & scenicæ personæ, moriones & mimi. Deterrima est, cùm fuerit cum vestibus absonis: supplicium enim capitale significat.

Pontificum, regum, Cæsaris, principum dicta, pro veris habenda sunt. Et si vera sic esse non possint, interpretatione indigent tali, qualem superiùs te docui. Propterea cùm Rex significet, vt dixi, præcipuè quatuor, legem, vsum seu consuetudinem, animum, & regulum quempiam aut supremum magistratum, distinguere oportet iuxta coniunctas affectiones etiam ipsas res: velut si absurda facientem videris regem, hoc ad animum magis tuum pertinet, quàm ad magistratum, legem vel consuetudinem. Quòd si violentum aliquid agat, ad consuetudinem vel principem aliquem: quod si vinciri, cogi, iuberi, certa ratione ad legem hoc potiùs pertinebit. Quòd si basiari vel dormire, & quæ ad vtilitatem pertinent, hæc ad principem potiùs, quàm magistratum, qui raro donare solent.

Hoc habet Rex distinctum à priuato, seu noto seu ignoto, & à lege, cùm lex per aliud quàm per regem significatur, vt semper regi parere sit necesse, non recusare, non vincere, non subterfugere. Interest autem inter tyrannum & regem, quòd cùm vterque sit ineuitabilis atque insuperabilis, à tyranno iniusta, à rege iusta solum imperantur. Et quòd rex exorabilis est, & in pœnis mitior: tyrannus autem inexorabilis, non quia semper ita sit, sed quod ob id refertur per tyrannum, vt intelligamus quod proprietatem obseruare nos decet. Est tamen cùm actio vitiat naturam: veluti si deiicere regem è sede sua videaris, peruinces contra consuetudinem: & percutere conculcareque tyrannum, animi affectum tyrannicum superabis. Et si tyranno irascaris, non obedies affectui: postquam obedieris, pœnitebit. At si velis distinguere iratus tyranno, nec discedens & tristis, pœnitebit facti: at si lætus, aut discesseris conuiciis iactatis, effugies, flagitij actionem. Damnari in iudicio à principe, est vituperari: non adeò enim magnum est, vt à iudice: quoniam non est principis hoc proprium. Priuatas res à principe accipere, & principi proprias dare, vt pallium, coronam, ensem, sceptrum, bonum: contrà verò, malum.

CAPVT LXVII.

De Peregrinatione, nauigatione & naui.

PEregrinatio, mors est: peregrinari, mori: & præsertim si nesciat quo vadat, & si cum pluribus videatur esse, cum pluribus morietur, in bello, vel seditione, aut naufragio, vel pestilenti morbo: & hi qui adesse videbuntur, morientur. Nauigatio autem vitæ cursum significat, sicut etiam peregrinatio, in quibus mortem non prædicit. Nauigatio autem tranquillissimam aut laboriosissimam decernit, peregrinatio medium inter vtrunque. Nauigatio præterea pericula maiora peregrinationem significat. In peregrinatione multum refert, cum quibus & quo tempore: nam cum sociis & amicis sereno tempore, bona: contrà verò, mala. Si enim fuerint venti, erit periculum à latronibus & seditione: si pluuia, à morbo: si niues, frigus ab inopia necessariorum: si grando, à latronibus vexabitur, & malos caupones sortietur: si à montibus, dura, laboriosa, & metu plena erit peregrinatio: si lacus, flumina, torrentes, à potentibus viris, populis ac iudicibus.

Nauis malus, dominum domus significat: prora, ministros: puppis, amicos & auxiliatores carina, opes & pecunias: vela, fortunam: temones, consilium & prudentiam administrantium: anchoræ, reis securitatem: actores autem impediunt, & in negociis ea in longum valde protrahunt: rudentes, pacta & conuenta: rostra, decus negocij: venti & mare, publica monumenta in litibus, aliis autem in causis principes ac magistratus. Si in naui fueris, & ignem in ea videris, quacunque parte videris, manè ventos ex eadem expectabis: scopuli, & arenæ cumuli (sed hi minus) pericula in rebus agendis significant. Tum verò remi nautas, si in naui sint, significant: si non procuratores & ministros. Ministri nauis familiares tuos: Arma, actiones singulas,

singulas, & animi fortitudinem ac promptitudinem. Nauclerus autem, exitum rei ac finem. Nauis significat congregationem hominum, maritum & vxorem. Quicquid naui euenire videris, dum in illa te esse existimas, vxori eueniet: quicquid videbitur vxori, eodem modo tibi. Et si vxore careas, filiis: & quicquid de illis nauigantibus videris, vicissim tibi. Quòd si etiam filiis careas, loco illorum erit vicinia, collegium, aut amici vel consanguinei, dum modo congregationis speciem referant. Et si congregationi in naui ad te aliquid contingere videatur, tibi illa euenient. Et si nauis in sicco videatur vehi, difficultates & impedimenta maxima, ac labores. Qui nauigare videtur, semper erit inter timorem & expectationem: donec significatio somniis absoluta fuerit, fluctuabunt.

In quibuscunque locis videris esse, nec exitum inuenire, si loca incognita sint, aut publica, aut mortuis dicata, aut cum mortuis fueris, mortem significant. At si cœnosa, paludosa, spinosa, labores, damna & morbos. At si vitæ liberæ, apertæ, iucundæ, lætæ fuerint, nec difficiles: incolumitatem, felicitatem, & bona omnia cum alacritate promittunt. Generaliter autem exitum non inuenire, res est omnibus hominibus & in omnibus causis pessima ægrotanti mortem, litiganti oppressionem, iter acturo libertatem, seruo perpetuam aut saltem diuturnam seruitutem: quærenti, aut aliquid expectanti, irritum votum facit.

Peregrinationis differentiæ sunt ex parte modi: eques, in camelo, in asino, in elephante: pedibus, item ad orientem, occidentem, meridiem, boream: per deserta, culta & vrbes: solum cum socio, cum pluribus sociis. Cum socio, ille est genius tuus, quodcúque fecerit, dixerit, annuerit, deduxerit obseruato. Si quidem ille (vt alias dixi etiam pro ætatis ratione significationem mutat. Cum pluribus sociis, est vitam ac fortunam communem subire. Solum autem, vitam quandam peculiarem sibi seligere. Quocunque etiam perueneris, siue vrbs sit, seu mons aut flumen, at ibi quieueris, adnotabis nomen formamque: nam hæc erit vltima pars vitæ, & mors, sed si statim somnus soluatur, mors inopinata erit, iuxta significatum. Si ergo in solitudinem perueneris, morieris inter studia: si in vrbem, inter negociationes: si in montem, inter duros labores: si in villam, miserè & inops. Si ad flumen, vel in eo casu præripieris impeditus. Si ad mare, magna meditans. Si somnium non de longa, sed breui sit peregrinatione: negocia huiusmodi habebis, & per hæc genera transibis, non tamen in eis morieris. Per deserta si sit iter, erit cum inopia & metu: si per vrbes, cum turbatione & voluptate: per culta, cum securitate: in asino, lucri parui causa: in camelo, magni: in equo, honoris: in elephante, potestatis. Ad orientem cùm cogitaueris, cum incremento: ad occidentem, cum diminutionem & inclinationem: ad meridiem: cum debilitate: ad boream, cum robore.

Itinerum, non fatalium somnia quandoque cogitationes, quandoque negotiationes significant: propterea in itinere medio, aut ante finem interrumpi: est meditata non perfici: quòd si iter mutetur, negociatio quoque mutabitur, aut cogitatio & institutum. In vniuersum itinera cùm & cursum vitæ & mutationem ostendant, magnam vim in decretis hominum præ se ferunt. Si finem itineris honor exactus excipiat, aut boui insidens, aut capræ vel oui, vel sui seu arieti, iter ipsum agat, aut torque dum locum attigerit, donetur, aut spectaculum videat in sublimi loco positus, publicè peribit.

At vehi naui secundo flumine, valde tranquillam vitam significat vt contrà aduerso, laboriosissimam. In lacu nauigare, multam turbationem & paruum emolumentum prædicit. Nauigare in torente, est vitam malè tutis consiliis fidere. At contrà non naui, sed pelui aut ligno flumine secundo vehi, est consilio bene vti, sed deesse necessaria.

Eadem fermè ratio erit equitandi leonem: nam securè viuet: ceruum, semper in timore: draconem, ab omnibus timebitur: serpentem, cm difficultate vitam trahet, & sæpius à statu suo excidet. Equitare lupum, vitam ducet inter rapinas: equitare scelerum animalis, viuet ex opere circa mortuos, vt si sit vespilo, aut mortuorum curator, aut in perpetua tristicia & solitudine viuet.

Iter agere insidendo, aui generaliter malum est: quoniam & periculosum iter significat, & negocium non posse diu protrahi ostendit. Grypho tamen insidere, est potestatem regiam pauco tempore obtinere. Insidere anati, anseri, columbo, meticulosissimam vitam est agere: aquilæ verò, tutiorem & honorabilem: falconi & accipitri, minus: cygno, est operam dare poësi, ac disciplinæ quæ de diis tractat.

Sub terra iter agere, est secretis inquirendis tota vita intentum esse, aut obscuram & sordidam vitam ducere. Iter molestè agere, est ægrotare sæpe. Cauponæ in itinere, auxilia vitæ nostræ & bonos euentus, aut etiam malos significant. Caupones autem, consultores & fautores, & filiorum ortum, ac nuptias, & quæcunque sunt in quibus vita nostra renouari videtur.

CAPVT LXVIII.

De damnatione, exilio & carcere.

DAmnari in iudicio, mortem, aut magna mala, atque oppressionem ostendit, damnantur pœna pecuniaria & dedecore, exilio, verberibus, carcere, triremibus, deportati ad metalla, membri priuatione, morte, & morte in tormentis: horum vnum quodque aut simpliciter, aut iam vt ducantur ad pœnam. De singulis ergo dicendum est: generali primò regula tradita, quòd simplex damnatio est velut affectio: initium autem pœnæ, est velut actio, actio verò contrarium significat: affectio autem causam, & quasi in idolum transit: neque tamen semper hæc affectio,

affectio, cùm causam notam habeat, scilicet iudicis sententiam, idoli vim habet: nec initium actionis, cùm sit finis affectus transit in contrarium: sed cùm iam actio ad medium peruenerit, velut si damnatus ad laqueũ ductus fuerit vsque ad scalam. Hæc igitur iuxta quantitatem sunt interpretanda.

Cùm igitur ita sit, liquet oportere in huiusmodi euentum ex contrariis semper mistum esse lætitia atque tristitia. Quid ergo omnia hæc significabunt, quasi secundum vnam rationem? emolumentum quæsitum, & impetratum magna cura, solicitudine, laboribus, iactura rei, periculis, infamia, incommodis valetudinis, atque huiusmodi. Nihil autem deterius quàm damnatum, atque iam ad locum deductum, liberari: hoc enim post sumptus, labores, cæteraque huiusmodi, in cassum reditura omnia, non sine dedecore, significat: atque hæc generaliter.

Speciatim verò, pecuniaria pœna siue mulcta significat liberationem à cura & solicitudine, pro magnitudine ipsius pecuniæ: & præponi ærario, & inscribi seu ascribi pro magistratu vel munere: & conducere à fisco. Significat & iustum fore, integrum, honorabilem, non solùm ab ἐπιτιμία, communi nomine: sed quoniam qui mulctantur, ab omnibus conspiciuntur, & iusti efficiuntur absolutione: sed & magnum crimen admissurum nunciat, vel reum agi, ob verbum δίκη: significat & iacturam quamcunque magnam, cùm ad affectus causam refert.

Dedecore verò affici est honorem consequi, & magistratum: tum verò turpia facere, pro turpia pati, misericordia subleuari: est enim affectus & passio in contrario. Et si vinctus in publico sit, erit hoc ex dignitate vel officio publico: tales enim publicè alligati sunt. Et si in ornatu & vestibus, dignitate ornabitur.

Exilium significat damnationem capitis, amissionem ciuitatis, peregrinationem, absolutionem à muneribus, mortem coniunctorum, destructionem familiæ, ruinam domus, vxorem ducere alienigenam: in alia vrbe domum, aut agro prædium suum facere seu acquirere: carcerem etiam, & anathema.

Verbera significant morbos, luctum, commiserationem, lucrum præterea & beneficium. Quod si triremes significent, ad idolum imperfectum attinent. Si ex verberibus sanguis in terram fluat, expensas faciet publica causa.

Carcer verò morbos significat, & quietem à negociis: & si perpetuus sit, mortem significare potest, item studia literarum, vitam solitariam, consanguineorum & amicorum mortem: arcis præfecturam, aulam, magistratum: hi enim custodiuntur: & cancellis fori præfici, & in naui esse: nullus enim firmior carcer: peste quoque detineri.

Triremes nauigationem, piscationem, mercaturam, iter longinquum, publica alimenta, artem laboriosam, nec vnquam quiescentem, podagram: alligati enim sunt vtrique pedibus: adolescere & augeri, & quæcunque fiunt communibus laboribus vt fodere fossas, & aggere erigere in bello, quàuis magis remota.

Deportari ad metalla, est suos coniunctos mori, ipsumque hæredem institui. Mortem etiam significat: quoniam aliò ablegantur vincti, & sub terra manet. Sed & chymisticam artem: & secretorum inueniendorum anxiam curam decernit: præterea amissionem nominis, duram vitam, flagitiosamque cum studio rerum sordidarum. Catenatum autem ibi esse, impedimenta & fœdos amores. Cum pluribus, catena vna vinctum, amorem mutuum causa quæstus sordidi, aut scorti haud insignis.

Damnari ad membri amputationem siquidem manus cessabit ab arte, aut frater morietur, aut separabit se. Et si pes, res suæ reddentur inconstantes cum statu suo: auferetur que id in quo maximè fidebat: si oculos, abibit filius, aut morietur. Cùm enim priuationem significet, duplici modo ea fit. Et si dente mulctetur, priuabitur parte redditũum. Et si lingua, in lite succumbet, aut voluptate priuabitur, aut auctoritate. Et si vt tondeatur, damnabitur ad triremes, aut fiet sacerdos, aut magistratu priuabitur, si in eo fuerit. Et si testibus, auferentur omnes illius deliciæ, vitaque iucunda vsque ad mortem, & autoritas. Et si stigmata imprimantur in facie, fiet notus omnibus, & hoc ob insigne infortunium ac dolorem. Et si aures præcidantur, fiet infamis: & à studiis disciplinarum, si eis operam dare consueuerit, impedietur. Et si nasus, hoc est maximum infortunium, nisi semet in solitariam vitam redegerit.

Damnari pœna capitis, deterius est quàm vllo alio mortis genere: quoniam corpus minuitur, non seruata æqualitate: ideo significat amissionem dignitatis, auctoritatis, potentiæ, denique libertatis. Ad laqueum, est pendere animo, dignitatem aut ministerium consequi, supereminere aliis, laudari, inuidei. At strangulari in carcere, est prohiberi ne detegat: esse à secretis principis aut magistratus. Exuri autem, est ambitione oppleri, coli pro diuo, extolli ad sidera, magna pecunia ad nomen insigne ascendere.

Rotæ autem inseri, est sublimi loco formiter conspiciendum stare, ministros multos habere: non tamen liber erit: principalibus negociis se immiscebit. Palo transfigi, est inhærere lucro & spei, pueris obscœnum. In crate torreri, est quiescere inter curas opum, & in voluptates eas consummere. Diuidi in frusta, & appendi diuersis in locis, optimum est filios aut fratres multos habenti: illi enim in diuersas regiones migrabunt, constitutis locis, & famosi euadent. Serra diuidi, est paulatim ex vna domo atque familia duas facere: item plures habere seruos, ideo pauperibus bonum est, viuus vt in fouea sepeliatur damnari, est thesauris inuentis aut partis, totum in illorum cura esse, aut in studio arcanæ alicuius rei, vel impediri prorsus ab actionibus.

CAPVT LXIX.

Senarij authoris ignoti, ex Adriano Iunio.

ADieci hæc carmina, quòd aliquid præter ea quæ dicta sunt, continerent: & vt intelligeres, rationes superiùs traditas omnium qui de hac materia rectè senserunt, congruere. Porrò non hæc sola significari existimabit, sed apposita præcipua in singulis significata, & quæ frequentiùs euenire solent.

Celare noli somnium, quando liquidum est.
Pigrè moueri, semitam duram facit:
Actus secundat, somnies si currere.
Calcare prunas, noxiam signat grauem.
Botros edere, notat madores imbrium.
Ficus edere, cauilla scurrarum notat.
Molestias signat, vorare dulcia.
Comesa lactuca, indicat morbum grauem.
Oua edere, continereque, ostendit mala.
Si somnians ridebis, angor te premet:
Sed si fleas, repleberis tunc gaudiis.
Succendi ad iras, hoc acerbum est somnium.
Petræ insidens stabili, bonam spem contine.
Muro insidentem, sors secunda te manet.
Mulcta grauaberis, super stercore sedens.
Putoris omen, esse crede molestias.
Animæ inquinamentum notat, cœno infici.
Cœnosa peragrans, sentiet vitium ingeni.
Fons limpidus, mentem serenam denotat.
Potare limpidam, bonum omen prædicat.
Cœnosam aquam bibens, agit in angustiis.
Ebulliens aqua, perduelles nunciat.
Serenat animum vappidi potus meri:
Sopit dolores dolio exhaustum merum.
Vinum bibentem pugna te manet grauis.
Fluuius inundans, hostilem incursum notat.
Æquor serenum nare, faustum est somnium.
Æquor natare turbidum, angores notat.
Aurum tenere somnians, voto excides.
Clauos tenens, ab hoste periculum caue.
Iactura certa est, passer euolans manu:
Tenens columnam, numinis speres opem.
Votum obtinebis, si manu accipitrem premas.
Accipiter euolans, malum adfert principi.
Claues tenere, stabile fœdus indicat.
Remoram notant flagella torta vitium.
Se eluere totum, exterminat curas graues.
Abluere dextram, curarum fascem fugat.
Eluere plantas, diluit curas graues.
Latos pedes habere, portendit malum.
Viam ingredi nolito, succisso pede.
Inglorius eris, te vstulatum somnians.
Curis eris liber, necem si somnies.
Volare, successum rei lætum notat.
Præsagiunt pugnas hostiles, basia:
Aduersa sors portenditur præcipitio.
Se iacere pronum in fossam, signat tristia.
Est mysticum, cœlum videre voluier.

Aliter:

Currentem equi pullum videre, mysticum est.
Damnum ominare, si columbas videris.
Visi boues, sinistra portendunt mala.
Diram augurantur mortui pestem boues.
Visum cadauer, indicat necem grauem.
Est ominosa res, atros videre equos.
Albos equos videre, faustus nuncius.
Signant periculum ab hoste vesparum agmina.
Videre lumen, res loco in claro notat.
Pelagus quietum cernere, est omen bonum.
Fremitus maris, negociis turbas notat.
Albens caro, res auspicata est admodum.
Nigratio cutis, bonum nulli notat.
Canum latratus, hostium insultus notat.
Hostile conamen cadet, visa niue.
Omen bonum in somno est, amictus candidus.
At pulla vestis, curæ inanem non facit.
Purpurea vestis, non grauem morbum notat.
Rubens stola, euentus rerum felicitat.
Magnam foue spem, regia indutus stola.
Disrupta vestis, curarum fascem eximit.
Præcisa zona, celeriter expedit viam.
Damnum in negociis, coma obrasa indicat.
Discrimen ingens, crinium casus notat,
Tentus manu ensis, auguratur prælium.
Confringere enses, hostium stragis nota est.
Tonitrua somni nunciorum dicta sunt:
Qui se senem videt, manet eum dignitas.

LIBER



LIBER SECVNDVS

DE SOMNIIS, PROVT PROPRIIS differentiis distinguuntur.

CAPVT I.

Non posse hanc scientiam deduci ad exactam perfectionem, nec debere, ob tres causas: Fati repugnantiam. Exemplum aliarum scientiarum quæ diuinare docent, tum ob id quod est in ipsis de potentia: quia animæ essentia immortalis esse non potest, ratione eorum quæ sunt in actu: quodque tantum abest maximum, quantum minimum. Responsio ad Ciceronis obiecta.

NON est existimandum, quod multi tamen credunt, eam posse tradi de somniis doctrinam, quæ velut in Geometria aut medicina vel architectura, hominem, ad perfectam, exactam ac propriam cognitionem rei deducere queat: nam neque ratio primum fati id admittit. Si enim quæ ventura sunt, omnino ventura sunt, & perfecta intelligantur antequam ventura sint, duorum alterum euenire necesse erit: aut vt quæ ventura sint, certè non eueniant: aut vt nostra voluntas non libera sit: quorum vtrumque perabsurdum est. Nam non futurum esse quod futurum est: & quod liberum est, non esse liberum, omnino vt sic fieri non potest. Deinde quòd videamus omnes huiusmodi scientias quæ futura docent, Astrologiam, Physiognomiam, Metoposcopiam, Chiromantiam, non ad vltima peruenire: nec ita definire singula vt naturales solent, aut artifices. Verùm omnes hi circa generalia quædam subsistunt, nec vltrà progrediuntur: quoniam progredi nequeunt: nam si Venus benignitatem fortunæ pollicetur, & Mercurius studiorum & sapientiæ causa, cùm & studiorum innumera sint genera, & bonæ fortunæ etiam quòd Mars Ioui mistus medicinam significaret, adhuc ad hoc ipsum quod quæritur deficiendum penè infinitæ differentiæ cognoscendæ relinquuntur: cuiusmodi, qua in vrbe, cũ quo Principe, qua in medicinæ parte, quãdo, quantũ, ac reliqua huiusmodi. Verùm quod maius est his duobus impedimentum, est ipsa rerum natura, scilicet animæ & visorum, infinita: quæ enim videntur, viderique possunt, infinita sunt. Quomodo igitur infinitum, quãtumuis magnis libris ac multis concludetur? At verò anima, vt ad actum refertur, omnisque alia natura præter diuinam, finita est. Ob id aberrat Cicero toto tramite, existimans memoriam hanc tam grandem, vt illi videtur seu vt Hortensij (quæ plurimum in ea valuisse referunt) seu propriam, cum secundam Philippicam recitabat, seu Cyri, quem dicunt totum exercitum singulosque milites (erant autem penè ducenties mille) seu Mithridatis, si verum est quod viginti duarum gentium, quas sub imperio suo regebat, linguam teneret: aut Cyneæ, qui vno vel altero die Senatores singulos facie noscere, ac nomine salutare didicit, tum etiam equestris ordinis nobiliores: seu Senecæ, qui de se etiam refert, potuisse firmiore adhuc ætate duo millia nominum discere ac recitare, immortalitatis animi aut infinitæ naturæ esse argumentum: magis quàm Coruini Messalæ, quem referunt etiam proprij oblitum esse nominis. Nihil enim quod commune sit mortalibus, quantumuis excellat infinitæ aut immortalis naturæ argumentum esse potest: tantum abest quod maximum: est quam quod minimum, seu videas vt lynceus, seu sapias vt Aristoteles, omnia hæc tam absunt ab infinito, quàm quod maximè ab eo distat. Est enim naturæ infinitæ argumentum solum, quod nil cum mortali commune habet, velut esse capacem omnium, seu illa sit memoria Platonica, seu intellectus quidam, seu potestas ad omnia, vt materia illa prima. Neque ergo id quod spectamus, quod magnificimus nos, immortale est: sed immortalitas plerũque abdita est in vilioribus rebus. Anima vilis scarabei sempiterna manet, decus Phydiacæ artis & Apellis citò perit. Potestas est in his inferioribus quæ immortalitatem declarat, & infinitatem, non actus vllus. Vtrum enim vitæ infinitum actu cognoscant perfectè, vt à nobis differant, an non, vt à Deo, alterius est considerationis. Verùm quod ad hanc pertinet, illud est nihil seipsum cognoscere præter Deum. Vitæ enim seipsas cognoscunt in Deo, sicut homines & animæ in operationibus. Propterea quæ agunt omnia, præter Deum, quasi naturaliter agunt, non velut mens artifex: dico elementa mouentur, finemque suum norunt, quomodo moueantur, ignorant. Plantæ nutriuntur, crescunt, flores & fructus pariunt: quomodo id agant, non norunt: animalia lacertos mouent imprudenter, rectè tamen: quod in nobis ipsis experimur: neque Galenus cum sua anatomia vel vnum musculum ad digitum

ante vel retro mouendum mouere ac dirigere nouit, sed digitum quidem vt vult, mouet, ac ex voluntate: musculum autem natura. Ergo vitæ quæcunque sunt, opera cœli dirigunt in nos, aliaque viuentia cuncta: nec hoc ipsum norunt quomodo dirigant Horum ergo cognitio à Deo emanat, nec quæ recipiunt intelligere possunt, quomodo recipiant. At mens inest illis, ac dæmonibus, hominibusque inest profectò, sed quæ non regit corpora: natura enim corpora regunt, mente intelligunt. Sicut ergo nos cibos canibus offerimus præparatos, quomodo præparentur à nobis illi non norunt: ita quæcunque futura sunt, non aliqua, sed omnia, silenti animæ per somnium offeruntur: at illa non solùm raro, sed rarissimè ea percipit: vel cibis obruta, vel humoribus obfuscata, vel curis impedita, vel sensilium motu immodico vexata. Itaque non solùm infinitam esse naturam somniorum necesse est, sed & tractationem ipsam infinitam: at nullum quod ad singula vsque perueniat, infinitum esse potest: non ergo potest tractatio de somniis ad finem vllum deduci, nec limitibus inscribi, nec finem habere: quare vt difficillima sit, necesse est, & cum infinita finitis contineantur, tractationem euadere difficillimam. Comprehendi tamen possunt multis infinita: quia paucis & paucis, vno tantùm principio: velut & quæcunque sunt, fuerunt, eruntve, vno principio, scilicet Deo. Sed neque Deo solo tanquam vnico principio, sed in diuersis diuersa sunt principia, potestate quidem infinita, velut hominum homo, & formicarum formica. Cùm igitur omnis bona tractatio & à mente proficiscatur, & rebus ipsis sit accommodata: mens autem potestate sit infinita, infinitus & numerus rerum necesse est bonam tractationem ita esse ordinatam, vt plures sensus sub eisdem verbis contineas. Omnis autem huiusmodi difficillima est. Quamobrem omnis bona tractatio contemplans, quo melior, necessario eo difficilior. Verùm quæ de rebus ipsis agendis est, & facilis esse potest, & perfecta: quòd rerum nostrarum quæ actione constant, nulla sit infinita. Sed quoniam non solùm rebus ipsis, sed etiam legentibus, & legentibus simul atque scribentibus, in quouis scribendi genere aliquid condonari potest, propterea ex multis constat præceptis omnis oratio: legentes enim claritatem exposcunt.: ornatus autem & ordo tàm legenti quàm scribenti necessarius est: quod doceant scribentes, delectant legentes: in omni eo quod scribitur quatuor hæc desiderabuntur: difficultas ob infinitatem, claritas, ordo, & ornatus. Horum primum solum ad diuinatatem pertinet: reliqua adeò non illi congruunt, vt ei etiam repugnent. Ordo quippe apud nos est eorum quæ numero constant: nam apud Deum est omnium, & infinitorum: at numerata non possunt esse infinita. Itaque difficile est omnibus satisfacere: nam hanc infinitatem soli philosophi amant, quia soli intelligunt: sed non omnes, verùm clariores: at cæteri oderunt, vt contrarium claritati. Tractationem autem claram in his, quæ ad contemplationem pertinent, vt diuinitatis expertem, vt absurdam, ac proprio carentem neruo, philosophi aspernantur: at rhetores magnificaiunt quicquid dilucidum est, perspicuum, ornatum, atque ordinatum. Sed neque curant eam vim probandi, quam demonstrationem Latini, Græci ἀπόδειξιν vocant: philosophi autem, vt nil aliud. Quamobrem quæ Cicero scribit in huiusmodi rebus, indigna omni fide sunt: cùm idem esse existimauerit, acutè de huiusmodi, doctéque disserere, & ornatè: neque enim idem sunt, imò, vt dixi pugnantia: quoniam quæ clarè dicuntur, nec tam subtiliter, nec vt se habent dici possunt: ornatus autem claritatem postulat. Assuetus enim ille multudinem persuasione fallere, hoc non contendit vt ita esse demonstret, sed vt homines in suam sententiam trahat: quæ quanto elegantiora sunt: sunt autem plurimum (plurimum enim valuit dicendi arte) eò sunt deteriora, ac simillima veneno quod in melle conditum est: dum enim suauitate delectat, fallit, & fallendo enecat: inde illud omnino intolerabile, quod cōcludit in fine libri de Diuinatione, non disceptasse de his quod in aliquam partem inclinaret, sed vt suspensam mentem atque opinionem in huiusmodi faceret. O præclarum philosophum, qui nil aliud agit tàm longa disputatione, quàm vt incertos reddat. Præstabat fefellisse, quàm dubios reddidisse. Quid tanto dispendio temporis lucratus sum aliud, quàm quod antea habueram, vt incertus essem? At bellè egimus, laborare vt ignoremus? at non poterat, etiamsi clarus fuisset philosophus, de his rectè disserere, quæ inuicem coniuncta sunt: nisi vt, quemadmodum Archimedes in suo libro de Sphæra & Cylindro, rem totam per ἀποδείξεις perpetuas deduxisset: sicut & Aristoteles, & nos à primis principiis, licet paucis eorum ab illo discrepemus. Verùm causa erroris, & falso somniorum diuinationem insectandi, fuit omnino, quod ille testatur se nescire distinguere genus totum somniorum ab his speciebus quæ veræ sunt: quo non facto, & nos iampridem confessi sumus, non posse inueniri causam vllam ac regulam veritatis in illis. Ergo quod ad hoc attinet, parum à Ciceronis opinione discrepamus. Si enim ille potuisset inueniri in quo falsa à veris seiungeret, volebat acquiescere eorum diuinationi: at cùm non posset, damnauit vniuersum genus. Sed iam audiamus Ciceronem de hoc disputantem, atque inuectum nimis ambitiosè in hanc causam: quippe suo more sibi nimium detulit.

Primùm igitur illud vulgatissimum affert in omne diuinationis genus, atque admodum pertritum: Si fato ventura constant, nihil proderit diuinatio, & præcognitio hæc malorum etiam nos torquebit: si non, ergo nulla erit de futuris scientia: quia non esse possunt. Quid si ego vno verbo respondeam vtrique interrogationi? ostendamque dimissa captione, vtroque modo scientiam diuinādi vtilem esse? Nam si fatum non est, sed necessarium est, (gratia exempli) ex causis constitutis, me duci in carcerem, præmonitus somniò non ducar: quæ captio, quæ insaniæ sunt,

negare

negare vtile non fuisse hoc somnium, quod me monuit? quid differt somnium ab eo qui conscius consiliorum me admonet? an ego illi dicam, cùm aliquid repetet ex me, Nihil profecisti, quoniam non debui capi? O pulchrum responsum. Quid egit ille cum sua Seruilia, dum de coniuratione admoneretur? an indignam præmio illam iudicabat? cur tanta exploratoribus, non illi solum dederat? an non melius est moneri à diis ex somniis, quàm à vili scorto? ab impudico exploratore? quæ fur æ, quæ amentiæ sunt hæ? Narrabo inferiùs, quónam pacto ex somnio, cùm desperassem collegij medicorum ingressum, eum sum assecutus: num ero ingratus erga Deum post factum, vt ille fuit de Marij somnio? quod vt præsens amplexus est, atque vtile sibi existimauit: vbi reductus est ab exilio, irrisit Dei, non dico Deorum (forsan enim illud non adeò impium fuisset) prouidentiam. Facinorosis nauigantibus is similis videtur: qui cùm è tempestate emerserint, vota abiurant erga superos habita: sed hi aliquanto minore cum impietate, vtpotè metu ac periculo extorta: at gratuita hæc munera quis nisi ingratissimus non rependet? Itaque meruit, quod etiam queritur, nunquam amplius moneri, tam ingratus. Vtinam ego, qui gratiam de hoc habui, pro filio quod expectabam monitus essem: non certè periisset. Sed quod in Cicerone aduenit ob improbitatem vitæ, idem euenit Socrati à suo Genio ob gloriam nominis eius: nam qui illum in leuioribus casibus admonuerat, ab impendenti periculo vitæ non retraxit. At forsan, quòd non negarim, & Ciceroni & Socrati & mihi eadem causa fuit: scilicet peccata: nam admoniti, non quantum debuimus, resipuimus. Sed Socrates, licet non contempserit, dubitauit: ego non pro beneficio accepto gratus fui: Cicero autem, cum etiam esset augur, contempsit: non solùm beneficium acceptum, sed autorem irrisit: autor enim somniorum verorum, vt dixi, solus est Deus, infinita illa sua sapientia. Quamobrem rectè instituit Moses, vt eum vnum ac solum coleremus.

Sed fac vt Fato fiant omnia, ita tamen constat hic ordo, vt quoniam capi non debui, somnio monitus sim: ita quoniam non debui euadere nisi beneficio noctis, cuius tamen aduentus necessarius est, Deo non debebo qui noctem constituit? at hoc magis: cùm sit peculiare beneficium: noctis autem generale. Denique quod antea optamus scire, pro quo eramus vota persoluturi, cur impetrata contemnemus? Adiicere autem libet ad rem multum, ad hominem parum opportuna Iosephi verba, in tertio libro Iudaici belli. Vbi autem hostilis multitudinis minas comperit Iosephus, nocturna somnia reminiscitur: quibus ei Deus & futuras Iudæorum clades, & quæ Romanis essent euentura Principibus ostendit: erat enim interpretandis somniis idoneus, & coniectari quæ ambiguè diuinitùs ostenderentur norat. Et infrà, cùm Vespasianum alloquitur, inquit: Iotapatenis post diem quadragesimum septimum excidium prædixi, quodque viuus in custodia à Romanis asseruarer: quæ cum Vespasianus vera comperisset: fidem habuit polliciti imperij, de quo idem Iosephus somnio edoctus eum monuerat. Itaque hic solutus catenis, felicem pro conditione gentis vitam duxit, principalem locum apud Imperatorem obtinens. Sic Sylla dictator felix, si hac in vita quisquam hoc nomine dignus esse potest somniorum monitu sæpius adiutus, adeò vt nihil potiùs duceret. Sic Augustus: quis enim eo felicior? Et Synesius ipse ex hac disciplina se maximos gradus adeptum, maxima vitasse pericula testatur. Atque id meritò, quandoquidem solum hoc diuinandi genus (vt iam diximus) gratuitum sit, & à Deo immissum: cætera, quasi violenta extorquere nitantur, quod Deus patefacere nolit. Itaque hoc quasi donum est: illa autem vt vt subrepta furto, aut extorta improba peruicacia, aut vi quadam ablata. Vide modò quantum intersit inter munera, & furta aut rapinas. Sed inquit, à Deo non sunt immissa. Deus primùm non hæc tam vilia curat: rarò mittuntur, non mitterentur improbis ac contemnentibus: cùm opus est, non possunt impetrari: at Deus liberalis largitor est. Nescit modum quo Deus immittit, immittit vt Solem ac pluuias, super probos, improbos, contemptores & gratos: verùm illi qui contemnunt, suo malo plectuntur. Sic cũcta ordinauit: vt cùm futura sint, in animam euenit sui imaginem imprimant. Si nimiis illi cibis, potibus, venere, curis seipsos ne recipiant impedierint, num hac in parte Deus cuiquam denegauit munus? an ille potiùs sua causa id præuertit? quod si etiam quibusdam id deneget, an tenetur? Quod gratuitum est, cuilibet, dare potest. Quod si extremis in casibus defecit, vt mihi in filio, an iustam ob id causam conquerendi de Deo habeo? Primùm qui scit non obtulisse occasionem, eam me non arripuisse? Sed fac non dederit: an ei qui ducenta dona dederit, quod non omnia dederit irascar? quæ nugæ quæ intemperies? Obiicit deinde, nil frustrà à Deo fieri. Cur tot somnia vana, vt tam pauca in vsum veniant? cur tot pluuiæ in irritum cadunt? cur tot soles? Ordo diuinus est per se stabilis, semper vtilis: materiæ fluxu & inconstantia plurima depereunt: quot lepores occiduntur? quàm pauci leones? plures tamen esse lepores quàm leones constat: alia est prouidentia Dei in immortalibus, alia in his inferioribus. Pulchrum fuit, & forsan necessarium, cum Fati serie hanc somniorum prouidentiam conserere, quantacunque pars eius fructus deperiret. Præstantum enim vel sic exemplorum referti sunt libri. Superest ars, admiratio, & cultus diuini imago, parsque non leuis apud sapientes: quid vulgus agat bonorum expers, malorum impatiens, non curat: quot gemmas sub terra recondit, cuiusui, vt paucæ in manus hominum veniant? Subiicit inde, cur non in vigilia hoc effecit? Primum quis es tu, qui à Deo expostulas? an solus queteris pro tanta, quam tibi dono dedit, facunda? num tu exactor es rationũ mearum vermicule fœde? at perturbata essent omnia, essent omnia plena miraculis: Iam non esset hic ordo naturalis, sed superflua curiositas. Potes habere, si

vigilia, temperantia & continentia. At quid opus est interprete? ait: poterat clarè omnia ostendere. Imò ostendit, vt dixi, nostrum est vitium, qui nebulam offundimus. Eiusdem rationis sunt, quæ interpretantur & idola. Cur non rogas, quare tot flores frustra casuros,& in fructum non transituros effecit?Cur in Italia sycomoro immensam multitudinem florum dedit, fructum prorsus nullum?Repugnat materia, dicis: at hic & materia & hominum facta repugnant. Pòst addit: Si omnia sunt à Deo, cur, falsa plura: si non omnia, cur miscuit se iis nugis & nebulis? O præclarum philosophum. Solis radios emisit, nebulæ oriuntur à terra: an quicquam ad mortalia mitti ex alto potest, quod mortali confusioni non se immisceat?an præstitit non mittere?Sed quomodo distinguemus?vt solem à nebulis, vt priuationem ab habitu, vt impedimentum à facultate & opere, vt contrarium à contrario? Demum se conuertit ad irrisionem, cùm Deos circumuolitare circa grabatos dicit: vt in stertentes visa immittant. Quis non videt, non veritatem hic quæsisse, sed hominum opinionem, famam sapientiæ? quandoquidem videtur velle obtinere, non disceptare de causa ista, scilicet an per somnium fieri diuinatio possit. Ergo generalis est ratio somnia immittendi, quam nos præpedimus & eadem veritatis forsam ratio. Cum verò in mortalibus nihil commune sit nisi principium, vt cor in animalibus.) neque enim nascitur homo ex qualibet re, sed ex viro muliereque: nec fruges in paludibus, nec in sicco pisces, nec flores in ficu aut quercu, nec quouis tempore: ita necesse est quasdam horum causas generales, in hominibus scilicet, insomniorum esse. Etenim Garamantes referunt nunquam somniare: quidam fermè nihil quod verum sit, in tota vita vident. Et quamuis multis continentia abstinentiaque multum profutura sint ad insomnia videnda, & vera etiam insomnia, nihilominus quidam sunt qui nec vnquam visuri sunt somnia, etiam si Zenone sint continentiores. Quin etiam multi philosophi non solùm ob institutum, sed etiam paupertatem, tum verò sacerdotes nostra ætate, vt quos vocant Capucini, miram obseruant victus ac venereorum obseruantiam: nec tamen mira vident somnia, sed plura ac vana: quamobrem & si necesse sit eos qui visuri sint, moderatos esse in victu, non tamen ex moderatione contingunt insomnia ac oracula. Quin etiam Pythiam illam virginem non in cibis continentem admodum fuisse legimus, sed virginem solùm, & Deo illi sacratam. Et vt sapientia & generatio non ex immodica abstinentia proficiscuntur, sed hæc potiùs sunt quorundam hominum & naturarum munera, ad quæ iuuat tamen continentia & temperantia: ita & somniorum ratio. Vis ergo hæc generalis est vaticinandi per somnia, sed tamen circumscripta certis naturæ legibus, velut generandi, discendi literas, felicitatis, bene, beatéque viuendi: & quamuis notum sit omnium non esse, non tamen notum est quorum sit: non prudentium solum, aut eruditorum, aut innocentium: plerunque tamen eorum qui magna tractāt, & qui diuturna felicitate fruuntur: hi enim aut soli fermè talia vident, aut soli rectè seligunt: quandoquidem(vt dixi)non possimus diuinare neglecta electione, maximùque in hoc negocio argumētū adipiscendi intēti sit rectè seligere.

Illud autem mirum, & imperitiæ crassæ argumentum, tàm ineptè dictum quàm eleganter à Cicerone: Animi cùm sustinentur membris & corpore & sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt: cùm autem hæc subtracta sunt, desertusque animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese, itaque in eo versantur & formæ & actiones,& multa audiri, multa dici videntur. Speciosa quidam verba, & Cicerone digna: sed quæ nullum contineāt sensum, nisi apud philosophiæ prorsus imperitos: plures enim longè errores quàm sentētiæ, pauciores paulò minus quàm verba: ita contingit omnibus, qui à populo & vulgo blandiente transeunt ad doctrinas altiores & sapientiam tractandam. Sed de his hactenus. Vnum ergo quod ab initio proposueramus, statuendum erit: eam Synesij obseruationem negociosam fore, & infinitam, nec tamen pro tanto labore vtilem. Sed magis dandam operam, vt quemadmodum Gemmarij solent veras ab adulterinis gemmas vno intuitu dignoscere, sic & nos vera somnia à vanis secernere valeamus: quòd cùm fuerimus adepti, ad genus rei transeundum erit: quod non adeò arduum est inuenire, quàm scire eligere quæ generis sint diuini, & quæ tumultuosa.

Est sanè somniorum genus verum in hominibus præstantibus, quique magnam fortunam consecuti sunt, aut consecuturi: & in initiis operum, & cùm nasci turi sunt, simile quid vident parentes: & tempora sunt curarum & magnorum periculorum, vnde maximè sub morte visa vera apparent. Cùm ergo & in magnis curis aliquando, & magnis periculis longè frequentius talia appareant, pericula verò curæ, non curas pericula sequantur, verisimilie est, ab iisdem (vt dictum est, diceturque) causis vtrúque procedere. Quamobrem cùm non possint curæ periculorum esse causæ, sed pericula potius curarum: erit, vt somnia ipsa proficiscantur ex cœlestibus constitutionibus. Et quemadmodum ad figuram imprimendam necesse est solidam esse materiam(nam non in aqua, nec luto bene imprimitur) & ictus esse vehementes: ita in somniis concipiendis oportet vehementem esse motum constitutionis cœlestis, animamque non degenerem, sed leuem ac solidam, vt excipere possit vestigia formarum.

Sed adhuc vrget Cicero: Mirum est, quod ab ea die, nec antea, vllum somnium diuinum aliud viderim, si modò diuinum illud fuit. Causa est non obscura, multitudo cogitationum: voluit enim ciues omnes qui in aliqua essent existimatione, è facie cognoscere: familias & cognationes, amicitias, odia, causasque scire: prædia præterea, domos, villas, censum, pecuniasque in fœnore collocatas, singulorum: studiis incubuit non solùm Rhetoricæ, Latinæque ac Græcæ linguæ, tū historiarum.

historiarum, sed etiam philosophiæ, causas agere, longisque orationibus ciuium facta defendere aut oppugnare: quare vix locus erat inter tot imagines fingendi insomnij: tum verò dolor, cùm vidit, multa excusserat: & causa calamitatis maxima illi videbatur, certè non leuis fuit: potuit ergo semel videre, nec ampliùs. Ergo quatuor videntur esse causæ multa insomnia vera videndi: Anima præstans ac solida, nitidaque vt speculum (quare qui talia vident, omnes memores sunt, & plerunque acri ingenio præditi) motus vehemens (vnde in periculis maximis & initiis magnorum operum, vel dum mutanda fortuna est, vel in ipso ortu, frequentiùs conspiciuntur) Vacatio à studiis (vnde mihi cessationem aduenisse existimo somniorum anno quadragesimo tertio, quod primum tunc ei muneri delegatus fuerim: ita Socrates potuit videre, dum in carceribus otiosus vel inuitè viueret: & Sylla ac Cæsar magis quàm Hortensius aut Cicero, & Eudemus magis quàm Aristoteles) Temperantia præterea & continentia, omnium bonorum parentes.

Quamobrem illud diligenter animaduertendum quod dixit Hippocrates: Quæcunque præter naturam accidunt, vehementiora sunt: ita insomnia diuina, quæ aduersantibus horum quatuor quibusdam fiunt: velut si à multa lucubratione, aut cibo potuque ac libidine: vel in summa animi relaxatione: vel quæ his adueniunt qui non præstanti animo sunt, hæc omnia cùm ab vrgentibus causis fiant: necessariò sunt efficacissima, verissimaque. Sed adhuc redarguit nos Cicero cum suo Antiphonte: Cursori qui in curru vehi videbatur, cum alij victoriam prædixissent, quòd victores in Olympiis coronari & curru vehi solerent: Antiphon dixit: Vincendum à pluribus quòd eum qui in curru sit quatuor equi (à totidem enim vehebatur currus) præcedere soleant. Atque ita duo alia refert exempla. Sed malignè causam hanc, non ex æquo iudicio insectatur: neque enim solum hoc videri potuit, vehi scilicet curru: sed neque ex hoc solo, si contingat, raro tamen eueniet, iudicare oportebit, sed reliqua respicere, quæ simul videntur.

Sciendum tamen, esse tria genera somniorum quæ diuinitus immissa videntur: significatiuum, monitorum, & deceptorium. Huiusmodi duorum primorum exempla plurima in quarto libro habebis. Verùm deceptorium contingit, (non vt illud Amilcaris, cum somniasset intra Syracusas cœnare, cœnauit quidem, non victor, vt existimbat, sed captus: vnde ambiguum dici potuit: & si prudens fuisset, deuitare licuit) cùm homo contrarium videt ad vnguem eius quod subsequitur: velut si certaturus in Olympia, vidisset se coronari, & inde in certamine vltimus esset: nam nec immeritò id contingere potest; admiramur enim victores qui coronantur, & victos qui vltimi omnibus cessere: nec scio exemplum vllum huius rei illustre, præterquam Pompeij, cum in Pharsalica pugna victus est: præcedenti enim nocte somniauerat, sibi in theatro Romæ vniuersum populum Romanum plaudere: inde exornare spoliis Veneris templum: quod somnium victoriæ signum erat: non eius pugnæ, in qua non solùm victus succubuit, sed paulò post ex ea fugiens occisus est dolo Achillis Ægyptij, stirpsque tota eius excisa est. Quamobrem & horum causam inuenire expedit, ac dignoscere quænam sint huiusmodi somnia: neque enim verisimile est, Deum generaliter ac quasi secundum naturam talia immittentem in huiusmodi viris, tam raris exemplis, tentare illos decipere: tum maximè, quod non ex somnio ad pugnam adactus est, sed hostis vafricia & suorum improbitate. Certum est enim huiusmodi somnia non fallere nisi certaturos seu in acie, seu in monomachia, aut honoris causa: nam aliis contigisse huiusmodi exempla nec legisse, nec audisse me memini. Quò fit, vt existimem huiusmodi somnia contingere ob nimiam mentis intentionem, dum cupidè aliquid desideramus. Et ob id aliqua in hoc casu tutiora sunt: velut illud Syllæ, cum C. Marij filio dimicaturi, quando vidit patrem monentem filium ne sequenti die prælium committeret: esse enim eam nomini suo infaustam: plus fuit, quàm si vidisset admonentem vt pugnaret. Hoc verò cùm monitorium esset, adhuc euidentius est quàm si vidisset se in curru triumphantem vehi: at hoc etiam minus fuisset, quàm si se pugnasse ac vicisse somniasset: obliquitas enim illa diuini oraculi argumentum quoddam est, vt nimia explicatio & claritas suspecta, ne non somnium obuenerit nimia solicitudine & volutatione imaginum præcedentis diei. Ergo in huiusmodi totum somnij decursum considerare expedit, cæteraque signa ac coniecturas considerare, præsertim alacritatem animi proprij, tum militum & equorum. Sed hæc extra artem. Illud ex arte, quod etsi obliquè somnium votis faueat, videndum est diligenter vt aliquid sit quod ad actionem futuram pertineat: vt sanguine respersum esse: aut cùm exercitu Cæsaris fame premeretur, videri exercitum suum fame vrgeri: aut in pompa milites Cæsaris præcedere, suos autem sequi (nam victi vincti in triumpho antea agebantur) vel puluerulentum esse. At vidit exornari templum Veneris, hoc potius pugnam decernebat infaustam, quandoquidem hostis originem suam referebat ad Venerem & ob id Pompeius suspectum habuit hoc somnium. Semper tamen signa ex contrariis desumpta operationibus, principali præterita, inauspicata sunt. Quanquam de hoc Pompeij somnio à Plutarho adducto satis addubitem, quod Cicero, cui hoc recens maximè factum fuit, non illud prætermisisse videri potuit, quòd ad suam confirmandam opinionem plurimùm faceret. Sed seu sit, seu non, quæ diximus, certam habent rationem.

Ergo somniorum disciplina omnium diuinationum certè præstantissima est, præsertim cùm non, vt in omnibus aliis, liceat quasi ludere, ac ridiculam facere. Etenim in sortibus toties repetunt & mutant, vt pro mala bonam extorqueant, in extis tot victimas cædebant, vt vel inuitis (vt ita dicam) Diis

litarent: in Astrologia tot comminiscuntur interpretationes, tot ansæ in diuersa vertendi, vt nunquam mala genitura, nunquam certum sit periculum, nec certa salus. Sola scientia somniorum non patitur has conuersiones & deliramenta.

Igitur omni vitio vacat hæc ars? Non certè: nihi tale apud nos: habet ipsa impedimentum non leue: quod rarissimè, nec cùm volumus, immittuntur: vnde eorum vsus, velut præclariorum gemmarum, raritate, nimia nos fatigat & torquet. Expectanda sunt pauca in tota vita. Et quibus frequenter eueniunt, vilescunt, ac vi illa illustri destituuntur: sunt enim magnarum rerum prænuntia, atque vtinam tam ad manus essent, quàm reliquæ diuinationes: nihil certius, nihil pulchrius, nihil vtilius aut delectabilius videri posset.

CAPVT II.

De somniis obscuris.

OBscura somnia fiunt vel ratione imperfectionis nimiæ varietatis, vel ob res ipsas natura incognitas, vel ob magnam dissimilitudinem cum statu præteriti, vel ob fabulosa. Ad caput igitur communium regularum recurrere oportet. Exemplum. Quidam vidit leporem factum esse filium suum: primò quidem timidum, & velocem in cursu, pronũciabit: vel si iam sit adultus: tunc enim nullo modo somnium conuenit: nam si talis non sit, non erit verum: si sit, erit de manifestis vt cadat ex morbo comitiali, vel lapide vesicæ curabitur: scribunt enim medici, leporem totum combustum, lapidem frangere, & coagulum illius curare comitiales. Rursus puer sit, nec vllo tali morbo laboret: catamitum futurum existimabimus: fabulosè enim dici solet, nec vulgatum est, hoc animal vtroque sexu vti. Si verò quis chimæram videat, vel centaurum, & huiusmodi fabulosa, à nomine, à forma, à significato, à fabula: à nomine: vt Sphinx à σφίγγω, constringo, amplector, arceo: item à fabula: perniciem enim attulit Thebanis, atque exitium. Sic etiam errorem & perplexitatem denotat: à forma vt chimæra capite leonino, ventre & dorso capræ, cauda & posteriore draconis parte: mons est Lyciæ, cuius cacumen ardet, & leonibus abundat, media pascuis, infima serpentibus. Ergo durum initium, & terribile: in medio negocij spes, & omnia mitiora: finem claudet dolus & insidiæ, & veneficium forsan: à significato, vt illud:

Necnon & Tytion, Terræ omniparetis alumnum.

Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur ——

Constat enim voluptatem significari, seu libidinem: periclitandum ergo ob libidinem docet. Velut & Cẽtauros, magistratus significare ex forma discimus, atque significato: parte enim prima placidi, posteriore feri sunt. Significatũ etiã cẽtaurorũ est multitudinis incõditæ. Differt nomẽ à significato: per nomen, intelligo etymon ipsius: per significatum autem, id cuius causa finxerunt eam fabulam: cuiusmodi innumera habentur exempla apud Phornutum & Palæphatum. Mulier cùm sibi visa esset hippocentaurum peperisse, duos vno partu filios edidit, propter duo corpora quæ habere finguntur: & ambo periere, quòd animal huiusmodi esse non possit. Alia somniauit, se expleuisse omnes Herculis labores, & igne absumpta periit: sic enim mortuum esse, poëtæ fabulantur: nec ipsa huiusmodi laborum capax erat. Viro autem præstanti, idem somnium ingentem gloriam significare posset. Quod si fabulosa prorsus historia fuit simile quid somnians sperabit sed frustrò venturum. Dracones in homine conuersi, heroas significant: & similiter lamiæ, nugaces præstigiatores: leones, viros feros: ita mores retinent prioris formæ: & admirabiles casus significat. Ex causis etiam maximis ac præcipuis, ineuitabilibus fermè, obscurorum somniorum, est mistio rerum peractarum, memoria illas repræsentante: vel etiam desideratarum adeò vt partem à parte segregare difficillimum sit. Cum enim anima spe, metu, voluptate, tristitiaque per sensus perturbetur: licet ipsa nec doleat, nec lætetur: perturbantur tamen visiones à sensibus, ac si in ea hi affectus sint, atque id est quod maximè impedit somniorum interpretationẽ. Oportet autem separare memorata à visis: aliter irrita erit omnis consideratio: hoc autem assuescere oportet sensim facere, adhibita maxima diligentia: velut aliis in rebus difficillimis. Vt verò separes, cogita quæ maximè mouerunt animum tuum præsentibus proximis diebus vt luctus, timor, spes magna, gaudium, lætitia, victa lis, iniuria, odium: atque segrega quod in eo est. Si frater aut parens, aut filius repræsentetur in somno, qui paulò antè perierit, vehementiam affectus & victam animam significabit. Etsi etiam te moneat, haud tutum erit illis quæ dicit credere, cùm à nimia perturbatione animi procedant. Sed tamen si expressa sint, negligere non oportet. Quod verò vnum ab alio separat, est ordo. Vix enim fieri potest vt tam ordinata sint quę ex duobus generibus constant, quàm quæ sunt vnius tantùm generis. Eximere autem oportet superaddita, & iis fidere quæ animam in admiratione magnia relinquunt.

Ex causis etiam obscuritatis somniorum est: quoniam homines existimant omnibus somniis magnas res significari: quia ad quædam magnæ res sequuntur. Sunt autem res magnæ: è bonis, hæreditas, lucrum ingens, inuentio thesauri, ortus filij, sacerdotium pingue, amicus singularis & potens, amicitia principis, magistratus: è malis, mors illius vel filij, fratrisue, aut parentis, exilium, carcer, amissio facultatum, odium principis, amissio membri, morbus diuturnus, inimicitiæ cum potentibus diuturnæ: ex indifferentibus atque ancipitis exitus vxor, lis, honor, societas, iter, mutatio loci, seruus, ædificatio. In omnibus ergo magnis somniis mentem dirigit ad aliquid huiusmodi: vnde cum nihil tale expectare possit, ambigit in interpretatione

somnium

somniumque obscurum redditur. Exemplum inferiùs habebis. Causa autem cur somniis minima declararentur, est animæ illustris vigor, & quoniam non eadem sunt magna apud nos & apud Deos. Propterea antiqui obseruabant somnia circa magnas actiones: vt prælium, ingressum in prouinciam. Sunt enim (præter fatalia) de imminentibus: quoniam, vt diximus, à causis imminentium mouentur: atque ob id similia ipsis euentibus: non ergo nisi raro, etiam ex magnis somniis magna expectare oportet.

CAPVT III.

De somniis obliuiosis.

OBliuio in somniis contingit vel ob leuem impressionem, vel velocem motum, vel conturbationem. Conturbatio fit, superuenientibus aliis insomniis, & quandoque sine illis. Quæ euenit ob alia insomnia, fit ob multitudinem negociorum, aut ob animæ sensum nimis exquisitum. Egregium exemplum habetur apud Danielem, in sacra pagina. Itaque non omnia somnia obliuiosa nullius sunt significati: sed solum ea quæ vel ob conturbationem fiunt, aut quorum penitùs obliuiscimur: quæ quidem exiguam faciunt impressionem, serò eueniunt: quæ autem ob velocitatem non imprimunt, valdè citò. Discrimen inter illa dignoscitur: quoniam in his quæ parum imprimumt pauca videmus: in velocibus autem multa, sic vt ex vno in aliud transgredi videamur. Porrò conandum est, vt maiorem partem in memoriam reuocemus. Quæ enim pars facilius in memoriam reuocatur, ea etiam euidentiorem & celeriorem sortitur effectum: itaque operam dare oportet, vt quæ visa sunt, ad memoriam reducantur. Ergo vbi partem reuocaueris præcipuam, illa erit explicanda: bonum est autem, scribere quæ vidisti, & per singulas partes conuenientia memoriam reducere: hoc præbet intellectus agens: vt vbi attigerit, oblita statim ad memoriam reuocet: ostensum enim est hoc in Theonosto.

Quæ verò somnia obliuiosa, visa sunt, deinde denuò ad memoriam redeunt, ob id hoc illis euenit, quòd impressio quæ impedita fuit à vaporibus, aut delituit ob leuitatem, cessantibus, vaporibus velut nube quadam emicuit, aut ab intellectu agente excitata est. Horum igitur somniorum effectus serò euenire consueuerunt. Plerunque autem somnia huiusmodi ad res non proprias pertinent: velut opes, amicos, & coniunctos: quoniam quæ extra nos sunt, non solent nos adeò mouere, vt quæ sunt propria nobis: eadem autem est ratio imaginum & rerum. Ita quæcunque per huiusmodi somnia significantur, ad alios quasi transferenda sunt: aut leuiter ac serò nos attingere solent.

Præcipuum habent aliud obliuiosa somnia, quod omnia sunt vera: nam cùm ab intellectu ad memoriam reducantur, naturam retinent æternæ memoriæ, quæ in nobis est: æterna autem memoria tantum verorum est: igitur obliuiosa somnia verorum sunt, & non pertinentium ad nos, & tardè venturorum.

Ea verò somnia quorum statim à somnio experrecti recordamur, paulò pòst autem obliuiscimur, leuium sunt, & tardè venturorum. Potest etiam id somnium ex humoribus oriri: eiusmodi enim somnia plerumque ex his fiunt: quam obrem & morbos etiam præcipuè significant: hi verò minus, ad præsentem tractationem.

CAPVT IV.

De somniis imperfectis.

IMperfecta somnia quatuor sunt generum: alia quidem, in quibus somnium non perficitur, sed homo expergiscitur: alia, in quibus in aliud transit: alia, cùm finitur desinitque somniare, non dormire: alia demum, in quibus homo non recordatur totius somnij: recordatur tamen somnium perfectum vidisse. Palàm autem est, hoc ex genere esse obliuiosi. Tertium verò genus ab initio noctis aduenire solet, ideoque ex cibis ac potibus orignem ducit. Cùm enim dormire incipiunt homines, halitus qui ex cibo ascendunt, cùm non possint statim animi spiritum sistere, imagines ostendunt: inde grauato spiritu conquiescunt, ac nihil vident.

Dubitabit autem aliquis, quomodo, si non perfectè firmato spiritu necesse est insomnia videri, quicunque in somnum incidunt, somnia non vident? Et rursus, cur Garamantes nusquam somnient, vt Plinius refert? Mihi quidem in his quæ iam ratione constant, nunquam moris fuit contrariorum experimentorum causam afferre, cur ita esse possint: nisi priùs quòd ita sit compertum habuero. Verùm ad id quod prius adductum est: respondeo tam celeri motu homines in somnum delabi, vt deprehendi non possint. Illa initia somniorum: quandoquidem etiam iam inchoata ex memoria obliterentur. Præterea somnia videntur, ex quiete ad motum translato spiritu, non contrà: causa est, quòd motus ille paruus latet sub magno & concitato: at in somno, veluti per noctem iam silentibus omnibus, quiuis exiguus motus deprehenditur.

Reliquum est igitur, vt de duobus aliis generibus somniorum imperfectorum dicamus. Eorum rursus quod in aliud somnium relabitur, ad somnia composita pertinet: ergo de illis suo loco agendum erit, non hic. Quæ ergo imperfecta sunt, sunt in quibus expergiscimur: nec refert an casu, an natura id contingat: quoniam (vt dixi) naturale est quod videtur in omnibus, vel in pluribus. Præterea si Fato constant, eadem causa impedior, & fortuitò & natura impedior, scilicet infinita & omnipotente: id est, ordine ipsius Fati. Quamobrem vbi id contigerit, considerandum an ex magnorum somniorum genere sit (hoc autem suo loco docebitur) an non: si non, negligere potes: in tanta enim

copia

copia magnorum & perfectorum somniorum, parui atque imperfecti curam habere, nimis diligentis viri est. At si magnum sit, cauere oportet valde: quoniam id refert, quasi amicus monere te velit, volueritve, sed non potuerit. Pleraque igitur somnia huiusmodi mala sunt, atque verenda. Conandum est autem, vt diligenti coniectura expleantur, vel ex partibus ipsius, quas iam memoria tenes: vel etiam auxilio præcedentium somniorum, vel ex rebus imminentibus, vel succedentibus insomniis. Porrò aliquid etiam conferent, quæ inferiùs dicam de compositis somniis.

Est verò ex imperfecti somnij genere illud, cùm aliquid in somno petere volumus, & ante petionem expergiscimur. Et rursus cùm petimus, & statim ante responsum euigilamus. Et cum non soluitur somnus, sed ille minimè quæsitis respondet. Demum, cum respondet, sed responsi non recordamur, sed solius quæsiti. Igitur primum significat, actionem ex eo genere non inchoatam: secundum inchoatam non consensuros eos ad quos pertinet, illisque inuitis: tertium, omnino repugnaturos, irritúmque negotium futurum: quartum, ambiguum euentu & ex genere obliuiosorum somniorum est.

CAPVT V.

De Somniis, in quibus euigilare videmur.

Somnium in quo dormire videmur, impedimētum & vacationem à negotiis ostendit: omnibus enim actionibus dormire impedimentum affert: sed tormenta timenti, bonum: qui enim dormiunt, haud sentiunt. Dormire in via, templo, sepulchro, aut inter mortuos, mortem portendit: hoc tamen vltimum vitam ganeonis inter ganeones ducturum prædicit. In via dormire, etiam mortem repentinam prædicit. In templo, etiam auxilium diuinum, & seruari præter spem. Cognoscere se somniare, mentis vigorem ostendit, quo cognoscit: mens etiam per somnum nec decipitur, cùm alij decipi solent. Signant & veritatem visorum: nihil enim tam verè videri potest à dormiente, quàm dormire se.

Euigilare verò, est decipi ab aliquo, in quo maximè confidis: vel in errorem alium, cùm ab vno fueris liberatus, decidere: aut quæ tum videntur, vera esse: vt in comparatione ad somnum. Vera vigilia errorem detegit eorum quæ vera fuisse existimauimus: ita falsa vigilia falsam ostendit tum visorum tum alias auditorum interpretationem. Euigilare in somno etiam illud ostendit, quod dici solet: Noli dormire, teipsum expergiscito: significant ergo periculum ingens, aut imminentem deceptionem. Modus est ergo somnij hoc, non somnium, sed illud quod præcessit. Videre ergo se experrectum, admonet vt animaduertas quæ videris: nam ea referunt negotiationem in qua dolus latet. Quandoque etiam ad negotia simpliciter diurna refertur, cum quod somniamus, obliuioni mandauimus. Vigilare inter dormiendum, quasdam curas excellentes habere, aut habiturum esse ostendit. Si euigilare nos existimemus, ac rursus dormire negotium intricatum significat. Cùm enim somnium in se reflectitur, nihil refert an semel an sæpenumerò accidat. Euigilata insomnia generaliter dolos, detecta quæ occulta erant, & deceptionem ostendunt. Eueniunt autem ob cognitionem imperfectam: nam alterius generis sunt, quæ mox subiungemus.

Sunt qui in somno dormire se intelligunt, estque id exemplum quasi eorum quæ sunt à morte: igitur somniantem dormire se intelligere, veritatem somnij partim significat, partim tollit: nam quæ vigilantes vident mente, non necessariò vera sunt, imò raro collimant: at sic intelligere non possumus nisi pura anima: partim igitur hoc somnium verum est, partim autem non. Quinque enim sunt ordines mentis nostræ, vt ab operatione intelligendi comparatur: vel enim cognoscimus vigilantes, vel dormire nos intelligimus, vel vigilare dormientes nos existimamus aut omnino somniamus, aut profundè dormimus. Hæc autem si ex causa distinguantur, perfectè intelligentur. Anima primùm somnia vera videt: quoniam ex leuissimo motu spirituum à mente iuuatur: neque enim cum magno motu futura prospicere potest, neque omnino sine motu intelligere: cum ergo exiguum motum habet, in vigilia quidem non intelligit, aliis præpedita validioribus motibus in somno autem intelligit: quanto igitur motus leuior est, tanto exquisitius quascunque minimas cognoscimus differentias futurorum. Qui ergo vigilant, & qui profundè dormiunt, non præuident futuras: vigilantes enim impediuntur à sensibilibus nouisque sensibus rerum: profundè dormientes nihil vident: qui verò intelligunt se somniare, vigiliæ proximiores sunt, cū sensile cognoscant. Est autem eadem ratio habitus atque priuationis: motum igitur validiorem habent in spiritibus: quare non adeò præuidere possunt futura. Duorum igitur qui per somnum concipiant se dormire, aut dormiuisse, hi quidem quod vigilare se putant, falsa habent somnia, & deceptionem tum tunc, tum in actis atque agendis significant: illi verò obscura ac valdè dubia, quemadmodum sunt spes vigilantium. Proprium tamen est quoddam horum, ac omnibus generale qui se somniare ac dormire intelligunt, leuem habere somnum, & valde perspicaces sensus interiores, menteque valida præditos: & quanto frequentius id contigerit: contingunt autem, licet rarò, mistiones etiam horum: vt cùm dormire se intelligunt, deinde euigilare falsò videntur: tunc ergo liberata anima ab errore, rursum in errorem incidit: nam qui somniant, omnes vigilare sibi videntur, at hoc non cogitant: qui vero se euigilare putant, hoc ampliùs habent quod dormisse se existimant.

CAPVT

CAPVT VI.

De mediis somniis.

SVnt quædam somnia ex ecstasis genere: cum homini quædam videntur, nec satis nouit an vigilans an per somnum talia viderit. Quinimo post multos menses recordatur, & dubitat an sit res facta verè, an visa per insomnium. Et in quibusdam non potest certior reddi, nisi quia cognoscit rem non potuisse esse. Et tunc etiam imaginatur se legisse, vel pictam historiam vidisse. Nonnunquam deuenit post longam citationem in veritatis cogitationem, cognoscitque somnium fuisse per syngrapha & alias coniecturas, vocaturque vigilia somnifera: cui ad vnguem contrarius est somnus vigiliæ: idest, cùm homo per somnum intelligit se dormire: hoc autem est vigilare. Est & tertium genus, etiam medium: audit somnum, & expergiscitur, & videtur iterum eundem somnum aut reliquum orationis intelligere. Et maius hoc est, si idem videre videatur. Ergo audire se vocari à mortuo, cognito hoc modo, significat breui moriturum. Si autem vocem non agnoscit, erit in magno vitæ discrimine, aut maximam animæ anxietatem patietur. Sed si qui vocare videtur, viuit, procul abest à periculo vitæ: sed tamen admonetur de eo, vel de magna cura quam subibit causa vnius qui vocanti similis est prænomine, vel arte, vel amicitia, aut huiusmodi. Est & quartum genus medij somnij, vigilia ipsa, cum homo ante lucem, post eam dormire consuetus, expergiscitur: quod mihi semper magna mala & curas graues significauit. Estque medium insomnium: quia malum prædicit, & tristes euentus: non tamen speciem illorum declarat: vt ergo terribilis illa species in somno venturi mali, se ostendens per somnum anima quieta, cuius sit generis se prodit: ita hæc cùm magna sit, & terribilis, hominem à somno iam obrutum cibo, cùm nihil potest percipere, exturbat, nec ampliùs somnum obrepere sinit. Mihi sanè semper (vt dixi, nisi bis, cuius causam ignoro) nuncia fuit rerum tristium atque lugubrium nouissimè hac nocte præcedenti, scilicet quæ nonas Iulij præcessit, Anni M.D.LXI. experrectus ante diem plusquam per tres horas, cum nox per se breuis sit, nec in somnum vlla arte redire cum licuerit, dubitabam malum, me aliquid auditurum noui: neque non vt antea, certò sperare poteram, quod ex octuaginta vicibus bis (vt dixi) me hoc fefellisset, Itaque dum suspensus sequenti die manerem, & incertus eorum quæ contigissent, manè primùm literas accepi, quibus intellexi, Piscariæ principem negasse se concessurum quod ex pacto iam mihi à ministris regiis debebatur: eaque de causa munus profitendi, tum ob iacturam, tum dedecus, omittere cogebar. Dum domum ad prandium redeo, nunciatur, nepotem infantulum ex filio, morbo periculosissimo laborare. Post prandium, cum inuiserem præfectum vrbis, alter eius genere admonet me de quodam amico, quod ab alio, quem amicum existimabat, in existimatione grauiter læderetur. Id ego mei muneris esse putans, fide silentij accepta idem renuncio: ille statim iræ impatiens, ac forsan de mea fide dubius, genero ipsi cuncta aperit: ita postmodum & ab illo, & ab eo de cuius maledictis agebatur, in discrimen magnum vocor: quod etiam si euadam, neutrius tamen perpetuam offensam vitare licebit. Vesperi eiusdem diei, quodam (vt reor) malo fato me vrgente, puerum anagnosten, maximè mihi gratum, atque tum vnicum qui fide erga me esset integrate familiaribus, cùm cæteri parùm probi essent (credo ob aduersam fortunam, casusque graues, quibus ab omnibus desertus videbar) paulum abfuit ne iniustè (cùm, tamen eodem malo fato ille iustam de se suspicionis eius causam impellente dedisset) furti damnarem: vnde ille, quod quàm parum abfuit, meritò iratus abiret, quodque mihi reliquum esset boni totum euerteret.

CAPVT VII.

De somniis meridianis.

EST verò illud consideratione dignum, an somnia meridiana possint esse perfecta: nam vt quæ media nocte adueniunt, propter cœnæ propinquitatem vana habentur: ita & quæ meridie ipsa: nam prandio proximiora sunt, quàm illa cœnæ. Videntur etiam somnia efficacissima, quæ in magnis Solis mutationibus adueniunt: quales in illius ortu & occasu: in altero enim lux ex tenebris, in altero tenebræ ex luce fiunt: quapropter somnia maximè circa ortum & occasum Solis vigent. Meridie autem mutatio exigua fit, sed qualitates vigent: ob id meridiana somnia ob hæc vana existimantur. Sed cum etiam quæ media nocte accidunt, non omnino falsa sint, nec id de diurnis existimandum est: multo etiam minus de meridianis ipsis. At ea solum animaduertere oportet, quæ (vt dixi) multum animam mouent, & pura sunt, ordinata atque perfecta. Tametsi enim parua mutatio contingat, & ob id in paruis spaciis, ob paruitatem spacij sit insensilis, velut vngi vel fricari: aut in magnis ob paruitatem qualitatis, vt cum videntur verberari, aut currere, aut habere duo capita, non constanti somnio, cum tamen fuerit purum, ordinatum, perfectum, animamque ipsam admiratione atque stupore tum metu perculerit, aut spe impleuerit: necesse est vt mutatio magna facta sit, non ob Solis situm, sed animæ nostræ liberationem: quapropter somnia huiusmodi etiam vera sunt, nisi sint (vt dixi) imperfecta, obscura, vel inordinata, vel impura & leuia. In ipsa autem meridie sunt efficaciora quàm in cæteris partibus, eadem ratione quæ dicta est in Astronomicis expositionibus. Itaque memini me legisse, quosdam in meridie de incumbentibus admonitos, quorum alij dum cauerent, effugere periculum, alij dum contempserunt, oppressi sunt.

Somnia

Somnia tamen quæ post ortum Solis paulò contingunt, veriora sunt meridianis: quæ autem ante occasum, aut statim post, imbecillia sunt. An verò debiliora meridianis, quandoquidem de eis non habeã experimentum, determinare non ausim. Satis sit, si quæ dixi affuerint, posse esse efficacia: aut scias, quod Meridies ostendit multa somnia & distincta, & præcipuè æstiua, plusquam faciat nox longè: & præsertim, si quis post fructus & caseum diu dormiat.

CAPVT VIII.

De Ecstasi & tremore.

QVæ quidem per ecstasin videntur, idem habent significatum cum idolis, & visionibus euidentibus: nec tam propè abesse solent ab idolis huiusmodi, quòd efficaces habeant causas, quæ quasi in vigilia mouere animum possint. Etenim in ecstasim multis modis delabuntur homines: aut per syncopim, aut animi deliquium, aut etiam propriè abducto sensu omni externo, absque alia causa id verò contingit consuetis plerunquè, & nimio affectu alicuius rei laborantibus. Verùm dices: Si sensus exteriores detinentur, interiores manent in ecstasi, in quo illa à somno differt? nam & in somno eadem contingunt: neque dicere possumus, manere motum in ecstasi: nam etsi maneat, etiam in somno manifestissimè manet.

Dicendum est ergo, eos qui ecstasim patiuntur, omnia audire, non autem videre: atque in hoc à somno differt: nam in somno discreta vox non intelligitur, sonus tamen dormientem mouet aliter non excitaretur: in ecstasi autem etiam vox ipsa intelligitur, sed quasi sonus auræ & procul veniens: in vigilia autem tota vox percipitur, cum sensu atque significato vocis.

Ergo ex hoc perspicuum est, auditus sensum tenuiorem esse quàm visus: siquidem internis sensibus qui in somno manent, auditus magis quàm visus assimilatur.

Etenim ecstasis medium est inter vigiliam & somnum, sicut somnus inter mortem & vigiliam seu vitam. Et in ecstasi ipsa sopitur visus, non auditus, nisi (vt dixi) ex parte. Plenius etiam in somno visus, quam auditus: nam delato lumine magno, tametsi apertis (vt multi facere solent) dormiat oculis, non expergiscitur. Auditus ergo tenuior est, & magis diuinus, quàm visus. Ob id etiam cæci multi, prudentes: non ita surdi. Cùm ergo visa in vigilia, certiora sint visis per somnum, erunt etiam visa in ecstasi (quæ vigiliæ propior est quàm somnus) certiora insomniis: & eadem ratione clariora & euidentiora. Quòd si somnus idola profert, quanto frequentius ecstasis. Et vt vigiliæ propria sunt semper idola, somno visa familiariora idolis: ita ecstasi idola familiariora visionibus atque imaginationibus quibusuis. Quemadmodum autem est via quædam somnum conciliandi: ita etiam ecstasin.

Quæreret autem quispiam non immeritò, cur in somnum naturaliter & singulis diebus decidamus omnes: tam pauci, atque pauci illi tam raró, decidant in ecstasin? adeò vt ob raritatem, & visorum euidentiam, plerique arbitrentur: Deorum esse monita quæ videntur per ecstasin, aut audiuntur: alij verò etiam fingunt talia esse.

Igitur causam esse reor, quòd difficilius sit circa medium consistere, quàm extrema: vnde etiam virtus: quia circa medium est, in ea consistere difficillimum sit: itaque non nisi per morbum in ecstasi consistunt homines, aut ex animi robore, aut proprietate. Ego ecstasin (vt alias dixi) cùm volo, patior: sed in ea tandiu consistere nequeo, donec aliquid videam, nisi postquam modum videndi imagines illas dæmonum instar inueni. An verò in ecstasi (vocant aliqui phanaticos huiusmodi homines, ἀναγωγὴν melius Dionysius, sed nec sub illo sensu propriè cùm diuina contemplantur: neque ergo est is mentis raptus, nec stultitia aut insania, nec furor sacerdotum Cybeles deæ: sed (vt dixi) naturalis status in medio somni atque vigiliæ, in quem ex doloribus etiam maximis sæpe numerò incidunt homines) liceat videre quicquam, ac simul audire, verè dubium est. Sed non, dum audiunt hæc, vident, verùm cum non audiunt.

Igitur planè somnus est? Non equidem: interturbantur enim voce, si audiant quicquam: vident autem cum non audiunt, audire tamen possunt: cum qui dormiunt, nec audiant, nec possint audire. In hoc ergo conueniunt somniantes, & ecstasi deprehensi, quod vtrique silentibus sensibus omnibus, & omnibus etiam (excepto auditu) vinctis, talia vident: sed ecstasi deprehensi audire possunt, qui dormiunt non possunt.

Cùm verò in ecstasi minus soluta sit anima à sensibus, & ob id magis quam in somno præpedita, oportet si videre aliquid debent, adeò illam purgatam esse, ac tenuis sensus, vt etiam alligata eatenus corpori ab imaginibus illis, moueatur: imagines autem illas vehemẽtius mouere: quare per ecstasin visa, vera sunt, & præsentia.

Porrò ecstasim efficere ex intenta cogitatione licet: tum etiam aliis modis. Diuinam autem non adeò facile: cogitationi enim intenta anima quomodo alia videbit?

Atque vt hoc nobis cum aliis commune est: ita proprium, sentire me prorsus vigilante cubiculum tremere, manetque diu id symptoma.

Cùm verò anno præterito bis, circa initium anni, iam die adulta, me cubante euenisset: statui, si rediret, animaduertere causam: nam cùm surrexissem, quieuerat: iterum cubante cùm rediisset, animaduerti esse spiritum leuem, qui non in corde, neque circum, sed paulo inferius palpitabat. Sed cùm tremor ille à nullo perceptus foret (dico cubiculi) id rescire non licuit, quia tum nemo aderat præsens. Vt ergo spiritus circumuoluti in cerebro, circumuerti quæ exterius sunt demonstrant: ita sub corde, tremorem illum circumstantium. Itaque desij timere, quòd morbi loco esset, non ostenti. At cum plures

sentiunt,

sentiunt, nec tamen extra cubiculum, osten-ti, & non leuis, loco habendum est. Verum ad eandem causam in illis etiam referri potest: vt vna causa sit communis.

Si igitur illa ex astris sit, vt cum pluribus simul aduenit, verisimile est portentum esse, & plusquam somnium naturale tamen, & vt somnium luctuosum, calamitosumque.

Obseruaui, cùm iam annus ab vtroque excesserit, an aliquid portenderet: timui enim meis. Sed Dei gratia, seruati sunt omnes: periit solum Gugliermus familiaris, adolescens valde mihi charus. Existimo tamen metus & solicitudines significare: tametsi naturali ex causa pendeat: quandoquidem causa illa generalis, non propria fuerit.

CAPVT IX.

De seipso duplicato.

DVo fiunt cùm anima separatur à corpore, ideo mortis est signum. Est & signum morbi in ipsis ægrotantibus, nec tum aliud quicquam significat: quoniam visum non est, sed turbulentia animi, ob vapores morbificos. Significat & in sanis vxorem, vel amicam, quæ te vehementer diligant: & fratrem optimum, est enim ferè alter: & optimum amicum, & filium tibi simillimum. Et decepturum te aliquem: nam qui decipit, duplicem se exhibet: vnum apud se, alium apud eum, quem decipit. Significat & ancipitem consilij: nam qui sic sunt, quasi duo sunt in vno. Oportet igitur occasionem præsentem considerare, & iuxta illam iudicare.

Potest & significare hominem tuo prænomine appellatum, ludente imagine, & grauia ad leuia transferente. Et tum diligenter animaduertere oportet, maximè si aliàs tibi fuerit ignotus: namque ab eo mali aliquid aut boni insignis habebis: tales enim sumus erga nos ipsos, vt vel vehementer nobis simus vtiles, studio vel errore perniciosi: id ergo decernit hoc, illum nobis adeò esse similem, vt sub nostra persona significetur.

Animaduertere autem oportet: quonam pacto alter ab altero ex ea duplicatione aliter atque aliter affectus sit: nam nisi aliquod fuerit discrimen, morbosum est. Sin autem fuerit, caue ne aliquem tibi simillimum aut coniunctissimum lædas, aut ab illo lædaris.

In hoc autem genere sunt etiam somnia, quæ supra cogitationem sunt: veluti est, in duobus locis simul esse, aliquid esse ac non esse, ac huiusmodi: quæ mens in somno concipit: dum vigilat, cogitare non potest.

Atque hæc quidem omnia vanas cogitationes, spes inanes, admiranda quædam initia, sed sine fructu portendunt: & persæpe etiam perniciem, vnde sperari nulla ratione poterat: & morbos & anceps consilium, ac inextricabilia negotia.

CAPVT X.

De expositione somnij in somno.

DEmiror maximè, illos qui de vna tantum re scribunt, adeò esse imprudentes, vt pleraque capita, & maximè vtilia prætermittant: in quibusdam autem adeò sint prolixi, quæ tamen ad rem multùm non faciunt, vt tædium pariant. Velut Artemidorus Daldianus, qui huius fermè princeps disciplinæ habetur, circa differentiam ciborum, quæ minima quasi est omnium quæ in somnis considerari possunt, singula quæque distinguit: at verò in generibus ipsis quæ omnia maximi sunt momenti, quàm multa prætermittit? velut hoc caput, & Tertij libri nostri partem maximam. Neque id factum ab eo est, quod solum comperta experimento tradiderit: tunc enim laudandus esset: sed constat, doctrinam ex resolutione illum facere conatum, sed non potuisse scopum attingere. Prætermisit & idem multa quæ à nobis in Primo libro tractantur: Secundum quoque totum. Neque in Quinti libri sui, qui Quarto nostro assimilatur ea attigit, per quæ fides somniorum confirmaretur. Ergo somnia hæc specularia vocantur: quoniam si quis speculum iuxtà ponat, videbit in speculi alterius effigie, quæ in alio conspicitur speculo, imaginem propriæ faciei, aut alterius cuiuspiam rei.

Exponam autem infrà duo exempla, vnius quidem in quo erat vestigium specularis somnij, alterius quod prorsus erat speculare, non solùm euigilatum: & de euigilatis suprà sermonem habuimus.

Videntur autem tria repræsentationum genera. Primum, cùm videmus rem, discernimusque qualis sit: vt mortuum, quòd mortuus sit, licet loquatur: non tamen eò peruenit mens, vt quod esse non potest, dum videt, somniare se intelligat.

Secundum, cùm cognoscit se somniare ob id, quod id videt, tale non posse esse verè cognoscit.

Tertium, cùm id superaddit, vt interpretationem audire somnij videatur: quamuis in hoc fallatur, quod tum cùm audit, vigilare se existimet.

Igitur in somniis specularibus, primùm quod maximè somnium est, considerare oportet, atque in eo versari iuxta regulas passim conscriptas. Quod si appareat expositio somnij, illam rursus comparare oportet ad ea quæ tum apparent: nam si ea expositio à diuo, aut sacerdote, aut sapiente aliquo fiat, Idoli rationem habebit. Sin autem ab incognito, vel amico quopiam, sed imperito: quæ ab incognito fit, si specie liberali sit, idolo proxima erit: sin autem improba, & viri praui, per oppositum erit interpretanda. Demum si à muliere, vel viro cognito vulgari, non tamen amico, ad simulachrum referenda erit. Ea igitur quæ expositione adduntur, palàm est, addenda esse somnio: velut si video me esse aliqua in vrbe, iuxta illa quæ

ibi videro somnium interpretari oportet: at cùm nomen ipsum ei additur, & nominis interpretationem iuxta ea quæ dicta sunt, addere oportet. Omnia quæ dicta sunt, in perspicuo esse intelligo, præter vnum: idest, cur addatur nomen illud ab alio: nec à seipso, vt reliqua, concipitur. Contigit id propter personæ naturam, quæ in considerationem venit: ergo in huiusmodi etiam habenda est ratio personarum, vt dicemus inferiùs.

Ergo in somniis specularibus id diligenter obseruandum, quod velut effigies vltima minus videtur: & in iride tertiam reflexionem videri negant: ita quæ succedunt primo somnio, sunt obscuriora præcedentibus: quo fit, vt etiam minus certa sint. Videntur ergo insita illa in profundiore somno: quoniam impressa firmiter non poterant obliterari: sed superueniente noua imagine, superinducitur velut cortex alius: & quod prius visum erat, obscurius redditur, sed additis nouis rationibus, faciliùs tamen suscipit interpretationem: vnde eiusmodi somnia semper imperfectam retinent expositionem, & inæqualem multiplicemque naturam. Fieri autem potest, quod aliquid proprium retineant: certè robustæ mentis signum sunt: vt etiam iris, quæ aliam remittit, necessariò valdè conspicua est. Diuersis etiam somniorum & imaginum & subiectorum substantiis constant.

CAPVT XI.

De somniis terribilibus.

Somnia terribilia ex rebus ipsis fiunt: si quis in prandio edat sanguinem nigræ ouis, aut agnæ, cum sale, dormieritque paulò post in pellibus nuper mactatæ eiusdem atque aliarum furuarum pecudum, nódum bene siccatis, somnia videbit terribilia: præsertim si pridie ieiunauerit, edatque cum sanguine illo in prandio tria folia solani viridis, eius quod erucæ similia habet decem aut duodecim stipitibus, à radice concaua alba cubito longa & crassa surgentibus, in quorum vertice nucleus quasi oliuæ fructui similis, sed pilosus extat, flore nigro, fructu corymbi, quali in hedera, sed paulò maiore ac molliore (quamuis vsus maior sit radicis) capiti verò supponatur silicis magni frustum cauum, nigro ac cinereo colore distincti, atque splendentis: huiusmodi enim est Necyomantia Homeri, poëtico & antiquo sub velamine ab illo descripta. Forsan & radix herbæ quam Veneti vocant *Beladona*, loco solani faciet: aut fructus ille spinosi mali. At verò meliora & certa euadent, si horum loco panem cum amygdalis recentibus, & sale saccharoque edat, ouium albis pellibus incumbat, caseumque ouis edat, aut sanguinem candidæ ouis: similiter in prandio: lætiora enim & puriora somnia euadent: capiti quoque candidum silicem substernat.

Cæterùm si non ex cibo terribilia se insinuent somnia, proculdubio magnorum impendentium malorum signa sunt: nam si etiam ex humoribus accidant, furorem aut melancholiam significant: aliter autem mortes, luctus, carceres, tormenta, exilia, longos morbos, insidias, iras principum, infamiam, iniurias inultas, persecutiones graues & diuturnas, mendicitatem, & mille alia quæcunque possunt excogitari mala portendunt. Sunt autem terrorum plura genera: pessima hominem excutiunt è lecto: perniciosa enim semper sunt: inde, quæ surgere cogunt: post, quæ clamare. Quæ ad nihil horum impellunt, non adeò vndequaque sunt exitialia. Sunt autem deteriora, in quibus nihil certum cognoscitur, aut in quibus quod futurum est, perspicitur tanquam idolum: vt se à latronibus vel ab aliquo alio occidi. Quæ autem à mari, fluminibus, terræ motu belluis, igne, fulgure, grandine, supplicio impendente, minus mala sunt: illa enim plerumque humorum exuberatium præter rationem sunt affectus: hoc vltimum verò vnum propriam habet significationem, quæ suo loco dicta est.

Filio Violantæ Marinonæ, matronæ nobilis, duodecim annos agenti, antequam crudeliter à familiari, cui pueri cura demandata erat, occideretur, multis diebus apparuit somnium, quo occidi videbatur, & cum clamore expergiscebatur.

Terribilium somniorum sexdecim sunt differentiæ: alia enim fiunt propter montes & ruinas, alia à fulgure, alia à terræ motu, alia à casu, alia à naufragio, alia à supplicio publico, alia à latronibus vel aliis hominibus, alia à feris, alia à serpentibus, alia ab obscuritate, alia à die Iudicij, alia ab incerta causa, alia à morte, alia à peste, alia à fuga, alia à mōstris. Harum omnium, casus & ruina semper maximū malum significant. Incertus quoque terror malus est, sed non adeò. Naufragium etiam malum est, & iacturam significat, turbas & tumultus. Terræ motus, publicum supplicium, & mors, fuga, & monstra, & obscuritas non semper malum portendunt. Dies iudicij significat iustitiā in loco illo in quo apparet iudiciū illud & finem curarum & negotij. Monstra, significant hominem notum sub ignoti ratione. Obscuritas autem, errorem, timorem atque ignorantiam. Fuga hominum bellum portendit, & pestem, & calamitates publicas: non tamen necesse est vt somnians ex his lædatur. Serpentum ac ferarum timor ingens, si non lædant, malum non portendunt, sed periculum tantùm. Si autem te aggrediantur, etiamsi non lædant, modò in pugna somnium soluatur, malum significant.

Omnia præterea somnia quæ perpetuam significant coniunctionem, aut separationem, & quæ ad ea quæ ad funus pertinent, & quæ ad pompam, & quæ ad mutationem vitæ (de quibus suo loco dicetur) periculum indicant, & suspitione non vacant. Sicut & vehi in animali magno, maximè elephante, & præcipuè mulierem, tum ob naturam rei, tum quia feretro elephas assimilatur. Et si quis monte deferri videatur, dupliciter periculum portēdit: & magnitudinis ratione, & naturæ repugnantia. Sic discessus in longinquas terras, & vale & salue suis intimis: domus in cœlo, in nubibus, sub terra: liberari, cùm non sis seruus: exire è carcere, cùm in eo non sis:

nubere

nubere senem, diuortium celebrare cœlibem esse in vtero matris: concumbere cum mortuis, mastrubari, fellare: dare vestes, argentum, cibos illis: in tenebras ingredi cum eis, nec exire: deferri ab illis, nauigare, concedere vestes proprias, quas induat & exuat, terribile est, atque mortiferum. Velut & cum diis iungi, verberari ab illis, colloqui cum mari, ebibere totum vnum flumen, conflagrare vel ruere domus culmen, amputari vel conflagrare pedes, hiatus sepulchri paterni, oculis ambobus aut naso carere, aut etiam capite: ossa nudata sua cernere, lugubrem habitum suorum videre: matrem sibi incumbere, pascere minuta animalia, tanquam abeuntem lachrymas fundere: vocari se à dæmone, aut mortuo cognito, nec eum videre, sed agnoscere cuius sit vox: domum sacerdotibus aut luminibus plenam videre, claudi in arca, frumentum aut plantas è corpore oriri: mures, formicas, in os vel aures ingredi: liberum ab omni solicitudine esse cum coniunctis tuis mortui celebrare nuptias, lethalia valde sunt. Magistratum, quem ciui non liceat gerere, aut dignitatem muliebrem adeptum esse, vel è collegio alienæ vrbis, quod ciuibus illius vrbis tantùm concedatur, etiam mortis signum est. In cauponam & lupanar incognita ingredi, nec egredi, aut ad Tartara descendere cum hoc proprium mortuis sit, & sub terra, illa verò sint communia loca, mortem significant. Vestem ex ea materia ex qua tegi solet feretrum, induere: talia agere, pati, priuari, quibus solent cadauera aut mortui priuari, agere, pati, omnia funesta sunt. Præterea luteum testaceum factum esse: aut etiam testaceum, verti in immortale aut immortalem esse factum mortale rursus. Ceræ somnium propter plura terribile est, & lethiferum: cera enim cùm ex aluearibus detrahitur, apes pereunt. Cera alba funera decorantur. Mortuis omnia languent, velut quæ cerea sunt: imagines quoque cereæ solent templis appendi, cum quis magnum euasit infortunium. Cera vtimur in vlceribus quibuscunque, tum doloribus, ac similibus. Vestes induere ligneas aut lapideas, lethiferum rursus est. Focum apud exteros ædificare, sibi extruere sepulchrum, atque adornare: domum ignotam ingredi, in qua plurimæ sint officinæ, cuius habitatores mortuos esse intelligas, mortem portendit.

Terribilia somnia sunt, quæcunque ingens aliquod malum prænunciare solent. Sunt autem mala ingentia, mors tum propria, tum coniunctissimorum: vincula perpetua, vt deportatio: morbus aliquis insanabilis, & fœdus, vel sæuus, vt elephantiasis, carcinoma, lapis vesicæ, & pauperi hernia, & amissio visus aut auditus: tum extrema inopia: reliqua omnia à forti viro ferri non solùm possunt, sed debent: vno adiecto, quod omnibus deterius est, licet feratur, insania scilicet.

Aliqua verò terribilia dicuntur insomnia, ab effectu non significato: qualia sunt, si quis se inter dæmones aut mortuos videat, à quibus terreatur: hæc enim somnia nihil terribile significant: quoniam substantiam definitam non habent, eò quòd apud multos huiusmodi opinio inanis habeatur, scilicet vel quòd sint, aut quòd lædere possint. Et similiter terror rerum quæ non perficiuntur: vt si mons cadere videatur, non tamen cadat, aut in alium locum decidat atque ita de fulmine: hæc quidem pericula, non damna significant: illa verò, inanes aggressiones ac metus. Quæcunque verò ex his à quibus timere non debemus, videntur terribilia, siquidem à parentibus iustisque viris, flagitia nostra denunciant: si autem à filiis, aut improbis parentibus, quibus tamen dum viuerent, chari eramus, errores nostros, qui nobis damnum ingens sint allaturi, ostendunt.

Omnia acria, & præcipuè allia, cœpe, sinapis, & siliqua rubra, luctus & lachrymas decernunt. Hæc quidem (dices) superiùs enarrasti: sed tamen si lachrymas, si suspiria, si terrores excutiant, longè deteriora erunt, & firmius habebunt significatum. Miserabilis quoque disiunctio à te, luctuosa est, si vel parens, aut filius, aut frater vxorve à te discedat. Quod filius & vxor vale sibi inuicem dicant, tu autem defleas, hunc discessum si quidem primus luctus signum non edat, ille solus morietur: si autem edat, ambo morientur ex hoc somnio: velut contingit Timagoræ & Meleti, qui vna nocte perire. Et communis luctus significatio est, videre coniuncti etiam lachrymas, aut gemitum, suspiriave: affici verò eo dolore, veluti si cui videatur cum terrore vxorẽ lachrymas effundere, morietur communis filius: & si ipse afficiatur adhuc, filius morietur: nam non lachrymas effundit: quia non vt illa quod futurum est, nouit. Sed si omnino non afficiatur, aut non morietur filius: aut morietur filius quidem, sed inuisus non matre: luctum significant, quæcunque consueta sunt genti: atque in his mores potius quam rem spectare oportet. Alij barbam nutriunt, vt Itali: alij radunt, at olim Græci: alij cineres super caput spargunt, vt Hebræi. Suas ipsius carnes edere, aut etiam mordere, luctuosum est. At si cui ex domesticis aut domino domus, nouæ portæ in domo ipsa videantur, dominus domus morietur. Quod si præter id, etiam intus videamur claudi, ea mors exitium toti familiæ afferet.

Porrò in igne esse, vel glacie, lectos multos videre, ac etiã per illos ambulare, & super eis nec non vnguenta parata, æstus animi ac corporis significat, & calamitates: non tamen adeò, vt luctus acerbus: si tamen cum miseratione, sint ac terroribus, nonnunquam etiam luctu, seniores erunt. Volutari in cœno, iacere in fimo, linteo detergi post sudorem, aut sudare sanguinem, præsertim toto corpore, maximas ostendit calamitates: sæpe verò quæ detergit causam calamitatis. Mœstus, & multo silentio videre obrutos amicos atque coniunctos, magna declarat infortunia. Idem, sed non adeò magnum est, si viderit inimicos lætos, ridentes, congaudentes, Deos, aut propitium diuum audire dicentem: Væ tibi, aut tristem & lacerum, vel quasi exarmatum videre, miserias sine auxilio aliquo portendit. Coniugium cum dæmone, cum tartarea furia, cum serpente, tum magis concubitus, etsi pestifer sit, saltare cũ sceleto, cerebrũ in

in domum admittere, funesta, prodigiosa, horrendaque sunt, furereque semper. Praeterea obcaecare, obsurdescere dentes omnes cadere, ruere ex alto, brachia amittere, aboleri nomen tuum, si non exilium hoc significet, maiora certè mala portendũt. Vngues aut pilos omnes cadere, maximos saltem, terrores indicat, & imbecillitatem omnium operationum, magnamque omnium bonorum imminationem. Cyclopis visio inauspicata est: & illius antrum apertum, & tragœdiarum repraesentatio, formidolosa sunt, & ruina pulchri ac nobilis aedificij. Sacrificare cacodaemonibus aut diis inferis, luctus aut mortem praenunciat. Si cui vel regi vel priuato videatur auferri dimidium eius quod possideat, primum quidem ab inimicis spoliabitur bonis: inde etiam paulò post morietur: nam vt dici solet, dimidium est plusquam totum. Omnia in domo etiam conuersa videre, vt puteum, latrinam, vasa culinae, vinaria: euersionem bonorum omnium, dico opum, actionum, & amicitiarum significat. Refert Scirnacham Indus, quendam adesse Serim illius magistrum, interpretemque somniorum, ac dixisse: vidi me equitare equum praestantem, & cùm ambulassem mille passus, illum sustuli humeris, ac detuli tantundem: cui Serim dixit: Quando hoc vidisti? tum ille: Sub aurora: cui Serim: Breui in praelio occideris. Quaecunque etiam magno cum strepitu & absque lumine fiunt, aut sub terra reconduntur altius, mala significare solent.

Quae verò miserabilem inopiam portendunt, sunt cum gemitu aut terrore, sed hoc rarius: aut cum lachrymis, quod frequentius est. Si quis segetes suas ab alieno demeti videat, fructus colligi sibi eradi omnes pilos, atque barbam tõderi, vestibus spoliari, si detrahi sanguis, si quicquid est in quo maximam spem collocauit, si frigus, & niues, tum verò grãdines & pruina, dupliciter inopiam significare solent: & ob frigus, & quod fructus ac sata destruere soleant. Tum verò sordidus panis, & furfureus, & fractae arcae, & aqua pro vino in doliis & in mensa, & murum atque aranearum abundantia, & culcitra antiqua & obsoleta, & lectus sordidus: omnia haec summam pauperiem denunciant. Sed & collo vinctum esse, si voluntariè, amicis aut adulatoribus sua largietur: si per vim, auferẽtur litibus, aut ab inimicis, & omnino per vim: vt à principe magistratibus: nam vincti, vt liberentur, omnia dare solent. Venter quoque vacuus paupertatem nunciat: & si flatu plenus sit, diues tamen existimabitur. Et si vulnus insanabile accepisse videatur, breui omnibus bonis spoliabitur. Ex propriis autem signis paupertatis, atque causa potentioris viri est, cum tu vel domus tua vel ager abducitur à flumine vel torrente. Sed si mergi & aqua obrui videatur aliquid horum, impensis propriis & à creditoribus spoliaberis.

Nihil tam simile est paupertati extremae, quàm morbus: qui enim ab alterutro horum premuntur, pariter multis indigent, alieno imperio parere coguntur, frigus & aestum patiuntur, tristantur, aliorum auxilio opus habent: quod destinarunt, efficere nequeunt, tum multa alia. In vniuersum somnia terribilia plerunque mala sunt: atque eiusdem generis malum portendunt, quale est causa terroris: Et si cum miseratione sint, luctuosa sunt. Et si perseuerent cum ignota causa insaniam denunciant. Et somnia mortuorum & ignotorum hominum, sunt eius significatiua.

CAPVT XII.

De somniis magnis.

Somnia magna trifariam adueniunt: aut ex actionibus nostris, aut tempore, aut euentibus. Actionibus quidẽ nostris, vt potissimum cum inierimus magistratum, aut decreuerimus aliquod magnum opus inchoare, vel cum mutauerimus regionem. Et generaliter in omnibus initiis, vel sub initiis magnarum mutationum: & praecipuè cum quis in templo magno, Deo & diuo loci sacrificauerit, ibi moram ducturus. Ex tempore, in initio anni scilicet, calendis Ianuariis, in die proprio natalitio, primo die lunae: sed hoc rarò extenditur vltra mensem, quod promittitur: & similiter in Calendis mensis: vel si quid videatur die aliqua, qua quis inierit magistratum, aut dignitate ornatus sit, aut parentes aut filium aut fratrem aut vxorem amiserit, aut infortunium aliquod passus fuerit. Ex successu, cum quis videns praeclarum somnium, ex inspirato aliud quid ei succedit magnum bonum, malumve: velut si quis videat se decutere capita multorum papauerum in horto, aut viuus sepeliri, inde praeficiatur vrbi: primus quidem, multos homines ex eo magistratu, etiam praeter consuetum occidet: secundus, in carcere tetro & sub terra diu manebit.

Dicuntur autem magna somnia, quae ex tribus vnum significant: scilicet aut mortem, aut generis vitae mutationem: aut monent nos de aliquo impendenti malo magno, vel bono, quod diuturnum erit, non tamen perpetuum: velut si quis in carcere, vel aeger toto biennio futurus sit. Et si etiam perpetuum sit, non tamen multa significet, erit magnum, & non fatale. Omne enim fatale somnium magnum est, sed non omne magnum est fatale. Si quis ergo moneatur de vxore impudica quam duxerit, filio improbo quem susceperit, vel suscepturus sit, aut paupertate aut exilio, seu finem haec sint habitura, seu non, magna dicuntur. Et si moneat, nec sequatur effectus, magnum tamen erit somnium. Et plerunque gratum hominem Deo ac pium esse significat. Quod si improbus moneatur, vel ad maius & crudelius supplicium reseruatur, vel illud contingit causa publici commodi aut vltionis: vt in Sylla & C. Caesare dictatore. Ergo de equo, de leui morbo, de cubiculo patruo, vel amico, non propriè dicitur somnium magnum: sed de nobis, atque intimis.

Quae autem significant, sunt Dij, Diui, Heroës, Daemones, Statuae, Astra, Cœlum, Elementa integra, Fulmen, vxor, oculi, cor, pedes, domus, fastigium, mortui intimi, voces etiam ex his: tamen à rege & à parentibus perceptae. Ex impressione facta stabili, & vt

diu

diu imago illa somnij ante oculos obseruetur tanquam nuper visa. Ex affectus etiam magnitudine, cum anima quasi admirata remanet. Et ex affectibus magnis, si aliquis in ea relinquitur. Solent autem magna somnia plus mouere affectum Fatalibus: tum quòd sint vnius tantùm generis: tum quæ non sunt exitialia, magis videntur afficere animam, cum exitialibus magis succumbat: vt etiam in morbis videmus.

CAPVT XIII.

De somniis fatalibus.

Fatalia ergo ex horum genere sunt, sed ad mortem vsque extenduntur, & cursum totius vitæ, non vnum infortunium, aut felicitatis genus vnum decernunt: nec monent Fatalia vt vitentur, sed impellunt potius. Plurimum autem refert an somnium Fatale sit, & ad vltimam horam extendatur: etiamsi non Fatale sit, sed vnius tantùm generis boni aut mali, modò ad mortem vsque perueniat. Nam vt in libris de vtilitate ex aduersis capienda docuimus, duo sunt genera importunæ mortis, vel infelicem mori ac pauperem cum filiis, vel cum filiis stultis: aut felicem sine illis, ac etiam sine nepotibus, quósve ne diligas, aut si sint inutiles: modicum ergo tempus quod finiat, vel felicitatem, vel infelicitatem, aut statum vitæ, multum conducit aut obest: vnde Fatalia & perpetua à magnis scire distinguere, quæ non ad vitæ finem perueniunt, plurimum interest.

Et quamuis, vt dixi, non aliis signis aut causis quàm magna distinguantur, & eisdem temporibus accidere soleant: nihilominus natalitiis diebus deciminoni, & trigesimioctaui anni, & quinquagesimiseptimi, quòd huiusmodi conuersionibus astrorum status priori assimiletur plurimum præcedenti, plus tribuendum est. Et velut, si anno quadragesimosecundo muneri profitendi addictus fui, anno sexagesimosecundo natali die, vel die consimili electioni somnium aliquod videro, magnum erit. Sed quinquagesimoseptimo peracto, fatale: nisi septuagesimumsextum excessero.

Sunt autem Fatalium somniorum tria genera. Primum, cum solus exitus demonstratur: vt Philippo, quòd quadriga periturus esset: sed id pro oraculo habitum. Secundum cùm vitæ processus, vt Cæsari Dictatori patriæ dominatio, ex matris concubitu. Tertium, quod exactissimum est, cùm vtrumque: vt Septimio Seuero Imperatori: nam & quòd imperaturus esset, & quo animo moriturus, per somnium vidit. Solent autem Fatalia somnia ex idolorum genere esse? quòd à causa fiant validissima. At dices, exitij somnium fatale nō videtur, si nec morbi ad interitum terminantis. Respondeo, quòd cùm exitium multò ante præmonstratur, variante interim vitæ genere, videtur in illo exitio quicquid est inter medium, cognitum fuisse: ac velut Poeta ille dicebat:

Nascentes morimur, finísque ab origine pendet.

At secus est, si quis ante morbum statim se morbo laboraturum, ex quo diem sit obiturus, intelligat: nihil præter morbum, & vitam cum morbo agendam, somnium illud præmonstrasse videtur: ideo magnum est, propter exitium: fatale non est: quia vitæ nullum decursum ostendit, nisi morbum.

Conueniunt & Fatalia parentibus pro filiis, vt de Astyage memorant: quod tamen (vt Xenophon, qui prætermisisse videtur tantam rem) fabulosum existimo: ex manu enim aui Cyrus (vt dici solet) regnum accepit: constat sanè, in ortu filiorum parentes fatalia de illis somnia vidisse: velut de Scanderbego Epirotarum rege, quem referunt, cùm in vtero adhuc esset, matrem imaginatam fuisse parere serpentem, qui totam Epeirum tegeret, capútque in Turcicam regionem extenderet, Turcásque deuoraret: caudam Venetias vsque deduceret. Sunt & alia, sed propria, partim aliena. Guglielmus Ruffus, Guglielmi Normanni primi Angliæ regis filius, per somnum vidit, abruptas sibi brachiorum venas sanguinem mittere. Solidarius autem vir imaginatus est, eundem regem à Christi statua percuti. Itaque cùm hoc somnium alius quidam narraret, qui aderant, eorum vnus cachinum sustulerat: is fuit, qui in venatione regem fortuitò, dum feram occidere nititur, peremit: ac quod maius ost, euasit: vt diuino miraculo, & ab inuito rex occideretur, & illi impunè esset, ne non diuino iudicio interemptum quis posset dubitare.

Sed & prioris Guglielmi felicitatem mater, quamuis concubina, non legitima vxor esset principis, præuidit. Héricus quoque Rex Angliæ eius nominis primus, somnio monitus est, vt à flagitiis abstineret: idque fatalis quoddam aliud genus insomnij fuit. At Richardi etiam Tertij regis eiusdem gentis fatale somnium ostendit, quòd malè ob flagitia esset periturus.

In vniuersum, genus vitæ fatalia somnia demonstrat: nostra quidem tria alibi narrauimus: ob id repetere non decet. Sunt etiam fatalia, quæcumque cum miraculo coniuncta sunt: vt somnium illius qui nucem se in manu habere somniauit: & experrectus, cùm antea non habere se deprehendit: quod ei exitiale fuit. Similiter & de Galba: quo adeptus est imperium. Et somnia magistratuum perpetuorum fatalia sunt, etsi magnum aliquid non significent: neque hoc necessarium, nisi quoniam fatale omne somnium (vt dixi) necessariò magnum est, cùm ad vitæ finem extendatur.

CAPVT XIV.

De somniis repetitis.

Repetuntur somnia eadem nocte sæpe, & interposita quandoque etiam vigilia. Et sunt somnia quæ pluribus noctibus repetuntur.

tur. Quæ ergo eadem nocte, & antequam expergiscamur redeunt, plerumque ad humores pertinent. Si tum nihil euarient, & de rebus sint ad humorem non pertinentibus, rem præteritam nuper ostendunt. Si verò interim homo expergiscitur, die sequenti succedent, iuxta temporum tamen rationem dictam. Quæ ex genere sunt idolorum, si mortem significent, vel quodcunque aliud, omnino euenient, & statim: sin autem visionum, & repetant, quæ mortem significare solent, non significabunt: nam mors non sæpius redire solet? visio verò aliud significat, quàm ostendit. In cœlum ergo ascendere, vel habere ibi domum, etsi mortem significet, hoc tamen sæpiùs videre, non mortem, sed gloriosum factum, aut in Republica dignitatem prædicit.

Quæ verò longa post tempora repetunt, non secus ac nostra negotia, quamuis eadem, diuersa tamen significant, sed quasi sub eadem similitudine. Velut puero, iniuria aliquem afficere, est verberari: nam iniuria creditur affectus ab eo, qui puerum verberat. At iuueni significat, offendi ab illo: nam hos iniuria afficere conamur. Seni, stultè se gesturum erga illum, denunciat: nam senex cùm sit imbellis, & suis incommodis satis oneratus, stultè facit, cùm quærit odij causas.

Similiter puero basiar, pati turpia significat: quoniam huiusmodi oscula præcedere solent: viris autem, & præsertim artificibus, lucra: nam amant, qui lucrum exhibent: senibus irrisionem; absurdum enim est, & non seriò dignum, senem osculari. Somnium ter repetitum pro oraculo habendum est, vel etiamsi res constet, quædam verò aduentitia solùm varientur.

Somnia repetita si frequentent, aut post longum tempus repetantur, non procul esse quod significant scias. Sin autem per certa quædam spacia recurrant, nec singularem emphasin vltimum retineat, futurum insigne aliquid, sed nondum instare declarant. Somnia repetita aut repetitos effectus nunciant: velut Phratrio Gaspari, cùm volare se somniaret, ægrotabat: aut si nõ repetatur effectus, & nihil succedat, magnum aliquid est expectandum: cùm enim redit gerulus sæpe, aut cumuli multi fiunt, aut magnus necessariò aceruus.

Somnia repetita in quibus recordamur aliorum actiones nostras potius quàm casus, sed insignes prænunciant. Multos idem somnium videre, veritatis argumentum est. Sed cauere oportet, ne (vt Claudius Cæsar à Messalina & Narcisso) deludamur. Somnia monitoria perseuerantia, magnam fortunam & grandes progressus significant. Somnium repetitum, sed quasi contrarium, cœptum negotium euerti debere significat. Si non contrarium sit, sed exitum valde habeat dissimilem, pro diuersis significatis interpretandum erit. Præsertim autem in prægnantibus repetitionem animaduertere oportet. In infantibus etiam, ac pueris, seu per ipsos, seu per parentes si sæpius eadem videantur, magnam habet efficaciam. In senibus verò repetita somnia aut mortem, aut sacerdotium, aut, si pecunias habeat, emptionem domus vel fundi significat, quando nil aliud insigne factum contingere possit. Quandoque etiam in cruda senecta mutationem patriæ ostendunt. Serotina enim tanquam fines, magnis iudiciis prænunciari solent.

Somnia repetita parum ad hanc tractationem spectant: quoniam plerumque idola sunt, vel ex memoria præteritarum actionum contingunt. Propterea vulnerari, in carcerem trudi, cruciari, cædi, iniuria affici, vel etiam ab homine noto, idem significant quod per somnium prædicitur: nec aliunde petenda est interpretatio, cùm sæpe repetierit.

CAPVT XV.

De somniis consuetis.

Consueta somnia sunt, quæ non solùm sæpè, sed sæpe & sæpius adueniunt homini: & in hoc à repetitis differunt. Raro hæc aliud significant quàm humorum dominium, aut naturalem animi inclinationem; & ob id nec illa negligere oportet. Velut mihi tria fuere consueta, sed duo quidem tota ætate, vnum autem in pueritia. In pueritia quidem, videbam gallum, inde loquentem humana voce audiebam: & dæmonem imaginatus, parùm aberat ne ex lecto me deiicecerem, nisi matris & amitæ cura, inter quas cubabam, detentus essem: surgebam enim, & nonnunquam clamabam. Id indicabat, sanguinem tenuem & atrum cor petentem, & ex corde ad cerebrum delatum.

Secundum erat, quod videbar plerumque in templo diui Laurentij, nonnunquam Diui Stephani, videre tartara plena animarum, quæ in tormentis essent: & in ipso ambitu templi ossa mortuorum plurima, & strues etiam, quemadmodum aliquibus templis vetustis spectari solent. Tartara autem in profundissimo barathro, iuxta templum. Indicat illud, curas graues, & tristitiæ causas, quæ ob philosophiam in vigilia attingere animum non possunt, vexant in somnis illam præsidio destitutam. Tertium est, de volatu in pueritia quidem nonnunquam tamen aliàs, post autem sola iactatione crurum & pedum: & ideo sublimis non esse solet, sed ad summum vsque domorum culmina. Significat corpus mundum à grauioribus humoribus, & appetitum indefessum noua inueniendi, & gloriam ac nomen parandi: sic ergo solum naturalem affectum decernit, non aliud. Ex his tamen naturam hominis perdiscere licet.

Est & quartum genus, quod mihi non obuenit, quod versatur circa actiones: vt in facinorosis, qui terrentur in somno, & significat mores & vitam hominis: non enim nisi sceleratis talia accidere solent.

Quintum genus est, cùm aliquis magnam fortunam adeptus est, aduenit genus somnij ad illam actionem excitans: seu bellicam gloriam, seu studia, seu religionis cultum. Estque quasi genij proprij imago quædam, seu bona, seu mala. Consuetas videre operationes, qualescunque sint, omnino nullum habet significatum

significatum. Et si videat, ad somnia irrita transferendum est. Si verò immutatas valdè, vt si medicus videat se clysteria imponere, vel sanguinem mittere, quæ ad tonsoris officia pertinent, aut venenum pro medicamento propinare, significat mutationem præsentis fortunæ, & varium euentum, & expectationem euersam: cogitur ad insuctam normam transire.

Et somnia quæcunque quamuis parua, in magnis viris magna euadunt, & maximè his qui virtute vel vitio fama inclaruerunt: at contrà magna in humilibus, sordidis, ignauis, vel abiectis, parua omnino euadunt, & maximè si bonam fortunam polliceantur: nam mali euentus cuique præsto sunt, boni non ita: & maximè (vt dixi) humilibus & ignauis.

CAPVT XVI.

De somniis compositis.

Meminisse decet genera esse quatuor somniorum: ἀναμνωστικὸν, cibarium, ex humoribus, & visionem: & quomodo distinguantur scire oportet.

Rursus somniorum diuinorum tres insuper esse differentias: Imperatiui, interrogatiui, & docentis. Alia est diuisio, in perfecta & imperfecta. Quædam rursus pertinent ad affectus, quædam ad actiones vel passiones, & quædam ad opera. Rursus somniorum quædam significant generalia, quædam propria. Et iterum, quædam generaliter significant, vt terror, commiseratio: & quædam specialiter, vt terror ob leonem, casum montis, casum è muro.

Sunt etiam perspicua, obscura, obliuiosa, confusa. Alia etiam consueta, iterata: alia idola, alia visiones, alia ecstases & media, Sunt etiam ordinata & interturbata: & continua & fracta atque diuisa.

Sunt præterea distinctiones ex affectibus animi, læta tristia, iucunda grauia, efficacia remissa, tranquilla, cum agitatione, cum spe, cum metu, cum commiseratione. Quædam longa, alia breuia: alia conuenientia personæ, alia incongrua: quædam verisimilia, quædam absurda: quædam quorum partes cohærent, quædam quorum admodum discrepant: quædam etiam magna, alia parui momenti: quædam obliuiosa, quædam quæ admirationem in animo relinquunt, & illi diu impressa insident. Quædam præterea res ostendunt, quædam imagines rerum: quædam auditam orationem, & quædam scriptam. Permiscentur etiam simul eodem tempore, quandoque solum inunguntur.

Scire autem oportet vnumquodque genus seorsum agnoscere. Porrò genera inter se distinguere docuimus superiùs: paulò pòst verò, etiam idola à visionibus. Sed & plures alias ex his differentias suis locis retulimus. Imperatiuum somnium, seu quod nos admonet, ab aliis duobus generibus dignoscitur, quod circa mediocritatem versatus. Neque enim in eo sol, luna, stellæ, leones: nihil terribile præter Deos, diuos, dæmonas, mortuos, & quæcuuque humana forma pingi solent, in illis videmus.

Verùm mista somnia genere eodem modo distinguuntur inter se, quo etiam dignoscuntur: quanquam hoc facilius sit ob continuitatem & similitudinem, Velut ergo prius diapason noscere discimus pòst diapente, inde diatessaron, demum diatriton & diaecton: ita & maxima primùm somniorum discrimina pòst minima. Ita & cùm sculpere aut pingere vel celare discimus, primum crassiore modo membra maiora distinguimus, demum vsque ad minimas partes deuenimus. Si ergo diuersi generis somniorum vnum alteri succedat, irrita fiunt, nisi sint connexa. Ex tumultu enim animæ & spirituum accidunt. At quæ in diuersis generibus sunt, sed connexa, vt cùm ex actione ad actionem transimus, faciliùs percipiuntur.

Proponamus quòd homini videatur, asinum alienum equitare, inde descendere, inde asinus fugiat ad dominum suum: si quidem amicus ille fuerit à laboriosa administratione priuaberis, sed molesta: si inimicus, à lite quam cum illo habes, & forsan ipse fiet victor in ea causa. Somnia igitur mista in eodem genere, differunt à mistis ex pluribus generibus: quoniam quæ sunt in eodem genere, sunt difficiliora, & obscuriora, & efficaciora, cùm sint ab vno impulsu: quæ verò mutant genus, non sunt adeò diuturna: quoniam non indicant successionem, sed conditiones insomnij. Rursus, somnium mistum ex pluribus eiusdem generis, vt potè actionibus, vel tribus vniuersalibus, vt specialibus, constat vel consilio tantùm, vul fortuna, quibus ambobus omnes res hamanæ aguntur: consilium quidem & error ad actiones pertinent, fortuna ad rem. Somnium etiam ex pluribus eiusdem generis rebus mistum, magis congruit homini ipsi, & somnianti: & corpori, sed quod est vnius generis, aliis & coniunctis & animæ affectionibus. Melius autem est, in malis somniis confestim consulere interpretationem, ad vitanda mala: sed in bonis ne curaueris scire, ob id quod somnium tunc portendit spem & scientiam, & initium rei, non autem rem. Si autem somnium sit de gloria, de sapientia, de sanitate, statim debes quærere interpretationem: plurimum enim proderit ad effectum rei perfectè celeriter ac facilè consequendum. Ita in omnibus calamitosis, & quæ sunt eorum quæ in tua sint potestate, aut in quibus consilium plurimùm valeat, vtile est scire quid significet somnium: sed si sit de re fortuita, tunc debes omittere interpretationem, donec res iam in tuto sit, vbi sit: postmodum quærere significatum, vt possis te dirigere ad augendum illud, exornandumque.

Mistio in eodem genere, sæpe significat vnius interitum: velut oculos habere in auribus, significat cæcitatem: audiet enim, quæ videre vellet: nasus in oculis, amissionem olfactus: & aures in oculis, auditus. Sic etiam nasus in ore, olfactus amissionem:

gustu enim odorem probabit: at os in oculis, non idem significare potest, nisi quod gustus sensum quis amittere potest: & ego vidi in Augusto Corbeta: ita in auribus, audiet qualis sit ab aliis cibus & potus. Attamen & os in oculis alio modo significare potest: scilicet, visurum charum amicum: amicus enim iucundus est, iuxta illud Horatij:

Nil ego prætulerim iucundo sanus amico.

Quod autem iucundum dici solet, est, quod gustum delectat: oculi itidem in ore, nil iuxta primam interpretationem significare possunt: neque enim licet cæco ore, quemadmodum auribus, de omnibus certiorem fieri: ob id significat prudentia in sermone opus esse: nam os quæ solum offeruntur, tractat: oculi autem longe prospiciunt. Quòd si oculi illi æneí sint, vel plumbei, vel cretei, verbis ex suis intelligat detrimentum & infamiam accepturum. Si manus in oculis sint, aut segnis erit, & quæ facere debebit, inspiciet, aut consilio magna peraget.

Est etiam in eodem genere vtrumque contrarium: vt dies & nox, calor & frigus, læticia & tristitia, turpe pulchrum, dolor voluptas, diuitiæ paupertas: omne igitur contrariũ cõtrarium significat: quia significat quod futurum est: id autem fiet: quod autem fit, ex eo quod non est, fit: igitur contrarium contrarij index est. Et rursus, quia in somnio res videntur vt in speculo, in speculo autem apparent dextra sinistra, & sinistra dextra, & quæ sursum quandoque deorsum: & si speculum planum non sit, difformia, maiora minora, conuersa curua, & alterius coloris: ita & in somno. At quia vnumquodque fit à suo simili, apparent necessariò similia: sic enim imagines sunt rebus futuris, à quibus fiunt, seu ab earum causis: similes.

Præterea si fierent à contrariis quibuscunque fierent ab infinitis contrariis, vt nihil incertius. Dicendum est ergo, quod fiunt à similibus generaliter, seu maxima ex parte: aliter homo diues, albus, magnus ac sapiens, fiet ex rubicundo, paruo, stulto, paupere: quo nihil esset incertius.

Dicemus ergo, quod contrarium fit solum ex contrario ea in parte, qua fit: vt diues ex paupere, non albus ex rubicundo: non enim fit albus, sed est albus: ideo non est necesse vt appareat rubicundus aut niger in somno. Ex his autem in quibus contrarium ex contrario fit (quod solum est mistum in eodẽ genere, cùm (vt dixi) partim tunc necessariò fiat ex similibus & vno contrario, vt sciamus quidnam sit, aut omnino ex similibus, & est simplex illud, distinguendo dignoscemus: quæcunque enim perfecta sunt in suo genere, cõtrarium significant: vt dolor, voluptas, pecuniæ, filij: non enim idem significare possunt: idolum enim esset: idolum autem omnes rationes rei secum coniunctas habet: significant igitur contrarium. Imperfecta autem significant pro sui ratione: non enim contrarium habent, quoniam actionibus carent: vt iucundus odor famam, aues & flores voluptatem & iucunditatem, colere agrum diuitias: ex cultu enim agrorum fructus colliguntur, ex quibus diuitiæ comparantur. Hæc ergo est ratio somniorum simplicium, & mistorum eiusdem generis exactissima. Porrò mistio in eodẽ genere tot modis contingit, quot sunt species etiam in eodem genere, & etiam iuxta priuationes, vt cæcitatis & oculorum: contingunt autem mistiones, ob debilitatem animæ separantis causas futurorum.

CAPVT XVII.

De somniis perfectis.

PErfectum dupliciter dicitur: aut vt imperfecto opponitur & sic tot modis dicitur, quot modis imperfectum. Aut si pro perfecto absolutè intelligatur, omne genus perfectionis complecti debet, secundum quod imperfectum dici potest. Si verò simpliciter & per excellentiam dicatur, duplex adhuc est: aliud in idolorum genere, aliud visionum. Perfectum igitur somnium est, quod eò vsque deducitur, vt ad finem propositum perueniat, nec commutatur, nec homo vllius partis obliuiscitur, nec quicquam impertinens admistum habet, tametsi multa varia interposita habeat: & licet assimiletur fabulæ & incredibilia contineat, tamen iuxta rationem quandam, & vt Horatius inquit.

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscens,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Est quincuplex licentia mentiendi. Ac primùm comœdiæ, tragœdiæque cùm quæ esse potuerunt, non tamen fuerunt, extolluntur ac poliuntur. Est fabula, qua præsertim poëtæ vtuntur, cum quæ esse non possunt, ea ratione traduntur vt humanis actionibus moribusque assimilentur. Est pictoribus aliquanto maior libertas, vt etiam extra morem aliquid referant. Somniis verò perfectis vna tantum licentia non permittitur, scilicet vt incongrui sint connexus: velut si peluim loquentem audiant: ex ea autem prodeat fumus, ex quo cœlum ardeat, hoc maius est quàm vt à pictore fingi debeat, somnio tamen conuenit: quoniam in eodem subiecto perstat: at si, vbi peluim videris loquentem, inde asinum videas cacantem, & homines pugnantes: hæc quidem somnium admittit, sed perfectum non est: quoniam quæ videntur, non cohærent. Oportet ergo absolui finem somnianti desideratum, non obliuisci visorum, & per conuenientia illud progredi. Est igitur triplex ratio somnij perfecti, quod ad partes & numerum attinet. Ex essentia autem illius est, vt dilucidè omnia perspiciantur in somno, atque ordinatè, sic vt eadem non redeant, tanquam connexa prioribus redeant. Ex effectu verò, vt animam post somnum admiratione plenam relinquant. At perfectum admodum est, cùm personæ & imminentibus perpulchrè congruit: velut si erudito cuipiam videatur quòd sepultus sit, & sepulchrum fulgure tangatur, flammaque ex hoc emicet, quæ ad cœlum vsque tendat, ille eo somnio inter mortales celebris fiet. Nam sepultum sibi videri, libros refert, qui nomen authoris retinent; atque intus abditam mentem: fulgure

percuti

percuti sepulchrum, est monumenta illius: id est, libros, Iouis dextera, in qua & virtus reposita est, & fortuna fingitur, euehi ad cœlum, id est, supra mortales omnes: quæ enim in cœlo sunt, altiora sunt mortalibus omnibus, & perennia, & cunctis perspicua. Huiusce generis congruentium, non dico de significato, plura ego vidi, quæ suo loco referam.

Sed & illud quod Artemidorus narrat, de eo qui patrem suum comburi vidit, tamen ipse somnians mortuus est, ad hoc pertinet: vritur enim patris mens in filij obitu.

Dices, quomodo interpretari hoc poterat? quoniam flamma & aqua feruens maxima mala nunciant: hæc lachrymas calidissimas, illa flagrantiam: erat autem pater qui nil tale mereretur, & amans filij: propterea, vt dixi, personæ huic, non illi, somnium perfectum erit.

Quæ autem sunt de incumbentibus, velut illud quod à me recitabitur de serpente viso maximo, atque illud etiam de Alexandro magno, & hæc maximè perfecta esse solent nisi sint ἀναμνηστικά. Proprium autem verorum somniorum est, vt verissima sint, & plerunque ob perfectionem facilè intelliguntur. Et fatalia omnia sunt ex hoc genere, & magna etiam somnia fermè semper, Et idolorum pauca sunt perfecta, ratione partium: nam immista habent somnia diuersi generis, & obscura, & sæpenumerò carent debitis partibus vt enim in sigillis, cùm quis profundius imprimit, aut non æqualiter imaginem, aut non totam exprimit: sed nec leuis omnino impressio vtilis est, sed media. Et cùm sint tres modi in idolo imperfectionis, ratione partium defectus, obscuritas, genus aliud: perfectum nihil horum habet, sed ratione effectus & essentiæ idolum semper perfectum est. Ratione autem personæ & imminentium, quandoque perfectum est, quandoque imperfectum: cùm autem perfectum fuerit, oraculum dicitur. Anamnistica autem minimè perfecta esse solent, vt in tractatione de idolo docebimus. Proprium autem vitium anamnesticorum est collisio, & ex collisione concisio: cùm enim ex memoria fiant, succurrentibus alia causa quàm diuina imaginibus, priores absolui nequeunt: vnde perfectum nullum anamnesticum est. Sed neque cibalium, ob eandem causam. Pauca ex humoribus, & raro perfecta euadunt: & quæ huiusmodi sunt, temperamentum & sanitatem plerunque denunciant.

Porrò perfectionis somniorum causæ sunt, vis diuina potens, anima præparata ac valida, & absentia omnis impedimenti: cum verò ita sit, necesse est omne somnium perfectum aliquid magni significare. Et si tardè euentus successurus sit, statim tamen inchoabit: quare magnum effectum, cuius tam longa erit series, significare necesse est. Si verò somnij partes quædam absolutæ, quædam non videantur, velut in picturis, interpretari oportet: multa enim ex eo principio serò ventura portendit. Et senes & pueri raro perfecta somnia vident.

Quædam etiam somnia sunt eorum quæ supra mentem humanam sunt, velut aliquid simul esse ac non esse: quæ ex genere sunt eorum, quæ perfecta sunt: dictum est autem de his loco suo.

CAPVT XVIII.

De idolis.

IDola, somnia sunt, quæ rem vt se habet, ostendunt. Ea verò solum apud quosdam, & vulgus præcipuè, somnia esse existimantur: atque ideò etiam immissa à Diis, aut dæmonibus: sed res neque ita se habet neque ex ipsa docet. Quippe Iosephus in Pharaone, per vaccas pingues, non vaccas, sed annorum vbertatem interpretatus est: idē etiā in tore, ac socio, per ænigma, non simpliciter visa exposuit. Tum verò huiusmodi somnia neque à Deo, neque à dæmonibus immitti, his argumentis perspicuum est: nam tàm visionum quàm idolorum illi causæ essent: cur ergo opus illis esset vt occultarent, quod docere vellent? præsertim tot ambagibus? An non possunt, cùm volunt, huiusmodi, si libet, clarè docere? aut si possunt, malunt nos obscuris istis imaginibus inuoluere, tanquam nobis inuideant quod spontè largiuntur. Præterea omnia hæc idola permista sunt visionibus, vt nullum idolum videre liceat purum, sed in omnibus aliquid desit, aut peruersum est, aut obscurum. Velut si præuidero (quod mihi sanè non semel obtigit) occursum amici, quem iam diu non vidi: video autem sequenti die, atque amplexor, velut visus eram amplexari: eodemque illi loco (quòd etiam contigit) occurro quo visus sum illi occurrere: non tamen socium video per somnium, vt in vigilia erat, atque ita deficit aliquid: aut video alio habitu, vel vultu, vt pro læto tristem, aut contrà, sicque iam peruertitur somnij imago: aut quædam, imò plura per somnium prætermissa & obscura, quæ in vigilia videntur. Atque hæc ab his quæ deficiunt, aut defecisse videntur plurimum differunt: quia quæ defecisse videntur, iam per somnum non adeerant: quæ autem non adesse visa sunt, & tamen in vigilia aderant, sic deficere videntur, tanquã non deprehensa sint ne animaduersa. Cur ergo, si Deorũ hoc opus est, aut dæmonũ, non perfectum est idolum, & absolutum? an qui possũt præuidere exitia regnorũ tot antea seculis in quibus tot comprehenduntur, tot sunt necessarij successus: hominem qui in caupone iam delitescit, quomodo vestitus sit deprehendere non poterunt? Sed neque decens est, Deos curare, an hìc amicus meus penula an feltrio, albóne an rubro sit circumdatus: atque id etiam non solùm curare, sed palam velle significare. Demum, quod clarissimum est huiusce rei argumentum, pleraque idola visioni permista sunt, vt superiùs in illo exemplo soceri mei ostendi. Quod enim ei essent septem filij, quod interiret, quodque illius mortis me miseresceret, idolum

lum planè totum hoc erat: quòd verò verberaret filios, vt illorum iacturam sua morte significaret, quodque vir ignotus pro socero subiiceretur, id totum ad visionem, non idolum pertinebat. Palàm est igitur, somnia hæc inuicem permisceri. Velut ergo si videas in planta eadem pruna viridia, alia colossena, non diuersarum specierum illa existimabis, sed vnius, quòd eandem habeant originem: longè verò euidentius, si plures spectes fructus, partim virides, partim colossenos: quis dubitat visiones atque idola non vnius esse naturæ, & ab eadem causa proficisci? visionum itaque verissimarum argumentum est, cum idolo iunctæ sunt. Est autem modus vnus præcipuus, cùm rem ignotam ex somno discimus vt animal, quod neque vidimus nunquam, nec de eo audiuimus, aut legimus, & eius modi est tunc actio vel proprieras: visio est non dubia.

Verùm dices, cur non à Diis vel dæmonibus somnia hæc haberi poterunt, clara est ratio. Velut enim stultum est, cùm ratio nos doceat, quomodo in fame vtendum sit pane, in siti aqua vel vino: & qui secus agunt, à Deoque specialiter obtinere volunt, quæ ille nobis generaliter modico labore habere & obtinere docuit, spe destituti sua malè mulctantur: ita stultum est, credere somnia nobis à diis aut dæmonibus immitti, quorum tota seges naturalis est, & nobis ampliter concessa. Est enim perinde ac si quis triticum non sereret, sed è cœlo demitti expectaret. Non negauerim, in quibusdam huiusmodi idola à Diis velut & in defectu artis medicæ sanationes, immitti: quale illud: Surge, & tolle puerum, & vade in Aegyptum: sunt enim qui animam pueri quærant. Sed miracula sunt, & extra artis considerationem, sicut & sanationes illæ, & reliqua huiusce generis.

Ergo idola, vt dixi, rarò pura sunt, quin aliquid habeant visionis admistum: contingit autem hoc in omnibus naturæ operibus: euidenter in metallicis lapidibus, ac fructibus, vt non tota sint absoluta & perfecta, sed parte aliqua non absoluta, aut magis impura: quamobrem cum natura idolum perficere semper intendat, vt fructum maturum ac perfectum, contingit ex materiæ defectu & contumacia: vt visionis pars annectatur quæ in idolum transire non potuit: persæpe vt etiam tota fiat visio. Vt ergo idolum à visione distinguamus, quando ambo (vt dixi) eiusdem sint speciei, distinguanturque tanquam imperfectum à perfecto, quæ pars est nobilior ac melior visionis: aut vt purum ab impuro, quod sordidius est ac minus nobile, hac ratione agendum est.

Idolum semper est rei quæ esse potest ac consueuit visio, plerunque impossibilium aut absurdorum. Idolum præterea, vt perfectius ac efficacius, mentem magis mouet, estque purum: visio autem non adeò hominem in admirationem trahit, & aliquid semper minus conueniens solidis euentibus admistum habet. Verùm idolum à visione distinguere perquàm facile est vt quod totum secundum naturam sit, illa non: At quod est, difficilius est, vt illud à somniis quæ ex memoria fiunt præteritorum (ἀναμνηστικὰ Græci vocant: nos eo nomine caremus, quasi memoratiua diceremus) distinguere sciamus. Idolum ergo admirationem parit, ἀναμνηστικὸν autem terrorem atque dolorem: quia hi affectus, aut si de re læta sit somnium, contrarij cum memoria eius rei necessariò coniuncti sunt. Ex antecedentibus etiam dignoscere vnum ab altero licebit: nam in anamnestico affectus, sermones, cogitationes de eadem re præcessere: in idolo non, aut omnia leuia. Quod verò maximum est hac in causa: quoniam nihil maius est quàm inter hæc duo scire distinguere (adeò vt multi ob id crediderint somnia omnia talia, esse huiusmodi: id est, vt à memoria cogitationum præteritarum, non ab alia causa seu naturali proficiscantur: & ille cecinerit ob id.

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat.
In somnis vigilem per somnum videt idipsum.

abrogareque omnem à somniis fidem tentauerit) obseruandum est hoc vnum, in idolo esse aliquid semper fermè coniunctum imperfectum ex visionis genere, & in anamnestico vix deesse inconcinnum aliquid & absurdum: quæ si adsint, facile est intelligere in quo genere sit somnium illud.

Præterea in idolo partes sunt distinctæ admodum, & perfectæ, & est prolixum sine reuolutione: anamnesticum autem est cum motu concitato, cum partibus parùm bene distinctis, & breue, vel cum reditu ad eadem: fit ex his etiam, vt idolum magnam habeat admirationem, eamque euigilatis nobis retineat: non ita, vt dixi, anamnesticon. Apparent etiam idola plerunque sub aurora, & colores ac species rerum illustres habent, cuiusdamque diuinitatis participes, & voces perbreues & appositas: anamnestica autem ante auroram, colores vix sentiuntur, aut intensi sunt potiùs quàm pellucidi, facies concitatæ ac motus, voces nullæ aut perturbatæ vel incompositæ, aut cum longis sermonibus. Et vt generaliter dicam, idola habent omnia pura, discreta ac pulchra, etiamsi atrocia significent cum motibus appositis, aut quieta sunt omnino: anamnestica impura, turbeta, inuoluta, obscura, cum impetu & reuolutione. Illud sanè mirum est, vt vitro vilissimo magis adulterantur gemmæ, quàm aliis gemmis: ita voluisse naturam, vt anamnestica somnia, quæ omnium sunt vilissima, idolis nobilissimis in eo genere maximè assimilarentur.

Duo præterea sunt specialia, quorum alterum si adsit, idolum esse declarat omnino quod visum est, non visionem, nec ἀναμνηστικὸν: vnum, si somnium vsque in vigiliam extendantur, vt lachrymæ vel risus: hoc autem, vt palàm est, bifariam contingere potest: vel vt fletus, quod maximum est: vel vt effectus, scilicet lachrymæ, quod non omnino adeo acerbum est. Alterum, cùm affectus est sine obiecto: vt odisse, & nescire quem.

LIBER



LIBER TERTIUS DE SOMNIIS.

CAPVT I.

De necessitate vatis.



SOMNIORVM quatuor genera superiùs esse docuimus: atque in quarto genere idolum collocauimus, cuius causa accersere vatem non est necessarium. Verùm cùm multæ sint causæ obscuritatis in interpretando, vtque hæ ad quinque genera reducantur, necesseest persæpe vatis auxilio vti, qui non solùm causam obscuritatis somniorum intelligat, sed postmodum illa explicare norit.

Perpulchrum autem existimauero, has singillatim causas explicare, postquam somnij historia magis intelligitur: atque hic propriè locus est huic narrationi. Ergo causæ obscuritatis somniorum aut sunt ob impressionem leuem à causis factam, cùm res parua est, aut multo antè significatur: vel ob species in anima paucas, nec satis accommodatas effectui demonstrando, atque ichnographiæ depingendæ, vel ob ipsam animam satis ineptam huic negocio, rudem, & disciplina carentem, aut mistionem generationem aliorum somniorum maximè ἀδαμνησικῶ, vnde pauca habentur pura somnia: vel ob imperfectionem, quæ contingit dum homo ex somnio soluitur ante illius absolutam visionem. Ex quibus contingunt etiam tria genera imperfecti insomnij, velut in gemmis ac plãtis: primum, cùm pars pura nitida est, & perfecta: alia pars vel est obscura, vel prorsus non adest: vel est ex eodem genere, sed imperfecta: vt in adianto adest radicula, surculus, quorum nullus est vsus, sed solùm foliorum: eiusdem tamen naturæ sunt omnia. Oportet igitur in his quæ admistum habent aliquid generis alterius, non solùm prorsus ea segregare, quæ ad genus somnij cibarij, aut ex humore aut ex memoria & affectibus præcedentibus profecti, sed ex toto abiicere, quod autem purum est interpretari: in eo verò quod partes habet imperfectas, eiusdem tamen generis, annexas illas distinguere atque interpretari seorsum singulas (nam non parùm ad veritatis & principalis cognitionem conferent auxilij) quæ verò imperfecta sunt somnia, vt antea diximus, perficere conari. Considerare autem in omnibus oportet quæ superiùs descripta sunt.

At verò ad hæc omnia vates non parum commodi afferet. Primùm quidem, quòd ab affectu vacuus sit: qui solet & spem accendere, & timorem augere, contrarium quoque efficere: Deinde, quòd promptior sit exercitatione ad inuenienda (vt dixi) generalia vniuscuiusque tum rei tum affectus, cum idola comparando elicere subiectum somnij: atque ita duos hos motus perfectiùs peraget, atque celeriùs. Inde quòd, vt magis expertus, & qui rem hanc quotidie tractat, multa intelliget experientia, circa quæ alius diu hæsitabit: multa circuncidet, quædam interrogabit, quæ alius non animaduertẽs, aut perperam animaduertens, nunquam se poterit explicare. Ille etiam velut in moribus, legibus, consuetudinibus, physiognomia, lineis manuum ac frontis, morborum modis quædam obseruabit, somniis huius vrbis & regionis peculiaria & consueta, quæ ex libris disci non possunt. Demum quòd is à cœlestibus influxibus ad collimandum adiuuatur: ab eisdem enim astris, quibus ad artem hanc inclinata est voluntas, ab eisdem etiam facultas exercendi illam fouetur, & incrementa non exigua accipit. Circa etiam generales conditiones quæ ad errorem impellunt, non adeò præteriendo illas aberrat. Melius temporum differentias nouit, & aeris statum vt reliqua animaduerit. In vniuersum, vndequaque melior est quàm si quis interpretetur sua somnia: vel si nulla ratione, quòd non intentus huic cognitioni, non corrumpit ipsa somnia. Dum enim homo huic arti operam dat, multa versando, timendo, sperandoque, vana incurrit ex mentis agitatione somnia.

Duobus tamen præstat proprij somnij interpretatio, ei quæ vatis vel cum experientia aliquid didicit, quod consuetum est certam rem omnino significare: vel cùm non cuncta refert, seu ob pudorem, seu quia non meminit, seu (vt in criminibus) non tutum est narrare quo in statu res suæ sint.

His itaque difficultatibus sic statuo occurrendum. Quisque autem in hoc libro traditam diligenter teneat: forsan, quod plerumque accidet, nec vates ipse artem huiusmodi tenebit: inde somnio vati enarrato, illius accipiat interpretationem; eam ad normam eorum, quæ hîc tradita sunt, examinet, & perfectam habebit interpretationem. Illud moneo accuratè, ne vnquam interpretationi confidat, donec omnia conuenire in somnio deprehenderit. Ne verò ex interpretandi scientia obturbentur somnia, discat artem totam, vt eam, quemadmodum docui, in sua principia redigere norit: & tunc ab illius studio & cogitatione se abstrahat, eaque solum cùm opus erit, vtatur: affectusque omnes circa euentus segreget & abdicet, prudentiamque exerceat.

Cæterùm & ob id etiam vatem consulere præstat, ne ad omnia somnia explicanda recurras, ex quo & ars vilescit: & dum successu fallitur, seu quod non eueniant, quæ tum non sunt euentura, seu fallatur (quoniam parua cùm sint, & magna existimet, illa non agnoscit: aut etiam, vt fieri solet, omnino non animaduertit) damnat artem, & fidem omnem indignè ab ea abrogat, & in

poste

posterum euidentibus (quæ maximè sunt obseruanda) non dat operam. Atque in eundem etiam errorem incidit, dum sine vate errorem aliquem non animaduertens, atqueideo deceptum se putans, fidem abrogat (vt dixi) arti ipsi. Quædam enim talia sunt, vt non omnino apud aliquem significent quicquam eorum quæ hîc scripta sunt, licet simile & sub ratione generali comprehensum: hoc enim necessarium: ille verò dum hoc non animaduertit, existimans non hîc exempla generalium significatorum, prout fecimus: descripta esse (nam ipsa significata omnia describere, infiniti operis fuisset) aberrat, & in eodem errore perpetuò manens: quia vatis auxilio non vtitur, à quo facilè causa erroris, ac eiusmodi proprietates hominum facilè ob consuetudinem cognoscuntur, in desperationem deuenit veritatis ipsius artis. Etenim hoc ipsum etiam magnum est, imò quasi maximum, totum arti se dedere, nil aliud facere, nil aliud cogitare, quod vates ipsi faciunt: vocant autem huiusmodi somniorum interpretes Βριζομάντεις, seu Βριξ μαντίους, & Ὀνειροκριτικοὺς, & Ὀνειροπλήκλους.

Inter causas igitur necessitatis vatis cum reposita sint, consideratio præcipuè dignitatis hominis: tum conditionis, & morum & fortunæ, & vitæ, & artis & filiorum seu orbitatis, tum naturæ, sexus, ætatis, valetudinis, mutationisque, quia alia aliis significant, propterea de his dicendum erit.

CAPVT II.

De dignitate seu hominis statu.

IN omnibus quæ hîc tum infrà aut superiùs scripta sunt, animaduerte, primum an habeat quod somniat: an habeat aliquid ei simile, sed non illud: aut omnino nonhabeat. Et si habet: an sit melius quod habere videtur, quam quod verè habet, an secus. In omnibus autem, seu habeat, seu non, an congruant personæ dignitati, ætati, moribus, loco, tempori, legi, & consuetudini: & quomodo ex his afficiatur animus, quid alij sentire videantur, quis demumrei finis: meliora enim, grata, speciosa, congruentia, cum fine laudabili: contraria verò, mala: veluti deferri opulentum, & in magistratu, cumapplausu per vrbem, incrementum potentiæ & dignitatis significat: pauperi autem & seni, publicam mortem: non enim aliter possunt multi de illo admirari. Consolatio potentibus quidem pro iniuria est: miseris autem solatium affert: namque somnij hoc proprium est, vt quæ nota nobis sunt, non significet, verùm tantum ignota, seu præsentia seu præterita, tuncque admirabilius: seu futura, quod frequentius est. Ob id cùm ego patrem vidissem me viginti annis specie iuniorem, admirabar. (fuit autem septimo Idus Octobris præsentis anni M. D. L. X I) vnde cùm rem incredibilem significaret, iam verò coniectura assecutus essem, Senatum velle me profiteri (id autem incredibile) quia tum id suspicabar, somnium ad hoc pertinere non existimaui: sedhuic admirabili paradoxo aliud etiam maius successurum prædixi: quamuis hoc admirabilius sit, quod quomodo euenire possit non video. Itaque consolari felicem absurdum est: aut enim infelix fiet, aut absurdi quippiam ei qui consolatur, continget. Dixi ei qui consolatur, non somnianti: nam si consolari videatur quis amicum aut fratrem, calamitas illi eueniet: oportet tamen meminisse qualis sit persona, quæ consolatur: nam si fide indignus sit, timere adeò non debemus.

Somnia de principibus: & eo magis principum ipsorum, Idola sunt fermè semper, & id significant quod ostendunt, nisi admodum videantur factu difficilia: tunc verò ex proximo sunt interpretanda. Somnia dignitatum & magistratuum, ad suum tempus referenda sunt, non ad præsens: velut ab initio anni creantur vrbis prætores, annonæ præfecti, & viarum, atque huiusmodi: & senatores, exmorte aliorum: ideo tempus illud prædicere atque expectare oportet. Si princeps aut vxor eius annulos in digitis habuerint, totidem illis filios significant, quod annuli sunt: quoniam magistratus vel honores non possunt significare.

Cum terra loqui, principibus victoriam significat, quod si eorum qui audiuit, recordetur, felix erit toto tempore vitæ suæ. Principi si videatur, venenatum potum aut cibum sumere, ex quo capilli decidant, inimicos dolo superabit: sed si priuatus extiterit, ad maximam inopiam necessariorum omnium deueniet. Sacerdotem cum vestibus, quas ferre in pompa solent, aut principem ingredi in locum non consuetum, significat ruinam totius illius regionis: atque hæc etiam priuatis viris contingent.

Principi si videatur eradicare arbores aliquas, nobiles aliquot euertet. Si verò arbores illæ spontè cadant, morientur nobiles illi, non principis facto. Quòd si ab imo arborum surculi exurgant, augebitur populus suus. Omnes quoque vestes tenues infortunium significant priuatis, principibus autem felicitatem: crassæ autem contrario modo.

Cum vir potens aut princeps accendit multas candelas & cereos, maximè magnos, in domo sua congregabit homines sapientes & illustres. Et si videatur lucerna quæ domum totam illustret, conflagrare tota simul, dignitatis hoc significat incrementum, sed paulò post periturũ. Et equi proprij sella, significat principi regnum suum: eodem ergo modo afficietur. Princeps si videatur Solem in manu habere, significat captiuum habiturum principem. Si hocnobili videatur, erit rebellis: si priuatæ personæ, soluetur curarum molestia. Stellas venerari, aut ante illas flere, gratiam aut beneficium obtinendum à principibus significat. Principi tapeta si videantur explicari, bonum nuncium significat. Sin autem corrupti fuerint, & laceri, breuem vitam. Sin vetusti, solum speratæ rei finem bonum adepturum significabunt. At in priuatis personis euentus eosdem expectare oportet. Priuato ægro odores boni & musica salutem significant, Principi autem mortem: quoniam talia in Principum exequiis solent adhiberi, non autem

autem in priuatis. Pompa insignis Principi ægrotanti mortem ostendit, priuato autem liberandum ex morbo, & (vt dixi) publicam mortem.

In dignitate constituto nihil fermè deterius est, quàm in nubibus sedere: nam homini ibi diu esse concessum non est: locusque periculosus ac præceps: ideo ruinam omnium, & breui portendit. Qui autem sic ruere non possunt, cædem cum ruina: nã qui occiduntur, magnam famam hoc pacto apud homines relinquunt: quæ nebulis similis est. At si in rotæ summo se viderit, fortunam quidem habebit aduersam, non tamen adeò exitiale est: in felici esse sub imo rotæ, contraria ratione valde bonum.

Plurimum refert, si quiuis verberari se somniet, qua conditione sit, & à quo verberetur: nam vt nobilior est qui verberat, ita quod verberatur, deterius est: is autem qui verberat, vt nobilior est, maius malum, sed & bonum significare potest: humilis parum mali, boni nihil potest significare. A magistratu verberari, non per satellites, citra infamiam, feretur sententia contra illum, & damno efficietur. Et si amicus sit, erit vtile etiam hoc, & citra damnum.

Quæ somnia ex communibus, cœlo, elementis, vrbibus, tempestatibus, ventis & similibus adueniunt, Principibus, magistratibus aut designatis, vel sacerdotibus, vel artificibus circa publicam comparationem, vt medicis pro peste, si personarum quarumlibet perturbatio videatur: vel diuina priuato homini, de homine certo, publica sunt.

CAPVT III.

De moribus.

MOres ad prædictionem multùm conducunt, non solùm eorum qui somniant, sed qui in somniis videntur. Somniantium quidem quæ ad supplicia & iras deorum attinent, verissima sunt in improbis: secus autem in probis, per contrariam rationem ac declinationem aliter interpretationem deducere oportet. Probis omnibus & oppressis ac infelicibus Herculem videre auxiliantem, aut illius statuam, bonum est: iniustis autem & improbis omnibus, malum: sed & accipere aliquid ornamentorum eius, vel aliquo diuo nostro, vitam & ærumnas illius à quo accipimus significando, malum est. Eruditis & peregrinantibus Mercurius, & qui apud nos docti habentur diui: castis & insontibus, qui solitariam vitam egerunt. Fortunam videre, similes casus significat, quales sunt illius actiones: in rota, super sphæra, bonum est miseris, malum felicibus. Dæmonem ferre, crucem significat malo viro: probo autem, feræ periculum demonstrat. Quicunque pueros amant, si quid videant circa eos, perinde est ac si alij idem contingat circa vxorem concubinam, aut aliam mulierem. Verùm si id videatur alieno à puerorum amoribus, rem insuetam, anxium negotium, infamiam metum ac damna significat. Gulosis conuiuia & comessationes nihil significant: fiunt enim illis ob memoriam actionum, & studium: aliis morbos & curas: cùm enim huiusmodi agimus, cura detinemur.

Semper autem mores somnium habent simile aut dissimile, aut contrarium, & simile quidem, ac contrarium, in quibusdam cùm ad actionem pertinent, idem significabunt, scilicet in affectibus: velut parasito, impleri & esurire: ad effectum enim pertinent. At verò vbi mores actum non decernunt, sed actionis priuationem, vt abstinentia, continentia ac probitas, quæ similia sunt, ad affectus quidem traduci possunt: velut qui habet vxorem, & eam solam diligit, cum ea si sibi concumbere videatur, affectum quoquo modo significare potest: at si adulterium perpetrare, aut incestum, aut cum puero concumbere, aut cum quadrupede, ad affectum traduci non potest, qui nullus est, sed significat & actionem, & affectum moribus contrarium ex actione prouenientem: ac eò maiorem, quo res à naturali ordine & consuetudine illius fuerit remotior: vt in exemplo de concubitu diximus, iuxta ordinẽ exẽpli.

Quòd si mores illi non à natura & consuetudine sint alieni, non tamen in vitio consistant: vt castum esse, vel solitarium, vel opum contemptorem. Et in eisdem perseuerare, velut in aliis, nihil magnum significat: at tractare auidè pecunias, suauiari fratrem, ducere vxorem, effectus quidem non malos significabit, illi tamen curas graues: atque ob id irritos metus, ac forsan mœrores.

Quæcunque verò, vt diximus, à fine consequuntur, ea tertiam subeunt rationem, atque ad finem ipsum retrahenda sunt: velut furibus manus plures habere, significat vincula, contentiosis autem & pugnacibus, vulnera: artificibus, pulchra opera, & felicem artis successum: probis & mansuetis, amicos quorum opera fungi poterit velut seipso. Illud etiam considerare oportet, quod mores aliqui contra leges sunt: atque hi infaustum magis exitum habent, his quorum actiones à legibus non puniuntur: ideo non omnino fidendum: in aliis securior est actio, etsi praua sit.

CAPVT IV.

De conditione.

PEdicæ seruis autoritatem, & fidem habendam, à qua tamen ingrati excident, non paruam ostendunt: nam vincti, magni æstimari solent. Seruo mors heri significat libertatem, si seruus ille administrationem bonorum illius non habet: neque enim mortuis heri vlli demonstrantur At si habeat administrationem, auferetur ab illo: mortui enim nihil administrant. Mactari aut sacrificari publicè, seruis bonum est: sed & liberis, at non tantum: nam seruis autoritatem addit, quod ad publicum attinet, & libertatem mors: idem tamen contingit si à feris dilanietur. Secus, si in pelui se ipsum videat, ipsam serui-

tutem, qualis futura sit, intelliget. Seruis caput amputari, libertatem significat, aut heri mortem: aliis alia. Seruum ab hero occidi, libertatem significat: ab alio autem libero viro, est subleuari à cura ac molestia: à seruo verò, inimicitias cum illo geret. Ignem in olla ex carbonibus accendere, libero serui tutem prædicit Principis: seruo autẽ, actiones circa illam. Quod si prunas extinguant, dominum prodent illi. Et seruus Principis si comederit prunas, felicitatem consequetur à domino: liber autem, à Principe. Et ciuis, significat fortunæ bonæ reliquias quasdam.

His autem qui in vinculis sunt, tria somniorum genera consideranda sunt: quæ supplicium significant, quæ tormenta, quæ liberationem. His igitur applausus populi bonus non est, cùm crimen, de quo quæritur, fuerit capitale: nam supplicium significat. At insania & ebrietas, cum omnibus in causis aliis malæ sunt, in hoc prosperum declarant euentum: insani enim quolibet vagantur, ideo solutionem vinculorum significant: ebrij autem doloris non solùm, sed etiam curarum sunt expertes.

Pompæ similiter publicæ periculum portendunt, etiamsi religiosæ sint: nam de more mactandos sacerdotes comitantur, & imagines venerabiles. Oleum significat liberationem: & eò magis, si feræ inungi videantur. Mortiferum bibere medicamentum, vel lacerari à fera, supplicium decernit. A tonsore, tormenta significat. Et carcere exire, & qui in illo est significat diuturnam captiuitatem: tales enim diu de hoc cogitant. Et somnium est cogitationis, non effectus, sed ei qui in carcere non est, mortem.

Exulibus quoque alia, alia significant: dicuntur enim exules capite diminuti. Exilij autem quatuor sunt species. Simplex, cùm, modò in patria non sis, liberè quouis ire licet. Relegatus ad locum certum mittitur, sed absque custodia. Deportatus verò, cùm à custodia ac vinctus eò deducitur, & sæpe ad pœnam, ad triremes, ad fodienda metala: relegatus semper sine pœna. Proscriptus verò dicitur qui ad mortem damnatus est à iudice, sed euasit illius potestatem. Sunt ex eo genere, quorum neci sunt addita præmia.

Porrò de deportatis non agam, cùm genus sit carceris, atque atrocis: de eo enim diximus. Qui verò liberi sunt, & damnati, pro natura exilij somnium interpretari debent. Verum in hoc differunt relegati, & in libero exilio, à vinctis: quòd tuti sunt à periculo vitæ, nisi ei spontè se exponant, tum etiam à pœna omni: deportati verò, à periculo vitæ, non à pœna: proscripti cum vinctis commune habent periculum, sed tamen effugere possunt, si velint: maximè hi, quibus addita non sunt præmia siccariis. Aliis ergo somnia solùm ad reditum spectant. & etiam deportatis ad liberationem: proscriptis autem ad vtrunque, scilicet necem atque liberationem: capti enim statim solent supplicio affici: sed quibus prœmia mortis capiti imminent, iisdem tria genera interpretationem spectanda atque consideranda erunt: publici supplicij, cædis, atque liberationis. Si somnio quo exilium significatum est, conditio annectatur, quæ perpetua esse non possit, liberabitur: velut pendere in eculeo: hoc enim finem sibi postulat. Aut si somnium somnio exilij contrarium superueniat: velut si cum, antequam exularet, caput sibi amputari uidit, postea somniet sibi restitutum caput: aut si in mare cecidisse, atque in imo esse, antequam iret in exilium, inde se emergere à mari, dum est in exilio: quod de flumine Ciceroni visum est. Et si absque hoc exuere vestem rubram quod rubra exilij indicium sit. Apparatus quoque itineris, vt in patria exilium quandoque significat, ita exuli reditum persæpe pollicetur. Et renasci, & domum fulmine ici, quod exilium portendit in exilio. Si domus sit quam in exilio habitas eaque percuti videatur, reuocationem ab exilio significat. Et exuli ciconiæ, grues, hirundines, siue ante exilium, siue in exilio, reditum promittunt. Si herba in corte quam habitas domus oritur, reditum in patriam significat: sicut fulmen & herba eodem modo in domo patria, exuli exitium portendunt. Et proscripto omnia somnia quæ necem significant, aut mortem, licet leuiter, supplicium aut necem eidem significabunt. Et somnia vinculorum & carceris, proscripto supplicium significabunt: quasi amicè ille mitius voluerit supplicium ostendere: veluti exomologesin suadent pro admonitione supplicij. Et somnia omnia læta de patria, & in patria, dum homo est in exilio, mala sunt: quoniam eius longitudinem portendunt. Et parẽtes videre lætos, maximè matrem, exuli reditum, aliis alia significat: quandoque etiam infaustum.

CAPVT V.

De fortuna, seu opibus.

Sordidis & agricolis animalium stercus bonum est, cæteris damna & tristicias significat. Homo diues si supra caput alicuius stercus demittat, illi opes suas impartiet: pauper autem sit sit, contemnet illum. Diuiti flumen se è domo exire videatur, bonum est, & potestatem atque autoritatem in populo habiturum decernit: pauperi autem, vxorem aut filiam prostitutam. Gallus œconomum in diuitis domo, in pauperis autem dominum ipsum significat. Dilaniari à veris diuiti malum est: significat enim opes illius dilapidandas: pauperi autem diuitias: carnibus enim suis multos alet. Deum factum videri, opulentis etiam potentiam addit, pauperibus verò incrementa bonorum. Et si indutus diuino habitu videatur, apparebit potens ac diues: talis tamen haud erit. Suas carnes edere, quæstum pauperi significat: diuiti autem inopiam & expensas: sicut etiam stercus suum edere, suamúe propriam vrinam bibere. Scilla potentibus & opulentis terrores & curas significat, agricolis sterilitatem, miseris ambigua: nonnunquam etiã miseriam eorũ soluit,

nonnun

ta & cruciatus, adiicit lachrymasque.

Excubiæ & nocturnæ festiuitates pauperibus ac mærentibus bonæ sunt: diuitias enim significant, & tristiciam soluunt: Diuitibus autem turbationes & diuulgationes, absque tristitia tamen: quoniam in huiusmodi bacchationibus etiam homines inebrientur. Vomitus autem pauperibus. bonus est, qualiscũque rei sit: illi enim non perderent, nisi haberent: opulentis autem damna & detrimenta significat: & quanto melioris rei fuerit, vt sanguinis, eò maiora decernit. Vænum proponi, aut vænundari, pauperibus, seruis, atque mala fortuna vtentibus, bonam mutationem status ostendit: ob id autem opulentis atque potentibus felicibusque, diuersa ratione omnino malum. Vænundari autem maius est, quàm vænum proponi: & iter agere, quàm velle iter agere, semper enim actus maior est voluntate: idem tamen significant. Vænundatum autem esse, peregisse iter, nuptias celebrasse, an maius sit quàm agere hæc? ita distinguimus: Quorum finis est aliquid factum, maius est finem consecutum esse, quàm quærere vel consequi, vt nupsisse quàm nubere, & domum adificasse quàm ædificare: potest enim non id agere, nec perficere: qui ergo perfecit, plus aliquid peregit quàm qui facit. Sed si non maneat aliquid, vt pulsare, canere: maius est agere, quam egisse. In balneo depilari, diuitibus valde malum: multa enim amittent: pauperibus bonum: soluetur enim molestiis. Pauperi, ferri ab hominibus ornatum, & in pompa, tamen laudari ac suspici mortem significat: diuiti autem, factum egregium.

Quæ prædia significant, sunt iecur, horrea, fontes, coronæ spiceæ, aut ex pampinis, scrofa pariens, boues ac bubulci, rastra, currus, torcular, sarculum, ligo, & talia, cùm plura fuerint, & varij generis.

Omne quod amissionem significat, vt naufragio, furto, aut à latronibus spoliari, diuitibus charis priuari significat, pauperibus verò diuitias acquirere: neque enim amittere posset, si iam non haberet quod amitteret.

CAPVT VI.

De vxorem habente, sacerdote & cœlibe.

SAcerdotibus (quoniam apud nos cœlibes omnes sunt, nec vxorem ducere possunt) quæ videntur, quasi ad iam habentes vxores referuntur. Considerandæ ergo sunt actiones eorum, quales esse possint. Quæcunque igitur vxorem significare possunt, in illis circa sacerdotium & famam sunt intelligenda: adhæret enim sacerdotium sacerdoti, vt vxor coniugi. Si ergo locupletem sibi videatur vxorem ducere alio sacerdotio pinguiore ornabitur. Si vxor perire videatur, sacerdotio priuabitur: si infirmabitur, litigabit pro sacerdotio. Quæ autem non referuntur ad vxorem, sed communia sunt, partim ad vxorem trahi possunt, & sic eodem modo interpretanda sunt: vt suscipere vel educare filios, est in spem successionis sacerdotij aliquem aut aliquos inducere. Quæ verò omnino nihil cum vxoria re simile habent, velut hominem occidere, videntur indifferentia.

Rursus cœlebs ab vtroque differt. Et ideò cœlibi vxorem ducere non est absurdum: diuortium celebrare absurdum: contrà sacerdoti diuortium, aut vxorem habenti, non absurdum: ille enim sacerdotium renunciabit, hic ab vxore se abdicabit: ducere autem vxorem, absurdum vtrique: vterque enim turpia & nefanda committet.

CAPVT VII.

De orbo & filios habente.

QVæcunque orbo videntur, quæ non nisi filios habent conuenire possent, ad charissima & desideria referri debent: & rursus ad vana vota, ac spes irritas. Ergo si cui orbo filius perire videatur, oculum amittet, aut fratrem, aut pattem, aut dentem. At si ornari filium videat, irridetur quod aliquid speret, quod vel habere non possit, vel etiam supra conditionem suam sit. Si cui habenti filios ea quæ orbo conuenirent, videantur, non eadem est ratio: sed periculum est, ne ad eam orbitatem deueniat: aliter autem bonã & egregiam fortunam significat.

Habenti filios fulmine percuti, dirum: orbitatem enim exemplo plantarum inducit. Sacerdoti impietatem, orbis & eruditis claritatem nominis decernit. At si domus columna icta fuerit fulmine, habenti filios eripietur morte vnus, sacerdos de sacerdotio periclitabitur, orbo peribit aliquis valdè vtilis ad domus conseruationem. Quæcunque damna filiis significant orbis, ea in causa necesse est vt in irritum cedant. Horum tamen quædam malum, quædam bonum illis significant: quæcunque enim commutantur, vt in fratres, parentes, vxores, malum illis filiorum loco portendunt. Ex aliis autem quæ non commutantur, splendida & generosa, bonum: humilia omnia, oblæsa, inordinata, deficienti, malum. Alæ si pilis nudentur, filiabus inopiam significant: quoniam alæ propriè filias referunt: At non habenti filios, ancillas ostendunt: has ægrotaturas, aut è domo eiiciendas portendit somnium: hoc enim est pauperiores fieri: sic enim his quæ habent, præsidiis spoliabuntur. Pedicæ in orbo significant filios, in carente vxore vxorem: in habente vtrunque negocia grauia, à quibus vix vnquam explicabitur.

Osculari membrum proprium, habenti filium extra domum, reditum significat: habenti in domo morbum: non habenti, habiturũ: atque ita vides quam variet significatum.

CAPVT VIII.

De artificio.

ARtium quadruplex genus est: aut enim agunt, aut acquirunt, aut faciunt, reficiunt

ciuntve. Agunt, citharistia quæ equos regere docet, & mimorum: nam vel exprimunt aliquid nouum, vel referunt, vel docent: in quo genere est etiam, docere loqui aues. Quæ reficiunt, vt medicina veterinaria: differuntque ratione subiectorum. Facientium aliquid aliæ etiam materiam efficiunt ipsam, vt plastices, aliæ præparant, & formam præbent, vt pistoris & farciminum & lanæ: aliæ verò solum faciunt: hæ versantur circa lapides, metalla, ligna, & carnes: vnde lanij, tum verò pistores. Agricultura autem est ex reficientium genere: nautica ad agentes pertinet: sutoria, textaria, & vestium fabricatio, quæ composita est. Acquisiticiæ celebriores sunt quinque: venatoria, piscatoria, aucupium, metallozeutica, & lithozeutica: vitri verò ars ad plasticen refertur. Architectura ad facientes pertinet. Cauponum autem & commotica, circa præparationem tantùm, vt etiam coci: Fullonia ad plasticen: militia verò ad actionem: quamuis finis sit acquisitio persæpe: erunt itaque artes sic distinctæ, quas mechanicas vocant, principales numero triginta & vna. Harum itaque ratio sic definiri debet.

Manibus quouis modo impediri, omnibus artificibus pessimum est, etiam cursoribus, quorum opus est vt nautarum. Similiter quæcunque significant contemptum, solitudinem, & finis frustrationem, & inopiam: quandoquidem artium finis est opus, artificis verò lucrum. Specialiter autem his, qui agunt leuia somnia, & quæ ad multitudinem pertinent, vt irrideri à populo, acclamari, lapidibus impeti, bonum est. Grauia, seria, lenta omnia, mala: præterquam in militia & nautica: hæ enim grauia & seria admittunt: lenta autem mala sunt: magisque nautis atque cursoribus. Quæ præter rationem sunt, & infirma ac fœda, nec congruentia, omnibus artibus aduersantur, præterquam his quæ reficiunt, veterinariæ medicinæ, agriculturæ. At in agricultura dominis hoc non est bonum, sed solùm his qui operam suam aliis locant. Quæ materiam faciunt, & plastices omne genus, seu metalla, seu vitrum, aliudve fusile liquescat, vt sulphur, seu vt ex lineis contritis vetustis linteis ignis, significationes faustas habent: vt etiam quæ concrescunt eo, velut laterum structura. Sic fullonia, & reliquæ. Quæ verò præparant & adornant, cauponis coci, commoticæ, pistoris lanæ, farciminum, fausta somnia sunt, leuia, iucundaque: nam hic est finis iucunditas: leuia verò: quoniam nec grauatè munia hæc fieri postulant: nec quæ tractantur, præter lanam, diuturnam moram admittunt.

Quæcunque faciunt, vt fabrilis, atque huiusmodi grauia & seria, & robur significantia, somnia libenter admittunt: leuia autem mala sunt in huiusmodi, & cessationem & imperfectionem & procrastinationem atque contemptum indicant.

Sutoria quoque, textoria etiam, & huiusmodi, velut nere, compaginare, leuibus non gaudent somniis, sed celeritatem maximè significantibus: sed neque grauia his congruunt.

Architectura, quoniam sæpe impensis domini agitur, procrastinationem significantibus non læditur: sed si conduxerint ædificij structuram, maximè eis aduersantur huiusmodi somnia. Cæterum in hac, grauia somnia vtilissima sunt.

Artibus acquisititiis ea congruunt somnia quæ inuentionem præsagiunt, & quæ conformia sunt idolo rei: vt metallorum & lapidum inuentioni, quæ aliis infausta esse solent, commigrare ad inferos, fodere, defodi viuum, ruere domos: nam ruentibus domibus, palàm multa detegenda, quæ latent. Sic mergi in aqua, si idolum non sit, auspicatissimum piscatoribus: & à feris circundari atque terreri, venatoribus. At contrà magistratum habere, conuiuari, saltare, mori, ebrium esse, & quæcunque ocium significant, aut aliud negocium, velut militia, quæ omnibus artificibus aduersatur: & quæcunque artes artibus opponuntur, vt fabrili piscatoria, & lauandi pannos: & plastice, lanio: omnes malæ sunt. Et quæ inopiam significant vbi ars circa preciosas res versetur, & opulentiam circa vilia, & quæ contrarias actiones & affectiones continent, velut carbonario & fabro vestes pulchræ mundæque, & cloacas expurganti vnguenta: omnia hæc absurda, infeliciaque sunt. Considerare quoque decet proprias cuiusque artis rationes iuxta materiam artificij, modum operandi, & vt se habeat ad paucos vel multos, vel populum: & etiam qualis sit ipse artifex, vulgaris an elegans, & præstans ac celebris. Conuenientia & significantia, quæ conueniunt, bona sunt: contraria verò alterutro modo, mala: diximus autem, in quibus quæ videntur absona, nihilominus fausta sunt.

CAPVT IX.

De naturæ proprietate.

Somniantis naturam diligenter considerare expedit: nam quibusdam vana fermè somnia eueniunt: velut iis qui mendaces sunt: nam par est eos illa videre & audire, quæ sunt cogitationibus suis congruentia: ob id veracibus veriora somnia apparent. Secundum est: quoniam hominibus quibusdam somnia omnia ad certos euentus magis diriguntur. Quod est eo mirabilius: quoniam quandoque ad illa diriguntur, quæ non tamen sæpe eis eueniunt: velut quibusdam vuas comedere lucrum significat, tametsi parum toto anno lucrentur: aliis verberari à medico, medicinam accipere. Est tertium, quòd quibusdam somnia felicia sunt, quæ aliis sunt calamitosa: & hoc ex natura somniantis. In vniuersum, qui melancholici sunt, plura somniant: & si animi abiecti omnia vana: sin præstantis, vera. Pituitosi inania ob id habent somnia, biliosi vera: sed omnium constantiores, qui æquali sunt temperamento.

Rursus quibusdam somnia non sunt vera, nisi certo cum signo, quibusdam autem generaliter. Optimum autem est causas horum noscere, non solum quòd certius sciantur quæ per causas, sed quoniam illis notis licet ampliare numerum somniorum: cùm ex diuersa mistione semper diuersa procedant.

Secundum

Secundum igitur sic se habet: quoniam operatio illa etsi rarior sit, attamen maximè ei cordi est: sed & res quæ videtur, aut familiaris est, aut in magna existimatione, vt vna per aliam significetur. Qui verò animas habent minus impeditas & validas, ac magis exercitas, ij idola cernũt: segnes & in inefficaces magnis cum ambagibus, medij medio modo:

Rursus quod somnium pluuiæ vni faustum sit, alteri calamitosum, ob hæc accidit: nam primùm quæ somnia mutationem significant, ea miseris bona sunt: beatis autem grauia. Et quæcunque sunt iuxta exercitationem & votum & mores, bona: cõtrà, mala: bonis ergo, aliena re vti, paupertatem significat: non enim nisi commodatò boni alienis vtuntur: at malis lucrum: quoniam vix illi habent qui credant eis. Quibus confestim euentus succedunt, ijs natura mobilis est, atque moræ impatiens: contrà serotini sunt, cùm de rebus magnis, in quibus necesse est finem negocij multum distare à principio. Itaque principium rei parum fermè semper à somnio tempore distat: finis autem, plurimum. Sed si etiam principium distet, non tamen causa aut mutatio morum. Cùm verò somnia quibusdam vera signum aliquod coniunctum habent, necesse est cogitationes eorum efficaces esse. Et vt in actionibus nostris, quas efficere omnino volumus, signum quoddam efficimus: ita & in somniis. Natura verò tantum potest, vt etiam in fortuitis quidam frequenter, & supra fidem atque expectationem diuinent: contingit hoc (vt dixi) ex intenta actione. Porrò actio intenta est vel ob robur agentis, vel ob ipsam exercitationem. Sunt etiam homines qui sæpe vident somnia vera, & sunt melancholici & à ciuilibus negociis segregati, & similium morum, & in cibo moderati: sunt & qui rarò videant, iis contrarij. Sunt qui videant purissima, & idola rerum: sunt qui obscurissima, & quæ artificiosa indigent interpretatione, quorum animi sapientiæ studiis incumbunt. Sunt qui facilia, vt simplices & rudes viri, quorum etiam est videre idola: sed idola adueniunt, cùm res omnino futura est, nec visio obest euentui. Sunt qui parua quæque vident maximis insomniis, quorum animi soliciti sunt, & actiones leues: aliis augentur quæ visa sunt per somnum, contrario modo se habentes. Quibusdam recta est quasi interpretatio, quibusdam conuersa, vt mala per bona, & bona per mala significentur illis. Sunt quibus statim quæ visa sunt, perficiantur, sunt quibus serò Sunt qui multa admodum somnia vident, quorum numero ambigua redditur obseruatio: sunt qui pauca valdè, & quasi solum cùm opus est. Sunt quibus clara, & quæ facilè memoria continentur: aliis obscura, & obliuiosa. Sunt qui bonorũ, sunt qui malorum futurorũ tantũ euẽtum præsagiunt, alij vtrorumque: & horum quidam pariter, alij hæc magis quàm illa. Sunt quibus quædam peculiaria sunt spectra, & peculiare etiam aliquid semper significantia: sunt quibus diuersa semper semperque significatum variantia: in quibus prædicere difficillimũ est: quod accidit iis qui versatili sunt ingenio, cùm prædictio forsan euertatur.

CAPVT X.

De ætate.

IVuenis si se infantem videat in cunis, resolutionem breui patietur: neque enim aliter fieri, vt infans, potest. Si vtero ferre, morietur: animam enim emittet tanquam fœtum: si in vtero sit matris, breui morietur: & eodem in tempore, quod ad partum superesse imaginatur: in aliam enim vitam demigraturum se sentit. In cunis esse fasciis vinctum, artifici vacationem ab opere, pauperi non defutura alimenta, diuiti malum: nam sua alieno arbitrio administrare cogetur, nec familiæ suæ poterit imperare. Seruo gratiam domini, sed seruitutem diuturnam habenti vxorem, diuortium, aut filium: negociatori & pugnaturo nullum potest obuenire somnium deterius: iacet enim infans fasciis vinctus imbellis: ægro mortem portendit: institis enim vinciuntur mortui, ac linteis.

Infantem loqui, admirandum factum nunciat: opertet autem quæ dixerit, tanquam vera obseruare.

Senem in cunis sic esse, si non resolutionem significet, bonum est: ad extremam enim venturum ætatem nunciat: nam tales vt infantes sunt: ideo somnium est consequens, & minimè extortum, quale esse debet quod verissimum est. Puer si senem se videat, morietur: adolescens autem grauiter ægrotabit. Et idem, si videat quis de filio. Senex vel iuuenis si puer euadat, dignitatis iacturam faciet.

Plurimum refert ætas in his qui verberari se somniant: nam puer & adolescens nihil mali patientur: eoque magis, si à parentum aliquo, vel patruo vel magistro, nam corrigentur: at senes vapulare, malum: significatque iniuriam passuros, atque dolorem.

CAPVT XI.

De sexu.

FOemina significat imperfectionem omnem: & actiones decoras, sed non generosas. Si tamen sit pulchra, significat veritatem: fœda & humilis, infamiam: impudica, audaciam, impudentiam, dedecus: fucata, dolum technam: irata & compta, iniuriam: blandiens & ornata, bonam fortunam: laceris vestibus, paupertatem & miseriam: pallida & mœsta, inuidiam. Fœmina significat vestem quoniam vestis significat fœminam. In fœminam verti, magistratibus amssionem administrationis: infelicibus bonũ: mitius enim agent. Significat fœmina negocia malè ordinata, & cõfusa, importuna, & quæ exitiũ non habent: iuxta prouerbium:

Fœmina fœmineum non bene finit opus.

Anus robusta, significat fortunam propriam & antiquam: iuuenis, vel puella, nouam fortunam. Fœmina significat dolum, vafriciam, impudenter facta, contentionem, lites iurgia. Significat & equum & carpentum, & agrum: quoniã foditur: & sterilis sterilem, & fœcunda

fœcundum. Et significat maximè irrita desideria. Significat & delicias, & voluptates, & facta turpia. Significat & filios, ac filias magis. Androgyni confusionem, dolum, horrendos successus, & inexpectata ac monstrosa facta. Et felicibus malum, infelicibus bonum. Et mutatio in androgynum, propriè significat genitalium morbum. Et mutatio ex masculo in fœminam, pro negotiis vtilibus mala, pro periculis & in malis ac metu bona: ex fœmina in masculum, contrario modo. Vtraque præsentis status mutationem & infamiam prædicit. Vtero gerens si somniauerit ipsa, vel maritus pro ea, parere ciconiam masculum, adolescet infans, & parentes senescent, & filius eos alet: si viperam, breui mater morietur: si araneum, natus occidet parentes.

CAPVT XII.

De valetudine.

OPtimum in ægrotante sanitatis signum est, videre leonem simiam edentem. Asphodelus ægrotantibus morbo periculoso, mortem prædicit: quòd apud inferos herba hæc abundare dicatur. Simili modo malua. Creditor, si exigat ab ægrotante, periculum indicat: si æger persoluere videatur morietur: natura enim creditorem refert. Deus quoque pietatis & iustitiæ seruatæ aut neglectæ rationem exigit: ideo somnium hoc improbis parum conuenit: lanij ægris mortem & dura prædicunt, ob similitudinem. Somnia omnia lethi significatiua, mortem certius in ægris portendunt. Somnia omnia læta in ægro mortem significant, ob nominis affinitatem lethi cum læto: & quoniam non fit transitus repentè ad secundum ordinem, æger non potest lætari nisi iam adepta sanitate: ergo somnium non debet transgredi ad lætitiam. Ægrotare ægro tanti iam: id est, incipere cùm iam ægrotet, solutionem morbi significat: neque enim conuenit bis ægrotare eodem morbo. Ægrotare eodem morbo, in morbis gradus & ordines habentibus, est ex vno in alium transire, velut si quis lippitudine laboraret, & somniet se lippitudine laborare, euadet cæcus: nam ex lippitudine in cæcitatem naturalis est transitus. Et ita si vulneratus somniet se vulneratum esse, nec sit ἀναμνηστικόν, transibit in vlcus. Et si habens vlcus pati vlcus, transibit in Chironium & fistulam. Et apium, cupressus, ægris sunt lethifera. Quæcunque ægris salutaria sunt, sanis morbos significant, velut sudare, liberari à morbo: sed hoc etiam significat liberandum à cura graui. Nouis vestibus indui, supplicare Deo ob recuperatam valetudinem, medicum discedere: qui enim liberabitur, cùm non laboret? At contrà quæ sani faciunt, si æger facere videatur, sanitatem prædicit. Memineris etiam, quòd ægri tria habent somniorum genera: salutis, mortis, & neutrius: sani autem tantum vnum, ægrotandi: neque enim habent sanitatis futuræ.

CAPVT XIII.

De mutatione.

ESt igitur mutatio bona plerumque miseris: felicibus autem mala. Miseris ergo propriè mutatio in melius conuenit. Et quæ pòst antè, & quæ sinistra dextra, & quæ deorsum sunt si ascendant, & quæ cum spe lætitia ac promptitudine omnia videntur in melius: & quæ fera sunt si fiant mansueta, & quæ inutilia vtilia, & quæ muta vocalia, & quæ stulta sapientia, & quæ mutila integra, & quæ nuda vestita, seu natura, seu arte: & quæ secundum naturam, vt ex puero iuuenis: & quæ in nobiliorem statum, vt è fœmina vir. Sed si iuuenis senex fiat, aut contrà, dubitatio est: in horum enim altero ordo naturæ desideratur, in altero mutatio in melius. In his tria sunt consideranda. Primum, quoniam mutationum aliæ sunt prorsus contra naturam, vt nullo modo vnquam contingere possint, vt à mortuis resurgere, vel regredi in ætatibus: alio modo, cum quandoque fiunt, velut ex fœmina fieri masculum. Secundum, quod mutatio aut est in re solùm, aut etiam intelligitur: in re solùm, vt cùm mortuum patrem video viuum, intelligitur autem, cùm scio esse mortuum, & video ipsum resurgere. Tertium est, quod mutatio est vel ex re in rem, vt in ætatibus: vel non ex re in rem, sed ex priuatione in rem, vt cùm simius loquitur. Si ergo hæc tria simul sint præter naturam, vt quòd videam patrem meum resurgentem, aut me ex sene factum iuuenem, plus potest mutatio contra naturam ad significandum deterius, quàm ipse finis vt sit in melius.

Sed cùm defecerit vna conditio, tunc erit bona, & in melius, cum turbatione tamen multa. Mutatio in Deos, astra, reges, bona est: sed præcipuè priores duæ, modò perfecta sit.

Refert Artemidorus, quod quidam cùm vidisset se in Solem mutatum, & per forum ambulare cum radiis vndecim, dux exercitus factus post vndecim menses in ipso magistratu interiit. Quoniam enim magnum aliquid (vt dixi) mutatio in astra significat, si non absolutum sit, magnos errores, casus, lapsúsque significat: vt potius ob defectum videri possit somnium, quàm ob ipsum principale significatum. Omnia somnia quæ nouum aliquid & diuturnum significant, si idem bonum fuerit, ad vitæ mutationem in melius pertinent: non tamen vitæ mutationem omnia significant: quoniam per vitæ mutationem intelligimus, cùm maxima pars actionum & status nostri permutatur. Sunt autem præcipua, quo ad hoc, tria: opes, valetudo, filij: nam fermè humana omnia ad hæc reducuntur: Qui opes habet, habet amicos, honores, potentiam, &c. Vrsæ catulus nuper natus, propriè commutationem in melius significat.

Mutatio in deterius est triplex. Aut secundum rem, vt cùm solitus videaris equitare equum, & equitas capram. Vel cùm res ipsa deterior fit, vt equus ex iuuene senex factus. Aut

Aut ratione comparationis: vt cùm solitus ingredi frigidam æstate, ingreditur hyeme: nam hoc significat inopiam, & diminutionem redditũum & lucri: quoniam eo quod fuit voluptati, nunc intempestiuè vtitur, ob inopiam: nam diuitibus par est esse balnea pro ratione temporis, calida hyeme, frigida æstate. Et etiam frigus per se, vt visum est suprà semper significat egestatem. Quòd si quis videat se esse in balneo calidæ in æstate, postquam vsus erat eo per hyemem, aut significabit inopiam, licet non adeò magnam: aut affligetur ab his à quibus iuuari deberet, velut à filiis: vel importunè vtetur actionibus suis. Et mutatio rerum in deterius, vel vsus, significat corruptionem illius: velut si quis frumentum videatur exhibere equis.

Quidam cùm vidisset pratum virens, inde aridum factum, interrogauit Serim quid portenderet? respondit, malignam somniantis naturam. Fungi, piper, ozimum & sinapis, pisces, mutationem diuersis causis in deterius significant: nam fungi perniciosi sunt, & facilè corrumpuntur: eadem ratione pisces mortui, licet non sint adeò lethiferi: cocti enim perdunt homines, & crudi putrescunt celeriter. Sinapis, quod acris sit, exulceret, lacrimasque excitet, infortunia & morbos prædicit. Piper, quod acre sit, sed bene oleat, pugnas & dolores prædicit. Ozimum vexationes, molestias vsque ad desperationem præstat: quoniam acris est, & odorata, sed inutilis: crediturque scorpiones generare, hostes & insidiatores hominum. Raphanus autem quia malè olet, significat mala consilia, dolosque & prauos homines. Ideo etiam eiusmodi radicem transplantare, vitam prauam in posterum ducere significat. Sed & pastinacæ malæ sunt, & morbos ac graues curas ostendunt: quoniam difficulter concoquuntur. Adeò verò prauæ sunt, vt si coctæ comedi videantur, mortem breui credant portendere: sed vt mihi videtur, solum morbum grauem.

Quæ mutent in deterius, sunt descensus scalarum, retrocessus è loco quieto amœnoque, pedum vel fundamentorum læsio: miluus, à proprietate: lupi, mures erodentes, casus ex alto, senes decrepiti, mulier crinibus expassis, rota fortunæ cùm felix fueris, ipsa fortuna irata, vel genius tristis: homines qui ex felicitate in miseriam deciderunt: homines historia vel visu cogniti, qui ex optimo statu in pessimum deciderunt, velut Priamus, Oedipus, Dido, fons aquæ pulcher siccatus, arbos generosa euersa. Astaci etiam: quia retrocedunt: bufo ingens, quod credatur infaustam vbi inuenitur domum reddere. Talpæ emergentes è terra, aut multos cumulos & magnos terræ suffodientes: multæ araneæ telæ in domo textæ: quicquid conuersum turpe habetur: velut currus ducens boues, mulier virum subagitans: lepus canem persequens, ornamenta domus fulmine icta atque confracta, membrum virile amputatum, aut oculi effosis, inimicus potens in domo tua cum honore exceptus. Omnis ruina, nisi rei malæ vel suspectæ, & omnis ædificatio & fabrica rei quæ damnum perpetuum afferre soleat, velut torrentis, & fornaces laterum, mutationem in deterius ostendunt. Et beatis generaliter, quæ commutant, sunt tristia: velut eradi, renasci, mori, habitu nouo vti, vrbem domumve nouam inhabitare, in fœminam verti, repuerascere, pluuia, casus fulminis super pedes. Omnibus maximè proprium commutationis in deterius signum est, miluus auis assistens, vel superuolans: vel si tu ipse in eam auem conuersus sis, quod deterrimum est: adeo enim mala erit commutatio, vt aliquando fame pereas.

Quatuor quidem sunt genera signorum mutationum: alia semper bona, quæ in melius semper mutant: alia mala, quæ semper in deterius: alia dubia, quæ felices euertunt, infelices subleuant: alia augmenti, quæ incrementum semper significant, augentque præsentem fortunam, qualiscunque sit: vt scalarum ascensus, & cucurbitæ, heliotropiumque herba. Sed omnium quæ mutationem vitæ significant, nihil maius est morte: siquidem mors commutat vitæ genus, cùm mortui nihil habeant commune cum viuis: quanto magis commutare possunt vitæ genus? post, monastica vita, exilium: pluuia verò, leuem mutationem vitæ, significat, & in vna tantùm causa. Et scias quod vtroque modo id prædicunt, seu fiant, seu facta sint: vt mori, mortuum esse: pluere, pluisséue. Sed actus significat mutationem cum anxietate: res autem peracta sine illa, sed quasi sensim ad eam traductum. Quæ commutant malam fortunam in bonam & bonam in malam, semper & propriè sunt: crocus, & herba Alexandtina, sed non adeò, vt vrsus.

CAPVT XIV.

De nobilitate maiorum, successione posterorum, & fama post mortem.

NOn coniunxissem hæc quæ videntur esse in diuerso genere (siquidem nobilitas maiorum videtur solum significare, non significari, vt quæ sit notior quàm vt per somnium innotescere debeat: successorum autem fortuna & fama post mortem significari, non significare potest) nisi mutuò hæc sibi responderent: quippe nobiles & reges successores videre (ni idolum sit quod videtur) declarat famam post mortem: hoc enim ad id consequitur: aut aliquid inuenturum, quo ex nobili stirpe descendisse manifestum sit: aut si id non eueniat, ita tamen esse. Sunt enim aliqua quæ ita declarantur per somnia, vt aliter, non tamen nota sint. Et quædam docent rem ipsam, vt demonstrationes problematum aut contemplationum mathematicarum, aut proprietatum rerum: & quædam docent modum inueniendi quæ quæruntur: & quædam simpliciter rem docent, vt homini relinquatur dubia de re visa opinio. Omnia enim hæc ex principiis somniorum apparent,

quæ suprà docuimus. Generalissima enim effectuum principia & præcedentium sic mouent animam (nam hoc ostendere oportunum non solùm hic est, sed ad totius tractationis cognitionem necessarium) quoniam si periit tibi absenti frater iam octo diebus, necesse est vinculum fratris abruptum esse in causa, quemadmodum etiam in effectu: at impedita anima prioribus octo diebus non sensit, hac die sentit, liberata impedimentis omnibus: ob id talia somnia maximè obrepunt vacuis mentibus.

Sic & si auus meus, vel proauus, aut alius ex maioribus aliquando strenuo facinore nobilitatus sit, aut flagitioso damnatus, & tamen causa vt coniuncta est mihi (nam illi coniuncta fuit) perpetuò mouet, sed ob exilem sensum non videt anima eo vsque, donec liberata prorsus omni cura, & per certos circuitus obuia recurrens ad causam qui maiorem meum affecit: scintillas quasdam & vestigia imprimit eius effectus, qui tum fuit vsque ad certa tempora: nam nihil mortale infinitum esse potest: & si etiam esset, obuerteretur à tot motibus maioribus & euidentibus intermediis. Ergo videre nobiles maiores, versa vice declarat stirpem nobilem futuram, aut gloriam post mortem: hæc enim etiam, vt clarum est, se consequuntur. Et similiter famam sparsam de se bonam vel malam, tales fuisse maiores, aut futuros posteros tuos declarat: omnia enim hæc sibi inuicem rectè & ad amussim respondent. Quædam verò vnum sibi determinant, cùm defecerit stirps aut famæ spes, vt in valde pauperibus, damnatis, seruis, habitantibus in locis longinquis à propria patria, in solitudine: at maiores nulli deesse possunt: quocirca loco filiorum, si filij desunt, fama subingreditur: & loco famæ, si famam ille non possit consequi, filij: atque hic primus est modus, propter quem etiam quæ significandi ratione coniuncta erat, coniunximus.

Secundus modus est ex propriis: nam funus & sepulchrum significant famam: sepulchra maiorum & stemmata & imagines maiorum, nobilitatem: virilia & viscera, descendentes. Sed distinguere singula oportet: nam funus famam breuem significat, sepulchrum autem perennem.

Quinque autem modis sepulchrum præcipuè afficitur: si fulmen in illud incidat, & conflagrare videatur: vel enim magnã famam somnianti, vel posteros suos magnos futuros pollicetur: si verò disiiciat ac dissipet, contrarium propè minatur.

Si aperiatur sepulchrum, apparebunt facta somniantis post eius obitum, qualiacunque fuerint: & si fuerit homo qui scripserit, scripta eius illustrabuntur. Si statua quæpiam pulchra aut fœda super sepulchrum constituta videatur, aut diuturnos honores, aut aliquem ex sua stirpe magnum futurum ac gloriosum denunciat. Si resurgere mortui videantur ex suo sepulchro, vel libri occulti publicabuntur, vel exurget aliquis ex stirpe qui familiam & genus nobilitabit: vel gloria illius reuiuiscet. Exornari quoque sepulchrum, famam post mortem significat, aut aliquem è familia illustrem obiturum declarat. Similiter sepulchra maiorum si fulgure tacta ardere videantur, inclytum facinus perpetrabit somnians, vel ea arcta affinitate iunctus, vel descendentium aliquis. Et si aperiantur, morietur fermè tota familia.

Et quandoque detecta maiorum sepulchra, declarant aliqua in lucem proditura, per quæ nobilitas illorum detegetur magis, & illucescet mortalibus. Et viscera propriè significant filios, genitalia filios & descendentes: renes autem posteros magis quam filios. Ex his igitur arbores animaliaque oriri, tales significat eos, qui successuri sunt: sed arbores ad potentiam & statum pertinent, animalia autem ad mores: plantæ enim crescunt plurimùm, sed mores non habent: animalia moribus prædita sunt, sed non differunt multum.

Quæ etiam à tergo sunt, posteros: sed nisi aliquo modo coniuncti videantur, alienos eiusdem ordinis aut dignitatis significant: à latere, potentes: ante autem, maiores, quasi conuerso ordine.

Quartus modus, à renouatione solium habetur: quæ enim post multos Solis circuitus contingere videntur, ad posteros pertinent: & similiter quæ post Solis occasum: vt contra, quæ antea per multos circuitus eiusdem, aut illius exortum, maiores nostros significant. Et similiter quæ ad domus ruinam, aut nouam reparationem. Et surculi arborum, posteros: & arbores vetustæ, maiores significant, & alia similia in iis. Et pater filium, patruus filium ex fratre, auus nepotem, frater aui nepotem ex fratre, pronepos proauum, proauia pronepotem ex filia aut nepte, aut proneptem, atque ita conuerso semper ordine significant. Et generaliter, vbi adest consignificatio temporum.

CAPVT XV.

De oraculis: & quod vigilantes diuinare possumus.

CÆterùm absoluta somniorum historia, de oraculis agendum est: etenim parem in vtrisque rationem esse, verisimile est. At cùm in somniis anima non sit adeò sensibus impedita, melius vacare potest futurorum diuinationi, fatique imaginibus: cùm enim non tunc solùm, sed semper, neque noctu, sed interdiu, & quacumque hora circumferantur imagines futurorum, veluti in rota quadam, eædem in anima ipsa relucent semper, sed spiritu occupato à nobis non animaduertuntur. Idque indicium est, animam esse principium nostri corporis, non autem vim: neque enim à sensibus impediretur, sed incitaretur. Oportet ergo eos solùm oraculis intendere, quibus natura concessum est per somnum multa & præclara & euidentius cernere: nam si cum soluta impedimentis natura per somnum id non possunt, aut omnino rarò, & non perfectè: qua ratione, dum

vacant

vacant sensilibus, id sperare consequi possunt? Adiuuanda quoque hæc operatio erit ea in parte qua anima obsidetur, tantum illi auxilij impertiendo, quantum est id quod illi ex vigiliæ actionibus deperit: oportet etiam, quæ impediunt, quatenus licet amouere. Ea sunt autem motus omnes, tam interiores quàm externi, sensuum: quos nec concitare decet, nec exercere. At verò animæ impedimenta quæ iam parata sunt ellebori purgatione, abstinentiaque ciborum ac potuum minuuntur. Anima verò ipsa iisdem, & lapidibus, sed suffumigiis propriè ad hæc adiuuatur. Abstinentia igitur vini plurimùm prodest, & ciborum qui caput turbant: qualia sunt, omnia quæ acria sunt, aut difficilè concoquuntur, & atram generantia bilem, & quæ venerem excitant: hæc autem bifariam plurimum obsunt, & imaginationes mouendo, & quod veneris vsus corpus & animam turbat, impuramque illam reddit. Quocirca in hoc opere eligebatur Phytonissa virgo, quod & ob puritatem, & ob sexus mitiorem naturam anima non perturbaretur: apparebat enim, dum impleretur Deo: idest, spiritu illo terræ, perturbari totam, ac similem effici ebriæ. Vnde poëta:

— Non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando,
Iam propiore Dei. —

Quid ergo fiet, si iam temulenta fuerit anima cum corpore, seu in gestis, si animi perturbationibus? quamobrem & certis cibis ac potibus, & certis horis, & parcè etiam vtroque opus est vti: gemmas verò gestare, quæ animum tranquillant ac serenant, cuiusmodi sunt smaragdus, hyacinthus, sapphirus, & topazius. Sunt etiam qui lapides aliquos à proprietate id posse contendant, vt oculum hyenæ, & oculum Indicæ restudinis (vocant chelonium) si sub lingua detineantur. Ego non tam sub lingua, quàm è regione cordis id efficere posse crediderim, si modò id possunt: nam aliquos eiusmodi natura lapides esse reor, raros tamen specie, ac ex his etiam rarissimos qui id possint: vt videmus inter lapides herculeos, qui magnum trahant ferri frustum: tum verò id diu gestatos, nec nisi in quibusdam (vt dixi) hominibus. Ob id pauci id tentarunt. Sed quod euenit, potiùs, felici id quadam euenit fortuna. Magis nota & efficaciora sunt suffumigia, vt dixi: ex his, fontium quorundam aquæ, vt quæ in Bœotia iuxta Trophonium. Sed nihil certius specubus, in quibus ex halitu terræ longè magis diuersæ species vigilantibus obuersantur, quàm somniantibus sine illis: atque id Aristoteles retulit in libro de Oraculis, Plutarchusque. Sic in Delo, virgo vaticinabatur, Trophonium verò antrum etiam validius afficiebat epota aqua ingredientes: quoniam omnes videbant. Idque in religionem à falsis sacerdotibus, seu etiam ignorantia naturalium causarum, versum est. Neque credas idola offerri, & planta responsa, sed ambigua, & in somniis prorsus simillima. Quamobrem huc eam retraxi tractationem, quòd eodem modo iisdemque præceptis eorum interpretatio constet.

Liquet ergo, & puris hominibus & virginibus, simplicibusque viris aut fœminis, sobriis atque abstemiis, huiusmodi potius apparere, quàm reliquis: quosdamque sponte in hanc diuinationem deuenire, è quibus quidam tantùm, semel, quidam bis, alij perpetuò diuinant: facilè enim abrumpitur hæc facultas, difficilè retinetur. Sic mulieres quædam vnum pariunt filium tota vita, deinceps steriles. Hoc quæsisse Adrianum, & impetrasse, fama constans est, occiso etiam adamato adolescente Antinoo: non tam, vt reor, diuinandi cupiditate, quàm vt de manibus certior fieret. Quo desiderio, sed importuniore: & minus consulto, antea flagrasse Neronem, haud dubium est. Sed frustra opera sunt naturæ omnia: perperam manes sic quærimus, perperam prohibemur. Suffumigio odorato, si arte quærenda sunt oracula, ex vilissima materia simplici atque cœlesti facere solum ea oportet. Quodcunque autem tum euenerit, seu in mente carmen, seu cogitatio aut visio aut incitatio, pro responso habenda sunt: rarò enim non per ambages, quemadmodum & Pythiæ, sed pura idola reptæsentari solent. Id quoque huic melius quàm illi, ob naturam ad diuinationem propensam: neque enim credendum est, virgines illas, quæ Pythiæ vice fungebantur, æquè aptas ei muneri omnes fuisse. Ideoque & oraculorum authoritas modò augebatur, modò minuebatur, iuxta vatum præstantiam: itaque & alios consulere in proprio negotio quandoque melius est, quàm à seipso petere id munus: quod etiam non sine concussione mentis, & agitatione totius corporis fit. Vnde phanaticos hos homines, & tum & in posterum appellare solemus: quasi semi insanos. Cæterùm illud forsan te torquebit, quonam pacto ad imminentia me parabo, vt vel Dodonea, vel Ammonis aut Delphici oraculi responsa impetrare possim? tamen præcipuè conuenientia voto, & congruentia expectationi, tum maximè ab alieno? Somnia enim offeruntur non de his quæ volumus, aut quæ nostris necessitatibus satisfaciunt, sed qualia fortuna obiecerit, etiamsi verissima sint.

Nec Oracula ipsa semper interrogatis respondebant. Romanus ille (si modò vera sunt quæ Lucanus refert) dum quæreret de belli exitu, responsum de obitu proprio in Eubœa insula accepit. Ergo diuinamus ob id, quòd ex omnibus quæ obiiciuntur, tum etiam maximè instantibus rebus, spiritus affectu incitatus mouet conuenientes imagines. Sic enim primum videmus hominem in turba, quem quærimus: de alio vero, cùm difficilius sit causam reddere, ob id non adeo fidimus alieno vt proprio oraculo. Antea vero homines ad huiusmodi diuinationem non se conferebant, veriti ne per dæmones fierent: alij, non esse eam putantes. Verùm & diuinatio est, & naturalis: sed non in vulgus propalanda.

landa. Profanata enim quæ mystica & arcana erant, desierunt esse miracula: quæ solum puris, & ab omni iniustitia mundis, quique omnia ob sapientiam contempserint, nec opes curauerint, videri solent. Quamobrem neque Peripateticis ob improbitatem, nec Platonicis, aut simplicibus hominibus ob imperitiam talia conceduntur. Natura verò quidam simplices & rustici, tamen ob certi generis ciborum vsum assiduum, de quibuscunque diuinare solent. Quanquam peculiare sit omni diuinationum generi, solum de quibusdam, non de omnibus diuinare: Neque enim paruum est, Elysia claustra naturalibus viribus quasi violenter reserasse. Ob id Deo Opt. Maximoque hymnum canamus, qui per mortalia effecit, vt ad immortalium notitiam accederemus.

CAPVT XVI.

De vsu somniorum.

Finis somniorum vsus est: finis autem, propter, quem omnia fiunt. Vsus igitur, pars nobilissima est somniorum. Quæcunque igitur per somnia prænoscuntur, aut præsentia, aut præterita, aut futura sunt: & præterita aut præsentia mutari nequeunt, ob id scire illa tantùm expedit: sciemus igitur, si supra coniecturam somniorum, diligentiam in indagando adhibuerimus. At verò ita existimare oportet, tanquam hoc ipsum nos retrahat, non impellat (Socratis dæmonij instar ad aliquid. Veluti video per somnum, famulum me decipere: non illum abdicabo: sed non committam vt ita me possit decipere, vt nequeam animaduertere: sed solùm committam ea illi negogotia, in quibus si fraudauerit, deprehendi certò queat.

At futurorum quædam sunt, quæ ad actiones nostras pertinent: quædam verò ad euentus, vt ægrotare, mori: ac rursus quædam bona ex his, quædam mala, quædam magna, alia parua, alia mediocria. In paruis seu bonis seu malis, obseruare sufficiat: in mediocribus autem, & magnis, si bona sunt, coadiuuanda sunt, si quid potes: sed non nisi vt naturali coniectura præuisa. Ergo verè si videris morbum venturum, purgaberis, abstinebis à cibis, potibus, venere, curis, laboribus superfluis. Si mortem timeas, cuncta tanquam moriturus ordinabis: non tamen illud dices aliis, nec ab honestis actionibus te subtrahes.

Sunt qui codicillis ventura describunt, quemadmodum credo fecisse Adrianum: si euenerit, aut ostendunt, aut videnda relinquunt: si non euenerit, exurunt illos. Quæ curiositas parùm à me laudatur: non enim quicquam tale ego ago. Bonum est sapere, non videri sapere. Qui in friuolis studium adhibent, necessaria & honesta sæpiùs prætermittunt. Studendum autem maximè est, ne fugiendo fatum, fatum impleas: quamobrem sic enitere, vt in suspicione versari potius videaris, quam timere, aut negligere. Porrò in his quæ ad actiones tuas pertinent, maiori consilio opus est. Cùm autem quædam promissa legitima, quædam indifferentia, quædam flagitiosa: atque in adipiscendo triplex singulorum modus, similiter legitimus, violentus & flagitiosus: legitimo, in legitimis & indifferentibus, cum spe somnij insistere debemus: in flagitiosis, leniter, si prauo studio satisfacere volueris: secus, desistere melius est. Flagitioso ac violento, in flagitiosis quantacunque spes in somniis affulgeat, adipiscendi modo opera danda non est. Honesto verò violenter: flagitioso autem modo etiam studebimus cum eadem spe: nam hinc periculum se obiicit, aut scelus: illinc finis honestus, & non mediocris spes. In indifferentibus autem, vt lucra, honores, qui tibi non debentur, nec negari tamen iustè possunt, violenter insistere possumus: modò consentiant vndique somnia, immunemque à periculo polliceantur: secus, non: nam huiusmodi spes multos fefellit: consecuti enim quod quærebant, aliis ex causis vehementer afflicti sunt.

Præter reliqua autem studendum est diligenter, ne te iactes: non enim solùm versaris in periculo, ne irridearis, & vt leuis videaris, sed etiam ne frustreris exitu: nam publicata spe propalantur actiones tuæ, quibus illi occurrunt. Eademque ca'amitate ac leuitate, qua euulgantur, etiam euanescunt sperata.

Memineris enim dictis illius aurei Senecæ, nihil tam certum esse in futuris quibusuis, quàm nihil certum esse: & artem esse de futuris, & coniecturalem: & homines nil, vel mediocriter assequi.

Verùm quidam irrident hæc, dicentes: Nos non ex somniis, sed actionibus ipsis humanis, felicem fortunam pendere arbitramur: quandoquidem ex illis eam consequi perspicimus: nosque contemptis huiusmodi, beati facti sumus, & ad summam potentiam euecti. Ergo & his respondere dignum est.

Causæ hæ naturales sunt: quas seu negligas, seu magnifacias, eueniunt tamen effectus: atque iidem somnia vident: quæ si negligas, quod dono superum accepisti, tua solertia adeptum te existimas, vnde etiam deterior euadis. Incautus vero, & tui nimium confidens, opprimeris: nec vllius qui solum mortalibus actionibus atque solertiæ vafricieique confidit, beata vita est, ob impietatem: nec in stirpe, tam necessaria parte salutis prætermissa, diuturna potentia. Iudicio est, quod omnes qui diuturnam dominationem obtinuere, huiusmodi disciplinam maximè obseruarunt: reliquorum incrementa fortuita, vita tumultuosa, breui in nihilum redigitur.

Cùm vero somnia, pleraque maiora repræsentare soleant, illud diligenter cauedum, ne consilium placeat repentinum, tum ob id, tum quod nox omnia maiora facit: fallacia enim sunt, quæ per somnium videntur: deinde etiam, quæ nobis vigilantibus nocte consilia capimus, vt non pauci ex hoc præcipitati sint in negotiis: vt enim per silentium vox, vt in tenebris lux, longè maiora videntur: ita quæ per noctem aut speramus, aut timemus. Sed neque his quæ in vigilia primùm placent, & nobis ipsis solis, & maximè dum spe aut ti-

more

more vel ira concitatur: fallacia enim rursus sunt, tametsi non adeò quam quæ per tenebras excogitauimus, φιλαυτία enim persæpe, etiamsi non alia perturbatione decipimur.

Quartus ergo est, cum prudentibus, & eius negotij expertis atque amicis omnia narramus ex fide, eisque iudicium rei permittimus. Hi enim nec amore, nec odio, nec spe, nec metu impediuntur. Hoc sanè iudicium est optimum omnium, præter illud quod proximè in ipso euentu rei habetur, vbi & euentus & casus perspiciuntur, tum reliqua omnia quæ adiuuant & impediunt: ob id qui promptissimi sunt in consiliis capiendis, persæpè magna deuitant infortunia: & melius consulunt rebus ipsis prudentibus, qui multò antè rem coniectura, sed imperfectè sunt assecuti.

Sed vt ad rem reuertar, cautum oportet esse hominem in iudicando, singulaque diligenter expendere: velut si cui videantur se esse damnatum ad laqueum, nec tamen ducatur: ibidem explicaui, damnationem hanc, quia non ducitur, similem esse veræ damnationi, quo ad affectum: sin autem ducatur, felicitatem magnam portendere: hoc est, magnam super alios exaltationem. Quomodo igitur hæc? Dico, quòd in huiusmodi casu cupiet maximè exaltari: & ob id, cum sibi alios prælatos videat, maximo animi angore discruciabitur.

Alius rursus se existimat concionari ad populum, inde excipi ab eodem cum applausu: paulò post eligi in rem, & cum pompa reduci domum. Hic aliquando capietur: hæc enim est conditio necessaria inde torquebitur: hoc enim est concionari: ibi & fatebitur delicta: si enim cum applusu à quæsitoribus excipitur: post damnatus ad supplicium: hoc enim est in regem eligi: deducetur domum: id est, ad mortem: hic omnia plana esse video, præter vnum: quoniam dices, Qui de crimine interrogantur, non coram populo quæri solent. Verùm somnium, vt dixi in primo libro, conditionem propriam in specie facit generalem, tametsi repugnet. Cum ergo in publico, dum torquentur, accurrat populus in disquisitione, iudices & fisci procuratores & quæsitores populi & turbæ vicem subeunt.

Quòd si paululum in pluribus variare soleant somnia, illud obseruabis, & vbi maximum est discrimen ac minimum, adnotabis in duobus generibus tanquam oppositis: vtpote si maximè aberret in homine, minimè verò in minutis animalibus, in animalibus magnis & domesticis multùm aberrabit, transferesque significatum ad propinqua significato ab homine: & post in animalibus magnis, feris: post in paruis, sed mansuetis, inde in piscibus. At verò in plantis atque lapidibus ac elementis pones ea omnia, quasi ab aduersa circuli parte, sic vt minimum maximo coniungatur, scilicet elementa homini proxima, inde metalla, lapides & plantas, quas constitues proximas paruis animalibus, & ita translato significato inuenies quæsitum. Sit, vt quoties somnies de homine noto, qui (vt dixi) famam significat, vt verbereris: iam hæc est passio, & plusquam affectus: vbi somnies de cimicibus, qui concubinæ tædia notant, ab vxore molestia afficieris: tum verò constitues, totam eam medietatem quæ est à minutis animalibus ad hominem, cum incremento reliqua minues significata. Equus ergo qui significat existimationem & robur, significabit dignitatem & magistratum: arbor verò contra, quæ te aut tuos significare solet, animalia tua referet, vt equum aut bouem vel ministros: atque ita de aliis. Non fit autem comparatio æqualis, nec quo ad medietatem, neque in excessu, sed est similis duobus circulis, quorum vnus alio includatur, diuersa centra habentibus. Sed neque interualla hæc æqualia sunt inter se, sed fermè semper magnitudine dissimilia, ratione verò eadem.

Est etiam in somniis ea obseruanda ratio, quæ omni diuinationum generi communis est: scilicet vt similia similibus comparentur: inde quæ adduntur, rursus similia, donec ad dissimilia perueniamus, quæ in similibus maiorem quàm in dissimilibus prorsus nulla est. Ponamus, exempli gratia, quòd patri & filio diuitibus, & ambobus iurisconsultis, patria quidem eueniant somnia, de equitatione & equis similibus: at in hoc differant, quòd pater in locum obscurum: filius autem pellucidum perueniant. Erunt hæc in somnia similia in pluribus existimatione, vitæ cursu, qualitate ministrorum & artium & studiorum: hac manente in omnibus similitudine, quæ ex loco lucido & obscuro non peruertitur: superueniente tamen illa differentia, pater quidem infamis morietur, filius gloriosus, quod maximum est discrimen: quia inæqualia quantò magis exquisitè æqualibus iunguntur, eò certius inæqualitatem efficiunt. At ponamus, quòd cauponi cuidam somnium idem, quale filio contigit, sed in suo sedenti accidat. Caupo ille, patri illi nil simile habebit, cùm non conueniant: in fine tamen plus conueniet cum patre, quàm filius: morietur enim infamis, luxque illa & splendor illius turpitudinem & ignauiam deteget, vt in Iurisconsulto obscuritas nomen illius obfuscabat. Ex dissimilibus ergo similia magis, dum componuntur, quàm ex dissimilibus & similibus euenire possunt: cæterum nil simile. Oportet autem similia seorsum obseruare, quoniam dissimilibus non vitiantur: quamuis mista postmodum similitudinis cuiusdam speciem efficiant.

LIBER



LIBER QVARTVS
DE EXEMPLIS.

CAPVT I.

In quo vtilia sint somniorum exempla, & illorum ratione.

DVORVM cùm sint generum somnia, alia quidem quæ rem ipsam declarant, idola vocata, quorum maxima pars oratione & auditu, non visu constat: horum quidem vnica ratio erit confirmare opinionem de illis: alia verò, quæ ex naturæ similitudine, aut fortuita quadam ratione vsque humanæ coniuncta, verisimilem exhibent de se coniecturam, in quibus non solùm somniorum veritas confirmatur, sed etiam interpretandi modus ac solertia declaratur: cuius causa plurima talia Artemidorus Daldianus, qui & de chiromantia & auspiciis tractauit, vltimo suo libro, quem huic negotio destinauerat, conscripsit. Neque enim artis singularia tam bene doceri possunt rationibus atque regulis, quàm exemplis: quoniam in exemplis relucet coniectoris seu interpretis præstantia, quam maximis laudibus effert Aristoteles. Vt enim aqua mota imperfectæ imagines rerum apparent, quas qui intentè & cum iudicio intuitus fuerit, poterit dignoscere: & quo motus minor fuerit, quiescente omnes videre possunt & agnoscete: ita coniector quæ occulta sunt, ob imperfectionem interpretatur: ob id iudicio vt præstat acerrimo, & versatili quàm maximè ingenio sit, opus est. Atque hæc de interpretis qualitates veræ sunt.

Sed & id necessarium est, vt natura ad hoc paratus sit: cùm enim omnes homines seligant ex infinitis, quæ significari possunt, multa: necesse est aliquem esse qui pleraque vera seligat, vt alium qui nihil: atque id etiam sine astrorum aliquo auxilio: namque res ipsa postulat hoc, vt postquam cunctorum est diuersa electio, vt quidam sint qui vera solum sorte quadam fermè seligant, atque hi optimi erunt interpretes: nec hoc in collimationem aut causam aliquam manifestiorem reducere oportet, sed in ipsius naturæ rerum necessitatem.

Cæterùm exemplum illud de imagine in aqua, Aristotelis, non sanè, quanquam tanti Philosophi, rationem docet, cur somnia vnum per aliud significent: quandoquidem non sunt somnia secundi & tertij modi idolorum partes, sed aliud omnino genere. Velut nix paupertatem & inopiam significat: frigent enim homines ob niuem, & nihil oritur in terra dum à niue tegitur, nec quicquam colligitur. Quid tamen niui cũ inopia?

Propterea primum illud videndum, cuius causa hunc vltimum librum confecimus, an in somniis aliqua sit veritas: & an ars vlla possit de eis constitui?

Videtur autem, multas ob rationes, quòd non. Primum quidem, quod neque omnibus vera videntur somnia, nec vlli tota vita: ars autem vtrumque habet, & disciplina, vt omnes possint, si velint, ea vti, & aliquis sit qui eam perfectè norit. Deinde non videtur ratio, quod à Deo immittantur, qui solùm seipso contentus est, & de quo dubium est an serias res hominum curet, nedum vt velit tam friuolis adhibere auxilium: multa autem talia in somniis videri solent, sine quibus etiam homo rectè esse potest: vt amissio modicæ pecuniæ, fuga pueri familiaris amici mors aut dilecti catuli.

Præterea si Deus immitteret somnia, vtique probis (non dicam sapientibus) immitteret, quemadmodum inquit Aristoteles. Scriptum enim rectè est: Qui abscondisti à prudentibus, & reuelasti ea paruulis: & quoniam quos simplices Aristoteles appellat, hi sunt verè sapientes, iuxta illud: Nos stulti vitam illorum reputabamus insaniam, & vitam eorum sine honore: illi autem annunciauerunt opera Dei, & facta illius intellexerunt. Solis, non autem improbis: hoc verò secus habet: nam non minus improbi futura præuident, quàm probi: vt de Sylla, Caligula, Augusto, Domitiano, aliis monstris horrendis sæuitiæ, ambitionis, libidinis & auariti[illegible].

Accedit, quod maximum est in hac causa, quod si non arte constant, fortuita sunt. Et huius causa, & quod ita docet experimentum minima pars talium quæ non ad naturam referuntur: vt bilis, repletionis, doloris, vera est. At in omnibus fortuitis aliqua vera esse, & iuxta opinionem euenire deprehenduntur: velut aleæ iactu, & sortibus: non igitur maior est veritas aut fiducia vel ars in somniorum prouidentia, quàm in huiusmodi: at huiusmodi nullam habent fidem aut securitatem, nec vlli vsui sunt, aut esse possunt: itaque contemptibile necesse est esse huiusmodi diuinationis genus.

Ergo videndum, an sit aliqua ars? Et certè si ad totum genus somniorum res hæc referatur, ars omnino nulla est: sed si ad euidentia & perfecta, quorum maxima pars sortitur effectum, erit de illis ars atque scientia: plurima enim horum vera sunt, taliumque aliqua notitia: veluti sanationum nulla est scientia: quoniam plurimi casu sanantur: sanationum autem quæ à medicis fiunt, ars aliqua est, & certa ratio.

Et rursus, tempestatum fortuitarum nulla est certa prædictio: earum verò quæ ad asellorum nebulosum ortum, certa est prædictio: at in puris fortuitis sortibus talorum iactu, non possumus genus verorum à non veris segregare: neque sunt euidentia alia, alia obscura, perfecta, & imperfecta, efficacia & remissa: quocirca talia omnino, vt etiam Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, atque

huiusmodi

fortuita sunt pura, & nulli scientiæ subiiciuntur, neque arti. Quæ igitur præsciri possunt, nec ad consilium nostrum pertinent (namque illa prudentium ex acumine pendent) duorum sunt generum: alia quidem, quæ ex naturalibus causis pendent, quorum duplex est præcognitio: ex causis vt cùm florentem in messem eclipsis magna Solis inciderit, erit penuria frugum: aut ex signis: vt in Physiognomia, sed magis in Metoposcopia, Chiromantiaque atque huiusmodi, est certa in se notitia: nos tamen quoniam rarò perfectã tenemus artem, sæpè in prædicendo fallimur. Alia verò sunt, in quibus secernere licet euidentia, efficacia ac perfecta, à tumultuosis & casu factis: atque horum genus nulla arte constat: pars tamen quæ sæpè veritatem ostendit, arti cuipiam, sed non adeò constanti vt priora subiicitur.

Primùm igitur in his segregare euidentia, & quæ arti subiiciuntur, ab aliis oportet: hoc autem iam docuimus. Deinde quærere, cur quibusdam vera appareant somnia, quibusdam non. Et vnde illis veritas: inde etiã, quomodo ad aliud transimus rei genus. Velut cum (vt diximus) ex niue inopiam deprehendimus. Oportet autem ordine doctrinæ vt in cæteris omnibus, ex manifestis hæc deducere.

Primùm quòd neque bonis neque malis, neque sapientibus neque stultis, nec eruditis nec imperitis, semper accidant, aut nunquam, experientia docet. Cibo autem & vino oppletis non accidere, perspicuum est: quoniam vel omnino quiescente spiritu nihil vident, dum dormiunt: vel, veluti ex stagno orta caligine obumbratur anima. Itaque hoc opus est animæ quiescentis, quæ non impedita, curis, sensibus aut motionibus, nec crapula leuissima sensilia percipit: velut cùm minimum sibilum tibiæ somnũ imaginatur, & subdulcis pituitæ casum mellis esum, vt Aristoteles dicit. Hoc autem quod relucet, aut in ipso fati ordine constitutum est, aut in ipsius hominis deliberatione, aut in serie facti, aut à dæmone subministrante, vel cœlo. Ex cœlo autem, verisimillimum est: est enim causa omnium, & Astrologi multa prædicunt, & in quibusdam est, quibusdam non. Imprimit autem magnum aliquid: quoniam quod imprimit, tale est.

Porrò velut facilius est cognoscere procul corpus quàm animal, & animal quàm hominem, & hominem quàm Socratem: anima quæ procul videt, videt magnum aliquid, & oppressionem: generalia enim sunt: cùm verò vel somno obturbata, vel curis non libera, vel immobilis & sensus hebetis, non potest percipere, sub magno hominem subiicit casu, montem aut mare aut flumen coniector autem pro his hominem subiicit, atque ita opprimendum à potenti viro significat. Periculum est ergo his, ne idolum sit: vt si à mari obrui videatur, ne vel à potenti viro opprimatur, vel etiam mari ipso verè submergatur: idque idolum erit. Sapientis igitur coniectoris erit, ad generalia se conferre: vt monte cadente, ad magnitudinem & offensam se recipiat: quod si clarius videat, videbit hominem nobilem, non tamen quis sit, dignoscet: quod sit sensus animæ vigeat multũ, nec interturbetur, sitque vis cœli magna, cognoscet etiam illum. Demum si omnia conueniant, quid etiam sit acturus intelliget. Idolum igitur etiam cum reliquis modis vnum genere est: sed vt procul videns, plantam esse credit quod homo est: quia non mouetur, & tamen idem videt rem longam, rectam, minimè latam: ita eiusdem naturæ est imago idoli & somnij secundi aut tertij modi. Aristoteles ergo non rectè assimilat hanc speciem, illi quæ in aqua mobili apparet: sed ei quod procul aut propè videtur. Semper autem omnia propter sensum sibi coniunctum generali imagini aliquid vnum subiicit sensile, vt mõtem, mare, flumen, arborem, animal, prout illi celeriùs occurrit, vel etiam ex adiuncta alia generali conditione: vt si velociter moueatur, fluminis ab alto casum: velut etiam in puerilibus interrogationibus, cùm alter alterum interrogat de re magna, quæ currit: vnus respondet flumen, alius cœlum, alius potentem virum dicit. Liquet autem, quod responsa auribus per somnum percepta, puriora sunt visis, quòd auris non excipiat simulachra rerum materialium. Hoc autem modo etiam ex halitu terræ vatem in Delphis præuidisse per generalia futura, existimandum est: quemadmodum & in somniis vnde responsa caligine inuoluta, vera tamen semper, seu dæmon sit qui præuideat, seu non. Ergo cum fabrilis ars, & cerdonis, clauem aut calceum semper faciat, in quocumque fuerit homine, faciles enim sunt: somniorum autem diuinatio & vatum vera sit non nisi (quod etiam in medicina & aliis difficilibus artibus accidit) in excellentibus interpretibus: aliis autem ob inscitiam aut incuriam mentientibus: ob id fabrilis & cerdonis artes esse existimantur: somniorum autem non, sed nugæ ac gerræ. Trium igitur quæsitorum propositorum ratio conspicua est. Sed id clarum, in belluis eadem ratio apparere vera somnia, tametsi illorum non sit prouidentia.

CAPVT II.

De exemplis alienis in primo genere, idolorum scilicet.

NOcte quæ eædem Iulij Cæsaris præcessit, Calpurnia illius vxor imaginata est, collabi fastigium domus, maritumque in illius gremio confodi. Prima autem pars somnij ad secundum modum significandi pertinet: nam fastigium domus patremfamilias significat.

Augustus cùm æger esset in castris, monitus à Philippo medico, qui per somnium illum viderat in tabernaculo ab hostibus opprimi, alio se contulit. Sequenti die M. Bruti milites victores ingressi tabernaculum, lecticam eius multis vulneribus confoderant, existimantes illum ibi esse. Quæ spes hostibus, qui Deos haberent aduersas partes mouentes?

Narrat Plinius vigesimoquinto Naturalis historiæ libro, vir ab omni superstitione alienissimus, historiã huiusmodi: Nuper cuiusdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, vt

vt radicem syluestris rosæ (quam cynorhodon vocant) blanditam sibi aspectu, pridie in fruteto mitteret filio bibendam. In Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuque accidit, vt milite à morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola orantis vt pareret religioni: seruatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentauit.

Galeni quoque somnia inter hæc admiranda recensere operæ pretium fuerit, præcipuè autem tria fuere Patris repetita, quibus admonebatur, vt filiū medicinæ traderet. Aliud, quo vt scriberet de videndi ratione, cuius meminit in libris de Vsu partium: velut alterius in Methodo, & de librorum propriorum ordine. Tertium magis dignum miraculo, cùm bis per somnum monitus vt arteriam secaret, quæ inter pollicem & indicem est, idque agens liberatus sit à diuturno dolore, quo infestabatur ea in parte qua septo transuerso iecur iungitur: idque in libri de Sectione venæ fine testatus est. Magno certè exemplo, quòd tantus vir in medicina eam adhibuerit somnio fidem, vt in seipso periculum vitæ subierit, in arte propria. Deinde probitatem admiror, vt quod potuerit solertia ingenij sibi inuentum ascribere, Deo cui debebatur, reddiderit. Dignus vel hoc solo vir immortalitate nominis, & librorum suorum.

Annibal vir sacrilegus, nedum superstitiosus, cum columnam auream in templo Iunonis Laciniæ auferre destinasset, perterebrauit primum, ne non inaurata esset, non aurea: inuenit ergo auream. Sed nocte sequēti comminata est per somnum illi Iuno reliquo oculo eum excæcaturam: quo timore territus, non solum columnam non auulsit, sed aurum quod terebrando exemerat, in buculæ formam redactum, columnæ superposuit.

P. Decius, ille Q. F. qui primus è Deciis consul fuit, cùm esset tribunus mil. M. Valerio & A. Cornelio consulibus, à Samnitibusque premeretur noster exercitus, cùm pericula præliorum iniret audacius, moneretur que vt cautior esset, dixit (quod extat in Annalibus) sibi in somniis visum esse, cùm in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxima gloria & tum quidam incolumis, exercitum obsidione liberauit. Post triennium autem, cum consul esset: deuouit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus: quo eius facto superati sunt, & deleti Latini. Cuius mors ita gloriosa fuit, vt eandem concupisceret filius.

Aristoteles quoque scribit, Eudemum Cyprium familiarem suum, iter in Macedoniam facientem, Pheras venisse, quæ erat vrbs in Thessalia, tum admodum nobilis: ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur: in eo igitur oppido ita grauiter ægrum Eudemum fuisse, vt omnes medici diffiderent. Ei visum esse in quiete, egregia facie iuuenem dicere, fore vt breui conualesceret: paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum: ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum: atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, & conualuisse Eudemum, & ab vxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cùm esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, præliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, vt cùm animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum reuertisse videatur.

Simile quid de Sophocle, qui cùm ex æde Herculis patera aurea grauis surrepta esset, in somniis vidit ipsum Deum dicentem, qui id fecisset: quod semel ille iterumque neglexit: vbi idem sæpiùs ascendit, in Areopagum detulit rem. Areopagitæ iubent eum comprehendi, qui à Sophocle erat nominatus: is quæstione adhibita, confessus est, pateramque retulit: quo facto, fanum illud Indicis Herculis nominatum est.

Cum bello Latino ludi votiui maximi primùm fierent, ciuitas ad arma repentè est excitata. Itaque ludis intermissis, instauratiui constituti sunt: qui antequam fierent, cumque iam populus consedisset, seruus per circum cum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis: idque ab eodem iussum esse eum Senatui nunciare: illum non ausum iterum esse idem iussum, & monitum ne vim suam experiri vellet: ne tum quidem esse ausum. Exin filium eius esse mortuum: eandem in somniis admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum: cumque senatui somnium enarrauisset, pedibus suis saluum reuertisse: itaque somnio comprobato à Senatu, ludos illos iterum instauratos, memoriæ proditum est.

Caius Gracchus multis dixit, vt scriptum apud eundem Cœliū est, sibi in somniis Quæsturam petenti, Tiberium fratrum visum esse dicere, quàm vellet cunctaretur: tamen eodem sibi leto, quo ipse interesset, esse pereundum: hoc ante quam Tribunus plebis Gracchus factus esset, & se audisse scribit Cœlius, & dixisse multis: quo somnio quid inueniri potest certius?

Simonides poëta cùm ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, eumque humauisset, haberetque in animo nauem conscendere, moneri visus est ne id faceret: ab eo quem sepultura affecerat, si nauigasset, eū naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse, perisse cæteros qui tum nauigassent.

Cùm duo quidam Arcades familiares iter vna facerent, & Megaram venissent, alterū ad cauponem diuertisse, ad hospitem alterum: qui vt cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somniis ei qui erat in hospitio, illum alterum orare vt subueniret, quod sibi à caupone interitus pareretur: eum primo perterritum somnio surrexisse: dein cùm se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundum illum visum esse rogare, vt quoniam sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum, in plaustrum à caupone esse coniectum, & suprà stercus iniectum: petere, vt manè ad portam adesset,

adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret: hoc verò eū somnio commotum, bubulco manè præsto ad portam fuisse: quæsisse ex eo, quid esset in plaustro? illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse cauponem repatefacta pœnas dedisse.

Mauritio imperarori visus est Christus in somnis, dicens: An vis in hac vita, an pòst, flagitiorum tuorum pœnas luere? cui Mauritius: Hac in vita potius. Tum Christus: Et lues: nam imperio & vita tu tuique filij ac vxor spoliabimini, imperiumque Phocæ tradetur. Manè Phoca nobili quodam accito, ab eo metu liberatus est: cùm rogasset, an alius eo nomine in exercitu esset? Respondit qui vocatus fuerat, esse quendam infimæ sortis, quē neglexit Mauritius: ab eoque omnia euenerunt, quæ per somnium ventura audierat.

Varunianus incola Sindoniensis Pannoniæ agri, cùm natum nullum infantem educare posset, cùm vxor rursus grauida esset, in somnis responsum accepit, vt natum infantem appellaret Iouinianum. Paruit pater, superuixit puer, & factus etiam est Imperator.

Ptolemæus primus olim Alexandri satelles, cùm Alexandriam muro cingeret, vidit per somnum egregium forma iuuenem, monentem vt effigiem illius ex Ponto adueheret, eique templum dedicaret: futurum vt felix regnum esset, inde vidit eundem iuuenem, multo cum igne in cœlum ascendere. Interrogat igitur Timotheum Atheniensem, ex Eumolpidarum genere: qui ex negociatoribus retulit intellexisse, esse in Sinope vrbe templum vetustum, cùm statua Iouis Ditis. Verum Ptolemæus cum magis deliciis vacaret quàm religioni, contempsit illum remittere: quare denuò imago illa per quietem terribilis & cum minis illa apparuit. Misit igitur Ptolemæus legatos ad Apollinem, sciscitatum quis esset? respondit Apollo clarè, esse eius patrem. Misit itaque ad regem cum pluribus muneribus, petitum statuam: verùm Scydrothemides per tres annos distulit hoc, verba dans, ne ciues offenderet. Vnde iterum illi visus est iuuenis idem fortuna terribili, & minitatus exitium, grauiter illum morbo affecit. Rex ergo delatus in concionem, & de somnio Ptolemæi & de suo monens eos, de morbo etiam periculoso quæstus, reclamantibus ciuibus inuidere Ptolemæum vrbi suæ: tandem delata statua in nauem legati Ptolemæi triduo pòst Alexandriam peruenit, superatis millibus passuum penè mille. Templum pro magnitudine illi extructū, in loco cui nomen Racotis.

Ioanni Mariæ Mauroceno patricio Veneto, amico nostro, cùm in Dalmatia prætor esset, visus est alter fratrum, quem plurimum diligebat, nomine Donatus illum complecti, atque vale dicere, quod ex humanis excederet: eum Ioannes Maria cum aliquantulum prosecutus esset flens, experrectus est totus lachrymis perfusus: expauitque, fratri qui Venetiis erat timens: tertia die è domo allatæ literæ sunt, quibus significabatur, Donatum ea nocte, ea hora excessisse, cum triduo tamen ex febre pestilenti decubuisset. Hoc ille mihi non semel, nec siccis oculis narrauit.

Ludouico Madio, Patritio nostro, miles erat incubiculo dormiens: is nocte quadā exclamabat in somnis. Dominus rogat, quid haberet? respondit: Visum sibi vulnus magnum in capite accepisse, ac morti proximum, ob id cum metu experrectum. Dominus, qui eum diligebat, iubet ne è domo discedat. Socij interim die sequente ad hostes visendos iredestinant: immemor ille somnij, exit cum illis: hostes adsunt: fugiunt socij, ipse discisso capite occiditur.

Alexander ab Alexandro, qui dies conscripsit Geniales, refert Marinum alumnum suum vidisse per quietem, matris suæ funus celebrari: idque cum lachrymis multis & gemitu: experrectus cùm id narrasset, annotato die, post aliquot dies literas acceperunt, pridie eius diei quā nox ea antecessat, matrem illius quam incolumem existimabant obiisse. Idem affirmabat cognouisse se Iunianum Maximum, municipem suum, solertem adeò fuisse somniorum interpretem, vt & gloriam non leuem prædicendo clarè quæ portenderentur, consecutus fuerit: & multos ab imminentibus periculis seruarit.

Glaphyra Archelai coniux, Alexandrum coniugem priorem mortuum vidit per quietem, exprobrantem secundas nuptias: monentemque quòd breui secum illam esset abducturus. Breui itaque periit.

M. Antonius Taurellus, Guastalle dominus somnio monitus, quo se submergi videbatur, decreuerat à natatione ea die abstinere: sed oblitus somnij, ad natationem cùm redijsset, submersus est.

Vxor Georgij Stachini medici, ex municipio Gallarate amici mei, sed qui (vt reor) parùm piè vixerat, iam paucis antè diebus mortuo coniuge, relicta ex eo infante, vidit illum dicentem, velle secum filiam: cùm illa sæpius instanti pernegasset, tandem visus est coniux dicere: fac vt vis, puellam apud me esse volo: atque intra decem dies incerta causa puella obiit.

Signifer quidam notus per quietem vidit, se magnis cruciatibus cum sociis ac ducibus torqueri: id cùm narrasset manè illis, ab eis irrisus est. Eodem manè inuitati omnes sunt ad conuiuium à præfecto Petro quodam Hispano: adiere omnes præter hunc, qui clàm ducibus dilapsus est: à prandio omnes coniecti sunt in carcerem: vbi disquisitione habita per tormenta Duces ipsi latronum, vnusque è priuatis militibus, publicè lacerati sunt: reliqua turba spoliata ac dimissa est.

Herodi Antipatri filio, cum Phasellum fratrem de insidiis suspectum haberet, per somnum monitus est, illum periisse: quod & verum fuit: occisus enim est ab Antigono, die quæ somnium illud præcesserat.

Nicocles, cùm ei duos filios Aristotimus Eliensium tyrannus occidisset, vidit per quietem, illorum alterum dicentem, ne somno operam daret: futurum enim vt sequenti die princeps ciuitatis efficeretur: qua spe incitatus surrexit: & adortus tyrannum, eum occidit: quo beneficio, à ciuibus Princeps constitutus est ciuitatis.

Thomas Sarzanus, cùm ob mortem Cardinalis

dinalis sanctæ crucis mœreret, per somnum vidit cardinalis animam, quæ illum consolata est dicens, sibi bene esse: adiecit &, breui illum Pontificem futurum. Paulò pòst in Episcopum Bononiæ electus, ac missus in Germaniam pro legato: dum Mediolano transit, Francisco Philelpho somnium enarrauit. Et paulò pòst Pontifex creatus, Nicolai Quinti nomen assumpsit.

Augustinus, cui etiam præter sanctitatem, plena fides adhiberi potest, duo narrat inter reliqua somnia admiranda. Primum, quod cùm quidam mortuo nuper vexaretur, tanquam de pecunia quam pater illi ex chirographo debuisset, dum mœstus viueret, ex hac causa nocte quadam vmbram patris vidit, quæ illum admonuit de persoluta pecunia, & vbi chirographum esset repositum. Cùm surrexisset, inuenit chirographum loco eo quem vmbra paterna docuerat, liberatusque est ab iniusto petitore.

Alterum adhuc magis mirum. Præstantius, vir quidam, à Philosopho petierat dubitationem quandam solui: quod ille pernegauit. Nocte sequente, tametsi vigilaret Præstantius, videt sibi Philosophum assistere, ac dubitationem soluere, moxque abire. Cum die sequenti obuiam Præstantius eundē habuisset Philosopum, rogat, Cur cum pridie rogatus noluisset soluere illam quæstionem, intempesta nocte non rogatus, & venisset ad se, dubitationem aperuisset. Cui Philosophus, Non equidem ego adueni, sed somnians visus sum tibi hoc officium præstare.

Filius Dantis Aldigeri, mortuo patre, librum quendam illius cùm quæsisset, nec inueniret, mirum in modum tristitia afficiebatur. Ei nocte quadam pater in somnis apparuit, ostendit locum in quo liber latebat. Experrectus ille, ibi quæsiuit librum, atque inuenit, vt eo auxilio ad posteros peruenerit.

Ante pugnam ad Philippos, Thessalo cuidam militi visus est iulius Cœsar per quietem dicens: Nuncia Octauio, pugnaturum illum feliciter: & vt recipiat aliquid ex his secum, quæ ergo dum Dictator essem, gestare solitus eram. Parui Octauius, annulumque recepit quo signare epistolas Cæsar consueuerat: gestauitquenon solùm ante victoriam, sed etiam parta frequenter. Ego tamen huiusmodi somniis qui per alienos fiunt, & fauent Principibus, non fido: pluraque ficta spe lucri, & quæ etiam falsa deprehendantur: esse coniicio.

Pridie quàm Henricus Galliæ rex eo vulnere oculi sauciaretur, Margarita eius vxor) vt referunt) per somnium vidit, marito oculum effossum, ille tamen Fati necessitate vrgente, neglexit: monitum & recusantem concurrere equitem, non semel coegit: itaque dum concurrit, lancea fracta, ligni frusto tenui, quod rudus quidam vocant, in oculo ictus grauiter est: paucisque pòst diebus eo vulnere interiit.

Cælio Rhodiginio annum agente vigesimum secundum, Antonio Boldu patricio Veneto Septimum Plinij librum interpretante, cum Ectrapeli dictione torqueretur, quam tamen aliquando expositam viderat apud autorem, sed neque illius, multo minus loci meminerat: proxima nocte quietem videt & librum, & paginam, & paginæ partem experrectus, inuenit ad vnguem sic esse.

CAPVT III.

De exemplis alienis in secundo & tertio genere significandi.

IVlius Cæsar, qui postmodum rerum potitus est, cùm apud statuam Alexandri magni diu ingemuisset, quasi ea ætate nihil adhuc insigne edidisset, qua Alexander imperium orbis adeptus erat: somniauit sequenti nocte, stuprum matre se intulisse: ostento confusus, rem detulit ad interpretes: qui responderunt, significari sibi mundi seu terræ imperium: terra enim omnium est parens quam sibi subiectam viderat. Quis dubitat, tanquam rem sibi debitam, somnium hoc ad occupandam monarchiam non parùm contulisse? vt euidens sit, & ad vitanda pericula, & ad consequendam gloriam, vtilem esse somniorum interpretationem: quòd si omnino nos dij sic fallere volunt, non possumus illorum manus effugere.

Idem nocte ea quæ cædem antecessit, visus sibi est inter nubes volitare, interdum cum Ioue manus iungere. Significauit hoc ex tertio significato mortem illius: nam à morte consecratus est inter deos, habuitque sacerdotes, vt cum Ioue magnus iunxisse videretur: vt non tàm mortem, quàm successurum in regnum filium eius, etiam hoc somnium significauerit.

Accia Octauij mater, cùm eum vtero gereret, somniauit viscera eius ad sidera deferri, explicarique per omnem terrarum & cœli ambitum. Viscera quidem filium, quem in visceribus continebat significabant, cuius potentia in terris vsque ad diuinitatis opinionem explicata est.

Octauius quoque pater Augusti somniauit, ex Acciæ vtero iubar exortum Solis. ita inter homines eius ætatis facta Augusti resplendere, vt Solis iubar in mundo. Idem, vbi Libero patri barbarico more sacrificasset, visus est sequenti nocte videre filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro, exuuiisque Iouis opt. max. ac radiata corona super laureatum currum, bissenis equis eximio candore illum trahentibus.

Quintus Catullus post dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniauit. Prima, Iouem opt. max. prætextatis compluribus circa aram ludentibus, vnum secreuisse, atque in eius sinum Reipublicæ signum, quod manu gestaret, reposuisse. In sequenti verò, animaduertisse se in gremio Iouis Capitolini eundem puerum: quam cum detrahi iussisset, prohibitum monitu Dei, quòd ad tutelā Reipublicæ educaretur: ac die proximo obitum sibi habuisse eum, qui postmodum Augustus ob imperium auctum vocatus est: cumque incognitum aliàs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset. Quidam prius somnium

catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: eiusque osculum delibatum, digitis ad os suum retulisset. Parum hæc absunt à primo genere: quia tamen ad defensionem Reipublicæ hoc trahi poterat, ad secundum genus transtulimus.

Marcus Cicero Caium Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè enarrabat. Puerum facie liberali, demissum cœlo, catena aurea ad fores Capitolij constitisse, eique Iouem flagellum tradidisse: deinde repentè Augusto, qui tum puer erat, & eum auunculus adhuc plerisque ignotum Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit.

Tiberius Cæsar supremo natali die somniauit, Apollinem Temenitem & amplitudinis & artis eximiæ aduectum Syracusis, vt in bibliotheca noui tēpli poneretur, dicentē, non posse se ab ipso dedicari. Fuit natalis illa dies: quoniā non statim, sed eo anno solum periit.

Quidam Cassius nomine somniauit, se Ioui taurum immolasse: cum sequenti die Olympij Iouis statua tantum cachinnum ediderit, vt machinis labefactatis opifices diffugerint. Sic Cassius Chærea alius, qui tribunus erat, C. Caligulam Imperatorem paulò pòst interfecit.

Idem C. Caligula pridie quàm periret, somnio vidit, se consistere in cœlo iuxta Iouis filium: impulsumque à Deo dextri pedis pollice, atque in terras præcipitatum. Hoc non intelliget verè, qui non historiam nouerit perfectè. Nam Caligula solus viuus voluit adorari: ideò iuxta solium Iouis ea ratione, quam in secundo somnio explicauimus, visus est esse: propulsus autem in terram, cædem: quia viuus eo honore carere non poterat, & non referendum inter diuos, significauit.

Idem quoque solitus erat videre somnia terribilia, inter quæ Pelagi imaginem secum colloquentem: quod indicabat, vitam plenam metu, molestiis, periculis, & perquam breuem: non enim Plutonem aut rem mortuam alloqui licet, nisi obierit ipse.

Nero, occisa matre (nam Claudius nihil vidit, quod solum crapulæ & vino ac libidini deditus esset) vidit per quietem, nauem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octauia vxore in arctissimas tenebras. Et modò penatarum formicarum multitudine oppleri, modò à simulachris gentium ad Pompeij theatrum dedicaturum circuiri, arcerique progressu. Asturconem, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus reddere canoros. Quinque hæc fuère somnia: licet ob breuitatem prima duo ita coniunxerit, vt vnum esse videantur. Occisa matre, autoritas regendi imperij extorquebatur sensim, donec viuus eo exutus sit. Secundum de Octauia multò pòst accidit, cùm illam occidisset: itaque & ipsum ferro interiturum significabat: quoniam ab ea quæ ferro perierat, in tenebras duceretur: id est, ad mortem. Effinguntur eim mortui in tenebris esse, quòd oculis careant.

Pennatæ formicæ, populi significabant seditionem. Verùm quod à simulachris gentium prohiberetur, cum Pompeij factio significaretur infensa Cæsarum nomini, etiam alias gentes illum deserturas declarabat: inter quas fuère Galli primi. Demum illud de Asturcone in simiam mutato milites eum deserturos significauit, solum nomine imperatorio relicto. Potuit & hoc aliud, alioque modo significare, tertio scilicet, quòd ob ignorantiam consuetudinis illius æui intercidit.

Galba virili toga sumpta, somniauit. Fortunam dicentem stare se ante fores defessam: & nisi ocyus reciperetur, obuio cuique prædæ futuram. Vtque euigilauit, aperto atrio simulachrum deæ æneum cubitali maius iuxta limen inuenit. Fatale fuit, sumpta virili toga. Posset ad Idolum referri, sed imperij possessionem significabat: nec est ad miraculum referendum: omnis enim loco & casu quodam simulachrum illud ibidem constiterat, ex cuius occasione somnium originem duxit.

Idem, antequam interficeretur, somniauit speciem Fortunæ, quærentis fraudatum se dono destinato, minantisque erepturam & ipsam quæ dedisset. Monile enim margaritis gemmisque consertum, ad ornandam fortunam suam Tusculanam, secretum Veneri Capitolinæ tanquam augustiore loco positurus dedicauit. Poterat ad primum genus referri: sed quoniam statua loquitur (cædes haud denunciatur) ad secundum translatū est.

Vespasiano (nam neque Othoni nec Vitellio inter poninas & scorta quicquam insigne videri potuit) in Achaia degenti, visum est, nunciari initium felicitatis futurum, cùm Neroni dens exemptus esset. Postera autem die progressus in atrium, dentem medicus, quem Neroni exemerat, ostendit.

Nero quoque vltimis diebus monitus est, vt thensam Iouis opt. max. è sacrario in domum Vespasiani, circumque deduceret. Quasi innueret, quanquam tribus interpositis imperatoribus, futurum vt ibi culmem Imperij, id est, in illorum familia conquiesceret.

Præsagium autem annorum Imperij cum filiis, Vespasianus hoc somnio habuit. Videbatur enim ei statera in media vestibuli parte domus palatinæ posita, examine æquo: vtquæ in altera Claudius & Nero starent, in altera ipse cum filiis. Nero etenim & Claudius pariter quatuordecim annis, ac in vniuersum viginti octo: Vespasianus ipse quatuordecim annis imperium tenuit, tantundemque filii.

Domitianus, illius filius, paulò antè quàm occideretur, somniauit, Mineruam, quam superstitiosè colebat, excedere ex illius sacrario, negantem, se vltrà eum tueri posse, quod exarmata esset à Ioue. Porro Tito nec imperium decernens somnium euenit, quod accipiebat hæreditariò, natu maior altero fratre: nec mortis, quæ quieta fuit. Sed & inter somnia, imo euidentissima numerari possunt, in Domitiano, quod nocte necē præcedente circa mediū eius, ita exterritus fit, vt è lecto prosilierit.

Ipse idem Domitianus paulò antè quàm occideretur, somniauit, gibbum aureum sibi ponè ceruicem enatum: quod somnium succedentis

dentis seculi felicitatem declarauit, ob Principum qui imperarunt præstantiam.

Socratis somnium, quo præuidit diuinitatem (vt ita dicam) Platonis: oblatum enim olorem vidit, qui caput ad astra tollens dulce canebat, pridie quàm ei Platonem obtulerit pater. Idque iure: quia Apollini hæc ales sacrata est, & oratorem ac suauiloquentiam declarabat, ob dulcedinem cantus: diuinitatem verò, quòd Apollini dicatus sit,& quòd caput ad astra tolleret. Verùm non magis diuinum puto alia ratione fuisse, Platonem, quàm quòd adeò gratus fuerit in Socratem, non solùm verò magistrum, sed in condiscipulos plerosque, quos laboribus suis æternitati consecrauit.

Idem Socrates ea nocte,cui perendie mors iniusta illata est, vidit pulchram mulierem, & iucundi aspectus, albis vestibus indutam, dicentem:

ἤ ματικὲν τριτάτῳ φθίλω ἐείβολον ἵκοιο.

Id est:

Tertia hinc die Phthiam peruenies latiglebam.

Carmen enim est, & ideò numerorum lege alligatum. Cum verò vinctus esset,& procul, tam breui tempore, non poterat nisi mortuus ad Apollinem, cui sacer erat, peruenire: ostendit id somnium non mortem solùm, sed immortalem famam, qua funguntur qui ad oraculum perueniunt. Alludit verbo φθιλῶ,ad φθιάομαι, quod est perdo, ob collisionem,φθίμϑύος deficiens,moriens:& ad φθείρω corrumpo,seu potius φθείρομαι, amphibologia hæc continentur, vt dixi. Quo somnio etiam si verum omnino fuit, quod haud dubiè ille narrabat, de melioris vitæ expectatione admonebatur.

Vlyssis admirabilius tanto,quo minus certum ob vetustatem & Græcam vanitatem,visum: sæpius enim sibi videbatur intueri simulachrum specie eleganti, atque inter humanam & diuinam media: à quo, cum summa vi niteretur illud amplecti,responsum est humana voce, sceleratam huiusmodi esse coniunctionem: quippe eiusdem sanguinis & originis,vnum alterius opera interiturum. Percontanti,& vlterius rem per somnium requirenti, diligentiusque inuestiganti,signo quodam è mari exorto imperante, disiungi videbatur alter ab altero. Cùm ad coniectores rem retulisset, omnes in hoc consenserunt, cauendum sibi à filio: relegauit itaque Telemachum, quem solum se habere existimabat filium, in Cephaleniam insulam, custodibus etiam additis: sed à Telegono altero filio, quem ex Circe susceperat (ideoque diuina specie simulachrum videbatur, quòd Circes dea esset) per imprudentiam interemptus est.

Sed neque quod Hippocrates scripsit,contemnendum videtur: apponam autem illius verba: Cogitans ac sollicitus de Democrito, illa ipsa nocte dormiens, sub ipsius auroræ initium somnium mihi oblatum habui,ex quo puto nihil valde periculosi fore. Mirabiliter enim expergefactus sum. Videbar mihi videre Æsculapium ipsum coram, & iam ad ipsas Abderitarum portas aderamus. Æsculapius autem,non vt imagines eum aliàs ostendunt, mitis ac blandus apparebat, sed habitu concitato,& aspectu horrendo. Sequebantur autem ipsum dracones reptilium generis immanes, longum tractum ducentes, & horribile quiddam velut in desertis ac saltibus subsibilantes. Sequebantur & socij, pyxides medicamentarias propè obsignatas gestantes. Deinde porrexit mihi manum deus: quam vbi libentissimè apprehendissem, rogabam vt simul mecum pergeret, & ne me in medendo destitueret. Verùm is: Nihil,inquit, in præsens me opus habes, sed hæc immortalium ac mortalium communis dea te peregrinum deducet. Et eò conuersus, video mulierem pulchram ac magnam,simpliciter ornatam,splendidam, cuius oculorum circuli puro lumine micabant vt stellarum fulgorem putares. Et deus quidem disparuit. Mulier verò illa apprehensum me manu, lento gradu benigniter per vrbem ducebat. Et vbi prope domum essemus,in qua hospitium mihi paratum esse putabam, velut spectrum disparuit,hoc saltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Cùm verò iam se illa conuerteret: Rogo,inquam,optima fœmina quænam es, & quo nomine vocari debes? Veritas,inquit illa. Cæterùm quam accedentem vides (& derepentè altera quædam mihi apparuit) neque ipsa mala videtur: audacior autem aspectu, & concitatior: Opinio, inquit,appellatur,& habitat apud Abderitas. Ego igitur vbi de somno surrexissem, mihi ipsi somnium interpretatus sum,quòd non indigeret medico Democritus, quando sanè ipse medendi deus discessisset, velut qui medendi occasionem & materiam non haberet. Sed ipsa quidem veritas,quòd Democritus sanus sit apud Democritum manet: Opinio verò,quòd Democritus ægrotet, reuera apud Abderitas habitat. Atque hæc vera esse, mi Philopœmen, credo: & sunt sanè. Et non contemno somnia, maximè vbi etiam ordinem conseruant. Ea verò ita esse, experimento deprehensum est.

Philistus, vir doctus & diligens,& Dionysij maioris ætate florens, scribit, matrem ipsam Dionysij, dum illum in vtero haberet, somniasse,se Satyricum peperisse. Quod cùm ad Galleotas somniorum in Sicilia interpretes illa detulisset,responderunt: Eum quem paritura foret, clarissimum Græciæ futurum, diuturna cum fortuna. Est enim Satyrus humana forma,& omnibus admirabilis. Sed si adiecissent (quod puto adiecisse illos,sed tyranni metu suppressum) futurum scelestum tyrannum,à moribus satyrici: iam artis dignitati consultum esset. Inde illud ex Galeno,in libro Quòd animal sit quod in vtero continetur,adscribamus. Mulieres, dum vtero ferunt infantes,videre per quietem sæpiùs illorum Fortunam, Cypselimque & Periclem ex vtero cœpisse esse formidabiles Græciæ. Ita videtur purissimus tunc animus,è cœlo delapsus nuper,præuidere,atque parentibus futura ostendere.

Phalaridis mater in somnis vidit simulachra deorum, quæ ipsa in domo consecrarat, atque in his Mercurij statuam in terram ex patera sanguinem fundere: qui cùm terram attigisset, sic referuescere videbatur, vt tota domus

domus sanguine redundaret. Quid hoc aliud, quàm illius crudelitatem, ob sanguidem efferuescentem, & tyrannidem? quoniam id ex significatione simulachri Mercurij ortum haberet.

Cyrus cùm per somnum videret Solem in terra lucentem, conatus est manibus eum apprehendere: sed ille elapsus est: hoc autem cùm ter tentasset frustra, responderunt magi, triginta annis regnaturum. Sol quidem regem ostendit: verùm si triennio regnum decreuisset, non erat cur hoc videret: neque enim insignis rex, & quasi vnus, quemadmodum Sol est, tam breui spacio euadere potuisset. Cessit experimento: quadragesimo enim ætatis anno regnare cœpit, septuagesimo periit.

Annibal cùm Saguntum cœpisset, visus est in somniis à Ioue in deorum concilium vocari: quò cùm venisset, Iouem imperasse vt Italiæ bellum inferret: ducemque ei vnum ex concilio datum: quo illum vtentem, cum exercitu progredi cœpisse: tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret: illum autem id diutiùs facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse, tum visam belluam vastam & immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta peruertere: & eum admiratum quæsisse de deo, Quid nam illud esset, tale monstrum? & deum respondisse, vastitatem esse Italiæ: præcepisseque vt pergeret protinus: quid retro atque à tergo fieret, ne laboraret.

M. Cicero cùm exularet in villa quadam campi Atinatis, noctis magnam partem vigilauerat: demum sub luce arctè & grauiter dormitare cœpit. Et quanquam iter instaret, iusserat silentium fieri, nec voluit vt excitaretur. Cùm autem hora secunda diei ferè esset, experrectus somnium narrauisse huiusmodi: Visus est sibi, cùm in locis mœstis solus maneret, C. Marium cum fascibus Laureatis quæsisse ex illo, quid tristis esset? tum Ciceronem respondisse, quòd vi pulsus esset ex sua patria: tum Marium dextram illius prehendisse, bonóque animo cùm esse iussisset, lictori tradidisse, vt eum in suum monumentum deduceret: adiecissiéque, in eo Ciceronis salutem futuram. Tum vbi à somnio experrectus est, exclamauit Cicero: Reditus mihi celer & gloriosus paratus est, multumque eo somnio delector: nec fefellit vel vngue somnium: siquidem paucis pòst mensibus Senatusconsultum in æde cui titulus erat Monumentum Marij, factum est, quo reuocaretur domum Cicero, omnibus quæ sublata erant liberaliter & ex abundanti restitutis. Nam & rectè Marius cum fascibus, qui post exilium factus est consul, rediitque in patriam gloriosus, & monumentum illud cùm mortem non decerneret, quòd non ex eius familia esset Cicero, & intra Vrbem ad fortuitam sepulturam Ciceronis referri non posset, ædem significauit illius. Vnde Cicero, suo more de seipso plusquam decuit semper magnificè sentiens, dicit, hoc somnio nihil potuisse esse diuinius.

Q. Cicero eodem tempore in Asia cùm esset, præessetque prouinciæ, vidit per quietem M. Ciceronem fratrem equo ad ripam fluminis magni deuectum, delapsumque in illud nusquam comparuisse: tum verò Q. vt par erat, contremuisse. Sed paulò pòst ex altera fluminis parte M. videt lætum exire: inde mutuo complexu sibi inuicem gratulabantur. Consultis à somno interpretibus, quanquam significato satis perspicuo, responsum est de omnibus perinde ac euenerunt. Flumen enim concionem inimicam populi à quo damnatus est, & obrutus, significabat: sed emersit, paulum differens ab idolo significati specie, restitutus omnibus bonis quæ illi perierant.

Augustino Lauizario Comensi amico meo contigit, vt videret se in tempestuoso mari in nauicula solum esse. Erant venti, turbines, & aër obscurus adeò, vt fermè de salute desperaret: applicuit arbori, pendebatque ab illa: sed sublata nauicula, nihil plus spei supererat. Interrogauit me, quid somnium significaret? Respondit: Quòd semper anxius esset victurus, nec vnquam voti compos fieret. Sed plus aliquid significabat, scilicet mutaturum vitæ genus, & ex vna molestia magis præsenti in desperationem casurum. Vixit autem plusquam viginti annis, sed pluribus molestiis oppressus.

Pater meus Facius Cardanus, anno salutis M. C C C C. L V I. sæuiente peste Mediolani, nocte quadam per quietem vidit (angelum vocant) Genium è cœlo descendentem, cæruleo colore indutum, grandibus passibus: non enim illi erant alæ: itaque imaginabatur pater per somnum, interitum portendi illi, quem Genius is vocaret: propterea in speluncam proximam se abdidit, foliáque arborum superinduxit, adeò vt latitaret: interim ille cùm descendisset, patrem meum vocauit nomine: pater latuit, nec respondit: tum Genius, vbi ter vocasset, dixit: Venire non vult: abiitqué. Experrectus à somnio, existimauit grande sibi imminere ea die periculum: quamobrem iussit ianuam domus claue claudi, nec quenquam omnino eo inscio admitti: sed tamen ancillæ clauem reliquit. Illa dum pater intentè studeret, præcepti immemor, Ioannem Scorpionum Fabrum in domum admisit: is superueniens patri inopinanti, afflauit eum pestifero contagio: aufugerat enim clàm pet tegulas è demo, in qua vndecim eo morbo perierant. Sed pater quodam medicamento, quod aduersus pestem paratum habemus, munitus euasit: quod, specu illo latère potuisse, in somnio significatum est. Nec scio, an somnium magis salutis quàm periculi causa dici debeat.

Matri meæ Claræ Micheriæ, anno M.D.I. Decembri mense (tum ergo trimestris eram) ex priore coniuge Antonio Albero duo supererant filij, Thomas ætatis annorum tredecim, Catelina nouem, quatuor alij obierant: nocte quadam videt pulpitum deductum ex altera in alterá cœli partem, Beatámque Mariam virginem per pulpitum transire, quatuor filios antè ducentem, qui iam mortui erant, duos qui supererant eam sequi: euigilata, interpretabatur filios qui supererant,

obituros breui. Sed ea nocte, cùm eos interrogaret, in morbum incidisse comperit, ex quo ambo intra octo dies absumpti sunt: sæuiebat enim pestis in ciuitate.

Rinaldus Vilanoua medicus refert, quendam vidisse sæpius per quietem, felem nigrum minimum digitum mordentem: is intra paucos dies eo in digito correptus est carcinomate, ex quo interiit.

Referunt Laodicen somniasse, se ex Apolline concepisse, donoque annulum cum anchoræ effigie ab illo accepisse: dumque hoc Seleuco coniugi, Assyriæ regi refert, huiusmodi annulum in lecto inuenere, & inde cognitum, eam concepisse ex ea nocte. Nato infanti, in coxa rursus anchoræ vestigium apparuit. Sed & qui descenderunt ex eo simile signum simili in loco habuerunt: res miraculo quàm somnia propior.

Augustum referunt somnio monitum, certa die singulo anno stipem emendicare solitum: altero, quod quæri visus esset Iupiter, abduci cultores, tintinabula in æde Iouis Tonantis adiecit. Non rectè intellecto somnio vtroque: nam mendicum orbi imperaturum prædixerat, & abducendos quasi clàm cultores à Christo Deo & domino significabatur.

Seuero Afro, qui regnauit feliciter, & extrema senecta mortuus est, Imperium Romanum tribus somniis declaratum est: vno, cùm fugeret lupam: nam Romulus, qui primus Romæ regnauit, lupam suxisse fertur. Indecùm vidisset equum excussisse Pertinacem, seque illi phaleratum exhibere vt ascenderet: in quem ille vno saltu cùm ascendisset, quaque veheretur excipi à populo magno plausu iudicabat, locum Pertinacis occupaturum: quod & euenit: vnde statuam cum huiusmodi somnio ex ære dedicauit. Antea quoque viderat sibi in gemmato curru ad cœlum quatuor ab aquilis vehi, præeunte humana forma, sed longè augustiore: audiuitque proferri octuaginta nouem annos: inde in cœlo diu iacuit in æneo circulo: cumque cadere vereretur, à Ioue accersitus, inter duos Antoninos est collocatus. Vehi ad cœlum, imperium est parare: Imperatores enim pro diis colebantur. Vi illud nam aquilæ vexilla significabant militaria. Forma quæ præibat, fortuna, supra humanum fastigium: nam & præter imperium adeptum, antea inuictos Persas Parthosque superauit. Octuaginta anni, de quibus audiuit, spacium vitæ: tantum enim vixit. Circulus æneus in quo diu iacuit, crudelitatem declarabat, qua penè ab imperio deiectus, aut saltem non in bonorum aut imperatorum numero habitus est. Collocatum inter duos Antoninos, si modò hoc vidit, casus, quo vrna sua inter illorum vrnas posita est, longo post tempore impleuit: aut ob succedentium imperantium socordiam & improbitatem, vt ille inter optimos Imperatores numeraretur.

Cinna, Cæsaris Dictatoris amicus, eo interfecto somniauit, se à Cæsare ad cœnam inuitatum, relegatumque ab eodem in vastum, inanem & obscurum locum: quo somnio territus, cùm etiam febre laboraret, decreuit non exire domum: verùm dum funeris pompa ducitur immemor propositi, prodit in publicum: plebs similitudine nominis ducta, quod inna Calius inter coniuratos nominaretur, hunc innocentem occidit.

C. Fannius scripserat tres libros aduersus vitam Neronis: is visus est in lectulo recumbere vestitus, ac (vt sæpe solebat) studenti similis aduentasséque Neronem, ac libros è scrinio sustulisse: diligenterque primum, inde secundum ac tertium reuoluisse: inde nullo dicto verbo, sed clauso opere abiisse: intellexit Fannius, cum decreuisset etiam alios his adiicere, finem & operis & vitæ factum esse: atque ita paulò post obiit.

Sylla Dictator viso per somnum dæmone, à quo se vocari audiuit, statim, etsi valeret, conuocatis amicis, manè scripsit quãta potuit celeritate, testamenti tabulas, atque obsignauit: præfatus, instare mortem. Sequenti nocte eum febris corripuit, ex qua paucis diebus periit. Sunt tamen qui dicant, morbo pediculari consumptum. Valer. Max. qui & somnium narrat, alibi refert, ex nimia ira cum municipe, sanguine reiecto obiisse.

Hipparcho Pisistrati filio, Athenarum tyranno, quidam visus est dicere per somnium.

Intoleranda Leo tolerans, tolerans animo ægro,
Nemo viris pœnas iniustis iure rependet.

Instabat Panathænorum festum vrbis celebre, quo voluit ad interpretem mittere: inde neglexit, & pompam emisit. in qua ab Harmodio & Aristogitone occisus est. Idem antea paucis diebus visus est à Venere sanguine, quem in phiala habebat, aspergi: nam Harmodius & Aristogiton coniurati, vnus alterum in deliciis habuit.

Pausanias Laconum rex, cùm Cleonicen vi constuprasset, inde ad illum reuertentem puellam, suspicatus dolum etiam perperam occidisset, videbat eam per quietem assiduè dicentem:

Adsis iudicio, mala res iniuria valde est.

Cumque ob tædium Heracleam nauigasset, ad animarum expiationem: audiuit rursus phasma desiturum, cum in patriam rediisset: rediit itaque statimque obiit: sicque phasma cessit.

Adrianus cum somniasset, potum soporiferum à patre accepisse: paulò post obiit. Sopor enim mors est: vt Diogenes, cùm quærerent quid ageret? dormierat enim: respondit, frater sorem inuisit, pater autem Deus.

Themistocles cùm apud Persas moraretur, exul à domo, sed ibi quatuor vrbium dominus, vidit meridiano somnio, Deorum matrem illi dicentem: Vita caput leonis, ne ipse in leonem incurras, atque ob id mihi filiam tuam Imosiptolemam consecrabis. Experrectus, cum destinasset ad leonis vrbem se conferre, via quæ dicebatur Leophoron, destitit à proposito: vnde paulò post detectæ sunt insidiæ, eum ibi expectantis Epixies, superioris Phrygiæ præfecti: qui & ob id comprehensus, pœnas dedit infecti facinoris. I nunc, & aggredere huiusmodi homines: constabat vitandum periculum, præmium reposcente dæmone.

Cùm quidam suscipere lauream desperasset ob imperitiam, frater illius somniauit, se annulum paternum amisisse: cumque diu quæsisset

quæsisset, tandem in spelunca inuenisse, longoque baculo illum exemisse. Cùm mihi somnium narrasset, respondi: fratrem suum haud dubiè lauream consecuturum, auxilio viri proceræ staturæ: quod cùm ad vnguem confirmasset, euentus pro re prodigio simili habita est.

Amicus alius noster, & ipse satis imperitus, suspecturus lauream, & ob imperitiam totus perterritus & tremens, nocte quæ certamen antecessit, visus est cum sociis per sata ambulare cum canibus, ad venandum: interim aduenere latrones, qui socios omnes præter vnum, qui amicus illis videbatur, cœperunt: ipsum verò somnianten inter segetes latitantem non viderunt, quamuis à propriis canibus detegi formidaret. Venit ad me anxius manè: respondi, bono eum debere esse animo. Latrones, esse errandi pericula: canes venatici à quibus detegi timebat, argumenta atque examen: amicus ille latronum ego eram, intrepidus aduersus errores: seges in qua latitabat, res memoriæ commendatæ. Atque iuxta expositionem magna ipsius admiratione euasit.

Cùm aliquando sacerdotem curarem, isque penè sanitati restitutus esset, vidit pompam sacerdotum duci, atque inter primos esse: erat enim inter suos primarius. Porrò pompæ dux erat Pontifex, qui proximis annis diem obierat: cùm verò Pontifex ille non veniret, somnians qui vexillum ferebat, pœnitentia ductus, ipsum alteri tradidit inclinante iam Sole, atque discessit. Vbi hoc narrasset, mihi dixi non obscurum esse somnium. Pompa illa mortis erat, cuius dux eiusdem erat ordinis, & mortuus. Cùm ille vexillum reddidisset, & abiisset, pœnituisse (vt ita dicam) mori: alterum qui vexillum susceperat, ex eodem ordine breui moriturum, qui eiusdem esset patriæ & dignitatis: atque ad vnguem ita euenit: qui enim locum eius obtinuerat, præcedenti anno cùm esset sanus, in quinquaginta diebus obiit: & ipse inter sacerdotes è primariis, & eiusdem patriæ.

Alexander magnus cùm Tyrum Phœniciæ vrbem iam diu obsideret, vidit per quietem, Herculem, quem diu aduocauerat, è mœnibus vrbis manum porrigentem, atque intra vrbem trahentem eum. Paucis pòst diebus rursus vidit Satyrum propè applaudentem & iocabundum: sed cum vellet capere, resiliebat, frustrabaturque eum: tandem cum diu delusisset eum, exoratus in eius manus venit. Sequenti die cùm vates consuluisset, responderunt, haud dubiè obsessa vrbe potiturum. Nam Sa vult dicere tua, & Tyrus nomen vrbis: quare Satyrus, tua Tyrus.

Plures etiam principum Tyriorum per somnum viderunt Apollinem, quem summa in veneratione habebat vrbes, dicentem, se velle ad Alexandrum ire, quòd ciuitatis mores illi displicerent. Vnde eius statuam cathenis & clauis aureis basi vinxerunt, illum appellantes Apollinem Alexandrinum transfugam. Ostentare adhuc pòst quingentos annos ferebantur Tyrij fontem, apud quem Alexander somnium Satyri vidit. Itaque capta est vrbs, & euersa.

Varoniano (de quo suprà egimus) cùm visum esset, Iouinianum imperatorem, se autem consulem factum: idque duobus amicis iam communicasset: mortuo Iuliano, qui tùm imperabat, Iouinianus quidem in imperium successit: ipse verò cùm se consulem fieri speraret, repentè extinctus est: factus autem consul Varonianus, ex Iouiniano illius nepos, illususque nominis est similitudine.

Iustus Romanus in Piceno vidit, purpuram è genitalibus suis oriri: intellexit Constantius, qui tum imperabat, & somnium, & somnij interpretationem: purpura enim gestamen erat imperatorum peculiare: qua de causa, ne obesse posset, illum sustulit. Superfuit Iustina puella, pudicitia & forma insigni, quam visam in balneo Seuera Augusta ita collaudauit coram Valentiniano iuniore, vt eam (lata lege, vt imperatoribus duas liceret vxores ducere) Seueræ superinduxerit coniugem: ita amicta est purpurea veste, iuxta somnij fidem.

Rustica mulier narrabat vxori pastoris regij, visum per somnium se peperisse lunam, quæ totam Britanniam illustrabat: pepererat autem puellam, quam vxor regij pastoris, quæ filium regis lactauerat, apud se recepit, & educauit: huius amore captus filius regis, cùm adoleuisset, duxit vxorem: ex quibus natus est Echelstanus, regum Britannorum virtute & fortuna illustrissimus. Somnium non tàm egregiæ fortunæ nuncium, quàm dux & adhortator ac fautor.

Ecelinus Romanus patricius vxorem duxit Adaledam, ex comitum Rabidorum Montanorum familia. Prima nocte visus est collem, in quo Romanum oppidum situm erat, ad cœlum vsque exurgere atque attolli: inde liquescere, & (vt nix solet) prorsus in nihilum redigi. Quod somnium par fortuna filiorum secuta est: nam Ecelinus prænomine patris natu maior, ex modica fortuna parentum adeptus est Veronam, Vincentiam, Patauium, Feltrium, Ciuidalem, Marchiæque Taruisinæ regionem. Albericus iunior frater Taruisium ipsum, multaque alia loca occupat. Verùm aliquot pòst annis Ecelinus amisso regno, vulneratus & captus, iuxta Soncinum obiit: & Albericus amisso Taruisio, in arcem B. Zenonis se recepit: vbi à suis proditus, sex filios coram se occidi vidit: vxorem margaritam cum duabus puellis comburi: ipse per varia tormentorum genera excarnificatus infestum spiritum reddidit: atque ita tota stirps, vt pater præuiderat, cum potentia extincta est.

Xenophonti cùm in exercitu esset Græcorum, eique cum omnibus ob improbitatem perfidiamque barbarorum maximum vitæ periculum immineret, leuiter dormienti, visum est paternam domum cum tonitru è cœlo tactam, omnique ex parte totam subitò corruscare. E priuato igitur statu dux belli inter alios electus est: demum etiam solus & per multa pericula atque labores, incolumem domum deduxit exercitum. Ditatus præterea senectutem duxit lætam, & diues: sed pro exule

exule habitus est. Tonitru quidem significabat multas verbosas altercationes, nomenque magnum longius à patria clarum, pericula quoque & mutationem status. Fulgur autem, illustria facta, & iram Reipubl. Atheniensis, qua damnatus est in exilium, nec non pericula à regibus. Sed domum totam coruscasse lumine, est factis egregiis notum fieri omnibus, familiamque suam claram reddere.

Venit quidam ad Hyburiũ Hebneum interpretẽ somniorũ, & dixit: Somniaui quod haberem grana hordei in manu, & inieci ea in os, & deuoraui: cui interpres dixit: Bene sit tibi. Cùm verò abisset, interrogauit circumstantes, an aliquis illum cognosceret: respondit vnus eorum: Ego noui, & scio vbi habitet. Dixit ergo interpres: Obseruate illum: quia breui morietur: consumpsit enim suum alimentum. Itaque mortuus est ille intra quatuor dies. Solent enim homines, cùm absumpserint omnia alimenta, etiam vesci granis duris: & hoc, quia illi hordeum erat pro pane conficiendo. Apud nos autem hoc esset verum de tritico, non hordeo: sed solùm hoc significaret morbum. Grana enim huiusmodi cruda si edantur, iuxta Hippocratem in libro de veteri medicina, morbos longos procreare solent.

Cimoni Miltiadis filio expeditionem in Aegyptios paranti, visa est canis adlatrare, & inter latrandum hoc protulisse carmen:

I, mihi, teque meis catulis facturus amicum.

Asciphilus Possidonius mortem ille ex hoc interpretatus est: nam canis hostis est: vox media inter latrandum regem Medorum, qui imperium Græcis & Barbaris mistum habebat: amicum illi fieri, erat mori: nulla enim re magis hosti gratificari possumus, quàm propria nostri ipsius morte, si inciderit. Cum igitur suis catulis: id est, Aegyptiis facturus esset, ac sibi amicum, mori in Aegypto) vt contigit) illum oportuit. At si clarior, & non adeò abstrusus fuisset sensus, ab itinere se continuisset, nec periisset.

Procuratori collegij medicorum, de quo in somniis meis infrà mentionem habebo, quoties somniaret se videre matrem mœstam, sequenti die ægrotabat. Idque iure merito: nam filius cùm sit charissimus matri, illus mœror significat filio calamitatem, non adeò patri: nam patres non solent mœrere pro morbis filiorum, nisi lethales sint: constantes enim animo magis sunt viri mulieribus. Erat autem alioquin natura morbosus, sed hoc somnium multis annis perseuerauit.

Quidam cùm vidisset sibi membrum tensum, & in apice partum foramem, quæsiuit à me quid significaret. Respondi, dedecus: nam tendi virgam, significat dignitatem: foramen autem in dignitate, dedecus. Eadem die incidit in magnas contentiones, adeò vt se spoliandum dignitate existimarem, & præter spem euasit.

Quidam eques, vt Matthæus Ferrarius Gradi narrat, quoties edere se somniaret, die sequenti sentiebat calculi dolores. Et si res duræ concoctionis videretur edere, in multos dies dolor ille extendebatur. Et meritò: degustare enim dicimus dolores pariter ac cibos.

Vidi hominem, qui quoties lucrari deberet, nocte præcedente somniabat se edere vuas albas: nam albæ vuæ vberem fructum laboris & facilem portendunt, nigræ exiguum & cum tædio: & huiusmodi consuetudo durauit fermè duodecim annis, inde euanuit.

Senecæ referunt, qua nocte ei datus est Nero ad erudiendum, visum esse, se Caligulæ præcipere. Itaque Nero sæuitia visus est auunculum Caligulam imitari: quanquam lõgè melior fuerit. Diuturnitate enim imperij dici potuit funera tot Romæ intulisse, quot ille, licet non adeò crudeli exitio.

Dominico Confalonerio, à Candiæ oppido sacerdoti, seni nunc, sed olim contigit, dum adhuc iuuenis esset, vt videret domum suam corruere. Is autem inspexit Salomonis librum de Somniis, intellexitque mortem prænunciari suam, vel alicuius è principalioribus domus: paulò pòst aduenerunt literæ, quibus monebatur, vt fratrem languentem inuiseret, dumque se accingit itineri, nuncius aduenit, illum mortuum esse admonens: supputanti horas, eadem hora qua somnium vidit, mortuum esse frtarem animaduertit. Quibus exemplis dignoscere possumus, esse id potius præsentientis potentiæ vim, quàm passionem ab aliena anima quæ discedit.

Valentiano Imperatori pridie quàm obiret, cùm tamen nondum ægrotaret (repentina enim morte absumptus est) apparuit vxor eius pulla veste induta, capillis expansis procul astans: quæ indicabat, fortunam priorem cum luctu illum deseruisse.

Polycrates Samius tyrannus felicissimus cùm esset, filia eius per somnium aliquando vidit parentem in sublimi pendentem, quem Iupiter lauabat: Sol verò vngebat: paulò pòst victus est ab Orete, atque cruci affixus: itaque contigit vt à pluuia lauaretur, & à Sole vngeretur: liquefacta enim pinguedine, vnctus videbatur. Huiusmodi autem somniorum antiquissimorum vnum hoc tantum posui exemplum, quòd parum illis habeam fidei.

Amici Ptolemæi Ceranni, qui Seleucum Macedonem interfecerat, viderunt eum rapi in iudicium à vulturibus, lupisque iudicantibus damnatum, & carnes eius distribui passim: itaque euenit, vt paulò pòst victus à Galatis, atque occisus sit: eiusque cadauer discerptum sit à vulturibus ac lupis, propter hostium sæuitiam.

Diogeni nauclero visum est, proram sibi perdidisse, & proreta ipsius mortuus est. Alij contrà in Mileto visum est, proretam efferre ac sepelire, & nauis proram perdidit: atque id est exemplum mutui significati, de quo superiùs egimus.

Alexandro philosopho visum est, quòd morti esset adiudicatus: & excusationibus prætentis, vix à cruce liberatus est. Cumque nil tale metueret: vt qui solum philosophiæ studiis incumberet, sequenti die cum Cynico alio philosopho in contentionem venit: fusteque percussus in capite, vix mortem euasit.

Diognostæ

vxor cùm videretur sibi barbam dimidiam habere, à coniuge separata vixit: nam si plenam habuisset barbam, vidua facta esset. Nec obstat dimidij somnij ratio, qua vanum promissum decernitur: vt in Cilice hæreditatem sperante: nam dimidum somnium aliud est, & imprefectum, à somnio de medietate rei, quæ tamen prefectum somnium reddit.

CAPVT IV.

De exemplis propriis.

ANno M. D. L. X. I. visum est mihi in nocte quæ Maij Calendas præcessit, vocari vt Bonromeum Cardinalem Romam euntem comitari vellem: sed iam tum non videbatur Cardinalis: visus est Antistes Aricimboldus, qui olim Academiæ præerat, mortuusque erat, vt liceret petenti concessisse: videbatur autem dies Iouis, quæ palmarum festum præcedit: idque mecum dicebam: Solum vnius lectionis iacturam facturus sum. Itaque constanter ire secum decreueram. Experrectus iam orto Sole iterum somno correptus sum: incidi in idem visum. Sed cùm illum domi expectarem, nec veniret hora iam tarda, existimabam abiisse sine me: cùm ignotus, nunc verò mihi notus: Non par est, inquit, vt ille ad te veniat, sed vt tu ad illum: expectari puto te: tum ego: Vera refers, accingebar itaque vt adirem: interim videbatur Cardinalis, vt est, esse, comitatumque ducere centum & quinquaginta hominum: dicebam ergo mecum: Non vnà esse poterimus in caupona. Sed tamen permansi in proposito, vt irem. Tædebat autem, quòd pluere videretur: dixi itaque: Ocreas emere oportet: nullas enim habebam, & verè. Sed pigebat emere, & videbar vix posse inuenire aptas mihi: deinde cogitabam, quòd non rectè impetrassem discedendi veniam, sed quòd à Præside oporteret impetrare: demum, quòd si empturus essem ocreas: verisimile non esset illum interim non discessurum. Multis ergo rationibus perturbatus, & impensæ ratione habita, & periculi, ne non exciderem à profitendi munere, manere proposui sicque somno solutus sum. Intra duos dies venere è Roma epistolæ, quibus admonebar, Cardinalem Bonromeum à Pontifice Bononiæ Legatum agere, vt ab ea rẽpubl. aduocarer ad profitendum: Ignotus ille, Franciscus Alciatus erat, Iurisconsultus, vir omni laude dignus, qui causæ huic fauebat. Sed somnium declarabat, post magnam spem irritam omnino fore. Eaque omnia ad vnguẽ mirabili successu euenere. Hoc solum superest, quòd non video quomodo irritum possit esse negocium, quod iam publica fide coaluit.

Cum essem in Saccensi oppido, anno M. D. X X. V I I. somniaui me laborare vomica pectoris, cum recmone: nihil minus timebam. Sequenti anno redij in patriam, vbi ex laboribus, sudore, fatigatione, pluuiæ casu, tristitia, vigiliis, incida in tussim, & empyema ex putrida pituita cum recmone: & per nouem menses ita laboraui, vt prorsus de salute desperarem: non tamen fuit vomica.

Reditum in patriam, in cogitationem, & quoniam mihi pulchrè nota esset, quisque referre potest: sed quod Saccense oppidum & Gallaretum multo antea viderim, quàm eò ad artem exercendam me conferrem, dum quiescerem, quasi pro miraculo mihi habendum videtur: sed & exitum eorum ingressuum satis apertè ex somniis conieci.

Anno M. D. X X X. V I I. Die secunda Octobris, hora secunda ante Solis exortum, vidi Prosperum Marinonum, qui amicus mihi fuerat singularis, obieratque præcedenti anno hilarem, & cum purpureo pallio. Eum appropinquantem & cupientem exosculari me, interrogaui, an sciret se mortuum esse? cum affirmasset, admisi ad osculum: atque ita ille me in ore osculatus est. Interrogaui, an meminisset qui fuerit? respondit, meminisse. An dolor est in morte? aio: dum peracta est, nondum moritur, respondit: ita vt de cruciatu animæ id interpretarer. Qualis? vt in acuta febre. An viuere vellet? dixi. Nequaquam, respondit ille. Ergo mors somno simillima? Non dixit. Conantem amplius discere, pluraque intorrogare volentem, destituit, tristemque reliquit. Prosper Marinonus, Papiæ vrbem significabat: erat enim eius ciuis. Mortuus vitæ mutationem: Amicus, & osculum, honorem, vtilitatem, voluptatem, atque ita legendi munus quod post annos septem adeptus sum. Interrogationes, de omittendo munere cogitationem declarabant. Discessus me inuito, aliquando eo munere cariturum.

Anno M. D. X X X I X. V. Calendas Februarias, cum non possem cooptari in collegium medicorum, causaque esset iam iugulata: vidi per quietem, dum illucesceret, Alexandrum magnum in venatione sine armis volentem leonem occidere: prohibebat Ephestion: tandem in hoc consenserunt, vt Alexander conficeret leonem, sed clauam haberet Ephestion: statim autem superuenit ingentis magnitudinis leo, cuius os Alexander apprehensum, in diuersa conuellere nitebatur: visusque est primum profecisse: sed paulò pòst leo compressis mandibulis, Alexandri manus interceperat: quod Ephestion animaduertens, illisa leonis capiti claua, prosterni eum vno ictu contigit, atque Alexandrum liberari. Significauit Alexander, de causa agi quæ iam diu periisse videbatur: idem principis istonij autoritatem, aut Sfondrati Senatoris. Ephestionem existimo Lucam fuisse Croceium, medicum, amicum Sfondrati. Mirum autem est, vnde mihi hoc somnium obuenerit, qui nec imaginem Alexandri, nec Ephistionis vnquam antea vidissem. Profuit hoc somnium non mediocriter, ad consequendam victoriam causæ, quam profligatam existimaueram.

Omissis tribus illis fatalibus somniis, quæ in libro De Libris propriis descripsi, tum etiam De vtilitate capienda ex aduersis, scilicet de aditu in cœlum & paradisum terrestem,

strem, ascensuque in collem vitiferum, reliqua hic subiiciam insigniora: inter quæ illud visum anno M.D.XXXVIII.die V.Marij, cum stellam ardentem è cœlo in cortem meam decidisse, per quietem viderem, quæ statim extincta est.Gratiam hoc declarabat principis, sed parùm duraturam. Contigit autem vt mense Septembris inirem amicitiam Principis Istonij: sed & extincta est non multò pòst, vt somnium declarabat. Dicebam autem dum somniarem, hoc mihi somnium impendentem mortem denunciare: ita soluta amicitia, magna autoritatis meæ iactura facta est.

Eodem anno vidi xvij. Calendas Decembris, cœlem stellatum: sed videbatur deesse Mercurius: hunc paulò pòst vidi maximè splendentem inter multas alias stellas, longè maiores, sed nullo ordine positas. Deinde à sinistra vidi stellas circiter quindecim, certè non pauciores, se inuicem tangentes, quasi filum referrent: aderant & stellæ pellucidæ, quæ imaginem pulchræ rosæ effingebant: quarum aspectu delectabar, audiui etiam vocem dicentis: Expecta congressum Lunæ cum Mercurio.

Cœlum erat, Medicorum collegium: nam tempore morborum, vt nocte stellæ, obseruantur. Ego qui non receptus eram, Mercurij absentia declarabar. Et quod recipiendus essem: quoniam paulò pòst visus sum illud videre. Inter maiores stellas: quoniam non habiturus essem magnam autoritatem in eo collegio, multis tum mihi prælatis maioris nominis. Series illa tot stellarum, ex vna progenie multos non incorrupta serie in id collegium ingressuros. Rosa illa digniorem consensum, qui me iuuaturi essent: congressus Mercurij cum Luna, aduentum Principis Istonij significauit expectandum.

Anno M.D.XL Quarto idus Februarij, existimabam me in lecto esse, supra verò splendere Solem nigrum totum: ac radiis splendidis quidem, sed scriptorio atramento nigrioribus. Videbatur autem mihi dies ea esse sexta Aprilis, proximè futuri, qua Sol eclipsim verè passurus erat: cernebam & stellas nocte quasi micantes, de quo non leuiter admirabar. Somno solutus, exitiale mihi somnium esse intellexi: non tamen quid portenderet, interpretari potui: non enim eò perfectionis deueneram, nec Fata id admittebant. Sol eclipsim patiens, mortem filij iam in collegium coaptati significabat: vnde non nisi post multos annos id accidere poterat. Cuius eclipsis id est, mortis ratione, stellæ: id est, vulgares medici, qui alioqui obscuri futuri erant, apparerent, & nomen aliquod adipiscerentur: quòd verò sextam diem Aprilis imaginarer, interitum hunc verum, non mortem aut discessum vel exilium futurum significabat.

Non pigebit, quod de Alciato aliàs narraui, ad confirmandam fidem sŏniorum, velut euidentissimum hic adiicere. Anno M.D.X.LVIII. ni fallor, mense Octobri, vidi per quietem, in cubiculo iuxta lectum sedentem Andream Alciatum, virum & mihi familiarem, & monumentis literarum quæ reliquit insignem, in cathedra caput habentem manui innixum (cubitus autem spŏdæ cathedræ incumbebat) mœstum. Visus est mihi videre me, sed nulla signa ostendit. Erat ei lectus à sinistra, nec quisquam in eo: candida omnia, & tensa ambiebatur, quæ prospectum illi impediebat, ne quæ post lectum à pedibus erant, videre posset: ipse enim prope ceruical sedebat. Ego interim mecum meditabar, quid causæ esset quod tam mœstus esset, meque vidisse dissimulasset: cùm interim à pedibus. lecti mihi à dextra egregium forma iuuenem video, cæruleis indutum vestibus, ac mirum in modum nitidis. Cui ego. Quid habet hic quod tam mœstus decumbit in cubitum? tum ille: Vides? en breui futurum est vt eo cārituri sitis, nec inter viuos ampliùs sit: at ego vehementer dolebam, sicque somno solutus sum: at ille intra tres menses obiit, cùm ego priùs multis somnium narrassem: publicè etiam præfatus, maximum virum breui moriturum.

Sed neque pigebit, quod alibi etiam scripsi, repetere. Anno M.D. XLVII. Iunio mense, cùm mihi tum essent duo filij, Io. Baptista atque Aldus, videbar cum natu maiore solum esse: dolebamque vehementer, & mei miserebat: solutus somno hora diei fermè secunda cogitarem quid mihi tale somnium minaretur, aduenit ancilla Hieronyma Cicera tristis, & formidine plena, nuncians filium minorem maximo esse in vitæ periculo. Febrem siquidem adesse, & oculum sinistrum conuulsum. Surgo trepidus, & somnio & admonitione ancillæ: inuenio laborantem febre non leui, & resolutam palpebram sinistri oculi, non oculum. Itaque primum extimui, & an quicquam agerem, mecum reuoluebam: tandem constanti animo omnem diligentiam adhibui, vt sanaretur, sanatusque est: viuitque, somnij beneficio, quod aliter non tam promptè ei occurrissem morbo: monitorium namque fuit, vt apparet.

Nocte quæ præcessit 3 Idus Nouembris, anni M.D.XXXIX. vidi per quietem, ventriculum cibo plenum extractum, inde positum: dolebam tamen dicens: Nunquam tam bonus erit ad coctiones vt antea erat. Sequenti die anagnostæ mei omnes digiti sinistræ manus præcisi sunt, non tamen sic vt aliquis eorum excideret: hoc significabat repositio illius. Quod verò officio manus defungi non potuit, significabatur ex eo quod dixi, nunquam futurum æque validum ventriculum meum. Et ventriculus significabat familiarem: continetur enim intra corpus, vt familiaris qui in domo alitur: & est exanguis: quia mihi sanguine coniunctus non erat.

Conscribam autem admirabile somnium, non nisi nunc me hæc scribente intellectum, quo omnia quæ mihi contigerunt, significabantur, si intelligere potuissem: idque exemplum erit clarissimum somnij specularis, quod (vt supertiùs docuit) admiratione & subtilitate interpretationis reliqua omnia genera antecellit. Sed præstat primum scire quo in statu res meæ essent, cum hæc somniarem: nam aliter commodè interpretationem docere nŏ potero. Annus erat Salutis. M D X L I V. cum

cum sub diluculo sexti Idus Ianuarias (tum verò mihi erant tres filij, maiorque natu decimum agebat annum : minimus eo natus anno, quo Mediolani tum primum medicinam profiteri aggressus sum) per quietem visus sum videre Prosperum Marinonum, cuius superiùs mentionem feci, & quamuis quòd mortuus esset non ignorarem, manum vt mihi tangeret oraui: id etiam subiiciens, quamuis mortuus sis : quo ille dicto me auersabatur : nihilominus præstanti in proposito, tacta manu acquieuit, atque abiuit. Nunc sequebatur filius meus, me reclamante, natu maior: cumque ille non acquiesceret, cum pluribus illum sequens, in domus solitariæ vestibulo illæsum inueni, sed Prosperum haudquaquam. Statim visus expergisci sum ab incerta re, quæ mihi pone ceruical esset: imaginabar autem vigilare, ac quæ videram quasi per somnium visa reputare, gaudereque quod neque mihi neque filio mortui visio mali quicquam minaretur. Videbatur & mihi caput erigenti lumen per fenestram ingressum, admonere vt ad profitendum surgerem : tum verò magis properabam, vt terrorem quem ex re, quæ capiti pone videbatur, conceperam, excuterem : dumque aliam fenestram inspicere studeo, scilicet cogniturus an & lumen ea ingrediatur, video ostium apertum : vnde admiratione ductus, ac terrore, videbar ad illud arrepto baculo ire: cum ecce mortem in ipso ostio adstare video: statimque mecum reputans exitiale esse portentum, ni mortem propulsarem baculo, illam ferire adnitor : at illa fugiens, dum eam sequerer, in aliam domum confugisse videbatur, atque in cloacam se condi : vnde non iam mihi periculum aliquod significari coniiciebam, sed eo in loco iacere cadauer : atque de eo eruendo iam cogitabam. Cùm interim secundò visus sum expergisci, dormiens verè tamen vt priùs. Nihil autem ex priore somnio relictum erat, nisi quòd eo viso, ea in cloaca iacere cadauer, significari ex somnio existimabam, denuoque vt surgerem accingebar. Sed ecce video catulum nigrum pilosum sub lecto, qui ludens mihi caligas eripuerat. Ergo dicebam mecum : Quis hunc catulum domesticum hîc conclusit ? nam nullus mihi heri catulus erat : & bene actum est, quòd non sim experrectus ante lucem, ne non videns, & hunc strepitum audiens perterrerer. Dumque hæc mecum voluto, tum demum verè sum experrectus.

Ergo Prosper Marionus Papiæ Academiam referebat: erat enim Papiensis, & scholaris. Quod verò mortuus, vt erat, videretur, significabat spem mortuam Papiam veniendi : quòd iam quinque prope annis eam oblatam conditionem respuissem. Ægrè ille obtulit manum. Senatus, quod primò renueram, quasi inuitus dedit. Manum amplexus est, locum obtinui eo anno. Filius sequebatur illum, venturum in Academiam in tertio regressu meo periturum significauit : atque ita euenit : anno enim M.D.XLV. abstinui à profitendi munere. Regressus sum secundò, anno M.D.XLVI. destiti anno M.D.LI. redij anno M.D.LIX. tuncque mortuus est filius, sub initio anni M.D.LX. quem constat, nisi tertio rediissem Papiam, non periturum, saltem eo mortis genere. Id ergo significauit ingressus illius in solitariam domum, cùm ego vestibulum cum sociis solum attigerim. Prohibebat autem prius intelligere (nam non fuissent) hæcque de somnio speculari, & triplici ordine. Vnde id maximè euidens, quod maximè somnium est, siquidem primum : reliqua sensim minus euidentem retinent significationem.

Venio ad secundum. Surgere nitebar, ad exercitationem reuerti cupiebam : mors in ostio erat, fugaui eam cōpositis libris de Subtilitate & de Rerum varietate, tum aliis in secundo reditu : erat enim mors nominis, de qua in fatali somnio, æterna futura ea monumenta ostendens. Cloaca in quam mors se abdidit, latitaturum aliquid ad mortem vsque meam, quod aduersetur nominis mei immortalitati : atque id apud sordidos, & fluctuantes homines. Et hæc de secundo,

Tertius ordo est breuis, aut quia breuitatem temporis significat, aut quoniam detegi non vult quæ sunt post hæc. Canis ergo niger, pilosus, cùm tertiò Papiam redij, fortuna in domo erat, & est : aut significat hostem domesticum : non tamen ex eo damnum magnum, sed metum, & voluptatem, & lusum. Palàm est autem, vltrò prohibitum me scire nec si à munere desciuero, amplius rediturum : videor extrà munus frustra quærentem obiturum, ob id quod Prosperum non inueni : euenturumque forsan causa filij, maioris, quem sequebar. Verùm quod in tertio somnio videretur non iam mortem, sed cadauer in cloaca latitare, significabat, ante mortem liberandum me metu omni vero, libereque libros meos legendos, non tamen suspicione metus : atque inter conatus periturū, vt eruam cadauer. Ipsum cadauer, quicquid occasionem præbere potest malæ opinionis legentibus, quæ corrigere nō potero. Res quæ in secundo somnio à capite ponè stans deterrebat, fuit desideriū conscribendi libros: quod à somno: id est, vita ciuili me exsuscitauit, vt surgens propulsarem mortem in ostio stantem.

Visus sum aliquando interrogare quendam per quietem, mihi incognitum, de vitæ meæ cursu: atque illum dixisse. Finis tuus erit qualis Caroli Telæ. Visus postmodū mori sum graui cum tormento, atque ingredi profundissimas tenebras. Hunc Carolum semel tantum videram, erantque ei duo filij : nothus maior, quem ego illi esse nesciebam : & minor, tum valde paruus : excessit è vita, his duobus & vxore superstitibus, cùm totus esset podagra confectus : damnatusque capite à iudicibus, quòd principalem pecuniam interuertisset: sed redempta damnatione pecunia annū agens circiter quinquagesimum, absolutus, ex febre & podagra interiit, filiosque satis diuites reliquit. Vbi ergo eum obiisse vidi, non poteram imaginari, quomodo mors mea cum illius morte conueniret, nam ego iam illo ætate decem annis maior sum : quamobrem de illa non est intelligendum, sed solum quòd duobus cum filiis superstitibus,

quorum natu maior multis annis minorem anteibit, eruntque ex duabus matribus. Quare somnium indicauit tacitè mutationem, quæ facta est. Mortuo enim filio maiore, infans relictus ex alia matre natus, quàm natu minor filius: quod eo exemplo significatum est, quòd maior & minor ex duabus matribus sunt: idque ego tum interpretari non poteram, cum ambos filios ex vxore eadem suscepissem. Nothus autem maior natu esse videbatur, quòd qui ex eo superstes est filiolus, non est filius, sed nepos: ideò non verus filius. Et nihil refert quòd hic commutentur personæ: quia etsi nepos sit qui natu minor est, illi autem maior: recta tamen est similitudo: quoniam nepos patris sui, qui maior natu fuit, personam habet. Ostensum est autem hoc ex regula Dialectica commutationum: neque enim necesse vt sint iisdem, sed vt in speculis commutata certa ratione, vt neque de tempore dictum est: nec quod ego infante nepote, vt ille, minore natu filio interearm necesse est. Sed bene videtur significasse, me superstitem filiæ, nullo ex ea nepote suscepto futurum, quòd ei nihil horum morienti fuerit. Et quòd podagra, quæ iam tum mihi leuis cœperat, conflictarer. Damnatio verò capitis pecunia commutata in illo, quemadmodum in somniis solet, damnationem filij, in quo pater damnatus est, mutata persona significauit. Vnde etiam relicta bona, quæ damnatis perire solent: ei ergo ob id comparatus, vir ignotus (vt dixi) verax & obscurum somnium docet: nam diuinum responsum: quoniam dij ignoti sunt nobis: eorum autem dicta verissima, sed obscura: neque enim ignoti occulta reserare solent, sed valde familiares & amici. Quòd verò magno cum tormento mori visus sim, aliud genus vitæ ingressurum me decernit, plenum difficultatis & solicitudinis, quamadmodum accidit tenebris circumfusis.

Anno M.D.XXXVIII. cum in spem erectus essem patrocinij Pauli III. Pont. Max. vrgentibus me omnibus incommodis, vidi per quietem, pauonem in gremio non satis quietum, inde paulò pòst auolasse: statimque phasianum cum pullo excepisse, tam quiete ibidem commorantes, vt maximam ex hoc somno voluptatem caperem. Cum diu mansisset, experrectus intellexi spem Pontificis inanem esse, quamuis magnorum virorum pollicitis lactarer: aliam suboriri minorem, sed quam essem consecuturus: itaque cum primùm surrexi, ad Ioan. Bapt. Specianum capitalium criminum præfectum, virum & eruditum & studiosis amicum, veni: tum Io. Iacobum Raynoldum, qui nunc Auonæ præfectus est: quorum auxilio ea ipsa die Alphonso Istonij principi in amicitiã insinuatus sum: à quo & pecunias accepi, & multis modis iuuatus sum, & in collegium illius patrocinio receptus: & multo plura habiturus, si ego tum tam prudens fuissem, quàm ille beneficus ac liberalis. Sed Fata obstabant. Hoc est sextum somnium, ex quo consecutus sum vtilitatem: nam fatali primo, ad scribendum compulsus sum: secundo hoc, ad habendam principis amicitiam inductus: tertio, de Alexandro, ad aggrediendum causam collegij, tot aduersis sententiis concussam: quarto, ad seruandam vitam filij natu minoris: duobus vltimis, tametsi sæpiùs repetitis, ad conscribendum libros de Subtilitate, & de Rerum varietate.

Quadam nocte cum viderer esse in curia principali vrbis, atque tum adesse aues omnis generis, inter cæteras aderant duo pauones, quorum aspectu delectabar: cum interim vnus statim auolesset, alterum in clatrata ferrea quiescentem multi lapidibus incesserent, ego in sinum recepi: sed languescere, ac reuiuiscere videbatur. Sequenti die ad parientem filiam Antonij Leuæ principis Asculi vocatus, anteqam accederem (erat enim Modœtiæ) obiit: hæc fuit pauo, quæ statim auolauit: paulò pòst ad infantem natum ductus sum, quem multi morbi, lapidum loco, ad mortem fermè duxerant: itaque aliquoties dum alleuatus esset, ac rursum decidisset, intra paucos dies & ipse obiit. Fuit autem anno M.D.XXXV.

Anno M.D.XXXVI. diluculo diei Dominici, visus sum edere ouum struthiocameli, in mensa Præfecti eiusdem criminum capitalium. Solutus somno, intellexi illius hortatu pecuniam mihi debitam à contumaci creditore, ea hebdomada habiturum: habuique vltima ipsa die, scilicet sabbathi: nam Dominica dies prima est habdomadæ: & ouum illius auis concoctu contumacissimum, ipsa verò auis magna, potens ac nobilis, qualitatem debitoris declarabat.

Quadam nocte visus sum habere ficedulam maiorem (sunt qui icteridem appellent) in manibus, quæ tamen aufugisse visa est etiam: denuò capta, in caueam conclusa est. Sequenti quidam obtulit pecunias iniqua conditione, quas ego etiam monitu somnij renui: at ille cùm abiisset, reditus præter somnium, nullam spem reliquerat: rediit ipsa die, & optima sub conditione eas accepi. Aues enim spes, commoda & iucunda, vt etiam pecunias & lucra significant: & pro ratione earum, magnæ & pulchræ, principes, & splendida lucra & dona: hæc autem parua erat, & humilis.

Quadam nocte cùm vidissem multa pulchra frusta crystalli in ripa fluminis, lætus colligebam ea: manè quidam libros pulcherrimos obtulit, adeò vili precio, vt dono accepisse existimare possem: sic emi, quasi inuenissem. Libri autem vilis sunt precij inter merces, velut & crystallus inter gemmas.

Profitebar Papiæ: cùm mensis Ianuarij sub initio anni M.D.XLV. per quietem visus sum esse in patria cum Prospero Marinono: abstinebamque ab illius colloquio, quòd gnarus essem mortuum esse: id ille animaduertens, equum album ascendit: ego ratus indignum vt insalutatus abiret, cùm iturus Romam videretur, in ponte portæ eius quæ Romam ducit, dixi: Et quando te videbo ille subridens ait, Mense octobris: tum ego Quo? nam hic proximus esse posset, & intra annos etiam vigintiquinque: est autem incertus nimis terminus: at ille subridens, cum socio

ſocio qui mihi è facie notus non erat, abiit. Itaque vt ſæpiùs dixi, Proſper Marinonus abiens, cùm ego eſſem in poſſeſſione profitendi, amiſſurum eo anno id munus declarauit: quod & euenit. Sequentis enim anni, iuxta illius verba, menſe Octobri eidem muneri ſum reſtitutus. Diſceſſus eius Romam verſus, aut me hoc relicto munere iturum Romam ſignificat, aut (quod vix credo) Romanum hominem mihi ſucceſſurum.

Quadam nocte vidi quendam qui iam mihi fuerat inimicus, conantem vulnerare me: & dum protego memet manibus, vulneratus ſum in eis: cùm experrectus, conſiderans quod ille mihi erat reconciliatus, cauſa diſſidij ſublata, & quod tum mihi autoritas creuerat, vt non impunè fuiſſet illi tum talia aggredi, erat Petrus Franciſcus Belzoioſij dominus, vir nobilitate & potentia clarus, non poteram ſomnium interpretari. Ea die occurri homini qui vulnera acceperat ab inimico, ſub amicitiæ ſpecie: hoc ſignificauit reconciliatus amicus: & inter reliqua vulnera manum ei præciderat, & hoc ad ſomnium. Virum illum aliquo modo, ex declaratis in præcedente libro, mecum conuenire oportuit.

Erat mihi amicus anno M.D. XXXVIII. Io. Petrus Boſſius medicus: quo in exilium acto ab aliis medicis, ego domum eandem illius loco conduxeram: quem video quadam nocte mandato Senatus, mediciſque vrgentibus damnatum, vt defricta pelle ad os vſque, dextro ſupererat ſupercilio, glutino tenaci annecteretur tabella lignea ſupra palmi longitudine, quam ſecum deferre perpetuò cogeretur: pleriſque admirantibus, aliis autem miſerantibus fortunam viri, aliis irridentibus & inſultantibus. Itaque cum expectarem vt ex vrbe diſcederet, gluten molliret, auelleret tabulam: nihil horum fecit: ſed æquo animo ferens, per vrbem incedebat: ſic deformatus, ſolitaque munia exercebat, experrectus, cùm ea eſſet dies, in qua petiturus eram à Xenodochij præfectis curam pædotrophij, in cuius poſſeſſione iam eram: intellexi mihi non leuem iniuriam ab his faciendam, & dedecus me graue ſubiturum, vt abſtinere à petione decreuiſſem. Sed tamen tantum nefas ſperare non potui: vt qui longè maiorem vtilitatem, quàm eſſet præmium loci, eis præſtitiſſem. Petij, repulſam tuli, magno cum rubore: vt etiam qui iniuſta petere non erubeſcerent. Itaque in oculos, vt dici ſolet, res acta eſt: tuli tum æquo animo, quod ad gloriam meam præbuit fundamentum: quoniam ille nec diſceſſit, nec commotus eſt. Senatus, collegium præfectorum oſtendebat: ego medici illius, qui & repulſus fuerat, & in cuius domum fueram ingreſſus, perſonam ſuſtinebam.

Cùm vidiſſem nocte quadam medicum qui eodem anno obierat, in lecto meo quaſi morientem: atque ego vt explorarem an ita eſſet, illius artus arctius conſtringerem: viſuſque eſſet verè mortuus: accidit vt intra quatuor dies ad amicum qui apoplecticus conciderat, vocarer: cuius artus, vt tentarem ſi viueret, conſtrinxi, carnes vellicaui: atque intra totidem horas extinctus eſt, quot medicus ille ſuperuixiſſe per ſomnium videbatur. Amici ambo mihi erant vnici: alter ſub alterius perſona deſignabatur, & lethi genus idem ex actione mea.

Nocte quadam mortuum patrem ſequi videbar paſſibus æqualibus, qui me ad domum mortui iam tabellionis duxit. Paucis pòſt diebus queſtus ſum de actis quibuſdam patris, apud eundem tabellionem olim, eodemque in loco.

Nocte quadam viſus ſum occurrere duobus viris, quibus vix vnquam occurrere ſolitus eram: & cœpta diſſeratione, magnum exortum mihi negotium: manè ſtatim vni illorum occurri, qui de alio vix ſibi noto dum verba habet, ambo eidem, ex inſperato (vt reor) occurrimus: inde exortum eſt negocium tædio plenum: tum neceſſe fuit animam eſſe valde liberam.

Cùm dimidium bibliothecæ cecidiſſe viſum eſſet, in quo libri omnes erant præter medicos (hi enim in parte quæ ſteterat, ſeruati videbantur) alumnus meus Ludouicus Ferrarius, omni in literarum genere eruditus præterquam in medicina, multa incommoda paſſus eſt, coactuſque eſt ſtudia literarum aliquanto tempore intermittere: ideò illius calamitatem, non meam ſignificauit: cùm vterque in eadem domo, eiſdem ſtudiis incumberemus, ſolis medicis ſeiuncti eramus.

Anno M.D.XXXIX. xvi. calendas Iulij, vidi patrem meum togatum, vt ſolebat, incedere, oſtendentem mihi magnam quantitatem librorum diuerſarum formarum: atque inter illos vnum elegantem, variarum linguarum notis ſcriptum: iuſſiſſeque vt verbum hoc legerem ὁμούοιν Cumque proferrem, dixit caue ne legendum ſit ὁμοοίον: reſpondi, Nequaquam, ſed ſic ſonat: tum ille, cùm acquieſcere viſus eſſet, dixit: ſatis eſt, volui te monere: quoniam hoc ad te pertinet. Compoſita erat dictio ex οἷς, quod eſt qualiter, ſeu velut: & ὁμὸς, ſeu ὁμὸν, ſeu ὅμοιος: id eſt, vnus, aut ſimilis, vel ſimul, vnà cum, vel æqualis: quod eſt omnino ſimilis, mihi ſcilicet. Nam tertio calendas Septembris in collegium medicorum cooptatus ſum magno labore, vt ille fuerat in collegium Iuriſconſultorum. Profeſſus ſum poſtmodum medicinam, ille leges profeſſus fuerat ad extremum vſque vitæ: ille parùm ad collegium ibat, pertæſus (vt audiui) quorumdam: ego non ob id, ſed Papiæ moram ducens, prohibeor ſæpius adire: multò verò etiam rariùs, ob filij ingratam necem.

Quinto Idus Octobris, eiuſdem anni, cùm eſſem receptus (vt dixi) in collegium, videbar eſſe inter ſocios, expectabamuſque vt pyrgum ludendi deferrent: interim verò iridem, quæ apparuerat, aliis oſtendebam: qua euaneſcente, alia viſa eſt, quæ faſtigium domus vertice tangebat, cornibus autem terram: hanc vt oſtendiſſem aliis, tangere cupiebam: ſed non ſum auſus: dum verò auerſus, tutò me tangere poſſe confido, euanuiſſe & ipſam animaduerti. Socij autem erant medici, cum quibus artem exercere diſtinaueram. Iris, profitendi munus aliàs (vt dixi) mihi oblatum,

nec receptum. Secunda iris idem quod cum vertice mihi æquaretur, oblatam in patria occasionem significabat, quam recepi. Sed cùm è domo tangere vellem, non audebam: timidus enim ad id negocium accessi. Sed securior, auersus scilicet, medendi exercitationi intentus: at illa euanuit, translata in pristinum locum Academia: quod perinde erat, ac si diceret: Si profiteri volueris, & patriam & medendi exercitationem relinquas oportet.

Anno M.D. X L. vij. Idus Februarij: vidi per quietem, bubonem, auem violenter in sinum traxisse, illique tres pennas ad scribendum aptas auulsisse. Videbatur & quidam phratrius, mihi notus, in carcerem iniustè coniectus, ac malè habitus demum totâ facie discissa dimissus. Eadem die occurrit mihi Ioan. Petrus Bossius medicus, ab aliis medicis (vt dixi) olim eiectus: hic ergo, vt bubo ab aliis auibus prohibebatur palàm exercere medicinam. Phratrius etiam, coniectus in carcerem: nam in carcerem detrusus fuerat à medicis, qui ratione artis communis erant quasi illi phratrij? discissa facies, ostendebat exitum infaustum: venerat enim vt ad medendum admitteretur, sed rursus eiectus fuit turpiùs quàm priùs. Pennæ illæ quas exceperam, erant clientes, qui ad me, illius consilio, postquam ipse artem exercere prohibetur, se contulerunt.

Anno M.D. X L I I I. in calendis Ianuariis, visus sum sepulchrum marmoreum antiquum, literis vetustioribus inscriptum, quibus mirum in modum delectarer, inuisere: aderant & Hieronymus Cardanus alter medicus, & Ludouicus Ferrarius Mathematicus, ex amicis. Eo anno conscripsi libros de Sapientia, refertos multis antiquorum dictis. Sepulchrum enim etiam alio nomine monumentum appellatur: dicuntur & libri monumenta. Et literæ antiquæ, autoritates veterum ac testimonia. Sed & sepulchri imago, parum probandos eos libros: pauci enim solent, nisi per ocium, sepulchra quantumuis pulchra spectare. Socij illi, vulgandum opus declarabant. Sed quod in Calendis Ianuariis hoc viderim, eodem anno inchoandos & absoluendos significauit.

Anno M.D. X L V. xi. Calendas Augusti, sub Solis ortum videbar mulam equitare, pallio indutus, cum Hieronymo Cardano & ipso mulam equitante, sed togato: occurrisse autem nobis tres rusticos, quorum lotiis visis, quadraginta asses ille lucratus est: me autem spreuerunt. Indicauit hoc, me extra patriam moram ducturum, ob pallium: illum mei loco successurum, ob societatem & habitum: plebem tamen potius curaturum, ob rusticos: multos tamen ægros ad eum concursuros: quia tres erant rustici, non vnus: & sufficienter lucraturum, ob numerum assium: habiturumque pharmacopolas amicos: nam ad eos ille diuerterat, ego non accessi.

Anno M.D. X L V I I. xvi. calendas Septembris, vidi Ioan. Baptistam Specianum, capitalium criminum præfectum olim, sed tum mortuum paulò antè, qui me manu apprehendit: sed ego cogitans quòd mortuus esset, eam statim subduxi: interrogaui autem dicens: Quandoquidem tu mortuus es, & ego dormio, dic mihi aliquid de ea vita, qua vbi tu es fruuntur: tum ille: Nihil superest, cuius oppositum tu credis. Inde eo euanescente, superuenit iuuenis macilentus, pallidus, facie longa, veste scholastica longa, pellicea intus, extrà coloris cinerei: hunc & ipsum mortuum incognitumque interrogo, quid mihi futurum sit? respondit: Dicere nolo: nam nimis tristareris: cui ego: Moriturus sum? inquam. Non respôdit ille. Quid ergo? A mulo seu mula læderis: cæterùm abhinc magna & facilia lucra semper tibi suppeditabunt. Quo nomine appellaris? Hieronymus Frige. Ioann. Baptista ille filius nomine conueniens, non mihi superfuturus, vt rebar. Hic meus genius horridus & aridus senectæ, non quidem inopia (hoc enim excepit) sed animi angore: nam nomen & persona incognita me esse declarabant. Mulus ἀγονομόχθος: id est, sterilis & orbus: nam sic muli obeunt, sine prole: vel ἡμίονος magis propriè, à mulo vel mula: ἡμίονος autem vtrumque significat: & dimidium ex hoc, ab ἥμυσι, quasi dimidio in sobole frustratus & mancus. Qua parte, non sine alterius securitate, prima somnij pars præmonstrauerat. Quasi diceret: orbatus, aut fermè horridus ac siccus, scilicet sine spe generandi, pauens & frigore horrens: nam hæc omnia genij cognomine, & mei ipsius significabantur: præter tuam fidem demigrabis ad mortuos. Atque ex illa die, quanquam quid significaretur non præcepissem, nunquam sine magna suspicione, nec lætus vixi. Quòd si dixisset, A mulo, non adiiciendo seu mula, plenam significasset orbitatem: non ἡμίονος enim nomine explicari poterat, sed solùm ἀγονομόχθος. Iuuenis autem pallidus, & reliqua contraria habitui meo, præter longam faciem (talis enim mihi est) decrepitam ætatem significare videntur. Etenim decrepiti, quanquam antea bono habitu, macilenti & pallidi efficiuntur.

Annum agebam (ni fallor) decimumnonum, aut vigesimum, cum quadam nocte vidi simiam loquentem dixique: Quæ miraculo loquitur eodē spiritu, futura præscire potest. Dixi ergo, Quantum superuicturus sum? tum illa statim respondit: Quatuor annis; at ego: Non plus; cui illa: Non, erat autem ex demonstratis quadraginta octo, quatuor anni Iouis non ante lxvij igitur obiturus, sed paulo (vt reor) excessurus: vel ex literarum supputatione, eliso primo v, quod non sentitur in pronunciatione, septuaginta septem, aut vt suprà, quòd vix victurus essem, ostendit.

Anno M.D.L. iij nonas Maij, ab hora nona ad vndecimam somno correptus, vidi (erat autem dies Dominica) me alteram duxisse vxorem, obiicereque iam mortuæ, quòd quietius cum hac viuerem at illa tristis tacebat tum paulò pòst hæc noua vxor euanuit: multa verò cum prima, quam mortuam esse cognoscebam, & quorum postquàm experrectus fui, recordabar, & nunc etiam tandem petiit vt quinque sacrificia instaurarem, secundum pro illa inde tetigit me volentem, & frustum chartæ fronti agglutinauit,

quod

quod paulo post excidit: hæc autem ferebam inuitus (quod mortuam scirem) ne irata discederet. Demum etiam mihi astare visa est mater, quæ decem annis ante vxorem obierat, sed ego viuam arbitrabar: atque inter illam & vxorem, Ioan. Baptistam filium esse video, verùm quasi septennem, non vt erat sexdecim annorum: metuens ergo ne à matre sua abduceretur, quod mortua mihi videretur, meam rogabam matrem vt illum abduceret: quod sæpius orans, non obtinui: ab vxore impetraui, ne illum tangeret: iussitque me bono esse animo: tandem mater perpulit illum mea per ponticulum.

Hoc somnium ex his est quæ pauca per plura declarant. Significabat ergo, conuersum me ad studia & voluptates: nam & eadem nocte somniaueram, visis Alciati carminibus quibusdam, me carmina pangere. Vnde noua vxor, anima erat studiosa, relicta filiorum cura, cui operam dabam. Quinque sacrificia, primum matri, secundum ipsi vxori, tertium Ioan. Bapt. qui apud eam sedebat, quartum ad me pertinere videbatur, quintū nō expressit: ordinem ergo, quo morituri essent reliqui, ex duobus primis ostendit.

Anno M.D.L V I I I. vij. Idus Ianuarias, videbar sub diluculo esse iuxta portam Ticinensem: atque ibi audire: Ducerésne, alter alteri dicebat, vxorem cum sex millibus libris? ego, vt audirem, irrisionis causa, quod nuper filius ille meus nunc felix indotatam duxisset, dictum credidi: at ille negauit. Visus autem sum optare statim, vt in somnium esset, vt erat: & in aliud, quod & euenit, comutaretur Itaque statim visus sum cum puero domestico & mula ascendere peruiam latam & accliuem, spacio vnius horæ cum dimidio, in vrbem perpulchram mihi ignotam, tamen in qua plurima erant palatia. Sciscitatus, quod nomen vrbi? mulier quædam, Bacheta respondit: mirabar, quod cum Italicè loqueretur, nunquam hoc nomen (cum tamen necesse esset splendidam esse vrbem) aliàs audissem. Subiunxit quoque ea mulier, dicens: Non esse nisi quinque palatia in vrbe, mihi contendenti longè plura vidisse: erant enim plusquam viginti, atque inter cætera vnum eximiæ pulchritudinis, atque auratum. Tum verò puer cum mula subduxisse se videbatur: & cum abduxisse mulam existimarem, nihilo secius vocanti respondit: sed vbi esset, videre non poteram, interposito ædificio. Tum somno solutus videbar, narrareque somnium cognito, quem tamen à somno incognitum fuisse constat: admirarique quæ nam esset illa ciuitas, & quale nomen? ille mihi, Neapolis est. Quid ego, inquam, Bachetæ cū Neapoli? tū ille: Hoc tibi nūc interpretandū relinquo. Statimque sōno solutus sum: & admiratione plenus, quantū vnquā aliàs ex quouis sōnio viso.

Ergo à notissimis incipiamus. Ex dedecore infausti matrimonij: quoniam tunc interpretari non poteram, quod tamen tempestiuè oblatum fuerat (omittere autem omnino eam considerationem, somnium indicauit, quod ex verbo audito in eam vitam tam arduam me conieci) significauit me vitæ genus ingressurum valde difficile, tum quia via erat accliuis, tum quia diuturna equitatio, tum quia mulam loco equi (nam duos tum habebam asturcones, mulam nullam) inscenderam. Erat ergo via illa, exercitatio medica, in qua per annum cum dimidio (id significabat hora & dimidia) ad summum profeceram: ductus in nouam vrbem, munus quidem legendi, quod mense Augusti sequentis anni obuenit, priuatus sum mula: id est omni tædio exercitationis totum me conscribēdis libris tradens: cuius tamen pigebat ob mortalem ambitionem, & lucrum: quæ duo mala vix exuere possumus. Palatia illa totidem volumina ante mortem edenda, mihi quidem vt domino gloriosa, aliis vt spectatoribus voluptuosa, significabant. Nouissimum illud aureum, existimo esse Theonoston. Cæterùm me mulier illa, quinque tantùm esse monens: Posteritas, quæ solùm quinque ex his (quæ sint illa, nescio) probabit. Quod puer cum mula non discesserit, significat & voluntatem & occasionem incertam, exercendi denuo artem, esse relictam: nec prorsus exuisse eam curam: quod forsan eueniet, contemplatione euehendi filij natu minoris: seu forsan spes ipsa sola relicta: non tamen defuturam occasionem, responsum pueri docet. Bacheta verò, vulgari nomine virga Latinè dicitur: quasi quod multis ictibus concidendus essem: quod euenit, podagræ doloribus, ramice (cui tamen statim occurri, ne in scrotum descenderet) scabie mala, morbis minutulis, domesticorum contumacia, fraude, minoris filij (qui solus mihi relictus est) erroribus: vt nullo incommodi genere vacauerim ad hanc vsque diem, quæ est V I I. Idus Maias. Seu Græce expresseris μάραινα, quasi tabesco, flacesco, aut οἶμος, quasi gemitus, vlulatus, fletus: seu Σκοτάλη ad tabulam referatur damnatorum, ob inuidiam, & filij iniustam necem: seu Ῥάβδος, palmæ ramum quasi virgam: aut quoniam virga vulgari nomine demonstrationem significat: ita solùm de significatione actiua atque passiua distinguere oportet. Sed cur Neapolis? cùm non nouum fuerit hoc scribendi munus, à Νέα & πολύς: id est, noua multa & magna, non nouè aduerbialiter, inuentorum.

Quæ autem audiui per somnum, fuerunt Tamant: alia vice, antè mihi legenda oblata hæc: Commentatoris miseria miserta misericordia. Anno autem M.D.X L. nonis Februarij, cum duobus phratriis concinere hæc visus sum. Sex diebus adhuc eris in tormentis. Vltimo autem verbo modulationem miram succinere. Tamant, vt visum est infortunium repentinum & magnum significat. T. enim litera malè sonans est, & muta, & dura, & quæ non significant: vt dum de Geniis loqueremur, inexpectata significant: quod postmodum ex illa repetitione, Commentatoris miseria miserta misericordia: quod Græci significant eo, vnum duo tria, positiuum, comparatiuum, superlatiuum, Latini summum malum & miserabile. Illud quoque, Sex adhuc diebus eris in tormentis, numero perfecto ad vitæ exitum significauit: aut ab eo anno interitū vel natiuitatem nepotis. Verùm singula etiam exquisitius, & maximè Tamant, habent significatum.

Sed Deus vetuit vltra nunc progredi. Et quamuis Tamant significet bis mille sexcentum septuaginta, melius tamen est prætermittere aliquid coniecturæ, quàm leuitatis suspicione aspergi.

M.D.LXI. die Ascensionis, vidi me equitare prægrandem mulam. Inde iam orto sole, mulierem nudam super meum caput ridendo cacantem, ac mingentem. Cùm igitur nulla mihi sit mula, sed asturco paruus: significat, quod in primo somnio dictum est, à Republica & in vrbe magna laboriosum & vtile, sed non pro dignitate mea, suscepturum negocium: à quo (vt video) parum absum: non tàm forsan illorum culpa, quàm horum & mea mala fortuna, quæ me non sinit, nec patitur, vt in patria vel tutò vel honestè esse possim. Et quanquam displiceat somnij indignitas, placet tamen quod vitam pollicetur. Hæc tam admiranda sunt, vt quis vix credere queat.

Sed quid dicturus esses, si legeres quæ nuper acciderunt in huiusmodi descripta tertio Paralipomenon? Cæterùm non habere rationem recti, æqui, dignitatis, eruditionis, publicæ vtilitatis, sed homines votis suis fauere, maximè in Republica, minus tamen apud reges, quotidie reprehendi solet, nunquam emendari. Causa perspicua est. Viri præclari nulli blandiri sciunt, dedignantur rogare, polliceri nolunt: ita cum iis semper deterius agitur. Ita expedit mihi fugere honestè potiùs, quàm in periculo manere. Vbi in tuto fuero, non deerit mihi Deus, neque virtus etiam, in tam turpi fœdo & profligato seculo: breuis conductio, & inusitata, vt qui stipem promuscidi elephanti præbent. Sic fortuna me adegit, non flexit.

Cùm aliquando videret esse apud causidicum meum (litigabam enim verè) sensi me morderi in tibia, inuenique murem esse: cœpi, & occidi: accurrerunt autem innumeri alij mures, partim mordentes, partim titillantes: quos cùm occiderem, multo tamen plures accurrere sentiebam: nouissimè cùm quendam satis prægrandem occidissem, ab omnibus liberatus sum. Intellexi, per mures declarari eos cum quibus litigabam: hi enim mordent, sed non occidunt: vt nec mures id facere possunt: vltimò igitur, post multa, vnius interitu liberandum: quod & euenit: nam paulò pòst extincto procuratore collegij medicorum, mihi infensissimo, in ipsum collegium receptus sum: ex quo cessauit multitudo illa me inquietantium, quos contentio cum illis excitabat: atque ita perfectè & ad vnguem verum euasit. Comprehendit autem somnium etiam præteritam molestiam, ex quo futuram liberationem significabat. Accidit autem hoc in fine anni, à die somnij, causis ex astrorum circuitibus suprà narratis.

Anno M.D.XXXVIII, ante ver, vidi matrem meam à pedibus lecti stantem, ac spondæ ipsius lectuli sic vt tota extare videretur insidentem, coccinea talari tunica astricta indutam, de more, cum domesticis negociis incumberet: valde lucentibus oculis, vocantem me vt secum irem. Cui ego: Cur ita? nònne mortua es? respondit: Certè. Cur ergo me tecum venire vis, cùm id non possim aliter quam si peream? tum illa: Ita melius tibi erit, & quietius viues: hoc ego cùm pernegarem, illa acrius ac sæpius instaret, tandem irata abire visa est. Dignum fuit vt diligenter adnotaretur somnium, vt quod mihi primum vitæ periculum denunciaret: quòd paulò pòst scilicet succedente æstate aduenit. Nouem enim totis diebus perpetuis continua cordis palpitatione oppressus, tandem vomitu seu bilis prassinæ, seu epoti iam alicuius veneni, quasi præter spem sum liberatus.

Vitæ etiam genus non satis secudum virtutem, quod tum sequebar, improbare illa visa est. Vnde & oculi tam splendidi, quales iratis esse solent, vt quod mores meos & institutum improbaret, visa est habere. Demum ærumnas illas tam graues, tam diuturnas, quas tamen non adeò magnas esse intellexi, vt vita mortem potiorem esse ducerem: nisi cùm post viginti & vnum annos, casu illo nefando publicæ cædis filij perculsus sum. Nunc verò filia sterili, nepote ex primo genito infante, filio non satis in spem educato, aut longiorem sanè, illud dicere visa est: Cùm morieris, maiore non cum spe posteritatis morieris, quàm si nunc pereas: etenim nunc supererunt duo tantùm infantes: cùm morieris, & duo tantùm in longam spem stirpis tibi etiam supererunt: vt nihilo meliore spe eius voluptatis tum sis, quàm nunc, periturus: at interim flagitia nulla esses admissurus, nec adeò crudeles casus tuorum visurus atque experturus, quales si vixeris subibis. Sed & adeò constanter perneganti, diuturna vita demostrabatur: vt constanter rogante illa calamitates illas mihi haud dubiè expectandas intelligerē. Quo fit, vt etiam in posterum nec felicem vitam mihi possim polliceri.

Diluculum antè per duas horas, quod serò venturum significat, diei vigesima tertia Iunij, M.D.LXI. vidi me velle balneum frigidi fontis, loco amœno & abstruso, in quod æstate ingredi solerem, hyeme intrare. Ergo hoc significat, tandem futurum vt redditus imminuerentur, laturumque id modestè: quoniam abditus esse viderer: nec ob id iacturam passurum: tum quia ingressus non essem, tum quia loco an œno essem.

Anno M.D.LXI.vi. Idus Iulij, in meridie, sed tamen post esum fructuum & casei pauci ouilli, vidi me esse apud Senatorem, quasi defensurus causam meam detractionis stipendij centum coronatorum aureorum: at ille vbi vel duo verba audisset, iratus cœpit mihi asperius respondere. Deinde cum repeterem suauiter pauca ad excusationem, totus ira concitus, mihi collū manu torquebat, tergusque cubito premebat: cùm ego rogarem humiliter vt me sineret, vt ignosceret: ille ardentius ac enixius cubitò pressit, vt de vita dubitarem, ac ne per domesticos deterius verberibus me haberet: tandem fatigatus, me totum contusum reliquit, & è cubiculo expulit. Cùm ego timens ne caput lapide illideret, à superioribus fenestris non audebam exire: itaque nec exire tutum, nec manere securum

cùm

cùm existimarem, dolore longè maiore, quàm alias ex filij morte concepi, premebar. Recordor somniasse, me duci ad supplicium, minore satis animi cruciatu atque tristitia. Dicebam mecum: Heu mihi, cùm publicè hoc rescifcent homines, quomodo licebit mihi è domo prodire? Si non accuso illum, inulta manebit tanta iniuria: si accuso, detegetur quòd forsan illud pudebit reuelare: deinde qua vltione Senatus mihi infensus, vnius eorum aduersum me volet iniurias vlcisci, quas forsan etiam ex omnium consensu intulit? Nec prouinciæ præses hoc curare volet, vt contra Senatorem mea causa agat: cùm nec id possit. Cùm verò sic mecum disputarem, seniculus primùm, à quo nihil: deinde adolescens cum ense ad me venit, quem filium illius esse existimabam: metuique, ne me noua iniuria oneraret: sed neuter nocuit, amboque tanquam nil actum esset, hoc dissimularunt: interim visus sum egredi tutus è domo: & dum in via essem, occurri phratrio, illius valde amico atque domestico, quem ego non noram, sed ex suis verbis cóiectabar: cogitabam igitur, vt apud illum quærerer Dixi autem: Quid, etiamsi pœniteat, boni mihi reddere potest pro tanta iniuria? Deinde adeò iratus est, vt forsan denuò aduersus me irritetur: interim tandem somnio hoc molestissimo solutus sum.

Ergo Senator hic, Senatum refert. Et cum esset vnus è præfectis Academiæ, res Academiæ significabat. Itaque cum literis regis ademptì essent, vt dixi, centum coronati, quos à præside prouinciæ vt mihi iure debitos sperarem reddi: significat, non reddendos: nam si redderet, Senatus tergus meum: id est, senectam meam cum occulto meo dedecore non premeret: cumque per amicos auxilium peterem, verbis asperis eum vsurum: nam Senator ille vnus est ex his qui filium damnauit: talis ergo Senatus, qualis illius erga me affectus. Significauit & metum deteriorum: sed cùm nec dolor nec plagæ adfuerint, ea iniuria contenti erunt. Quòd enim non auderem egredi significat me non ausurum dimittere munus profitendi, dum deteriora metuo: sicque mansurum in eorum potestate. Demum quod tandem exierim, significat me à metu, non dedecore liberandum: cogitaturumque, vt per amicos, sed parùm mihi deuinctos, dedecus id frustra leniam. Quòd dolore maiore angerer, quàm ex filij morte, etiam id contigit: cum hoc facto illum iniuria periisse cedere cogar.

Die sequenti cum similiter prandissem, ab antemeridiana hora ad horam quartam post meridiem, spatio penè horarum sex, duo vidi mirabilia somnia: quorum primum fuit, quod viderer esse adolescens, atque ea de causa valde lætus: deinde cum apud maximum regem essem, ille me iactante patientiam meam ac incorruptam fidem, tacito quodam consensu inter illius pueros vnum me recepit: atque interim ego illi maximè inter omnes perpetuò assistebam, visusque est credere verbis meis, ac fidere. Cum iam securum & lætum (videbar enim præter id sanatus à morbis & malis affectibus, quibus verè premebar, atque, vt ita dicam, adolescentiæ primæ cum omni robore & ad ferenda quæque incommoda patientia restitutus) amasia regis me attrectare visa est lasciuius: at ego dissimulans, vbi me opportunè subtraxissem, recitaui id aniculæ cuidam, cui plurimum fidebam, per somnum tantum agnitæ. Deinde cœpi mœrore plurimum, ac multo magis timere mihi, dicens: si reuelauero, rex me occidet: si non reuelauero, illa cum aliis hoc agent, detecta tandem, me deteget: atque qui tam fidus haberi volui proditor domini habebor. Si adolescenti obsecundē, inter tot oculos latere non potero, si non obsecundem, ipsa apud me facto iam confessa crimen, nollet habere testem sui flagitij. Itaque vtrouis modo & mihi pereundum est: & fides mea incorrupta, tanquā improba & fallax, in omnium ore detestanda erit: heu mihi, quam inuictis vinculis sors mea mala me circumdedit. Paulò post visus sum esse eiusdem nescio, an alterius potius potius principis medicus: tum verò dum in aula essem, vocari à paupercula muliere: ad quam cum diuertissem, exiguæ spe pecuniæ, puerum à pedibus vnicum, & equum aut mulam (non sat memoria teneo) reliquisse videbar: vt me frustra quæreret, & ego illum. De hac muliere cum principe verba habens, excusansque quòd ob pietatem illam inuisissem, somno solutus sum. Itaque amasia regis, religio est, cuius nomine tentatur, in solicitudine ero non mediocri: haud tamen lædat. Rex ipse, vsus: vt ad medendi consuetudinem rediens, ea cogar ferre quæ iuuenis: atque hac conditione satis honestè acceptus viuam. Id verò declarauit somnium secundum, quod primi loco interpretis habetur. Paucos inuisam casu: videbar enim vnius regis curæ addictus: plebei tamen multi concurrent, quos non recepturus sum. Manifestum est autem, quod hoc continget post biennium: ergo interim viuam, & valebo. Nam si sine restauratione professurus sum, ex somnio prior res in annum producitur M.D.LXIII.

Anno M, D.XXXIX. die xvij. Februarij, somniabam me esse in Pontificis curia, adesseque duos lupos domesticos, quorum minor cùm aduersum me inermem venisset, apprehenso ore ac diducto fatigatus abiit: maiorem verò, cum post illum me esset aggressus, gladio paruo, quem mecum habere videbar, iugulaui. Significauit, ex ratione lupi, eodem anno duos aduersarios me superaturum: vnum qui senior erat, vi repulsurum: alium fatigatum amicorum precibus, Bernabouem Cruceium medicum, innoxium redditurum: idque ad vnguem ita euenit.

Anno M.D.XXXVI. cum adhuc collegium mihi aduersaretur, æstatis tempore medebar in domo Comitis (ea est dignitas Longobardicæ dominationis) Camilli Bonromei: vbi cum multa rectè egissem: quoniam non solueret, & ego pauper essem, decreui ab ea domo me subtrahere: itaque cùm id egissem, contigit vt post paucos dies (vide Fatorum vim) ante portam illius obequitans transirem. Vxorque eius, nomine Corona, ex familia Samaliorum, astabat in porta præter morem: vix enim toto anno bis aut ter hoc

agere consueuerat. Vbi me vidit, dissimulans meum discessum, vocauit me ad ancillam ægrotantem:ita quasi inuitus introiui, malaque fortuna mea postridie illa sanata est: ego tamen non amplius redire decreueram. Sequenti die, aut sanè non magis quàm triduo post, video serpentem ingentem diluculo per somnum distentum super terram prope me, à quo deuorari timebam:& quamuis ille quiesceret, solumque me aspiceret, ego tamen adeò territus sum, mihique timebam, vt euigilauerim. Intellexi planè maximum mihi impendere vitæ periculum, quòd si & illud potuissem animaduertere, serpentem ipsum esse insigne familiæ Bonromeorum, quinimo etiam in pariete domus atque intra passim depictũ, periculum deuitassem. Sed, vt dixi, sæpiùs ea eo ordine constant, quæ ventura sunt, vt tantum detegatur, quantum, ne obuiam iri possit solum Fatis, sufficiat. Anxius ergo, vnde mihi periculum impenderet (impendere autem tam certò noram, quàm si in eo iam essem, ob somnij claritatem summam) expectabam. A prandio cùm exissem, reuerterer que domum, obuiam venit mater, vxorque, monentes vt quàm celerrimè ad Comitem illum me conferrem, ægrotare filium eius (erat autem è pluribus vnicus relictus, septimum agens annum) cœpi cogitare de proposito, & quòd iam illi, cùm me deseruisse curam domus animaduertissent, nihilo secius nihil nec darent nec offerrent: memineram somnia matutini: sed vrgentibus mulieribus adeò mihi charis, nec cogitante me quod ille inter insignia serpentem gestaret, nec de domus pictura, accedo: & puerum leuiter febrire, vt mihi videbatur, animaduertere. Verùm in quarta pulsatione animaduerto, pulsum ex toto conquiescere: atque id per continuos circuitus: vnde magnum malum suspicabar: quòd tamen mortem certam portenderet non intelligebam: neque enim iam libri de Pulsuum præsagiis, qui id docent, Galeni in Latinum sermonem conuersi erant: nec ego tantum profeceram tunc, vt hoc possem ex illis intelligere: interim ergo procedente in deterius morbo vsque ad tertiam diem, cùm mater de filio sciscitaretur, ego omnis doli fallaciæque ignarus, respondebam: videri puerum cum exigua febre, nec grauiter ægrotare: esse tamen in quarta pulsatione perpetuam quietem in carpo, quæ me suspensum detineret: latitare quippiam suspicari. Cùm verò illa sæpius quid hoc prætenderet, interrogasset: Ego me nescire (quod parum prudenter, tametsi ingenuè, responsum, solum mihi obfuit, tanquam imperitiam propriam fatenti) dixi.

Itaque tertia die manè cum & à matre admonitus, & me ipso id percipiente, signa vermium euidentissima, & maximè in spiritu animaduerterem, conscripsi medicamentum valde quidem expertum, & quod mihi gloriam sæpè, pueris multis in Saccensi oppido salutem attulerat, Diaro cum turpeto vocatum in officinis: verùm quod apud inuidos & æmulos calumniæ subiici posset, quòd scamonium turpetumque reciperet. Iamque famulus chirographum in manibus habebat, iam ibat ad pharmacopolam (vera testor) cùm me cura quædam subiicit, dicebamque mecum: Quid si signum hoc pulsus mortem significaret, & mortuum æmuli dicant medicamenti potione? Quid si hoc repentè contingeret, & nedum medicamento eiecto pereat? Parum hi se me amare ostendunt: pauper sum: collegio medicorum inuisus: magna laboro inuidia: nullis sum affinitatibus fultus: perseuerabam tamen in proposito, adeò medicamentum illud mala quadam fortuna perpetuò fidem integram, quam de illo habebam, seruauerat. Ita nihil tam felix homini contingere potest, quod vel imprudentia vel sinistra fortuna in tuam perniciem vertere non possit: hoc enim medicamentum tam salutare ægris, mihi tam gloriosum, quàm parum abfuit quin me perdiderit? Verùm somnij recordatus, dixi: futurum est omnino, vt in maximo periculo vitæ sis: quis scit, num hoc dato medicamento iste puerulus pereat? nulla amplius occasio tibi superesse videtur tanti periculi, præter hanc: hanc ergo deuitare certum est: his omnibus cogitatione reuolutis, tanquam fulminis ictu quodam, reuoco famulum: dico deesse quippiam: chirographum recipio, & abscondo: alium conscribo: ex oricis scobe, smaragdo, hyacinthis & margaritis conficio medicamentum: exhibetur ante vesperam: redeo, inuenio vomuisse medicamentum vocatos tres: primarios vrbis medicos: repræhendisse patrem pueri, quòd relictis tot præclaris amicis, opera mea vtatur: esse me inexpertum artis, puerum in magno vitæ discrimine. Cùm tamen medicamentum quod dari iusseram, diligenter considerassent, conuenire responderunt: iusseruntque denuò dari, quod solum mihi profuit: nam mane sequenti ante diẽ ad me miserunt: corripuerat enim puerum conuulsio valida, ex qua periit intra septem horas: ille autem mihi imperauerat, ne discederem: parui ego timore potiùs quàm voluntate, & ne maiorem suspicionem peccati facerem. Vbi periit, tentabam me subducere, nec poteram: pater postulabat (detinebatur enim summa vi ab amicis) vt copia illi fieret filium inuisendi: tandem mulierum auxilio, me sine læsione, sineque iniuria subduxi: iam enim patrem ipsum multis morbis, præcipuè à quodam insanabili, vt alij rebantur medici, curaueram. Si tamen primum medicamentum quod scripseram, dedissem, nec somnio paruissem haud dubiè eo impetu periissem: eo tamen factum est, vt me apud nobiles vbique lacerarет, certi beneficij immemor, incertæ iniuræ constantissimè tenax. Id verò quantum obfuerit gloriæ ex artis exercitatione parandæ, ac nomini & lucro, quisque intelligere potest: quàmdiu enim vixit ille (vixit autem post annis circiter duodecim) tota nobilitas vt amentem fugiebat, & peius angue hoc solo casu oderat. Quod tamen non factum est ob id, vt manifestè declararunt subsequentia tempora, scilicet vt abiectus viuerem: sed (vt in secundo Fabularum libro docui) illustris per omnia secula, fama mea celebraretur. Nam nec sine hoc casu totum me studiis, quanquam vellem, tradere poteram: nec cum eo casu absque

somnij monitu, euadere mortem licuit. Ob hocque solum somnium, hoc Opus conscripsi. Et quamuis alias scripsisse etiam ipsum meminerim: quia tamen (vt dixi) illius causa solùm hos confeci libros, indignum esse ratus sum, ipsum hic prætermittere, quod conscribendi operis causa fuisset. Ergo si nihil aliud commodi hæc doctrina somniorum interpretandorum attulisset, an non hoc sufficere debet, quòd vigintiquinque hi anni, quibus iam superuixi, quicquidve in posterum superuiuam, filiique geniti, totque libri conscripti, famaque perennis, huic somnio debentur?

Nocte quadam somniaui, videre me, atque alterum Hieronymum Cardanum medicum (cuius auus, & meus pater, ex fratribus geniti erant) cum thorace holoserico rubro ac purpureo, cum veste vndulata: sed vndulatæ meæ exterius altera tunica ex laneo panno, vili, cinerei coloris, consuta super erat. Indicauit hoc, pariter nos collegium adepturos, ad senectutem peruenturos, opes (non magnas licet) paraturos: mihi tamen plurimas euenturas miserias: color enim ille paupertatis est, aut calamitosus: quæ omnia plusquam cuperẽ euenere.

Nocte sequente diem Dominicam, circa ortũ Solis, XXV. diei Augusti. M.D.LXI. vidi mulierem in domo fabri ferrarij, assueti (vt tũ mihi videbatur) catulas castrare, sed ignoti etiam tum: & eam mulierem mulier alia, domino eius quæ castrabatur, castrauit: quòd filios conciperet, & abortiret. Castrauit à latere sinistro, accensa lucerna, me vidente: nec visa est profundè vulnus demisisse, sed in summa superficie: videbaturque admodum pinguis, vt mirarer, cùm in vultu macilenta esset: nec exemit testem: vnde dixi: Cur testem non eximis? at illa respondit: Satis est, videbis quod nunquam concipiet: nec perfecit opus in dextro latere, sed tantùm inchoauit. Ars fabrilis, significat strepitum & seditionem in domo: castrare, est voluptatem amputare, vt visum est in superioribus. Fœmina significat virum malorm morum, vt in tertio libro.

Paulò post vidi ramum pruni (quem masculum vocabant) ex India delatum (affirmantes apud nos tamen esse pruna fœminina) florentem, & cum foliis persimilem plantæ visci. Dicebam ergo: Plantate hunc ramum, aliter peribit: at illi existimabant, sic fructum editurum: inde ex fructu nucleus plantatis, prolem suscipere sperabant. Quòd si plantaretur ramus, periturum fore. Dicebam ego: Tempus opportunum est mensis Decembris, qui etsi frigidus sit, terra tamen concipit. Visus sum persuadere: non tamen vidi ramum plantari. Hoc somnium significabat, me præcepturum aliquid vtile præfecto vrbis, quem tum curabam: illum tamen non facturum: me rationem adducturum, qua ille cùm conuinci videretur, non tamen obtemperaturum. Ex hoc (cùm nemo aliorum incommoda sentiat) iratus mihi, discessum denegauit petenti. Sed & somniũ esse ex præteritorum memoria mistum & causam antecedentis iuxta regulas datas. Euenit ergo ipsa die quod somnium præmonstrauit: & reliqua omnia intra quindecim dies, quæ ex vtroque significabãtur, peracta sunt. Pruni etiam nomine: quoniam pruna carbones accensos significat, ardorem & æstum animi declarabat. Et pruni etiam nomine materna lingua, vt arbor & fructus, ita etiam ictus noxius & grauis: vnde iacturam significabat. Quoniã verò ramus erat, & nondum fructum pepererat, multiplicis dedecoris & iacturæ periculum significauit: & quod in longum tempus extenderetur: nihil tamen certi, quoniam radice caruit. Masculi autem differentia, grauius damnum portendit.

Paucis post diebus videbar esse cum duobus sociis in domo mihi ignota: & illi tamen mihi noti, à somno incogniti: dumque in superiore essemus cubiculo (erant autem socij, iuuenes dedecori, compti, atque alter eorum solo thorace laneo indutus) superuenit dominus domus, & ipse iuuenis, qui (vt videbatur) nouerat suam vxorem iuuenem, sed non admodum, apud nos esse. Et vt ingressus est, me & eo qui pallio indutus erat quiescentibus, alter elapsus ex ostio, per quod ingressus est se præcipitem ex altissima fenestra dedit: at dominus domus cursim per scalas educto ense, sequebatur illum: ego cum existimarem totum confractum illum, qui non saltu se præcipitem dederat, sed circumuolutum quomodocunque se proiecerat, vidi discessisse. Duos post dies visus est is equo insidens, obuiam factus, interrogari à me, & quod nõ læsus esset, & quod solus ambularet admirante: respõdisseque, non timuisse nisi tum. Se autem cùm præcipitem dedisset, sic seruasse casus rationem, vt non offenderetur, solũque in pede paululùm læsum. Ego tamen mirabar, cur vxorẽ illius hoc facto infamasset: videbar illi timere. Hoc mihi significat atrox malum: quod atrociori deuitandum, non citra omnium admirationem curabo.

Antequam autem Mediolanum venissem, per duos dies visus sum in curia ambulare super lectos, maximo cum labore & difficultate. Eram petiturus pecunias, mihi promissas ibi. Significat ergo, quod facile esse existimaram, futurum difficillimum: atque vtinã tam clara essent omnia somnia: non enim indigeremus his libris.

Nocte quæ præcessit diem ortus mei, anni M.D.LXI. scilicet, VIII. Calendas Octobris, filius meus qui solus mihi superest, natu scilicet minor, vidit per quietem, fecisse placentam cum butyro, quæ in marmor cõuersa est: ipseque iussit, vt ex templo, quod valde propè est domui nostræ, referretur in templum D. Michaelis, quod è regione est domus, ac propius. Hoc somnium mortem filio minaretur, nisi ipse adiuuasset: nam marmor edi non potest: quia ergo iuuit, delatumque est in templum, in quo, quamuis propè sit, sepeliri non solent maiores nostri: ideo credendum est significare, factum molliter durius illi cessurum. Cætera nunc non vacat interpretari.

Adiuuabit hanc interpretationẽ somnium meum, quo eadem nocte, imò ipsa iam die procedente, vidi me inuenisse in limine domus cuiusdam, per somnum notæ, gemmam magnam, magnitudine calcei, ac quasi forma viridi circũdatam, perspicuã valde, vt crystallus esse consueuit: sed qua parte perspicua erat, viridi colore non erat circumdata: in spem itaque magnæ opulentiæ erectus videbar. Redij ad locum, videre volens an aliud frustum ibi relictum esset, & inueni fœminam crepidam valde

valde pulchra, cuius ima pars & postrema eodem lapide constabat. Vnde mecum reputabam, dicens: hæc inuentio à furto parùm abest: vnde nisi esset quòd in manibus gero Eumetrim (qui quàm diu à me gestatur, varia & grata, iucundaque somnia commonstrat: & si ter expergiscar in vna nocte, totidem video somnia) dicerem hoc somnium præcedenti coniunctum, nuptias significare filij opimas: & concepturam vxorem, sed fœtum non superuicturum. Verùm palam est irrita esse somnia omnia mea, postquam hanc gemmam fero: fero autem ob læta somnia: sic enim diutius est lætum viuere, somnij tempore iucunditate fruis atque dimidium fermè reliquum vitæ, quòd nobis in posterum eripitur, somno hilaribus visis recuperare. Sed & ob omen: quandoquidem Eumetris, quod bene moderatum significat: fortuna autem à me electus est, cum nec nominis nec etymi recordarer: ideò pro omine accepi. Fieri etiam potest tum comparatione ad naturam filij, vt somnium illud inane ostenderit, nec tamen quicquam significet dignum animaduersione.

XIII. Calendas Nouembris huius anni M.D.LXI. visus sum inuenisse iuxta latrinam, in muri foramine satis amplo & recondito penitus, sex aureos coronatos: paulò post quatuor alios, dupli ponderis: demum etiam quatuor manicas aureas, satis graues, cum verutis palmi longitudine peracutis: erant autem manicæ in annulorum formam rotundæ, quas ob mucrones iunctos vix recondere poteram, idque me grauiter angebat, & ne deprehenderer timebam: tandem abdidisse omnia, atque seruasse visus sum. Aufugerat à me his diebus scitulus puer, cuius consuetudine, quod etiam fide præstaret, & lætus esset, inter tot aduersa delectabar non parum: fuerat enim ab improbo famulo ad fugam pellectus. Cùm verò id alumnus eius resciuisset, ad reditū illum hortabatur. Ea igitur erat dies, qua rediturum se pollicitus fuerat. Hæc adieci, vt intelligant lectores potuisse ea per idolum referri potius, vtpote curas, animi anxietatem, impedimenta apertè, quam per aurum occultè: tum anima impedita arduis negociis, huiusmodi non recipit. Quia ergo omnia hîc ad aurum referuntur, significata illius omnia colligere oportet: curas magnas, solicitudines ob pretium, impedimenta ob pondus, tristitiam ob pallorem. Reuersus est ergo eadem die, vt significabat somnium: inde multa verba: tandem mansit apud me. Ergo aurei sex primùm significarunt sex soles: nam die lunæ reuersus puer, sabbatho sequente aufugit filius qui mihi vnicus est: ita renouata cura est, sed longè maior. Mucrones illi dolorem significabant: paucos enim post dies mortuus est alumnus meus mihi charissimus, Guglielmus Cataneus, quem ex Anglia abduxeram. Periere ea in causa aurei quadraginta fermè: filij fuga plusquam viginti: ita vndequaque pecunia periit, molestiæque plurimæ & absque fine consecutæ. Erat autem somnium mistum re, licet simplex visio videretur: Volui hoc descripsisse, vt intelligeres, quomodo leuia magnis misceantur, vt vnum somnium, cùm de pluribus sit, videatur.

Nocte sequente filij fugam, somnium vidi fœdum, sed admodum clarum ex quo intellexi, filium in potestatem meam rediturum, & meliorem factum, ac famosum: sed non retenturum me illum securè, propter imbecillitatem operationis. Et somnium hoc mirum in modum disconuenit cogitationibus meis: sed si non futurum esset, nō visum fuisset: non enim eueniunt somnia: quia videantur, sed quia futura sunt, idcirco se nobis offerunt. Quis hic non videt somniorum vim? nam si ob memoriam aut affectum contigisset, poterat per filium, non per aliud quippiam, significari euentus rei.


Cum anno M.D.LVII. somniassem, me audire harmoniam suauissimam atque cœlestem, adeò vt etiam illius memoria recrearer: experrectus, statim inueni principium illud: Cur homines ex febribus alij necessariò moriantur, alij non; cui quæsito iam prope viginti quinque annis inueniendo incubueram. Eo ergo inuento, statim manè cœpi conscribere librum illum pulcherrimum Artis paruæ medendi, quem post quatuor annos, postquam eum plusquam vicies aut transcripsissem, aut transcribi curassem, absolui: in quo tota prorsus medicina continetur. Sic ex harmonia, diuina sapientia portendebatur.

Demum illud adiiciam, quòd trium librorum qui per somnum mihi demonstrati sunt, summam cœpi voluptatem. Primus fuit, de Subtilitate: secūdus, Micropresbyticon, de quibus aliàs abundè dixi: Tertius, sæpius mihi oblatus est: videbam magnitudinem, sed cum quærerem apud bibliopolam, apud quem videram, non inueniebam: videbatur enim vendidisse illum: titulum oblitus eram legere, sed de omnibus agere videbatur: tanto igitur desiderio detinebar habendi, vt experrectus non possem conquiescere: cogitabam mecum, quis talis liber esse posset: tandem, dum perlego forte fortuna Cœlij Calcagnini librum X. ni fallor, Calendas Ianuarij M.D.LXII. quem iampridem emeram: hoc somnium significabat, quod nō apud bibliopolam esset, sed apud me illum esse animaduerti. Dices, hic ne tam præstans liber est? minimè: argumenta sanè pulcherrima sunt, sed non præstat in enarratione quod pollicetur in titulo. Paulum enim differt à puro grammatico: sed causam vidisti in primo libro. Forsan etiam & sub hoc, & sub libro Micropresbyticon, arcanum aliquid mihi fatale latet. Vnum est, voluisse ob pudorum supprimere, quædam parui momenti magnis affectibus quandoque per somniū ostendi, ignota tametsi & incerta causa. Mihi tamen his diebus magno ille liber vsui fuit.

Reliquum est, vt celebri somnio, quod mihi XI. Calendas Februarij anni CIↃ.IↃ.LXII. visum est, doceam, quod maximè impedimento est somniorum interpretationi: scilicet ἀναμνηστικόν à visione separare: nam nihil est quod magis impediat huiusmodi interpretationem, fallacemque hanc disciplinam ostēdat, quàm huiusmodi mistio, quæ & frequentissima est, & (vt dixi) maximo impedimento interpretationi atque prædictioni. Paucissima enim somnia videri solent, in quibus aliquid ex memoria præteritorum non adsit immistū, quo totum somnium fœdatur: non solum prædicendi ratione perturbata, sed quòd homines cum eā partem videant esse ex memoria præteritorum,

teritorum, & in quolibet somnio, quantamcunque partem & persæpe maximam esse eiusmodi, existimant totam somniorum materiam ex ea constare.

Contigit itaque, vt tunc viderem me, quotquot annulos haberem, præter duos, vnum quē semper gestare solitus sum, hyacinthum, alium qui gemmam habebat rubram & oblōgam parui precij, vt mihi videbatur (nam hunc non habebam, neque huic similem) tradidisse Hispano mercatori, cuiusdam gemmarij etiam per somnum mihi ignoti, suasu nec illum pecunias numerasse: imò mihi videbar non dedisse, sed gemmarius ille id constanter affirmabat, tertia ante die tradidisse ac vendidisse: narrabàtque ille venditionis rationem talem, quam ille lucrosam & bona conditione factā contendebat: scilicet vt intra biennium pretium redderet: duosque se obligasse in solidum, nullo tum interueniente scripto, aurique pretium esse (nescio quid) aiebat Quadraginta & tredecim pro centum: atque hoc tanquā opimum, mirum in modum pretium laudabat, ac extollebat. Emptorum horum alterum dicebat esse textorem sericeorum pannorum: reliqui non meminit, neque ego qui esset scire videbar: cumque ego quærerer, tanquam his vendidissem qui versuram ob inopiam facere possent: aiebat ille, prædiuitem eum esse textorem. Rursus cùm diceret auri pretium illum redditurum, quærebam de gemmis ille aiebat, etiam gemmarum, quanti valerent. Ego verò dicebam, quasdam esse gemmas, quas ego pluris satis emissem, quam æstimarentur: atque inter cæteras Seleniten emisse quindecim aureis coronatis aiebam, cum ille diceret in æstimatione non pluris esse tribus: cum autem quærerer de hoc, dixit: Quid sua refert, quod tu pluris emere volueris? satis est ei, quòd det pretium æstimationis, & quod valet: pigebat autem grauiter hoc fecisse, quod hominibus ignotis sine syngrapha, deinde tam procul habitantibus, vt cogerer si illi fidem non seruassent, vsque in Hispaniam ire ad litigandum, & omnia alia negotia relinquere, aut amittere prorsus rem & pretium: deinde quòd me ob modicum lucrum, & adeò incertum, spoliassem tot gemmis raris, quas tota vita conquisieram: quæ tamen si venderentur, paruam summam constare possent pecuniarum, ac longè minorem quàm ea esset quàm emendo erogassem: itaque cū quererer cum illo, quòd eius opera tantum errorem admisissem: respondebat nihil, nisi me id egisse non coactū, sed ab illo tantum persuasum, qui existimasset id è re mea esse. Ego autem hoc solo consolabar, quòd factum non patarem, sperabamque ac dicebam inuenturum in arca cùm aperirem: neque enim recordabar ad arcam accessisse, vel vnquam eduxisse annulos meos: ille tamen constanter affirmabat, me dedisse, nec apud me esse. Itaque rogaui prænomen illius quod esset? ille primùm suspensus, grauatè dicere videbatur: tādem dixit, Stephanum se vocari. Interrogaui postmodum de nomine, & illud etiam difficilius exponere videbatur: tandem dixit, de Mes. est autē vrbs, quæ paucis antè annis obsidione graui cincta à Cæsare, defendente rege Gallorum capi non potuit. Demum interrogaui, vbi Mediolani maneret? ibi enim esse videbar: negauit se domum habere stabilem, sed huc illucque vagari: tandem dixit, se è regione cuiusdam monasterij virginum, nomenque retulit, habitaturum: sed ego non memini nominis: dicebat autem, in via gemmariorum semper inuenies: quo responso, cum id ita esse confiderem, consolari videbar tum maximè, quòd gemmas adhuc apud me esse existimabam. Interim verò (nec id recordor) videbar in summa domus parte habere quosdam lectos, & pullum elephanti vinctum, atque feram aliam insignem pelle varia, qualis est pardalis: verùm qualis esset, non recordor, nec quod nomen: ab ea tamen cauebam, nec fidebam. Elephantem autem pane oblato mansuetum expertus sum, de quo magnam voluptatem capiebam: alebat autem ambos Hieronyma ancilla vetus, quæ nunc alibi moratur hæcque orto sole. Pridie à cœna de gemmis loquuti sumus, vt hoc totum esset ἀναμνηστικόν. Significat tamen, parum abfuturum, ne conditionem quandam insanam recipiam aliquātisper lucrosiorem spe, ea quæ est præsens, sed in qua sint multa pericula, & multa impedimenta, præsertim ornandorum librorum: hi enim sunt gemmæ: annulorum autem aurum, redditus, ob quæ pœniteas, præsertim quod nec securum erit illud præmium. Manifestum est autem, quod hoc erit prorsus in manibus meis vt faciam, propter spem quam retinui, quod irritum esset hoc negotium, & quòd annuli adhuc apud me essent. Erit ergo mei arbitrij, deliberare à quo somnium vt palam est, me dehortatur. Belluæ illæ quid significent, ancillæ veteris interpositio planè declarat: cùm enim pulli essent, ambæ duos adolescentes, elephas quidem filium, fera anognostam ob elegantiam studiorum & peritiæ musicæ insignem & variegatum, reliquaque ex ea historia decernuntur, significat Nomen & Prænomen medio regi: id est, principi seruiendum docet, si recepero, cùm tamen nihil habeam.



ENCOMIVM ASTROLOGIÆ.

SI qua est humanis vsibus ars necessaria, disciplinaue vtilis, aut contemplatio iucunda, vel diuina sapientia, Astrologia certe non solum talis est, verum etiam omnium aliarum, tum artium, tum scientiarum, quæ harum laudum sunt participes, præstantissima: quippe cum sola, & ante alias omnes, astrorum primo cursus, dignitates, tempora, atque hinc Deos ipsos etiam esse docuerit. Etenim, ne longius à religione digrediar, Moses ipse, Iudaicæ conditor legis, quo nemo apud Græcos Romanosue antiquior est, festos dies omnes ab æquinoctiis & nouiluniis constituit: eos autem septenario omnes distinxit, vt numero & ordine Errones imitarentur. Cœli vero

vero motus ac tempora ita diligenter obseruauit, vt cum reliquæ gentes Diis propter astra cultum impenderint, ipse (quod magis conuenit) astris diuino verbo autoritatem dederit. Curiosius vero Græci atque Ægyptij, tum Phœnices, non tamen maiore veneratione, astrorum disciplinam sunt prosecuti. Nempe eos, qui illam inuenerant auxerantve, viuentes quidem pro regibus habuerunt, mortuos coluerunt pro Diis: vt sic omni studio & illorum operam & dignitatem meritis prosequerentur honoribus. Vtque de multis aliquos recenseam, nonne Trimegistus ille primo talis apud Ægyptios fuit? Berosus apud Chaldæos? Orpheus, cuius & lyra inter astra relata fingitur, quod mundi concentum referret: septem distincta chordis, totidem erraticarum numero. Inde Phaëton, quod Solis cursum explorasset, Endimion Lunæ, Atlas stellarum ac signiferi, Dedalus ille, quem volare finxerunt, atque Icarus, qui cum patriam disciplinam non perfectè adeptus esset, in mare ignorantiæ præcipitatus fertur. Sic Pasipha, & Phryxus Athamantis filius, ac Bellorophon, tum Atreus ac Thyestes, cum singuli singula inuenissent, & regno apud veteres digni visi sunt & diuinitate. Sic ille Tyresias, quem vatem celebrauit antiquitas Astrologus insignis fuit, ob hocque dictus sexum permutasse, quòd stellarum quasdã masculinas, quaspam dixerit fœmininas. Quid verò aliud argonauticam illam expeditionem aurei velleris significasse credimus, quàm multorum Regum certamen in exquirendo æquinoctij momento, cum Sol arietem ingreditur. Nam & antiqui historici, & sacræ paginæ referunt, olim consuetudinem fuisse, vt Reges quæstionibus certarent, victusque victori aurea præmia persolueret. Quid etiam existimas Homerum ac Virgilium sensisse, cum vbique Deos illos altercantes aut pugnantes hos quidem pro Græcis aut Troianis, illos vero pro Turno Æneáque? quàm quod stellarum hæ quidem huic parti, aliæ autem diuersæ fauerent. Inde tot concursus conciliaque Deorum. Perabsurdum enim est, credere Deos tanquam homines hæc factitasse: absurdius etiam, cum hæc illi scriberent, nullum prorsus sensum sub tot verbis latere voluisse, sed tanquam Chimeram, nullo vsui omnibus suis membris, inani quodam studio à tam claris poëtis fabulam fabricatam. Itaque cum Æneæ Venerem, quod pulcherrimus esset, cum Turno Iunonem, id est, fortunam, ac Lunam, cum Hectori Apollinem, quod fortis esset ac iustus: seu Solem fauere dixerunt, non aliud quam genium, seu sydus, quod vnicuique dum oritur dominatur, sub fabulæ velamento intellexerunt. At Heronum genium ex virtute, & Erronum natura, quæ illi similis erat venabantur: nam Appollinem & Iouem Saturnumque, Martem ac Mercurium, tum Venerem ac Lunam, reges fuisse credendum est, qui cursus harum stellarum vimque earum inuenerint. Sic Castorem, sic Pollucem, sic Arcturum, sic Andromedam celebrarunt, nomina illorum stellis quas inuenerant tribuentes, stel larum vero immortalitatem hominibus.

Verum vt etiam ad minus antiqua veniam, Legumlatores omnes huius artis præcepta obseruauere. Inter quos Licurgus grauissimus Laconum, inter reliquas mandauit leges, ne ante plenilunium milites ad bellum exirent. Alij circa sacra magis eam obseruauêre, vt Romani: quæ tunc enim erant Kalendæ, etiam ingressus Solis, in signorum initia erant. Athenienses etiam Græcorum sapientissimi, Beroso Græco, qui Platonis socius in Heliopoli fuit, ob veridica oracula, æneam statuam cum aurea lingua in foro dedicauerunt. Omitto Thrasybulum, qui maxima adeo apud Tiberium in veneratione fuit, vt nihil non ex sententia illius ageret: conscius secretorum arcanorumque custos, atque is vnus cui ille pareret, qui cæteris omnibus mortalibus imperabat. Quam nec pater eius Augustus, aut neglexisse, aut ignorasse dici potest, cum nummum nota Capricorni, sub quo tam fœliciter se natum esse cognouerat, signari voluerit.

Et quanquam maiora de aliis etiam referre possem, festinandum tamen est ad eorum finem, in quibus finis nullus queat inueniri, solumque id admonendum, Cum Iudæos primo, inde Æthiopes, post Ægyptios, qui syderum etiam obseruatione ab animalibus abstinuerint, (cum non illa, vt vulgus existimabat, sed stellas sub ea figura venerarentur) inde Afros, Babyloniósque, atque Phœnices, tum Græcos, atque Italos (nam & Saturnus in Italia regnauit) inuentores atque obseruatores sui habuerit, tum in his Reges atque diuinos prope homines, quid aliud existimandum, quàm eam quoddam munus esse Deorum, atque præcipuum mortalibus concessum? Nempe cum præterita Historicos extollant, præsentia Reges, futura Diis relicta erant. Sed nec huius boni mortales expertes esse voluerunt, huiusque artis beneficio nos participes fieri curauêre: vt illos tantum sapientes esse reor, qui eam disciplinam edocti sunt. De quibus dicat Sophocles: ὡς δὲ σώφρονας θεοὶ φιλοῦσι. *Quomodo enim eos amare non possunt, quos tam diuino munere donauerint? aut quomodo verè dici poterunt sapientes, qui diuinum nihil à Deo sint consecuti? Cæterum, cum hoc nectar sit, hæc Deorum ambrosia, cur non merito etiam fœlicissimi erunt, qui vel hoc poculi genus aut cibi degustauerint? Quamobrem necesse est Astrologiam omni alia disciplina & iucundiorem & diuiniorem esse. At vero etiam vtiliorem fore quis dubitat? cum & futura si prospera sint sequi doceat, si aduersa vel vitare vel æquius ferre: nam quæ diu quisque ante præuiderit, lenius feret, etiam si minuere nequeat. Porrò quam iucunda sit futurorum scientia, ac quàm supra dici queat gratissima, ostendit tum etiam præteritorum, tum præsentium cognitio: quæ adeò nos oblectat (quanquam hæc inutilis sit) vt nihil horum causa non prætermittamus. At futurorum scientiæ, cum etiam sit necessaria, & voluptatem & vtilitatem tantam, quantam nemo vel cogitatione assequi poterit, inesse necesse est. Igitur quod Ptolemæo adscribitur, cuilibet huius artis studioso merito conuenire existimo, etenim secum dicet:*

Οἶδ᾽ ὅτι θνατὸς ἐγὼ καὶ ἐφάμερος ἀλλ᾽ ὅταν ἄστρων
Μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
Οὐκ ἔτ᾽ ἐπιψαύω ποσὶ γαίης, ἀλλὰ παρ᾽ αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

FINIS.